2. 6. 26

206

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. GOTTLIEB
HEINECCII,

POTENT. PRVSSORVM REGIS
quondam a Conſil. ſanctior. Iur. ac Philoſoph. in ill. Frideric. Profeſſoris publ. ord.

OPERVM

AD

VNIVERSAM IVRIS PRVDENTIAM, PHILOSOPHIAM, ET LITTERAS HVMANIORES
Pertinentium

TOMVS SECVNDVS,

DISSERTATIONES, ORATIONES, AC PROGRAMMATA EXHIBENS.

GENEVAE,
Impenſis HERED. CRAMERI & FRATR. PHILIBERT.

cIↄIↄccxxxvi.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI HONORATISSIMO

S. P. D.

BIBLIOPOLAE.

QVI Tomo ſecundo Operum diui HEINECCII *Antiquitates Romanas* et *Hiſtoriam iuris ciuilis Romani ac Germanici* exhibere, quum conſilium colligendorum operum cum erudito orbe communicaremus, voluimus, iam alia damus ſcripta, quod qua de cauſſa ſit factum, paucis declarabimus. Et, vt ingenue fateamur, non inconſulta nobis videbatur ratio viri clariſſimi, mutationem conſilii noſtri quam maxime ſuadentis. Viderat is, ſaepiſſime ab auctore citari Diſſertationes, orationes, ac programmata, nec commode fieri id poſſe in noſtra collectione, niſi prius darentur ſcripta academica, quae iam exhibemus. Accedebat et alia ratio, lectorum vtilitas, ne fruſtra quaerant opuſcula ab auctore citata, verum eadem ſtatim conferre, vbi opus eſſet, poſſent. Quare locum dedimus monitis grauiſſimis, quae nec aequus lector improbabit, et reliquis diui viri operibus ſcripta academica minora cenſuimus praemittenda. Habes igitur iam, honoratiſſime lector, DISSERTATIO-

Digitized by Google

NES, ORATIONES et PROGRAMMATA, tum ab auctore, tum a nobis primum collecta. Ille nempe hortantibus amicis et flagitantibus bibliopolis anno ſaeculi trigeſimo quinto omnia in vnum faſciculum cogebat ſcripta minora, quae ad id tempus a ſe in quatuor academiis florentiſſimis, Lipſienſi, Halenſi, Franequerana, et Francofurtana fuerant elucubrata, eaque vel auctiora, vel ſaltim emendatiora. Et collegiſſet procul dubio diuus auctor reliqua ſcripta, quae poſt id tempus in publicum prodire paſſus eſt, ſi Deus O. M. diuturnioris vitae vſum eidem conceſſiſſet; quare nos ea iam qualitercumque collecta in Sylloge II. opuſculorum variorum exhibemus. Quae vt lectoribus commodiorem praeſtent vſum, operam dedimus, vt indici omnia inſererentur, quae in altera pertractantur ſylloge, vt adeo materiae pertractatae vno exhibeantur loco. Quod emendatiora iam prodeant, id, lector honoratiſſime, debes diligentiae viri clariſſimi, qui hoc onus lubens in ſe ſuſcepit, vt adeo Halenſi collectioni noſtra multum ſit praeferenda. Iam in eo ſumus, vt breui Tomum tertium, qui ſub prelo ab aliquo tempore ſudat, demus, in quo et Antiquitates Romanas ex autographo diui auctoris auctas, et Hiſtoriam iuris exhibebimus. Haec monenda duximus. Scrib. *Geneuae a. d.* I. *Dec.* CIƆIƆCCXXXXV.

IO.

IO. GOTTLIEB
HEINECCII,

POTENT. PRVSSORVM REGIS quondam a Conſil. ſanctior. Iur. ac Philoſ. in ill. Frideric. Profeſſoris publ. ord.

OPVSCVLORVM
VARIORVM
SYLLOGE I.

EDITIO ALTERA EMENDATIOR.

GENEVAE,
Impenſis HERED. CRAMERI ET FRATR. PHILIBERT.

cIↄIↄCCXXXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIVS* IC.

SPEM aliquoties fecerunt bibliopolae, diſſertationum mearum, quas partim iuuenis, partim iam docendi munere functus, in tribus academiis conſcripſi, in vnum faſciculum coniungendarum. Quod conſilium aliorumne hortatu ceperint, an quia quaedam illorum opuſculorum frequentius in tabernis librariis quaererentur, ceu mihi a quibuſdam relatum eſt, non facile dixerim. Id adfirmare poſſum candide, ſi meo res acta eſſet arbitrio, me facile paſſurum fuiſſe, has ſchedas, exercitationi tantum academicae deſtinatas, interire. Sunt in his diſſertationibus quaedam, a me adoleſcente conſcriptae, quando nec ea iudicii maturitas, nec tantus librorum adparatus, nec tam diffuſa lectio erat, vt omnia ad amuſſim ſcribi atque expoliri potuerint. Aliae non meo, ſed re-

* *Praefatio prioris Editionis anni* 1735.

ſpondentium, quos vocant, ſtilo primum conſcriptae & a me tantum reuiſae, & in ordinem, quoad eius fieri potuit, redactae ſunt, vbi ſane re ipſa expertus ſum, verum eſſe, quod ille ait:

Emendare mihi labor eſt, quam ſcribere, maior.

Denique nonnullae, vt fit, vrgentibus candidatis ac reſpondentibus, & vaſa iam conclamantibus, tam feſtinante calamo in chartam coniectae ſunt, vt ſaepe madidae adhuc ſchedae a typographis peterentur, nec a me relegi potuerint aut emendari, niſi vbi iam typis deſcriptae eſſent. Talia vero non ita plerumque ſcripta ſunt, vt aetatem ferant, vel ad auctorum famam atque exiſtimationem conſeruandam pertineant. Accedit, quod mihi iam prorectoratus munere fungenti, multiſque potius, quam magnis, occupationibus dies nocteſque diſtracto, non licuerit eſſe tam felici, vt limam iis, quae olim ſcripſeram, adhibere potuerim, aut quaedam refingere, quae, meliora edoctus, aliter ſcripta nunc mallem. Nunquam enim ita quiſquam bene ſubducta ratione ad ſcribendum eſt,

Quin res, aetas, vſus, ſemper aliquid adportet noui,
Aliquid moneat, vt illa, quae te ſcire credas, neſcias,
Et quae tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Denique ne ad emendandas quidem ſchedas, praelo exeuntes otium mihi ſupereſſe vidi, adeoque aliis demandandum fuit hoc officium, aeque ac labor moleſtiſſimus conficiendi indicem, quorum de diligentia tametſi optima quaeuis ſperem, negare tamen nolim, nitidiora omnia prodítura fuiſſe, ſi tam bene mecum eſſet actum, vt ipſe curam editionis ſuſcipere potuiſſem, quandoquidem ita natura comparatum eſt, vt dominus videat plurimum in rebus ſuis. Enimuero quum exteri quidam editionem minarentur: i duobus malis, quod minimum erat malum, eligere, & ipſe eam qualicumque modo curare, quam aliorum arbitrio rem omnem committere malui. Et ſic, quod felix fauſtumque eſſe iubeat ſupremum Numen, iam vno faſciculo prodeunt, ſparſim antea editae, diſſertationes meae, iuueniles, viriles, philoſophicae, hiſtoricae,

Digitized by Google

ſtoricae, iuridicae, breues, longiores, quas olim Lipſiae, Halae, Franequerae, Francofurti iuxta Viadrum, vel in cathedra defendi, vel aliis occaſionibus & ipſe ſcripſi, & ab aliis ſcriptas ſeuerius emendaui. Vt vero de ſingulis nonnulla, quae, ſcire te, tua intereſſe videtur, moneam, primum locum occupat diſſertatio paullo diffuſior de HABITV ET INSIGNIBVS APOSTOLORVM SACERDOTALIBVS, quam vndeuiginti annorum adoleſcens Lipſiae, vbi tum prima ſtudiorum academicorum tirocinia faciebam, ſub praeſidio viri clariſſimi, IO. SCHMIDII, e cathedra philoſophica defendi. Deſtinatus tunc a matre veneranda ſtudio theologico, facile animaduertebam, me vix operae pretium facturum, niſi cum illo & elegantiores litteras, & philologiam ſacram, &, quod tum in iſta academia quam maxime florebat, antiquitatum eccleſiaſticarum ſtudium coniungerem. Quum itaque ea diligentia mihi viri ſumme reuerendi, D. ADAMI RECHENBERGII, cuius in aedibus muſeum mihi conduxeram, amorem ac beneuolentiam conciliaſſem, vir iſte doctiſſimus, qua erat humanitate, mihi bibliothecae ſuae vſum liberaliter obtulit, eaque re factum eſt, vt dum virorum doctiſſimorum, RECHENBERGII & THO. ITTIGII praelectiones adſidue audio, dieſque ac noctes antiquae eccleſiae monimenta voluo, notitiam non mediocrem hiſtoriae eccleſiaſticae mihi compararem, quam deinde non parum locupletaui, quum, relicta academia Lipſienſi, in fratris, *τῦ μακαρίτυ* contubernio aliquamdiu viuere, eiuſque & conſiliis, & inſtitutione, & bibliotheca frui contingeret. Quum ergo profectuum ſpecimen a me exigerent patroni, a quorum arbitrio tum pendebam, & legens inter alia BARONII annales, animaduertiſſem, cardinalem illum apoſtolis habitum atque inſignia ſacerdotalia, qualibus hodie clerus Romanae eccleſiae inter ſacra ſuperbit, paſſim tribuere non dubitare: miratus ſum eam viri purpurati audaciam, & audire mihi viſus clamantem Melicertam,

Periiſſe
Frontem de rebus.

Digitized by Google

mihi duxi, & hanc interpolare, aut refingere, niſi quod menda quaedam ſuſtuli, & ſub finem ſententiam meam de DIONYSIO PERIEGETA aliquantulum mutaui.

Exercitatio *tertia*, de VERAE FALSAEQVE SAPIENTIAE CHARACTERIBVS, programma fuit inaugurale, ſcriptum anno Chriſtiano MDCCXIII. quum profeſſoris philoſophiae ordinarii munus in academia Fridriciana longe clementiſſime mihi demandatum, auſpicarer. Erant eo tempore variae admodum virorum doctorum in hac academia de philoſophiae vſu ſententiae, aliis eam maximi facientibus, aliis eamdem non modo inutilem ac ſuperuacuam, verum etiam Chriſtianae pietati admodum inimicam, ac proinde pernicioſiſſimam eſſe, exiſtimantibus. Quum itaque facile animaduerterem, neutros iuſtum diſcrimen ſtatuere inter veram ſapientiam & ψευδοπαιδείαν, ac proinde non minus peccare, qui omnem philoſophiam ſine diſcrimine vtilem atque expetendam eſſe contendant, quam qui eamdem, nullo obſeruato diſcrimine veluti ad Garamantas proſcribendam cenſeant: nihil me facere poſſe exiſtimaui vtilius, quam vt ſub muneris publici auſpicia de verae falſaeque ſapientiae characteribus eſſem ſollicitus, vt illi & mihi veluti norma eſſent, ad quam doctrinas meas exigerem, & ſtudioſi haberent, quod in addiſcenda philoſophia & obſeruarent diligenter, & cum cura ac induſtria cauerent. Expenſis itaque iis, quae de huiuſmodi characteribus iam olim diſſeruerant SOCRATES, PLATO, CLEMENS ALEXANDRINVS, demum operam dedi vt ex ipſa ſapientiae definitione characteres quoſdam eruerem, qui ſapientiam ſectantibus inſtar cynoſurae eſſent, ad quam dirigerent curſum ſuum, vt nec hinc in Scyllae, nec inde in Charybdis voraginem abriperentur. Hanc itaque diſſertationem huic faſciculo intexere eo minus dubitaui, quo vberiorem inde fructum ipſe tuli in perſequendo ſtudio philoſophico.

Sequitur exercitatio *quarta* de INCESSV ANIMI INDICE, quam me praeſide defendit IO. FRID. SCHVMANNVS, amiciſſimi mihi IO. MICH. SCHVMANNI, Paſtoris tum ad S. Mauritii

aedes

aedes filius, qui quum eo tempore me, philoſophiae moralis praecepta accuratius interpretantem, audiret, ea in primis, quae ex ethica characteriſtica de ſignis propenſionum humanarum diſſerueram, non ſine voluptate perceperat, ac proinde eius doctrinae ſpecimen aliquod edere decreuerat. Commendaui ergo optimo iuueni, qui aliquot annis poſt maxime reuerendo parenti, Superintendenti Weiſſenfelſenſi, collega datus, florentiſſima aetate rebus humanis exceſſit, hoc thema de inceſſu animi indice, ſuppeditatiſque rebus praecipuis, & ordine, quem in eo elaborando ſeruaret, praeſcripto, auctor ei fui, vt ipſe in hoc vires ingenii periclitaretur. Quod & tanta dexteritate praeſtitit iuuenis optimus, vt non niſi emendandi labor eſſet ſuſcipiendus. Mea ergo eſt haec diſſertatio, ſi ſpectes materiam; beati SCHVMANNI, ſi ipſam elaborationem; vtriuſque, ſi defenſionem, qua tum aduerſus inuidi hominis non tela, ſed inſidias, ſtrenue ambo defuncti ſumus. Quae monere viſum, ne quidquam, quod alienum eſt, mihi adrogare velle videar. Ceterum in priore capite quaedam in genere diſſeruimus, cum de ſignis propenſionum humanarum phyſiognomonicis, tum de inceſſu, eumque eſſe animi indicem argumentis phyſicis, moralibus, hiſtoricis demonſtrauimus, profligatis ſimul eorum rationibus, qui, fallacia iſta ſigna eſſe, exiſtimant. Hinc porro poſteriore capite propenſionibus hominum in certas claſſes diuiſis, de ſingulis vitiis deditorum inceſſu quoſdam dedimus canones, eoſque & rationibus, & veterum teſtimoniis, & petitis ex omni hiſtoria exemplis illuſtrauimus. Quae quum non plane vulgaria & protrita ſint, tibi, LECTOR, non omnino iniucunda fore, exiſtimauimus, ac proinde & huic diſſertationi, qualis iam tum ab anno MDCCXIII. exſtitit, locum eſſe voluimus in hoc faſciculo.

Eadem fere notanda ſunt de exercitatione *quinta*, quae agit DE PHILOSOPHIS SEMICHRISTIANIS, niſi quod hanc pro roſtris defendit HECHTIVS, Halenſis, qui iam in comitatu Solmenſi, Laubaci, Antiſtitis ſacrorum officio fungitur. Veniebat & ille eo tempore vna cum aliis adoleſcentibus ad aedes meas, meque

que cum artes elegantiores ac philoſophiae diſciplinas, tum & hiſtoriam philoſophicam docentem ſedulo audiebat, quumque de recentioribus philoſophis, in primis Platonicis, agerem, obſeruaſſemque, eſſe ex iis, qui GVIL. CAVEO aliiſque viris doctis parum a Chriſtiana veritate abfuiſſe, ſimileſque quodammodo fuiſſe videantur illi Agrippae, qui, audita PAVLLI apoſtoli oratione: ἐν ὀλίγῳ, inquit, με πείθεις χριστιανὸν γενέσθαι; Act. XXVI. 28. ea obſeruatio tanti momenti videbatur iuueni laudatiſſimo, vt dignam putaret, quae ſingulari diſſertatione academica expenderetur. Occaſio itaque fuit ea diatriba diſquirendi, rectene olim a CLEMENTE ALEXANDRINO aliiſque patribus creditum ſit, philoſophiam eſſe παιδαγωγὴν ad Chriſtum? qui factum, vt quidam iucundiſſimo Chriſtianae lucis exortu adduci ſe eo paſſi non ſint, vt ex ſuperſtitionis ſuae tenebris eluctarentur, ſed inter ἐπαμφοτερίζοντας eſſe maluerint, neque calidi, neque frigidi, ſemipagani, & ſemichriſtiani, quos ſe ore ſuo eiecturum minatus eſt Seruator. Apoc. III. 15. 16.? quot fuerint huiuſmodi philoſophorum ἐν ὀλίγῳ χριστιανῶν genera? cur pagani philoſophiam ſuam doctrinis Chriſtianis tamquam phaleris quibuſdam exornarint? quibus viis ad earum notitiam peruenerint? qui recentioris aeui philoſophorum in hoc numero fuerint? quae olim fuerint & etiamnum ſint huius ſemichriſtianiſmi cauſſae, & quae ei opponenda ſint remedia, niſi quis ſimile velit adire periculum? Quae omnia ita comparata ſunt, vt non potuerint non quaedam ex horum philoſophorum operibus, vulgo non aeque notis, depromi ſcitu digniſſima, quae & facile mihi perſuaſerunt, vt ne hanc quidem diſſertationem reliquarum numero excluſam vellem.

Quae *ſexta* eſt in hoc faſciculo, diſſertatio de ORIGINE ATQVE INDOLE IVRISDICTIONIS PATRIMONIALIS, ea fuit auſpicalis, quum anno MDCCXIV. ſupremi in iure honores mihi ab illuſtri iureconſultorum ordine conferrentur. Quandoquidem vero ea tum erat rerum mearum ratio, vt intra quatuordecim dierum ſpatium & capiendum eſſet hoc conſilium, & exſequendum:

 tempo-

temporis excluſus anguſtiis, omnia quam fieri poterat, breuiſſime propoſui, easque theſes ſine alterius praeſidio defendi. Potuiſſem, ſi otio abundaſſem, permulta addere, quae ad illuſtrandas has doctrinas vel maxime pertinere videbantur. Sed communicari illa tecum poterunt occaſione longe commodiore, puta in ELEMENTIS * IVRIS GERMANICI, quae iam ſub praelo ſudant, vbi & de iurisdictione ex iuris Germanici principiis fuſius erit diſſerendum.

Septima exercitatio de LEVIS NOTAE MACVLA defenſa eſt a CHRISTOPH. GOTTL. STOCKMANNO, Gerano Variſco, in eaque LEGEM XXVII. COD. DE INOFF. TEST. ex rationibus hiſtoricis interpretari conati ſumus, oſtendimusque, verba legis 3. C. Theod. de inoff. teſt. ex qua, nec non l. 1. C. Th. eod. lex illa 27. conflata eſt, ita ſe habere: *omnia fratribus tradi* oportere, *quae per turpitudinem aut aliquam leuem notam capere non poteſt inſtitutus.* Ex iis vere quum colligi poſſit, Conſtantinum M. hic procul dubio ad aliam quamdam legem, qua perſonae quaedam infames, aut aliqua leui macula notatae, aliquid capere ex teſtamento prohibentur, reſpicere, alia vero eius generis vix exſtet, quam PAPIA POPPAEA: ſuſpicati ſumus, has Conſtantini M. conſtitutiones ad hanc ipſam pertinere legem, eaque prohibere voluiſſe principem, ne perſonae huiusmodi viles, tum a ſenatoriae originis virorum, tum ab ingenuorum toris excluſae, ſolidum ex coniugum teſtamentis, praeteritis fratribus ac ſororibus caperent, adeoque perſonas infames in ea conſtitutione dici, quaecumque cum ingenuis; leuis notae macula adſperſas, quae cum ſenatoribus aut eorum poſteris viuere per leges in iuſto matrimonio non poſſint, quas deinde ex l. 43. & l. 44. D. de ritu nupt. pluribus deſcripſimus, docuimusque ſimul, nullum in illa conſtitutione praeſidium reperire eorum ſententiam, qui ſpurios, carnifices, lictores aliosque ſordido vitae genere quaeſtum facientes, ob turpitudinem aliquid capere poſſe, negant. Noua erat haec ſententia, adeoque non mirabar, eam placuiſſe aliis, aliis, vti fieri

* *Tom. IV. huiuſce Edit.*

ri ſolet, diſplicuiſſe. Et ſane dubia quaedam in diſſertatione eleganti de querela inofficioſi fratrum conſanguineorum aduerſus illam monebat collega coniunctiſſimus, ſed ea humanitate, vt facere non poſſim, quin eadem modeſtia reſpondeam. Nimirum quum ego legem Papiam Poppaeam Conſtantino M. ante oculos tum fuiſſe conieciſſem: viro doctiſſimo id vel ideo minus veroſimile viſum eſt, quod primo hac ratione conſtitutio Conſtantiniana tantum ad eos reſtringenda eſſet, qui interdicta eiusmodi & probroſa iniiſſent matrimonia, quippe qui demum hereditatem capere non potuerint: & id tamen generalitati verborum repugnet: deinde, quod ſic fratres ne quidem indiguiſſent hac querela, quum potius tales perſonas inſtitutas, quippe incapaces, pro non ſcriptis haberi oportuiſſet: tum, quod anno CCCXXXII. quo CONSTANTINVS conſtitutionem illam in l. 3. C. Theod. de inoff. teſtam. ediderit, ne vſus quidem aliquis legis Papiae Poppaeae ſuperfuiſſe videatur, reuocatus quippe demum anno CCCXXXVI. l. I. C. de natural. lib. hinc porro quod verba conſtitutionis, quibus ego coniecturam meam ſuperſtruxerim non ad originem huius conſtitutionis, ſed ad effectum ipſius querelae pertineant, nec aliud ex iis colligi poſſit, quam quod inſtituti hereditatem propter infamiam leuiſque notae maculam capere nequeant: denique quod ſic neceſſe non fuiſſet, libertorum ſpeciatim facere mentionem, quum matrimonium cum iis inire lex Papia Poppaea diſerte prohibuiſſet. Enimuero quando argumenta mea cum his comparo: non videntur haec eius eſſe ponderis, vt ideo vadimonium deſerere vellem. Quod enim ad primum attinet, non ego vmquam exiſtimaui, conſtitutionem Conſtantini ad eos tantum, qui contra legem Papiam Poppaeam nuptias fecerint, pertinere, ſed tantum, eos ibi infames & leuis notae macula adſperſos dici, docui, qui per legem Papiam indigni nuptiis viderentur, & ob eam legem capere non poſſint. His, ſiue in matrimonio cum teſtatore viuerent, ſiue non viuerent, praeferebantur fratres ac ſorores germani ac conſanguinei. Vt paucis dicam,

 non

non ſcripſi, ad coniuges duntaxat hanc conſtitutionem eſſe reſtringendam, qui per legem Papiam Poppaeam nihil inter ſe capere poſſint, ſed eas tantum perſonas infames ibi adpellatas, quae in l. 43. ff. de rit. nupt. ab ingenuorum nuptiis prohibeantur, iiſque leuem haerere maculam videri, qui l. 44. eod. tit. indignae eſſe Senatoriis nuptiis dicerentur. Quod non obſtare generalitati verborum, facile vnuſquiſque animaduertet. Et ſic alterum quoque cadit argumentum, ſententiae noſtrae oppoſitum. Nam non indiguiſſent fratres & ſorores querela, ſi coniux coniugem inſtituiſſet, qui per infamiam vel leuis notae maculam aliquid capere non poterat, vti iam vidit VLPIANVS in Fragmentis tit. XVI. §. 11. ſed tamen nulla ratio erat, cur inſtitui non poſſet eiuſmodi turpis perſona, quae aduerſus legem Papiam Poppaeam ſciens dolo malo nuptias non iniiſſet. Hinc opus erat lege, quae eam, ſiue nuptam ſiue caelibem fratribus & ſororibus praeferri prohiberet. Finge aliquem lenam vel a lenone manumiſſam non vxorem duxiſſe, ſed habuiſſe concubinam, eamque poſtea, fratre praeterito inſtituiſſe heredem: quid obſtitiſſet, quaeſo, quo minus haec hereditatem caperet, niſi CONSTANTINVS aduerſus eam indulſiſſet querelam teſtamenti inofficioſi? Quod porro eo tempore iam ab vſu receſſiſſe legem Papiam Poppaeam exiſtimat vir doctiſſimus, id vereor, vt vlla ratione poſſit demonſtrari. Quamuis enim laxa temporum illorum diſciplina fieret, vt ex viliſſimorum hominum turba haut pauci ſibi viam in ſenatum munirent, & ita fortaſſis ſaepe aduerſus haec legis Papiae Poppaeae capita nuptiae fuiſſent initae, tantum tamen abeſt, vt illa vel abrogata ſint, vel tacite exoleuerint, vel denique a Conſtantino, anno primum CCCXXXVI. in vſum reuocari debuerint, vt potius per l. 1. C. de nat. lib. illud legis caput, quod de ſenatoriis nuptiis agebat, ab iſto ad viros perfectos, duumuiros ſacerdoteſque, phoeniciarchiae vel ſyriarchiae ornamentis condecoratos porrigeretur. Quod porro verba, quae ex l. 3. C. Th. de inoff. teſt. ad effectum pertineant, non negauerim; quia tamen iſte effectus tantum ad eos, qui per turpitudi-

pitudinem, aut leuem aliquam notam capere non poſſint, reſtringitur, neceſſario iam aliunde conſtitiſſe oportet, qui per turpitudinem vel leuis notae maculam capere non poſſint. Quidni ergo ex lege Papia Poppaea? Denique cur libertinorum in ſpecie meminerit CONSTANTINVS, ex ipſa diſſertatione diſces. Non in vniuerſum à libertinorum libertinarumque nuptiis abſtinere iuſſerat lex PAPIA POPPAEA, ſed ſenatorii tantum generis homines libertinas ducere prohibuerat. De reliquis ingenuis DIO CASSIVS Lib. LIV. p. 531.: Ἐπίτρεψε (Αὔγουστος) καὶ ἐξελευθέρας τοῖς ἐθέλουσι, πλὴν τῶν βουλευόντων ἄγεσθαι, ἔννομον τὴν τεκνοποιΐαν αὐτῶν εἶναι κελεύσας. *Liberum fecit* (Auguſtus) *vt qui vellent, modo Senatores non eſſent, libertinas ducere poſſent, eorumque liberos legitimos eſſe iuſſit.* Itaque non ſuperuacua fuit libertinorum mentio, quia vel maxime dubitari poterat, an his leuis notae macula adſpergenda eſſet, qui tum aliquando ad ſummas in ipſa aula dignitates adſpirabant. At haec quidem ad coniecturam noſtram illuſtrandam ſufficiant. Solent enim huiuſmodi diuinationes ita comparatae eſſe, vt facile, quod iis opponas, reperias: & inhumanum eſſet, in his non ferre diſſentientes. Qui bene coniecit, hunc vatem perhibemus optimum.

Diſſertatio *octaua*, DE NAVIBVS OB VECTVRAM VETITARVM MERCIVM COMMISSIS, ſcripta eſt in gratiam iuuenis optimi qui tum in contubernio meo erat, KESLERI, Regiomontani Pruſſi, qui eo labore dignitati, quam poſtea obtinuit in collegio Regiomontano, quod commerciorum curam gerit, praeluſit. Nec de *nona*, quae DE COLLEGIIS ET CORPORIBVS OPIFICVM ſcripta, & a SCHVMANNO, iam conſiliario Saxonico Weiſenfelſenſi ſtrenue defenſa, quidquam eſt, quod moneam, niſi quod ea poſtrema fuerit illarum, quas Halae ad annum vſque MDCCXXIII. edidi. Eodem enim tempore conclamare vaſa, & Franequeram, quo me perilluſtres Friſiae Ordines euocauerant, migrare iuſſit diuina prouidentia. Hac in academia quamuis plus otii mihi Dei benignitate contingeret: diſſertationes tamen vix

 vnam

vnam aut alteram edidi, partim quod aliis ſcribendis libellis operam omnem atque induſtriam impenderem, partim quod ibi plerique, qui doctorum dignitatem ambiunt, theſes quasdam ſine vllius praeſidio defendere ſolerent. Non omittendam tamen in hoc faſciculo putaui orationem DE IVRIS PRVDENTIA VETERVM ROM. FORMVLARIA *ritibusque, quibus negotia ciuilia explicabant, ſollemnibus*, qua Anteceſſoris munus auſpicatus ſum, & quam deinde bis in Germania recuſam locum hic *decimum* occupare volui. Multa in eamdem rem poſtea diſſeruit V. C. EVER. OTTO in Iurisprudentia Symbolica, quae paullo poſt Traiecti ad Rhenum in lucem prodiit. Quaedam etiam non protrita adiici a me potuiſſent de iurisprudentia formularia Francorum, Langobardorum reliquarumque gentium Germanicarum, ſi tantum fuiſſet otii, vt refingere hanc orationem, vel notis ſaltim illuſtrare licuiſſet. Sed & ſine his laciniis non diſplicituram tibi ſpero orationem, qua oſtendere conatus ſum, non ſine iuſta cauſſa Romanos miram illam formularum rituumque religionem inueniſſe, nec Ioue ſatis aequo iudicare illos, quibus ridicula & paene ſtolida haec omnia videntur. Praeterea exſtare volui Spartae illius Franequeranae monimentum, quam nactus, tantis beneficiis cum a CELSISSIMO ARAVSIONENSIVM PRINCIPE, quem aliquamdiu inſtitui, tum ab ILLVSTRISSIMIS reipublicae PROCERIBVS ornatus, tantaque humanitate ab eruditiſſimis collegis exceptus ſum, vt numquam de repetenda patria cogitaſſem, niſi mihi hoc conſilium extorſiſſet valetudo, quacum ibi conflictandum fuit, grauiſſima. Ceterum quamuis redditus Germaniae, & Halam, quod numquam ſperaueram, reuocatus tamen & amore perpetuo complectar Friſios meos, & amicorum, quos ibi permultos habui, memoriam numquam deponam,

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

Ibidem prodiit exercitatio *vndecima*, de VITIIS NEGOTIATIONIS COLLYBISTICAE SEV CAMBIALIS, quae tamen non alio iure mea eſt, quam quod eam meo potiſſimum ductu conſcripſit Dn.

Dn. LOCHAV, Hamburgenſis, qui tum Doctoris honoribus in academia Friſiorum ornandus, eam diſſertationem in templo academico ſine vllius praeſidio ſtrenue defendit. Quare virum clariſſimum ea, qua par eſt, humanitate rogo, ne pro amicitia noſtra aegre ferat, diſſertationem ſuam inter meas comparere. Ne quid enim mihi arrogem, quod alienum eſt: eam lectorem non mihi, ſed LOCHAVIO, debere, publice hic ac candide profiteor.

Franequerana quoque eſt diſſertatio de ORIGINE TESTAMENTIFACTIONIS ET RITV TESTANDI, reſpondente LINDENQVISTIO publice defenſa, ſed quae ideo poſtremum locum * occupat, quia eius exemplar nullum inter res meas reperirem, illud vero, vnde ea recuſa eſt, paullo tardius ſubmitteret bibliopola Franequeranus. Sunt in illa quaedam ex antiquitatibus Romanis depromta, quae vulgo non adeo nota ſunt, & totam tamen illam iurisprudentiae partem haud mediocriter videntur illuſtrare. Et hinc illam loco alieno exhibere, quam plane praetermittere, malui.

Iam exercitatio *decima tertia*, de P. IVVENTIO CELSO, nec non *decima quarta* de IVRECONSVLTIS SEMIDOCTIS, ſub auſpicium muneris Francofurtenſis anno MDCCXXVII. prodierunt, & illa quidem programma eſt, quo orationem ſollemnem indixi; haec ipſa oratio, qua more maiorum muneri meo praeluſi. In illa de vita iureconſulti celeberrimi, & inter eos, qui a Proculi partibus ſteterant, haut poſtremi, quaedam a RVTILIO, BERTRANDO & GVIL. GROTIO non obſeruata ſcripſi, in hac id egi, vt iuuenes, oblangueſcente iam fere ſolidioris iurisprudentiae ſtudio, veluti a puluere & radio ad maiora audenda excitarem. Id quod commodius fieri non poſſe exiſtimaui, quam ſi, poſita ob oculos deformi ſemidoctorum facie, eos ad verae doctrinae amorem tanto magis inflammarem. Notum eſt, quod Lacedaemoniorum fuerit conſilium, quando adoleſcentibus oſtenderunt ſeruos, vino inſanientes, puta, vt eo ſpectaculo ebrietatis

(*) *In hac editione* XIIe *numeratur.*

tis odium conciperent. Idem & mihi conſilii fuit, de iureconſultis ſemidoctis diſſerenti, vt abhorrere demum ab illa ſocordia inciperent iuuenes, & ad ſolidiorem doctrinam pro virili enitterentur. Non diſplicuiſſe hanc orationem gaudeo viro ampliſſimo, CORN. VAN BYNKERSHOEK, qui locum ex eo decerpſit in praefatione nouarum, quas nuper edidit, obſeruationum, quarum Libro VII. Cap. VIII. me *iurisprudentiae & amicitiae ſuae honorem* inuidendo elogio, adpellauit. Quod tametſi virium mearum mihi ſatis conſcius, non agnoſcam: fateor tamen, me illud viri incomparabilis iudicium tanti facere, vt vel hanc ob cauſſam non indignas eſſe putarim has ſchedulas, quae in hoc faſciculo locum reperirent.

Francofurti paullo poſt prodierunt exercitationes ſequentes, veluti *decima quinta*, DE MERCATORVM, QVI FORO CESSERVNT, RATIONIBVS ET CODICIBVS; *decima ſexta*, DE VSVFRVCTV MATERNO IVRIS GERM. MAXIME HAMBVRGENSIS; *decima ſeptima*, DE LVBRICITATE IVRIS IVRANDI SVPPLETORII; & *decima octava*, DE RELIGIONE IVDICANTIVM CIRCA REORVM CONFESSIONES, quarum prima & poſtrema fuere inaugurales, in gratiam SCHOEPFERI celeberrimi iurisconſulti Roſtochienſis filii, & HENR. DVSINGII, Bremenſis, ſcriptae, ſecundam & tertiam exercendi ingenii cauſſa in cathedra defenderunt NIC. RVMPFIVS, Hamburgenſis, & IO. THEOD. REINOLDVS, celeberrimi Reinoldi, cui in cathedra iuridica ſucceſſeram, filius. Quo tempore DVSINGIVS ordini iureconſultorum profectus ſuos explorandos dabat, conſentientibus omnium ſuffragiis decernebatur, vt diſputationibus inauguralibus in poſterum programmate quodam, aliarum academiarum exemplo, praeluderetur. Quale quum mihi tum decano primum ſcribendum eſſet, diſſerui quaedam DE VLPIANI ICTI HEBRAISMIS, idque ſchediaſma in hoc faſciculo *vndeuiceſimum* eſt. Quemadmodum enim fuerunt, qui in Liuii oratione neſcio quam Patauinitatem, in Phaedri ſtilo Thraciſmum ſubolfacere ſibi viſi ſunt: ita

ita ANT. AVGVSTINVS, ENEM. BONEFIDIVS, GILB. REGIVS, aliique viri doctiſſimi, Vlpiani Latinitatem Hebraiſmum vel Syriaſmum redolere cenſuerunt, idque demonſtrare quibuſdam exemplis conati ſunt. Ego vero, quamuis de VLPIANI oratione, ſaeculi labem vbique redolente, non adeo magnifice ſentiam, eas tamen loquutiones non Hebraeis proprias, ſed VLPIANO cum pleriſque melioris aeui ſcriptoribus communes eſſe, oſtendi. Equidem fatendum eſt, me haec ſcribentem falcem in alienam meſſem immiſiſſe, qui haec criticis & elegantiarum iſtarum peritioribus debuiſſem relinquere, ſi mens non laeua fuiſſet. At contingit aliquando, vt redeant veteres amores, & ex elegantioribus iſtis litteris, in quibus non exiguam adoleſcentiae partem conſumſi, etiam prouectiore aetate voluptatem non mediocrem capiam, quamuis permulta eius generis, quae olim in numerato habebam, mihi inter alia ſtudia periiſſe, quotidie experiar. Solent huiuſmodi chartae raro in doctorum manus incidere, ac proinde minore plerumque cura ac diligentia ſcribi. Et tamen audiui, hoc ſchediaſma meum excuſſiſſe virum doctum Wittebergenſem, Muſis meis alioquin amiciſſimum. Quum vero eam diatriben numquam viderim: vtrum clariſſimus eius auctor ANT. AVGVSTINI, an meam ſententiam amplexus ſit, neſcio, nec dubito tamen, quin reconditae doctrinae plena ſint, quae vir, harum rerum peritiſſimus, ſcripſit.

Exercitationis *viceſimae*, de SVPREMA PRINCIPVM MAGISTRATVVMQVE TVTELA, auctor eſt iuuenis & nobilitate generis, & doctrina, & morum ſuauitate praeſtantiſſimus, CHRIST. EBERHARDVS RVSSEL, qui ex eo tempore, quo Francofurti docere coeperam, a latere meo numquam diſceſſerat, tantumque profecerat in iuriſprudentia, vt doctoris honores, ſi quiſquam alius, non ſine ordinis noſtri plauſu ac congratulatione capeſſeret. Quum vero haec diſſertatio anno MDCCXXX. eodem tempore prodiret in lucem, quo ſaecularia ſacra ob exhibitam Carolo V. Imp. confeſſionem Auguſtanam celebranda eſſent: occaſionem inde arripui, programma inaugurale adornandi de IVRECONSVLTIS REFOR-

MATIONI ECCLESIAE PRAELVDENTIBVS, (quod in hocce faſciculo *vigeſimum primum* obtinet locum) in quo tum generatim oſtendi, quid iureconſultorum conatus eccleſiae profuerint, tum ICtos quoſdam, qui imperio Pontificis δεσποτικῷ bellum ante Lutheri tempora indixerant, recenſui, quales fuerunt IOANNES SEMECA, MARSILIVS DE MENANDRINIS, LVPOLDVS DE BEBENBVRG, IO. PETRVS FERRARIENSIS, IOANNES ANDREAE, BERNARDVS, Gloſſator, HOSTIENSIS, CYNVS, OLDRADVS, LVDOVICVS ZABARELLA, IO. BREITENBACHIVS, PHIL. DECIVS, GVIL. BVDAEVS, de quibus quaedam non vulgaria retuli.

Exercitatio *vigeſima ſecunda*, DE EMINENTIORIBVS DVCATVS ET DVCVM LOTHARINGIAE PRAEROGATIVIS fere extemporaria eſt. Quum enim fama eſſet, principem celſiſſimum, FRANC. STEPHANVM, Ducem Lotharingiae, qui potentiſſimum Pruſſiae Regem Berolini ſalutauerat, Francofurtum venturum, cupiditas inceſſit iuuenem nobiliſſimum, ENGELKENIVM, tum commenſalem meum, iam in tribunali eccleſiaſtico Meklenburgico conſiliarium, diſſertationem de Lotharingia publice defendendi, meumque rogandi praeſidium. Itaque calamo tam feſtinante haec, quae legis, in chartam conieci, vt ſchedae adhuc madidae ad typographum mittendae eſſent. Inſtitutum eſt hoc certamen eodem tempore, quo princeps celſiſſimus exſpectabatur, cui mox aduenienti oblata a reſpondente diſſertatio adeo grata fuit, vt munere praeclaro, clementiam ſuam teſtaretur.

Exercitatio *XXIII.* de C. AQVILLIO GALLO, ICto, fuit oratio, qua anno MDCCXXXI. XVII. Kal. Nou. die, S. Gallo Abbati ſacro, magiſtratum academicum in illuſtri Viadrina auſpicatus ſum. Breuiter in ea deſcripſi iureconſulti iſtius vitam, ſimulque quaedam de gente Aquillia obſeruaui. Memini ibi etiam M' AQVILLII M. F. GALLI, oſtendique, eum & Praetorem, profligato bello ſeruili, ouantem ex Sicilia Romam rediiſſe, & poſtea procoſ. viam ſtrauiſſe ab Regio ad Capuam, earumque rerum geſtarum monimentum praeſtantiſſimum ſupereſſe in marmore Gru-

teriano.

teriano. Iam addere licebit, illum repetundarum poſtea accuſatum cicatricum oſtentatione euaſiſſe periculum, ac demum Legatum iuiſſe in Aſiam, ſed anno V. C. DCLXIV. Mithridati traditum a Mityleneis, diriſſima morte periiſſe. Impoſitus enim aſino, & per vrbem circumuectus, omnique cruciatuum genere dilaniatus, poſtremo, auro liquefacto in os infuſo, exſpirauit, vir triumphalis & ſenex, vti teſtantur APPIANVS in Mithridatic. p. 184. & PLINIVS Hiſt. Nat. Lib. XXXIII. Cap. III. Ex quo intelligas, quis ſit ille legatus Populi Romani conſularis, quem vinculis ac verberibus omnique ſupplicio excruciatum eſſe a Mithridate, conqueritur CICERO pro Lege Manil. Cap. V. itemque quis ille Aquillius, quem viris fortiſſimis patres eccleſiaſtici tam frequenter adnumerant. ARNOBIVS Lib. I. aduerſus gentes p. 23. *Innumerabiles alii, gloria, & virtute, & exiſtimatione pollentes, acerbiſſimarum mortium experti ſunt formas, vt* AQVILLIVS, TREBONIVS, REGVLVS: *numquid idcirco poſt vitam iudicati ſunt turpes, quia non publica lege fatorum, ſed mortis aſperrimo genere lacerati excruciatique perierant?* Et MINVCIVS FELIX in Octau. Cap. XXXVII. *Viros cum Mucio, vel cum AQVILLIO aut Regulo comparo? Pueri & mulierculae noſtrae cruces & tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum terriculas inſpirata patientia doloris illudunt.* Vbi male ELMENHORSTIVS intelligit M. Aquillium, IIvirum ſacris faciundis, quem ob euulgatas ſortes Sibyllinas culleo inſutum eſſe, refert DIONYSIVS HALIC. Ἀρχαιολογίας Lib. IV. p. 260. Sed huiuſmodi plura addere iam non lubet, nec ea omnia caperent arctiores praefationis limites.

Eiusdem generis eſt Exercitatio *XXIIII.* ſeu programma, quod anno MDCCXXXIII. Halam poſtliminio redire iuſſus, publicaui. Nam & id agit de vetere iureconſulto, SALVIO IVLIANO, edicti perpetui conditore, eiusque originem, honores, ſtudia, ſectam, operaque, quae reliquit, paullo accuratius, quam vulgo fieri ſolet, deſcribit.

Superſunt tres diſſertationes, *viceſima quinta*, DE MARITO

TVTORE VEL CVRATORE LEGITIMO VXORIS SVAE; *viceſima ſexta*, DE PRAESCRIPTIONE ANNALI IVRIS LVBECENSIS; & *viceſima ſeptima*, DE TESTAMENTIFACTIONE IVRE GERMANICO ARCTISSIMIS LIMITIBVS PASSIM CIRCVMSCRIPTA; quas me primum Halae Decano pro conſequendis ſupremis in iure honoribus publice defenderunt tres candidati digniſſimi, MARTINVS OTTO, quem nuper iuſſu potentiſſimi Regis in Profeſſorum philoſophiae extraordinariorum numerum recepi, PETRVS BVRGESOHN, Geualienſis Suecus, & IO. HENRICVS GVNTHERVS Zittauienſis. Sed de his nihil eſt, quod TE, LECTOR BENEVOLE, moneam quem iam fere taedet prologis ſcribundis opera abuti. Itaque te valere iubeo, &, vt faueas mihi, tui ſtudioſiſſimo, vehementer, etiam atque etiam rogo. Halae e muſeo, ipſis Idib. April. cIↃ IↃcc xxxv.

Nouus Ordo EXERCITATIONVM *huius ſecundae Editionis, extat ad calcem Voluminis, & INDEX MATERIARVM utriuſque Tomi ad finem SYLLOGES II.*

IO. GOT. HEINECCII, IC.

OPVSCVLORVM VARIORVM

SYLLOGE I.

DE HABITV ET INSIGNIBVS SACERDOTALIBVS APOSTOLORVM.

COMMENTATIO HISTORICA I.

Capvt I.

DE VESTIBVS PRIMORVM CHRISTIANORVM IN GENERE.

I. Chriſtiani mores publicos innoxios non abrogabant. II. Et hinc veſtibus vulgo receptis vtebantur. Quod probatur tum teſtimoniis, III. tum rationibus. IV. Sunt tamen, qui ſecus ſentiunt. V. Quo-

rum ratio prima reiicitur, VI. itemque ſecunda, VII. & tertia. VIII. Concluſio capitis.

§. I.

Chriſtiani mores publicos innoxios non abrogabant.

QVAMVIS humani generis SERVATOR regnum ſuum cum mundanis imperiis nihil habere commercii, vere pronunciauerit (a): tantum tamen abeſt, vt ad euertenda mundi imperia, eorumque innoxias leges & conſuetudines abolendas aduenerit, vt potius in nulla, quam Chriſtiana, religione ſtatus ciuilis firmiora præſidia reperiat. Quapropter quum primum homines in Chriſtianæ veritatis luce verſari cœpiſſent, hoc ſibi in primis ſummo ſtudio prouidendum exiſtimabant, ne mores ciuitatum, ab antiquiſſimis vſque temporibus propagatos, exuere, aut nouos temere inuehere viderentur. Equidem ab ethnicis rei peragebantur variorum criminum, & in his etiam odii erga rempublicam capitalis, vnde vulgo *omnium ſcelerum rei, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimici* (b), *factioſi* (c), *generis humani hoſtes* (d), paſſim audiebant: quin immo DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS Auguſti, Chriſtianis omni cruciatuum genere adfectis,. imperium amplificaſſe, nomenque Chriſtianorum, QVI REMP. EVERTERANT, iure deleſſe ſibi videbantur (e). Sed hanc injuriam, religioni ſanctiſſimæ illatam, tam copioſe ac eleganter depulerunt IVSTINVS MARTYR, TERTVLLIANVS, ARNOBIVS, LACTANTIVS, ceterique diſciplinæ Chriſtianæ vindices, vt cauſſam penitus perorauerint. Sane vbicunque Deus Chriſtianis fortunarum ſedem deſtinauerat, non leges tantum publicæ, ſed omnes gentium mores, qui a Chriſti inſtitutis ſanaque ratione non abhorrebant, ab ipſis cum cura retinebantur, nihilque immutabatur, niſi quod turpe, & ſua natura intolerabile videretur.

§. II.

Veſtibus vulgo receptis vtebantur.

Ex eo facile, vt opinor, colligitur, quo veſtium genere antiquiſſimi Chriſtiani vſi ſint? Non alio nimirum, quam publice recepto, & ceteris ciuibus communi. Velandam eſſe hominis nuditatem,

(a) Ioh. XVIII, 36.
(b) Tertull. *Apol. cap. II.*
(c) Minuc. Fel. *in Octau. cap. VIII. p. 76. edit. Gronou.*
(d) Tertull. *Apol. cap. XXXVII.*
(e) Baron. *ad ann. 340. n. VIII. vbi* Diocletiani & Maximiani Auguſtorum *Inſcriptio, de deleto Chriſtianorum nomine triumphans.*

Digitized by Google

ditatem; vel naturalis ille pudor eos docebat. Qua vero veſtium forma id fieri oporteat, illud in gentium arbitrio eſſe nouerant, cui refragari hominum ſtultiſſimorum fuiſſet. Hinc Romæ viuentes & ciuibus adſcripti, toga; in Græcia pallio; in prouinciis prouinciali habitu vtebantur, prout illud decori regulæ poſtulabant, quibus Chriſti doctrina non repugnat. Præclare hoc demonſtrat IVSTINVS MARTYR (f), aut ſi quis antiquior Epiſtolæ ad Diognetum parens eſt, quod TILLEMONTIO videtur (g), qui de ſui æui Chriſtianis: Χριστιανοὶ, inquit, οὔτε γῇ, οὔτε φωνῇ, οὔτε ἔθεσι διακεκριμένοι τῶν λοιπῶν εἰσὶν ἀνθρώπων, οὔτε γάρ που πόλεις ἰδίας κατοικοῦσιν, οὔτε διαλέκτῳ τινὶ παρηλλαγμένῃ χρῶνται, οὔτε βίον παράσημον ἀσκοῦσιν, οὐ μὴν ἐπινοίᾳ τινὶ καὶ φροντίδι πολυπραγμόνων ἀνθρώπων μάθημα τοῦτ' αὐτοῖς ἐστὶν εὑρημένον. οὔτε δόγματος ἀνθρωπίνου προεστᾶσιν, ὥσπερ ἔνιοι. κατοικοῦντες δὲ πόλεις ἑλληνίδας τε καὶ βαρβάρους, ὡς ἕκαστος ἐκληρώθη, ἐν τοῖς ἐγχωρίοις ἔθεσιν ἀκολουθοῦντες ἔν τε ἐσθῆτι καὶ διαίτῃ καὶ τῷ λοιπῷ βίῳ θαυμαστὴν καὶ ὁμολογουμένως παράδοξον ἐνδείκνυνται τὴν κατάστασιν τῆς ἑαυτῶν πολιτείας. *Chriſtiani neque regione, neque ſermone, neque politicis vitæ inſtitutis a ceteris hominibus ſunt diſtincti. Nam neque proprias ciuitates incolunt, neque ſermone vtuntur, qui ab aliorum ſermone differat, neque vitæ genus habent, quod re aliqua ſibi peculiari ſit notabile: neque aliquid a curioſis hominibus excogitatum proponunt ſibi diſcendum: neque alicui dogmati humano patrocinantur, ſicut nonnulli: ſed incolentes partim Græcas, partim barbaras ciuitates, prout cuiusque ſors tulit, & indigenarum inſtituta ſequentes, in* VESTITV *victuque, & ceteris, quæ ad vitam pertinent, mirabilem & haud dubio incredibilem ſuæ politiæ ſtatum oculis noſtris proponunt.* Quibus gemina ſunt illa TERTVLLIANI (h): *Sed alio quoque iniuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotiis dicimur: Quo pacto? homines vobiscum degentes, eiusdem victus, HABITVS, inſtructus, eiusdem ad vitam neceſſitatis.* Addo & teſtimonium CYPRIANI (i), qui, vbi ſcrupuloſi & adfectati philoſophorum habitus meminerat, de Chriſtianis alia omnia refert: *Nos autem*, inquit, *fratres dilectiſſimi, qui philoſophi non verbis ſed factis ſumus, nec VESTITV ſapientiam, ſed veritate, præferimus.* *Probatur teſtimoniis.*

§. III.

Quis ex his tam luculentis antiquiſſimorum patrum teſtimoniis non intelligat, homines olim eccleſiæ noſtræ adſcriptos, priſtinum *rationibus.*

A 2 veſti-

(f) Iuſtin. Mart. *Epiſt. ad Diognet. p.* 500. 501. *edit. Pariſ.*

(g) Tillemont. *tom. I. hiſt. Imp. part.* II. *p.* 1035.

(h) Tertull. *Apol. cap. XLII.*

(i) Cyprian. *de bono patient.*

veſtimentorum genus non depoſuiſſe? Sed ſunt tamen & aliæ rationes, quæ rem extra omnem dubitationis aleam ponunt. Primo enim Chriſtianis inter alia etiam hoc exprobrabant gentiles, quod lucem fugerent, & non niſi occultas inter ſe ſocietates inirent. Cæcilius ſane apud MINVCIVM FELICEM (k) diſerte ait: *Occultis ſe notis & inſignibus noſcunt Chriſtiani, & amant mutuo, pæne antequam nouerint.* Equidem quæ fuerint iſtæ occultæ notæ, non facile dixerim. Quamuis ex PROCOPIO (l) oſtendat WOWERVS (m), Chriſtianos manibus & brachiis ſignum crucis imprimere conſueuiſſe: dubitari tamen poteſt, an ad illa ſequioris æui ſignacula Cæcilius reſpexerit. Ipſe certe MINVCIVS (n), vbi ad hoc Cæcilii conuicium reſpondet, rem plane negat: *Sic nos denique non notaculo corporis, vt putatis, ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno, facile dignoſcimus.* Vtut ſe res habeat, certe nec Cæcilius Chriſtianis occultas notas & inſignia exprobrare, nec Octauius rem negare potuiſſet, ſi Chriſtiani ſingulari quodam veſtium genere vſi fuiſſent. Mirabatur Cæcilius, qui fiat, vt Chriſtiani ſe tam facile dignoſcerent, & inde in ſuſpicionem veniebat, eos occultis quibusdam notis & inſignibus vti. Quid vero opus erat iſta ſuſpicione, ſi Chriſtiani peculiari habitu ſe diſtinxerunt a gentilibus? Hæc ſane non occulta, ſed manifeſta nota Chriſtianorum fuiſſet. Et qua fronte Octauius Chriſtianos nullo corporis notaculo, ſed ſolo innocentiæ ac modeſtiæ ſigno ſe dignoſcere dixiſſet, quum multo facilius id ſingulari habitu fieri potuerit? Notum deinde ac prouocatum eſt, quam miſera tunc fuerit eccleſiæ Chriſtianæ conditio, quando

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipſo
Duxit opes animumque ferro. (o)

In perpetuo profecto vitæ periculo verſabantur, & vix in cryptis & cauernis quidquam ipſis præſidii erat. An igitur credibile eſt, Chriſtianos ſcrupuloſa veſtitus ratione ſe ipſos prodidiſſe? Videmus, quanto ludibrio Iudæi expoſiti ſint, ſicubi ipſis ſingularis habitus lege publica imperatur. Vix puerorum proteruiam effugiunt; ridentur, percutiuntur, luto ac lapidibus petuntur: id quod fieri non ſolet aliis locis, vbi communi cum ceteris hominibus veſtitu vtuntur. Cur vero Chriſtiani vltro ſe his ludibriis obieciſſent?

Cur

(k) Minuc. Felix *Octav. cap. IX. p. 90.*
(l) Procop. *in Eſaiæ XLIV.*
(m) Wower. *Adnotat. ad Minuc. Felic. cap. XXXI.*
(n) Minuc. Felix *Octau. cap. XXXI.*
(o) Horat. *lib. IV. Od. IV.*

Cur id ſua ſponte feciſſent, quod Iudæi coacti & cum ſumma moleſtia faciunt? Ex quibus iterum iure meritoque colligimus, Chriſtianos in veſtimentis vſitatis nihil, niſi luxum & vanitatem, immutaſſe.

§. IV.

Sunt qui ſecus ſentiant.

Quæ quum ita ſint, non poſſum non deſiderare virorum quorundam doctiſſimorum iudicium, qui neſcio quid diſcriminis inter gentilium & chriſtianorum veſtimenta agnoſcunt, hosque cum ſuperſtitione pagana togam ſimul poſuiſſe exiſtimant. Fuerunt in ea ſententia SCALIGER (p), CAR. DV FRESNE (q), DANHAWERVS (qq), &, quem primo loco nominari oportuit, CAES. BARONIVS (r), qui tamen paullo poſt (s) ſe ipſe deſerit, eaque omnia nouis argumentis deſtruit, quæ antea magno conatu adſeruerat. Ex quo ſtatim adparet, quam parum ponderis rationibus inſit, quibus viri iſti ceteroquin doctiſſimi hac in quæſtione vtuntur.

§. V.

Eorum ratio prima reiicitur,

Ac primo quidem teſtem laudant HIERONYMUM (t), de Romanorum proteruia his verbis grauiter conquerentem: *Vbicunque viderint Chriſtianum, ſtatim illud de triuio:* Ὦ Γραικὸς ἐπιθέτης, *vocant impoſtorem, detrahunt.* Quæ verba interpretaturus Baronius: *Sed cur*, inquit, *& Græcus? certe & illa ex cauſa, quod pallium philoſophicum furui coloris, qui haud gratus erat vel vſitatus Romanis, induerent.* Sed profecto rem haud magni momenti attulit Baronius. Fatemur equidem, hoc dicterio pallium philoſophicum notaſſe Romanos, quibus nihil vilius aut magis ridiculum videbatur, quam Græculus palliatus (u): fatemur etiam, vocem ipſam ἐπιθέτης palliatum notare (x); ſed in Chriſtianos omnes hoc dictum eſſe, hoc eſt, quod merito negamus. Refert hoc Hieronymus, cuius tempore monachorum gens ſubito orbem impleuerat. Hi quum auſterum vitæ genus ſectarentur, poſito vulgari habitu, pallium philoſophicum ſumebant. In hos igitur homines, qui omnem cultus non modo elegantiam, ſed & munditiem, alto ſupercilio damnabant, & ſordido pallio inuoluti prodibant in publicum,

 iſtud

(p) Scaliger *Animadu. ad Euſeb. Chron. n. MMCXLII. p.* 113.

(q) Carol. du Freſne *Tom. III. Gloſſ. med. & infimæ Latin. p.* 101.

(qq) D. Danhawer. *Chriſteid. Act. I. Theatr. I. Phan. IV. p.* 180.

(r) Baron. *ad ann.* 57. *n. XCIV. ſequ.*

(s) Idem *ad ann.* 397. *n. VIII. ſequ.*

(t) Hieronym. *Epiſt. X. ad Furiam. & Epiſt. XXIII. ad Marcell.*

(u) Plaut. *Curcul. act. II. ſcen. III. v.* 9. *Conf.* Octau. Ferrar. *de re veſtiaria Part. II. Lib. IV. Cap. III. p.* 138.

(x) *Vid.* Suicer. *Theſaur. eccleſ. Tom. I. p.* 615.

iſtud prouerbium iactabatur: Ὦ γραικὲ ἐπιθέτης. Idque ex CHRYSOSTOMO *(y)* etiam diſcimus, qui hoc ſcomma grauiter perſtringens, addit: Νῦν δὲ εἰς τοσοῦτον ἤλθομεν ἀλογίας, ὥστε μὴ μόνον ἐπὶ τῶν πενήτων τοῦτο ποιεῖν τῶν διὰ τῶν στενωπῶν βαδιζόντων, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ μοναζόντων ἀνδρῶν. ὁ δεῖνα ΕΠΙΘΕΤΗΣ ἐστί, φησί. *Nunc autem eo inſaniæ deuenimus, vt non ſolum hoc faciamus in pauperibus, qui ambulant per compita & angiportus, ſed etiam in monachis. Hic vel ille, inquiunt, eſt IMPOSTOR.* Idem quod Chryſoſtomus hic conqueritur, conqueritur etiam Hieronymus, videlicet quod monachis, tanquam palliatis impoſtoribus illudatur. Id quod tam clarum eſt ex Hieronymi textu, vt ipſe Baronius ſuo more ſtatim ſibi obloquatur: *Ceterum videtur pallium paullatim a communi vſu fidelium deſciuiſſe, & monaſticam vitam profitentibus ceſſiſſe, ſicque dicta a S. Hieronymo DE MONACHO intelligenda.* Si vero de monacho intelligendum hoc Hieronymi teſtimonium, quo iure illud ad probandum communem pallii vſum adhibuit?

§. VI.

itemque ſecunda, Secundo ad TERTVLLIANI libellum *de pallio* prouocant, ex quo conſtat, Tertullianum, vt erat ſuæ mentis homo, abiecta toga, pallium ſumſiſſe, cuius conſilii ſui rationem integro iſto libello reddere conatus eſt. Hoc exemplo adducto, ita diſſerit BARONIVS (z): *Quum veræ ſapientiæ Chriſtiani omnes ſe eſſe ſectatores profiterentur: decentem profeſſioni habitum induebant, nempe pallium, quod ſapientiæ ſtudioſi induere ſoliti eſſent.* Et interiectis nonnullis: *Quod Chriſtianorum, inquit, genus religione & moribus diſtinctum eſſet, indumento etiam placuit debere eſſe diſcretum.* Paria fere ſunt, quæ de hoc pallio Tertulliani ſentiunt PAMELIVS (a), LVD. DE LA CERDA (b), & ipſe, quod mireris, IOS. SCALIGER, (c) qui omnes in eo habitum Chriſtianorum veluti proprium agnoſcunt. Sed quis non videt, ex ipſo rei geſtæ ordine opinionem hanc facili negotio poſſe diſſipari? Notum enim eſt, plebem Carthaginienſem, viſo Tertulliano palliato, ſtatim illuſiſſe vulgato dicterio: *A toga ad pallium.* Quisquamne autem credet, Carthaginienſes tantas tragoedias fuiſſe excitaturos, vt Tertullianus integro libello inuidiam a ſe amoliri cogeretur, ſi conſuetudini tantum

(y) Chryſoſt. *Homil. XI. in Epiſt. ad Hebr.* Tom. XII. Op. Conf. & Dio Chryſoſt. *Orat. LXXI. p. 617.*

(z) Baron. *ad ann. 57. n. XCIV.*

(a) Pamel. *Adnot. ad Tertull. libr. de Pallio.*

(b) Lud. de la Cerda, *ad Tertull. Tom. I. p. 1.*

(c) Scaliger. *ad Euſeb. Chron. ibid.*

tantum ea in re paruiſſet, habitumque Chriſtianorum Chriſtianus ſumſiſſet? Cur ſoli Tertulliano illuſerint, quum, ipſo teſte, tota ciuitas Chriſtianis innumeris adflueret? Deinde hæc ſententia falſa nititur hypotheſi, ac ſi commentarius iſte de pallio inter opera Tertulliani primus fuerit, & Tertullianus adeo pallium ſumſerit, ſimul ac inter Chriſtianos nomen fuerit profeſſus. Sed falſum hoc eſſe, doctiſſimus CL. SALMASIVS (d) & ALLIXIVS (e) argumentis tam inuictis demonſtrarunt, vt nihil dubitationis ſupereſſe poſſit. Meminit ſane Tertullianus in iſto libello (f) plurium Auguſtorum, quibus Deus in vnum faveat; meminit barbarorum excluſorum, meminit populorum propaginatorum, ordinumque illuſtratorum, qui characteres nullis, quam Severi & Getæ temporibus, conveniunt. Tunc enim plures Auguſti imperarunt, tunc, muro exſtructo, Picti a finibus Romanæ prouinciæ excluſi, tunc Parthi, Arabes, Adiabeni aliique populi perdomiti, tunc legionum numerus auctus, vt paſſim a DIONE (g) refertur. Vnde recte colligimus, Tertulliani commentarium de pallio anno demum Chriſti CCVIII ſcriptum fuiſſe. Quod tam clarum eſt & perſpicuum, vt ipſe BARONIVS veritatem hanc agnoſcere coactus ſit. Quum enim antea (h) Tertullianum hæc eo tempore de ſe ipſo ſcripſiſſe, contendat, quo relicta gentilitate ad Chriſti fidem ſe contulerit, abiectaque toga pallium ſumſerit: ipſe paullo poſt, (i) vbi de Tertulliani ſcriptis ex inſtituto agit, alteram amplectitur ſententiam, librique de pallio natales ad vltima Seueri tempora refert. Iam vero tunc Tertullianus dudum Chriſtianus fuerat, quum tamen pallium ante hoc tempus non ſumſiſſet. Ex quo conſequitur, pallium ad habitum Chriſtianorum non pertinuiſſe, quum alias ratio reddi nequeat, cur Tertullianus, ſatis diu Chriſtianus, hoc veſtimenti genus tam tarde induerit. Quæ quum ita ſint, aliam viam SALMASIVS (k) & GVIL. CAVE (l) ingrediuntur. Ponunt enim, pallium ſumſiſſe Tertullianum, quum in presbyterorum ordinem eſſet cooptatus, atque adeo hoc veſtimentum non Chriſtianorum quidem, ſed tamen presbyterorum, proprium fuiſſe. Quæ coniectura eo probabilior videri poterat, quod

(d) Salmaſ. ad Tertull. *de pall. Cap. II.*
(e) Allix. *Diſſert. de Tertulliani vita & ſcriptis p.* 50.
(f) Tertull. *de Pallio Cap. II.*
(g) Dio Caſſ. *Lib. LV. hiſt. Rom.*
(h) Baron. *ad ann. Chriſti* 57. *n. XCV.*
(i) Idem *ad ann.* 197. *n. VI. VII.*
(k) Salmaſ. *præfat. ad Tertull. de pallio.*
(l) Guil. Caue *Chriſtianiſm. primit. Libr.* II. *cap. III. p.* 416. *Antiquit. Patrum p.* 402. *Tom.* I.

quod ipſe Tertullianus (m) pallium vocat *ſacrum habitum*, aut potius, ſtilo ſuo, *ſacerdotem habitum*, vti in melioris notae MStis & B. Rhenani emendatiſſima editione legitur. Et fateor, me ipſum aliquando (n) in ea ſententia haeſiſſe. Sed iam non ferunt meae rationes, vt viris doctiſſimis adſentiar. Ad presbyterii enim gradum Tertullianus iam circa annum Chriſti CXCII adſcendiſſe viris doctiſſimis videtur. Quum autem pallium ante annum CCVIII non ſumſerit, ſicut paullo ante docuimus, alterutrum ſtatuas oportet, Tertullianum aut pallium non vt ſacerdotalem habitum adſumſiſſe, aut presbyteratu ſatis diu ſine pallio eſſe defunctum. Quidquid eligas, nobis perinde eſt. Si prius; habebimus, quod volumus. Sin poſterius; nihilominus ſequetur, pallium non fuiſſe ſacerdotalem habitum. Hoc enim ſi eſſet, ſtatim debebat a Tertulliano adſumi, ſimul ac inter presbyteros allegebatur. Sed cur, inquis, pallium ab ipſo Tertulliano *habitus ſacerdos* dicitur? Facile ſuppetit ratio. Non quod veſtis eſſet ſacerdotum propria, ſed quod, dum eam induit Tertullianus, iam presbyter, ſacerdotalis habitus fieret. Obſeruandum videlicet, plures Chriſtianorum primae aetatis, ſiue clericos, ſiue laicos, vitae auſterioris ſtudio philoſophorum *ἀσκήσεις* eſſe imitatos. Ad quas quum etiam pallium, tanquam viliſſimum ac ſimpliciſſimum veſtimenti genus, pertineret, illud haud pauci aut retinebant, ſi ante profeſſionem religionis philoſophi fuiſſent, aut adſumebant, quamprimum ad rigidiorem diſciplinam viuere decreuerant. De Ariſtide, Athenienſi philoſopho, auctor eſt HIERONYMVS (o), *eum ſub priſtino habitu diſcipulum Chriſti fuiſſe.* Habitus vero ille priſtinus pallium philoſophicum erat, quo, antequam Chriſto nomen daret, ex ſectae formula vtebatur. Sed & de Iuſtino Martyre memoriae proditum (p) eſt, *ὅτι ἐν φιλοσόφου σχήματι ἐπρέσβευε τὸν θεῖον λόγον*, quod *habitu philoſophorum incedens, diuinam religionem a calumniis vindicarit.* Denique de Porphyrio, Martyre, idem refert EVSEBIVS (q), de Heracla ORIGENES (r) cuius teſtimonium ſuo loco expendemus. Quid quod ſequiore aeuo, quum monachorum inſtitutum paullatim in Eccleſia inualuiſſet, eo demum res adducta eſt, vt quicunque *ἀκριβῶς χριστιανίζειν* velle videbantur, teſte SOCRATE (s) pallium

(m) Tertull. *de pallio cap. IV.*

(n) *Vide priorem editionem huius differt.* §. 1. p. 5.

(o) Hieronym. *de ſcriptor. Eccleſ. cap.* XX.

(p) Euſeb. *Hiſt. Eccl. Lib. VI. cap. XI.* Hieronym. *l. c. cap. XXII.*

(q) Euſeb. *Lib. VIII. H. E. cap. XXV.*

(r) Origen. *apud Euſebium Hiſt. Eccl. Lib. VI. cap. XIX.*

(s) Socrat. *Lib. VII. cap. XXVII.*

lium ſumerent. Idem igitur quod Iuſtinus, Ariſtides, Porphyrius, Heraclas, fecerant, fecit etiam Tertullianus, auſterioris vitae, ſi quisquam alius, ſtudioſiſſimus. Quemadmodum vero eorum conſilium tanquam ſingulare & inſuetum ab antiquis eccleſiae doctoribus laudatur: ita paucorum habitum omnibus Chriſtianis tribuere, temerarium eſſet.

§. VII.

Non contentus his teſtimoniis ad alia pergit BARONIVS (t), & *& tertia,* in hoc quoque ſingularem Chriſtianorum habitum inueniſſe, ſibi videtur, quod plerique vel nudis pedibus vel ſoleis inambulauerint. Quam in rem duos producit teſtes, CLEMENTEM ALEXANDRINVM (u), & LVCIANVM, Sophiſtam. (x) Sed vereor, vt vtrumque ſatis intellexerit. Ille enim calceorum non omnium, ſed ad oſtentationem factorum, ſeu, vt ipſe vocat, περίεργον vſum diſſuadet, & ſoleas Atticas (κονίποδας vocant) Chriſtianis commendat, non vt ſingulari habitu ſe a gentilibus diſtinguerent, ſed vt decori obſeruarent regulam, & ab adfectata exterorum imitatione abſtinerent. Plerique enim prouinciales in Oriente non calceis, ſed ſoleis, vtebantur, ſaepe etiam nudis pedibus incedebant, vt ex hiſtoria ſacra notum eſt, ad quam ipſe Clemens prouocat. De LVCIANO vero vel id monuiſſe ſufficiet, quod ſatyram ſcripſerit. Quid mirum igitur, ſi homo σπουδαῖος εἰς τὸ γελασθῆναι Chriſtianos, quos deridendos aliis propinare voluit, ſchemate quam deterrimo indutos produxit in ſcenam, iisque *pallium putre*, *caput detonſum*, *& nudos pedes* tribuit? Illudere enim decreuerat Chriſtianorum fortunae, quae tam tenuis plerumque erat, vt ob eam Iudaeis (y) aeque ac gentilibus (z) ludibrio eſſent.

§. VIII.

Hæc ſunt, quae pro ſingulari Chriſtianorum habitu a Baronio *Concluſio* aliisque adducuntur. Quae cum falſa plerumque hypotheſi nitan- *capitis.* tur, merito videmur ſtatuere, Chriſtianos populari ceterorum ciuium habitu contentos, nihil praeterea adfectaſſe. Si quis etiam patrum praecepta de decoro in veſtibus obſeruando, qualia multa a CLEMENTE ALEXANDRINO (a), TERTVLLIANO (b), CYRILLO, (c), BA-

(t) Baron. *ad ann.* 57. *n.* XCVII.

(u) Clem. Alexandr. *Lib. II. Paedagog. cap. XI. p.* 205. *ſequ.*

(x) Lucian. *in Philopatride Tom. II. Opp. p.* 775. *edit. Amſtel.*

(y) *Iudaeos Chriſtianis nomine* Ἐβιωναίων אביונים *id eſt PAVPERVM illuſiſſe, teſtatur* Origen. *Lib. II. adv. Celſ. p.* 56. *edit. Cantabr.*

(z) Minuc. Felix *Octav. cap. XII. p.* 118. *Conf.* Cave *Chriſtianiſm. primit. part. I. cap. III. p.* 43.

(a) Clem. Alex. *Lib. II. cap. XI. p.* 245.

(b) Tertull. *de cultu faem.*

(c), BASILIO (d), aliiſque, traduntur, paullo accuratius expenderit, facile animaduertet, non id egiſſe homines ſapientiſſimos, vt Chriſtianos a vulgari habitu abſterrerent, ſed vt a luxu immodico & vanitate gentilium ad modeſtiam Chriſtianis dignam reuocarent.

CAP. II.

DE HABITVS CLERICALIS ANTIQVITATE ET ORIGINE.

I. Habitus clericalis an in prima eccleſia viſus? II. Adfirmant pontificii. III. Origo huius erroris. IV. Negant tamen cordatiores. V. Eorum ſententiae ſuffragatur, (1) ſilentium Patrum. VI. (2) Status eorum temporum. VII. (3) Teſtimonia antiquorum Scriptorum, VIII. (4) Heraclae exemplum. IX. X. XI. Veſtium ſacrarum origo. XII. Nec non habitus clericalis. XIII. Argumenta aduerſariorum expenduntur. XIV. Epiſtolae primorum pontificum decretales ſunt ſuppoſititiae. & hinc nihil probant. XV. Origenis teſtimonium non pertinet ad habitum ſacrum noui teſtamenti: Methodii reuelationes ſunt ſuppoſititiae. XVI. Cyprianus an habitu Cardinalis ad mortem proceſſerit? Dalmaticarum origo. XVII. Tonſurae antiquitas ex Euſebio, Greg. Nazianzeno & Ammiano Marcellino nec quicquam probatur. Locus Ammiani explicatur.

§. I.

Habitus clericalis an in prima eccleſia viſus?

CHriſtianos, ſuſcepta religione, habitum ſingularem non adſumſiſſe, affatim hactenus demonſtratum eſt. Iam etiam de iis diſpiciendum, qui ſacro munere in eccleſia fungebantur. Negari ſane nequit, gentes fere omnes veluti ex compacto ſacerdotibus ſuis peculiarem, eumque ſplendidiorem habitum adſignaſſe. Ebraeorum pontificibus ac myſtis Deus ipſe veſtimenta ſingularia latis legibus imperauerat. Idem fecerant Aegypti, Graeci, Romani, quin & populi ſeptentrionales, ſiue Ebraeorum aemulatione, ſiue ſacrorum ſuorum veneratione, ſiue rationibus aliis impulſi. Nec profecto decori prudentiaeque regulis repugnat ſingularis clericorum habitus, dummodo modeſtus, & eorum conditione dignus. An igitur & priſci Chriſtiani antiſtites ac preſbyteros ſuos ſingulari veſti-

(c) Cyrill. Hieroſolym. *Catech. illuminat. IV. pag. 49.*

(d) Baſil. *Regul. fuſius diſput. interrog. XX. p. 566. Tom. II. Opp. edit. Pariſ.*

Digitized by Google

veſtimentorum genere exornatos prodire voluerint, id nunc ob inſtituti rationem paullo accuratius videtur conſiderandum.

§. II.

Sunt, qui hoc maiore impudentia, quam acumine, adfirmant: inprimis Romanenſes, qui ſplendido ſacerdotum ſuorum veſtitu mirifice delectantur, omnemque lapidem mouent, vt illi quaedam antiquitatis ſpecies concilietur. Ipſum CONCILIVM TRIDENTINUM (c) more ſatis dictatorio, nullaque addita ratione, ita ſtatuit: *Quum natura hominum ea ſit, vt non facile queat ſine ipſis adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia mater eccleſia ritus quoſdam, vt ſcilicet quaedam ſubmiſſa voce, alia vero elatiore in Miſſa pronunciarentur, inſtituit; caerimonias item adhibuit, vt Myſticas benedictiones, lumina, thymiamata,* VESTES, *aliaque id genus multa ex* APOSTOLICA DISCIPLINA ET TRADITIONE, *quo & maieſtas tanti ſacrificii commendaretur, & mentes fidelium per haec viſibilia religionis & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quae in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Atque adeo huius concilii auctoritate pontificii adſtringuntur, vt habitum ſacrum & clericalem, quo Romana eccleſia vtitur, antiquiſſimum, & iam inde ab ipſis apoſtolis ad noſtra tempora propagatum exiſtiment. Quod etiam libentiſſime faciunt BARONIVS, CASALIVS ceterique eorum ſodales, qui

Id ſibi negotii crediderunt ſolum dari
Papae vt placerent, quas feciſſent fabulas.

Adfirmant pontificii.

§. III.

Et ſane non video, quomodo aliter ſentire poſſint ſcriptores Papae addicti. Principia enim huius eccleſiae de habitu clericorum ita comparata ſunt, vt neceſſario inde ſequatur, veſtimenta ſacra eiusdem cum eccleſia aetatis eſſe. Canoniſtae enim & Scholaſtici, quorum doctrinae his in rebus omnes adſurgunt, habitum illum ſacerdotalem non pro caerimonia libera venditant, nec ob ſolam εὐταξίας inuentum volunt, ſed ſacrum & myſteriorum pleniſſimum eſſe, ad ipſamque ſacramentorum eſſentiam pertinere, & ſic ab illis inſeparabilem eſſe, contendunt. Id quod facile patet ex reliquis eorum doctrinis, quibus hoc πρῶτον ψεῦδος vbique produnt. Sic IOANNES CHIFFLETIVS (f) neceſſitatem hanc tam abſolutam eſſe credit, vt ſcribere non vereatur: *Eccleſia ob ſacramenti reuerentiam permittit potius hominem mori abſque viatico, quam ſacerdotem ſine ſacris veſtibus*

Origo huius erroris.

(c) Concil. Trident. *ſeſſ. XXII. cap. V.*

(f) Ioh. Chifflet. *de Euchariſtia reis non neganda,* apud Ziegler. *not. ad* Lancellot. *Inſtit. Iuris* Can. p. 509.

ſtibus celebrare ad conſecrandam hoſtiam, quae illi moribundo miniſtretur. Huc etiam pertinent variae cautiones, ne veſtimenta haec a laicis attingantur, ne vetuſtate detrita aliis vſibus adhibeantur, aliaeque plures, quas hic prolixius adducere parum refert. Omnia haec fundamento illi falſiſſimo ſuperſtruuntur, quod habitus ſacerdotalis non ſit mere indifferens, ſed ad honorem & reuerentiam ſacramentorum neceſſarius. Quae quum ita ſint, non poſſunt non illum fingere antiquiſſimum, ad ipſamque Apoſtolorum traditionem recurrere, quum alias concedere cogerentur, ſacramenta in eccleſia etiam abſque hoc habitu celebrari poſſe, id quod ab eorum hypotheſi eſſet alieniſſimum.

§. IV.

Negant tamen cordatiores.

Interim fuerunt tempora, quando opinionem hanc nondum imbiberant homines, etiam Romanae eccleſiae addicti; nec hodie deſunt Pontificii paulo cordatiores, qui nouitatem ſacri habitus agnoſcunt, & trium priorum ſaeculorum ſacerdotes a laicis non alio ſigno, quam morum ſanctitate, internoſci potuiſſe, nobiſcum non repugnantes fatentur. Praeclarum ac luculentum hanc in rem eſt teſtimonium VVALEFRIDI STRABONIS (g), cuius verba hic integra adſcribemus: VESTES *etiam ſacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, auctae ſunt ornatum. Nam primis temporibus* COMMVNI INDVMENTO *veſtiti agebant miſſas, ſicut & hactenus quidam orientalium facere perhibentur. Stephanus autem III. conſtituit, ſacerdotes & laicos veſtibus ſacratis in vſu quotidiano non vti, ſed in eccleſia tantum. Statutum eſt autem in Concilio Braccarenſi, ne ſacerdos ſine Orario celebret miſſam. Addiderunt in veſtibus ſacris alii alia, vel ad imitationem eorum, quibus veteres vtebantur ſacerdotes, vel ad myſticae ſignificationis expreſſionem.* Paria his habent HVGO DE S. VICTORE (h), NICOL. ALEMANNVS (i), & e recentioribus B. RHENANVS (k), FERRARIVS (l), H. VALESIVS (m), ARINGHIVS (n), STEPH. BALVZIVS (o), DVPINVS (p), aliique plures, quorum teſtimonium tanto plus ponderis habebit, quanto magis antiquitatum eccle-

(g) Walefrid. Strabo *de Reb. Eccleſ. cap. XXIV.*

(h) Hugo de S. Victore *Libr. II. de offic. eccleſiae cap. XI.*

(i) Nicol. Alemann. *de parietin. Lateran. cap. I X.*

(k) B. Rhenan. *Argum. ad* Tertull. *de pallio.*

(l) Ferr. *libr. IV. de re veſtiar. cap. XIIX.*

(m) H. Valeſ. *ad Euſeb. p.* 122.

(n) Aringh. *Rom. ſubterr. lib. VI. cap. XVIII.*

(o) Steph. Baluz. *not. ad Gall. Narbon. Concilia p. 26.*

(p) Lud. El. du Pin. *Tom. I. Biblioth. nou. p. 352. edit. Lat.*

Digitized by Google

eccleſiaſticarum cognitione omnes Concilii Tridentini patres ſuperarunt.

§. V.

Quum igitur viris hiſce eruditiſſimis etiam nos adſentiamur, operae pretium fuerit, eas, quae nos huc pertrahunt, rationes, ipſamque adeo veſtium ſacrarum hiſtoriam paullo diligentius recenſere. Primo igitur nullus per tria priora ſaecula ſcriptor fuit, qui vſquam habitus cuiuſdam ſacri aut veſtium ſacerdotalium mentionem fecerit: non Tertullianus, cui de pallio agenti commodiſſima huius rei occaſio ac paene neceſſitas fuiſſet; non Apologetae, qui ritus Chriſtianorum ſatis accurate deſcripſerunt; non ceteri denique patres, tam Latini, quam Graeci, qui ex his ſaeculis ad nos peruenerunt. Et quamuis aliter ſentiant haud pauci Romanenſis doctrinae vindices, quorum argumenta infra erunt expendenda, alii tamen ex ipſis eorum caſtris hoc ſilentium tam facile agnoſcunt, vt aliquot ſcriptores huius aeui vel ideo ex γνησίων numero excludant, quod veſtium ſacrarum mentionem faciant, quas genuini ſcriptores ad vnum omnes ignorent. (q) *Eorum ſententiae ſuffragatur 1. ſilentium Patrum,*

§. VI.

Deinde ea tunc fuit rei Chriſtianae conditio, vt vix concipi poſſit ratio, cur antiſtites ceterique eccleſiae miniſtri habitu ſingulari ſe prodere voluerint. Certe ſi extra eccleſiam veſtibus peculiaribus indutos in publicum prodiiſſe exiſtimes, quam imprudenter egiſſe dices homines alias prudentiſſimos! Saeuiebat in Chriſtianos perſecutorum gladius, at in nullos crudelius, quam in eccleſiae antiſtites, qui ſumma cura ad ſupplicia conquirebantur. Notum eſt, quas inſidias Polycarpo, quas Ignatio, quas Cypriano aliiſque epiſcopis ſtruxerint, quam diligenter turba ſuperſtitioſa in eos leones poſtulauerit. Polycarpum emiſſis vndique exploratoribus indagabant, & ſeruulos etiam quaeſtionibus diriſſimis ad prodendum dominum adigebant. (r) Hunc enim Aſiae magiſtrum, hunc patrem Chriſtianorum, hunc Deorum euerſorem credebant (s), eoque ſublato magnum rei Chriſtianae praeſidium ſe ſperabant ſubtracturos. Similes inſidiae etiam Cypriano aliisque epiſcopis parabantur, a Decio potiſſimum, cuius furor maxime in clerum Chriſtianorum ſaeuiit. Quid opus vero erat tam curioſa indagine, ſi clerici ſingulari habitu induti inambularunt, vt quilibet gentilium eos dignoſcere, ac prodere poſſet? Sin vero aliquis clerum in *2. ſtatus eorum temporum,*

 ſacra-

(q) Dupin. *Tom. I. Bibl. Nou. p. 195. Tom. II.*

(r) Smirnenſ. Eccleſ. *Epiſtola Encyclic. cap. VI. in* Clerici *biblioth. PP. Apoſt.*

(s) Ibidem *cap. XXII. p. 198.*

ſacramenti tantum celebratione veſtes ſacras ſumſiſſe credat, ne in hoc quidem adſenſum inueniet. Sic enim & nomina harum veſtium procul dubio antiqua aut certe linguae Romanae analoga eſſent. Sed quis credo *orarium*, *caſulam*, *cappam* aliaque huius generis, non dicam antiqua, ſed Latina, eſſe dicet? Manipulus Latinis eſt herbarum congeries, quanta manibus capitur. Pontificiis manipulum vocatur veſtis manibus aptanda. Orarium vocem recentiorem eſſe omnes agnoſcunt. Caſula Latinis eſt parua caſa; Pontificiis veſtis. Cappa denique Hetruſco ſermoni manifeſto debet originem. Quis igitur credet, rem ipſam tantae vetuſtatis eſſe, cum nomina ſint recentiſſima?

§. VII.

ſ. Teſtimonia antiquorum ſcriptorum,

Praeterea & hoc obſeruandum, quod antiqui ſcriptores non modo taceant, ſed & diſerte negent, ſacerdotalem habitum apud ſe a populari diſcrepare. Exſtat in Conciliorum Tomis COELESTINI PP. I. ad Epiſcopos Gallicanos Viennenſis & Narbonenſis prouinciarum Epiſtola (t), ſaeculi quinti anno circiter trigeſimo ſcripta, in qua multa in hanc rem egregie diſſeruntur, quae hic minime praetermittenda ſunt. Audiuerat Pontifex, quosdam huius prouinciae ſacerdotes, intempeſtiuo peregrinorum rituum amore ductos, habitu ſingulari vti, eique inſtituto ſuo colores quaerere ex ſcriptura, quae lumbos fidelium cinctos eſſe iubeat. (u) Refellit eos hac epiſtola Coeleſtinus, & mentem ſuam his verbis aperit: *Didicimus, quosdam Domini ſacerdotes ſuperſtitioſo potius cultui inſeruire, quam mentis vel fidei puritati. Sed non mirum, ſi contra eccleſiaſticum morem faciunt, qui in eccleſia non creuerunt, ſed venientes itinere ſecum haec in eccleſiam, quae in alia conuerſatione habuerunt, intulerunt. Amicti pallio & lumbis praecincti credunt, ſe ſcripturae fidem non per ſpiritum, ſed per litteram, completuros.* Tum paucis interiectis: *Diſcernendi a plebe vel ceteris ſumus doctrina*, NON VESTE; *conuerſatione*, NON HABITV; *mentis puritate*, NON CVLTV. Ex hoc illuſtri loco plura diſcimus. Primo videlicet, quod ſacerdotalis habitus tunc in peregrinis, forte orientalibus, eccleſiis inualeſcere coeperit. Deinde, quod iam tum curioſus hic & ſcenicus veſtium delectus cum ſuperſtitione & temerario ſcripturae abuſu fuerit coniunctus, ac denique, quod Pontifex Romanus ipſe ſingularem illum habitum reiecerit, & in hoc ſacerdotes a plebe non ſeiungendos eſſe pronunciauerit. Eant igitur Pontificii, perfricent frontem, & antiquitatem habitus ſacrificulorum ſuorum vltimam iactent,

(t) Concil. Tom. II. p. 1618.

(u) Luc. XII. 35.

ctent. Omnes profecto naris non plane obeſae ex hoc teſtimonio facile animaduertent, illum ne ſaeculo quidem quinto in eccleſiis occidentalibus vbique vſu receptum, ſed potius, tanquam vanum & ſuperſtitioſum, reiectum & exploſum fuiſſe.

§. VIII.

Nec omittendum hic Heraclae exemplum, quod validiſſime demonſtrat, habitum ſacerdotalem primis ſaeculis nullum fuiſſe. Vixit hic Heraclas ſaeculo tertio ineunte, & tempore Origenis inter presbyteros eccleſiae Alexandrinae ſedit. De eo vero ipſe ORIGENES apud EVSEBIVM (x) haec refert: διὸ καὶ πρότερον κοινῇ ἐσθῆτι χρώμενος, ἀποδυσάμενος, καὶ φιλόσοφον ἀναλαβὼν σχῆμα μέχρι τοῦ δεῦρο τηρεῖ. *Atque idcirco, cum vulgari veſte antea vſus fuiſſet, ea depoſita, philoſophicum induit habitum, quem etiamnum retinet.* Eadem memoriae prodidit HIERONYMVS (y), quando de Origene agens, *conſtat,* inquit, *eum ſtatim Roma Alexandriam reuerſum, Heraclam presbyterum,* QVI SVB HABITV PHILOSOPHI PERSEVERABAT, *adiutorem ſibi feciſſe κατηχήσεων, qui quidem & poſt Demetrium Alexandrinam tenuit eccleſiam.* Iam quis ex hoc non videt, Presbyteros nullo tum peculiari veſtitu a plebe diſcrepaſſe? Si enim presbyter ſuo lubitu habitum philoſophicum aſſumſit, in eoque perſeuerauit: neceſſario nullam adhuc fuiſſe oportet legem veſtiariam, quae ſacerdotibus indumenta ſingularia imperauit. Nam habitus philoſophicus non profecto erat ſacerdotalis, ſed omnibus philoſophis, etiam gentilibus, communis, nec inter Chriſtianos a ſolis ſacerdotibus ſumebatur, ſed ab omnibus, qui auſteriorem vitam ſectabantur, vt ſupra (z) demonſtratum eſt. Sane hoc argumentum tam euidens eſt, ac veluti in oculos incurrit, vt ipſe H. VALESIVS veritate coactus ad EVSEBII (a) locum ita commentetur: *Ex his apparet, nullum etiam tum peculiarem fuiſſe veſtitum clericorum, quandoquidem Heraclas, Alexandrinae eccleſiae presbyter, & qui poſtea eiusdem loci Epiſcopus fuit, philoſophicum pallium ſemper retinuit.*

4. Heraclae exemplum.

§. IX.

Quum igitur hactenus ſatis oſtenſum ſit, nec in ſacris, nec extra ea, clericos habitu peculiari vſos eſſe, non alienum fuerit, ipſam huius ritus hiſtoriam paullo accuratius hic indagare, vt quo pacto ſenſim in eccleſiam receptus ſit, dilucidius pateat. Vt vero rem ab ouo

Veſtium ſacrarum origo.

(x) Euſeb. *Hiſt. Eccleſ. lib. VI. cap. XIX. p.* 180.
(y) Hieronym. *de Script. eccleſ. cap. LIV.*
(z) *ſupra cap. I. §. VI.*
(a) Valeſ. *ad Euſeb. l. c. p.* 109.

ouo ordiamur, illud inter omnes conſtat, quod Chriſtus nec in communi vita, nec in euchariſtiae inſtitutione peculiarem habitum adhibuerit. Alterum forte nemo negauerit, ſiquidem diſerte ſcriptura docet (b), Chriſtum non, vt Iohannem Baptiſtam, ſingulare viuendi genus ſectatum eſſe, ſed eo victu & amictu vſum, quo ceteri Iudaei vtebantur. Nec tacuiſſent profecto Euangeliſtae, ſi quid nouum aut ſingulare in veſtibus Chriſti notaſſent, quemadmodum nec Baptiſtae horridiorem habitum diſſimularunt. Alterum quoque, quod nec in euchariſtiae inſtitutione habitu ſingulari vſus ſit, ex ipſa hiſtoria huius inſtitutionis manifeſtum eſt. Accumbens enim in triclinio Chriſtus, nihil mutauit, ſed tum demum τὰ ἱμάτια, puta pallium, depoſuit, quum finita coena pedes diſcipulorum lauaret (c). Peracto pedilauio, pallium reſumſit, & menſae denuo accubuit, vbi de caritate aliisque rebus ad diſcipulos loquutus eſt (d). Inde multa iam nocte ad montem olineti pergit, vnde captus ad iudicium trahitur, iisdem veſtibus, quas deinde, quum cruci eſſet adfixus, milites inter ſe vel diuidebant vel ſorte diſtribuebant. Has vero veſtes ſingulares, nedum ſacerdotalibus hodiernis ſimiles fuiſſe, nemo fortaſſe dixerit, praeter BARONIVM (e), qui vt & hic veſtium ſacrarum ſplendorem tacite defenderet, Chriſtum in coena vltima veſtem pretioſam coenatoriae ſuperinduxiſſe, mira audacia ſomniat. Sed abunde Cardinali ſatisfactum eſt a CASAVBONO (f), nec opus eſt copia argumentorum contra coniecturam, quae ne ſpecioſo quidem fundamento nititur.

§. X.

Hanc ſimplicitatem magiſtri procul dubio etiam Apoſtoli eorumque diſcipuli ſectati ſunt. Nam nec in communi vita veſtibus ſingularibus vti potuerunt ob rationes ſupra adlatas, nec in adminiſtratione ſacramentorum, quia per vniverſum orbem diſperſi, baptiſmum ſaepius in fluminibus, ſacram coenam intra priuatas aedes hinc inde adminiſtrabant. Quis vero credat, Apoſtolos in itinere vbique veſtium adparatu fuiſſe onuſtos? Nec poſt apoſtolos toto trium ſaeculorum interuallo quidquam in habitu clericorum mutatum. In tot enim patrum ſcriptis, quae ex iſta aetate ad nos peruenerunt, habitus ſacri nec vola nec veſtigium occurrit. Et quamuis huc trahi poſſint imagines nonnullae hieromartyrum, veſtibus ſacris ornatorum, quales a BOSIO ARINGHO & CIAMPINO memorantur, eas tamen

(b) Math. XI. 18. 19.
(c) Ioh. XIII. 4.
(d) Id. XIII. 12. ſeq.
(e) Baron. *Ad Ann.* 34. *n.* XXIX.
(f) Caſaubon. *Exercit. Baron.* XVI. *n.* 25. *p.* 354.

Digitized by Google

tamen recentiores eſſe, nemo non videt. Vt adeo ex illis veſtium clericalium antiquitas non magis probari debeat, quam mitrae Turcicae ex habitu Pilati, quo vulgo a pictoribus repraeſentatur. Interim complures Chriſtiani philoſophiæ ethnicæ, in primis Platonicae, operam dare conſueuerant. Nonnulli etiam ex ſcholis philoſophorum ad Chriſtianam ſapientiam ſubinde tranſibant, qui plerumque ob inſignem eruditionem & prudentiam a Chriſtianis ad epiſcopatus, aliaque ſacra munera, euehebantur. Quum igitur philoſophi ſingulari habitu vterentur, pallio nimirum vili & barba prolixa: factum inde eſt, vt cum alii Chriſtiani, tum imprimis clerici, qui vitam aſceticam amabant, pallio philoſophorum induerentur. Id quod ſupra variis exemplis demonſtrauimus, quibus nunc addi debet egregium monimentum HIPPOLYTI, Epiſcopi Portuenſis, Romae anno MDLI effoſſum, & bibliothecae Vaticanae illatum, in quo Hippolytus conſpicitur, cathedrae inſidens, & pallio philoſophico indutus. Eius delineationem, quam eruditiſſimo TENZELIO (g) debemus, hic indicandam duximus, vt quilibet ex hoc illuſtri monimento antiquiſſimorum Epiſcoporum habitum oculis luſtrare poſſit. Quamuis itaque hic habitus philoſophicus pro clericali haberi non poſſit, quandoquidem & laici illum ſuo lubitu ſumebant: ſaeculo tamen tertio nullus fere Epiſcopus, nullus presbyter, nullus diaconus erat, quin hoc habitu tanquam ſimpliciſſimo & ſapientiae ſpeciem obiiciente, quam libentiſſime vteretur.

§. XI.

Illuxit demum ſaeculum quartum, quo chriſtiana religio, tot adhuc perſequutionibus oppreſſa, erigere ſe ac veluti de carcere prodire coepit. Imperio praeerat Conſtantinus, ipſe Chriſtianus, & pompae in rebus omnibus ſtudioſiſſimus, qui, quum Chriſtianorum numerum augeri ſerio cuperet, operam dedit, vt ſplendido atque auguſtiore apparatu ſacra peragerentur. Hinc templa & baſilicae magnificentiſſimo ſumtu exſtructae, hinc lumina, vaſa pretioſa, thuribula inuenta, aliaeque caerimoniae excogitatae ſunt, quae oculos ferirent. Atque tunc etiam de ſacris veſtibus cogitatum eſt, quibus ornati ſacerdotes in templis plebem veneratione quadam implerent. Ipſe Conſtantinus, THEODORITO teſte (h), Macario Epiſcopo Hieroſolymitano τὴν ἱερὰν στολὴν, *ſacram veſtem donauerat, vt ea indutus diuini baptiſmi miniſterium perageret, eaque veſtis aureis filis contexta erat.* Quod quin in aliis quoque ec-

(g) Tenzel. *Dial. menſtr. 1693. pag. 257. ſequ.*

(h) Theodorit. *lib. II. H. E. cap. XXVII. p. 111.*

cleſiis tum ipſe, tum ſucceſſores, fecerint, nullum eſt dubium. Et ex eo demum tempore frequens eſt apud ſcriptores veſtium ſacrarum mentio, dignaque viſa eſt haec res, quae in ipſis conciliis expenderetur. Iam anno CCCLXIII in concilio LAODICENO (i) exiſtimatum, *non oportere miniſtrum orarium ferre, itemque non oportere lectores & cantores orarium ferre, & ſic legere vel canere.* Poſtea in concilio Carthaginienſi IV (k) decretum, *vt Diaconus de ſacro codice lecturus alba veſte vteretur.* Eodem tempore GREGORIVS NAZIANZENVS (l), HIERONYMVS (m) & CHRYSOSTOMVS (n) paſſim meminerunt veſtium ſacrarum, in eoque fere conueniunt, quod ſplendidae ac candidiſſimae fuerint. Sed tantum abeſt, vt in eo myſterium quaeſiuerint antiqui, vt nec eiusdem vbique formae fuerint, & ſingulae fere eccleſiae ſuo lubitu eas confici curarint. Vnde factum, vt hodienum inter orientalem atque occidentalem eccleſiam maximum in hoc diſcrimen ſit, nec in ipſa occidentali eccleſia idem vbique mos obſeruetur. Notandum etiam, in Occidente has veſtes multo tardius certis legibus definitas fuiſſe, quam in oriente. Quod non ſolum ex Coeleſtini loco ſupra laudato patet, ſed ex conciliis etiam recentioribus, in quibus ſaepiuſcule de hoc ornatu ſacro litigatum. At ſaeculo ſexto vltimam demum manum huic veſtitui impoſuiſſe videtur GREGORIVS MAGNVS, qui, ſicuti eiusmodi rituum erat curioſiſſimus, ita, IOANNE DIACONO (o) teſte, nihil reliqui fecit, vt & veſtium ſacrarum leges vbique obſeruarentur. Quae poſtea WALEFRIDVS STRABO, ALCVINVS, ceterique huius farinae ſcriptores de myſteriis harum veſtium commentati ſunt, huc non pertinent, iam ab aliis copioſe quippe explicata.

§. XII.

Habitus clericalis origo.

Haec de veſtibus ſacris intra eccleſiam adhibendis. Extra eam clerici initio habitu vili & ad modeſtiam compoſito vtebantur, qualis, vt dixi, erat philoſophicus. Sed ſaeculo quarto paullo elegantius veſtitos fuiſſe oportet. Quum enim Euſtathius, Sebaſtenorum Epiſcopus, pallium philoſophicum more antiquorum ſumeret, diſcipuliſque ſuis, vt idem facerent, auctor eſſet: tantam ſibi conflauit inuidiam, vt ipſe eius parens Eulalius, Caeſareenſis Epiſcopus, eum ſacerdotio priuaret, ideo, quod habitu parum decoro

(i) Concil. Laod. *Can. XXII. XXIII.*
(k) Concil. Carthag. IV. *Can. XLI.*
(l) Greg. Naz. *in ſomnio de Anaſt. Tom. II.*
(m) Hieron. *lib. I. contra Pelag.*
(n) Chryſoſt. *hom. LX. ad pop. Antioch.*
(o) Ioannes Diac. *de Vita Gregorii M. Lib. II. cap. LVII.*

Digitized by Google

ro vteretur (p). Quae cenſura vt ad poſteros teſtatior eſſet, in ipſa ſynodo Gangrenſi (q) canon conditus eſt; εἴ τις ἀνδρῶν διὰ νομιζομένην ἄσκησιν περιβολαίῳ χρῆται, καὶ ὡς ἂν ἐκ τούτου τὴν δικαιοσύνην ἔχων καταψηφίσοιτο τῶν μετ-εὐλαβείας τοὺς βήρους φορούντων, καὶ τῇ ἄλλῃ κοινῇ καὶ ἐν συνηθείᾳ οὔσῃ ἐσθῆτι κεχρημένων, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis vir ob eam, quae exiſtimatur, pietatis exercitationem, vtatur peribolaeo, hoc eſt, amictu pallii, & velut in hoc iuſtitiam conſtituens, condemnet eos, qui cum pietate beris & alia communi ſolitaque veſte vtuntur, anathema ſit.* Ex hoc canone, quo cum IUSTELLI (r) annotationes conferendae ſunt, diſcimus primo, clerum huius concilii tempore, id eſt, circa medium ſaeculum quartum, abhorruiſſe a veteri habitu philoſophico, & eum indecorum habuiſſe: deinde veſtitum eos adſumſiſſe multo elegantiorem. Βῆρος enim vel Βίῤῥος veſtem hic notat ſericam, qualis erat virorum honeſtiorum, vt ZONARAS (s) & BALSAMON (t) explicant; non viliorem, vt alii malunt (u). Alias enim Euſtathio nulla fuiſſet ratio, habitum communem reiiciendi, & pallium philoſophicum in vſum reuocandi. Paullo poſt monachorum diſciplina inualuerat, qui ſchemate ſingulari, veluti tonſura, pallio, cilicio vſi, tantam ſibi ſanctitatis famam conciliarunt, vt ipſe IVSTINIANVS IMP. ſingulari lege (x) cauerit, ne quis laicus, aut hiſtrio, hoc habitu vteretur. Quum igitur in Oriente plerique epiſcopi ac clerici ex monachorum ordine adſumerentur: factum inde eſt, vt etiam ad hanc dignitatem euecti habitum monachalem retinerent, quod in noſtram vſque aetatem faciunt epiſcopi Graecorum. Ex hoc ſimul adparet, vnde tonſura clericorum originem habeat, quam & occidentales ab orientalibus cum ipſo monachiſmo acceperunt. Ea enim quum initio eſſet monachorum propria, poſtea a ceteris quoque clericis adſumta eſt, donec ſaeculo ſexto omnibus clericis neceſſaria videretur (y). Quamuis autem occidentales clerici Graecos in tondendis capillis imitarentur: in reliquo tamen habitu modeſtiae tam parum ſtudioſi erant, vt nullis legibus magis opus videretur, quam veſtiariis. Plerique enim diuitiis & faſtu elati nihil concedere volebant laicis,

 quibus

(p) Socrat. *H. E. lib. II. cap. XLIII.*

(q) Concil. *Gangr. Can. XII.*

(r) Iuſtell. *ad Cod. Canon. eccl. vniuerſ. p. 194. edit. Helmſt.*

(s) Zonar. *ad Can. 12. Conc. Gangrenſ. p. 316.*

(t) Balſamon. *in Canonem eundem p. 804.*

(u) Salmaſ. *ad Tertull. libr. de pallio p. 32. & in not. ad Hiſtor. Aug. ſcriptores p. 121.* Suicer. *Theſaur. Eccl. p. 684. Tom. I.*

(x) Nouell. *LXXXIII. cap. XLIV.*

(y) Concil. *Agathenſe Can. XX. Confer.* Frider. Spanhemii *Hiſt. Chriſt. ſaec. XI. cap. V. num. V. p. 1081. & ſaec. VII. cap. III. num. III. p. 1180. Tom. I. Op.*

quibus iam dominari coeperant. Sic anno DLXXXIX in CONCILIO NARBONENSI (z) clericis interdici oportuit *ſagum, calceamenta, aut veſtimenta ſaecularia, veſtimenta purpurea, quae ad iactantiam mundialem pertinerent.* Sed & ſaeculo decimo tertio in CONCILIO MONPELIENSI hanc legem conditam eſſe ſcimus: *quoniam propter incompoſitum habitum quorundam clericorum regularium & ſaecularium adeo laici ſcandaliſantur, quorum frequenter nobis ſunt oblatae querelae, quod non ſolum viros eccleſiaſticos hinc contemnunt, verum & eccleſias aggrauant & moleſtant: non credentes, huiuſmodi clericis magis deferendum, quam laicis, qui non ſolum a laicis in habitu & alia conuerſatione non diſcrepant, verum & in his & in aliis magis ſe exhibent diſſolutos, nos volentes praedictorum vtilitatibus tam ſpiritualiter, quam corporaliter prouidere, in ſynodo praeſente ſtatuimus, vt quilibet Archiepiſcopus vel Epiſcopus talaribus veſtimentis & camiſia linea ſuper alios pannos extra domum ſuam, ſi pedes vadat, ſemper vtatur, & idem obſeruet in domo, cum curiam publice cum extraneis tenet. Chlamydem quoque talarem habeat ſuper ſcapulas conſutam more Romano.* Fortaſſis charta nos citius deficeret, quam eiuſmodi legum copia. Sed quid opus eſt plura adferre, cum vel ex his ſatis conſtet, nec antiquiorem ſaeculo quarto eſſe habitum ſacerdotalem, nec ſimul uno tempore in eam formam fuiſſe redactum, qualis hodie vel in Graeca, vel in Romana eccleſia, conſpicitur?

§. XIII.

Argumenta aduerſariorum expenduntur.

Praemiſſa hac breui hiſtoria, & altera pars audienda erit. Diximus enim ſupra, Pontificios nonnullos in alia omnia ire, & originem habitus clericalis ab ipſis apoſtolorum temporibus deriuare. Quibus itaque rationibus adducti hoc faciant, nunc erit diſpiciendum. Tria vero potiſſimum argumentorum genera ſunt, quibus in hac controuerſia vtuntur. Vel enim ipſos apoſtolos habitu hodierno induunt, quod ſumma impudentia auſus eſt BARONIVS, vel ad patres trium priorum ſaeculorum confugiunt, quod una cum BARONIO (a) fecit CASALIVS (b), vel patres quarti & ſequentium ſaeculorum teſtes laudant, quod tutiſſimum viſum eſt BELLARMINO. Cum hoc nulla nobis erit controuerſia, ſiquidem ipſi fatemur, habitum clericorum iſto ſaeculo fuiſſe inuentum. Nec cum iſto hic litigabimus, quia ſequente capite de apoſtolis accuratius agendum erit.

(z) Concil. Narbon. Can. I.
(a) Baron. ad ann. 261. n. 44.
(b) Caſal. de profeſſis Aegypt. & Rom. & ſacris Chriſtianorum ritibus lib. III. cap. XXXV. p. 189. ſequ.

erit. Ergo ſecundum tantum argumentorum genus reſtat, hic ſub limam reuocandum.

§. XIV.

Epiſtolae primorum pontificum Decretales ſunt ſuppoſititiae, & hinc nihil probant.

In principiis igitur locant CLEMENTEM ROMANVM, ANACLETVM, SOTEREM & S. STEPHANVM, Pontifices Romanos, magna, ut aiunt, nomina & omni exceptione maiora, quippe ad ſaeculum primum, ſecundum, tertium referenda. Ex Clementis ſcriptis laudant Epiſtolam II. ad Iacobum, fratrem Domini, in qua tam multa de lauandis, ſeruandis, comburendisque ſacris veſtibus praecipiuntur, vt ab inſulſiſſimo monacho nihil potuiſſet ſcribi frigidius. ANACLETI (c) quoque epiſtolam aliquam laudant, in qua praecipitur, *vt Epiſcopus ſecum habeat miniſtros, ſacris indutos veſtimentis, in fronte & a tergo.* Porro & SOTEREM Papam (d) leges quaſdam de veſtimentis ſacris, a monialibus non tangendis, condidiſſe ferunt. Denique & S. STEPHANI Epiſtolam I. de veſtimentis eccleſiaſticis multa praecipere contendunt. Sed deſperatam profecto cauſſam eſſe oportet, quae ad hos triarios rediit. Omnes enim hae epiſtolae decretales tam manifeſto ex Iſidori Mercatoris, impoſtoris ac nebulonis inſulſiſſimi, officina emiſſae ſunt, totque falſitatis indiciis ſe produnt, vt ipſis pontificiis (e), quibus laeua ſalit, nugarum anilium pudeat, ex quo a BLONDELLO (f) inuictis argumentis exploſae ſunt. Relinquendae igitur iſtae cupediae TVRRIANO (g), MALVASIAE (h), CARDINALI DE AGVIRRE (i), aliiſque eiuſmodi ingeniis, quorum intereſt, epiſtolas has in tuto collocare, id eſt, magno conatu maximas nugas agere. Satis enim poenarum hos dediſſe credimus, dum ab ipſis contribulibus ſuis deridentur, tam deformes eſſe cenſentibus has Epiſtolas, vt nulla arte, nulla ceruſſa aut purpuriſſo fucari poſſint (k).

§. XV.

Origenis teſtimonium non

Paullo maioris momenti eſſe videntur, quae ex Patribus ad ſtabilien-

(c) Anaclet. *Epiſt. 1. de oppreſſ. Epiſc.*

(d) Soter. *Epiſt. ad Epiſcop. Italiae.*

(e) Natal. Alex. *ſaecul. 1. part. II. p.* 219. Petr. de Marca *libr. III. de concord. Sacerd. & Imperii cap. V.* Gerbaſ. *append. de cauſſa mai. p. 68.* Chriſt. Lup. *Schol. ad can. concil. part. IV. p. 362. Vt taceamus* Dupinium, Nic. Antonium, Launoium, Ant. Pagi, Baluzium, Cardin. Bonam, *alioſque, quos allegant* D. Gerhard. *Tom. I. Confeſſ. Cathol. p. 433. ſequ.* Ittig. *diſſ. de Patribus Apoſt. n. XXXVII. p. 118. ſequ.*

(f) Blondell. *in Pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulante.*

(g) Turrian. *ſingulari opere de Epiſtolis decretal. aduerſus Magdeburg.*

(h) Bonau. Maluaſia *Apologet. pro Epiſt. decretal.*

(i) Card. Aguirre *in Appar. ad Concil. Hiſp. Tom. I. diſſ. IV. p. 69. ſequ.*

(k) Labbeus *Tom. I. Concil. p. 78.*

pertinet ad habitum ſacrum noui teſtamenti. Methodii reuelationes ſunt ſuppoſititiae.

liendam cauſſam ſuam colligunt. Nam primo laudant ORIGENEM (l); qui veſtimentorum ſacrorum iam ſaeculo tertio rationes myſticas tradiderit, deinde & METHODIVM (m), qui eadem aetate indumenta etiam ſacrata laudauerit. Sed quam parum candide hoc fiat, vel tirones animaduertent, ſi ipſa patrum loca euoluerint. ORIGENES enim loquitur de habitu ſacerdotali veteris teſtamenti, cuius vſum aeque ac myſteria omnes agnoſcimus. METHODII vero *Reuelationes* περὶ τῶν ἀπὸ συστάσεως κόσμου συμβάντων, quae inter ORTHODOXOGRAPHA BASILEENSIA (n) habentur, tantum abeſt, vt ſaeculi tertii ſcriptori tribui poſſint, vt potius multa de Turcis eorumque rebus geſtis garriant, & ſic, fatentibus omnibus (o), potius METHODIO Homologetae, Patriarchae Conſtantinopolitano, ſaeculi decimi tertii ſcriptori, adſcribendae ſint. Huius vero Methodii aeuo indumenta ſacerdotum ſacrata iam vbique recepta fuiſſe, & nemo negat, & iam ſupra a nobis datum eſt.

§. XVI.

Cyprianus an habitu Cardinalis ad mortem proceſſerit? Dalmaticarum origo.

Sed reſtat vltimum argumentum, ad quod, tanquam ad ſacram anchoram, confugiunt, quotieſcunque palmam dubiam eſſe vident. Exſtat nimirum vita & paſſio Cypriani, non illa a PONTIO, diacono Carthaginienſe, ſed ab alio quodam multo recentiore, ſaeculo octauo (p), ſtilo ſatis inelaborato conſcripta, in qua Cypriani habitus, quem ad ſupplicium ductus depoſuerit, hunc in modum deſcribitur: *Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti perductus eſt, & ibi ſe lacerno birro exſpoliauit, & genua in terram flexit, & in orationem ſe Domino proſtrauit. Et quum ſe Dalmatica atque tunica exſpoliauiſſet, & diaconis tradidiſſet, in linea ſtetit, & coepit ſpiculatorem ſuſtinere.* Haec exſcribens BARONIVS (q) dici non poteſt, quantopere ineptiat, quantum triumphet, quam reperiſſe ſe putet, non quod pueri in faba. Addit enim: *Haec diligentiore conſideratione penſanda ſunt. Etenim ex iis adeo certis antiquitatis eccleſiaſticae monimentis, qualis eſſe ſoleret Epiſcoporum habitus, probe poſſumus intelligere.* Hactenus bene. Quamuis enim nihil cauſſae ſit, cur acta haec *certum antiquitatis eccleſiaſticae monimentum* putemus, quum ſagacioribus miſere interpolata videantur: fatebimur tamen Baronio, nos ipſos hic epiſcoporum habitum genuinum agnoſcere, ſed vulgarem, & ab

(l) Origen. *hom. II. in Leuit.*

(m) Method. *in libro reuelat.*

(n) Orthodoxogr. *Tom. I.*

(o) Aubert. Mirzi *Schol. ad Hieronymi Catal. ſcriptorum Eccleſ. cap.* LXXXIII. *Guil. Caue Hiſtor. litter. Part.* I. *p.* 75. *ſequ.*

(p) a Paullo *nimirum* Diacono, *vt cenſet* Voſſ. *de Vitiis ſermon. lib. VI. p.* 321.

(q) Baron. *ad ann.* 361. *n. LX.*

ab hodierno plane diuerſum. Pergit vero Baronius, & criticum inuita Minerua agit. Poſtquam enim, quid linea, quid birrus, quid lacerna & dalmatica ſit, prolixe inquiſiuit, rationeſque omnes ſubduxit, hanc ſummam facit cogitationum ſuarum: (r) *Ex his itaque iam exploratum haberi videtur, Epiſcoporum hunc fuiſſe antiquum habitum, vt poſt veſtem ſuperinducerent lineam, & deſuper eam ſolutam tunicam, ac denique humeros tantum tegens & brachia lacernum birrum. Quo genere indumenti hodie videmus vti S. Romanae Eccleſiae Cardinales, atque Epiſcopos illos, qui ex Regularibus ad eam dignitatem prouecti ſunt.* Vt rectius hoc intelligatur, *lineam* explicat de hodierno Ephod, quod Italis *Rochetto* vocatur, dalmatica ipſi eſt tunica talaris, & birrus denique lacernus palliolum, quod humeros tegit.

Spectatum admiſſi riſum teneatis, amici!

En Cyprianum habitu Cardinalis! Exploratum enim eſt Baronio, Cyprianum tali indumenti genere hic repraeſentari, quali hodie vtuntur Romanae eccleſiae Cardinales. Mireris, quod purpureum galerum omiſerit, vt Cardinalem omnibus numeris abſolutum habeamus. Sed ne iocari videamur, res ipſa paullo diligentius conſideranda eſt. Referunt acta, qualiacunque ſint, Cyprianum poſitis veſtimentis *in linea ſtetiſſe*; atque adeo primum quaerendum eſt, quidnam ſit *linea* illa veſtis, in qua beatiſſimus martyr ſpiculatorem exſpectauit? Reſpondet Baronius: *Nihil aliud eſt, quod dici poſſit, niſi* lineam *illam Cypriani commune illud omnibus Epiſcopis lineum indumentum fuiſſe, quod* Ephod *alii dicunt, Italice vero* Rochetto. Cur vero nihil aliud dici poſſet? Linea illa fuit interula, quae ſuper nudum indui conſueuit. Quotidie enim videmus homines capitis damnatos ad interulam vſque exui, & ſic *in linea* carnificis ictum exſpectare. Idem igitur ſi Cyprianum feciſſe dixerimus, nihil praeter rem dixiſſe videbimur. Praevidit quidem hoc telum Baronius, ſed illud ſuo more contemnit. Neminem enim tam obtuſum ingenio futurum exiſtimat, vt acta de linea interula intelligenda putet; ſiquidem non decuiſſet ſacerdotalem grauitatem, Cyprianum ad interulam vſque denudari, quum praeſertim ad hoc non cogeret magiſtratus, nec carnificis functio id poſtularet. Egregia vero ratio. Non decuit ſacerdotem ad interulam vſque denudari, ergo capitis damnatus, & quidem ab ethnico magiſtratu, Cyprianus denudatus non eſt. Cur non eodem ratiocinandi artificio concludamus, Chriſtum veſtibus ornatum cruci eſſe affixum; non enim decuiſſe ſaluatoris ſanctitatem, nudum ab vllo mortalium conſpici. Multum videlicet

(r) Idem *ibid. num. XLV.*

Digitized by Google

delicet intereſt inter hominem ſuo arbitrio viuentem, & iudicio capitali damnatum. Illorum nemo temere tam ſine fronte erit, vt nudum ſe oculis hominum exponat; at in ſuppliciis res non hominis arbitrio agitur, nec quaeritur, quid decorum ſit, ſed quid carnifex fieri velit? Et vnde porro probabit Baronius, carnificis functionem hoc non poſtulare? Reſpondet quidem: *Quid enim opus erat ad capitis obtruncationem, ad ſubuculam vſque exui, quum praeſertim nullum ea de re exſtet exemplum?* Sed videtur Cardinalis nunquam eiuſmodi ſupplicium ſpectaſſe: alioquin tam pueriliter non ineptiret. Multum enim opus eſſe ad obtruncandum caput, vt homo non ſolum ad interulam, ſed omnino ad cutem, denudetur, carnifices rectius docebunt, quam Baronius, quibus & hic, tanquam artificibus, in ſua arte credendum eſt. Iam etiam de *dalmatica*, quam poſuit Cyprianus, diſpiciendum. Baronius hic iterum veſtem ſacerdotalem reperit, & nos ad MARTYROLOGIVM (s) ſuum relegat. Sed in eo, quod ad rem faciat, nihil omnino occurrit. Diuerſa enim dalmaticarum genera ibi recenſet, veluti manicatarum, chirothecatarum, aliarumque ſine manicis, & deinde plura ex recentioribus ſcriptis corradit. Certiora igitur quaerenda ſunt. Dalmatica vox eſt recentior, & Caeſarum demum aetate inuenta, & quidem ita vocabatur *tunica, clavis purpureis inſignis* (t), qualem non niſi molliores geſtabant. Hinc vitio verſum legimus Commodo Caeſari, quod *dalmaticatus* in publicum prodiiſſet (u). Nec minus in vitio poſitum, quod Elagabalus poſt coenam ſaepe viſus ſit *dalmaticatus* (x). Vnde colligimus, veſtem hanc, vt ſolent omnes exoticae, adeo ſorduiſſe viris grauioribus, vt eam mulieribus, quam viris, digniorem habuerint. Quis igitur credat, Cyprianum, virum ſanctiſſimum, & quod caput rei eſt, epiſcopum, tam ſui eſſe oblitum, vt veſtem hanc molliorem, & quam tunc vix Romanorum luxus inuenerat, ſibi ſumſerit? An, quod in Commodo & Elagabalo Romanis intolerabile viſum eſt, Cyprianum Epiſcopum decuit? Hinc tantum abeſt, vt Baronius in Cypriano dalmaticam ſacerdotalem inuenerit, vt potius probari haut difficulter poſſit, dalmaticas ante quartum ſaeculum a ſacerdotibus non fuiſſe admiſſas. Operae-pretium erit, hoc accuratius conſiderare. Cum Commodi & Elagabali tempore dalmaticae Romanis mollitiem quandam prae ſe ferre viderentur; nemo erat, qui hoc habitu vti vellet, eaque opinio

(s) Baron. *notat. ad Martyrol. Rom. die 31. Maii.*

(t) Voſſ. *lib. VI. de vitiis ſerm. p.* 320. *Tom. II. Opp.*

(u) Lamprid. *in Commodo cap. VIII.*

(x) Lamprid. *in Elagabalo cap. XXVI.*

opinio ſatis diu vigebat, donec, vt fieri ſolet, tempus eam minueret. Interea deſaeuierat tyrannorum furor, & Chriſtiani Conſtantini favore tuti melius haberi coeperant. Clerici igitur quum paullo elegantius veſtiri cuperent, initio Sylveſtri Papae conſilio adſumſerunt *colobium*, ſed, quum & iſtud parum ſplendidum videretur, paullo poſt, vel ipſius Sylveſtri vel ſucceſſorum iuſſu colobium cum dalmatica commutarunt. Haec vera eſt dalmaticae tunicae origo, quam ſcriptores magno conſenſu docent. CAROLVS M. Imp. (y) qui in antiquos eccleſiae ritus mira curioſitate inquiſiuit, vbi de ſacris veſtibus agit: *Quum*, inquit, *nuditas brachiorum culparetur, a Sylueſtro dalmaticarum repertus eſt vſus.* Sic & ABBO FLORIACENSIS (z), qui ex inſtituto Pontificum vitas & res geſtas dei ſcripſit, *Sylueſtrum* ait *inſtituiſſe, vt diaconi dalmaticis in eccleſia vterentur.* Sed omnium accuratiſſime huius indumenti originem oſtendiſſe videtur ANSELMVS (a), antiquus decretorum collector, qui EVSEBIVM neſcio quem auctorem ſequutus ita ſcribit: *A S. Sylueſtro & presbyteris eius colobiorum vſus ſumſit initium; & Marcus & Iulius & Liberius eo ordine ſunt vſi. Poſt hos autem colobia in* DALMATICAM *ſunt commutata. Viſum enim eſt, melius huic propoſito conuenire, quod accuratius placere valeat.* Ex his antiquis ſatis ſcriptoribus manifeſtum eſt, dalmaticas vel a Sylueſtro, qui ab anno CCCXIII ad annum vſque CCCXXXV Romanae eccleſiae praefuit, vel a Damaſo, qui ab anno CCCLXVII annos ſeptendecim imperauit, fuiſſe in eccleſiam introductas. Et poſterior quidem ſententia eo magis probabilis eſt, quo notior eſt Damaſi Papae luxus, ab ipſis gentilibus notatus. AMMIANVS enim MARCELLINVS (b), qui ea ipſa aetate ſcripſit, non ſine ſale refert, *hunc Epiſcopum, dilatum oblationibus matronarum, proceſſiſſe vehiculis inſidentem, &* CIRCVMSPECTE VESTITVM, eumque comparat prouincialibus quibuſdam Antiſtitibus, in quibus *vilitatem indumentorum* laudat. En Damaſi genium, ad ſplendorem & elegantiam factum, quem etiam miratus Praetextatus Conſul apud HIERONYMVM (c) ſaepius dicere ſolebat: *Facite me vrbis Epiſcopum, & protinus ero Chriſtianus.* Quam veriſimile igitur eſt, Damaſum huius ingenii virum, vt ANSELMVS ſuſpicatur, veſtem dalmaticam primum omnium in locum colobii adſumſiſſe? Hoc

(y) Carol. M. *de ſacrificio Miſſae & ratione rituum eccleſiae ad Alcuinum edit. Antv.* 1560. 8°.

(z) Abbo Floriac. *Epit. de vitiis Pontific. in Sylueſtro PP. cap. LXXXIV.*

(a) Anſelmus *citatus a* Petro Ciacconio *in annotat. ad Caſſian. p. 674. edit. Rom. Confer.* Voſſ. *de vitiis ſerm. libr. III. cap. VI. p. 131. Tom. II. Opp.*

(b) Ammian. Marcell. *libr. XXVII. cap. VI.*

(c) Hieronym. *Epiſt. LXI.*

vero ſi admittas (nec cauſſa vlla eſt, cur admittere nolis,) quomodo iam Cyprianus, & quidem ad ſupplicium ducendus, dalmatica vti potuit? Sed obiicit Baronius, ita tamen rem in actis, *certiſſimo antiquitatis eccleſiaſticae monimento*, referri. Referatur licet; quid tum? Annon vel hoc argumento conſtat, acta illa non coaeua, ſed ſequioris ſaeculi eſſe? Sed probe notandum videtur, non in omnibus actis dalmaticam inueniri, ſed, ipſo obſeruante Baronio, in nonnullis eius loco *tunicam* legi. Ex quo adparet, Cyprianum tunicam ſuper interulam induiſſe, hoc eſt, veſtem vulgarem, & omnibus prouincialibus communem, quam deinde auctor vitæ Cypriani recentior, ſtilum imprudenter ſuo ſaeculo attemperans, in dalmaticam commutauit. Quod denique ad *birrum lacernum* attinet, neſcio quid ſibi velit Baronius, dum hic etiam epiſcopale indumentum quærit. Lacernum enim, vt ipſe docet, fuit breue veſtimentum, quod ad arcendam pluuiam iniiciebatur; idque non ſacerdotibus aut epiſcopis proprium, ſed omnibus Romanis ac prouincialibus vſitatum (d). *Birrum* vero ipſe refert ad colorem rufum, & ſic birrum lacernum ex ipſius Baronii ſententia quam rectiſſime explicabimus pallium rufum pluuiae arcendæ aptum. Videmus ergo Cyprianum, non Cardinalis habitu, vt Baronius ſuauiter ſomniat, ſed vulgari amictu indutum, interula nimirum, tunica & pallio ſeu lacerna, qualem tunc Carthaginienſes omnes geſtabant. Plura non addo, praeter hoc vnicum, quod PONTIVS diaconus, qui de vita & paſſione Cypriani volumen *egregium*, vt HIERONYMVS (e) vocat, reliquit, nec lineæ, nec dalmaticæ, nec birri lacerni, vel verbo mentionem faciat, quum tamen beatum martyrem capite plecti viderit. Vnde igitur hoc ſciuit Auctor actorum Cypriani, a Baronio hic exſcriptus, quum ſaeculo octauo non ſit antiquior?

§. XVII.

Tonſuræ antiquitas ex Euſebio, Greg. Nazianz. & Am. Marcell. nec quicquam probatur.

Antequam vltimam manum huic capiti imponamus, de tonſura etiam nonnihil dicendum erit, vt fabula haec laeta cataſtrophe finiatur. Paullo ante, quum veſtium ſacrarum hiſtoriam traderemus, meminimus etiam tonſurae, eamque a monachis primum inuentam, deinde vero ſaeculo quinto a clericis etiam ſine omni ſuperſtitione admiſſam diximus. Sed & hic reclamat Roma pontificia, & hoc inſigne ſacerdotum ſuorum antiquitatis laude priuari, non ſine dolore conqueritur. Vt igitur raſae genti ſua conſtet antiquitas, diuerſas

vias

(d) *Vide* Ciceron. *Orat. Philipp. II.* Plin. *lib. XVIII. Hiſt. Natur. cap. XXV.* Feſt. Gramm. in voce *Lacerna.*

(e) Hieronym. *de Script. Eccleſ. cap. LXVIII.*

vias ingrediuntur huius partis ſcriptores. Quidam enim cum ISIDORO (f), BARONIO (g), CASALIO (h) aliiſque, ipſos apoſtolos tonſos in ſcenam producunt. Quidam ad patrum antiquiſſimorum, aliorumque ſcriptorum teſtimonia prouocant, quod praeter CASALIVM ex inſtituto facit GASTO CHAMILLAR (i), Doctor Sorbonicus, qui de tonſura ſcripturus, diligentiſſime nugas omnes collegit. Alii denique quinti ac ſequioris ſaeculi patrum auctoritate vtuntur. Illis hic reſpondebimus: iſtis capite ſequenti ſatisfiet: cum his nihil nobis negotii eſt. Sed vt paucis hoc labore defungamur, primo mittimus ANICETI PAPAE (k) aliaque huius farinae teſtimonia. Adulterinum enim hunc eſſe Iſidori Mercatoris foetum, iam ſupra oſtendimus. Nec moramur ea loca, vbi nonnunquam de clericorum coma non nutrienda agitur. Aliud enim eſt, comam non promittere, aliud in coronae formam tonderi. Sed praecipua tantum loca examinabimus, in quibus cauſſae ſuae proram puppimque conſtituunt. Vrgent igitur, EVSEBIVM (l), epiſcopos Tyri congregatos magnifica oratione adloquutum, ipſis inter alia tribuere *τὸν οὐράνιον τῆς δόξης στέφανον*, *caeleſtem gloriae coronam*, per quam nihil aliud indicet, quam tonſuram, quae hodienum corona vocetur. Vrgent deinde, quod GREG. NAZIANZENVS (m) ab Epiſcopis etiam in capillis decorum obſeruari velit, & ideo commendet Maximum, qui ad Epiſcopatum euectus capillos poſuerit. Denique ex AMMIANO MARCELLINO (n) addunt, Theodorum quendam a paganis ideo diris ſuppliciis fuiſſe enectum, quod puerum tonſuraſſet, quem eccleſiae deſtinauerat. Sed nihil procliuius eſt, quam tela haec plumbo obtuſiora declinare. Quod enim ad EVSEBIVM attinet, vel primus ipſius loci conſpectus docet, eum de nulla re minus, quam de tonſura, loqui. Nec propoſitum ipſi eſt, habitum Epiſcoporum deſcribere, ſed ſacrum eorum munus, adhibitis multis ſchematibus, collaudare. Hinc ipſis tribuit *ſacram tunicam talarem*, *coeleſtem gloriae coronam*, & *ſacerdotalem ſancti ſpiritus veſtem*, non quod eo habitu decoratos videret, ſed quoniam panegyriſtae eſt, omnia, quantum fieri poteſt, magnificentiſſime eloqui. Hinc quum eos ſacerdotes nominare vellet, per ſynecdochen notiſſimam ſigna ſacerdotii veteris teſtamenti commemorauit, quemadmo-

(f) Iſidor. *lib. II. de diuin. offic. cap. IV.*
(g) Baron. *ad ann.* 58. *n. CXXXII.*
(h) Caſal. *de ſacr. Chriſt. rit. L. III. c. XLIX. p.* 268. *ſeqq.*
(i) Gaſto Chamillar. *de tonſura p.* 401.
(k) Anicet. PP. *Epiſt. ad Gall. Ep. in Diſt. XXIII.* Can. prohibere fratres.
(l) Euſeb. *libr. X. Hiſt. Eccl. cap. IV.*
(m) Greg. Nazianz. *Orat. XIII.*
(n) Amm. Marcell. *libr. XXI. Hiſt. cap. XXILX.*

adn odum noſtro etiam tempore orator Conſuli cuidam faſces & ſec res gratulari poſſet, quum tamen hodie nulli conſulum haec inſignia magiſtratus praeferantur. Nec magis ad rem facit, quod ex GREGORIO NAZIANZENO adferunt. Commendat enim pater iſte decorum, etiam in capillis detondendis ab Epiſcopo obſeruandum: ſed idem commendat PAVLLVS APOSTOLVS (o), & quidem non Epiſcopis ſolum, ſed omnibus viris, quos non ſine turpitudine quadam comam alere docet. Quid vero haec ad tonſuram clericalem? Quaeſtio ſane non eſt, an clericis comae tondendae ſint? Id enim quis negaret, cum etiam laicos hoc facere deceat? Sed de eo quaeritur, an clericos in formam coronae tonderi oporteat? Id eſt, quod & a nobis negatur, nec a GREGORIO NAZIANZENO dicitur. At commendat tamen Maximum, quod Epiſcopus factus comam detonderit? Etiam hoc iure facit Gregorius, ſed cur quaeſo commendat? non profecto, quod in formam coronae tonſus ſit, ſed quod cynici ſqualoris pertaeſus, comam reſecandam curarit. Atque adeo hoc exemplum aeque eſt ἀπροσδιόνυσον, ac illud, quod Baronius ex Ammiano Marcellino, Caſalius ex Baronio refert. Integer locus ita ſe habet: *Diodorus quidam veluti comes* in tumultu Alexandrino cum aliis obtruncatus eſt, *quod, dum aedificandae praeeſſet eccleſiae, cirros puerorum licentius detondebat, id quoque ad Deorum cultum exiſtimans pertinere.* Iam conſidera Lector, quam mala fide agant Caſalius (p) & Baronius (q). Ammianus Diodorum cirros puerorum detondiſſe ait; Caſalius puerum ab eo tonſuratum refert. Ammianus addit, Diodorum putaſſe, id quoque ad Deorum cultum pertinere; Caſalius & Baronius hos pueros eccleſiae deſtinatos fuiſſe fingunt. Quid abſurdius aut frigidius poterat excogitari? Sed age rem omnem expendemus, & vt dolus eo clarius perſpiciatur, quid fecerit, & qua re tantum ſupplicum meruerit Diodorus, paullo diligentius explicabimus, praecipue quum ad intelligendum Ammianum Delio natatore opus ſit. Obſeruandum igitur, *cirros* appellari puerorum capillos poſt primam tonſuram ſuccreſcentes. Nimirum ad annum ſeptimum vſque non tondebantur, intra quod tempus capilli vocabantur *comae.* Tunc tonſus ſemel capillus nutriebatur ad ephebiam vſque, & hic *cirrorum* nomine veniebat. Puberes facti iterum tondebantur, & tum ſubnaſcens capillus, ſi promitteretur, prolixiuſque ſuper humeros deflueret, *caeſaries* appellabatur. Vterque vero puerilis crinis,

(o) 1. Cor. XI. 14. (p) Caſal. *l. c.* (q) Baron. *ad ann.* 158. *n.* CXXIIX.

nis, & coma prima & cirri, cum ponerentur, ſacrari alicui Deo ſolebant. Vnde VARRO apud NONIVM (r) Grammaticum: *Ambraciae*, inquit, *primum capillum puerilem demtum*, *item* CIRROS *ad Apollinem ponere ſolent*. Conſuli etiam hic poſſunt TVRNEBVS *(s)* & SALMASIVS (t), apud quos talia plena manu feruntur. Nouit hoc Diodorus, & hinc, praepoſtero odio in gentiles ſtimulatus, *puerorum* Alexandrinorum *cirros licentius detondit*, ideo quod *eos quoque ad vanorum Deorum cultum pertinere ſciebat*. Ignominia igitur affecit hos pueros, dum eos odio religionis cirris ſpoliauit, tantum abeſt, vt eccleſiae deſtinauerit. Quare etiam gentiles iſto facto tantopere irritauit, vt religionis zelo pueros ſuos, ſacro hoc, vt putabant, munere ſpoliatos, crudeli Diodori exitio vlciſcerentur. Ex quo adparet, fruſtra & hunc locum a Baronio & Caſalio allegatum, quippe qui, ne fidiculis quidem omnibus admotis, ad tonſuram clericalem trahi poſſit.

CAP. III.

DE VERIS VESTIBVS APOSTOLORVM.

I. Apoſtolis a Pontificiis tribuuntur veſtes ſacerdotales. II. Videntur potius vſi communi veſtitu Iudaeorum. III. In Iudaeorum veſtitum inquiritur. Petri veſtimenta ex Act. XII, 8. IV. Abdiae Babylonii teſtimonium de veſtitu Apoſtolorum.

§. I.

Apoſtolis a Pontificiis tribuuntur veſtes ſacerdotales.

EX quo ſemel Concilii Tridentini patribus error craſſiſſimus excidit, quod veſtium ſacerdotalium origo ex Apoſtolorum diſciplina & traditione deriuanda ſit, omnia potius facienda putauit Roma pontificia, quam vt errorem hunc agnoſceret. Inde tot molimina BARONII aliorumque harum partium ſcriptorum, qui omnes ingenii vires eo contulerunt, vt ipſi apoſtoli eorum opera ac ſtudio ſacerdotali habitu ornati in publicum prodirent. Scilicet quos PAVLLVS (u) nobis ſiſtit famelicos, NVDOS, & rerum omnium indigentes; quos ipſe CHRISTVS (x) ſine auro & argento, ſine marſupio & veſtium adparatu per orbem peregrinari, & de prouidentia ſua ſecuros eſſe iuſſit: eos nobis depingunt, dalmati-

(r) Nonius *in voce* Cirri.

(s) Turnebus *libr. XXVIII, Aduerſ. cap. XXVI.*

(t) Salmaſ. *de Caeſarie & Coma p. 339. ſq.*

(u) 1. Cor. IV, 11. 2. Cor. XI, 27.

(x) Matth. X, 10.

Digitized by Google

ca aliisque indumentis ſacris pulcherrime veſtitos, quin auro gemmiſque fulgentes. Sic antiquitatem Apoſtolicam mentitur Roma, Gibeonitarum inſtar, qui procul ſe veniſſe ſimulantes, adfectata veſtium vetuſtate ipſi Ioſuae illudere non dubitabant. Vt igitur haec larua detrahatur, lepidae eorum rationes in medium proferendae, diligentiuſque examinandae ſunt.

§. II.

Videntur potius uſi communi veſtitu Iudaeorum.

Antequam vero in arenam deſcendamus, operae pretium videtur, quo habitu vere inceſſerint Apoſtoli, paullo accuratius inquirere. Nouimus, illos Iudaeos fuiſſe, & quidem infimae conditionis homines, quorum plerique arte illiberali victum quaerebant. Quamobrem probabile eſt, omnes habitu eodem eſſe vſos, qualis nempe tunc apud Iudaeos & pleroſque orientales receptus fuit. Si enim ſingulari aliquo indumento ſe diſtinxiſſent ab aliis, cur Petrus non ſtatim agnitus eſſet in palatio Caiphae? Quid opus erat coniecturis a dialecto Galilaea petitis? quid Malchi teſtimonio? ſi ipſa veſtimenta eum Chriſti diſcipulum prodidiſſent. Sic & Ioannem legimus non ſolum in palatio Caiphae, verum etiam ſub cruce ſtetiſſe, a nemine agnitum aut vexatum, quod fieri vix potuiſſet, ſi habitu quodam ſingulari eſſet vſus. Denique ex actis Apoſtolorum ſaepiſſime eos inter Iudaeos in ipſis ſynagogis verſatos eſſe, intelligimus. Quomodo vero admiſſi eſſent homines, qui a veteri Iudaeorum habitu deſciverant? praecipue quum veſtes Iudaicae maximam partem ad religionem pertinere viderentur?

§. III.

In Iudaeorum veſtitum inquiritur. Petri veſtimenta ex Act. XII. 8.

Vt igitur de harum veſtium forma agamus: ex ſcriptura aeque ac libris Iudaeorum diſcimus, tria praecipue fuiſſe veſtimenta, quae a Iudaeis, quin orientalibus propemodum omnibus, geſtata ſunt. Primo enim lumbis adſtrinxerunt linea feminalia, quae ad genua vſque & poplites defluentia, partes genitales velabant, & Hebraeis מכנסי Graecis περισκελῆ vocabantur. Hinc induebant כתנת, Graece χιτῶνα, id eſt, tunicam laneam prolixiorem & manicatam, quae corpus a collo ad talos vſque tegebat, & vmbilico tenus cingulo adſtringebatur. Huic denique iniici ſolebat, pallium ſeu veſtis exterior, Hebraeis מעיל Graecis *ἱμάτιον* aut pluraliter τὰ ἱμάτια dictum. Hoc pallium erat veſtis ampla, nec multum diſſimilis pallio Graecorum, quod e quatuor pannis certo modo inter ſe iunctis conſuebatur, atque hinc ſaepius τετράγωνον ἱμάτιον *quadrangula veſtis*, ſiue quadrata, appellabatur. Hae ſunt veſtes omnibus Iudaeis communes. Addebant quidem lautiores *ſubuculam* (y), ſeu

(y) *Vide hic omnino* Caſaub. *Exerc. XXI. adv. Baron. n. LXXXIV. p. 452. ſequ.*

ſeu tunicam lineam interiorem, cuti proximam, nec non *ſandalia* (z) ſeu *ὑποδήματα*, calcibus alliganda: ſed iſtae quidem veſtes non ſumebantur a ceteris, qui aut frugalitatis priſcae tenaces erant, aut inopia premebantur. Ex his adparet, duas praecipue veſtes apud orientales in oculos incurriſſe, tunicam & pallium, earumque hic maxime habendam eſſe rationem. Crebra ſane earum ab auctoribus mentio iniicitur. De Aſſyriis auctor eſt STRABO (a), eos vti tunica linea talari, quae noſtrae ſubuculae reſpondet, tunica altera exteriore lanea, & pallio albo. De Iudaeis idem facile probatur. MICHEAS propheta (b) Iſraelitas increpaturus, quod latrociniis operam dare coeperint, ſpoliari ab ipſis dicit ſecuros שלמה ארר *tunica & pallio* vbi שלמה eſt tunica exterior, alias כתנת *χιτών*, ארר vero eſt pallium, alias מעיל *ἱμάτιον*. Sic & SERVATOR, iniuriarum patientiam ſuis commendans (c), *τῷ θέλοντί σοι*, inquit, *κριθῆναι*, *καὶ* ΤΟΝ ΧΙΤΩΝΑ *σου λαβεῖν*, *ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ* ΙΜΑΤΙΟΝ. En hic Iudaeorum veſtes. *χιτών* eſt כתנת tunica exterior; *τὸ ἱμάτιον* מעיל ſiue pallium. Solent quidem Talmudici aliis quoque vocabulis vti, & pallium vocare תלית tunicam vero טלית (d), ſed res eodem redit, nec dubium eſt, quin plura harum veſtium nomina vſitata fuerint. Exempla & alia quam plurima exſtant. Sed quaedam tantum, eccleſiae Chriſtianae incunabulis coaeua, adferenda ſunt. Quum Chriſtus cruci eſſet adfixus, milites *acceperunt τὰ ἱμάτια αὐτοῦ*, (en pallium) *& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem vnam*, (en quadratam pallii figuram, quae facillime quadrifariam diuiditur,) *& τὸν χιτῶνα* (en tunicam, quae deinde latius deſcribitur (e). Videmus itaque Chriſtum non aliis veſtimentis indutum, quam quibus Iudaei vtebantur (f). Sic & in ACTIS (g) de Petro Apoſtolo per angelum e carcere educto legimus: *Dixit vero ad eum Angelus: Accinge, & alliga ſandalia, & fecit ita. Et dixit ipſi: περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου, ſuperiniice pallium tuum, & ſequere me.* Conſtat hinc, quibus indumentis Petrus inceſſerit. Dormiuerat in tunica, & quidem cingulo haut adſtricta, ſoluerat etiam ſandalia, vt eo commodius ſomnum caperet. Expergefactus igitur ab angelo, iubetur ſe accingere ſuper tunicam, quam nondum exuerat, iubetur praeterea ſandalia induere, & pallium iniicere, atque ſic e carcere prodire, veſtibus non aliis, quam Iudaicis, ornatus. Qui-

(z) Grot. *ad Marc. VI. 9.*
(a) Strabo *libr. XVI. Geogr.*
(b) Mich. II. 8.
(c) Matth. V. 40. Luc. VI. 29.
(d) Vid. Lighf. *Hor. Hebr. & Talm. ad Matth. V. 40. p. 294. Tom. II. Opp.*
(e) Ioh. XIX. 23.
(f) *Vide* Caſaub. *l. c. p.* 450.
(g) Actor. XII, 8. *vbi conf. r.* Grotii *Adnotat.*

Quibus & reliquos apoſtolos contentos fuiſſe, tam extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe arbitror, vt plura addere ſuperuacuum videatur (h).

§. IV.

Abdiae Babylonii teſtimonium de veſtitu Apoſtolorum.

Et hunc habitum apoſtolorum agnouit etiam perſonatus hiſtoriae apoſtolicae auctor, qui ſub ABDIAE nomine latere voluit. Quamuis enim tantum nugarum & huius libris contineatur, vt, ſi quid vſquam verum dicit, illud multis ineptiis ſomniiſque corrumpat: non auſus tamen eſt, veſtes Apoſtolis alias tribuere, quam has ipſas, quas paullo ante deſcripſimus. De S. Ioanne Apoſtolo memoriae prodidit (i), *eum* TVNICAM *ſuam Ariſtodemo dediſſe, &* PALLIO *amictum coepiſſe ſtare.* De Simone & Iuda (k): *impleſſe eos* PALLIA *ſua de ſerpentibus, & miſiſſe in magos.* De S. Bartholomaeo denique (l), *veſtitum eum fuiſſe* COLOBIO *albo, clauato purpura, indutumque* PALLIO *albo, habente per ſingulos angulos ſingulas gemmas purpureas.* Addit & ſandalia, quae per XXV annos incorrupta duraſſe perhibet. Videmus hic rurſus habitum Iudaicum, pallium ſcilicet, tunicam ſeu colobium, & ſandalia. Et quamuis illa de gemmis ſingulis ad ſingulos pallii angulos, & de purpura colobio attexta, ex fabula conſuta ſint, & ſcriptorem commentitium arguant: rem ipſam tamen acu attigit, eoque habitu nobis repraeſentauit apoſtolos, quo reuera vſi ſunt: ſecus ac hodierni pontificii, qui veluti pertaeſi apoſtolicae ſimplicitatis, neſcio quae ornamenta ſacra conquirunt, ſacrificulis ſuis, quam apoſtolis, digniora.

§. V.

Vt ergo iſtorum hominum vanitas eo facilius in oculos incurrat, argumenta eorum, quibus impulſi nobis apoſtolorum habitum ſacerdotalem obtrudere non erubeſcunt, iuſto ordine recenſenda, ac diligentius examinanda videntur.

(h) *Conf. hic Salmaſ. not. ad Tertull. de Pallio* p. 15. 72. 445.

(i) Abdias Babyl. *lib. V. de S. Ioann. cap. XXI. p. 579. edit. a Fabricio in Cod. Apocryph. N. T. Tom. II.*

(k) Id. *lib. VI. cap. XVI. p. 623.*

(l) Id. *lib. VIII. cap. II. p. 671. ſeq.*

CAP.

Digitized by Google

Cap. II.

DE HABITV ET INSIGNIBVS SACERDOTALIBVS PETRI.

I. Petri nulla memorantur inſignia pontificia. II. Tribuitur tamen ipſi tonſura. III. Origo huius traditionis. Hiſtoria controuerſiae Anglicanae de tonſura Petri & Paulli. IV. Auctorum, qui eam defendunt, futilitas. V. Rationes, quae contra illam militant. VI. Baculus paſtoralis Petri. VII. Hiſtoricorum de eo teſtimonia. Hiſtoria Eucharii, Valerii & Materni, Apoſtolorum Treuirenſium. VIII. Canoniſtarum doctrina de baculo Petri. IX. Rationes, quibus haec traditio in dubium vocatur. X. An Eucharius a Petro in Treuiros miſſus ſit? XI. An Maternus poſt 40. dies e mortuis ſit reſuſcitatus? XII. An Petrus baculum paſtoralem geſtauerit? XIII. An baculus ille Treuiris cuſtoditus ſit? XIV. An Papa ob hanc hiſtoriam a baculo abſtineat? XV. Coniectura de fabulae origine. XVI. Argumenta Brovveri expenduntur. XVII. An Petrus & alii Apoſtoli gladio cincti iter fecerint?

§. I.

Petri nulla memorantur inſignia Pontificia.

ORdimur a PETRO, quem a Chriſto eccleſiae vniuerſae ſumma cum dignitate praefectum eſſe, contendunt. Huius quae indumenta fuerint, iam ſuperiore capite ex Act. XIII. demonſtrauimus. At multo aliter veſtitum nobis ſiſtunt pontificii. Exſpectares fortaſſis coronam pontificiam, eaque inſignia, quibus nunc eius ſucceſſores vtuntur. Nam ſi his vſum eſſe apoſtolum probarent, quanta auctoritas Pontificis Romani inſignibus accederet? quam facile proteſtantes, coronae huic illudentes, reprimerent? Sed bonum factum. In tota antiquitate hic nihil inueniunt, quod ipſis vel in ſpeciem faueat, & hinc ab ipſis pontificiis ridetur IO. PALATIVS (m), adeo verecundiae limites egreſſus, vt Petri etiam imagini coronam illam triplicem adpingere non dubitarit.

§. II.

Tribuitur tamen ipſi tonſura.

Interim ne Petrus ſolus ſacerdotii inſignibus caruiſſe videatur, ad tonſuram confugiunt, raſoque & nudo vertice apoſtoli caput deturpant, quin ab eo tonſurae ritum eccleſiae traditum eſſe iactant. Quo vero fundamento nituntur? An auctoritate ſcripturae? An antiquiſſimorum patrum conſenſu? Tali enim opus erat teſtimonio ad rem tam antiquam probandam. Sed fruſtra id ex-

(m) Palat. *de geſt. Pontif. Rom. Tom. I. p. 1.*

ſpectamus ab illis ſcriptoribus. Satis enim intelligunt, nec in ſcriptura nec in Patribus quidquam ſibi praeſidii eſſe. Ne tamen nihil agant, phalangem teſtium adducunt, ſed proletariorum & capite cenſorum, quorum vel pudere eos debebat. In principiis collocant ISIDORVM HISPALENSEM (n), ſaeculi ſexti ſcriptorem ſatis notum, ex cuius opere de diuinis officiis probare ſatagunt, tonſuram ab ipſis Apoſtolis quibusdam ſuſceptam fuiſſe. Huic ſuccenturiatur BEDA (o), ſcriptor Anglus ſaeculi octaui, cuius locum hic ſemel integrum exſcribi oportet, vt, quid de tonſura Petri ſenſerit, lectori eo ſit exploratius. Ita enim ille: *Inter omnes, quas in Eccleſia, vel in vniverſo hominum genere reperimus, tonſuras, nullam magis ſequendam amplectendamque iure dixerim ea, quam in capite ſuo geſtabat ille, cui ſe confitenti Dominus ait: Tu es Petrus. Neque ob id tantum in coronam attondemur, quia attonſus ita eſt Petrus, ſed quia Petrus in memoriam dominicae paſſionis ita attonſus eſt, idcirco & nos, qui per eamdem paſſionem ſaluari deſideramus, ipſius paſſionis ſignum cum illo in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte, geſtamus.* Deinde argumento a crucis ſigno petito, quo Chriſtiani iam olim in memoriam dominicae crucis frontem munire conſueuerint, hunc in modum pergit: *Ita etiam oportet eos, qui vel monachi votum, vel gradum clericatus habentes, arctioribus neceſſe habent pro Domino ſe continentiae funibus adſtringere, formam quoque coronae, quam ipſe Chriſtus in paſſione ſua in capite geſſit, vt ſpinas ac tribulos peccatorum noſtror.m portaret, id eſt, exportaret & auferret, a nobis ſuo quemque in capite per tonſuram perferre, vt ſe irriſiones & opprobria pro illo libenter & promto animo ſufferre, ipſo etiam frontiſpicio doceant: vt coronam vitae, quam promiſit Deus diligentibus, ſe ſemper exſpectare, proque huius perceptione & aduerſa mundi & proſpera contemnere deſignarent.* Talia etiam proferunt ex ALCVINO FLACCO (p), RABANO MAVRO (q), AMALARIO TREVIRENSI (r), aliisque huius farinae ſcriptoribus, qui ſaeculo octauo & nono de rebus eccleſiaſticis commentati ſunt. Ne vero ſola occidentalis eccleſia ita crediſſe videatur, ad Graecos etiam prouocant, PETRVM nimirum Antiochenum (s) & GERMANVM Conſtantinopolitanum (t), hunc ſaeculi decimi

(n) Iſidor. *lib. II. de diuin. officiis cap. IV.*

(o) Beda *de geſt. Angl. lib. V. cap. XXII.*

(p) Alcuin. Flacc. *de diuin. offic.*

(q) Rab. Maur. *de inſtit. Cleric.*

(r) Amalar. Treu. *de Eccleſ. offic. cap. V.*

(s) Petr. Antiochen. *Epiſt. ad Michaelem* Cerular. *apud* L. Allat. *de conſenſu eccl. oriens. & occident. libr. III. cap. XII. n. IV. p.* 1113. *& apud* Coteler. *Tom. II. Monim. Eccl. Graec. p.* 541.

(t) German. Patr. *in Theoria rerum eccleſ.*

Digitized by Google

cimi tertii, illum vndecimi auctorem, vtrumque parum grauem & fide dignum. Ille quidem pro Latinis diſputans, qui barbam radunt: καὶ ἡμεῖς, inquit, γάῤῥαμεν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ποιοῦμεν εἰς τιμὴν πάντων τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, Πέτρου, ἐφ' ᾧ ἡ τοῦ Θεοῦ μεγάλη ἐκκλησία ἐπωκοδόμηται. ὃ γὰρ εἰς ὕβριν οἱ δυσσεβεῖς τοῦ ἁγίου ἐφεῦρον, τοῦτο ἡμεῖς εὐσεβοῦντες εἰς δόξαν αὐτοῦ καὶ τιμὴν πεποιήμεθα. *Nos quoque coronam in capite geſtamus, in honorem principis apoſtolorum Petri, ſuper quem DEI magna eccleſia ſuperaedificata eſt. Quod enim impii illi ad contumeliam illius ſancti excogitarunt, hoc nos pie ad gloriam & honorem ipſius facimus.* Videri poſſet hoc teſtimonium parum ad rem facere, cum in illo explicate non dicatur, Petrum tonſuram primum ſuſcepiſſe; ſed reuera hoc dicit Petrus Antiochenus. Vltima enim verba ſe ad hiſtoriam referunt, quam hoc modo paullo vberius enarrat GERMANVS: *Duplex corona circumpoſita capiti ſacerdotis, capillorum ſignificatione imaginem refert capitis Apoſtoli Petri, qui, cum miſſus eſſet ad praedicationem domini & magiſtri, attonſus eſt ab his, qui eius ſermoni non credebant, vt illuderetur ab ipſis, eique Chriſtus magiſter benedixit, & infamiam in honorem, illuſionem in gloriam conuertit, & poſuit ſuper caput eius coronam, non ex lapidibus pretioſis, ſed lapide & petra fidei eius fulgeſcentem ſuper aurum & topazium & lapides pretioſos.* Talia ſunt teſtimonia, quibus tonſuram Petri ſtabiliunt BARONIVS (u), GASTO CHAMILLAR (x), PROSPER STELLARTIVS (y), aliique plures (z). Sed quam parum ponderis inſit iſtis omnibus, paucis nunc conſiderandum eſt.

§. III.

Origo huius traditionis. Hiſtoria controuerſiae Anglicanae de tonſura Petri & Paulli.

Multum noſtra intereſt, originem huius traditionis intelligere. Iſta enim perſpecta, ſtatim etiam cognoſci poterit, quid de traditione ipſa ſentiendum ſit. Qua occaſione tonſura in eccleſiam inuecta videatur, ſupra dictum eſt. Nulla vero initio apoſtolicae originis, nulla Petri detonſi, nulla myſticae cuiusdam ſignificationis mentio fit, ſed tam perfunctorie antiqui de tonſura loquuntur, ſatis vt intelligi poſſit, eam ab illis non niſi pro ritu quodam adiaphoro fuiſſe habitam. At ſaeculo iam ſexto de tonſura Petri aliorumque Apoſtolorum muſſitare coeperunt ISIDORVS (a), & GREGORIVS TVRONENSIS (b), quibus nihil ſolennius eſt, quam in rebus antiquioribus

(u) Baron. *ann.* 58. *n.* CXXII.
(x) Chamillar. *de tonſura.*
(y) Proſp. Stellartius *lib. III. de coronis & tonſuris Pagan. Iud. & Chriſtian.* Duac. 1625. 8°.
(z) Ant. Sauſſaeus *in Panopolia ſacerd.* Iac. Goar. *Not. ad Euchlog. Graec.* p. 493. Car. du Freſne *in Gloſſar. Lat.* voce Corona *Conf.* Acta Benedictin. *Praefat. ad Tom. IV.*
(a) Iſidor. *l. c.*
(b) Greg. Turon. *lib. I. de mirac. D.*

ribus mentiri, ac nugas agere plus quam pueriles. Veruntamen inter priuatos adhuc ſteterat hoc commentum, donec ſaeculo ſeptimo grauis ſcilicet controuerſia de tonſura, prope dixerim de lana caprina, naſceretur. Ea quippe tempeſtate in Angliam venerat Theodorus, antea monachus Graecus, futurus paullo poſt archiepiſcopus Cantuarienſis. Hic quum toto capite raſus eſſet, alii vero clerici Anglicani in coronam tonderentur, ſtatim orta lis eſt, quaenam tonſura potiſſimum retinenda ſit? Hinc quum & Theodorus & aduerſarii ad Apoſtolicam traditionem prouocarent, eo demum deuentum eſt, vt triplex tonſura ſtatueretur. Prima deriuanda videbatur a Paullo Apoſtolo, qualem ex oriente attulerat Theodorus, qua toto capite radebantur, nulla corona relicta. Secunda adſcripta Petro, qua capilli in coronam attondebantur. Alia denique Simoni Mago tribuebatur, quae a fronte coronae ſpeciem praeferret, ſed non integrae, per ſemicirculum quippe ab aure ad aurem deductae. Et quamuis credibile ſit, huius coniecturae, mira procacitate ingeniorum excogitatae, nullum eos auctorem habuiſſe, praeter Iſidorum aut Gregorium Turonenſem: tam acriter tamen pro ea pugnarunt, ac ſi in ea ipſa religio periclitaretur. Imperabant tunc Naitonus Pictorum, & Ganentius Weſtſaxonum Reges, quos ſummo ſtudio prenſabant, quicunque Romano Pontifici erant addictiores. Exſtat Epiſtola CEOLFRIDI ABBATIS (c) ad Naitonum, aliaque ALDHELMI ad Ganentium perſcripta (d), in quibus miris elogiis tonſura Petri commendatur, ac ſi eſſet in memoriam coronae Chriſti adſumta. Additur, clerum hac corona profiteri, ſe nihil pudere opprobrii crucis & irriſionum mundi, neque quidquam exſpectare, quam coronam vitae ſempiternam, & quae ſunt alia huius generis plura. Quibus demum argumentis perſuaſum eſt Naitono, Pictorum regi, vt in toto eius regno clerici ac monachi omnes in coronam attonderentur. Quin ipſe Theodorus, more orientalium tonſura S. Paulli tonſus, Romam ire iuſſus eſt, vbi menſes quatuor delituit, donec illi coma ſuccreſceret. Demum in coronam tonſus, & a Vitaliano Papa archiepiſcopus Cantuarienſis ordinatus, in Britanniam remeauit, anno DCLXVIII. Hic finis controuerſiae ridiculae, cuius hiſtoriam VENERABILI BEDAE (e) debemus. Eodem ſaeculo in Gallia quoque de tonſura diſputatum legimus, controuerſiam mouente Agreſtino, Notario Regis, qui inter alia

Martini cap. XXIIX.

(c) Ceolfrid. Abb. *Epiſt. apud Bedam lib. V. cap. XXII.*

(d) Aldhelmus *apud* Vſſer. *Antiqu. Britan. p.* 923.

(e) Venerab. Beda *lib. IV. cap. I. libr. V. cap. XII. libr. III. p.* 255. *Conſ.* Vſſer. *l. c.* Speelm. Concil. *Britann. p.* 227.

alia etiam *capitis comam inepte praecidi, & in eo ab omnium hominum more deſciſci*, docuerat. Sed quam firmiter ſibi iam tum homines originem huius tonſurae apoſtolicam perſuaſerint, vel ex eo adparet, quod Agreſtinus in CONCILIO MATISCONENSI tertio (f) graui cenſura notatus, & corona clericalis acriter defenſa ſit. Haec eſt vera origo huius traditionis, mihique tam certa, vt quouis pignore certare auſim, ante haec ſaecula neminem fuiſſe tam ingenio obtuſo, vt Petrum Apoſtolum corona clericali ſuperbiiſſe dixerit.

§. IV.

Auctorum qui eam defendunt ſutilitas.

Quamuis itaque ex his ſatis adpareat, quam lubrico fundamento tota traditio de Petri tonſura innitatur: iam tamen ad ipſa teſtimonia a Pontificiis adducta ſolide reſpondendum eſt. Et quidem de ſingulis nonnulla moneri poſſent; ſed praecipua tantum conſectari iubet promiſſae breuitatis fides: ceteris enim vno argumento generali ſatisfiet. Quod igitur ad ISIDORVM attinet, monſtro ſimile eſt, BARONIVM eius fidem hic implorare, quum alio loco *librum de diuinis officiis* Iſidoro falſo tribui contendat. Scilicet vbi contra ſuperſtitionem martyrolatriae pugnat, ſuppoſititius clamatur, uirgaeque expediuntur in librum, ab omnibus pro genuino foetu receptum. Vbi in traditione de tonſura & aliis eiusmodi ritibus, pontificiis adſentitur, teſtis videtur omni exceptione maior. Deinde & hoc mirum eſt, quod Petri tonſura ex ISIDORO probetur, qui Petri ne obiter quidem hic meminit, ſed in genere ita de tonſura diſſerit, ut nugas potius agere, quam vera proferre, videatur. Primo tonſuram putat ab Apoſtolis ad Naſiraeorum exemplum inuentam; ſed dubius admodum haec profert. Nam addit verba: *Ni fallor*, ne quis hunc fidei articulum putet. Coniecturam ergo ſuam prodit Iſidorus, ſed ineptiſſimam. Naſiraei enim comam alebant, quamdiu voto adſtringebantur; poſito vero capillo, raſoque capite voto exſoluebantur, & Naſiraei eſſe deſinebant (g). Quid hoc ad coronam clericalem, quae ſumitur ab illis, qui miniſterio eccleſiae primum ſe addicunt, non ab iis, qui iam voto ſe exſoluunt? Naſiraei porro caput radebant totum, clerici coronam exſcindunt. Quae igitur hic conuenientia? quae ſimilitudo? Vidit equidem Iſidorus, Naſiraeorum inſtitutum tonſurae clericali non conuenire; ſed paullo poſt & hunc nodum ſoluere conatur. Propoſita enim quaeſtione, cur clerici non ſicut Na-

 ſiraei

(f) Concil. *Tom. V. p.* 1687.

(g) Num. VI. 5. Iud. XIII. 5. Act. XXI. 24. *Conf.* Friſchmuth *Diſſ. de Naſiraeis Tom. I. Theſ. Theologic. Philolog.*

ſiraei antea comam nutriant, & ſic deinde tondeantur, reſpondet ex Paullo (h): *Quum tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen.* Velamen igitur ipſi notat capillos. Naſiraeos comam alere debuiſſe putat, quia velamen Moſis adhuc eorum oculis obiectum fuerit: clericos Chriſtianorum reſecare eos debere, quia ablatum ſit velamen. Ohe iam ſatis eſt! *Pergula pictorum, veri nil, omnia falſa.* Pergit Iſidorus, & ad tonſuram trahit dictum Domini ad EZECHIELEM prophetam (i): *Tu fili hominis, ſume tibi gladium acutum, & duces ſuper caput tuum & barbam.* Praeſcriptum enim hoc eſſe putat Ezechieli, quia ipſe e ſacerdotali genere Deo in miniſterio ſanctificationis ſeruierit. Sed egregie fallitur Iſidorus. Si enim ipſum euoluiſſet Ezechielem, didiciſſet, tonſuram hanc propheticam ſymbolum fuiſſe calamitatum, quas Deus Iſraelitis praenunciauit (k). Haec ſunt ergo egregia illa argumenta, quibus adductus ISIDORVS, Aquilam, Priſcillam, Paullum, & quoſdam alios diſcipulos Chriſti tonſuram ſuſcepiſſe, credidit. Videmus igitur, Iſidorum de Petri tonſura nihil ſcripſiſſe: videmus, eum non eccleſiae traditionem, ſed coniecturam ſuam expoſuiſſe: videmus denique, coniecturam iſtam inanem eſſe, & ſomniis potius, quam rationibus ſuperſtructam. Quid reliquum eſt, niſi vt inde colligamus, fruſtra hoc Iſidori teſtimonium adduci, & idoneum illud haut eſſe ad Petri tonſuram ſtabiliendam? Nec teſtimonium BEDAE & GERMANI plus apud prudentiores valebit. Ille enim Anglus fuit, vt eſt notiſſimum, & eo ſaeculo vixit, quo controuerſia de tonſura Petri in Anglia iam deciſa fuerat. Oportuit igitur hominem alias non obtuſi ingenii eccleſiae Anglicanae decretis ſtare, licet nullo fundamento niterentur. Huius vero *Theoria rerum eccleſiaſticarum*, teſte RICH. SIMONIO (l), ita miſere interpolata & luxata eſt, vt nihil in ea priſcae integritatis adpareat, & vix internoſci poſſit, quid Germani, quidue interpolatorum ſit. Qua fronte igitur ex tam aegroto libello fabulae nobis obtruduntur?

§. V.

Rationes quae contra illam militant.

Sed fingamus, & ISIDORVM, & BEDAM, & GERMANVM, & PETRVM Antiochenum, & ALCVINVM, & AMALARIVM reuera Petrum tonſum nobis ſiſtere: fingamus, teſtimonia eorum genuina, nec ab aliena manu eſſe: ſunt tamen duo argumenta, quibus ea ſimul vniuerſa corruunt. Primo enim manifeſto inter ſe pugnant hi auctores. Beda & ceteri occidentales fere omnes Petrum in

(h) 2. Cor. III. 16.
(i) Ezech. V. 1. ſeq.
(k) Ezech. 5. ſeq.

(l) Rich. Simon. *Not. ad* Gabr. Seuer. *pag.* 287. *Confer.* Dupin. *Biblioth. nou. Tom. VI.*

Digitized by Google

in honorem coronae Chriſti ſpineae tonſuram ſumſiſſe ferunt. Orientales eundem ignominiae cauſſa detonſum ab infidelibus referunt, adduntque, Chriſtum ipſi benedixiſſe, & contumeliam in honorem conuertiſſe, vt ex eo tempore corona vteretur. En inſignem contradictionem. Si Petrus in coronae ſpineae honorem tonſus eſt: factum hoc oportuit, poſtquam Chriſtus iam paſſus fuerat. Sin a Chriſto ipſo ignominia in gloriam verſa, & Petro corona clericalis impoſita eſt: factum id neceſſario fuerit, Chriſto adhuc in terris viuente. Alterutram itaque narratiunculam falſam eſſe oportet, quum tamen vtraque a Baronio pro ſtabilienda tonſura Petri adferatur. Sed ſatis eſt, inquis, orientem aeque ac occidentem Petro tonſuram tribuere, licet in cauſſa & occaſione inter ſe diſſentiant. Verum reſpondeo, ſi vel maxime conſentirent, quum tamen diſſentiant, nec ſic tamen cauſſam euictam eſſe. Omnes enim hi, qui laudantur ſcriptores, ſaeculo ſeptimo non ſunt antiquiores, quo tempore iam delirare orbis coeperat. Quis igitur crederet ſcriptoribus tam nouis, res antiquiſſimas nobis non minore fiducia narrantibus, ac ſi ipſi Apoſtolorum caetui interfuiſſent? Vnde norunt hi, quod antiquiſſimi ignorant? Si ex antiquis monimentis, cur ea non nominant? ſi ex traditione, cur non conſentiunt? ſin denique ex coniectura, cur coniecturae eorum pluris nobis ſint, quam rationes, quibus nituntur? Enimuero ſatis conſtat, nec orientales, nec occidentales auctores antiquos, immo nec modicae aetatis, pro ſe habere. Ex Graecis enim de capillis Petri egit NICEPHORVS (m), e Latinis HIERONYMVS (n), quorum ille Petro comam criſpam, denſam & paullo breuiorem; hic vero caput caluum, & crinibus fere orbatum tribuit; de corona vel tonſura vterque tacet. Vnde clariſſime patet, auctores hos, quos de tonſura Petri adducunt pontificii, ipſo fatente TILLEMONTIO (o), omnes proletarios, & ad teſtimonium de re tam antiqua ferendum non magis idoneos, quam teſtes, qui in iudicio rem, nec viſam ſibi, nec auditam, profitentur, ſcire tamen ſe omnia, quae geſta ſunt, impudentiſſime contendunt.

§. VI.

Quemadmodum vero tonſurae, ita & baculi paſtoralis, originem fruſtra ad Petrum referunt Pontificii, inprimis DOM. MACER (p), IO. CIAMPINVS (q) & Canoniſtae fere omnes, ſcriptoreſque Treuirenſes haut

Baculus paſtoralis Petri.

[m] Niceph. *Hiſt. Eccl. lib. II. cap. XXXVII.*

[n] Hieron. *ad Gal. II. p.* 149. *Tom. IX. qui tamen nititur teſtimonio* Pſeudo-Clementis, *cuius Periodos Petri ipſe citat.*

[o] Tillemont *Mémoires pour ſervir à l'hiſtoire eccleſ. Tom. I. Part. II.*

[p] Dominic. Macer. *in Hierolex. p.* 64.

[q] Ciampin. *de Muſiu. Part. I. cap. XV. p.* 123.

haut pauci, quorum intereſt, hanc fabulam non ignorari. In eo enim omnes conſentiunt, quod Petrus diſcipulo cuidam, quem cum aliis viris apoſtolicis Treuirim miſerit, dederit baculum, isque in eccleſia Treuirenſi diu ſervatus ſit. Non videbimur itaque oleum & operam perdituri, ſi, quid de hac traditione ſentiendum ſit, procul habito omni partium ſtudio, diſpiciamus.

§. VII.

Hiſtoricorum de eo teſtimonia. Hiſtoria Eucharii, Valerii & Materni, Apoſtolorum Treuirenſium.

Primus, quantum intelligo, huius rei meminit HERIGERVS LOBIENSIS, ſaeculi decimi ſcriptor (r), quem deinde & MARIANVS SCOTVS (s), & OTTO FRISINGENSIS (t), ſaeculi duodecimi ſcriptor, & alii, ſequuti ſunt. Ita enim hic totam hiſtoriam memoriae prodidit: *Petrus exhinc, cathedram Romae ſuſcipiens, ad florentiſſimam Galliae vrbem, Treuirim, tres ſimul proceres, Valerium, Eucharium & Maternum, deſtinauit. Qui dum Alpes tranſiſſent, Maternus in via moritur. Quo facto perculſi ſocii, Romam reuertuntur. Beatus itaque Petrus Apoſtolus paſtoralem virgam, vt traditur, per eos ad ſuſcitandum eum miſit, qui venientes ad locum ſepulcri, triginta tres dies eum inuenerunt in monimento iacentem, attamen viri Dei fide & operibus bonis pleni, ſub obedientia magiſtri admota virga, ſocium a morte ſuſcitauerunt.* Et paucis interiectis: *Oſtenditur autem adhuc eadem virga in argumentum rei, quam diximus, Treuiri & Agrippinae, ita quod ſuperiorem eius partem Treuirenſes, inferiorem Colonienſes habeant.* Eadem referunt GODOFREDVS VITERBIENSIS (u), PETRVS CLVNIACENSIS (x), INNOCENTIVS III. PP. (y), ALBERTVS STADENSIS (z), COMPILATOR CHRONOLOGICVS (a), &, quos ab aliis praetermitti video, auctor libelli DE GESTIS TREVIRORVM a LEIBNITIO editus (b), nec non ALBERICVS Trium fontium monachus (c), cuius vtriusque verba hic legi oportet. Et ille quidem, poſtquam Petri res, Treuiris geſtas, narrauerat, ita pergit: *Veruntamen his omnibus, quod non ſine remurmurante inuidia dictum nouerimus, beatum praefecit Eucharium, tam copioſiore miniſterio, quam dignitatis priuilegio. Abierunt autem omnes hi ſancti patres ad Galliarũ populos, verbo ſalutis Deo lucrifaciendos, per gentes, per viam, ſanam doctrinam cunctis euangelizando. Tunc itaque diuertit Clemens cum Felice Mediomatricum, Manſuetus Tullum;*

[r] Heriger. *Geſt. Epiſcop. Leodienſ. cap. V. ſeq. apud* Io. Chapeauille *in Hiſt. Leod.*

[s] Marian. Scot. *Chron. ad ann. 72. apud Piſtor. Tom. I. Rer. Germ. p. 376.*

[t] Otto Friſ. *lib. III. Chron. cap. XV. p. 62. cap.* Vrſtiſ.

[u] Godofr. Viterb. *in Pantheo Part. II. p.* 401.

[x] Petr. Clun. *lib. I. Epiſt. II.*

[y] Innoc. III. PP. *in Speculo Eccleſiae apud* Durand. *libr. XVI. Ration. cap. XV.*

[z] Albert. Stadenſ. *Chron. ad ann.* 48.

(a) Compil. Chron. *apud* Piſt. *Tom. I. Rer. Germ. p.* 710.

(b) Geſta Treu. *cap. XX. p. 26. ſeq. inter Acceſſiones Hiſtoricas* Leibnitii.

(c) Alberic. *Monach. Chron. ad ann. LII. p.* 14.

Digitized by Google

lum, Sinitius Rhemis, Meminius Catalaunum, ceterique in loca ſibi a Deo praeordinata, & proſperatum eſt verbum Dei in manibus eorum. B. vero Eucharius., cum diacono ſuo, Valerio videlicet, Elegiae, qui eſt vicus grandis prouinciae Galliae, Materni commilitonis ſui per maximam valetudinem deſolatus ſubſiſtit, qui creſcente eadem infirmitatis moleſtia animam reddidit, quod multorum ſalutis cauſſa accidiſſe, ſequens lectio demonſtrat. Nam quum eum terrae commendaſſent viri, pie pro depoſitione eius lugentes, concito greſſu Romam reuertuntur, magiſtro ſuo, ſupra dicto beato Petro, quae in via geſta ſunt, nunciantes, hoc adiicientes, quod in populum durae ceruicis perueniſſent, in quo conuertendo niſi virtus Domini noſtri Ieſu Chriſti Materni reſuſcitatione manifeſtaretur, parum ſe profecturos. Quos beatus Petrus conſolatus, ait: Nolite timere, cariſſimi mei, quia mortem fratris veſtri Dominus Deus noſter ad vitam multis prouidit. Confidite in Domino, & nolite deſperare, aderit enim diuina clementia, quae vos ſuper triſtitia veſtra conſoletur. Dans Euchario baculum, quo ſenilia ſua membra ſuſtentabat, ita dixit: Via, qua veniſtis, indubitanter recurrentes, hunc baculum meum deferte vobiscum, accedentesque ad locum ſepulcri, effoſſo corpori baculum ſuperponite, dicendo: Materne, in nomine Ieſu Chriſti ſurge. Additur his, quod Elegiam redierint, & Maternum iam ante XL dies ſepultum, baculo iſto in vitam reuocarint; quae hic referre nihil opus eſt. Audiendus potius ALBERICUS, qui ad annum Chriſti LII. *Beatus*, inquit, *Petrus, ex quo Romam venerat, Treuirim transmiſit B. Eucharium cum ſociis ſuis, Valerio & Materno, qui quum viginti dies perfeciſſent de itinere, apud Elegiam vicum grandem Galliae, Argentoratenſis dioeceſis, beatus Maternus obiit, quo terrae mandato, ſocii ejus Romam reuertuntur, & a B. Petro baculum, quo ſuſtentabatur, accipientes, reuerſi Chriſtum inuocarunt, ad quorum inuocationem reſurrexit mortuus, XL dies habens in monimento.* Atque haec ſunt, quae ſcriptores hiſtorici de baculo Petri, Euchario dato, referunt.

§. VIII.

Quum vero & Iuris Canonici interpretes huius hiſtoriae paſſim meminerint: de illis etiam quaedam dicenda ſunt. Exſtat inter decretales (d) Epiſtola Innocentii PP. III. ad Epiſcopum quendam, qua cum de vnctione multa perſcribuntur, tum & inſignia epiſcopalia ei mittuntur. Inter ea eminet baculus, paſtoralis curae ſymbolum, de quo Pontifex ita rhetoricatur: *Licet Romanus pontifex*

Canoniſtarum doctrina de baculo Petri.

(d) Decretal. *libr.* I. *Tit. XV. de ſacr. Vnct. Cap. vnico.* §. *licet.*

pontifex non vtatur baculo, tum propter hiſtoriam, tum propter myſticam rationem: tu tamen ad ſimilitudinem aliorum Pontificum eo poteris vti. Haec verba legentibus, obſcurum videbitur, quaenam ſit iſta hiſtoria, cuius cauſſa Pontifices Romani baculo paſtorali non vtantur. Explanaturus igitur aenigma Gloſſator: *Martialis*, inquit, *vnus de diſcipulis Petri, quem poſuit Dominus inter diſcipulos, quum dixit: Niſi efficiamini, ſicut paruulus iſte, non intrabitis in regnum caelorum, quem poſtea Petrus cum alio ſcilicet Matthaeo ad praedicandum miſit in Germaniam, qui quum iret, mortuus eſt, & rediit collega ad Petrum, & Petrus ait: Accipe baculum, & tangens eum, dic, vt in nomine Domini ſurgat, & praedicet. At ille in quadrageſimo die a tempore mortis tetigit eum, & reſurrexit, & praedicauit, & ita Petrus remouit a ſe baculum, & dedit ſubditis.* Gemina ſunt, quae COMPILATOR CHRONOLOGIAE ſupra laudatus ſcribit: *Petrus iuſſit Maternum & Valerium & Eucharium praedicare verbum Dei citra montes nationibus, quorum primus ſuſcitatus eſt, quum quadraginta dies mortuus fuiſſet, per baculum miſſum a Petro, vnde Papa non vtitur baculo.* Aliam obſeruationem ex ſuo ingenio addit THOMAS AQVINAS (e), quam iure inter meras fabulas retuleris. En enim verba hominis: *Dicendum, quod Romanus Pontifex non vtatur baculo, quia Petrus ipſum dedit ad reſuſcitandum quendam diſcipulum ſuum, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Treuirenſis, & ideo in dioeceſi Treuirenſi Papa baculum portat, & non in aliis locis, vel etiam in ſignum, quod non habeat coarctatam poteſtatem, quod curuatio baculi ſignificat.*

§. IX.

Nationes quibus haec traditio in dubium vocatur.

Plura attulimus in medium, tum, vt ex iis, quid de ipſa hiſtoria ſentiendum ſit, intelligi poſſit, tum vt nobilis de origine eccleſiae Germanicae controuerſia eo rectius diiudicetur. Et ſane licet Treuirenſis eccleſia de antiquitate ſua iam dudum gloriata ſit, tamque confidenter ſe ab ipſo Petro fundatam dixerit, vt ex hoc fundamento aliquando ius coronandi Regem Germaniae ſibi adſereret *(f)*: fatendum tamen eſt, hiſtoriam hanc, qua ſola iſta praerogatiua nititur, atque adeo ipſam quoque de baculo Petri traditionem nullam fidem mereri. Primo enim manifeſtum eſt, auctores omnes, qui hoc tradiderunt, nouos eſſe, & fabularum amantiſſimos. Antiquiores enim veluti ex compacto tacent, quod ſatis eſt ad detegendam fabulam. Deinde ſi quis eorum verba contule-

rit,

(e) Thom. Aquin. *Supplem. part. III. qu. XL. art. 7.*

(f) Witichind. Saxo *libr. II. pag. 642.* ap. Meibom. *Tom. I. Rer. German.*

Digitized by Google

rit, nil niſi meras contradictiones inueniet. Praeterquam enim, quod MARIANVS SCOTVS reſuſcitati Materni ne verbo quidem meminerit, ne in ipſis quidem circumſtantiis auctores conueniunt. Quod alii narrant de Euchario, Valerio & Materno, illud alii tribuunt Martiali, & neſcio cui Matthaeo. Quod Ottoni Friſingenſi ſtatim contigiſſe videtur ſuperatis Alpibus, id alii Elegiae in Argentoratenſi dioeceſi accidiſſe malunt. Secundum alios Maternus XXXIII dies in ſepulcro delituit, ſecundum alios dies XL. Alii Petri baculum Treuiris quaerere iubent, alii partem tantum Treuirenſibus, partem Colonienſibus largiuntur. Alii baculum communem, alii paſtoralem, nominant. Iam igitur aut Oedipo opus erit ad aenigmata explicanda, aut Alexandro ad nodum Gordium ſiue ſoluendum, ſiue ſecandum.

§. X.

An Eucharius a Petro in Treuiros miſſus ſit?

In primis vero obſeruandum, in tota hac narratione falſa quamplurima cumulari. Falſum eſt initio, Eucharium vna cum Valerio & Materno a Petro in Galliam, & quidem in Treuiros miſſum. Si enim annos computaueris, quibus id factum eſſe aiunt, meras hic tenebras inuenies. Expendemus modo teſtimonium auctoris, qui Geſta Treuirorum conſignauit. Hic Eucharium in Treuiros miſſum ait anno LIV, Claudii IX, ex quo tempore eccleſiae praefuerit annos XXIII, ſeu, vt alia lectio ſuggerit, XXXIV. Hunc ex eiuſdem auctoris ſententia excepit Valerius, qui epiſcopatum tenuit annos XV. Huic denique ſucceſſit Maternus, cuius miniſterio idem adſignat annos XL. Ex quo ſequitur, vt Maternum obiiſſe dicamus non anno CXXIIX, vt ipſe rationes init, ſed anno CXXXII. Fingamus igitur, hunc Epiſcopum, cum anno LIV ad Treuiros iret, annum aetatis egiſſe trigeſimum, (vix enim credibile eſt, Petrum ei iuniori Apoſtolatum Germaniae demandaſſe,) habebimus Maternum defunctum anno aetatis CVIII, aut ſi alteram lectionem ſequamur, CXIX. Quis hanc longaeuitatem ſibi perſuaderi patietur? Sed & ipſi Archiepiſcoporum Treuirenſium Catalogi Eucharii hiſtoriam ſatis refellunt. Quod enim de Epiſcoporum diptychis obſeruat BVCHERIVS (g), *ea omnia, quae ab apoſtolis deducuntur, quum primum ſuum aut ſecundum cenſuere ſacerdotem, ſpatium repente ducentorum circiter annorum epiſcopis vacuum exhibere, & proximos deinde eorum ſucceſſores in Conſtantini tempora, ſubinde etiam ſerius reiicere:* illud etiam de Treuirenſium Catalogis verum eſt. Poſt Maternum enim recenſentur multa nomi-

 na,

(g) Bucher. in Belg. Rom. lib. VI, cap. III.

na, ſed quae ſibi Tungrenſes etiam vindicant. Vnde ingenue fatentur fratres SAMMARTHANI (h), *obſcuram admodum primis ſaeculis, vſque ad Agricium* (qui anno CCCXIV vixit,) *vel paruam omnino in eccleſiaſticis diptychis eſſe mentionem epiſcoporum Treuirenſium, per quae ſucceſſio legitima comprobetur.* Sed facile hunc nodum ſoluere mihi videor, ſi CLEMENTIS ROM. (i) locum, quo celebertima illa ad Corinthios epiſtola obſignatur, recte intelligo. Rogat enim Corinthios, vt miſſos a ſe *Claudium, Ephebum, Valerium, Bitonem, cum Fortunato breui in pace remittant, vt citius votis expetitae & deſiderandae pacis ac concordiae nuncium adferant.* Videmus hic Valerium quendam anno circiter LXIII Corinthum eſſe miſſum a Clemente Romano, atque ſic illum eo tempore Romae vixiſſe. Hunc vero non alium fuiſſe, quam eum ipſum, qui Euchario vulgo comes datur, vel ex eo cum COTELERIO (k) coniicimus, quod nec in Martyrologiis, nec in aliis monimentis antiquis, praeter hunc Valerium Treuirenſem, alius vir apoſtolicus eo nomine occurrat. Quod ſi igitur adhuc Romae fuit anno LXIII. ſane non in Germaniam abiit anno LIV. Si fingas, eum tum temporis Treuiris Romam eſſe profectum: nec id quidem veriſimile eſt. Quis enim credat, apoſtolum Germaniae a meſſe ſua abſtractum, & procul hinc in Graeciam eſſe miſſum? an eccleſia Romana caruerit viris aliis, qui Corinthum mitterentur, vt neceſſe eſſet, Valerium ex ipſa Germania illuc ablegari? Perſuaſiſſimus igitur ſum, Eucharium & ſocios, ſi vnquam Germaniam ingreſſi ſunt, minime miſſos eſſe a Petro, ſed longe poſt eius obitum huc veniſſe: quo ipſo ſimul caderet fabula de Petri baculo, de Materno a mortuis reſuſcitato, & reliquis, quae ſcriptores illi contigiſſe, contendunt.

§. XI.

An Maternus poſt 40 dies e mortuis ſit reſuſcitatus.

Falſum etiam eſt, Maternum ſepultum, exactis quadraginta, aut, vt OTTO numerat, triginta tribus diebus, in vitam rediiſſe. Locum, vbi iſthoc miraculum contigit, vocant *Elegiam*, eumque ſitum aiunt in dioeceſi Argentoratenſi. Ponamus BROVVERVM (l) recte Elegiam interpretari de Ellouico prope Seleſtadium: fatendum tunc erit, Romam, ſi via rectiſſima procedas, ad minimum inde abeſſe milliaria Germanica centum & octoginta. Dicendum igitur,

(h) Sammarth. *Gall. Chriſt. Tom. I.* p. 215.

(i) Clem. Rom. *Epiſt. I. ad Corinth. cap.* LIX. *in* Clerici *Bibl. Patr. Apoſt. Tom. I. p.* 180.

(k) Cotel. *not. ad h. l.*

(l) Brower. *Annal. Treu. Tom. I. libr. II. p.* 143.

igitur, Eucharium & Valerium intra viginti dies Romam profectum, & inde, exactis totidem diebus, Elegiam rediiſſe, & ſic quotidie abſoluiſſe milliaria Germanica nouem, & nec vnicum diem curando corpori dediſſe, quod quam parum credibile ſit, in via tam difficili, nemo non videt. Quin ſi OTTONEM FRISINGENSEM ſequimur, quotidie confeciſſe eos oportet milliaria prope duodecim. Si miraculum fingere nolumus, ſtatuendum erit, Eucharium & Valerium quotidie profectum milliaria ſex, (quamuis & hoc nimium ſit, ſi pedibus iter fecerunt,) atque ſic Romam veniſſe die trigeſimo, intra totidem vero dies deinde rediiſſe Elegiam, & ſic iter totum abſoluiſſe diebus ſexaginta. Quomodo igitur Maternus poſt quadraginta aut triginta tres dies reſuſcitari potuit?

§. XII.

Falſum porro eſt, Petrum vnquam baculum paſtoralem geſtaſſe, ſiquidem nemo dubitat, quin pedorum ſacerdotalium vſus ſaeculo quarto non ſit antiquior. Nec vllus profecto ante haec tempora baculum inter inſignia ſacerdotum numerat. Quin poſtquam iam inualuerant hi baculi: ita eorundem mentionem faciunt ſcriptores, vt adpareat, illos non tanquam inſignia ſacra, ſed tanquam fulcra membrorum neceſſaria, geſtatos eſſe. Scilicet CANONE quodam NICAENO (m) cautum fuerat, ne quis interea, dum ſacra fierent, adſideret. Hinc quidam, quibus vel ſenectutis, vel infirmitatis cauſſa, tam diu ſtare non licebat, baculos ſecum ferebant, vt iis inniterentur, quos tamen, quum legendum euangelium eſſet, deponebant. Poſtremo, vbi antiquus rigor ſenſim refriguit, & tam clericis, quam laicis conceſſum fuit, vt ſederent, hi quidem baculos nihil profuturos abiecerunt, clerici vero, vt & in hoc a plebe diſtinguerentur, eoſdem retinuerunt, & demum quum ſoli epiſcopi, baculis vti coepiſſent, eos in ſymbolum epiſcopatus commutarunt. Pluribus id demonſtratum eſt ab aliis (n), quorum ſcrinia expilare religioni mihi duco. Illud modo addiderim, quod quidam, qui hiſtoriam de Euchario referunt, abſurditatem eius opinionis ipſi animaduerterint. Auctor enim GESTORVM TREVIRENSIVM non meminit pedi paſtoralis, ſed *baculi*, *quo Petrus ſenilia ſua membra ſuſtentarit.* Et ALBERICVS quoque *baculum*, *quo Petrus ſe ſuſtentabat*, *Euchario* datum perhibet. Aut igitur vulgaris ille baculus fuit, qui Treuiris aliquandiu ſeruatus eſt, aut, ſi paſtoralis pedi formam refert, non plus fidei meretur, quam baculus *An Petrus baculum paſtoralem geſtauerit.*

F 3

(m) Can. Nicaen. XX. (n) *Vide* D. Schmidii *Diſſ. de Baculo paſtorali* §. 18.

lus ille Ieſu, *auro tectus, & pretioſis gemmis adornatus*, quem, BERNARDO teſte (o), ſancte cuſtodiebant Hiberni, & ab ipſo Domino geſtatum formatumque falſo credebant.

§. XIII.

An baculus ille Treuiris cuſtoditus ſit.

Falſum praeterea eſt, Petri baculum aut Treuiris, aut Coloniae, ab iſto tempore coepiſſe cuſtodiri. Auctores enim habeo luculentiſſimos, Brunonem Archiep. Colonien. Ottonis I. Imp. fratrem, ſacrum hoc λείψανον & quidem non Treuiris, ſed Metis, aut, vt Sigebertus mauult, Roma Coloniam attuliſſe. Teſtatur hoc RVOTGERVS (p), qui Brunonis vitam accuratiſſime conſcripſit, in eaque & huius rei ita meminit: *Baculum & catenam S. Petri qua diligentia, quo feruore, quo gaudio Coloniam, alterum Metis, alteram Roma adduxerit Bruno, omnes nouerunt.* Ex eo profeciſſe ſe fatetur SIGEB. GEMBLACENSIS (q), cuius verba etiam adſcribimus: *Brunonis ſtudio translata ſunt a Roma Coloniam corpora SS. Eliſii, Priuati, Gregorii, cum baculo S. Petri.* Nolumus quidem ex Sigeberto vrgere, quod Bruno baculum Petri Roma acceperit. Quamuis enim hoc verba indicare videantur, plus tamen ponderis habebit Ruotgeri narratio, quam Sigebertus ipſe laudauit. Interim ex eo conſtat, famoſum illum baculum, qui in miraculi argumentum Treuiris oſtendebatur, ante haec tempora ibi non fuiſſe cuſtoditum, dubium etiam eſſe, an poſtea Treuirenſes partem a Colonienſibus acceperint (r), & ſic quod ad hanc etiam circumſtantiam attinet, hiſtoriam Eucharii nihil ſani habere.

§. XIV.

An Papa ab hanc

Falſum denique eſt, id quod tamen praecipuum rei argumentum

(o) Bernard. *Vit. S. Malach.* p. 1844. *Tom. I. Opp. edit. Baſil.*

(p) Ruotg. *in Vita S. Brunonis cap. XXV.* apud Leibnit. *in Scripr. Rer. Brunſu. Tom. I. p.* 283.

(q) Sigeb. Gemblac. *ad ann.* 953. *apud* Piſtor. *Tom. I. Rer. Germ.* p. 582.

(r) *Ita ſine fundamento tradit* Alberic. *ad ann.* 953. p. 288. *Et quamvis* Browerus *lib. X. Annal.* Treu. *p.* 248. *longam de huius baculi translatione hiſtoriam texat, eumque Treuiris aliquando Mediomatricum, deinde hinc Coloniam perueniſſe, velit, donec anno* 950. *Egbertus Treuirenſium Archiepiſcopus partem huius baculi ſuperiorem a Werino, Colonienſium Praſule, impetrarit: merito tamen dubites, an ante haec tempora vnquam Treuiris hic baculus fuerit. Ipſe enim* Browerus *ex* MSTO *adducit verba ſynodi cuiusdam* Metenſis, *ex quibus patet, Metenſes longe aliam traditionem de hoc baculo habuiſſe, nimirum, quod Petrus eum per manum B. Clementis, Metenſis eccleſiae primi Epiſcopi, in Galliam direxerit. Perſpicuum igitur eſt, Metenſes hoc antiquitatis* λείψανον *non acceptum retuliſſe Treuirenſibus, ſed S. Clementi, qui eiusdem cum Euchario aetatis fuiſſe fingitur. Quamcunque igitur traditionem accipias, meras contradictiones inuenies, quae malae cauſſae indicium ſunt luculentiſſimum.*

Digitized by Google

tum eſſe videtur BROWERO (s), Papas ob hanc hiſtoriam a baculi paſtoralis vſu abſtinere. Ex ipſis enim Pontificiis alia omnia demonſtrarunt DOMINICVS MACER & (t) IO. CIAMPINVS (u), qui Papas olim baculo non minus, quam ceteros epiſcopos, vti ſolitos eſſe, argumentis perſpicuis probarunt. Quare ſimul corruit THOMAE AQVINATIS commentum, quod Papa non niſi Treuiris baculum paſtoralem geſtare ſoleat. Vnde enim hoc nouit Thomas? ecquando Papa Treuiris fuit? ecquando ibi baculum geſtauit? Tacent hic hiſtoriae, tacent diplomata, tacent canones. Quis igitur Thomae hoc in aurem dixit? Abſurda hic omnia, incerta, friuola. Quae quum ita ſint, nemo profecto tam credulus fuerit, vt hiſtoriam hanc, ex tot fabulis conflatam, perſuaderi ſibi patiatur. *hiſtoriam a baculo abſtineat.*

§. XV.

Equidem de primo huius fabulae auctore ſaepenumero cogitanti in mentem venit GLOSSATORIS DECRETALIVM, cuius verba ſupra recenſuimus. Ille enim veluti manu nos ducit ad fontem, ex quo omnes hae ineptiae promanarunt. Scilicet quod alii referunt de Euchario & Materno, illud ipſe narrat de Martiale & Matthaeo. Vnde non dubito, quin totius legendae origo in horum actis inueniatur. Doleo, iam mihi ad manus non eſſe AVRELIANI vitam S. Martialis a THOMA BEAVXAMIS & LAVR. SVRIO (x) editam, nec non ACTA S. MATTHIAE ex Hebraeo verſa, & a BOLLANDO Actis Sanctorum (y) inſerta; ex iis enim totius fabulae ſcenam detegi poſſe crediderim. Interim coniecturam meam eiuſque rationes aperiam. Exiſtimo nimirum, ea, quae de Matthia & Martiale in eorum actis narrantur, a Treuirenſibus ad Eucharium & Maternum eſſe detorta, & ſic totam tot hiſtoricorum recentium narrationem niti auctoritate actorum futiliſſimorum, qualia de ſingulis fere apoſtolis & viris apoſtolicis olim circumferebantur. Coniecturam hanc ſubnatam mihi fateor ex lectione codicis apocryphi Noui Teſtamenti, a FABRICIO editi (z), in quo ex Actis iſtis Matthiae haec recenſet Vir doctiſſimus: *Narrat Auctor, ſe flagrantem ſtudio geſta Matthiae inueſtigandi, incidiſſe in presbyterum Theodoricum, qui profeſſus fuerit, ſe a Iudaeo quodam, familiari ſuo, ipſi* *Coniectura de fabulae origine.*

impe-

(s) Brower. *Tom. I. Annal. Trev. libr. II. p.* 143.

(t) Io. Ciampin. *l. c. & ſingulari diſſ. de baculo paſtorali Pontif.*

(x) Laur. Surii *Acta Sanctor. d.* 24. *Iun.*

(y) Bolland. *Acta Sanctor. d.* 24. *Febr.*

(z) Fabric. Cod. *Apocryph. N. T. Part. II. p.* 782. *ſeqq.*

impetraturum librum. quem Iudaei Damnatorum *inſcribant, vtpote damnationem violatorum legis complexum, Matthiae ſcilicet, Iacobi vtriuſque & Stephani. Accepiſſe itaque a Iudaeo, ſed fraudem primum machinante, Canticum Canticorum Hebraice deſcriptum; cum vero dolum ſtatim agnouiſſet, vtpote ipſe interim ab alio Iudaeo Hebraica doctus, minasque addidiſſet, Iudaeum attuliſſe librum deſideratum* Hai Matthai *ſiue* Vitam Matthiae, *& argumentum eius integrum illi, tanquam intelligenti, libenter expoſuiſſe. Deinde Archiepiſcopum, quem autor Diaconus ſuum vocat, ab alio Iudaeo eadem comperiſſe. Denique incluſae cuidam, hoc eſt moniali, triduanum agenti ieiunium, eadem eſſe reuelata a Domino.* Haec eſt libri inuenti hiſtoria a Cl. Fabricio ſuppeditata, cui deinde idem vir doctiſſimus ſubiungit quaedam ex his actis excerpta, quae huc apprime faciunt. *Legatur*, inquit Auctor, *abſque omni ſcrupulo haeſitationis, quod tam certis argumentis verum eſſe probatum eſt, quia omne dubium Spiritus ſanctus aboleuit. Quomodo autem* Matthias *de Iudaea Treuirim venerit, ſicut in hiſtoria Treuiria & in monumentis Sylueſtri Papae legi, miracula quoque eius ſubſequenter ediſſeram.* Ipſe denique libellus dedicatus eſt Abbati S. Eucharii Treuirenſis, qui ab auctore oſſibus Matthiae, in eccleſia ſua ſeruatis, praeſidere dicitur. Haec ſunt, quae laudatus Fabricius nobis ſuppeditauit, ex quibus conſtat, in actis his narrari Matthiae Apoſtoli res Treuiris geſtas, eiuſque miracula. Cum igitur & Gloſſator inter Treuirenſes Apoſtolos numerauerit Matthiam quemdam, eique reſuſcitati a mortuis Martialis laudem tribuat, non poſſum non ſuſpicari, hanc legendam ex his actis, tanquam ex fonte, promanaſſe. Quum vero Treuirenſes eam traditioni ſuae minus convenire animaduerterent, ſiquidem non Matthiam & Martialem, ſed Eucharium, Valerium & Maternum eccleſiae ſuae auctores agnoſcunt: ipſam quidem hiſtoriam retinuerunt, ſed perſonas mutarunt, in Matthiae locum Eucharium, in Martialis Maternum ſubſtituentes; haec ſunt, quae de huius fabulae origine meditatus ſum, certiora forſan futura, ſi ipſos libellos euoluere licuiſſet.

§. XVI.

Argumenta Brouueri expenduntur.

Diligentiſſimum quidem vindicem Eucharius nactus eſt CHR. BROVVERVM (a), qui, multis conquiſitis argumentis, traditionem hanc ſtabilire in luculento annalium Treuirenſium opere conatus eſt, ſed parum feliciter, vt ſolet in mala cauſſa etiam optimorum patronorum ingenium deficere. Teſtes equidem adducit omnes, quos

(a) Brower. *Annal. Treu. Tom. I. libr. II. p.* 143.

Digitized by Google

quos ſupra nominauimus, praeter hosque etiam THIODFRIDUM EPTERNACENSEM (b), & varios eccleſiarum Treuirenſis & vicinarum codices manuſcriptos: ſed palam eſt, ſcriptores hos omnes eſſe recentiores, & ex eodem fonte ſua hauſiſſe. Quae enim Treuirenſes ex actis illis ſuppoſititiis, ſuperiore paragrapho recenſitis, didicerant, ea deinde propalauit HERIGERVS, quem porro exſcripſerunt ceteri, vt fere factum eſt ab ineptis monachis, qui mera miracula, prope dixerim ſomnia, orbi obtrudere voluerunt. Addit deinde templum Reſurrectionis Materni, cuius veſtigia etiamnum apud Ellum vicum ſuperſint. Sed quid inde colligas, niſi hoc ſolum, aliquando Alſatos, Romanae eccleſiae addictos, miraculum ibi factum eſſe ſibi perſuaſiſſe? Inde vero non ſequitur, vt illud vere factum eſſe dicamus. Templum enim longe poſt Materni aetatem conditum eſſe, nemo fortaſſe negauerit. Nec plus probant eccleſiae D. Petro in Alſatia paſſim conſecratae, quas Brovverus vrget. Tales enim & aliis locis quamplurimis exſtant, vbi fruſtra tale miraculum confingeretur. Denique ex B. RHENANO (c) probat, apud Ellum pagum adhuc oſtendi conditorium, in quo Maternus quadraginta dies delituerit. Sed quis praeſtiterit, in iſthoc tumulo Maternum vnquam quieuiſſe? Experiundo ſane didicimus, loca eiusmodi quamplurima vbique fere oſtendi, vbi nihil portenti factum eſſe, palam eſt. Liceat ergo nobis baculum hunc Petri totamque hiſtoriam Eucharii tamdiu pro commento habere, donec illa certioribus argumentis ac teſtimoniis confirmetur, noſtraque argumenta ſolide refellantur.

§. XVII.

An Petrus & alii Apoſtoli gladio cincti iter fecerint?

Vidimus Petrum tonſura & baculo paſtorali ornatum: quid ſi & gladio munitum in ſcenam produxerimus? Quam id clero Romano placebit, ſi & gladium, cuius iura tanto ſanguine ipſi ſteterunt, inter inſignia Apoſtolica relatum, ipſumque Petrum gladio cinctum legerint? Notum eſt, ex LVCAE Euangeliſtae (d) hiſtoria, Apoſtolos in vltima coena de gladiorum neceſſitate admonitos, duos in promtu ſibi eſſe, reſpondiſſe. Notum etiam, (e) Petrum alterutrum horum gladiorum ſecum aſportaſſe in hortum, cupidumque Chriſti ſalutis, generoſo conatu, nec ſine victoria, Malchum inuaſiſſe. Inde igitur multa pro iure gladii, quod

(b) Thiodfrid. Eptern. *Flor. Epitaph. ſanct. libr. II. cap. II.*

(c) B. Rhen. *de reb. Germ. libr. II.*

(d) Luc. XXII. 36.

(e) Luc. XXII. 49. 50. Ioann. XVIII. 10. 11.

quod clero vindicant, conſectaria eliciunt canoniſtae, & parum abeſt, quin gladium inter ſacerdotalia apoſtolorum inſignia referant, obliti ſcilicet verborum Chriſti, quibus Petrum ferocientem cohibuit, gladiumque vaginae reddi iuſſit. Sed iſtos, non niſi allegorias captantes, iam non moramur. Id potius accuratiore examine dignum putamus, quod GROTIVS alicubi (f) de Apoſtolorum gladiis non ſine ſpecie veritatis inculcat. Demonſtraturus enim, non omne bellum priuatum, poſt iudicia conſtituta, illicitum eſſe iure naturali, apoſtolorum etiam exemplo vtitur, aitque, *videri aliquos eorum ad vltimum vſque tempus, Chriſto vidente & ſciente, iter feciſſe, armatos gladio.* En Petrum gladio accinctum. Sed quamuis Grotius alia, quam pontificii ſolent, mente Apoſtolorum gladios defendat: argumenta tamen, quibus utitur, rem non conficere, certiſſimum eſt. Prouocat ad Lucae teſtimonium, ex quo conſtat, gladios apoſtolis in promtu fuiſſe; ſed ex ipſis Lucae verbis adparet, vſum eorum apoſtolis non fuiſſe tam familiarem, vt Grotius exiſtimat. Non enim dixiſſet Chriſtus, vel veſte redimendos eſſe gladios, ſi eos iam tum ab apoſtolis geſtari ſciuiſſet. Manifeſtum potius eſt, ipſo fatente Grotio, Chriſtum prouerbiali loquutione apoſtolis tempora tam dira & omni malorum genere foecunda praedixiſſe, vt gladii parandi cauſſa ipſas veſtes abiecturi ſint. Addit quidem ex IOSEPHO (g), Galilaeam adeo fuiſſe a latronibus obſeſſam, vt peregrinantibus etiam Eſſenis, hominibus innocentiſſimis, armis ad tuendam vitam opus fuerit, atque inde colligit, Apoſtolos idem feciſſe. Sed male eum colligere, Chriſti ipſius verba oſtendunt. Apoſtolos enim, ait, ante hoc fatale tempus miſſos a ſe eſſe ſine marſupio ceteroque peregrinantium adparatu; iam vero ea tempora incidiſſe, vt & gladio opus futurum ſit, ſi ratio in conſilium adhibeatur. Manifeſta haec profecto oppoſitio eſt, ex qua conſtat, ante haec tempora gladio non fuiſſe vſos apoſtolos, ſed magiſtri ſui praeſentia ſecuros, euangelii tuta praemia exſpectaſſe.

(f) Grot. *de iure belli & pacis lib. I. cap. III. §. III. n. 4. p. 53.*

(g) Ioſeph. *lib. II. de Bello Iudaico cap. VII. p. 785.*

Cap. V.

DE HABITV ET INSIGNIBVS SACERDOTALIBVS IACOBI MINORIS, IOANNIS ET PHILIPPI.

I. Indumenta Iacobi ſacra. II. Auctorum de illis teſtimonia. III. Recentiorum quorundam conſenſus. IV. Origo hujus ſententiae. V. Epiphanius haec omnia ex ſuo ingenio retulit. VI. Falſum eſt, ſacerdotem fuiſſe Iacobum. VII. Digreſſio de Iacobo, an idem & Apoſtolus & Epiſcopus Hieroſ. fuerit? & ex qua familia ſit? VIII. Probatur inde, fabulam ſapere Iacobi ſacerdotium. IX. An Iacobus in ſanctum ſanctorum ingreſſus ſit? X. An fuerit iuuenis relicta ſindone aufugiens? XI. Hegeſippi & Euſebii teſtimonium illo Epiphanii magis ſobrium, non tamen magis verum eſt. XII. Iacobi pallium. XIII. Ioannis Apoſt. bractea in fronte geſtata. XIV. Oſtenditur falſum hoc eſſe. XV. Polycratis locus explicatur. XVI. Epiſcopalium mitrarum antiquitas. XVII. Numus Theodoſii explicatur.

§. I.

AD ceteros Apoſtolos nunc deueniendum eſt, quos quidem non minus, quam Petrum, ſacerdotali habitu induunt, ſed alio ſubinde atque alio, vt tot fere veſtium ſacrarum genera comminiſcantur, quot apoſtolos & viros apoſtolicos numeramus. Vt a IACOBO, fratre domini, ordiamur, quem Hieroſolymitanae eccleſiae Epiſcopatum primum omnium ſuſcepiſſe ferunt; dici non poteſt, quam varie eum exornent cum veteres nonnulli, tum recentiores haut pauci. Iam enim lineas veſtes, iam auream bracteam, iam pallium ipſi tribuunt, eaque omnia ſacerdotalia inſignia fuiſſe, contendunt. Haec igitur traditio quum non heri demum aut nudius tertius nata, ſed iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus ad nos propagata ſit, paullo accuratius hic expendenda videtur, vt quonam illa fundamento nitatur, quoue iure pontificii hic triumphent, manifeſtum ſit. *Indumenta Iacobi ſacra.*

§. II.

Seruabimus vero hunc ordinem, vt primo antiquiorum deinde & recentiorum teſtimonia adferamus, eorumque poſtea fontem oſtendamus ac originem, & denique, falſa ea omnia eſſe ac friuola, argumentis ſolidiſſimis probemus. Primus igitur omnium, quorum ſcripta ad nos peruenerunt, ſingularem aliquem Iacobi *Auctorum de illis teſtimonia.*

habitum commemorat EVSEBIVS (h), qui laudata ejus ſanctitate, & vita ad Naſiraeorum diſciplinam inſtituta: Τϐτῳ μόνῳ, inquit, ἐξῆν εἰς τὰ ἅγια εἰσιέναι. ὐδὲ γὰρ ἐρεῶν ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνας. *Vnus ex omnibus in intimum templi ſanctuarium ingrediendi ius facultatemque habebat. Neque enim lanicio ſed linea tantum veſte vtebatur.* Hactenus Euſebius, cuius verba ipſa ſuo more HIERONYMUS (i) ſequitur, niſi quod τὰ ἅγια interpretatur *ſanctum ſanctorum*, quod & RUFFINUS, Euſebii interpres, nec non SIMEON METAPHRASTES (k), NICEPHORUS (l), & perſonatus ille ABDIAS BABYLONICVS (m) fecerunt. At multo pluribus laciniis hanc fabulam exornauit ac veluti perpoliuit EPIPHANIUS (n), cuius verba hic omnino legenda ſunt. Ita enim ille de Iacobo: ἔτι δὲ καὶ ἱερατεύσαντα αὐτὸν κατὰ τὴν παλαιὰν ἱερωσύνην εὕρομεν. διὸ καὶ ἠφίετο αὐτῷ ἅπαξ τϐ ἐνιαυτϐ εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων εἰσιέναι, ὡς τοῖς ἀρχιερεῦσιν ἐκέλευσεν ὁ νόμος, κατὰ τὸ γεγραμμένον. ὕτω γὰρ ἱστόρησαν πολλοὶ πρὸ ἡμῶν περὶ αὐτϐ, Εὐσέβιος τε καὶ Κλήμης, καὶ ἄλλοι. ἀλλὰ καὶ τὸ πέταλον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξῆν αὐτῷ φέρειν, καθὼς οἱ προειρημένοι ἀξιόπιστοι ἄνδρες ἐν τοῖς ὑπ' αὐτῶν ὑπομνηματισμοῖς ἐμαρτύρησαν. *Immo & ſacerdos veteris illius ritus ſacerdotii fuiſſe perhibetur. Quamobrem ſemel ei quotannis in ſancta ſanctorum conceſſum eſt ingredi, quemadmodum ſummis ſacerdotibus lege eſſe praeſcriptum, ex ſacris litteris didicimus. Quod quidem de Iacobo plerique ante nos memoriae prodiderunt, vt Euſebius, Clemens & alii. Sed & bracteam eidem in capite geſtare licuiſſe, quos proxime nominaui, idonei ſcriptores commentariis ſuis teſtatum reliquerunt.* Idem EPIPHANIVS (o) alio loco nouas purpurae huic lacinias attexit, ſiquidem ſcribere non dubitat, Iacobum neque caput vnquam attondiſſe, neque in balneis lauiſſe, neque animatum quidquam in cibum adhibuiſſe, neque tunicam alteram induiſſe, ſed lineo palliolo duntaxat eſſe vſum. Idque probat ineptiſſime ex Marc. XIV, 51. vbi iuuenis relicta ſindone aufugiſſe dicitur. Addit deinde, Ioannem & Iacobum, filios Zebedaei, vna cum hoc Iacobo, fratre Domini, idem illud vitae inſtitutum eſſe amplexos, huicque ſoli id honoris eſſe attributum, vt ſemel quotannis in ſancta ſanctorum ingrederetur, quod & Naſiraeus eſſet, & cum ſacerdotali

(h) Euſeb. *Hiſt. Eccl. lib. II. cap. XXIII.*

(i) Hieron. *de ſcript. Eccleſ. libr. II. cap. II.*

(k) Simeon. Metaphr. *p.* 524.

(l) Niceph. H. E. *libr. II. cap. XXXVIII.*

(m) Abd. Babyl. *lib. VI. cap. V. in Fabricii Codice Apocrypho N. T. p.* 598. *ſeq.*

(n) Epiphan. *adu. Her. XXIX. cap. IV. p.* 119.

(o) Epiph. *Hereſi* LXXVIII. *cap. XIII. p.* 1045.

tali ſtirpe coniunctus. Denique iterum monet, Iacobum bracteam in capite geſtaſſe, laneaque veſtimenta nunquam induiſſe, nec ſandaliis eſſe vſum, & quae ſunt alia huius generis, quae ipſi ad Naſiraeae vitae diſciplinam facere videntur. En igitur Iacobum ab Euſebio linea veſte, ab Epiphanio praeterea palliolo lineo ac ſacerdotali mitra ſeu bractea ornatum. Plures hic teſtes producere, quum vel Euſebium vel Epiphanium exſcribant, nihil attinet. Id tamen minus videtur praetereundum, MICHAELEM SYNCELLVM (p) & NICETAM PAPHLAGONEM (q) inter D. Iacobi indumenta ſacerdotalia etiam omophorium referre, quale hodie epiſcopi Graecorum inter miſſarum ſollemnia humeris circumuoluunt (r), vt epiſcopum conſpiciamus, omni adparatu ſacro egregie inſtructum.

§. III.

Haec igitur legentes Pontificii quidam ſcriptores dici non poteſt, quam ſibi placeant, quantum ſibi gratulentur, quantum triumphent. BARONIVS (s), qui talia lubentiſſime venatur, hic omnes oratoriae ſuae locos expromit, vt mitrae epiſcopali antiquitatem adſerat. *Ad Epiſcopalis*, inquit, *dignitatis ornamentum Iacobum geſtare conſueuiſſe laminam, ſeu bracteam auream, Epiphanius, Hieronymus, & ceteri paene omnes eccleſiaſtici ſcriptores teſtantur.* Et paucis interiectis: *In ſignum regalis ſacerdotii, eiuſmodi capitis ornamentum geſtare conſueuiſſe Chriſtianae legis pontifices, ſatis ex his, quae Epiphanius ſcribit, declaratum videtur.* Quin *non Iacobum tantum eiuſmodi regiae dignitatis inſignibus vti conſueuiſſe, ſed & ceteros Apoſtolos, par eſſe credere, contendit, etſi haec de ſingulis non ſcribantur.* Denique vt animi ſententiam prodat, cur Iacobo ceteriſque Apoſtolis eiuſmodi laminam vindicarit, non veretur ſcribere, *ex inſtitutione, immo & vſu Apoſtolorum, certiſſime manaſſe, vt Epiſcopi Chriſtianae eccleſiae, quod regali fungerentur ſacerdotio, tanquam Reges & ſacerdotes mitra in ſacris vterentur pretioſa.* Nec minus ſe effert BARONIVS (t), vbi de lineis Iacobi indumentis eiusque libero ad ſanctuarium acceſſu agit, quae adeo ipſi omni dubio carere videntur, vt parum abſit, quin Iacobum nobis ſummum Iudaeorum ſacerdotem fingat. Paullo prudentius quidem famae ſuae conſuluerunt DIONYSIVS PETAVIVS (u), H. VALESIVS (x), TILLEMONTIVS

Recentiorum quorundam conſenſus.

(p) Mich. Syncell. *Encom. S. Dionyſii Areop.*

(q) Nicet. Paphlago *Vit. Ignatii Patriarchae.*

(r) *Vide* Fratris *Abbildung der Griechiſchen Kirche Part. III. cap. I.* §. 24.

(s) Baron. *Annal. ad ann. 34. num. CCXCIII. ſeq.*

(t) Baron. *ad an. 63. n. VIII.*

(u) Petau. *adnot. ad Epiphan. p. 332. Tom. II. Opp.*

(x) H. Valeſ. *Adnot. ad Euſeb. p. 93.*

TIVS (y), POMP. SARNELLIVS (z) & RVINARTVS (a) qui multa in Epiphanii narratione apertiſſimi erroris coarguunt, ſed & ipſi tamen omnia potius agenda ſibi exiſtimant, quam vt totam rem in dubium vocari patiantur. Enimuero nemo pro hac fabula maiori animo ac diligentia pugnauit, quam PETR. HALLOIX (b), qui omnem mouit lapidem, vt & Epiphanio ſua conſtaret auctoritas, & SCALIGERI (c), qui nugas iſtas iamdudum exploſit, argumentis non dicam ſatisfieret, ſed aliquid tamen reponi videretur. Alios minoris dignationis ſcriptores hic nihil moror, quum ſollemne ſit Romanenſibus, Baronii & paucorum aliorum armis pugnare. Nec CHRISTIANI LVPI (d) meminiſſe opus eſſet, niſi hic nouo & inuſitato ceteris conatu ex Nicetae & Michaelis Syncelli narratiuncula ſupra memorata colligeret, Graecos Epiſcopos pallium olim a Pontifice Romano impetraſſe. Id vero magis notatu dignum videtur, & ex eorum ordine, qui Romano Pontifici nuncium miſerunt, haut omnino nullos Euſebii atque Epiphanii auctoritate permoueri, vt Iacobo ſacerdotalem, quem ſupra deſcripſimus, habitum concedant. Vt enim praetermittamus PEARSONIVM & DODVVELLVM, quorum ſuffragiis etiam TILLEMONTIVS gloriatur; non immerito huc referimus GVIL. CAVE (e), virum doctiſſimum, qui Epiphanii fabulam non ſequitur tantum, ſed & rationibus quibuſdam eam in tuto collocare nititur. Sed concedendum id Anglis, vt eccleſiae ſuae diſciplinae praeſidium in antiquitate quaerant, dummodo & nobis concedatur, vt iiſdem, in quo nonnunquam labi ac decipi videantur, candide oſtendamus.

§. IV.

Origo huius ſententiae.

Si quaeras, ex quo fonte omnes, quorum iam teſtimonia attulimus, rem tam antiquam hauſerint: diſtincte reſpondendum videtur. Si enim de pallio Iacobi, a Niceta Paphlagone excogitato, quaeſtio eſt, nullam hic aliam originem fabulae videmus, quam putidum iſtius homuncionis cerebrum. Sin vero de reliquis Iacobi indumentis quaeritur: primus huius hiſtoriae auctor nobis occurrit HEGESIPPVS, quem & EVSEBIVS, & EPIPHANIVS, & HIERONYMVS,

(y) Tillemont *Mémoires pour ſervir à l'hiſtoire eccléſiaſtique Tom. I. Part.* II. p. 721.

(z) Pomp. Sarnell. *Lettere eccleſiaſtiche Epiſt.* 3.

(a) Ruinart. *Not. ad Acta Martyrum ſincera p.* 5.

(b) P. Halloix *Vit. Hegeſippi cap.* III.

(c) Scaliger. *Animadu. ad Euſeb. Chron. MMLXXVII.*

(d) Chriſt. Lup. *Schol. ad Concil. general. & prouincialia p.* 13.

(e) Gu. Caue *Antiquitat. Apoſt. Vit. Iacobi Min.* §. 6. *p.* 589. *ſeq.*

Digitized by Google

NVS, & ceteri denique omnes, ſequi ſe profitentur. Hegeſippum vero dum audis, nolim intelligas illum Excidii Hieroſolymitani ſcriptorem; de quo variae ſunt eruditorum ſententiae, ſed antiquum illum Apoſtolorumque temporibus vicinum, cuius ὑπομνήματα ἀποστολικῶν πράξεων praeter pauca, quae ad nos delata ſunt, fragmenta (f) dudum euanuerunt. Sed qualia pleraque huius hominis commenta fuerint, vel ex eo patet, quod Romam inſtituto itinere, quum in variis, quas tranſiit, prouinciis cum viris piis ſermones habuiſſet, & ex iis eccleſiarum origines fideique incrementa curioſe perueſtigaſſet, horum narrationes deinde, veluti in faſciculum collectas, ſub ſpecioſa hedera ἀποστολικῶν πράξεων expoſuerit (g). Vnde non mirum, pauca, quae ſuperſunt, ὑπομνήματα meras fabulas redolere. Talem vero etiam hanc de Iacobo narratiunculam eſſe, paucis nunc demonſtrandum eſt, licet hic in multis capitibus otia nobis fecerit IOS. SCALIGER (h), cuius argumentis, ipſo fatente DVPINO (i), nec Halloixius, nec Petauius, ſatisfecit.

§. V.

Epiphanius haec omnia ex ſuo ingenio retulit.

Vt vero ordine iuſto omnia exſequamur, quatuor hic notanda ſunt. *Primo*, quod Epiphanius licet Hegeſippum laudet, pleraque tamen ex ſuo ingenio ſcripſerit. *Deinde* quod omnia, quae hic attulit, falſa ſint & pene ridicula. *Tertio* quod nec ipſe Hegeſippus meliora tradiderit. Ac *denique* quod Nicetae narratiuncula de pallio Iacobi omni fundamento deſtituatur. Quae ſi ſolide adſtructa ac probata fuerint, nemo, vt opinor, Iacobum, ſacro habitu indutum, diutius ſibi pingi ob oculos patietur. Ac *primo* quidem, EPIPHANIVM hic fide non ſatis bona egiſſe, ipſa eius verba teſtantur. Promittit enim, ea ſe traditurum de Iacobo, quae Hegeſippus, Euſebius, Clemens pluresque alii tradiderint. Qualia ſunt iſta? Scilicet Iacobum ſacerdotem ex veteri ritu fuiſſe, eumdem ſemel quotannis in ſancta ſanctorum ingreſſum, bracteam quoque in capite geſtaſſe, lineo palliolo ſe induiſſe, & nec ſandaliis, nec laneis veſtimentis, vnquam eſſe vſum. Vbi vero hoc tradidit HEGESIPPVS? vbi EVSEBIVS? vbi CLEMENS? Ipſa verba Hegeſippi recitat Euſebius, ex quibus non plura diſcere potuit Epiphanius, quam Iacobum fuiſſe virum ſanctiſſimum, indeque nomen iuſti &

Obliam

(f) *Apud* Euſeb. *lib. II. cap. XXIII. lib. III. cap. XX. & XXXII. lib. IV. cap. VIII. & XXII.* Phot. *Biblioth. Cod.* CCXXXII.

(g) Euſeb. *lib. IV. H. E. cap. XXII.* Hieron. *de ſcript. eccl. cap. XXII.*

(h) Scaliger. *l. c.*

(i) Dupin. *Bibl. nou. Tom. I. p. 86.*

Obliam indeptum, diſciplinae etiam Naſiraeae deditum, eumdemque tam ſaepe orationibus vacaſſe, vt & genua callum inde duxerint. De indumentis Iacobi nihil tradidit praeter id, quod ſupra exſcripſimus, nec ait, eum ingreſſum eſſe ſanctum ſanctorum, ſed εἰς τὰ ἅγια, quae Epiphanius familiari ſibi ingenii procacitate in ſanctum ſanctorum commutauit. Nihil porro de bractea frontali, quam ex alio Euſebii loco (k), ſatis craſſo memoriae lapſu, confinxit, quum ibi non de Iacobo, ſed de Ioanne Apoſtolo, ſermo ſit. Quae ſane argumento ſunt, nec Hegeſippum, nec Euſebium, ab Epiphanio, quando haec ſcripſit, euolutos, atque adeo vtrumque falſo ab eo laudatum eſſe. Si reliqua forte ex CLEMENTE eum hauſiſſe dixeris, nec id quidem veriſimile eſt. Siue enim Clementem Romanum ſiue Alexandrinum euoluas, ſiue genuina, ſiue ſuppoſititia eorum opera conſulas, fruſtra vbique haec Epiphanii commenta quaeres. Unicum refugium ſupereſt ad opera Clementis Alexandrini deperdita. Sed tantum abeſt, vt in iis fabulas tam lepidas de ſacerdotio Iacobi Iudaico exſtitiſſe ſuſpicari poſſimus, vt eae ſaeculi ſecundi doctrinae & praxi quam maxime repugnent. Sed fingamus, haec in deperdito aliquo Clementis libello ita lecta fuiſſe; non aliunde tamen Clemens haec haurire potuit, quam ex Hegeſippo (l). Si igitur ille male Hegeſippum exſcripſit, cur quaeſo Epiphanius potius Clementem ſequutus eſt, quam ipſum Hegeſippum, quem tamen laudat? Nihil certius igitur eſt, quam Epiphanium hic ſe praeſtitiſſe ſui ſimilem, hoc eſt, in narratiunculis, nullo habito examine admittendis, nimis credulum, in temporibus perſoniſque diſtinguendis parum accuratum, & in concertationibus aduerſus haereticos ſuſceptis neruis plerumque & iudicio omni deſtitutum.

§. VI.

Falſum eſt ſacerdotem fuiſſe Iacobum.

Vndecunque vero manarit haec Epiphanii fabula, exploratiſſimum certe eſt, illi οὐδὲν ὑγιὲς ineſſe. Initio enim falſiſſimum eſt, quod Iacobus veteri ritu ſacerdos fuiſſe fingitur. Notum enim eſt, ſacerdotium veteri ritu gentile fuiſſe Leuitis, eoque neminem, niſi ex hac tribu oriundum, potuiſſe defungi. Iacobum vero minorem genere Leuitam fuiſſe, tam falſum eſt, vt nihil fingi poſſit abſurdius.

§. VII.

Digreſſio de Iacobo,

Operae pretium fuerit, Iacobi natales hic paullo diligentius rimari.

(k) Euſeb. *lib. V. H. E. c. XXIV.* *Part. I. ſec. IV. p. 131.*
(l) *Vide* Gu. Caue *hiſt. Litterar.*

mari. Meminerunt Euangeliſtae (m) inter τοὺς δώδεκα etiam Iacobi, τοῦ Ἀλφαίου, id eſt Alphaei filii. Meminit etiam Paulus (n) Iacobi, a ſe Hieroſolymis compellati, quem ipſe fratrem Domini vocat: ſicuti & Matthaeus (o), ubi Iudaeorum de genere Chriſti ſententiam recenſet, inter fratres Domini Iacobum quendam refert. Quum igitur ſcriptores antiquiſſimi Iacobum modo tamquam Apoſtolum Ieſu Chriſti, modo tanquam Epiſcopum Hieroſolymitanum deſcribant: quaeſtio non leuis orta eſt inter eruditos, vtrum Iacobus frater Domini ab illo Iacobo Alphaei diſtinguendus ſit, an eadem perſona diuerſis nominibus ſignetur? Diuerſa ſane nomina, diuerſa munera narrantur. Si Iacobus fuit frater Domini, cur vocatus filius Alphaei? Si filius Alphaei, quomodo frater Domini? Si porro Apoſtolus fuit, profecto non potuit eſſe Epiſcopus. Sin Epiſcopus, certe non Apoſtolus, quum inter ſe pugnare videantur Apoſtolus, ex officio praeco orbis, & Epiſcopus, certo alicui loco adfixus. His rationibus adducti ſunt viri in hoc ſtudiorum genere praeſtantiſſimi, ut tres Iacobos ſtatuerent, vnum Zebedaei, alterum Alphaei, tertium Ioſephi filium & fratrem Domini, quorum hunc Hieroſolymitanorum Epiſcopum, illos Apoſtolos ex duodecim virorum ordine fuiſſe tradunt. Fauent huic ſententiae ex antiquis PSEUDO-CLEMENS (p), GREG. NYSSENVS (q), EPIPHANIVS (qq), CHRYSOSTOMVS (r), e recentioribus BLONDELLVS (s), M. ANTON. DE DOMINIS (t), VALESIVS (u), HAMMONDVS (x), &, qui hanc controuerſiam maximo adparatu tractarunt, COMBEFISIVS (y) & HENSCHENIVS (z), quorum tamen argumenta potiſſima Patrum proxime laudatorum teſtimoniis, nec non conſenſu Graecorum, Syrorum & Aethiopum nituntur. Sed ſi rem aequa lance ponderes, iſta quidem ſententia parum ſolida videbitur. Nam primo quem Paullus Gal. I, 19. fratrem Domini, eumdem etiam diſerte vocat apoſtolum, & Cap. II, 9. cum Petro & Ioanne tanquam columnis eccleſiae coniungit. Vnde conſtat, cum nullo alio tunc Paullum eſſe colloquutum, quam cum Iacobo, Alphaei filio,

an idem & Apoſtolus & Epiſcopus Hieroſ. fuerit? & ex qua familia ſit?

(m) Math. X. 3. Marc. III. 18. Luc. VI. 15.

(n) Gal. I. 19.

(o) Matth. XIII. 55. 56.

(p) Clem. *Recognit. l. 1. cap. LIX. p.* 501. Idem *lib.* II. *Conſtitut. Apoſt. cap.* 55. ap. Cleric. *Tom.* I. *bibl. PP. Apoſtol.*

(q) Greg. Nyſſen. *Orat. 2. de paſch.*

(qq) Epiph. *haereſ. 79. c. 3. p.* 1060.

(r) Chryſoſt. *hom.* XXXIII. *in Math. X.*

(s) Blondellus *in Pſeudo Iſidoro p.* 30.

(t) M. Ant. de Dominis *lib.* II. *de Rep. Eccl. cap.* II. *theſ. XXI. ſequ.*

(u) Valeſ. *Adnot. ad Euſeb. p.* 18.

(x) Hammond. *diſſ. de iuribus Epiſc.*

(y) Combefiſ. *Not. ad Hippolyt. de duodecim Apoſt. Tom.* II. *Auctarii noui biblioth. Patr. p.* 840. *ſequ.*

(z) Henſchen. *Act. Sanct. d.* 1. *Maii.*

quem hinc, eumdem eſſe cum Fratre Domini, clariſſime patet. Deinde Patrum teſtimonia, quae adferunt viri, paullo ante laudati, nihil omnino conficiunt, quum ea ex Pſeudo-Clementis lacunis deriuata eſſe, in propatulo ſit. Quanto meliore autem iure Pſeudo-Clementi opponimus CLEMENTEM verum (a) Alexandrinum puta, qui Iacobos nonniſi duos agnouit, illumque Hieroſolymitanorum Epiſcopum eumdem eſſe dicit cum Apoſtolo & fratre Domini, quem Paullus Hieroſolymis ſalutauit? Quanto rectius ceteris patrum teſtimoniis EVSEBII (b), HIPPOLYTI (c), & HIERONYMI (d) auctoritatem opponimus, qui omnes non niſi duos Iacobos, vtrumque apoſtolum, alterum vero etiam Hieroſolymitanae eccleſiae Epiſcopum ſtatuunt? Nec impedit tertio epiſcopalis dignitas, quo minus horum ſententiae accedamus. Quamuis enim ἀσύστατα videantur apoſtolicum & epiſcopale munera, quum Apoſtolis eccleſia vniuerſa, Epiſcopis certa quaedam dioeceſis demandata; illis per vniuerſum terrarum orbem volitandum, his cum grege perpetuo manendum fuerit: difficultas tamen iſta ſtatim euaneſcet, ſi obſeruemus, eodem ſenſu Iacobum a patribus vocari epiſcopum Hieroſolymitanum, quo Petrus modo Romanus, modo Antiochenus, dicebatur, non profecto in ſenſu proprio, quod Pontificiis videtur, ſed aequiuoco (e), quoniam diutiſſime Hieroſolymis apoſtolico munere functus eſt, quemadmodum & reliqui Apoſtoli virique apoſtolici hanc vel illam regionem diutius doctrina ſua illuſtrarunt, & ſic veluti ἐπισκοπίαν illius ſuſcepiſſe viſi ſunt. Quae quum ita ſint, eorum ſententiam, qui Iacobum Fratrem Domini & Iacobum Alphaei filium vnum eumdemque eſſe ſtatuunt (ee), certiſſimam eſſe putauerim. Vt igitur ad genus Iacobi noſtri redeamus, audiuimus, illum fratrem domini fuiſſe, non quidem germanum, id enim non fert ſtupenda Chriſti natiuitas, nec vterinum, quum Mariam perpetuo virginem manſiſſe pie credatur, nec conſanguineum, quum Chriſtus ſine virili ſemine a Spiritu S. conceptus ſit, ſed tamen vel quaſi conſan-

(a) Clem. Alex. *lib.* VII. *Hypotyp. apud Euſeb. libr.* II, *H. E. cap.* I.

(b) Euſeb. *l. c.*

(c) Hippolyt. *de duodecim Apoſt. apud* Combefiſ.

(d) Hieron. *ad Heluid. Tom.* II. *p.* 10.

(e) *Vid.* Ittig. *Hiſt. Eccl. ſec.* I. *cap.* VII. *ſect. V. n.* XVIII. *p.* 400.

(ee) Baron. *ad ann.* 44. Petau. *lib. de hierarch. cap.* VII. *ſeq.* Baron. *ad acta Apoſt. p.* 57. *ſq.* Guil. Caue *Antiquit. Apoſt. p.* 579. *ſeq.* Baſnag. *Exercit. ad Baron. p.* 506. Ittig. *Hiſt. Eccleſ. Sec.* I. *l. c. p.* 450. *ſequ.* Dall. *de pſeudopigr. Apoſt. lib.* I. *cap.* XVII. Coteler. *ad Conſtit. Apoſt. libr.* II. *cap.* 55. Fabric. *Cod. Apocr. N. T. p.* 598.

ſanguineum, quia ipſe Saluator vulgo Ioſephi filius credebatur (f), vel alias Mariae neceſſitudine coniunctum. Vt paucis me expediam, conſtans eſt veterum traditio (g), Ioſephum Chriſti nutritorem ex prima coniuge parentem factum Iacobi, Ioſis, Simonis & Iudae, quos Euangeliſtae fratres Domini vocant, nec non quarumdam filiarum, quae ibidem, ſuppreſſis tamen nominibus, commemorantur. Et profecto nihil videri poterat hac ſententia ſimplicius, nihil probabilius. Ipſi enim Nazarethani, qui procul dubio totam Chriſti familiam in numerato habebant, apud MATTHAEUM (h) hanc ejus cognationem recenſent, *Nonne hic fabri filius? Annon mater ejus Maria? & fratres ejus Iacobus, Ioſes & Simon & Iudas? vt & ejus ſorores nonne omnes nobiſcum ſunt?* En hic patrem Chriſti putatitium, en matrem, en fratres, en ſorores. Et certe non videri debebat veriſimile, a Nazarethanis cognatos Chriſti hic fratres vocari. Quo ſenſu enim Ioſephum Chriſti parentem, eodem Iacobum, Ioſen, Simonem & Iudam eius fratres adpellare, & ſic haud obſcure inſinuare videntur, Chriſtum non minus Ioſephi fabri filium, quam horum vnumquemque eſſe. Sed huic ſententiae, vtut antiquae & ſatis veriſimili, multa iure quodam noſtro opponimus, quae non ferunt, vt eidem aſſentiamur. Sane enim Euangeliſtae nunquam Iacobum & reliquos Chriſti fratres Ioſephi, ſed ſemper Alphaei filios, nominant. Et quamuis Ioſephum binominem fingere velis, vereor tamen, vt ratio reddi poſſit, cur Alphaei inprimis nomen Ioſepho tribuatur, quoties eius filii recenſentur, quum tamen ille alioquin ſemper Ioſephus adpelletur. Conſequens igitur eſt, ut inquiramus, quis Alphaeus iſte fuerit, quo inuento clariſſime patebit, eum a Ioſepho, Chriſti nutritio, diuerſiſſimum fuiſſe. Alphaeum Syrus interpres vocat חלפי quod nomen Iudaeis familiare fuiſſe, & in Talmudiſtis haud raro occurrere, obſeruat LIGHTFOOTUS (i). Iſtud igitur pro diuerſa pronunciandi ratione & Alphaeus legi poteſt, & Cleophas, & ſic vtrumque vnum idemque eſt. Ex quo ſequitur, Iacobi parentem non Alphaeum tantum, ſed & Cleopham dictum. Hunc non fuiſſe Ioſephum, certiſſime demonſtrari poteſt ex Io. XIX. 25. vbi ſub cruce Chriſti ſtetiſſe dicuntur *Maria, mater domini, eiuſque ſoror Maria, vxor* *Cleo-*

(f) Luc. III. 23.

(g) Euſeb. *lib.* II. *H. E. cap.* I. *p.* 33. *Epiph. haereſ.* 28. Greg. Nyſſ. *Orat.* II. *de Reſurrect. Chriſti Tom.* II. *p.* 844.

(h) Matth. XIII, 55. 56.

(i) Lightfoot *Hor. Hebr. Matth.* X. p. 313. *nec non ad Luc.* XXIV. p. 566. *Chronic. temporum & ord. textuum N.T.* p. 59. *Comment. ad Acta Apoſt.* p. 766. *Tom. I. Operum.*

Cleophae, *& Maria Magdalena.* Quis ex hoc non deprehendit, Cleopham hunc maritum fuiſſe Mariae, ſororis Deiparae? An vero Ioſephus vnquam ſponſae ſuae ſororem vxorem duxerit? Sed certum, inquis, forſan eſt, Cleopham maritum fuiſſe Mariae, ſororis Deiparae: ipſum vero hunc Cleopham eſſe Alphaeum, Apoſtolorum patrem, id ſane nondum eſt demonſtratum. Sed vide, quam & hoc clariſſimum ſit. Haec ipſa enim Maria, quam vxorem Cleophae fuiſſe, & cruci Chriſti adſtitiſſe Ioannes docuit; aliorum Euangeliſtarum teſtimonio (k) mater fuit Iacobi & Ioſis, qui tamen alias filii Alphaei dicuntur. Quae Euangeliſtarum teſtimonia tam clara ſunt, vt, qui Ioſephum parentem Iacobi fingunt (l), Mariam deiparam hic intelligere contra omnes iuſtae interpretationis regulas cogantur, quum tamen in loco parallelo Ioannis Maria deipara ab altera Maria, eius ſorore & vxore Cleophae, clariſſime diſtinguatur. Vt igitur ſummam tandem faciamus cogitationum noſtrarum, liquido probatum eſſe exiſtimamus, Alphaeum eumdem haberi debere cum Cleopha, cuius Luc. XXIV. 18. mentio iniicitur, eumque in matrimonio habuiſſe Mariam, ſororem Deiparae, atque adeo Iacobum fratrem Domini dictum eo ſenſu, quo & conſobrini, & alii agnati, Hebraeis אחים dicebantur. Quam ſententiam etiam ex antiquis HIERONYMVS (m) & prae ceteris THEODORITVS (n), luculentiſſimo teſtimonio comprobant.

§. VIII.

Probatur inde, fabulam ſapere Iacobi ſacerdotium.

Iam ut ad EPIPHANIUM noſtrum, tanquam e diuerticulo, redeamus, falſum vtique eſſe adparet, quicquid ille de ſacerdotio Iacobi retulit. Ex quacunque enim tribu fuerit Alphaeus, ſiue Cleophas, ſatis profecto certum eſt, eum nec gente Leuitam, nec dignitate ſacerdotem fuiſſe, quum non modo Luc. XXIV. 18.20.21. manifeſto ſe a ſacerdotibus diſtinguat, ſed &, teſte Matthaeo (o), Nazarethae in Galilaea habitarit, vbi non fuiſſe ſacerdotes, diſerte docent Talmudiſtae (p). Nec opus eſt, contra Epiphanium verboſius hoc demonſtrare, quum ex ipſius hypotheſi (q) Iacobus fuerit filius Ioſephi, ex Dauidis regia ſtirpe oriundi. Ex ea vero nemi-

(k) Matth. XVII. 56. Marc. XV. 40.

(l) Greg. Nyſſen. *de reſurrect. Chriſti Orat. II. p.* 844. *Tom.* II. Voſſ. *diſſert. de Genealogia Ieſu Chriſti cap.* VI. *p.* 64. *Tom.* VI. *Opp.* Gu. Caue *Antiqu. Apoſt. p.* 582.

(m) Hieron. *Comment. ad Matth.* XII.

(n) Theodorit. *Comment. ad Galat.* I.

(o) Matth. XIII. 55. 56.

(p) Lightfoot *Centur. Chorograph. Matthaeo praemiſſ. cap.* LXXXVI. *p.* 232. *Tom.* II. *Opp.*

(q) Epiph. *haereſi* XXIX. *p.* 119.

Digitized by Google

neminem vnquam altari miniſtraſſe, ipſe Apoſtolus (r) obſeruat. Praeuidens hoc telum EPIPHANIVS (s), multa diſſerit de quadam inter tribus Iuda & Leui cognatione, easque ſolas inuicem nuptiarum commercio iungi ſolitas, ex neceſſitudine Mariae Virginis & Eliſabethae demonſtrare nititur, adiiciens etiam exemplum Naaſſonis, quem, quum e tribu Iuda fuerit, Eliſabetham, Aaronis filiam, duxiſſe, falſo perhibet, quum Exod. VI. 23. Eliſaba non Aaronis ſed Aminadabi filia fuiſſe, eaque non Nahaſſoni ſed Aaroni nupſiſſe dicatur. Sed fingamus, vera eſſe, quae hic tradit Epiphanius; fingamus, inter ſolas tribus Iuda & Leui nuptiarum commercium fuiſſe, quin & addamus, Iacobum materno ſanguine e ſacerdotum familia deſcendiſſe: quis quaeſo in Iudaeorum rebus adeo hoſpes eſt, vt materni generis in ſacerdotii iure nullam plane rationem eſſe habitam, ignoret? Subtilius porro Epiphanium explicat GV. CAVE (t), dum παλαιὰν ἱερωσύνην, ad quam Iacobus adſpiraſſe dicitur, non accipiendam putat de ſacerdotio Leuitico, ſed de antiquiſſimo iure patriarchali, quo ſacerdotium primogenitis debebatur (u). Sed praeterquam, quod haec interpretatio cum Epiphanii textu maxime pugnat, ne ſpeciem quidem veritatis eam habere, nemo non animaduertit. Quis enim hoc primogenitorum ſacerdotium, quod IONATHAN Targumiſta (x) *ante tabernaculum & ſacerdotium Aaronis* tantum obtinuiſſe, fatetur, Chriſti etiam aetate in eccleſia Iudaica locum inueniſſe dixerit? Quis ignorat, abolitum illud eſſe, ſimul ac DEVS Leuitas in primogenitorum locum adoptauerat? Nullum ergo ſupereſt argumentum, quo ſacerdotium Iacobi ſtabiliri, aut Epiphanius ab errore abſolui poſſit, quantumcunque de eo laborent viri doctiſſimi.

§. IX.

An Iacobus in ſanctum ſanctorum ingreſſus ſit.

Aeque falſum ac futile eſt alterum, quod ab Epiphanio adfirmatur, ſcilicet Iacobum ſancta ſanctorum iure ſacerdotii quotannis ingreſſum eſſe. Solum enim Pontificem ſummum ſemel quotannis in ſanctuarium penetraſſe, notum eſt & peruulgatum. Et profecto non ſine admiratione legas rationes friuolas, quibus ipſi aditus hic ad interiorem partem ſanctuarii adſeritur. Modo enim

ob

(r) Hebr. VII. 13.

(s) Epiph. *haer.* LXXVIII. *p.*1045. *Tom.* I. *Opp.*

(t) Gu. Caue *Antiqu. Apoſt. p.* 598.

(u) *Legendis de hoc ſacerdotio* Gu. Caue *in Adparatu ad Antiqu. Apoſt. ſect.* I. §. X. *p.* 26. *ſequ.* Selden. *de ſucceſſ. ad Leg. Hebr. cap.* V. *p.* 45. & *libr.* I. *de ſucceſſ. in Pontificatu cap.* I. Grot. *Adnotat. ad Luc.* II. 32. Bochart. *Hieroz. Part.* I. *p.* 575. Spencer. *de LL. Hebr. L.* I. *cap.* VI *Sect.* II. *p.* 203.

(x) Targum Ionath. *in Exod.* XXIV. 5.

ob lineas veſtes, modo ob Naſiraeae diſciplinae ſanctitatem, modo ob ſacerdotium templi adyta ipſi patuiſſe volunt. De ſacerdotio iam ſupra vidimus. Quis vero vnquam audiuit, omnes, qui lineis veſtibus vtebantur, in ſanctum ſanctorum ingreſſos? Sane a IOSEPHO (y) memoriae proditum eſt, etiam cantores iſto tempore ius lineae ſtolae, beneficio Agrippae, Regis obtinuiſſe. An ergo, quod linea ſtola vtebantur, etiam cantores in ſanctum ſanctorum penetraſſe dicemus? De Naſiraeis porro non magis ſibi quiſquam perſuaſerit, aditum iis in ſancta ſanctorum patuiſſe. Notum enim eſt ex antiquitatibus Iudaicis, Naſiraeis in templo deſtinatum fuiſſe ſingulare atrium, חיר לשכת ששם הנזירים מבשלין את שלמיהם ומגלחין את שעריהם ומשלחין תחת *conclaue, ſeu atrium*, (non enim deſuper erant laquearia,) *vbi Naſiraei elixabant ſuas pacificas, tondebant capillos ſuos, eoſque ſub lebetem coniiciebant.* Hoc vero atrium non erat in ſancto ſanctorum, ac ne in atrio quidem ſacerdotum aut Iſraelitarum, ſed in atrio mulierum דרמית מזרחית *in angulo euro-notum reſpiciente* (z). Hoc ergo ingrediebantur Naſiraei, quoties ſe voto rite exſoluere volebant. Quoties vero cultui diuino intererant, procul dubio locum inter ceteros contribules in atrio Iſraelitarum occupabant. Ex quibus patet, nec hanc Epiphanii coniecturam vllo loco eſſe habendam.

§. X.

An fuerit iuuenis relicta ſindone aufugiens.

Exſtant & alia in EPIPHANII narratione, non magis vera, quam quae hactenus diſcuſſimus. Talia ſunt, quae de Iacobi lamina aurea & lineis veſtibus diſſerit. Quum vero illa Iacobo male tribuatur, ac potius Ioannis hoc ornamentum fuiſſe dicere debuiſſet, hae vero non tam ab Epiphanio, quam Hegeſippo inuentae ſint: de vtriſque infra ſuo loco erit agendum. Illud vnum moneo, linteum pallium, quod Iacobo tribuit Epiphanius, parum ingenioſe excogitatum, & tam leuis texturae eſſe, vt fabula vbique pelluceat. Tota enim res nititur falſa hypotheſi, quod iuuenis, quem, relicta ſindone, aufugiſſe MARCVS Euangeliſta (a) ſcribit, Iacobus frater Domini fuerit. Vnde vero hoc probat? An Apoſtolus nudus Chriſtum comitaretur? Cur veſtimenta poſuerit? Iam tum ſane Apoſtoli fuga ſibi conſuluerant, antequam iuuenis hic a turba prehenderetur. Certiſſima igitur eorum (b) eſt ſententia, qui neque

(y) Ioſeph. *libr. XX. Antiq. Iud. cap.* VIII.

(z) *Vide* Lightfoot *Deſcript. Templi Hieroſolym. cap.* XVIII. *p.* 594. *Tom.* I. *Opp. & Centur. Chorogr. Matthaeo praemiſſ. cap. XXIX. p.* 193. *Tom. I.*

(a) Marc. XIV. 51.

(b) Theophylact. *ad h. l.* Caſaub. *Exercit. XVI. n. LXV, p.* 425. *ſequ.* Grot. *ad Marc. l.* 6.

neque Iacobum, neque Ioannem, neque vllum alium Apoſtolum hic agnoſcunt, ſed iuuenem quendam, qui quum cubitum ſe recepiſſet, de periculo Chriſti aliquid inaudiuerit, & ſtatim ſeſe lecto proripuerit, ſpeculaturus, quid rerum ageretur. Sed fuerit iſte Iacobus, quod tamen falſiſſimum eſt: quis ex hac ſindone pallium lineum conſuerit? Oſtendit quidem e Talmudicis LIGHTFOOTUS (c), Iudaeorum טלית ſeu pallium ſacrum, cui peniculamenta ſeu fimbriae ציצית aſſui ſolebant, quoque inter precandum capita obnubere conſueuerant, nonnunquam vocatum eſſe סדין vel סדינא, *ſindonem*: ſed tale pallium corpori ita aptari non poterat, vt non nuditas vbique pelluceret, atque adeo nec hic iuuenis lineo eiuſmodi pallio ſe inuoluerat, ſed interulae, quali in lectulo fuerat vſus, quod tam accurate demonſtrauit CASAVBONVS (d), vt ſi vel verbum adderem, Iliada poſt Homerum ſcribere viderer.

§. XI.

Veniendum iam eſt ad Euſebium & Hegeſippum, qui vtut paullo parcius de ſacro Iacobi veſtitu loquantur, quam Epiphanius, nihil tamen, quod magis verum ſit, referunt. Tametſi enim a veritate non alienum videri poſſit, quod Iacobum non ſancta ſanctorum, ſed τὰ ἅγια ſolum intraſſe perhibent, in eoque magnum huic fabulae praeſidium quaerant PETAVIVS & GVIL. CAVE: falſum tamen & hoc eſſe, tam certo conſtat, ut mirer, viros ceteroquin doctiſſimos Hegeſippo hic patrocinari. Τὰ ἅγια enim, in quae Iacobus ingreſſus eſt, aut exteriorem templi partem notant, quae Hebraeis eſt היכל aut interiora adyta, quae דביר vocantur. Quocumque ſenſu vocem acceperis, nugas audies. Si enim ſanctum ſanctorum intelligas, Pontifex Iudaeorum maximus; ſin exteriorem templi partem, ſacerdos fuerit oportet. Neutrum verum eſſe, ſupra demonſtratum eſt. Quod etiam animaduertens PETAVIVS (e): *Iacobo*, inquit, *ob excellentem vitae ſanctimoniam conceſſum eſt, ut ad ſancta perveniret, quum alioqui vulgo linea ſtola veſtiretur.* Sed vereor, ne & hic malam cauſſam agat. Unde enim probauerit Petauius, cuiquam mortalium, nedum Iacobo Apoſtolo, ob excellentem vitae ſanctimoniam aditum ad ſancta conceſſum fuiſſe? Certius nobis eſt atque exploratius, eo ſolis ſacerdotibus Λητυργεῖν acceſſum patuiſſe. Quemadmodum enim ſanctum ſanctorum ſacerdotes non recepit, ſed pontificem duntaxat; ita ſanctum, in quo altare thymiamatis erat conſtitutum, Iſraelitas omnes, quantumlibet

Hegeſippi & Euſebii teſtimonium illo Epiphanii magis ſobrium, non tamen magis verum eſt.

(c) Lightfoot. *Hor. Hebr. & Talm. ad Marc. p.* 460. *Tom.* II. *Opp.*

(d) Caſaubon. *l. c.*

(e) Petau. *ad Epiphan. p.* 323. *Tom.* II.

Digitized by Google

bet ſanctos, arcuit, ſoloſque admiſit ſacerdotes, miniſteria ſacra obeuntes. Hinc apud Lucam (f) Zacharias ſacerdos, quum ad aram ſuffituum thura adoleret, neminem in ſanctuario comitem habuit, ſiquidem tota multitudo populi ἔξω, *foris* precabatur, id eſt, in atrio Iſraelitarum, cujus limites tranſire nemini concedebatur (g). Quod ad lineas Iacobi veſtes attinet, abſurde & hae ab Hegeſippo confictae ſunt, niſi forte vulgarem veſtem intelligas, ex lino confectam, qualem non Iacobus modo, ſed & alii Iudaei geſtarunt. Sed talem non intelligere Hegeſippum, ex eo colligimus, quod ob illius reverentiam acceſſum Iacobo εἰς τὰ ἅγια patuiſſe, exiſtimat. Inde enim ſequitur, vt de linea tunica ſacerdotali loquatur, ſeu de כתנתשבץ, quam ſacerdotibus Deus praeſcripſerat. (h). Iam id ipſum quam ab omni ratione alienum ſit, nemo, niſi qui antiquitates Iudaicas nunquam a limine ſalutavit, ignorare poteſt. Veſtis enim haec, quam & aliarum gentium ſacerdotes aemulatione ſolita ſibi ſumſerant, διὰ τὴν χρόαν, ἣν τὸ λίνον ἀνθοῦν ἀνίησι τῇ περιεχούσῃ τὸν κόσμον αἰθερίῳ χαροπότητι προσεοικυῖαν, hoc eſt, *ob colorem, quem flos lini habet ſimilem nitori aetheris mundum ambienti*, vt eſt apud PLVTARCHVM (i), adeo ſacerdotum apud Iudaeos propria erat, vt non minori veneratione eam proſequerentur, ac hodie Pontificii ſuam caſulam. Concedebantur ſacerdotibus tunicae lineae a magno ſynedrio, nec induebantur iis vnquam, niſi quum ſacra facienda eſſent. Immo dum ſacerdotes erant in templo, & miniſterio ſuo fungebantur, ſi quando noctu ſomnus obreperet, non dormiebant in ſacris veſtibus, ſed in vulgaribus, quibus extra templum vtebantur, ac matutino tempore, quum ad munus redeundum eſſet, depoſitis ordinariis veſtibus, & corpore aqua abluto, ſacras reſumebant. Tanta denique eſſe videbatur harum veſtium ſanctitas, vt etiam detritae in vſus profanos adhiberi non poſſent, ſed retexerentur ad conficienda ellychnia lucernarum & lampadum, quae in feſtorum peruigiliis per templum relucebant (k). Quis credet igitur, Iacobo ſacerdotalem tunicam fuiſſe conceſſam? Quis credet, Iudaeos tam aequos fuiſſe, vt hominem, religionem ſuam peroſum, linea tunica ornatum

(f) Luc. I. 10.
(g) Quenſted. *Antiquit. Bibl. cap. VIII.* p. 742.
(h) Exod. XXVIII.
(i) Plutarch. *de Iſid. & Oſiride* p. 325. *Tom. II. Opp. Confer. de aliis gentilibus.* Herodot. *libr. II. cap.* 37. Chiflet. *de linteis Chriſti ſepulchralibus cap. XXIX. p.* 101. Spencer. *lib. III. cap. V. de Legibus Hebr. p.* 835.
(k) Lightfoot *Deſcript. Templi Hieroſolym. cap. XXXVII. ſect. V. Tom. I. Opp.* p. 658.

Digitized by Google

natum in publicum prodire paterentur, cum ne ſacerdotibus quidem ſuis extra templum eius vſum permiſerint? Quas tragoedias excitaturi Pontificii eſſent, ſi quem non dicam religioni ſuae aduerſum, ſed pontifici deditiſſimum, caſula aut mitra epiſcopali fulgentem, per vrbes ſuas volitare animaduerterent? Num igitur mitiores nobis concipiemus Iudaeos, rituum ſuorum ſervantiſſimos, & ſacerdotalis dignitatis violationem vel minimam capitali ſupplicio vindicantes?

§. XII.

Reliquum eſt NICETAE PAPHLAGONIS & MICHAELIS SYNCELLI commentum de omophorio Iacobi. Sed de eo, quod dicamus, nihil eſt, quam ex Graeculorum iam ſatis ſuperſtitioſorum ingenio natum eſſe, quidquid de eo circumfertur. Vterque auctor nouus eſt & fabularum amantiſſimus: vterque neminem antiquiorem, ex quo profecerit, laudat, nobiſque cauſſam ſuſpicandi relinquit aequiſſimam, eos ex pallio lineo Iacobi, quod Epiphanius primus confixerat, omophorium texere auſos, vt huic indumento ſacro, ante ſaeculum quartum non excogitato, ſua conſtaret antiquitas, de quo paullo poſt nonnulla monenda erunt. *Iacobi pallium.*

§. XIII.

Iacobo fratri Domini comitem damus IOANNEM, illud Chriſti delicium, cuius ſacra indumenta illis Iacobi proxime conveniunt. Exſtat apud Euſebium (l) e POLYCRATIS Epheſini Antiſtitis Epiſtola ad Victorem, Epiſcopum Romanum, fragmentum luculentiſſimum, in quo hic ſaeculi ſecundi ſcriptor, cum ſententiam ſuam de die Paſchatos exemplo maiorum fortiter tuetur, tum etiam de apoſtolis quaedam haud vulgaria tradit. Cuius generis etiam ſunt, quae de Ioanne his verbis narrat: ἔτι δὲ καὶ Ἰωάννης, ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ κυρίου ἀναπεσών· ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορεκώς, καὶ μάρτυς, καὶ διδάσκαλος, οὗτος ἐν Ἐφέσῳ κεκοίμηται. *Praeterea Ioannes, qui in ſinu Domini recubuit; qui etiam ſacerdos fuit, & laminam geſtauit; martyr denique & doctor exſtitit; hic inquam Ioannes extremum diem apud Epheſum obiit.* Hic locus, quem etiam HIERONYMVS (m), & NICEPHORVS (n), exſcripſerunt, quemque in animo habuiſſe videtur EPIPHANIVS (o), dum Ioannem & Iacobum, filios Zebedaei, idem cum Iacobo minore vitae inſtitutum *Ioannis Apoſt. bractea in fronte geſtata.*

(l) Euſeb. *lib. V. cap. XXIV.*

(m) Hieronym. *de ſcriptor. eccleſ. cap. XLV.*

(n) Nicephor. *lib. IV. Hiſt. Eccl. cap. XXXVII.*

(o) Epiphan. *haereſi LXXVIII. cap. XIII. p. 1045.*

amplexos affirmat, miram Pontificiis gloriandi occaſionem ſuppeditat. Hoc enim nobiliſſimo antiquitatis monimento liquido conſtare exiſtimant, iam apoſtolis ſacrum habitum, & inprimis mitram Epiſcopalem, in deliciis fuiſſe. BARONII (p) phaleras iam ſupra vidimus; ei vero paria faciunt BELLARMINVS, VALESIVS (q), & tantum non omnes, quorum intereſt, palpum Pontifici obtrudere. Sed tria hic mihi facienda opinor. Si enim oſtendero, nec bracteam in capite geſtaſſe Ioannem, nec hanc eſſe Polycratis ſententiam, & mitras denique Epiſcopales, quas ex hac bractea arceſſit Baronius, longe recentioris aeui eſſe, toto hoc negotio rite mihi perfunctus videor.

§. XIV.

Oſtenditur falſum hoc eſſe.

Meminit Polycrates τοῦ πετάλου, ſeu bracteae cuiuſdam, ſed ita, vt nec materiam nec formam deſcribat, nec, quo loco geſtari hoc ornamentum conſueuerit, exprimat. HIERONYMVS vero (qq), quaedam de ſuo adiiciens, & auream hanc laminam, & in fronte collocatam, dicit. Quem quidem STEPH. LE MOYNE (r) cum Polycrate in gratiam reduci poſſe exiſtimat, ſi πέταλον bracteam auream explicemus. Sed vereor, vt hanc ſignificationem Graecis auribus perſuadeamus. Sane enim lituris dignus eſſet AELIANI (s) auctoris μελιγλώττου locus, vbi πετάλου χρυσοῦ meminit, nec ferendus eſſet poeta (t), qui πιληθέντα δὲ ἐξάντα τριχὸς ἀμνοῦ πέταλον, *pileum ex lana agni coacta & bene carminata factum* laudat, ſi πέταλον laminam auream ſignificaret. Alter enim locus tautologiam, alter contradictionem, quam vocant in adiecto, inuolueret, quale ſermonis vitium in Graecos ſcriptores tam emendatos vix cadit. Quare Hieronymum potius & hic ſibi indulſiſſe arbitror, quod in Euſebii chronico interpretando feciſſe ſe non negat (u), *ut & interpretis, & ſcriptoris ex parte officio ſit vſus, & nonnulla, quae intermiſſa videbantur, adiecerit.* Vt ergo genuinam vocis ſignificationem eruamus, obſeruandum eſt, πέταλον a SVIDA (x) & gloſſatoribus explicari per φύλλον, id eſt, *folium*, & eſſe laminam, folio hederae ſimilem, eamque ſiue auream, ſiue ex alia materia confectam. A ſeptuaginta interpretibus ita vocatur

(p) Baron. *ad ann.* 34. *n.* CCXCIII.
(q) Valeſ. *Adnotat. ad Euſeb. p.* 93.
(qq) Hieronym. *l. c.*
(r) Steph. le Moyne *Not. ad Var. ſacra p.* 29.
(s) Aelian. *lib. V. Hiſt. var. cap. XVI.*
(t) *Apud* Suid. *voce* πετάλοις *p.* 102. *Tom. III. edit. Kuſt.*
(u) Hieronym. *praefat. ad Chron. Euſeb.*
(x) Suid. *l. c.*

tur lamina illa ציץ, quae ſacerdotis ſummi frontem ornabat (y). Ea vero non erat corona triplex, qualem ex IOSEPHO (z) male intellecto nobis deſcribit BARONIVS (a), ſed nuda bractea aurea ſincipiti alligata, quam in utroque latere ornabant caliculi aurei, tribus ordinibus diſpoſiti, quales in herba hyoſcyamo conſpiciuntur, in medio vero litterae קדש ליהוה *ſanctum Domino.* Quod ſi ergo Polycratem iuxta litteram intelligimus, Ioannes vſus eſt corona vel lamina ſacra, qua pontifices maximi, quando in ſanctum ſanctorum ingrediebantur, fulgebant. Quis vero hoc ſibi perſuadeat de Apoſtolo, qui omnes modeſtia animoque demiſſo anteiuit? Certe nec voluit ita ornatus in publicum prodire, nec potuit. Non voluit, niſi dicas, eum veteris teſtamenti adparatum & caerimonias, vmbrae inſtar euanituras ignoraſſe. Nec potuit, niſi Iudaeos atque gentiles omnes eum, tamquam virum ſanctiſſimum reueritos eſſe, fingas. Vtrumque quam a veritate alienum ſit, nemo non videt. An enim pontificis Iudaici habitum ſplendidiſſimum ſibi ſumſerit, quum Chriſto exhibito vmbra nihil opus eſſet? An aurum fronte geſſerit is, qui cum Petro auri argentique copiam eierabat? Qua fronte ſe auro carere dixiſſet, qui aurum fronte praeferebat (b)? An Iudaeos Aſiaticos quieturos fuiſſe credibile eſt, ſi Pontificis ſui inſignia a piſcatore, religione aliena deuincto, occupata animaduertiſſent? Et quid acturos fuiſſe credimus Epheſios, inter quos Ioannes diutiſſime vixit (c), ſi peregrinum hominem laminam auream circumferre apud ſe vidiſſent, quum magnae Dianae ἀρχιερεὺς, tantae auctoritatis homo non niſi laurea vteretur (d)? Nonne omnibus paganis, quibus ſorduit ſcrupuloſior veſtitus ratio, ludibrium debuiſſet? Tantum profecto abeſt, vt ſplendida haec corona cum ſimplicitate eccleſiae conueniat, vt vel ſcandalum neophytis praebere potuiſſe videatur, qui a Iudaeorum ritibus maximopere ſibi abſtinendum eſſe exiſtimabant.

§. XV.

Sed quid opus eſt verbis, quum manifeſtum ſit, eam Polycratis mentem minime fuiſſe? Duo enim coniungit Polycrates, Ioannem nimirum ſacerdotem fuiſſe, & τὸ πέταλον geſtaſſe, ex iiſque *Polycratis locus explicatur.*

con-

(y) Verſio LXX. Exod. XXVIII, 36. XXIX, XXXIX, 10. 30. *Videantur de ea poſt* Goodwinum, Lightfootum, Lundium, *Braunius de Veſtitu Sacro Ebraeorum.*

(z) Ioſeph. *lib. III. Antiqu. cap. IX. p.* 86.

(a) Baron. *l. c.*

(b) Act. III, 3. 6.

(c) Euſeb. *lib. III. Hiſt. Eccl. cap. I.*

(d) Achilles Tatius Ἐρωτ. 448.

concludit, paſcha quartadecimanorum non eſſe damnandum, quia tantus vir illud eodem die celebrauerit. Quaenam haec concluſio, ſi verba in ſenſu proprio exponimus? Quis vero vnquam probauerit, Apoſtolos ſacerdotes proprie ſic dictos fuiſſe? Repugnat ſane hoc totius Chriſtianiſmi principiis, & a Theologis noſtris tam ſolide diſcuſſum eſt, vt hic actum ageremus, ſi vel verbum adderetur. Quid porro ad rem facit, ſi Ioannes πετάλῳ vſus eſt? An ideo paſcha cum quartadecimanis celebrandum? Quemadmodum igitur ſacerdotem Ioannem improprie vocat Polycrates, ita & πέταλον pontificale ipſi tribuit συνεκδοχικῶς, ea ratione, qua faſces & ſecures nominamus, ſi conſulem; aut purpuram & diadema, ſi Regem deſcribimus. Quae ſi ponimus, planiſſimus ſenſus erit Polycratis, paſcha ſcilicet Quartadecimanorum vel ideo minime damnandum eſſe, quod eodem die Chriſti reſurgentis memoriam recoluerit Ioannes, qui inter Chriſtianos Aſiaticos veluti pontifex quidam maximus auctoritate ſumma enituerit, & ſanctis moribus non minus quam doctrina orientem illuſtrauerit diutiſſime. Sic inquam omnia plana ſunt ac perſpicua, quum, ſi proprie accipias verba Polycratis, nihili ſint, praecipue ſi cum BARONIO & VALESIO non hunc modo, ſed & reliquos Apoſtolos, quin & epiſcopos omnes, eiuſmodi regiae dignitatis inſignibus vti conſueuiſſe dicas. Quod ſi igitur aequiſſimum eſt, ita cuiuſque verba exponi, ne ſenſu careant: omnino ſequitur, vt & Polycratis locum multo rectius figurate quam proprie interpretemur (e).

§. XVI.

Epiſcopalium mitrarum antiqui-

Clarius hoc futurum eſt, ſi oſtenderimus, Epiſcopales mitras nec ex inſtitutione ac vſu apoſtolorum manaſſe, nec ex antiqua lege ad perfectioris amplioriſque ſacerdotii ſignum translatas, nec inter Chriſtianos tam antiquas eſſe, vt Ioannes eiuſmodi inſigni vti potuerit. Tria haec ſunt capita, quae proponere non erubeſcit BARONIVS (f), vt Ioannis, ceterorumque Apoſtolorum, bracteas aureas in tuto collocet. Sed quum nullum eorum, vt virum doctum decebat, probauerit: oſtendendum nobis eſt, omnia aeque falſa eſſe. Ex Apoſtolorum inſtitutione manaſſe mitras epiſcopales, nemo fortaſſis dixerit, niſi qui omnem pudoris ſenſum amiſit. Vbi enim habetur illa inſtitutio apoſtolica? litteriſne ea, an per manus nobis tradita eſt? Si litteris conſignata, ſane & nobis

(e) Steph. le Moyne *c. p.* 261. Cyprian. *not. & Schol. ad Hieronymi Catalog. cap. XLV.* Heidegger. *Tumul. Concil. Trident. ſeſſ. XXII. Quaeſt.* 5. *p.* 237. *T. II.*

(f) Baron. *ad an. XXXIV. n. CCXIV. ſequ.*

bis non eſſet incognita: Sin per traditionem propagata, ea certe oſtendenda eſt in antiquitate eccleſiaſtica. Non minus temerarie contendit, non Iacobum modo, & Ioannem, ſed & ceteros Apoſtolos, eiuſmodi regiae dignitatis inſignibus vti conſueuiſſe. Vnde enim haec probat? Si ex Polycrate, & principium petit, & a particulari quod aiunt ad vniuerſale concludit. Sin ex Epiphanio; hunc memoria falſum eſſe, ſupra vidimus. Sed fingamus, Apoſtolos omnes bracteas aureas in fronte circumtuliſſe, an ideo mitrae Epiſcopales ex apoſtolico vſu manarunt? Quidni ergo Epiſcopi hodienum πέταλα geſtant? aut quid ſimile habent πέταλον & Epiſcopalis mitra? Ex quo patet, alterum quoque caput falſum eſſe, nimirum Epiſcopales mitras ex veteris teſtamenti eccleſia ad perfectius Chriſtianae legis ſacerdotium translatas eſſe. Fefellit ſcilicet Baronium pictorum oſcitatio, & nimis curta notitia antiquitatum Iudaicarum, quibus impeditus eſt, quominus verum ſacerdotum Iudaicorum habitum animo conciperet. Si enim Hebraicas antiquitates potius, quam vulgares imagines, conſulere voluiſſet, deprehendiſſet, nec ſacerdotum, nec Pontificis maximi cidares hodiernis Epiſcoporum ſuorum mitris vlla ex parte poſſe comparari, & Turcarum pileis, quam illis, fuiſſe ſimiliores. Si ergo veteris teſtamenti ritibus Epiſcopalis mitra debet originem, cur nec materiam nec formam antiquam retinet? Cur ſoli epiſcopi vtuntur mitris, quae in veteri teſtamento ſacerdotibus omnibus erant communes? Sed ſalua res eſt. Clariſſime enim conſtat, Pontificium hoc capitis ornamentum a gentilibus potius, quam ab Hebraeis, in eccleſiam eſſe inuectum, nec ouum ouo eſſe ſimilius, quam mitras epiſcopales cornuto illi Nabidis ſacerdotis pileo, quem SILIVS ITALICVS (g) hunc in modum deſcribit:

Caſſide cornigera dependens infula ſacros
Prae ſe terrores, diuumque ferebat honorem.

Tertium, quod ſtatuit Baronius, mitras epiſcopales tam antiquas eſſe, vt ab ipſis apoſtolorum temporibus repetendae ſint, prolixo examine vix indiget, quum ipſe, magno licet conatu nugas acturus, neminem ſaeculo quarto antiquiorem teſtem producere potuerit. Et tamen ex his quoque pauca profert, quae vel ſpeciem veritatis prae ſe ferant. Primo enim EVSEBIVS (h) & GREG. NAZIANZENVS (i) de nulla re minus loquuntur, quam de mitra ſacerdotali, quum vterque indumenta ſacra veteris teſtamenti ſacerdo-

(g) Sil. Italic. *lib. XV.*
(h) Euſeb. *lib. X. H. E. cap. IV.*
(i) Greg. Nazianz. *apol. III.*

cerdotibus Chriſtianis [illegible] tribuat, iiſque adſcribat *ſacroſanctum poderem, caeleſtis gloriae coronam, ſpiritus ſancti ſtolam, cidarim & diuinam vnctionem*, quae certe omnia figurate dici, vel ex eo palam eſt, quod patres hi de epiſcopis Graecis loquuntur, quos nunquam vſos eſſe mitra, nec hodienum vti, notum ſatis eſt & prouocatum. Addit & AMMIANVM MARCELLINVM (k), qui coronam ſacerdotalem & militaria ſigna cum ceteris, quae intercepta fuerant, Theodoſio a Maſcizele tyranno reſtituta perhibet. Ex hoc ſatis clarum eſſe putat Baronius, epiſcopos tunc non tantum mitras geſtaſſe, ſed & easdem maximi pretii fuiſſe. Sed vnde hoc liquet Baronio? Sane Marcellinus non loquitur de Theodoſio Imp. Chriſtiano, ſed de eiusdem parente, qui poſt victoriam demum hanc a Mauris reportatam Chriſto nomen dedit (l). Nec coronam hanc ſacerdotalem Chriſtianis interceptam fuiſſe dicit. An non probabilius eſt, eam potius e fano quodam gentilium raptam fuiſſe, quam e Chriſtianorum eccleſia? Denique agmen claudit ENNODIVS (m), qui de Ambroſio ita canit:

Serta redimitus geſtabat lucida fronte,
Diſtinctum gemmis, ore parabat opus.

Sed ſatis reſponſum videbitur, ſi dixerimus, Ennodium ſaeculi ſexti, (non vero, vt LABBEVS (n) ſatis ſpiſſe errauit, quarti) ſcriptorem, poetica licentia vſum, Ambroſium ex ſui ſaeculi moribus deſcripſiſſe. Haec ſunt, quae pro mitrarum Epiſcopalium antiquitate profert Baronius, quae ſatis declarant, malam ab eo cauſſam agi, hocque ornamentum Pontificium recentius eſſe, quam vt ex Apoſtolorum inſtitutione deriuari poſſit.

§. XVII.

Nummus Theodoſii explicatur.

Nondum hic nugarum ſatis eſt. Quum enim ſemel rebus nouis antiquitatem induere animum induxerit Baronius: ſuo ſibi more agendum, omniaque, quae vſquam legerat aut viderat, ad propoſitum ſuum trahenda putauit, pertinere ad ſuum officium ratus, vt in annales falſa interdum non minus, quam vera, comportaret, eo tantum fine, ne quid a quoquam dictum fictumque praetermitteret. Hinc & numorum auctoritate vtitur, non ignorans, quantum pretii hiſce antiquitatis monimentis ſtatuant omnes, quibus litterae elegantiores curae cordique ſunt. Quum ergo annales

(k) Ammian. Marcell. *lib. XXIX. cap. XXV.*

(l) Paul. Diac. *Hiſt. Miſcell. lib. XII. cap. XI.*

(m) Ennod. *Epigramm. de S. Ambroſ.*

(n) Labb. *Diſſ. de Script. Eccleſ. Tom. I. ſub voce Ennodius.*

annales ſuos ad Theodoſii vſque tempora perduxiſſet, eiuſque victoriam ab Eugenio reportatam litteris mandare coepiſſet: reddendum putauit nobile, vt vocat, antiquitatis monimentum, quod a Fuluio Vrſino acceperat. Numus hic eſt Theodoſii (o), altera facie Imperatorem oſtentans, ſiniſtra crucem, dextra volumen, quod Baronio euangelium videtur, praeferentem, cum perigraphe: DN. THEODOSIVS P. F. AVG. altera vero duos viros, habitu talari indutos, nimboque caput circumdatos, dextra itidem volumina, ſiniſtra cruces tenentes, cum inſcriptione: VOT. XXX MVLT. XXXX. Infra: CONOB. Hoc numo, dici non poteſt, quam mirifice ſibi placeat Cardinalis. *Habes*, inquit, *etiam ex his, lector, inter alia, unde antiquum ſacerdotalem habitum diſcas, ſimulque tonſuram intelligas, & pallia, humeros atque pectus decore ambientia.* Vt vero neruus argumenti eo firmior robuſtiorque ſit, viros illos, quos numus praefert, non alios eſſe exiſtimat, quam IOANNEM & PHILIPPVM, Apoſtolos, quos ante proelium illud adparere ſibi, & victoriam polliceri per quietem viderit Theodoſius (p). En igitur Ioannem & Philippum, detonſos, palliolisque & reliquo ſacerdotali habitu indutos, quos & numi ſpectandos praeferunt. Sed tria ſunt, quae hic miror. Primum, quod Baronius tam lynceis oculis ſit, vt tonſuram videat, quum, qui in vertice eminent, globuli pileata potius, quam detonſa, capita indicare videantur. Alterum, quod e Theodoſii numo apoſtolorum habitum deriuarit. Tertium denique, quod viros in numo conſpicuos Apoſtolos, Ioannem & Philippum, referre putet, quum tamen coniectura haec nullo fundamento nitatur. Tales ſane THEODOSII numos & alii proferunt: ſed, qui Apoſtolos hic vidiſſe ſe opinetur, legi adhuc neminem. Nec fieri poteſt, vt quiſquam hoc ſibi perſuaderi patiatur, poſtquam HENR. NORISIVS (q), ANT. PAGI, aliique antiquitatis promicondi (r) aduerterunt, non hic oſtendi ſacrum habitum, ſed conſularem, nec Apoſtolos, ſed Theodoſium ac Valentinianum Imperatores. Impoſuit nimirum Baronio nimbus, quem Apoſtolorum potius, quam Imperatorum, capitibus conuenire, ex eccleſiae ſuae moribus exiſtimauit, quum nimbos etiam Imperatorum capitibus adpictos, diſcere

(o) *Vide iconem Numi apud* Baron. *ad ann. CCCXCIV. n. X.*

(p) Theodorit. *lib. V. Hiſt. Eccl. cap. XXIV.*

(q) Noriſ. *Diſſert. de Numiſm. Licin. Aug. cap. III.*

(r) *Vid.* Meibom. *Diſſert. de Numor. veterum in illuſtranda Imperatorum Rom. hiſtoria vſu p. 4. ſeq.* Io. Andr. Schmid. *diſſ. de Numis cathedraticis.*

cere potuiſſet ex LAVR. PIGNORIO (s), quippe qui Menſam ſuam Iſiacam Baronio dedicauerat. Nihil ergo hactenus egit vir doctiſſimus, neque habitum apoſtolorum ſacerdotalem vllo vel ſpecioſo argumento probauit.

CAP. VI.

DE RELIQVORVM APOSTOLORVM SACRO HABITV.

I. Paullo tribuitur pallium ſacerdotale. II. φαινόλης *&* φελόνης *2. Tim. IV. 13. quid ſignificent? Quaenam ſententia interpretum ſit maxime probabilis? III. Tonſura Paulli. IV. Bartholomaei colobium purpura clavatum, & pallium gemmis purpureis ornatum. V. Marci Evangeliſtae pallium, & bractea, quam fronte praetuliſſe dicitur. VI. Veſtes apoſtolorum litteratae. VII. Concluſio.*

§. I.

Paullo tribuitur pallium ſacerdotale.

Reliquum eſt, ut de ceteris etiam Apoſtolis & Apoſtolicis viris nonnulla dicamus, ſed breviter, quum pleraque iam ante diſcuſſa ſint. Et primo quidem loco ſiſtimus PAVLLVM, quem & pallio ſacerdotali, & tonſura, a plebe diſtinctum fuiſſe, nonnulli docent. Occaſionem ita ſentiendi arripiunt ex verbis ipſius PAVLLI (t), ad Timotheum ita ſcribentis: Τὸν φελόνην, ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος φέρε. Inde enim veſtem quandam ſacram Graecis hodienum φαιλόνιον, Latinis planetam dictam, eliciunt CORNELIVS a LAPIDE (u), qui & TERTVLLIANVM (x) teſtem adlegat, & SEDVLIVS SCOTVS (y). BARONIVS (z) quidem nihil faceret libentius, quam vt eamdem ſententiam amplecteretur, vnde etiam e Nicephoro, Philotheo, Metaphraſta, aliiſque huius farinae ſcriptoribus multa de Graecorum hodiernorum φαιλονίῳ, ſeu pallio ſacro, diſſerit; ſed quum ab omni argumentorum copia deſtitutum ſe videat, lectorem ſub cultro relinquere, quam pallio Paulli ſacro pertinacius defenſo, famae nocere mauult. Hinc demum hanc facit cogitationum ſuarum ſummam: *Ex his recitatis ſententiis, vel de volumine, vel de ſacra veſte, alterutram, quam velit, ſequatur lector, ſed magis placet, ut volumen ſacrae legis intelligi debeat.*

§. II.

(s) Laur. Pignor. *Menſ. Iſiac. p. 64.*
(t) 2. Tim. IV, 13.
(u) Corn. a Lapide *Comment. ad h. l.*
(x) Tertull. *lib. de Orat. cap. XII.*
(y) Sedul. Scot. *Comment. in 2. Tim. IV. Tom. I. Biblioth. Patr.*
(z) Baron. *ad ann. 58. n. LXXVIII.*

§. II.

Non eſt, quod diſcutiendis argumentis aduerſariorum, quae nulla habent, diutius immoremur. Cornelius enim a Lapide ſolius TERTVLLIANI auctoritate nititur, qui tamen ne verbo quidem, quod ad ſacram Paulli veſtem trahi poſſit, vſus eſt, ſed reprehendit potius quosdam, qui orationem poſitis penulis faciendam exſtimabant, quaſi *Paullus penulam ſuam in oratione penes Carpum reliquerit, aut Deus non audiat penulatos.* Satius igitur futurum eſt, ſi ipſa verba Paulli attentius conſiderauerimus. Quaeritur nimirum, quid Paullus ſibi Troade adferri voluerit? Reſponſio manifeſta eſt, φελόνην. Vel ut alii codices habent, φαιλόνην, φελώνην, φενόλην, φαινόλην, ſicuti in MILLII luculentiſſima editione Noui Teſtamenti videre eſt. Hoc vero verbum quid ſignificet, non aeque inter omnes conſtat. Sunt qui φελόνην & φαινόλην unam eandemque vocem eſſe credunt (a): ſunt qui duas & origine & ſignificatione diuerſas putant (b), quorum ſententia tam accurata & plana eſt, vt mirer, hoc ab aliis nondum eſſe obſeruatum. ETYMOLOGICVM MAGNVM φελόνην dicit eſſe εἰλητὸν τομάριον μεμβράινον, ἢ γλωσσόκομον, *volumen paruum membranaceum, ſeu gloſſocomum*; φαινόλην vero χιτῶνα tunicam. Sic & SVIDAS & HESYCHIVS, qui paene verba etymologici retinet. Pro diuerſa igitur lectione diuerſae etiam ſunt interpretum ſententiae. Alii veſtem hic intelligunt, alii thecam librorum, alii volumen aliquod & κατ' ἐξοχὴν quidem librorum veteris Teſtamenti. Qui veſtem hic deſignari exiſtimant, quod faciunt paene omnes, qui verſionem vulgatam noſtramque Lutheri ſequuntur, iterum in varias ſententias eunt. Quidam enim vulgarem hic inueniunt penulam, arcendae pluuiae aptatam (c). Quidam veſtem neſcio quam conſularem, qua pater Paulli donatus dicitur (d). Sed ut verum fatear, nulla quidem ſententia probabilior videtur ea, quae volumen aliquod, thecae incluſum, intelligere nos jubet. Primo enim eorum opinio, qui veſtem quamdam conſularem hic confingunt, vel ipſis Graecis auribus intolerabilis eſt, omnique fundamento deſtituitur. Deinde & altera ſententia de penula non parum incommoda videtur, ſi cogitemus, nec probabile eſſe, Paullum Troade profectum, pallium, peregrinantibus tam neceſſarium, apud Carpum

φαινόλης & φελόνης 2. Tim. IV. 13. quid ſignificent?

Quaenam ſententia interpretum ſit maxime probabilis?

(a) Barthol. *Tract. de penula p. 3.*

(b) Hect. Gotofr. Maſius *Diſſ. de pallio Paulli ſect. II. §. 18. p. 715. Tom. II. Theſauri philolog.*

(c) *Interpretes paene omnes; Vid. Beza ad h. l.*

(d) Pſeudo-Ambroſ. *Explanat. Epiſt. ad Timoth. Tom. II. Opp. edit. Baſil.* Haymon. Halberſt. *Comment. in h. l.* Anſelm. Cantuar. *in h. l.* Bruno Herbipol. *in h. l.*

pum reliquiſſe, nec operae pretium fuiſſe, ut eam Troade Romam adferri per Timotheum iuberet, quum hae ciuitates diſſitae eſſent milliaribus centum & octoginta tribus. Tertio pro ſententia noſtra militant tum vocum ſignificatio paullo ante euoluta, tum tranſlationis Syriacae auctoritas, qui φιλόνην hic vertit ביתכתבא id eſt thecam librorum. Quarto probabilius eſt, Paullum Troade reliquiſſe libros, ne in itinere oneri eſſent, quam pallium, quod nuſquam magis, quam in itinere tam diuturno, commodum praeſtat. Quinto etiam reddi ſic poteſt ratio, cur Paullus tanto deſiderio Timotheum ſimulque reculas ſuas exſpectarit. Libris enim opus erat, eoſque non ubique inveniebat Apoſtolus, quum penulae iactura exiguo pretio etiam Romae reſarciri poſſet. Plura in hanc rem ſuppeditabit elegantiſſima MASII Diſſertatio, quae pro hac ſententia plura, eaque ſelectiſſima, continet. Verum ſi vel maxime pallium hic intelligendum eſſet, non magis tamen illud ad ſacerdotalem habitum poterat referri, quam reliqua illius veſtimenta, tunica, zona, ſandalia, quibus eum more Iudaeorum vſum, ſupra capite III. diximus.

§. III.

Tonſura Paulli.

Tonſuram Paulli ex Actor. XXI. 24. & XVIII. 18. probare contendunt ISIDORVS (e), BARONIVS (f) aliique plures. Sed horum etiam ſomniorum coniectorem denuo hic agere nolo, quum, quae ſupra de Petri tonſura prolixius diſputauimus, hic etiam vel maxime locum inueniant. Ex antiquitate nimirum Iudaica haec tonſura explicanda eſt, non ex recentioribus de tonſura clericorum inſtitutis, quod quum luculenta diſſertatione de Paulli Naſiraeatu fecerit GEORG. FRID. MEINHARDVS (g), actum profecto agerem, ſi, pluribus conquiſitis argumentis, Naſiraeorum inſtitutum nihil cum clericorum tonſura commune habere, denuo oſtenderem.

§. IV.

Bartholomaei colobium purpura clauatum, & pallium gemmis purpureis ornatum.

BARTHOLOMAEI indumenta ſacra ita deſcribit ABDIAS Babylonicus (h), vel, quicunque ſub hac larua latet, impoſtor inſulſiſſimus: *Veſtitus colobio albo, clauato purpura. Induitur pallio albo, habente per ſingulos angulos ſingulas gemmas purpureas. Viginti ſex anni ſunt, ex quo nuſquam ſordidantur veſtimenta eius. Similiter & ſandalia eius per XXV annos nunquam veteraſcunt.* Nec meliora ſunt, quae ex Cratone, Apoſtolorum Simonis & Iudae, vt fertur,

(e) Iſidor. *libr.* II. *de Diuin. off. cap.*4.

(f) Baron. *ad ann.* 58. *n.* CXXII.

(g) *Habetur in* Theſauro Philologico *Tomo II. p.* 437. *ſequ.*

(h) Abd. Babyl. *lib. VIII. Hiſt. Apoſt. cap. II.*

tur, diſcipulo tradunt fragmenta Apoſtolorum, a STEPHANO PRAETORIO edita, vbi de Bartholomaeo ita referunt: *Pallio albo inceſſit, ornatus annulis & gemmis, ſemper hilaris, eodem vultu.* Vera eſſe, quae hic de colobio & pallio dicuntur, eumque plane fuiſſe Apoſtolorum habitum, capite tertio demonſtrauimus. Quae vero de purpura, gemmis & annulis adduntur, tam futilia ſunt, tamque fabuloſa, vt vix inter legendas ligneas locum mereantur. Sed quis Abdiam moratur, cuius ſubuentaneum foetum nemo hodie deterioribus ſaeculis, nedum apoſtolico aeuo, dignum iudicat?

§. V.

Marci Euangeliſtae pallium, & bractea, quam fronte praetuliſſe dicitur.

Idem ſentiendum de MARCI pallio, quod in Alexandrina eccleſia diutiſſime ſeruatum eſſe, ſcribit LIBERATVS, Archidiaconus Carthaginienſis (i), qui etiam, neminem hanc ſedem legitime tenere potuiſſe, exiſtimat, *niſi anteceſſore ſepulto, ſuis manibus acceperit collo ſuo B. Marci pallium.* Certe enim vel vulgare hoc indumentum fuit, quod nimis religioſa poſteritas curioſius ſeruauit, vel ſi ſacerdotale fuiſſe fingitur, non magis ſacerdotalem habitum virorum apoſtolicorum probat, quam ea, quae ſuperioribus capitibus exploſimus. Non ſatis enim fidei Liberato eſt, ſaeculi ſexti ſcriptori, ad rem tam antiquam & nemini ante ſe obſeruatam pro vero adfirmandam. Vnde miramur, CHRISTIANVM LVPVM (k), virum tam doctum, & in antiquitatibus eccleſiaſticis verſatiſſimum, narratiunculam hanc tanti feciſſe, vt ex ea probare voluerit, epiſcopos Orientis pallia ſua a Pontifice Romano iam olim redemiſſe. De eodem MARCO nonnulli fabulantur, ipſum non minus, quam Iacobum & Ioannem, bracteam in fronte geſtaſſe. VALESIVS (l) enim ex paſſione eius MSC hunc locum decerpſit: *Quem quidem B. Marcum iuxta ritum carnalis ſacrificii pontificalis apicis petalum in populo geſtaſſe Iudaeorum, illuſtrium virorum ſyngraphae declarant: ex quo manifeſte datur intelligi, de ſtirpe eum Leuitica, immo Pontificis Aaron, ſacrae ſucceſſionis originem habuiſſe.* Sed fabulas potius, quam illuſtrium virorum ſyngraphas, exſcripſiſſe auctorem hunc, a Valeſio laudatum, ex eo adparet, quod bracteae huius ferendae ius e Leuitica, & quidem Aaronis, ſtirpe, deriuet, quaſi omnibus Aaronis poſteris bracteam fronte praeferre licuerit, aut quaſi hoc inſigne non ſolis ſacerdotibus ſummis fuerit proprium.

§. VI.

Veſtes Apoſtolorum litteratae.

Poſterioribus ſaeculis litteratas quoque veſtes Chriſtianorum

(i) Liberat. Carthag. *in Breuiario.*

(k) Chriſt. Lup. *Schol. ad Concil. Generał. & prouincialia* p. 13.

(l) Valeſ. Euſeb. p. 93.

clero vſitatas fuiſſe, negari non poteſt, idque clariſſime teſtatur AMMIANVS MARCELLINVS (m), qui dalmaticas, litteris ornatas, diaconis tribuit. Sed quod & Apoſtolis litteratae veſtes tribuendae ſint, nemo fortaſſis ante CIAMPINVM (n) adfirmauit. In partes hic vocat caſcas illas & vetuſtas imagines, quas in baſilicis Romanis inuenit, vbi non in Chriſti modo, verum etiam Apoſtolorum, veſtimentis litterae haud paucae conſpiciuntur, veluti L. H. Γ. F. T. X. Π. aliique characteres & monogrammata, quibus depingendis nec meam, nec typographi manum, fatigare auſim. Verum inter ipſos pontificios nondum conſtat, quid ſibi hae litterae velint. Sunt, qui ſibi neſcio quae myſteria hic videntur ſubodoraſſe (o), alii caſu ab artificibus adiectas volunt, quod hi ad vetuſtum morem, varios titulos & inſcriptiones in veſtibus ſignandi reſpexerint (p). Complures etiam nomina Seruatoris & cruces eſſe putant, quae litterae aliis videntur. Quid Rubenii, Mellini aliorumque coniecturas adducam? quum nemo profecto his imaginibus eo adduci ſe paſſurus ſit, vt eas ad viuum, quod aiunt, depictas exiſtimet. Nihil verius enim eſt, quam quod ipſe CIAMPINVS coniecit, hos characteres olim a textoribus ideo adiectos fuiſſe, vt conſtaret, ex cuius officina prodiiſſent, eoſque deinde imitatos eſſe pictores, quibus quiduis fingendi ſemper fuit aequa poteſtas.

§. VII.

Concluſio. Atque haec ſunt, quae iam de habitu Apoſtolorum ſacerdotali chartae feſtinante manu illeuimus. Plura dicenda ſupereſſent, ſi habitum Apoſtolorum monaſticum ſpectandum hic lectori offerre voluiſſemus. Roma enim mendax, vt SPANHEMII (q) verbis rem eloquar, *nihil non agit, vt horrida etiam clauſtrariorum ſpecie, cilicio, cucullo, caputio, ſcapulari, tribonio, raſo nudoque vertice, diſcalceatis pedibus, lumbis reſte ſuccinctis, Apoſtolos deturpet; ne monachos exempla ſcilicet primi aeui deſtituant.* Sed relinquamus illis hanc gloriam, relinquamus verſatile ingenium, quo Apoſtolos ſchemate non vno in proſcenium ducunt, relinquamus etiam habitum, auro gemmiſque fulgentem, noſtraeque eccleſiae miniſtris precemur, vt Deus ſacerdotes ſuos induat ſalutari (r), radiaturos olim, quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellae in perpetuas aeternitates (s).

DE

(m) Ammian. Marcell. *lib. XIV. cap. V. vbi confer.* Pamel. *Not. ad* Tertull. *de Idololatr. cap. XVI.*

(n) Ciampin. *Monim. Operum Muſiuorum Part. I. cap. XIII. p.* 102.

(o) Seueran. *citante* Ciampin. *l. c.*

(p) Suareſ. *de veſtibus litteratis ibid.*

(q) Spanhem. *praefat. ad Introd. in Hiſt. Eccl. p. 6.*

(r) Pſ. CXXXII, 16.

(s) Dan. XII, 48.

DE GENVINA NATIVITATIS CHRISTI ERA, *EXERCITATIO II.* Ex numis & inſcriptionibus antiquis illuſtrata.

---

§. *I. Numorum & Inſcriptionum auctoritas & praeſtantia.* §. *II. Ea etiam in hiſtoria eccleſiaſtica ſeſe exſerit. Pontificii tamen hic ſaepe ineptiunt.* §. *III. Scopus Diſſertationis.* §. *IV. Cur era genuina Natiuitatis Chriſti hodienum tam obſcura ſit? Chriſtiani quas eras vſurpauerint? Quando Dionyſiaca publice recepta?* §. *V. Monimenta antiqua, era Chriſti ſignata, ſuppoſititia ſunt. Veluti gladius Conſtantini M. Litterarum Gothicarum origo.* §. *VI. Numus Conſtantini M. ſuppoſititius, nec non eiusdem notae Inſcriptio Spoletana.* §. *VII. Num era Chriſti in numis medii aeui occurrat? Numus bracteatus Bernardi Ducis. Cifrae Arabicae numeris Romanis intermixtae.* §. *VIII. Quot viis monimenta ad genuinam Chriſti eram adducant?* §. *IX.* Prima via. *Chronotaxis Herodiadum. Numus Herodis Antipae deſcribitur.* §. *X. Eius γνησιότης oſtenditur.* §. *XI. Herodes Antipas regnare coepit anno Jul. XLIII, quod demonſtratur e numo, cum Ioſephi chronologia collato.* §. *XII. Nec non ex chronotaxi imperii Archelai.* §. *XIII. Quin & ex chronotaxi imperii Philippi Tetrarchae.* §. *XIV. Harduini diuerſa ſententia reiicitur.* §. *XV. Quantum temporis inter obitum Herodis M. & imperium Antipae interceſſerit? Annus emortualis Herodis M. fuit Iul. XLII.* §. *XVI. Id quod demonſtratur teſtimoniis Ioſephi, & ex eclipſi lunari tum facta.* §. *XVII. Quantum temporis inter natalem Chriſti & mortem Herodis effluxerit? Dies natalis Chriſti obſcurior. Obſeruatio de die XXV. Decembr. in eccleſia occidentali recepta. Annus tamen verus adparet ex epo-*

cha templi Herodiani. §. *XVIII.* Via ſecunda. *Cenſus tempore natiuitatis Chriſti actus fuit vniuerſalis. Bynaei ſententia examinatur.* §. *XIX. Cenſus hic illuſtratur ex monimento Ancyrano, cuius hiſtoria traditur.* §. *XX. Fragmentum huius monimenti adfertur.* §. *XXI. Idem explicatur. Chronotaxis cenſuum Auguſti.* §. *XXII. Cenſum ſecundum huc pertinere, oſtenditur. Cenſus non vno anno abſoluti.* §. *XXIII. Lapſus quidam Chronologici notantur.* §. *XXIV. Chronotaxis Praeſidum Syriae e numis reſtituta.* §. *XXV. Chriſtus Varo Praeſide natus. Lucas explicatus. Quirinius tempore Chriſti nati non fuit Praeſes Syriae, ſed cenſum extra ordinem egit.* §. *XXVI. Locus Tertulliani explicatur. Tabulae cenſuales diu ſuperſtites.* §. *XXVII.* Via tertia. *Varia interpretatio verborum Lucae. Anni Tiberii modo non vno numerantur.* §. *XXVIII. Era Tiberii Proconſularis e monimentis antiquis illuſtratur, & ad Chriſti natiuitatem adplicatur.* §. *XXIX. Epilogus diſſertatiunculae.*

§. I.

Numorum & Inſcriptionum auctoritas & praeſtantia.

NVMORVM, inſcriptionum, aliorumque, quae tanquam fractae e naufragio tabulae in aetatem noſtram delata ſunt, monimentorum, tanta ſemper viſa eſt auctoritas, vt omnes fere eruditi, qui annales veteres in tuto collocare voluerunt, eorum teſtimonio in primis vtendum ſibi exiſtimauerint. Cuius inſtituti ſui multas profecto habuere rationes. *Quis enim non videt*, inquit IO. DANIEL MAIOR (a), *quam multo potior cenſenda documenti hiſtorici illius auctoritas merito ſit, quod ex veteri numo, marmore, tabula, aut inſcriptione antiqua quauis alia, publico magiſtratus decreto ſollemniter erecta, quam quod ex vno forſan & altero, tot ac tam grandibus ſuſpicionibus obiecto priuati hominis ſcripto hiſtorico petatur?* Certe enim, quum ſcripta hiſtoricorum haud pauca, tum ob librariorum oſcitationem, tum propter ſcribentium adfectus, qui plerumque in calamum migrant, aut ignorantiam, priuatis, ad altiora principum conſilia caligantibus, vix omni ex parte euitandam, ſuſpicione non minima laborent, pleraque etiam mirum in modum inter ſe ſe diſcordent; diuerſa longe eſt monimentorum antiquorum ratio, quippe quae & incorruptiora ad nos peruenerunt, & publica fere auctoritate erecta ſunt, & amantius multo inter ſe conſpirant. Atque haec quidem laus iſtis tam conſentiente omnium eruditorum ſuffra-

(a) Maior *Diſſ. de Numis Rhedigerian.* p. 66.

Digitized by Google

ſuffragio conceditur, vt nemo fuerit poſt felicem litterarum παλιγγενεσίαν inuentus, qui eam in dubium vocare auſus ſit. Antiquos ſcriptores ad ſummas anguſtias redegit IO. HARDVINVS (b), nihilque praeter Plinii hiſtoriam naturalem, Ciceronis aliquot libros, Virgilii georgica, & Horatii epiſtolas, ex antiquitate ad nos perueniſſe, miro ingenio contendit. Diplomatum quoque antiquorum fidem aduerſus Mabillonii ſententiam, impugnauit P. BARTHOLOMAEVS GERMON (c), Ieſuita Gallus, tanta audacia, vt, nihil fere in tabulariis publicis genuini exſtare, credat. At antiquis monimentis neuter dicam ſcripſit, quippe quae ipſa elegantia & ſuperfuſa aerugine (d), tanquam veneranda canitie, antiquitatem tuentur. Contra ea innumera proferre liceret teſtimonia de numorum vſu & praeſtantia, ſi id opus eſſe videretur. Vt enim iam non expilemus aeternum viri incomparabilis, EZ. SPANHEMII, opus *de vſu & praeſtantia numiſmatum*, quo incredibilem veterum numorum vtilitatem in omni doctrinae genere ex inſtituto demonſtrauit: magnus PEIRESCIVS (e) dictitare idemtidem ſolebat, *numiſmata, aliaque id genus, teſtes eſſe antiquitatis incorruptos, ex quibus addiſcerentur, quae fruſtra requireret quis ex hiſtoriographis omnibus.* IO. DANIEL MAIOR, paullo ante laudatus (f), numos vocat *ipſasmet pictas vel ſculptas hiſtorias, quae, adſcriptis ſibi ad latus verbis, aut abbreuiaturis eorum peculiaribus, expreſſae deinde ex lectore auditorem & ſpectatorem, tanquam res hodie gererentur, faciant.* IO. HEMELARIVS (g) *incluſum eſſe ait numis nobile hiſtoriarum opus, & quod ſolum, etiamſi reliqua praeclariſſimorum ingeniorum monimenta intercidiſſent, ſtare aduerſus annorum edacitatem temporumque injurias potuiſſet.* Denique cel. WEDELIVS (h) eosdem *viuam hiſtoriam antiquae gentis & ſapientiae* ſalutare non

(b) Vid. *Vindic. nominis German. aduerſus obtrectatores Gallos. Ittigii Obſeru. ad Biblioth. PP. Apoſt. p.* 208.

(c) B. Germon. *Diſquiſ. de vet. Reg. Franc. Diplom. & arte ſecernendi antiqua diplomata vera a falſis.* Pariſ. 1703. 12. cui Mabillonius *Supplementum librorum de re diplomatica* Pariſ. 1704. fol. Iuſtus Fontaninus Foroiul. *vindicias antiquorum diplomatum* Romae 1705. 4to. Theodoric. Ruinartus *Eccleſiam Pariſienſem vindicatam* Pariſ. 1705. 12. & Petrus Conſtant. *vindicias MSctorum* ibid. 1706. 8vo. oppoſuerunt. Prodierunt poſtea Germonii *Diſceptatio ſecunda* Pariſ. 1706. 12mo. & *tertia* 1707. 12. nec, mortuo licet Mabillonio, intermortua eſt haec controuerſia.

(d) *Virides obducta aerugine numos* laudat Prudentius *in Pſychom.* v. 602.

(e) Chifflet. *Anaſtaſ. Childeric. cap. VII. p.* 113.

(f) *De num. Rhedigerian. p.* 58.

(g) *Praefat. ad aurea numiſm. Caroli Duc. Arſchot.*

(h) *Differt. de numis pileatis Decad. VIII. Exercit. Medico-Philolog. p.* 69.

Digitized by Google

non dubitat. Par pretium etiam inſcriptionibus ſtatuitur, quibus tantum tribuebat BOSIVS (i), *vt in intimam antiquitatis notitiam neminem poſſe peruenire exiſtimaret, niſi qui ingenium inſcriptionum veterum ad vnguem calleret.* Omitto aliorum illuſtrium virorum, veluti DV CHOVL, REINESII, CHIFFLETII, MEIBOMII teſtimonia, quae praefationis limites non capiunt.

§. II.

Etiam in Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Inter monimenta vero haec antiqua, illa mihi inſtar theſauri habenda videntur, quorum teſtimonio hiſtoriae ſacrae atque eccleſiaſticae veritas quodammodo ſtabilitur. Ingentem eorum numerum ipſe collegi, plurimiſque obſervationibus hiſtoricis animi cauſſa illuſtrare coepi, non dubitans, quin integra meſſis obiatura ſe eſſet ei, qui maiore adparatu inſtructus ſerio hoc ageret. Fateor equidem, ſcriptores pontificios rem eamdem ſaepe tentaſſe, ſed quum praeiudiciis in tranſuerſum acti, ritibus tantum ſuis atque erroribus inde praeſidium quaererent, non potuit fieri, quin ſaepius pueriliter errarent. Sic BARONIVS (k) in numo quodam Theodoſii Ioannem & Philippum Apoſtolos, ſacerdotali pontificiorum habitu & tonſura clericali decoros, invenire ſibi viſus eſt, quum Theodoſii ac Valentiniani Imperatorum imagines omnes oculatiores agnoſcant (l). Numos Conſtantini M. in quibus globus arae inſiſtens adparet, cum titulo BEATA TRANQVILLITAS, ad ſacrificium miſſae trahere auſus eſt PEIRESCIVS, merito hinc a SPONIO (m) caſtigatus, qui non hoſtiam euchariſticam, ſed orbem mundanum, imperii ſymbolum, in numo expreſſum monet. Hiſpani inprimis hac in re ineptire videntur, quippe qui non ſolum multas inſcriptiones, in pietatis Hiſpanicae laudem, confingunt (n), verum etiam genuinas ita detorquent, vt riſum ſaepe propinare aliis gentibus videantur. Ex hac fingendi libidine factum eſt, vt ex fragmento antiqui marmoris, in quo litterae S VIAR adhuc exſtabant, ſtatim nouum quendam Sanctum, qui hoc nomen geſſerit, exſculperent, eiuſque ſollemnem conſecrationem ab Urbano VIII. Pontifice R. depoſcerent, quum tamen poſtea a peritis talium antiquitatum oſtenderetur (o), litteras S VIAR reliquas eſſe e tota inſcri-

(i) Boſius *Epiſt. XLV. ad Reineſ. p.* 187.

(k) Baron. *ad ann.* CCCXCIV. *n.* 10.

(l) Henr. Noriſ. *diſſ. de Numis Liciniani Aug. cap. III.* Anton. Pagi *Diſſert. hypat. cap. XIV.* Meibom. *de uſu nummorum in hiſtor. auguſta.* I. A. Schmidt *diſſert. de numis cathedrat.*

(m) Spon. *Epiſt. ad P. de la Chaiſe.*

(n) Velſerus *Epiſt. LI. p.* 551. *Opp.* Scis, quam vani Hiſpani praeter omnes gentes in confingendis inſcriptionibus, quas antiquas credi volunt.

(o) Mabillon. *Tom. I. Muſ. Ital. p.* 148.

zed by Google

inſcriptione, procul dubio ita ſupplendas, ut *praefectus* VIARum, vel *curatores* VIARum, vel *manceps* VIArum, vel aliud ejuſmodi (p) legatur. Eadem temeritate etiam Galli ex inſcriptione, in agro Veſontinenſi reperta, Euſebii cujusdam martyris notitiam ſibi factam crediderunt, figuris adpictis perſuaſi, quas, quum martyrii inſtrumenta crederent, aſcias eſſe docuit MABILLONIVS (q). Sic porro quum Romae a monachis inuentus eſſet lapis, veſtigio hominis notatus, dici non poteſt, quanta veneratione eum coluerint ſuperſtitioſi homines, veſtigium angeli, in mole Hadriani tempore Gregorii M. Papae olim viſi, adorare ſe exiſtimantes. At PETRUS BELLORIVS, antiquitatum ſtudioſiſſimus, vbi in templum venit, & tam numeroſam plebem circa monimentum vidit, acceſſit, accuratiusque inſpecto lapide, ex inſcriptione Graeca, fragmentum ſtatuae Iſidis deprehendit (r). Eadem fabula acta eſt Rauennae, vbi S. Argyris religioſe culta diutiſſime fuit, quam tamen ethnicam fuiſſe, ex inſcriptione marmoris ſepulcralis, ibidem obuia, deprehendit P. PAPEBROCHIVS (s). Denique, vt & controuerſiae, num Petrus Romae fuerit? finis aliquando imponeretur, fuere, vt ait ANTONIVS AVGVSTINVS (t), qui Neronis numum fingerent cum litteris: PETRVS GALILAEVS, quem ingenti pretio Paullo IV. Pontifici impoſtores obtruſerunt. *Cuderant ipſi hinc quidem Neronis caput, cum ſolitis titulis; in auerſa autem parte S. Petri faciem, qualis in plumbis bullarum ac diplomatum pontificiorum ſpectatur, adſcriptumque erat:* PETRVS GALILAEVS. *Addebant, repertum numum iuxta S. Petri Sacellum, hoc amplius, pontificem S. Petro perſimilem eſſe, adſerebant.* Sed plura exempla adiicere, chartae anguſtia prohibet. Non opus eſſe pluribus credimus, quum vel ex his ſatis conſtet, quam parum feliciter pontificii antiqua monimenta ad hiſtoriam ſacram accommodarint.

§. III.

Multo maiore ingenii dexteritate illi adhuc in numiſmato-critica & ſcientia lapidaria verſati ſunt, qui eiuſmodi monimenta ad chronologiam ſacram tranſtulerunt, eamque variis locis illorum ope emendarunt. Quod neſcio an quiſquam maiore animi dexte- *Scopus Diſſertationis.*

 ritate

(p) De magiſtratibus viarum vid. Lipſ. *ad Tacit. l. 3. Annal. p. 158.* & V. C. Eu. Otto *de Tutela viar. Parte* II. *p.* 314.

(q) Mabill. *Epiſt. de cultu Sanctor. ignotor.* Pariſ. 1698. 4to.

(r) Burnet. *Epiſt. XII. de itiner. Ital. p. 182. ſqq.*

(s) *Acta Sanct. Maii Tom. V. p. 223. ſqq.*

(t) Anton. Auguſtin. *dial. II. de num. antiqu.* Dan. Larroquan. *diatrib. de legion. fulminatr. p. 613.*

ritate praeſtiterit, quam duumuiri eximii, HENR. NORISIVS, cum in aliis operibus, tum in quantiuis pretii libro *de Epochis Syro-Macedonum*, & ANT. PAGI *in Critica Baroniana*, & *Diſſertatione Hypatica*. Eius rei & ipſe ſpecimen nunc dabo, diſſertationem hanc de GENVINA ERA NATIVITATIS CHRISTI, NVMIS ALIISQVE MONIMENTIS ILLVSTRATAM, quam vbi patronis probari deprehendero, ceterae ſuo tempore ſequentur, memorias ſanctorum, hiſtoriam perſequutionum, rituum, ſacramentorum, haereticorum, conciliorum, lectionum & hymnorum, aliaque hiſtoriae ſacrae capita, ex monimentis variis illuſtraturae.

§. IV.

Cur era genuina Natiuitatis Chriſti obſcura ſit?

Cur genuina Chriſti era nobis, qui Chriſti nomen profitemur, in tanta litterarum luce hodienum tam obſcura ſit, cauſſae ſatis multae in promtu ſunt. Praecipua tamen haec videtur, quod naſcentis eccleſiae patres, maximo pietatis myſterio unice intenti, operoſas temporum computationes inſuper habuerunt. Si enim ab initio ſtatim annos a Chriſti natali numerare, eamque eram aut in ſcriptis ſuis, aut in monimentis publicis uſurpare voluiſſent: nihil fortaſſis hodie laboraremus. Iam vero primitiua eccleſia non niſi eris tum vulgo receptis Romanorum, Hiſpanorum & Syro-Graecorum vti ſolebat (u). Arabes tamen iam ineunte ſaeculo III. annos ab adſcenſione Chriſti numeraſſe, ex Codice MSC. Arabico didiciſſe ſe ait FRANC. FICORONIVS (uu). Poſtea eram martyrum, quae ex Diocletiani anno primo conſurgit, excogitarunt Aegyptii (x), aemulas hac in re habituri & orientales, & occidentales eccle-

[u] Chriſtiani pro diuerſis mundi partibus, in quibus vixere, diuerſis quoque eris vſi ſunt. Pleriſque Conſulum aut Imperatorum annis res geſtas ſignare placuit. *Era Hiſpanica* locum inuenit in monimentis & conciliis Hiſpaniae, vt teſtatur Scaliger *lib. V. de Emendat. Temp. p.* 235. & Mabillon. *lib.* II. *de Re dipl. c.* 23. *p.* 176. *Era Syro-Macedonum* vſos videmus Orientales, ceu adparet ex *Euangelio infantiae Chriſti Arabico*, quod ex Henr. Sickii interpretatione denuo edidit Fabric. *in Cod. Apocryph. N. Teſt. p.* 159. *Tom. I.* Immo ſunt qui ſuas ſibi eras habent, ab aliis non admiſſas, quales ſunt illa Gregorii Turonenſis, a tranſitu B. Martini repetita, aliaque *era trabeationis*, quae in Capitularibus Franciae occurrit apud Baluz. *Tom.* II. *p.* 630. quamque de annis dominicae paſſionis explicat Carol. du Freſne *Tom.* III. *Gloſſ. Lat. p.* 1155. de incarnationis vero era accipit Io. Frid. Mayer *Diſſ. de praeceptoribus Chriſti p.* 17.

(uu) Franc. Ficoronius *Obſeru. de Antiqu. Rom. p.* 6. Vid. *Act. Erud. Lipſ. an. MDCCX. p.* 115.

(x) De hac era, quam Aegyptii Taarich Alſchda, i. e. *eram martyrum* vocant, vid. Hotting. *ſaecul. IV. Hiſt. Eccl. p.* 182. Carol. du Freſne *Tom. I. Gloſſ. Med. & inf. Latinit. p.* 200. Scalig. *lib. V. de Emend. temp. p.* 246. Eamdem quidem

eccleſias, licet illas his conſtantiores. Eram vero a Chriſti natali deductam primus invenit DIONYSIVS EXIGVVS, Abbas Romanus, qui ſaeculi ſexti initio floruit. Sed tantum abeſt, ut ejus epocha ſtatim publice recepta ſit, ut demum Carolingorum temporibus ſenſim coeperit monimentis adſcribi (y), vnde non eſt mirandum, nobis hanc eram crucem figere, cuius tam parum curioſi fuerunt antiqui.

§. V.

Monimenta antiqua, era Chriſti ſignata, ſuppoſititia ſunt.

Inde facile patet, quid de monimentis antiquioribus judicandum ſit, quae eram Dionyſiacam adſcriptam habent. Nemo enim non videt, illa falſa ac ſuppoſititia eſſe. Huius commatis eſt gladius, inter rudera templi cuiuſdam in Gallia repertus (z), cui ab altero latere characteribus Gothicis inſcriptum:

VTRIQVE NOMEN PEPERI ET MAGNO
ALEXANDRO ET MAXIMO CAESARI.

ab altero: NEC VIS HERCVLEA ME TERRVIT
VNQVAM DVM CONSTANTINI MAGNI
FIRMAREM IMPERIVM THEOGONIAS
III CXX.

Verum ſe ipſum iugulat hic gladius. Quid enim Gothicus character Conſtantini tempore, qui ſerius, imperante Valente, ab Vlphila Epiſcopo eſt inuentus (a)? Quid vox *θεογονίας*, Conſtan-

quidem eram ab Aethiopibus intelligi per eram miſericordiae putauerat *l. c.* Sed eram Orbis conditi intelligendam, monet Ludolfus *Comment. ad hiſtor. Aethiop. p.* 385.

(y) Pipini aetate receptam hanc eram fuiſſe, auctor eſt Bucherius *Sect. I. Chron. rer. Franc.* Alii, quum ne tunc quidem in monimentis haec era reperiatur, a Carolo Craſſo introductam credunt. Vid. Aventin. *lib. IV. annal. Boi. p.* 461. Nicol. Vignier *Chronic. Burg. ad ann.* 885. Stumpf. *lib. VII. Helvet. cap.* 6. *fol.* 197. Denique recentiſſimum huius erae vſum facit Salomon van Til, qui in *Diſſert. de annis Chriſti*, *Phoſphoro prophetico adnexa Part. I. c. I.* huius erae vſum demum anno MCCCCXXXI. ſeu Eugenii IV. pontificatu inualuiſſe, contra diplomatum aliorumque monimentorum fidem contendit. Sed maxime placet ſententia Mabillonii, qui quidem *lib. II. cap.* 28. §. 1. *de Re Dipl.* annos incarnationis iam inde a ſaeculo octauo in diplomata nonnunquam admiſſos eſſe, ex Traditionibus Fuldenſibus Piſtorianis monſtrat, nec tamen *cap.* 26. §. 4. negat, Carolingorum adhuc tabulas pleraſque hac epocha carere. Vnde ab horum demum temporibus eram Dionyſiacam inualuiſſe, credere par eſt.

(z) Vid. *Auctor Hiſtoriae Henrici II. vltimi Ducis de Montmorency.*

(a) Vlphilam inuentorem litterarum Gothicarum magno conſenſu tradunt Philoſtorg. *lib.* II. *Hiſt. Eccl. p.* 471. Socrat. *lib. IV. Hiſt. Eccl. c.* 33. Sozomenus *lib. VIII. c.* 37. & Theodoricus *lib. IV. cap.* 37. In eo tamen inter ſe diſcordant, quod Philoſtorgius Vlphilae aetatem in Conſtantini M.; ceteri in Valentis tempora reiiciunt. Sed Philo-

ſtorgii

Digitized by Google

tini aeuo inaudita, licet concretum θεόγονος apud perſonatum DIONYSIVM AREOPAGITAM (b) legamus? Quis deinde probauerit ſcriptionem IIICXX pro CCCXX, omni auctoritate exemploque deſtitutam? Merito igitur mireris, auctori, qui vitam vltimi Ducis Montmorencii deſcripſit, ne dubitandum quidem videri, quin fatalis hic gladius reuera & Alexandrum M., & Iulium Caeſarem, & Conſtantinum M. & poſt hos Carolum M. & Raynaldum Ducem de Montalbano, poſſeſſores habuerit.

§. VI.

Numus Conſtantini M. ſuppoſititius.

Nec melioris notae eſt numus Conſtantini, quem anno erae vulgaris MDCXI Matthiae Imp. Pragae obtulit IOACHIMVS SCHLEGELIVS. Praefert ille in antica effigiem Chriſti, dextrae digitos, benedicentis more, erigentis, ſiniſtra vero globum tenentis, cum perigraphe: A. CH. CCCXXIV. In poſtica diabolus & mors catenis implicati conſpiciuntur, cum lemmate Hetruſcis, vt HECKELIVS putat, ſeu, ut SCHLEGELIO viſum eſt, Vaſtualdi notis ſcripto: SALVATORI MVNDI SACRVM. Licet autem non modo SCHLEGELIVS, ſed & BAYFIVS, SYLBVRGIVS, PANNONIVS & HECKELIVS genuinum hunc numum iudicent, & tum cuſum exiſtiment, quum Conſtantinus Nicomediae ſalutari baptiſmatis fonte initiatus, Chriſtianorum diptychis, & paullo poſt caelitum numero adſcriberetur: illius tamen νοθείαν tam claris argumentis probauit TENZELIVS (c), vt neminem hodie putem eius cauſſam acturum. Sed omnium impudentiſſime aetatem mentitur inſcriptio haec Spoletana, a CHRIST. AD. RVPERTO (d) deſcripta, quae ipſa quoque eram vulgarem adſcriptam habet.

D. O. M.

ſtorgii interfuit, Vlphilam antiquiorem facere, vt Arianiſmi inter Gothos propagati vetuſtatem eo ſpecioſius oſtentaret, ceu obſeruat Guil. Caue *Part. I. Hiſt. litt. ſaecul. IV. pag.* 129. Equidem Baſnagius *Tom.* III. *Annal. Eccleſ. polit.* creditu difficillimum eſſe putat, Gothos ante Vlphilae aetatem ſcriptura propria plane caruiſſe, quandoquidem jam anno CCCXX. epiſcopum ſuum ad concilium Nicenum ablegarint. Sed hoc argumentum quid contra tot teſtes inferre poſſit, nondum video. Conf. de litteris Gothicis, quae & Toletanae audiunt, Mabillon. *lib. I. de Re diplom. cap.* 11. *p.* 48. & *lib. V. p.* 346. 347. Roderic. Toletan. *lib. VI. Rer. Hiſp. c.* 30. Iuſti Fontanini *Vindic. Antiqu. Dipl. contra Germon. lib.* I. *c.* 8. Struuii *Act. Litterar. ex MSCt. faſcic. I. p.* 22.

(b) Dionyſ. Areop. *lib. de Divin. nominib. cap.* II. *Sect. I. p.* 415. & *Sect. VII. p.* 423.

(c) Tenzel. *dialog. menſtr. anno* 1689. *p.* 885.

(d) Rupert. *Epiſt. LXII. ad Reineſ. p.* 568.

Digitized by Google

D. O. M.
S. MICHAELI ARCHA
NGELO POST CONS
VLATVM FELICIS ET
TAVRI ANNO VERO SA
LV HVM. CCCCXXVIII HO
C TEMPLVM DICATVM SA
CROQ. BAPTISMATIS FONT
E AD CATHED ECCLESIAM
POSTEA TRANLATO MAXIMISQ
INDVLGENTIIS PER TOTVM MENSEM
MAII INSIGNITVM SACRATV
M Q. FVIT.

Conſulatus Tauri & Felicis eraeque vulgaris CCCCXXVIII concurrunt cum anno Theodoſii XXI & XXII, quo nondum Archangelis templa dedicata, nondum cathedralis eccleſiae nomen auditum, nondum ſuperſtitioſus ille indulgentiarum mercatus inſtitutus. Vnde omnes credo adſenſu ſuo confirmaturos eſſe iudicium Reineſii (e), qui, hanc Inſcriptionem a recentiore manu ex annalibus Eccleſiae Spoletanae compilatam eſſe, credit.

§. VII.

Num era Chriſti in numis medii aeui occurrat?

Quo certius igitur eſt, eram Dionyſiacam ante Carolingorum tempora in monimentis publicis nondum vſurpatam fuiſſe, eo magis ſubit mirari, cur in medii aeui numis, ne ea quidem aetate, qua in diplomatibus adſcribi coepit, adpareat? Quam plurima ſane medii aeui numiſmata tum ſolida, tum bracteata, paſſim in eruditorum ſcriniis ſeruantur, nec pauca a Domino LE BLANC, FONTANO, CORNELIO DE ALKEMA, ELIA BRENNERO, THOMA BIRCHERODIO, SPERLINGIO, TENZELIO, MELLENIO, SCHLEGELIO & Reu. IO. ANDR. SCHMIDIO delineata ſunt: ſed in nullo omnino erae Chriſtianae vola aliqua aut veſtigium exſtat. Repertus quidem eſt numus bracteatus BERNARDI, Ducis Saxoniae (f), ita inſcriptus: BERNARDVS DVX SAXONIE MOSI, ex qua voce vltima nonnulli elicere volunt annum MC8I id eſt 1181, quae ſcribendi ratio, ex numeris Romanis & barbaris mixta, in MCstis codicibus non nunquam obſeruatur (g). Sed quoniam characteres tam

(e) Reineſ. *Epiſt. ad Rupert. ibid.*

(f) Poſſidet hunc quantiuis pretii bracteatum Dn. Zollmannus *Conſiliar. Saxonicus.* Eius vero iconem dedit Tenzel. *in Dial. Menſtr. an. 1691: p. 619.*

(g) Sic Tenzel *in dial. menſtr. anni 1693. p. 456.* ex MSCto. adducit exemplum numeri cccc81. id eſt 1281. Mabil.

tam obſcuri ſunt, ut aeque facile MOSI ac MC81 legas; malim ego quidem accedere TENZELII (h) & clar. OLEARII (i) ſententiae, qui vel MOnetam SIgnavit, vel aliud quid, huic ſimile, legendum putant, quam aliorum, qui eram Chriſti hic ſibi videntur inueniſſe. Paucis vt me expediam, tam conſtanter ex monimentis antiquis era Chriſtiana exſulat, vt ſperandum vix videatur, vllo nos in inueniendo genuino Chriſti natali adiutum iri.

§. VIII.

Quot viis monimenta ad genuinam Chriſti eram adducant?

Attamen non deſunt monimenta, quibus veluti aliud agendo ad verum Chriſti natalem adducimur. Quum enim tres praecipue characteres ab Euangeliſtis proponantur, ad quos, tanquam ad Lydium quemdam lapidem, Chronologorum ſententiae exigendae ſunt: totidem quoque modis monimenta antiqua nobis erunt adiumento. *Primus* character eſt ille MATTHAEI (k), qui Chriſtum natum adſirmat *ἐν ἡμέραις Ἡρώδου τοῦ βασιλέως, in diebus Herodis regis*, atque eius quidem Herodis, cuius imperium paullo poſt ad Archelaum filium deuolutum eſt. Huc igitur facient monimenta, quae chronotaxin Herodiadum ordinant. *Secundus* eſt LVCAE (l), qui Chriſtum virgineo partu in lucem editum ait, quum Caeſaris Auguſti auſpiciis cenſus per P. Quirinium ageretur. Hic igitur vſui nobis erunt monimenta, quae cenſus ab Auguſto actos, & Praeſidum Syriae chronologiam illuſtrant. *Tertium* characterem eidem Euangeliſtae (m) acceptum ferimus, iſque omnium diſtinctiſſime, Chriſtum decimo quinto Tiberii anno *ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν ἀρχόμενος, quaſi triginta annos habere coepiſſe*, docet. Et huc referri oportebit monimenta, quae annis Tiberii in ordinem redigendis ſunt idonea. Quod qua ratione expediri poſſit, breui ſpecimine nunc experiemur.

§. IX.

Prima via. *Chronotaxis Herodiadum.*

Ad ordinanda Herodiadum tempora praecipue facit numus Herodis Antipae, quem e RIGORDI Muſeo multi eruditorum adhuc exhibuerunt, ſuiſque illuſtrarunt obſeruationibus. Poſtquam enim eius ectypum a RIGORDO acceperat ANTON. MAGLIABECCHIVS, hic ſtatim illum cum HENRICO NORISIO communicauit, qui dein-
de

Mabillonius vero *lib. V. de Re Dipl. Tab. 15. p. 373.* ſpecimen profert ex Codice Cauenſi, in quo Kempiſii libellus de Imitatione Chriſti habetur. In eo vero hae occurrunt notae numerales X2 pro XII. X3 pro XIII. X4 pro XIV. &c.

(h) Tenzel. *l.c. & anno 1693. p.455.*

(i) Olear. *Iſagog. in numophylac. bracteat. cap.* III. *Sect. IV. p. 20. ſeq.*

(k) Matth. II. 1.

(l) Luc. II. 1,

(m) Luc. III. 1. coll. 23.

de erudita epiſtola, ad ANTONIVM PAGI exarata (n), ſententiam ſuam de praeclaro monimento expoſuit. Paullo poſt ipſe RIGORDVS Diſſertationem de hoc numo hiſtoricam edidit (o). Sed & IO. HARDVINVS (p) & EMMANVEL SCHELSTRATENVS (q) eius expoſitione exercuerunt ingenia, licet ille, more ſuo, noua potius & paradoxa, quam vera, ſectari voluiſſe videatur. Ceterum ipſe numus eſt aeneus, minoris moduli (r), & in antica quidem palmam, ſollemne illud Iudaicae monetae χάραγμα praefert, cum lemmate: ΗΡΩΔΗC ΤΕΤΡΑΡΧΗC L : ΜΓ. in poſtica Caeſaris Caligulae nomen, corollae inſcriptum: ΓΑΙΩ ΚΑΙCAρι ΓΕΡμαΝΙΚΩ. Sic numi inſcriptionem & NORISIVS & RIGORDVS & HARDVINVS & SCHELSTRATENVS initio exhibuerunt. Quum vero paullo poſt Lutetiam eſſet miſſus, TOINARDVS aliique aeris antiqui cenſores obſeruarunt, hos omnes deceptos, legere potius debuiſſe ΓΑΙΩ ΚΑΙCAρι ΓΕΡΜανικῷ ΣΕΒαστῷ. Vnde SCHELSTRATENVS adpendicis loco denuo hunc numum aeri incidendum, lectoremque de errore monendum, putauit. *Numi Herodis Antipæ deſcriptio.*

§. X.

De fide huius numi ſubdubitare initio aliquantulum viſus eſt NORISIVS. Sed quum alii, in numiſmatocritica verſatiſſimi, qui ipſum numum viderant, conſentiente iudicio eum γνησίως abſoluerent: ipſe quoque laudatus NORISIVS in epiſtola, a SCHELSTRATENO edita (s), ſententiam mutauit. Omnia ſane in hoc numo antiquitatem redolent, nec vllum in eo eſt fraudis veſtigium. Littera L. pro Λ poſita tantum abeſt, vt ſuſpicionem nobis iniicere vllam poſſit, vt de antiquitate numi non obſcure teſtetur. Graecas enim litteras olim cum Latinis eiuſdem plane figurae fuiſſe, ex Tabula Delphica docet PLINIVS (t). Quod quum varia monimenta confirmant, tum vetus inprimis inſcriptio apud SPONIVM (u), in qua haec nomina Graeca per L ſcripta occurrunt: LΥΚΙΝΟΣ, LΥΣΙΜΑΧΙΔΕΣ, LΥΣΙΣ, ΚΑLLΙΠΠΟΣ. Vt taceam, in numis epochas vix aliter quam per L. quod λυκάβαντος, id eſt, annum *Eius γνησιότης oſtenditur.*

(n) Edita eſt haec Noriſii epiſtola cum Tractatu *de Anno & Epochis Syro-Macedonum Florent.* 1689. 4.

(o) Rigordi *Diſſertatiuncula* Gallice *ſcripta* prodiit *Pariſ.* 1689. 4.

(p) Harduin. *in Proluſione Chronol. e numis reſtitutae de numis Herodiad.* p. 48.

(q) Schelſtraten. *Antiqu. Eccleſ. illuſtrat. Tom. I. p.* 653.

(r) Numi figuram habes etiam in *Act. Erud. Lipſ. Anno* 1690. *p.* 431. & *Supplem. Tom. II. p.* 364.

(s) Schelſtraten. *Tom. I. Antiqu. Eccl. p.* 653.

(t) Plin. *lib. VII. hiſt. nat. cap.* 58.

(u) Spon. *Miſcell. Antiqu. Sect. X. n.* 1. *p.* 315.

num notat, exprimi. Quum porro magnum hoc ſit γνησιότητος argumentum, ſi numus cum aliis eiuſdem principis conueniat: noſtro non poteſt non magnum inde pondus accedere, cui geminum ſeruat numophylacium Regis Franciae (w), in hoc tantum a noſtro diuerſum, quod non λυκάβαντα μ'γ ſed L. ΛΔ praefert, & in corolla exhibet locum, vbi cuſus eſt, nempe Tiberiadem. Vt adeo nihil ſit, meo quidem iudicio, quod numum hunc RIGORDI ſuſpectum reddere poſſit.

§. XI.

Herodes Antipas regnare coepit an. Iul. 43.

Ceterum hic numus, ſi cum aliis monimentis conferatur, ea de cauſſa inprimis ad inſtitutum noſtrum facit, quoniam nobis initium tetrarchiae Herodis Antipae prodit, quo inuento, etiam mors Herodis M. fiet manifeſtior, atque ſic totum confectum erit negotium. Conſtat igitur e IOSEPHO (x), Herodem M. prioribus, quas confecerat, tabulis, Antipam filium ſucceſſorem deſtinaſſe, poſtea vero, pertaeſum prioris teſtamenti, Archelao regnum, Antipae Galilaeam cum Peraea, Philippo denique Batanaeam & Paneada tetrarchiae nomine adſignaſſe (y). Mortuo inde parente, Antipas a Salome ad regni ſpem erectus, Romam nauigauit, ita ibi inſtructurus ſcenam, ut priores tabulae poſterioribus praeferrentur, ipſeque, excluſis fratribus, ad regnum adſpiraret. Lite itaque aliquantulum protracta, Auguſtus Caeſar in ſollemni amicorum conſeſſu ita diuiſit prouincias, ut Philippum Batanaeae, Trachonitidi & Auranitidi; Antipam Galilaeae & Peraeae tetrarchas daret, maiorem natu, Archelaum, Iudaeae & Samariae ethnarcham praeficeret (z). Factum hoc eſſe ante erae vulgaris initium, ex eo adparet, quod idem IOSEPHVS narrat (a), Caeſarem in conſilium aduocaſſe amicos, & in his Caium, nepotem, iam a ſe adoptatum, cui honoratiſſimum in conſiſtorio locum dederit. Inde enim facile liquet, Caium tum adhuc Romae fuiſſe, Lucium vero, eius fratrem, nondum in forum prodiiſſe, alias pari cum Caio honore fruiturum. Quum igitur Caius anno Auguſti XLV in Orientem miſſus, numquam redierit Romam, morte quippe praepropera in itinere exſtinctus, Lucius vero eodem anno demum in forum deductus ſit (b): ſane

(w) Schelſtraten *l. c.* Ez. Spanh. *de Vſu & praeſt. numiſm. Diſſ. VIII. p.* 527. *Tom. I.*

(x) Ioſeph. *lib. XVII. Antiquit. Iud. cap.* 10.

(y) Ioſeph. *lib. XVII. cap.* 11.

(z) Ioſeph. *lib. XVII. cap.* 13.

(a) Ioſeph. *lib. XVII. cap.* 11.

(b) Sueton. *cap. XXVI. Aug.* Ant. Pagi *Adpar. ad Crit. Baron. n.* 153. & 155. *ſqq. p.* 40. Noriſius *Cenotaph. Piſan. diſſert. II. p.* 119.

ſane inde conſequitur, vt diuiſio iſta iam ante annum Auguſti XLV, atque adeo etiam ante erae vulgaris initium facta ſit. Iam ex numo noſtro diſcimus, Herodem Antipam ex eo tempore adhuc L. ΜΓ hoc eſt annos XLIII tetrarchiae praefuiſſe. Ponamus interea, annum hunc quadrageſimum tertium cum tertio Caii Caligulae, hoc eſt Iuliano LXXXV concurrere, eodemque anno numum cuſum eſſe, quo Herodes, denuo regnum anhelans ad Caium Baias profectus eſt, (ſane enim poſt ea tempora Antipas in exſilium miſſus numos cudere non potuit,) conſequens erit, vt primum Herodis Antipae annum incidere in conſulatum Cn. Cornelii Lentuli & M. Valerii Meſſalae, hoc eſt, annum Iulian. XLIII & Caeſaris Auguſti XLII fateamur.

§. XII.

Supputationi huic non parum ponderis accedit ex Archelai imperio, cuius eadem cum fraterno fuere primordia. Auctor eſt DIO CASSIVS (c), Hiſtoricorum per haec tempora facile princeps, Archelaum, quem gentili nomine Herodem adpellat, anno ab V. C. DCCLIX. Iulian. LI. M. Lepido & L. Aruntio Coſſ. prouinciis regnoque ab Auguſto eſſe mulctatum, & exſulem in Galliam deportatum. Ita enim ille ad annum ſupra ſignatum: ὁ Ἡρώδης ὁ Παλαιστηνὸς αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβὼν, ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ὑπερωρίσθη, καὶ τὸ μέρος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδημοσιώθη. *Herodes Palaeſtinus, a fratribus accuſatus, trans Alpes eſt relegatus, ac pars eius ditionis in publicum redacta.* Quod ne cuiquam dubium videatur, conſentientem DIONI producam IOSEPHVM (d), qui, vbi cenſum, relegato Archelao, a Quirinio actum enarrat, *eum incidere ait in annum trigeſimum ſeptimum poſt victum a Caeſare in Actiaca pugna Antonium*, qui eſt ille proximus annus ab eo, quem Dio ſignauit. Apud Actium enim pugnatum eſt IIII. Non. Septembris A. V. C. DCCXXII. Iulian. XV. Inde annus XXXVII. eſt Iulian. LII, quem proxime anteceſſit Archelai proſcriptio. Porro eidem IOSEPHO (e) obſeruatum eſt, Archelaum prouinciis exciſſe δεκάτῳ ἔτει τῆς ἀρχῆς *decimo principatus anno*, hoc eſt nono exacto. Quod ſi igitur ab anno V. C. DCCLIX retro numeres nouem annos, incides in annum ab V. C. DCCLI Iulian. XLIII, hoc eſt in illum ipſum, quem Herodiani numiſmatis beneficio ſuperiore paragrapho imperii illorum auſpicalem eſſe adſeruimus.

(c) Dio Caſſ. *lib. LV. p.* 567.
(d) Ioſeph. *lib. XVIII. Antiquit. Iud. cap.* 3.
(e) Idem *lib. XVII. c.* 15.

§. XIII.

Praeterea haec ſupputatio confirmatur chronotaxi annorum Philippi, tertii fratris, quem Trachonitidem cum Batanaea tenuiſſe diximus. De hoc ita IOSEPHVS (f): *Tunc etiam Philippus, Herodis (Antipae) frater, diem ſuum obiit, anno Tiberii principatus vigeſimo quum ipſe praefuiſſet triginta ſeptem annis Trachonitidi & Gaulanitidi ac Batanaeae.* Quum ergo Tiberii annus XX & Philippi XXXVII concurrat cum anno V. C. DCCLXXXVII Iulian. LXXIX, neceſſario ſequitur, auſpicia Herodis incidere in annum ab V. C. DCCLI Iulian. XLIII, iam antea numi auctoritate a nobis ſtabilitum.

§. XIV.

Harduini diuerſa ſententia reiicitur.

Ordinatis igitur Herodis Antipae temporibus, & cum fratrum, chronotaxi conciliatis, non difficulter licebit colligere, quid ſentiendum videatur de HARDVINO (g), annum Herodis XLIII, qui in numo adparet, cum Caii Imperatoris anno primo coniungente. Quam rem demonſtraturus hanc praeſtruit hypotheſin: *Vbi in numis Herodum Imperatorum annus omittitur, primus eſt ſemper intelligendus. Hanc enim ab illis veluti fidei ſuae teſſeram dari Caeſaribus oportuit in auſpiciis imperii, ſuamque vel ſic probare clientelam aut coniunctionem.* Sed haec regula, ex HARDVINI ingenio nata, nullum in re numaria inuenit praeſidium, pluresque exceptiones patitur. Exſtant enim numi Agrippae Regis quam plurimi (h), in quibus Veſpaſiani, Titi vel Domitiani capita conſpiciuntur, annis imperii non adſcriptis, & tamen auerſae numorum facies modo ἐΤΟυ ΙΘ ΒΑσιλέως ΑΓΡΙΠΠΑϹ, modo ἐΤΟυ ΚΔ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ, modo ΕΤΟυ Κϛ ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ, modo ΕΤΟΥ ΚΘ. ΒΑ ΑΓΡ. ΙΠΠΑ, id eſt, modo annum Agrippae Regis XIX, modo eiuſdem XXIV, modo XXVI, modo XXIX praeferunt, quos omnes nec Harduinus nec alius quiſquam, ſalua chronologia, cum primis iſtorum Imperatorum annis coniunget.

§. XV.

Tempus inter obitum Herodis M. & Imperium Antipae.

Iam igitur quaerendum videtur, quantum temporis inter Herodis mortem & Antipae initium effluxerit? Hoc vero negotium non rectius expediemus, quam vbi anni tempus, tum quo Herodes M. impuram animam efflauit, tum quo Antipas cum fratribus principatum Romae obtinuit, indagauerimus. Hic iterum nos iuuat IOSEPHVS (i), qui vbi Archelaum aeque, ac Antipam, inſtante

(f) Ioſeph. *l. XVIII. Antiq. Iud. c. 8.*

(g) Harduin. *proluſ. Chronol. de numis Herodiad. p. 48.*

(h) Spanhem. *de Vſu & praeſtant. numiſm. Diſſert. IX. p. 533. Tom. I.*

(i) Ioſeph. *lib. XVII. c. 11.*

ſtante feſto paſchatis, Romam nauigaſſe expoſuit, ſtatim pergit ad ſeditionem Iudaeorum, ingruente feſto pentecoſtes contra Sabinum excitatam (k), atque interea, dum haec geſta ſint, fraternam de regno contentionem a Caeſ. Auguſto ſopitam tradit. Vnde certo conſtat, adulta iam aeſtate cauſſam hanc Romae ad liquidum fuiſſe perductam. Herodis autem mors quo anni tempore contigerit, non aeque facilis coniectura eſt. Valeat tamen hic tantiſper Iudaeorum auctoritas, qui in libris ieiuniorum ad diem VII menſis Casleu Synagogae ſupplicationem indicunt, quod is ſit ים שמת הורודום *dies quo exceſſit Herodes* (l). Ex quo colligitur, circa Nouembrem eum obiiſſe, & quidem anno, qui filiorum principatum proxime anteceſſit, nempe Iuliano XLII Auguſti XLI, C. Caluiſio Sabino & L. Paſſieno Rufo Coſſ.

§. XVI.

Sed ne quis exiſtimet, emortualem hunc Herodis annum, in quem EM. SCHELSTRATENVS (m), ANTONIVS PAGI (n), NORISIVS (o), RIGORDVS (p), IO. CLERICVS (q), Auctor anonymus apud SARNELLIVM (r), TILLEMONTIVS (s), GVIL. WHISTON (t), BASNAGIVS (u), aliique eruditorum anteſignani miro conſenſu feruntur, ſolo Iudaeorum teſtimonio niti, etiam hoc addimus, quod IOSEPHI chronologia cum hac hypotheſi amantiſſime conſpiret. Hic enim de Herodis morte ita tradit (x): Τελευτᾷ βασιλεύσας μεθ' ὃ μὲν ἀνεῖλεν Ἀντίγονον, ἔτη τέσσαρα καὶ τριάκοντα, μεθ' ὃ δὲ ὑπὸ Ῥωμαίων ἀπεδέδεικτο, ἑπτὰ καὶ τριάκοντα. *Moritur, quum regnaſſet poſt ſublatum quidem Antigonum triginta quatuor annos, poſteaquam vero renunciatus fuerat a Romanis, triginta ſeptem.* Hinc nemo non videt, emortualem Herodis annum ſtatim in aprico futurum, ſi, quo anno imperare coeperit, certum fuerit atque exploratum. Sed & hac in re Ioſephi laudanda induſtria, ſiquidem accurate annum deſignavit, quo Herodes Romanorum

Teſtimonius Ioſephi demonſtratur.

(k) Idem *lib. XVII. c. 12.*

(l) Vid. Iacobi Vſſerii *Annal. V. T.*

(m) Schelſtraten. *Antiqu. eccleſ. illuſtr. l. c.*

(n) Anton. Pagi *in Adparat. ad Crit. Baron. n. 142. p. 35. Tom. I.*

(o) *In Cenotaph. Piſan. & epiſt. citat.*

(p) Rigord *Diſcours ſur une medaille de Herode Antipas.*

(q) Io. Cleric. *Diſſ. I. de annis vitae Chriſti ad Harmon. Evang. p. 2. ſqq.*

(r) Vid. Sarnell. *lettere Eccleſiaſtiche* 35.

(s) Tillemont *dans les Mémoires pour ſervir à l'hiſtoire eccléſiaſtique To. I. part. I.*

(t) Gu. Whiſton. *Conſpect. Chronol. N. T. prop. 12.* vbi annum emortualem Herodis adſignat periodi Iulian. 4710. qui idem eſt cum Iuliano 42.

(u) Sam. Baſnag. *Annal. p. 117. ſqq.*

(x) Ioſeph. *lib. XVII. cap. 10. & lib. I. de bello Iud. cap. 21.*

manorum auſpiciis regni decus in familiam ſuam intulit. Factum enim hoc teſtatur ἐπὶ τῆς ρ΄ καὶ π΄ καὶ δ΄ ὀλυμπιάδος, ὑπατεύοντος Γαΐου Δομιτίου Καλβίνου τὸ δεύτερον καὶ Γαΐου Ἀσινίου Πωλίωνος, *Olympiade CLXXXIV. C. Domitio Caluino iterum & C. Aſinio Pollione Coſſ* (y). qui fuit annus ab V. C. DCCXIV. Iulian. VI. Auguſti vero V. Quod ſi igitur ab hoc anno numeraueris annos XXXVII, quos imperauit, habebis annum ab V. C. DCCL Iul. XLII. Auguſti XLI, quo mortuum illum demonſtrauimus. Alio loco narrat (z), illum Hieroſolyma expugnaſſe tertio anno, ex quo Romae Rex fuerat renunciatus, Conſulatumque tunc Romae geſſiſſe M. Agrippam & Canidium Gallum (a). Qui annus Faſtorum omnium fide eſt ab V. C. CXVII. Iulian. IX. Auguſti IIX, a quo ſi numeraueris annos XXXIV, quos ex eo tempore regnauit, denuo incides in annum ab V. C. DCCL. Iulian. XLII. Auguſti XLI, ſupra a nobis conſignatum.

§. XVII.

Tempus inter natalem Chriſti & mortem Herodis. Dies natalis Chriſti obſcurior.

Sed vltima ſupereſt quaeſtio omnium difficillima, quandoquidem in ea & IOSEPHI, & patrum teſtimoniis deſtituimur. Nondum enim ad liquidum perductum eſt, quantum temporis inter Chriſti natalem & Herodis exceſſum interceſſerit. De menſe & die non adeo laborabimus, quum omnes & traditiones & coniecturae ſine fundamento ſint. Occidentalis quidem eccleſia, quam conſtanter diem VIII Kalend. Ianuarii Chriſti natalem fuiſſe crediderit, ſingulari Diſſertatione docuit doctiſſimus ITTIGIVS (b). Sed praeterquam quod cum iſthac anni tempeſtate vix conciliari queat paſtorum ſub dio manſio, Luc. II. 8. dudum etiam ſuſpicati ſunt eruditi (c), Latinam eccleſiam aemulatione gentilium hunc diem conſecraſſe, vt ſcilicet, quo die pagani Natalem Solis celebrabant, Chriſtiani ſolis iuſtitiae illuceſcentis recolerent memoriam. Nec eccleſiaſticae traditionis nos hic adſtringit auctoritas, ſiquidem ne ipſi quidem veteres diffitentur, eccleſiam in diebus feſtis conſtituendis, nullam ſaepe temporis habuiſſe rationem

(y) Idem *lib. XIV. Antiqu. cap.* 14.
(z) Idem *lib. XIV. cap.* 26.
(a) Idem *lib. XIV. cap.* 16.
(b) Thom. Ittig. *Diſſ.* III. *Adpendici de Haereſiarch. Apoſtol. aetat. annexa.*
(c) Sententiam hanc ex Faſtis Romanis confirmant Graeuius, *not. ad Lactant. de mortib. perſequutor.* Harduinus *in Antirrhetico de nummis antiqu. colon. & municip.* & Salom. van Till *in Diſſert. de anno, die & menſe nati Chriſti cum Phoſphoro prophetico edita part. I. cap.* 2. Sed hos refutare inſtituit Philippus a Turre *in Monimentis veteris Antii Part. II. cap.* 6. diabolo auctore factum putans, vt Mithrae turpiſſima ſacra in diem hunc Chriſtianis ſacroſanctum transferrentur;

Digitized by Google

nem (d), ſed iis perinde fuiſſe, quo die in eccleſia agerentur. Denique ne SCALIGERI quidem computatio, ephemeriarum Leuiticarum ordine innixa, omni exceptione maior eſt, vt adeo non temere ANTON. BYNAEVS (dd) hic, collatis inter ſe omnium coniecturis, illud Terentianum vſurpet: *Feciſtis probe, incertior ſum multo, quam dudum.* Sed haec diei menſiſque obſcuritas nihil impedit, quo minus ad annum natalem quam proxime perueniamus. Quod fieri poterit, ſi epocham templi ab Herode M. reſtaurati in conſilium adhibeamus. Conſtat enim ex IOANNIS Euangelio (e), Iudaeos Chriſto, de morte & reſurrectione ſua ſub templi ſchemate loquenti, hunc in modum reſpondiſſe: Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος, καὶ σὺ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερεῖς αὐτόν; *Quadraginta & ſex annis templum iſthoc exaedificatum eſt, & tu intra tres dies id excitaueris?* Certum puto, Herodianam ſtructuram hic intelligi, quum templum a Zorobabele intra decennium exaedificatum ſit, nec anni XLVI prodeant, ſi vel maxime tempus, quo ab opere ceſſatum eſt, adiicias (f). Loquuti vero hoc ſunt Iudaei primo, quod Chriſtus durante miniſterio ſuo celebrauit, paſchate, quando trigeſimum circiter aetatis annum compleuerat. Herodes autem nouum templum moliri coepit, anno regni ſui decimo octauo, poſt debellatum Antigonum decimo quinto (g), id eſt Iuliano XXVI. Vnde ſua ſponte conſequitur, vt annus a templo aedificato XLVI, quo Iudaei haec loquuti ſunt, incidat in Iulian. LXXI, a quo numero ſi demas annos XXX, quos Chriſtus tum natus erat, habebis annum Iulian. XLI, ab V. C. DCCXLIX Auguſti XL, quo Auguſtus Caeſar & L. Sulla faſces conſulares Romae tenebant. Quem annum genuinum Chriſti natalem fuiſſe, paullo poſt aliis quoque argumentis conſtabit.

(d) Florentinus *in Admonit. praeuiis ad Martyrolog. adm.* 11. Petrus Damian. in Opuſculo cui titulus: *Dominus vobiſcum cap.* 15. *Conſ.* Anton. Pagi *Critic. Baron. ann.* 67. *n.* 23. *p.* 58.

(dd) Bynaeus *de Natali Chriſti lib.* I. *cap.* IV. §. 14. *p.* 414.

(e) Io. II. 20.

(f) Vid. Lightfoot *Hor. Hebr. & Talmud. ad Ioan.* II. 20. *p.* 977. *ſqq.*

(g) Teſtatur hoc Ioſeph. *lib. XV. Antiquit. Iud. cap.* 14. *& lib.* I. *de bell. Iud. cap.* 16. Et quamuis Herodes anno octauo hanc templi ſtructuram eidem Ioſepho dicatur abſoluiſſe, illud tamen de ſanctuario ſolum & ſancto ſanctorum videtur accipiendum. In ceteris aedificiis, quae ciuitatis ſpeciem prae ſe ferebant, ſemper aliquid fuiſſe adiectum, ex eo liquet, quod Ioſephus *lib. XX. Antiqu. cap.* 8. ad Agrippae Regis tempora refert, ἤδη δὲ τότε καὶ τὸ ἱερὸν τετέλεστο. *Tunc etiam templum demum abſolutum eſt.* Confer. praeter Lightfoot modo allegatum Lud. Capelli *Adnot. ad Ioann. p.* 1579. 1580. *Tom. IV. Crit. Sacr.*

§. XVIII.

Via ſecunda. Cenſus tempore natiuitatis Chriſti fuit vniuerſalis.

Sed quo minus de primo charactere prolixiores ſimus, prohibet promiſſae breuitatis fides, ſubinde nos admonens, quanto omnia tranſcurſu dicenda ſint. Pergendum igitur iam erit ad ſecundum, quem aegre adhuc cum hiſtoria Romana Syriacaque conciliarunt, videndumque, annon ex monimentis genuinis cenſuum ab Auguſto actorum, Praeſidumque Syriae hiſtoria poſſit quodammodo illuſtrari. De cenſu itaque LVCAS: Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην (h). *Factum vero eſt, in diebus iſtis exiit edictum a Caeſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Quamuis vero haec ita clara videantur, vt vix vocabulum aliquod in quaeſtionem venire crederes: in eo tamen adhuc in diuerſa abierunt eruditi, quod per πᾶσαν τὴν οἰκουμένην alii ſolam Iudaeam, alii vniuerſum orbem Romanum intelligendum exiſtimant. Ex quo noua ſubnaſcitur quaeſtio, vtrum Euangeliſta de vniuerſali, an de particulari aliquo cenſu loquatur? Poſteriorem ſententiam tuetur ANTONIVS BYNAEVS (i) prouocatque ad Eſ. XIII. 5. XIV. 26. vbi Ebraicum כל ארץ & Graecum πᾶσα ἡ οἰκουμένη de ſola Iudaea accipiantur. Sed neſcio, an haec coniectura vel ſpeciem vllam habeat. Sane enim ἡ οἰκουμένη apud omnes bonos ſcriptores non niſi de orbe terrarum habitabili dicitur. Nec aliam ſignificationem vel apud LVCAM, vel in toto nouo foedere, vox admittit, ceu ex inductione locorum omnium (k) conſtat. Nec ſeptuaginta quoque interpretes aliam ſignificationem ſubſtituiſſe videntur, quandoquidem loca ESAIAE de vniuerſo orbe acceperunt, & Hebraei textus ſequuti ſunt veſtigia. Deinde vix puto exemplum in omni hiſtoria exſtare, ex quo colligas, cenſus particulares in regnis ſociorum atque amicorum P. R. aliquando actos eſſe. Certe tum demum illud fieri ſolebat, quando in prouinciae formam eſſent redigenda, quod etiam Iudaeae poſt Archelai proſcriptionem contigit. At vero cenſus vniuerſales etiam Reges, ſub clientela Romanorum Caeſarum imperantes, recuſare non poterant. Qua de re alibi fortaſſis fuſius commentabimur. Non ferunt igitur noſtrae rationes, vt cum BYNAEO cenſum hic particularem fingamus, quem

(h) Luc. II. 1.

(i) Anton. Bynaeus *lib. I. de Natali Chriſti cap. I. p.* 304.

(k) Vbiuis in N. T. ἡ οἰκουμένη notat orbem terrarum, nempe Matth. XXIV. 14. Luc. II. 1. IV. 5. XXI. 26. Actor. XI. 28. XVII. 6. 31. XIX. 27. XXIV. 5. Rom. X. 18. Ebr. I. 6. II. 5. Apoc. III. 10. XII. 9. XVI. 14.

Digitized by Google

quem IOSEPHVS, his in rebus, quidquid alii criminentur, diligentiſſimus non ſane tacuiſſet.

§. XIX.

Ceterum cenſuum ab Auguſto per Romanum orbem actorum chronotaxin praeclare omnino illuſtrat MONIMENTVM ANCYRANVM, quod ab AVGERIO BVSBEQVIO in Oriente deſcriptum, multos deinde editores inuenit. (l) Equidem ISAACVS CASAVBONVS (m) huic inſcriptioni non multum defert, ideo, quod aliqua perperam, & contra omnem Latinitatem expreſſa, contineat. Sed multa ſunt, quae CASAVBONO reſpondeamus. Primo enim ferendum eſt hoc in prouincialibus, vt eorum inſcriptiones Latinae dictionis nitorem atque vrbanitatem non omni ex parte adſequantur. Deinde BVSBEQVIVS in deſcribendo marmore amanuenſium opera vſus eſt, qui quin ſaepius hallucinati ſint, non dubitamus. Praeterea ipſum marmor non modo hinc inde mutilum eſt, ſed & a barbaris ita clauarum ſecuriumque ictibus laceratum, vt plura legi non poſſint. Quis ergo miretur, multa perperam deſcripta eſſe? Audiamus ipſum BVSBEQVIVM, (n) erudite ſimul de monimenti praeſtantia iudicantem: *Ancyrae pulcerrimam vidimus inſcriptionem, & tabularum illarum, quibus indicem rerum, a ſe geſtarum, complexus eſt Auguſtus, exemplum id, quatenus legi potuit, per noſtros homines tranſcribendum curauimus. Exſtat inciſum aedificii, quod olim fortaſſe praetorium fuerat, diruti & tecto carentis marmoreis parietibus, ita vt dimidia pars intrantibus ad dextram, dimidia ad ſiniſtram occurrat. Suprema capita fere integra ſunt, media lacunis laborare incipiunt, infima vero clauarum & ſecurium ictibus ita lacerata, vt legi non poſſint. Quod ſane rei litterariae non mediocre damnum eſt, a doctis merito deplorandum; idque eo magis, quod vrbem illam ab Aſiae communitate Auguſto dicatam fuiſſe, conſtet.* Denique & alii, quibus eas regiones adire contigit, multa, quae BVSBEQVII amanuenſes perperam legerant, emendarunt, quod fecit praecipue ANTONIVS VERANTIVS, & nouiſſime DANIEL COSSONVS, ex cuius ſchedis idem monimentum haut paullo locupletius atque emendatius vulgauit IACOB. GRONOVIVS, & notis ſuis illuſtratum *Memoriae Coſſonianae* ſubiecit, editae Lugd. Batau. 1695. 4°.

Cenſus hic illuſtratur, ex monimento Ancyrano.

§. XX.

(l) Primus edidit Andr. Schottus *Anno* MDLXXIX. *cum Aurelio Victore*; poſtea Leunclauius *in Pandect. Turcicis*; Gruterus *in Inſcriptionibus* p. CCXXX. Ian. Rutgerſ. *Var. Lect. p.* 163. *ſeq.* & editores Suetonii recentiores plerique. Denique omnium emendatiſſime deſcriptum a Daniele Coſſonio, ex eius ſchedis in lucem extulit Iac. Gronou. *in Memor. Coſſonian. p.* 57. *ſequ.*

(m) Caſaubon. *Not. ad Sueton. cap.* CI. *Aug.*

(n) Busbequ. *Epiſt.* 1. *de Reb. Turcic. p. m.* 93.

§. XX.

Ex laudato igitur monimento Ancyrano ſequentia huc pertinent, quae qualia ex ſchedis Coſſonianis edidit GRONOVIVS (o), hic ſubiiciemus, iis, quae integriora ſunt in apographo Busbequiano vncinulis incluſis:

PATRICIORVM NVMERVM AVXI CONSVL QVINTVM IVSSV POPVLI ET SENATVS SENATVM TER LEGI ET IN CONSVLATV SEXTO CENSVM POPVLI COLLEGA M. AGRIPPA EGI. LVSTRVM POST ANNVM ALTERVM (ET QVADRAGESIMVM FECI (legi) QVO LVSTRO CIVIVM ROMANORVM CENSITA SVNT CAPITA) QVADRAGENS CENTVM MILLIA ET SEXAGINTA TRIA MILLIA. CVM IMPERIO LVSTRVM (SOLVS) FECI (legi) CENSO (RINO ET A) SININO COS. QVO LVSTRO CENSA SVNT CIVIVM ROMANORVM CAPITA QVADRAGENS CENTVM MILLIA ET DVCENTA TRIGINTA TRIA M. CONSVLARI CVM IMPERIO LVSTRVM COLLEGA TIBERIO CA. SEXT. POMPEIO ET SEX. APPVLEIO COS. QVO LVSTRO ETIAM CENSA SVNT ROMANORVM CAPITVM QVADRAGENS CENTVM MILLIA — IGINTA ET SEPTEM MILLIA.

§. XXI.

Chronotaxis cenſuum Auguſti.

Quae hic paullo plenius referuntur, ea paucioribus verbis ſuo more hunc in modum eloquitur SVETONIVS (p): *Recepit & morum legumque regimen aeque perpetuum, quo iure, quanquam ſine cenſurae honore, cenſum tamen populi ter egit, primum ac tertium cum conlega, medium ſolus.* Quemadmodum igitur SVETONIVS monimentum Ancyranum confirmat; ita hoc illius narrationem egregie illuſtrat, dum, quo conſule quiſque cenſus actus ſit, accurate indicat. Vnde ſequens naſcitur cenſuum Auguſti chronotaxis:

Anno Iuliano XVIII. Ab V. C. DCCXXVI. Caeſ. Auguſto & M. Vipſanio Agrippa II. Coſſ.	cenſus primus Auguſti cum Collega
Anno Iul. XXXVIII. Ab V. C. DCCXLVI. C. Martio Cenſorino & C. Aſinio Gallo Coſſ.	cenſus ſecundus ſolius Auguſti.
Anno Iul. LIX Ab V. C. DCCLXVII. Sexto Pompeio & Sexto Appuleio Coſſ.	cenſus tertius, proxime ante mortem Auguſti, cum conſorte Imperii, Tiberio.

Iuſtam

(o) Gronou. *Memor. Coſſon. p. 59.* (p) Sueton. *c. XXVII. Aug.*

Digitized by Google

Iuſtam hanc eſſe temporum conſignationem, nemo temere negauerit. De primo enim cenſu auctorem etiam habemus DIONEM (q), qui res in conſulatu ſexto ab Auguſto geſtas recenſens, etiam haec addit: Ἐν δ' ἔν τῷ τότε παρόντι τά τε ἄλλα, ὥσπερ εἰώθει, ἔπραξε, καὶ τὰς ἀπογραφὰς ἐξετέλεσε. *Eo quidem anno cum alia, quae mos erat facere, tum etiam cenſum peregit.* Idem DIO (r) etiam de vltimo cenſu breui ante mortem Auguſti acto ita ſcribit: ἔπεμψεν ἄλλους ἄλλῃ, τά τε τῶν ἰδιωτῶν καὶ τὰ τῶν πόλεων κτήματα ἀπογραψαμένους. *Alios alio dimiſit, qui priuatorum ac ciuitatum facultates deſcriberent.* Nec putandum eſt, DIONEM a monimento noſtro diſſentire, dum illud anno antecedente ab V. C. DCCLXVI factum commemorat. Licet enim exſpirante hoc anno, cenſores iſti extraordinarii dimiſſi ſint, ipſe tamen cenſus ante ſequentem annum, qui in monimento Ancyrano ſignatur, peragi non potuit. De medio quamuis taceat, vel haec tamen teſtimonia, ad chronotaxeos noſtrae veritatem monimentique Ancyrani ſinceritatem probandam, ſufficient.

§. XXII.

Quod ſi igitur cenſus hos cum temporum ordine ſupra a nobis conſtituto conferamus: ſtatim apparebit, nec primum, nec vltimum huc pertinere. Quapropter medius ille ſit oportet, qui a LVCA cum Chriſti natalibus coniungitur. Sed ſic triennii fere eſt interuallum hunc cenſum inter & annum Iulianum XLI, quem ſuperius Chriſto natalem adſeruimus. Quod tamen nemini videbitur mirum, qui cenſuum antiquorum rationem perſpectam habet. Exemplo enim non vno conſtat, cenſus, ab Imperatoribus indictos, per aliquot annos protrahi conſueuiſſe, antequam ad finem perducerentur. Sic cenſui Auguſti vltimo, eo ipſo anno, quo hic Imperator viuis intereſſe deſiit, per Galliam praefuit Germanicus (s), quod contigit anno Iul. LIX, duobus Sextis Coſſ. & tamen poſtea ad abſoluendum hoc negotium P. Vitellius & Cantius dimiſſi ſunt (t). Quod, quum factum ſit L. Scribonio Libone & T. Statilio Siſenna Coſſ. i. e. anno Iul. LXI. cenſum hunc per Galliam ſolam tres omnino annos continuatum fuiſſe oportet. Sed & PLINIVS (u) cenſus meminit, ſua aetate ab Imperatoribus Veſpaſianis, patre filioque acti, quem intra quadriennium demum abſolutum ſcribit. Admodum igitur ſit veroſimile, cenſum etiam, Chriſto naſcente actum, iam anno ab V. C. DCCXLVI. indictum quidem, ſed per annos tamen aliquot continuatum fuiſſe; in primis quum credibile

Cenſum ſecundum huc pertinere.

(q) Dio *lib. LIII. p.* 496.
(r) Idem *l. LVI. p.* 588.
(s) Tacit. *lib. Annal. I. cap.* 33.
(t) Idem *lib. II. Annal. cap.* 6.
(u) Plinius *lib. VII. Hiſt. nat. cap.* 49.

dibile ſit, eum, vt omnia noua ſolent, multas per Iudaeam turbas dediſſe. Certe non facile crediderim, totam Syriam ac Iudaeam breuiore temporis interuallo abſolui potuiſſe (x).

§. XXIII.

Lapſus quidam Chronologici notantur.

Video, etiam a doctiſſimo auctore Harmoniae euangeliorum, in bibliotheca Vſſeriana repertae, & hic loci bis excuſae, ad MONIMENTVM noſtrum prouocari (y); Sed quum ab eo aliquoties erratum ſit, operae pretium erit, eius hypotheſin expendere paullo accuratius. Primo igitur medium cenſum in marmore Ancyrano deſcriptum actum credit P. Vinitio & L. Alfinio Varo Coſſ. quum in marmore diſerte conſulatus C. Martii Cenſorini & C. Aſinii Galli memoretur, vnde cenſum octo annis recentiorem facit, quam marmor, quod tamen pro ſententia ſua adducit. Deinde conſulatum P. Vinitii & L. Alfinii concurrere putat cum anno ab V. C. DCCXLIX. quemadmodum in margine legitur, quum potius in annum ab V. C. DCCLV. incidat. Porro hunc cenſum per tres annos duraſſe, & denique Sexto Aelio Cato & C. Sentio Saturnino Coſſ. peractum fuiſſe, exiſtimat, idque ex DIONIS lib. LV. colligi poſſe credit. Verum & tempora hic perturbat auctor, & DIONEM ipſum a ſe tum non fuiſſe euolutum, prodit. Alias enim animaduertiſſet, DIONEM non de cenſu vniuerſali iſto, ſed de particulari aliquo per ſolam Italiam inſtituto loqui. Ita enim ille (z): Τῦτο μὲν δὴ δι' ἑτέρων ἔπραξεν, αὐτὸς δὲ ἀπογραφὰς τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ κατοικούντων, καὶ μὴ ἐλάττω πέντε μυριάδων οὐσίαν κεκτημένων ἐποιήσατο. τοὺς γὰρ ἀσθενεστέρους, τούς τε ἔξω τῆς Ἰταλίας οἰκοῦντας, οὐκ ἠνάγκασεν, ἀπογράψασθαι, δείσας μὴ νεωτερίσωσί τι ταραχθέντες. *Haec quidem Auguſtus per alios tranſegit: ipſe vero recenſionem eorum, qui in Italia habitarent, ac ad ducenta ſeſtertia poſſiderent, iniuit. Pauperes enim & eos, qui extra Italiam habitarent, ad cenſum non coëgit, veritus quippe, ne quid turbarum darent.* Quod ſi igitur cenſus ad ſolos Italos, & eos quidem, qui ducenta ſeſtertia poſſiderent, pertinuit: quomodo ad illum Lucae referri poterit, qui per totum Romanum orbem actus eſt, & Ioſephum quoque & Mariam, tenuioris conditionis homines, Bethlehemum ire compulit? Ipſa auctoris ſententia, qua Chriſtum tertio erae Dionyſiacae anno natum ſtatuit, quam incommoda ſit, quibusque difficultatibus expoſita, iam ex iis, quae paullo ante dicta a nobis ſunt, colligi haut difficulter poteſt.

§. XXIV.

(x) Huetius *Demonſtrat. Euang. prop. IX. pag.* 703. 704.

(y) Anonymi *Adparat. ad harmon. Euangel. pag.* 5.

(z) Dio *lib. LV. pag.* 75.

Digitized by

§. XXIV.

Chronotaxis Praeſidum Syriae e numis reſtituta.

Explicandum iam erit, quis eo tempore, quo Chriſtus natus eſt, Syriae Praeſes fuerit, quum ea quaeſtio haut parum ad rem pertinere videatur. Quandoquidem vero catalogum eorum nullum adhuc habemus, omnibus numeris abſolutum (a): dabimus operam, vt quae eruditi ex monimentis antiquis ea de re obſeruarunt, hic veluti in breui quadam tabula exhibeamus. Numorum ergo ſcriptorumque veterum auctoritate ſecuri, hos Syriae Praeſides circa Chriſti tempora notamus:

Anno Iulian. XXXVII. Ab V. C. DCCXLV. vel DCCXLVI.	C. Sentius Saturninus abeunti e Syria Titio ſucceſſor miſſus eſt, teſte IOSEPHO (b).
Anno Iulian. XL. Ab V. C. DCCXLVIII. ante menſem Novembr.	Quinctilius Varus iam Saturnino ſucceſſerat. Docet hoc numus Antiochenus e Florentino gazophylacio ab HENRICO NORISIO (c) & e ci-

meliis Regis Chriſtianiſſimi ab ANTONIO PAGI (d) & IO. HARDVINO (e), publicatus, cuius in antica habetur caput Iouis laureatum, in poſtica genius Antiochenorum tutelaris turritus monti, cui inferius ſymbolum Orontis fluminis adſidet, innixus, dextraque palmam tenens, cum perigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΕΚ. i. e. Numus *Antiochenorum ſub Varo anno XXV.* cuſus. Quum vero annus XXV. erae Antiochenae, quae a victoria Auguſti Actiaca conſurgit (f), incidat in Iulianum XL. ab V. C. DCCXLVIII. neceſ-

(a) Praeſidum Syriae catalogum varii dedere Chronologi. In his Laurentius Suslyga in tractatu *de anno ortus ac mortis Domini, deque vniuerſa I. C. in carne oeconomia Gracii* 1605. 4. edito, qui liber iam Caſauboni aetate tam rarus fuit, vt vix obiter ſibi inſpectum, nunquam vero lectum eſſe, fateatur *Exercit. I. Antibaron. n.* 30. *p.* 118. Tentauit & Baronius *in Adparat. n.* 85. eorum chronotaxin conſtituere, ſed ita, vt nemo illo hac in re offenderit grauius. Poſtea Caſaubonus *l. c.* eum in multis emendauit, ſed vt nec ipſe omnia viderit. Vaillantii *de Praeſidibus Syriae opus*, *quod in Numiſmatibus aereis Imperatorum Tom. II. p.* 63. promiſit, nunquam, quod ſciam, in lucem prodiit. Omnibus interim in hoc genere diligentiam ſuam probarunt Paulus Pezron *dans l'hiſtoire évangelique pag.* 64. *ſeqq.* Emanuel Schelſtraten *Antiqu. illuſtrat. Tom. I. Diſſ. I. de Chronotaxi vitae Chriſti.* Montacut. *Adparat. IV. ad Orig. Eccleſiaſt.* & purpuratorum doctiſſimus Henr. Noriſius *in Cenotaph. Piſan. Diſſ. II. cap. XVI. p.* 169. *ſequ.* Conferendus etiam Salom. van Till *Phoſphorus propheticus in appendice*, vbi numi praeſidum Syriae varii exhibentur atque illuſtrantur.

(b) Ioſeph. *lib. XVI. Antiqu. Iud. cap.* 13.

(c) Henr. Noriſ. *Diſſ. III. de Epoch. Syro-Maced. cap. VII. p.* 247.

(d) Anton. Pagi *Adparat. ad Critic. Baron. n.* 136. *p.* 33.

(e) Harduin. *Antirrhet. p.* 58.

(f) Noriſ. *l. c.*

Digitized by Google

ſario ſequitur, vt Quinctilium Varum iam ante Nouembrem huius anni Syriae Praeſidem fuiſſe, fateamur (g).

Anno Iuliano XLI. Ab V. C. DCCXLIX.	Adhuc Syriae praefuit VARVS, ceu liquet e numo VAILLANTII (h), eiusdem commatis, cum perigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ϛΚ (ϛΚ) id eſt: *Numus Antiochenorum ſub Varo anno XXVI. cuſus.*
Anno Iulian. XLII. Ab V. C. DCCL.	Adhuc praefuit VARVS, quod teſtatur numus NORISII eiusdem generis cum perigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΖΚ. id eſt: *Numus Antiochenorum ſub Varo cuſus anno XXVII.*

Anno Iulian. L. ab V. C. DCCLVIII.	Syriam demandatam fuiſſe cuidam Sentio Saturnino, ab illo ſuperiore diverſo, primus coniecit ANTONIVS PAGI (i), idque beneficio numiſmatis, in quo huic praeſidi adſcriptus eſt annus Antiochenus ΕΛ. Sed vereor, vt hic ſatis fuerit oculatus. Sane ſecundi hoc nomine Praeſidis nuſquam alias vllum veſtigium adparet. Suſpicor igitur, legi debuiſſe ΕΚ, quum facile fieri potuerit, vt Κ, ſuperiore linea aliquantulum detrita, ſpeciem τῦ Λ praeberet. Annum vero ΕΚ id eſt XXV. Saturnino vltimum, Varo primum fuiſſe iam antea vidimus.

§. XXV.

Chriſtus Varo Praeſide natus.

Iam igitur facile iniri poterit ratio, in cuiuſnam Praeſidis magiſtratum inciderit tot anxiis patrum votis expetita Seruatoris natiuitas. Sane de P. Quirinio cogitandum non erit, quippe quem diu poſt Chriſti natiuitatem, Archelao nimirum iam ditionibus mulctato, in Syriam cum Praeſidis dignitate miſſum, conſtat. Quum tamen LVCAS Euangeliſta diſerte adfirmet, deſcriptionem iſtam fuiſſe *πρώτην ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου:* variis rationibus nodum hunc ſoluere, LVCAMque cum ſcriptoribus profanis conciliare eruditi tentarunt. BARONIVS inaudita temeritate omnibus antiquis monimentis contradicere auſus, Quirinium ter omnino Syriae praefuiſſe fingit: id quod tamen ſecare nodum eſt, non diſſoluere. Alii,

(g) Conuenit haec Vari epocha cum calculo Ioſephi, *qui lib. XVII. Antiqu. Iud. cap. 7.* diſerte teſtatur, Varum extremis Herodis temporibus Sentio Saturnino ſucceſſiſſe. Vnde miror, Caſaubonum *Exercit. I. Baron. n. 30. p. 124.* & Noriſium ipſum *in Cenotaph. Piſan. Diſſ. II. §. XVI. §. XI. p. 311.* eius initium in annum ab V.C. DCCL. reiicere.

(h) citati ab Harduin. *in Antirrhet.* & Noriſ. *Epoch. Syro-Maced. Diſſ. III. cap. VII. p. 147.*

(i) Anton. Pagi *loco citato, ad ann. Chr. XLX. n. 3. p. 16.*

Digitized by Google

Alii, inter quos & ANT. BYNAEVS (k) nomen ſuum profitetur, vocem πρώτη comparative exponunt pro προτέρα, commodiſſimumque hunc ſenſum eſſe exiſtimant: *Haec deſcriptio* πρώτη *prior* vel *ante* facta eſt, *quam praeſideret Syriae Quirinius.* Sed non opus videtur, vt tam violenta interpretatione, & iamdudum ab ISAACO CASAVBONO (l) exploſa, LVCAE ſuccurramus, quum eius verba cum hiſtoria plane non pugnent, ſed omnium optime conueniant, vt paullo poſt erit perſpicuum. Nullum igitur eſt dubium, quin eo, quem ſupra Chriſti natalem fuiſſe diximus anno, Quinctil. Varus Syriae Praeſes fuerit, id enim numi tam clare docent, ut fruſtra manifeſtae veritati contradiceres: LVCAS vero tantum abeſt, vt Syriae Praeſidem nominare voluerit, vt potius haec ſententia ipſa verborum, quibus vtitur, notione refellatur. Praeſidem enim Graeci ἐπαρχον vel ἐπιστάτην, aliquando etiam δικαιοδότην vocare ſolent. Vox vero ἡγεμονεύων vel ἡγεμὼν non ſolis praeſidibus Romanis dari, ſed de omnibus vſurpari ſolet, qui rem aliquam alieno nomine agendam ſuſcipiunt, vnde & illi, qui die baptiſmi infantum loco ſponſionem faciunt ἡγεμονεύοντες ſunt DIONYSIO AREOPAGITAE (m). Quum igitur cenſus non ab ordinariis praeſidibus agerentur, ſed a viris probatis aliis, cum extraordinario imperio in prouincias miſſis (n): perſpicuum eſt, Quirinium tum non praeſidem, ſed ἡγεμονεύοντα i. e. extra ordinem eo miſſum fuiſſe. Hac de cauſſa IVSTINO MARTYRI (o) vocatur πρῶτος ἐν Ἰουδαίᾳ γενόμενος ἐπίτροπος, *primus per Iudaeam procurator.* Quod ſane de Praeſide accipi non poteſt, quia tunc non Iudaeae, ſed Syriae praeſes dicendus fuiſſet, neque etiam ita primus potuiſſet adpellari: Si vero non de praeſide: ergo de magiſtratu extraordinario ad cenſum agendum miſſo. Ἐπιτροπεύσαντι enim, vt praeclare ſcribit Thom. Reineſius (p) demandatur *procuratio prouinciae, officium ſplendidiſſimum, & quod aditus erat ad honores ampliſſimos, & non niſi familiaribus & receptae auctoritatis viris concedebatur ab Imperatoribus. Hi in partem adminiſtrationis prouin-*

(k) Anton. Bynaeus *de Natali Chriſti lib. I. pag. 332. ſeqq.*

(l) Iſ. Caſaubon. *Exercit. Baron. I. n. 32. p. 129.*

(m) *Vid.* Suiceri *Theſaur. Eccleſiaſt. in voce* ἡγεμών.

(n) Adparet hoc ex Dione *lib. LVI. p. 588.* qui Auguſtum perhibet alios alio miſiſſe, vt & priuatorum fortunas deſcriberent & publicas. Et Suidas in voce Ἀπογραφὴ ex veteri ſcriptore refert, Auguſtum ad has ἀπογραφὰς elegiſſe εἴκοσιν ἄνδρας τὰς ἀρίστους τὸν βίον καὶ τρόπον, *viginti viros vita moribuſque conſpicuos.* Sic ad cenſus in Gallia miſſi a Tiberio P. Vitellius & Cantius, Tacit. *lib. VII. Annal. cap. 6.* A Nerone Q. Voluſius Sex. Africanus & Trebellius Maximus Tacit. *lib. XIV. Annal. cap. 46.*

(o) Iuſtin. *Apol. II. p. 75.*

(p) Reineſ. *l. 3. Var. Lect. cap. XVI. p. 599.*

uinciarum vna cum Praeſidibus veniebant, & de bonis prouincialium integram habebant cognitionem. Quae verba REINESII etiam vocem ἡγεμονεύοντος, quae huic apud Lucam ſynonyma eſt, egregie poterunt illuſtrare.

§. XXVI.

Tabulas cenſuales diu ſuperſtites.

Sed obiici nobis poſſet locus TERTULLIANI luculentiſſimus, de quo diſpiciendum iam erit. Hunc in modum vero patrum Latinorum antiquiſſimus de cenſu noſtro diſſerit: (q) *Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto tunc in Iudaea per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potuiſſent.* Quanti hoc teſtimonium faciendum ſit, ex eo perſpicuum eſt, quod ad tabulas publicas cenſuales, tum procul dubio adhuc ſuperſtites (r), prouocat, quae ſane rem optime decidere poterant. Quum igitur TERTVLLIANVS ex illis cenſum a LVCA deſcriptum ad Sentii Saturnini tempora eſſe referendum didicerit: merito ſuſpecta erit noſtra hypotheſis, quae cenſum ſub Varo actum ponit. Verum tam facilis hic ſuppetit reſponſio; vt non opus ſit numorum auctoritatem deſerere, multo minus textum LVCAE ſollicitare, & cum H. VALESIO pro Quirinio Sentium Saturninum (s), aut cum HVETIO (t) pro Κυρηνίου Κυϊντιλίου legere. Quem-

(q) Tertullian. *lib. IV. adu. Marcion. cap.* 19.

(r) Non ſine inſigni impudentia Chriſtiani primitiui prouocare potuiſſent ad tabulas cenſuales, niſi ea de re certi fuiſſent. Facit vero *hoc* Iuſtin. *Apol. II. p.* 75. cum ipſis Imperatoribus agens, quos haut impune profecto decepiſſet. Ita enim hic pater ſatis cordate ſcribit: Μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν, γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου. *Diſcere ipſi poteritis* (hiſtoriam nati Chriſti) *ex tabulis cenſualibus, ſub Quirinio deſcriptis.* Poſt hunc etiam Tertullianus *lib. IV. adu. Marcion. cap.* 7. *Cenſum*, inquit, *Auguſti teſtem fideliſſimum dominicae natiuitatis Romana archiua cuſtodiunt*, & *cap.* 36. *Tam diſtinctiſſima fuit a primordio Iudaea gens per tribus, & populos, & familias, & domos, vt nemo facile ignorari de genere potuiſſet, vel de recentibus Auguſtanis cenſibus, adhuc tunc fortaſſe pendentibus.* Denique eaſdem tabulas ſua adhuc aetate ſuperfuiſſe, his verbis teſtatur Chryſoſtomus: Ὅθεν δῆλον, ὅτι κατὰ τὴν πρώτην ἀπογραφὴν ἐτέχθη, καὶ τοῖς ἀρχαίοις τοῖς δημοσίᾳ κειμένοις κώδιξιν ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἔξεστιν ἐντυχόντα, καὶ τὸν καιρὸν τῆς γραφῆς μαθόντα ἀκριβῶς εἰδέναι τὸν βουλόμενον. *Vnde manifeſtum eſt, quod circa primam deſcriptionem natus ſit, veteres etiam, qui Romae ſeruantur, codices euoluenti & tempus deſcriptionis indaganti licebit id, ſi voluerit, accuratius cognoſcere.* Certe tabulas cenſuales cum cura confici & ſeruari ſolitas, patet ex Dione *lib. LIX. p.* 657. vbi narratur, Caligulam Caeſarem, perdita inter aleam pecunia, τὰς γαλατῶν ἀπογραφὰς poſtulaſſe, necatisque locupletiſſimis, ad ſexies millies ſeſtertium coëgiſſe.

(s) Henr. Valeſ. *Not. ad Euſeb. Hiſt. Eccl. p.* 11.

(t) Huet. *Demonſtr. euangel. quaeſt. IX. cap.* 10. *p.* 703.

Digitized by Google

Quemadmodum enim ſupra e Monimento Ancyrano a nobis eſt demonſtratum, cenſus huius primordia incidunt in annum Iul. XXXVIII. quo omnino adhuc Syriae praeerat Sentius Saturninus, anno demum XXXIX. vel XL, locum facturus Quinctilio Varo, ſucceſſori. Cenſus igitur iſte, qui a LVCA P. Quirinio tribuitur, ſub Sentio Saturnino coepit, ſub Quintilio Varo eſt abſolutus, atque adeo a Tertulliano recte vocatur cenſus Saturnini, quum tabulae publicae titulum plerumque a primo negotii auctore ferant.

§. XXVII.

Sed ad vltimum demum characterem pergendum eſt, qui accurata annorum Tiberii chronotaxi nititur. Hunc denuo LVCAS (u) his verbis ſuppeditat: Ἐν ἔτει δὲ πέντε καὶ δεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας, καὶ τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρώδου, Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος -- καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος. *Anno autem decimo quinto Imperii Tiberii Caeſaris, Pontio Pilato procurante Iudaeam, & Tetrarcha Galilaeae Herode, Philippo autem, ipſius fratre, Tetrarcha Ituraeae & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilenes tetrarcha, — ipſe autem Ieſus incipiebat eſſe quaſi annorum triginta &c.* Haec verba quemadmodum ſatis aperte docent, Chriſtum anni Tiberii XV. trigeſimum ſuum agere coepiſſe: ita multi inde arripuerunt errandi occaſionem. Nihil enim amplius deliberandum rati, a decimo quinto Tiberii anno retro numerarunt triginta, & ſic inciderunt in annum Iul. XLIII, quem ſine vlteriori diſcuſſione pro Chriſti natali venditarunt, quum tamen ille neque cum Herodum temporibus, neque cum era templi Herodiani conſpiret. Alii in interpretando Lucae textu deſudarunt, & particulam ὡσεὶ cum latitudine ſumendam, aut annum Chriſti trigeſimum a decimo quinto Tiberii plane ſeparandum exiſtimarunt. Quibus tamen inuentis adeo non ſoluerunt nodum, vt potius magis magisque adſtrinxerint. Hic vero interpretationibus cunctis minus opus erit, ſi, annos Tiberii non vna eademque ratione ſemper numerari, obſeruemus. Primi hoc notarunt atque ad liquidum rationibus perduxerunt IO. GEORG. HERWARTVS (x), & eundem poſtea ſequutus ANTONIVS PAGI (y), in eam ſuſpicionem

Via tertia.

Varia interpretatio verborum Lucae.

(u) Luc. III, 1. 23.

(x) Io. Georg. Herwart. in *Chronolog. cap.* 248.

(y) Ant. Pagi *Critic.* ad *Baronium Tom. I. ad ann. XI. p.* 6. primus hanc obſeruationem multis rationibus ſtabiliuit, licet plagii eum arguat Sam. Baſnagius. Tillemontius quoque *dans l'hiſtoire*

nem adducti a CLEMENTE ALEXANDRINO (z), qui de Tiberii principatu hunc in modum diſſerit: Ἀύγουστος ἔτη τεσσαράκοντα τρία. Τιβέριος ἔτη κβ. Γάιος ἔτη δ. &c. *Auguſtus annis quadraginta tribus, Tiberius annis XXII. Caius annis IV. &c. imperarunt.* Quo vulgari hiſtoricorum plerorumque calculo propoſito, ita pergit: Τινὲς μὲν τοι τοὺς χρόνους τῶν Ῥωμαικῶν βασιλέων οὕτως ἀναγράφουσι. Γάϊος Ἰούλιος Καῖσαρ ἔτη γ΄, μῆνας δ΄ ἡμέρας ε΄. μεθ᾽ ὃν Αὔγουστος ἐβασίλευσεν ἔτη μϛ΄ μῆνας δ΄ ἡμέραν μίαν. ἔπειτα Τιβέριος ἔτη κϛ΄ μῆνας ϛ΄, ἡμέρας ιθ. *Quidam Imperatorum Romanorum tempora ſic deſcribunt. C. Iulius Caeſar annis tribus, quatuor menſibus, quinque diebus. Poſt quem regnauit Auguſtus annis quadraginta ſex, menſibus quatuor, die vno, deinde Tiberius annis viginti ſex, diebus nouendecim.* Ex his igitur locis, neque a SYLBVRGIO neque a SCRIVERIO caſtigatis, facile patet, Tiberiano principatui duplex initium, alterumque a morte Auguſti, alterum vero a Proconſulari eius poteſtate conſortioque imperii eſſe arceſſendum. Auctores enim ſunt illorum temporum ſcriptores, Tiberium ab Auguſto in imperii ſocietatem receptum, parem cum patre poteſtatem extra vrbem, in prouinciis & apud exercitus, obtinuiſſe. Hanc rem ita memoriae prodidit TACITVS (a): *Nero ſolus e priuignis erat; illuc cuncta vergere, filius,* COLLEGA IMPERII, CONSORS TRIBVNICIAE POTESTATIS *adſumitur, omnesque per exercitus oſtentatur.* Paullo diſtinctius tempus ſignat VELLEIVS PATERCVLVS (b): *Concuſſis,* inquit, *hoſtium viribus, claſſicis peditumque expeditionibus, quum res Galliarum maximae molis accenſasque plebis Viennenſium diſſenſiones coërcitione magis, quam poena, molliſſet, & Senatus populusque Romanus, poſtulante patre eius,* VT AEQVVM EI IVS IN OMNIBVS PROVINCIIS EXERCITIBVS*que eſſet: (etenim abſurdum erat, non eſſe ſub illo, quae ab illo vindicabantur, & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non iudicari parem;) in vrbem reuerſus, iam pridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Dalmatisque egit triumphum.* Ex hoc VELLEII loco ſimul annum, quo Auguſtus Tiberium conſortem Imperii adſumſit, licebit diſcere. Quum enim hoc eo tempore, quo in Gallia cum imperio fuit, & quidem ante triumphum Pannonicum, factum teſtetur: conſequens eſt, vt id anno ab V. C. DCCLXIV. Iulian. LVI. con-

l'hiſtoire des Empereurs Tom. I. not. 4. ad vitam Auguſti multis hanc Pagii conjecturam impugnat, verbis tamen potius, quam rationibus.

(z) Clemens Alexandr. *lib. I. Stromat.* p. 339.

(a) Tacit. *lib. I. Annal. cap.* 3.

(b) Vellei. Pat. *lib.* II. *c.* 121.

Digitized by Google

contigerit, quum hoc ipſo anno, DIONE (c) teſte, in Galliam abierit, ſequente Romae triumpharit. Id quod egregie cum Clementis computatione conuenit. Quod ſi enim ab huius anni V. Kal. Sept. quo Tiberium in ſocietatem imperii admiſſum ANTONIVS PAGI vlterius probat, numeres viginti ſex; incides in V. Kal. Sept. anni Iul. LXXII, porro adiice menſes VI. peruenies ad V. Kal. Martii eiusdem anni, denique adde dies nouendecim, habebis diem XVII. Kal. Aprilis, anni Iul. LXXXII. quo morari inter homines deſiit, vt adeo omnino hac ratione annos XXVI, dies nouendecim imperauerit.

§. XXVIII.

Hanc eram Tiberii proconſularem haut parum confirmant monimenta antiqua, e quibus genuinum eius initium hauriri quam commodiſſime poterit. Quum enim VELLEIVS PATERCVLVS aperte dicat, Tiberium, antequam in vrbem reuerteretur, & de Pannoniis Dalmatiſque triumpharet, collegam imperii creatum eſſe, monimenta antiqua multum nobis in eo praeſtant vtilitatis, quod verum hujus triumphi annum, paullo ante a nobis deſcriptum, indicant. Sic numus exſtat (d), cuius in antica Caeſaris Auguſti vultus exhibetur cum titulo IMPERATOR CAES. AVGVSTVS, in poſtica Tiberius, currui triumphali inſiſtens cum perigraphe: TI CAESAR AVG. F. TR. POT XIII. Qui annus in illum, quem ſuperiore paragrapho ſignauimus, plane incidit. Multo tamen diſtinctius de hoc triumpho loquuntur Faſti conſulares & triumphales, ex marmoribus Capitolinis ab HVBERTO GOLZIO editi (e), ſiquidem ad annum Iul. LVII. ab vrbe condita DCCLXV. haec occurrunt: *Era Tiberii Proconſularis illuſtratur!*

GERMANIC. IVL. TIB. F. AVG. N. CAESAR.

C. FONTEIVS. C. F. C. N.

CAPITO

TI IVLIVS. AVG. F. DIVI. N. CAESAR.

III. COS. II. PROCOS.

DE ILLVRIEIS PANNONIEIS DALMATEIS

ET GERMANEIS. VI. IDVS. MAI.

Ex his FASTIS ſupputatio noſtra quam maxime confirmatur. Fieri

(c) Dion. *lib. LVI. p. 586.*

(d) Hubert. Golz. *in Faſtis magiſtrat. & triumphor. Roman. p. 231.*

(e) Idem *in Hiſtoria Auguſti ex antiqu. numiſm. reſtituta p. 111.*

ri enim non poteſt, quin alio anno, quam Iuliano LVI. in conſortium Imperii admiſſus ſit, ſi anno Iul. LVII. triumphauit. Ex eo vero tempore Tiberium, praeter Auguſti cognomen, omnia cum patre communia habuiſſe, monimenta denuo docent. Sane enim exſtant numi, quorum in antica Auguſtus exhibetur cum titulo: CAESAR AVGVSTVS PATER PATRIAE: in poſtica Tiberius cum perigraphe: TI CAESAR AVGVSTI. F. TR. POT. XV. Nec minus de communi vtriuſque imperio teſtantur ſequentia ex FASTIS CONSVLARIBVS iiſdem depromta.

C. SILIVS. P. F. P. NEPOS. L. MVNATIVS.

L. F. L. N. PLANCVS

IMP. CAESAR. DIVI F. C. N. AVGVSTVS.

ET. TI. IVLIVS. AVG. F. DIVI. N. CAESAR

REIPVBLICAE CONSTITVENDAE POTESTATEM

IN DECENNIVM ACCEPERVNT.

Haec igitur omnia, quemadmodum de Tiberii Proconſulari imperio ſatis teſtantur, eiuſque initium oſtendunt accurate: ita & chronotaxin Chriſti egregie illuſtrant. Superiores enim characteres natalis Chriſti non aliam admittunt computandi rationem, quam hanc ipſam, a proconſulari eius imperio arceſſendam. Quod ſi igitur ab anno Iuliano LXX, qui decimus quintus Tiberii fuit a proconſulari imperio, retro numeraueris annos XXX. denuo ſeſe offeret annus Iul. XXXXI, ab V. C. DCCXLIX quem Chriſti natalem diximus. Nec putandum eſt, ita ignotam fuiſſe hanc Tiberii epocham, vt eam LVCAS quoque ignorauerit; quum non modo CLEMENS ALEXANDRINVS diſerte adfirmet, quoſdam ſuo adhuc tempore ita numerare ſolitos, ſed etiam certo conſtet, prouinciales, Caeſarum ſuorum ſtudioſiſſimos, & Romanarum conſuetudinum non adeo gnaros, plerumque conſortes imperii cum veris Auguſtis pari dignatos eſſe honore, eoſque & Reges & Auguſtos vocaſſe. Ipſum Tiberium, de quo nunc agimus, viuenti Auguſto parem feciſſe DIONYSIVM ALEXANDRINVM, alias Periegeten dictum, viri quidam docti ſuſpicati ſunt. Vbi enim v. 1051. Poëmatis ſui geographici ita cecinerat:

Ἀλλ' ἔμπης κατὰ δῆριν ἀμαιμάκετοί περ ἐόντες
Αὐσονίου βασιλῆος ὑπέτρεσαν αἰχμήν.

Verumtamen praelio indomiti quamuis eſſent, (Parthi)
Auſonii tamen regis manſueſecit haſta.

alio

alio loco ita pergit:

> Ῥώμην τιμήεσσαν, ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων
> Μητέρα πασάων πολίων, ἄφνειον ἔδεθλον.
> *Romam honorabilem*, MEORVM *magnam domum* REGVM,
> *Matrem omnium ciuitatum, diues ſolum.*

Denique ipſos Principes ſic ſalutat:

> ἐκ Διὸς Αὐσονίης αἰὲ μέγα κοιρανέοντες.
> *E Ioue Auſonii ſemper ſtrenue dominantes.*

His igitur verſibus Auguſtum Tiberiumque ſimul imperantes intelligi, eo minus dubitandum putant, quo certius conſtet, DIONYSIVM hunc PERIEGETEN Auguſto imperante ſcripſiſſe. Quomodo vero Auguſti temporibus de pluribus ἀνάξιν aut κοιρανέουσι Romanis loqui potuiſſet, niſi Tiberium Auguſto parem putaſſet, quippe qui ab hoc conſors imperii adſumtus, aequum in prouincias & legiones obtinuerit imperium? Sed vt vera fateamur, ea doctorum obſeruatio non adeo extra omnem dubitationis aleam poſita videtur, nec plane exploratum eſt, idemne ſit DIONYSIVS, περιηγήσεως auctor, cum eo, quem ab Auguſto in orientem miſſum nouimus (f). Vt vt ſe res habeat, ſemoto etiam hoc DIONYSII teſtimonio, res ipſa ſalua erit, & qui haec omnia, quae hacte-

(f) Dionyſii Periegetae, alias Alexandrini, aetas obſcura admodum eſt. Eum *aureolum ſuum libellum principantibus Antoninis ſcripſiſſe*, exiſtimant Barthius *lib. VIII. Aduerſ. cap. 5. &* Salmaſ. *ad Spartan. p. 614. Tom. I. Script. Hiſt. Aug.* Sub M. Aurelio & L. Vero vixiſſe cum mauult Voſſ. *lib. II. de Hiſt. Graec. cap. 5.* Sub Seuero, Caracalla & Geta floruiſſe contendunt Scaliger *in Notis ad Euſeb. Chron. n. MMCCXV. p. 228.* quem etiam paullo poſt ſe ipſum deſerens ſequutus eſt Salmaſius *Exercitat. ad Solin. p. 411. 628.* Immo Luitprandus Ticinenſis confundit hunc Dionyſium Alexandrinum cum Dionyſio, Pontifice Romano, qui praeeſſe coepit anno Chr. CCLIX. quem tamen, velut caecus caecum, hac in re ſequitur Lud. Iacobus a S. Carolo *in Biblioth. Pontificial. II. p. 63.* Diſerte quidem Plinius *lib. VI. Hiſt. N. cap. 27. Hoc in loco, inquit, genitum eſſe Dionyſium, terrarum orbis recentiſſimum auctorem, conſtat, quem ad commentanda omnia in orientem praemiſit Diuus Auguſtus, ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicasque res maiore filio.* Quod quum etiam Euſtathius Scholiaſtes teſtetur: certo inde colligunt, aetatem Dionyſii in Auguſti tempora incidiſſe. Conf. Io. Alb. Fabricii *Biblioth. Graec. lib. IV. cap. I. p. 22.* Anton. Pagi *Tom. I. Criticae Baron.* [illegible] B. Chriſt. Cellarii *Diſſ. de P*[illegible] *Scholae publicae vtilioribus* Halae 170[illegible] 4to edita §. 18. *ſeqq.* At ſi dicendum, quod res eſt, id non adeo liquidum videtur, & diuerſum hunc περιηγήσεως auctorem eſſe a Dionyſio, in orientem miſſo, luculenter oſtendit Henr. Dodwellus *in Diſſert. de aetate & patria Dionyſii Perieg. in Geogr. minor. Hudſon Vol. IV.* cuius argumentis nondum video ab vllo ſatisfactum.

nus diximus, paullo accuratius, adhibita in conſilium ratione, expenderit, hypotheſin hanc tam claram atque euidentem eſſe deprehendet, vt nulla alia cum iſtorum temporum hiſtoria monimentiſque concilietur facilius.

§. XXIX.

Epilogus Diſſertatiunculae. Conſtitutum nobis initio erat, hypotheſin hanc chronologicam ex mente VAILLANTII, auctoris anonymi apud SARNELLVM, RIGORDI, PAGII, PEZRONII, NORISII, TILLEMONTII, BASNAGII, CLERICI, aliorumque eruditiſſimorum huius ſaeculi virorum propoſitam, patrum quoque ſuffragiis ſtabilire, atque cum reliqua vitae Chriſti chronotaxi conferre. Sed quum haec omnia ſuccincta diſſertatio minime capiat, ea alii occaſioni fuere deſtinanda. Hinc nihil videtur reliquum, niſi vt reſpiciamus portum, actiſque ſummo Numini gratiis, vela demum aliquando contrahamus.

DE VERAE FALSAEQVE SAPIENTIAE CHARACTERIBVS.

EXERCITATIO III.

CEBES Thebanus, quo nemo felicius puriorem Socratis doctrinam ſectatus eſt, in elegantiſſima, quam poſteritati reliquit, Tabula vniuerſam vitae humanae rationem, ſtudiaque mortalium tam ingenioſe adumbrauit, vt hac quidem in re nemo illi comparandus eſſe videatur. At neſcio, an in luculentiſſimo eius libello quidquam occurrat, accurata attentione dignius, quam id, quod de vera falſaque eruditione prudenter monuit (a). Poſtquam enim oſtenderat fuſius, quanta pericula homini in hoc vitae theatrum prodeunti ab impoſtura, opinionibus, voluptatibus, ipſaque rerum domina, fortuna, immineant, & quam multi deinde ab incontinentia, luxuria, auaritia & adſentatione deluſi, triſte faciant naufra-

(a) Cebet. *Tabula p.* 34. *ſequ. edit.* Hieronymi Wolfii.

Digitized by Google

fragium: porro addit vir ſapientiſſimus, eos tantum hanc peſtem effugere, qui a Μετανοίας, id eſt, Poenitentia ſeruati, in verae ſapientiae viam reducantur. Verumtamen nec horum quidem rem omnem in vado eſſe. Ingreſſis enim hoc iter noua ſeſe pandere diuerticula, a quibus niſi diligentius ſibi caueant, nihil eſſe facilius, quam vt ad ψευδοπαιδείαν, hoc eſt, falſi nominis eruditionem euagentur, & vana doctrinae ſpecie decepti, vel ſic quoque pereant. Ex quibus demum colligit CEBES, hominum, qui eruditi vocantur, nonniſi pauciſſimos exitium euitare, & actum eſſe de pleriſque omnibus, niſi falſae eruditioni nuncium mittant, arduamque illam, quae ad veram ſapientiam perducit, viam quam primum ingrediantur. Id enim qui faciant, eos demum, continentia ac tolerantia ducibus, ad beatorum domicilium peruenire, vbi ſplendidiſſima corona redimiti, ſempiterna felicitate perfruantur. Haec CEBES Thebanus, cui pro temporum, in quae inciderat, ſorte rationem dictorum ſuorum conſtitiſſe, nemo forſan dubitauerit. Aſt quod eadem fabula hodienum in vita mortalium agatur, pluresque etiam noſtris temporibus, dum ſapientiae inhiant, falſa eruditionis ſpecie deludantur, id vero eſt, quod pauciſſimi ſibi perſuadent. Omnes quippe laudamus temporum noſtrorum felicitatem, ac non ſine ambitione nobis gratulamur, quod in eam ſeruati ſimus aetatem, qua rerum diuinarum atque humanarum ſcientia numeros omnes impleuerit. Et tamen plerique, quos vulgus tanquam oracula & portenta quaedam ſuſpicit, in maximo, quem dare ſolent, eruditionis ſtrepitu nihilo ſunt ſtultis meliores, ſed ita vitiis omnibus laborant, vt nullis magis opus eſſe videatur magiſtris viuendi, quam qui vitae vniuerſae, honeſte ac prudenter inſtituendae, rationem magno ſupercilio profitentur. Huc accedit, quod multae, quae paſſim inculcantur, doctrinae ad euertendam potius, quam amplificandam veram eruditionem comparatae ſunt. Delere enim ex hominum animis pietatem, res diuinas ſcurrili dicacitate ſubſannare, veritates euidentiſſimas argute explodere, peſtilentiſſimos contra errores ſtabilire, hic vero eruditorum complurium labor eſt: hoc illi agunt, hoc moliuntur, in hoc ſomnum, in hoc vigilias reponunt. Rediiſſe nos dixeris in illa tempora, de quibus VARRO dicere ſolitus eſt, neminem aegrotum quidquam ſomniare tam nefandum, quod non aliquis dicat philoſophus. Adeo non modo ſapientiam, ſed ipſum etiam illius amorem, eheu amiſimus. Quae quum ita ſint, facile quilibet intelligit, etiamnum inter mortales agi Cebetis fabulam, & magis nunc, quam vnquam, verendum

dum eſſe hominibus, ne falſae eruditionis praeſtigiis decepti nubem pro Iunone amplectantur, &, dum ſapientiae inhiant, in ſummam ſtultitiam incauti delabantur.

Conſiderans hanc inſignem humanarum rerum caliginem ille apud CICERONEM (b) Cotta, eo veſaniae prolabitur, vt Deo tantum non dicam ſcribat, quod hominem ratiocinandi facultate donauerit. *Haut ſcio*, inquit, *an melius fuerit humano generi, motum iſtum celerem cogitationis, acumen, ſolertiam, quam rationem vocamus, quoniam peſtifera ſit multis, paucis admodum ſalutaris, non dari omnino, quam tam munifice & tam large dari.* Exiſtimat ergo vir liberioris ingenii, Deum melius conſulturum fuiſſe hominibus, ſi rationis acumen eis omne ademiſſet, quandoquidem eius vſus admodum difficilis ſit, abuſus longe facillimus. Plurimos enim homines, qui rationis ductum ſequi ſe arbitrentur, in errores peſtilentiſſimos incidere, multoque eſſe infeliciores beſtiis, quibus illam intelligendi facultatem natura denegaſſet. Ex quo conſequi credit Cotta id, quod antea diximus, non plus nos debere Numini, a quo rationem acceperimus, quam furioſus illi debeat, qui gladio illum accinxerit. At impia profecto haec vox eſt, & ſtulto, quam viro ſapiente, dignior. Facit enim Cotta, quod ſolet nequiſſimus quiſque: ſiquidem crimen in alium transfert, quod in homine eſt, ipſumque Deum, quam ſe, accuſare mauult. Sane enim non ratio nos in praecipitia iſta ducit, ſed rationis abuſus; is vero non a Deo eſt, ſed ab hominum inſania, tantumque abeſt, vt vlla errorum culpa in ſupremo Numine haereat, vt illud homini viam ſapientiae oſtenderit expeditiſſimam. Neque exiſtimandum eſt, viam hanc eſſe ita occultam, vt a diuerticulis diſcerni nulla ratione poſſit: (miſera enim ſic eſſet hominum conditio, ſi in tot viarum erroribus nullis plane ſignis vterentur, quibus veram a falſis diſtinguere poſſint:) ſed quemadmodum aurum adulterinum, quamuis ad genuinum & colore & ſplendore proxime accedat, ab earum rerum peritis facili negotio dignoſcitur: ita & verae falſaeque ſapientiae certa ſunt ſigna, certi characteres, ad quos quicunque ſollicite attenderit, eum haut facile falli ac decipi poſſe, arbitramur. Et de his quidem verae falſaeque ſapientiae characteribus commentari nonnihil in praeſentia haut intempeſtiuum viſum eſt. Quum enim a SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO WILHELMO,

(b) Cicero *libr. III. de Natur. Deor. cap. XXVII. p. 174.*

LHELMO, REGE PRVSSIAE, DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO, diuinarum humanarumque rerum ſcientiam, quam Philoſophiam vocamus, in celeberrima hac bonarum artium ſede publice profiteri iuſſus ſim: merito me anxium ſollicitumque tenuit haec cura, qua demum ratione demandata mihi prouincia rite defungi, & tam honeſti, quod ſubeundum eſt, muneris partes ita implere poſſem, vt ſupremo Numini rationem aliquando intrepide redderem. Sane enim maxima iſta, quae mei ordinis hominibus a ψευδοπαιδείᾳ falſaque ſapientia imminent pericula, nunquam magis obuerſata ſunt animo, quam hoc tempore, quo aliis ad veram ſapientiam praeire iubeor. Identidem profecto mihi in mentem venit, quam ſit arduum docendi munus, quantiſque cum periculis coniunctum. Excolere atque emendare ingenia, euellere ex animis praeiudicatas opiniones, indagare veritatem, explicare rerum naturalium cauſſas & adfectiones, aliis ad beatam illam ſui notitiam, ad virtutem veramque felicitatem praeire, nihil denique dicere, nihil agere, quod non iuuentuti exemplo ac incitamento ad veram honeſtatem eſſe poſſit, id demum eſſe mearum partium intellexi. At quam magnum hoc, quaeſo, ac difficile? Quanta cautione protiſioneque opus eſt etiam exercitatiſſimis, vt iſtos, quos ſupra notauimus, ſcopulos feliciter defugiant? Quapropter primum hoc mihi duxi ac antiquiſſimum, vt nihil hic viribus meis, diuinaeque gratiae omnia tribuenda eſſe, mecum ſtatuerem: proximum autem, vt de verae falſaeque ſapientiae characteribus cum cura cogitarem, vt eo veluti Ariadneo inſtructus filo, e tot viarum anfractibus feliciter eluctarer. Et hanc meditationem, quod felix fauſtumque ſit, tanquam muneris mei primitias in hoc bonae mentis delubro nunc primum dedico, ex re & vero arbitratus, non poſſe profeſſorem vtilius quidquam, quam hanc praeſtantiſſimam doctrinam, cum diſcentibus communicare.

Vt autem initio, quid antiquis hac de re in mentem venerit, paullo diligentius inquiramus: primus philoſophorum de verae falſaeque ſapientiae characteribus cogitaſſe videtur SOCRATES. Quum enim illius aetate vbique in ſcholis regnarent ſophiſtae, genus hominum glorioſum & magniloquum, quod vanis promiſſis ditiores iuuenes aere emungere, ac fumum pro ſapientia vendere conſueuerat: id ſibi negotii datum credebat SOCRATES (c), vt laruam detraheret impoſtoribus, & nudam doctrinae eorum vanitatem

(c) Plutarch. in *Quaeſt. Platon.* p. 999. *Vide* Charpent. *vit. Socrat. cap.* XV.

tatem oculis omnium exponeret. Id quod ſane fieri non potuit, quin ſimul in verae falſaeque ſapientiae characteres ſollicite inquireret. Verum vt nihil ſcripſit Socrates; ita quidquid cum Sophiſtis egit, praeter pauca, quae Xenophon & Plato ſeruarunt, dudum interiit, vt adeo vix conſtet, quibus characteribus in diiudicanda vera falſaque ſapientia vſus ſit, praeterquam quod iactantiae, neglectae verae emendationis, ac turpis lucri cupiditatis eos inſimulaſſe, hoſque falſae ſapientiae characteres non ſine ſale in iis notaſſe dicitur. Iactantiam ſophiſtarum eum eſſe inſectatum, & ex iſta falſam eorum ſapientiam collegiſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur. Proditum enim memoriae eſt, Socratem, quum ſophiſtas omnium rerum ſcientiam profiteri animaduertiſſet, nullam praetermiſiſſe occaſionem, eos in anguſtias cogendi, eoque redigendi, vt ipſi, ſe nihil ſcire, cum rubore faterentur. Iam enim redeuntes ex eorum ſchola diſcipulos adgreſſus, acutis quaeſtionibus, ne ignorantiam ſuam diſſimulare poſſent, faciebat. Iam ipſis ſophiſtis, ſimulata ignorantia deluſis, eandem extorquebat confeſſionem. Ex qua deinde colligebat minime in illis inueniri eam, quam tanto ſupercilio iactarent, ſapientiam, neque eſſe ſapientis, earum rerum ſcientiam magnifice iactare, quarum ipſe ſit ignariſſimus. Atque inde factum eſt, vt ipſe ſibi ab hac oſtentatione prudenter caueret, nihilque ſe ſcire diceret, praeter hoc vnicum, quod ſciret nihil (d): quin adderet, ſe nondum iudicare poſſe, cur ab Apolline Delphico ſapientiſſimus mortalium iudicatus ſit, niſi ideo hoc factum eſſet, quod ipſe ſciret, ſe neſcire, quae alii neſcire ſe, ſcire nollent. En ipſius verba: *Videtur autem, o viri Athenienſes, ſolus Deus ſapiens eſſe, atque hoc oraculo id ſibi velle, humanam videlicet ſapientiam parui, imo nihili, pendendam eſſe. Quod vero Socratem nominat ſapientem, ob id facere, quod nomine meo, tanquam exemplo quodam vtens, quaſi ſic dicat: Is, o viri, ſapientiſſimus eſt, qui, quemadmodum Socrates, nouit reuera, ſapientiam ſuam eſſe nihili pendendam.* Haec Socrates, ex quibus ſatis conſtat, eum iactantiam & vanam ſcientiae oſtentationem pro falſae, modeſtam ignorantiae ſuae agnitionem pro verae ſapientiae charactere primo habuiſſe. Huic vero addebat alterum, verae emendationis neglectum, cuius ſophiſtas non minus grauiter accuſauit. Quum enim hi homines neſcio quam iuuenes ad remp. praeparandi de rebusque

(d) Plato *in Apol. Socrat. p.* 190. Cic. *lib. I. Acad. Quaeſt. cap. IV. p.* 5. Diog. Laert. *II*, 38. Plato *in Apol. c. I. p.* 191.

que omnibus diſſerendi ſolertiam profiterentur: facile in ſe non minus, quam in diſcipulis, ferebant improbitatem, & mentem incompoſitam, dummodo doctiores, aut certe loquaciores, ex eorum ſcholis prodire viderentur. Hinc lepide apud PLATONEM (e) iocatur Socrates, ſophiſtas quibuſuis aliis artificibus eſſe feliciores, & velut dormientes rete trahere. Nam ſutoribus, qui calceos veteres deteriores, quam acceperint, redderent, intra triginta dies fame fore pereundum: at Protagoram, famoſum ſophiſtam, vniuerſam Graeciam annis plus quam quadraginta decepiſſe, & dum deteriores reddiderit diſcipulos, quam accepiſſet, plures ob hanc rem cumulaſſe pecunias, quam aut Phidias, aut decem alii ſculptores, lucrati fuerint. Ex quibus denuo conſequi exiſtimat, ſophiſtas non modo non ſapientes, ſed & inſanos eſſe iudicandos. Pertinet huc etiam elegantiſſima eius diſſertatio, a XENOPHONTE (f) recenſita, in qua ex inſtituto docet, *omnes virtutes ad ſapientiam pertinere, nec ſapientis nomen tueri eum, qui animum non a vitiis purgarit.* Interrogatus enim, *num eos, qui ſcirent, quid agere oporteat, & his contraria facerent, ſapientes ac temperantes eſſe putaret?* potius inſipientes ac ſtupidos eſſe reſpondit: πάντας γὰρ οἶμαι προαιρουμένους ἐκ τῶν ἐνδεχομένων. ἃ οἴον τε συμφορώτατα αὐτοῖς, εἶναι, ταῦτα πράττειν. νομίζω ἂν μὴ ὀρθῶς πράττοντας, οὔτε σοφὺς, οὔτε σωφρόνας εἶναι. *Etenim*, ait, *omnes arbitror deligentes de illis, quae fieri poſſunt, quam maxime ipſis vtilia facere. Quamobrem, qui non recte faciunt, eos neque ſapientes, neque ſanos eſſe ſtatuo.* Ex quibus verbis palam eſt, emendationem voluntatis eum in ſapiente quam maxime requiſiuiſſe. Quamuis enim in hoc fallatur, quod hanc voluntatis emendationem ex emendatione intellectus deriuat, quem naeuum in Socrate iam notauit illuſtris noſter CHRISTIANVS THOMASIVS (g): illud tamen palam vrget Socrates, ſapientem, niſi qui voluntatem emendauerit, eſſe neminem. Quin nec illud praetermittendum, quod Socrates hunc characterem adplicauerit ſibi ipſi, ex eoque de profectibus ſuis in ſapientia iudicarit. Qua de re notari merentur verba EPICTETI apud ARRIANVM (h): ἀλλ' ὁ Σωκράτης τί λέγει; ὥσπερ ἄλλος τις, φησὶ χαίρει τὸν ἀγρὸν τὸν αὐτοῦ ποιῶν κρείσσονα, ἄλλος τὸν ἵππον οὕτως ἐγὼ καθημέραν χαίρω παρακολουθῶν ἐμαυτῷ βελτίονι γινομένῳ.

(e) Plato *in Menone p.* 10.

(f) Xenoph. *Mem. Socr. lib.* 3. *cap. XII. p.* 644.

(g) Chriſt. Thomaſ. *Cautel. circa praecogn. juris cap. XIV. p.* 218.

(h) Arrian. *Diſſert. Epictet. lib. III. cap. V. p.* 274.

Socrates autem quid dicit? Quemadmodum alius, inquit, delectatur, quum agrum ſuum meliorem facit, alius, quum equum: ſic ego quotidie delector, quum me fieri meliorem deprehendo. Quae fuſius deinde explicat Epictetus, & docet, qua in re meliorem ſe fieri, gauiſus ſit Socrates, non ſcilicet in oratiunculis aut praeceptiunculis, ſed in vera virtute, vt incuſaret neminem, reprehenderet neminem, eodem ſemper vultu & egrederetur, & rediret domum. Haec demum fuiſſe, ex quibus Socrates, an profecerit in ſapientia, cognouerit. Plura non addo. Vel ex his enim ſatis conſtat, alterum hunc fuiſſe Lydium lapidem, ad quem Socrates veram falſamque ſapientiam exegit. Reſtat ergo tertius, *lucri cupiditas*. Solebant Sophiſtae neminem admittere in diſciplinam, niſi qui aurum liberaliter offerret. Qua ſordida lucri captura immenſas ſibi diuitias parabant. De Protagora paullo ante diximus. Nunc addimus Gorgiam Leontinum (i), qui arte ſophiſtica tantum quaeſtum fecerat, vt ſibi ipſe ſtatuam auream & ſolidam ſuo aere poſuerit. Quin gloriabantur de eo, ſeque Socrati longe anteponebant, quod, quum hic doctrina ſua nihil lucraretur, ipſi rebus omnibus abundarent. A XENOPHONTE (k) enim relatum eſt, Antiphontem Sophiſtam, quum aliquando familiares Socratis ab ipſo voluiſſet abducere, praeſentibus amicis hac vſum eſſe oratione: Arbitrabar ego, o Socrates, eos, qui philoſopharentur, feliciores fieri oportere: at tu mihi videris contraria ratione philoſophia tua frui. Viuis enim ita, quo pacto ſi vel quiuis ſeruus ſub domino victitaret, non maneret: vteris cibo potuque viliſſimo, neque tantum veſte vili, ſed eadem quoque per aeſtatem & hiemem indueris, ſemperque calceis tunicaque cares. Praeterea pecuniam non accipis, quae & comparantibus eſt voluptati, & iis, qui iam compararunt, liberalius iucundiuſque viuendi cauſſa eſt. Quamobrem ſi, quemadmodum reliquarum actionum magiſtri diſcipulos ſuos imitatores ſui efficiunt, tales tu quoque familiares tuos reddes: putare debes, infelicitatis te magiſtrum eſſe. Adeo Sophiſtae omnia ad quaeſtum referebant, alioſque exiſtimabant minus eſſe ſapientes, qui minus doctrina ſua lucrarentur. At alia longe mens erat Socrati (l). Tantum enim abeſt, vt philoſophiam ad opes colligendas comparatam eſſe, crederet, aut a diſcipulis vllam acciperet mercedem, vt potius falſae ſapientiae hunc

(i) Athenaeus *lib. XI.* Plin. *lib. XXXIII. H. N.* 8. 4.

(k) Xenoph. *l. c. lib. I. cap. XX. pag.* 576.

(l) Vid. Charpent. *l. c. cap. XVII. pag.* 64.

hunc characterem crederet certiſſimum. Quam vere ac recte ita ſtatuerit, iam non diſputamus. Id ſaltim certum eſt, illum ita ſtatuiſſe. Antiphonti enim, cuius verba paullo ante adduximus, id reſponſi dedit (m): Apud nos, mi Antipho, exiſtimatur, eodem modo poſſe aliquem & forma, & ſapientia, vel honeſte vel turpiter vti. Nam quum aliqua formam pecunia cuiuis proſtituit, ſcortum appellant: eam vero, quae, quemcumque intellexerit rerum honeſtarum & praeclararum amatorem eſſe, amicum ſibi adiungit, modeſtam ducimus: itidem, qui ſapientiam pro pecunia cuiuis proſtituunt, ſophiſtas, quaſi quaedam ſcorta, vocant: quicumque vero illum, quem egregia praeditum eſſe indole animaduertat, quicquid boni ſcit, docet, vt amicum eum faciat, hunc facere putamus, quod virum honeſtum ac probum decet. Exſtant & alia a Socrate hanc in rem dicta, ex quibus ſatis patet, eum hanc lucri cupiditatem tanquam falſae ſapientiae characterem notaſſe: ſed ea breuitatis ſtudio omittimus, id modo obſeruantes, quod & Plato eo argumento Socratem (n) virum ſapientiſſimum & diuinitus datum eſſe Athenienſibus demonſtrauerit, quia fuerit ab omni quaeſtus ſtudio alieniſſimus, & gratis ſemper docuerit familiares, etiamſi diteſcendi occaſio ei fuiſſet commodiſſima.

Sed a Socrate deueniendum ad eius diſcipulum PLATONEM (o), qui eandem de characteribus falſae ſapientiae doctrinam ſingulari dialogo, quem Sophiſtam inſcripſit, prolixe admodum explicauit. Quum enim ſubtili hac ac praeſtantiſſima ſcriptione id agat Plato, vt ſophiſtarum doctrinam non minus a vera ſapientia, quam res falſas a vero ente, differre doceat: peropportune hac occaſione ſimul κριτήρια ſophiſticae omniſque falſae ſapientiae recenſet. Ea κριτήρια eleganti oratione explicat THEMISTIVS (p), vbi contra obtrectatores demonſtrat, ſophiſtae characteres Platonicos ſibi minime conuenire. Quod ſi ergo rem diligentius expendamus, primus character, quem Plato in ψευδοπαιδείᾳ falſaque ſapientia obſeruat, eſt ambitus, quo iuuenes nobiles inprimis & diuites allicere ſoleant ſophiſtae. Inde enim eſt, quod ſophiſticam iocoſe dicit eſſe *artem quae in conciliando comparandoque verſatur, animaliumque greſſibilium & terrenorum domeſticorumque venationem, hominum videlicet priuatam capturam, ob numorum mercedem, & iuuenum diuitum & nobilium opinione virtutis diſciplinaeque irretitionem.* Secundus eius character eſt περιττολογία, & va-

(m) Xenoph. *l. c. p.* 578.
(n) Charpent. *l. c.*
(o) Plat. *in Sophiſta p.* 70. *ſequ.*
(p) Themiſt. *Orat. IV.*

norum verborum aucupium. Obſeruat enim PLATO, ſophiſtas, licet res praeclaras ac iuuentuti vtiliſſimas promittant, in ſermone tamen maxime haerere, idque dare operam, vt diſcipulos non quidem probos, ſed ranis reddant loquaciores. Vnde altera ſophiſtae definitio non minus lepida: *Sophiſta eſt commutator, emtor & venditor, mercator videlicet, qui animi diſciplinas venumdat, ad ſermones inſtitutaque virtutum praecipue pertinentes.* Tertius ſophiſtarum character ex mente PLATONIS eſt *cauponatio.* Quemadmodum enim caupones vina, ſuſpenſa hedera, venum offerunt, omnique fallaciarum genere alliciunt emtores, gauiſi, ſi vappas iactatione ſua deluſis pro Falerno obtrudere poſſint: ita eadem ratione fictitiam ſapientiam venditant ſophiſtae. Quum enim vere ſapientes modeſte de ſe ſemper ſentiant: hi mera myſteria, & neſcio quae horrenda ſecreta iactant, inuenta etiam noua, quae nemini mortalium vnquam in mentem venerint, magnifice crepant, vt audire te crederes illum apud HOMERVM:

Nos ſoli ſapimus, reliqui volitant velut vmbrae.

Atque inde tertia PLATONI nata eſt ſophiſtae definitio: *Sophiſta eſt, qui in adquirendo verſatur, commutat ſcilicet, emit, venditque cauponando: ſiue ſua inuenta, ſiue aliena, circa virtutis ſtudium vendat.* Addit his PLATO characterem quartum, contendendi diſputandique pruritum. Quum enim iam ex ſuperioribus characteribus liquido conſtet, ſophiſtas non tam ſuam aliorumue emendationem, quam gloriam atque opes, mercenario ſtudiorum labore quaerere: non mirum profecto eſt, ſi diſputent, contendant, pugnent, & de lana, quod aiunt, caprina miro animi feruore digladientur. Pertinere enim hoc arbitrantur ad gloriam ſuam, ſi omnes diſputandi altercandique arte ſuperauerint. Vnde quarta eiuſmodi ſophiſtae, vel athletae potius, definitio Platonica: *Sophiſta eſt artifex quaeſtus gratia contentioſus, contradictionibus ambigens, in pugnando certans, lucri prae caeteris ſtudioſus.* Sequitur character falſae ſapientiae quintus, curioſa opinionum vulgarium irriſio. Quamuis enim vere hoc ſit philoſophi munus, vt populares hominum errores, tanquam detracta larua, denudet, nullamque in ea re vel auctoritatis alienae, vel fortunae ſuae, habeat rationem: contingit tamen ſophiſtis, quod ſolet ſtultis, qui

Dum fugiunt vitia, in contraria currunt.

Vt habeant enim, in quo exerceant ingenium, etiam euidentiſſimas veritates errorum popularium nomine traducunt, exſibilant, explodunt, & hoc conſequuti, id ſibi in primis laudi ducunt, quod diſcipulos ſuos praeiudiciis atque erroribus liberarint. Hinc

quinta

Digitized by Google

quinta definitio Platonica: ἰατρικῶς intelligenda: *Sophiſta eſt purgator animae, opiniones exſtirpans omnes, quae doctrinis impedimento ſunt.* Excipit quintum hunc characterem ſextus, quem adfectatam πολυμαθείας laudem vocare liceat. Sollemne eſt ſapientibus, modeſte de doctrina ſua ſentire, & ſuo ſe pede metiri ac modulo. Hinc quanto proficiunt magis, tanto plus ſupereſſe fatentur, quod ignorent. Quin intellectus ſui anguſtos limites adeo perſpectos habent, vt plura ne ſciri quidem poſſe, non inuiti fateantur. At quid ſophiſtae? Sciunt omnia, &, quod lepidum dixeris, etiam, quae neſciunt, ſciunt. Luſiſſe in hos homines crederes PLAVTVM (q), quum ait:

Omnia ſe ſimulant ſcire, nec quidquam ſciunt:
Quod quique in animo habeant, aut habituri ſint,
Sciunt: id quod Rex reginae dixerit, ſciunt: quid
Iuno fabulata ſit cum Ioue, quae neque futura, neque facta
ſunt,
Tamen illi ſciunt.

Vnde ſexta Platonis definitio: *Sophiſtae ſunt, qui in omnibus ſapientes diſcipulis videri volunt, nec tamen ſunt.* Denique agmen claudit character ſeptimus, quem ipſe PLATO ſuo loquendi more praeſtigias vocat. Quemadmodum enim praeſtigiatores acetabulis ſuis ac calculis hominum oculis illudunt, & celeri manuum motu certas actiones ita effingunt, vt vere ita fieri videantur: ita ſophiſtae, quum vana & ſtulta venditent, ea tamen celeritate ingenii & ſermonis tam eleganter exornant, vt ſeueriſſimae ſapientiae ſpeciem prae ſe ferre videantur. *Sic iſta*, vt cum SENECA (r) loquar, *ſine noxa decipiunt, quomodo praeſtigiatorum acetabula & calculi, in quibus fallacia ipſa delectat.* Atque hinc tandem ſeptima Platoni ſubnata eſt definitio: *Sophiſta eſt quaſi praeſtigiator quidam, & verarum rerum imitator.* Haec ſunt, quae de verae falſaeque ſapientiae characteribus commentatus eſt Plato. Poſt eum vix quiſquam ex inſtituto de illis cogitauit, praeter CLEMENTEM ALEXANDRINVM (s), qui in Stromatum libris multa hanc in rem dixit, ſed ſuo more, hoc eſt, paullo confuſius. Duo tamen exſtare videntur loca, quibus ſententiam ſuam clarius expoſuit. In libro enim ſexto Stromatum diſcrimen inter veram falſamque ſapientiam traditurus: Καὶ ἡ μὲν, ait, αἰώνιός ἐστιν, ἡ δὲ χρόνῳ λυσιτελής. καὶ ἡ μὲν μία καὶ ἡ αὐτὴ, αἱ δὲ πολλαὶ καὶ διάφοροι. καὶ ἡ μὲν ἄνευ παθηματικῆς τινὸς

κινήσεως,

(q) Plaut. *in Trinum Act. I. Scen. 2.* p. 166.

(r) Seneca *Epiſt. XLV.*

(s) Clem. Alex. *lib. VI. Strom. p. 642.*

κινήσεως, ἡ δὲ μετὰ παθητικῆς ὀρέξεως. καὶ ἡ μὲν τέλειος, ἡ δὲ ἐνδεής. Quae verba ita perperam ſolent reddere interpretes: *Et haec quidem ſapientia partim aeterna, partim autem tempori vtilis, & partim quidem vna eſt & eadem, partim autem multae & indifferentes, & partim quidem eſt abſque vllo motu patibili, partim autem cum patibili adpetitione, & partim quidem perfecta, partim vero indigens.* Sed malam hanc eſſe interpretationem, & contortam, quin nullius ſenſus, nemo non videt. Quare ita potius vertenda arbitramur verba CLEMENTIS: *Et haec quidem* (vera ſapientia) *aeterna eſt, illa vero* (falſa) *tempori vtilis: haec una ſemper & eadem illae multae & differentes: haec ſine motu quodam patibili, illa cum patibili adpetitione: illa perfecta, haec indiga.* Sane ſi ita intelligantur verba, expeditiſſimus eſt CLEMENTIS ſenſus. Quatuor videlicet tradit verae falſaeque ſapientiae characteres. Primo enim dicit veram eſſe aeternam, falſam tempori vtilem. Recte. Quum enim fictitii ſapientes omnia ad caducae hujus vitae commoditates referant, ii contra, qui vere hoc nomen tuentur, aeterna potiſſimum cogitant, & ſapientiae fructus non minus, ac ipſam ſapientiam, aeternos eſſe cogitant. Deinde veram ſapientiam vnam, falſam multiplicem & ſibi ipſi parum conſtantem eſſe ait. Id quoque ſapienter. Nec enim poteſt doctrina, quae a ſe ipſa diſſentit, ſapientiae nomen mereri. Tertio veram ſapientiam ſine patibili motu, falſam cum patibili adpetitione eſſe coniunctam adfirmat. Nec id quidem male. Falſa enim ſapientia prauos hominum adfectus ac inclinationes irritat, mentemque vel ad avaritiam, vel ad vanam ambitionem, vel ad turpes voluptates ac libidines ſollicitat: quum vera perturbatam reuocet ad tranquillitatem, efficiatque, ut in ſummi boni poſſeſſione ſuauiter adquieſcat. Denique vera ſapientia eſt perfecta, falſa indiga, idque quartum eſt ex mente CLEMENTIS ſapientiae criterium. Et profecto, ſi quidquam, hoc recte ac prudenter dictum. Sophiſtae enim & male ſapientes aureos montes promittunt: at ſi ad rem veniendum, vix minima praeſtant, quin ſaepius, quae eſt eorum inſignis impudentia, vbi vanis promiſſis animos pauerint, deinde media ſibi deeſſe fatentur, & impoſturam ſuam ridicula illa diſtinctione inter finem *externum* & *internum* ſatis inepte excuſant. Quid ergo famelica hac & paupere ſapientia inſipientius? At vera ſapientia perfecta eſt, ſibique ſufficiens. Veritatem quis deſiderat? dabit; ſummam felicitatem? hanc quoque dabit; prudentiam? nec hanc negabit. Id quod a PHILONE, vel quiſquis eſt ſapientiae Salomoneae

neae auctor (t), tam praeclare demonſtratum eſt, vt a nemine id fieri potuiſſet elegantius. Alter CLEMENTIS locus, qui huc pertinere videtur, & a IO. FR. BVDDEO (u), viro ſapientiae amantiſſimo, alicubi praeclare expoſitus eſt, in ſeptimo Stromatum libro exſtat. In eo quatuor illis, quos hactenus recenſuimus, characteribus tres noui adduntur. Sapientis enim eſſe ait, primo *res noſſe, deinde efficere, quod ratio dictauerit, & denique quae occulta fuerant apud veritatem, prout Dei maieſtati conuenit, tradere poſſe.* Res noſſe, id quidem eſt veritatem perſpectam exploratamque habere, vt de numine rebuſque diuinis pariter ac humanis rectas habeamus ſententias. Iſta vero cognitio ſcientiaque deinde ad virtutem pietatemque referenda, quae profecto aliter ſibi non conſtat, quam ſi numinis voluntati nobis quacunque ratione patefactae obtemperemus, moremque geramus lubentiſſime. Cuius obſequii ac pietatis non alius denique fructus eſſe poteſt, quam ut alios quoque ad tantae felicitatis perducamus ſocietatem, eoſque itidem ad veram iſtam ſapientiam erudiamus. Ex quo poſtremo colligit CLEMENS, omnes, qui vel a veritatis tramite aberrent, vel ea, quae vtcumque cognouerint, non ad morum vitaeque emendationem, ſed ad oſtentationem aut foedas voluptates referant, vel denique alios deteriores potius, quam meliores, docendo reddant, falſae ſapientiae praeſtigiis decipi, & pro Iunone nubem, pro corpore vmbram imprudenter amplecti.

Haec ſunt, quae veteres de verae falſaeque ſapientiae characteribus commentati ſunt. Poſſemus nunc, quid de eorum doctrinis ſentiendum ſit, quidque eruditi aetati noſtrae propiores hac de re meditati ſint, fuſius explicare. Sed alterum in tanta breuitate minus neceſſarium, alterum plane ſuperuacuum eſſe arbitramur. In quantum enim rem acu tetigerint veteres, ex iis, quae paullo poſt dicturi ſumus, facile quiſque iudicabit. Quid vero recentioribus hac de re viſum fuerit, dicere, hic noſtra parum intereſt, quum aliorum expilare ſcrinia nolimus. Hinc reliquum eſt, vt quid nobis de ſapientiae characteribus in mentem venerit, paucis exponamus. Plerique, qui de ſapientia adhuc ſcripſerunt, in eo videntur parum accurati, quod, quid ſit ſapientia, docere ſuperſederint. Quum tamen rei, cuius obſcura notio eſt, characteres animaduerti nulla ratione poſſint. Sane enim complures ſapientiam cum eruditione confundunt, aliis vera ſapientia eſt doctri-

(t) Sap. VII. & VIII.

(u) Ioh. Fr. Budd. *Progr.* περὶ τῆς γνώσεως ψευδωνύμου p. 10. Clem. Alex. *lib. VII. p. 701.*

doctrina Chriſtiana, falſa gentilium philoſophia, quae poſterior acceptio etiam in ſcriptura & patribus occurrit (x). Quamuis autem definitiones nominales ſint in arbitrio hominum poſitae, & cuiuis liceat ſapientiae vocabulo intelligere, quicquid voluerit: conſtat tamen inter omnes, priorem acceptionem falſam, poſteriorem minus propriam eſſe. Primo enim ſapientem eſſe poſſe, qui non ſit eruditus, & rurſus eruditum, qui non ſit ſapiens, ſatis demonſtrat experientia. Deinde quamuis largiamur, veram ſapientiam in Chriſtiana doctrina perfectiſſime doceri, nec vmquam eum ſapientem poſſe adpellari, qui non ſit Chriſtianus: non omnes tamen, qui ſibi auguſtum hoc nomen vindicant, ideo eſſe ſapientes, res ipſa docet. Quare vt omnem aequiuocationem euitemus, eruditum vocamus, quicunque ſibi veram & ſolidam rerum vtilium & neceſſariarum notitiam comparauit. At, ſi quis cum iſta notitia coniunxerit facultatem illius directricem, ita vt, quicquid didicerit, ad verum rectumque finem referre & velit & poſſit, eum iure dicimus ſapientem. Et hinc vera ſapientia eſt *viua veri bonique cognitio, cum emendata & ad omnem compoſita virtutem voluntate coniuncta, quae mentis facultates earumque operationes dirigit, vt obiectum legitimum eligant, inanibuſque dimiſſis vtilia & ad felicitatem ſummam profutura conſectentur.* Haec eſt vera ſapientia, haec vnica illa eruditionis directrix, haec ſummum illud ac incomparabile bonum, quod plures proh dolor quaerunt, quam inueniunt. Et hinc omnibus in medio poſita eſt ratio falſae aeque ac verae ſapientiae characteres inueniendi, vt non temere quiſquam, ſi ratione recte vti velit, poſſit offendere. Diximus primo: Sapientiam eſſe cognitionem viuam, i. e. talem, quae cum interno amore, deſiderio, experientia ac veluti guſtu coniuncta ſit. Stultus enim eſt, non ſapiens, qui multa nouit, deque rebus diuinis ac humanis ſubtiliter diſſerit, nec tamen ipſe tantorum, quae iactat, bonorum ſuauitatem vmquam percepit. Quum vero ad viuam huiuſmodi cognitionem nemo mortalium peruenire queat, niſi qui ſe ipſum prius accurate nouerit: conſequens eſt *vt ea rerum notitia, quae cum notitia ſui non coniuncta, aut illi impedimento eſt, ſapientiae nomen non mereatur.* Primum hunc ſtatuo falſae ſapientiae characterem. Ex quo facile patet, quid de pleriſque philoſophis paganis ſentiendum ſit, qui hominis nobilitatem & praeſtantiam ita collaudant, vt nec minimam miſeriae eius habuiſſe

Character I.

(x) *Vid.* Budd. *Theol. Mor. P. I. cap. I. ſect. 2. n. 66. p. 98.*

buiſſe rationem videantur. Extollunt mentis humanae vires ac libertatem, & vix vllam eius agnoſcunt corruptionem, niſi quae per corporis contagionem in animam deriuetur. Num vero homines eiuſmodi dixerimus ſapientes? num iis viuam concedamus veri boniquė cognitionem, quum ſui ipſorum ignari ſint? Obſeruamus hunc characterem in pleriſque philoſophiae ſectis. Platonici animam ſibi concipiebant integerrimam, & ſua natura ad virtutem aptam, niſi a corpore impediretur. Idem viſum eſſe Stoicis (y), non ſinunt nos eorum ſcripta dubitare. Quin nec Iudaeos ab hoc errore immunes eſſe, praeclare docet vir doctiſſimus CAMPEGIVS VITRINGA (z). Sed vnico tantum exemplo rem illuſtrare iuuat. Quis non laudibus ornare ſolet purpuratum iſtum philoſophum MARCVM ANTONINVM (a), Imperatorem? quis non eius ſapientiam tanquam inuſitatam ac prope diuinam in caelum euehit? At quamuis in eius libris εἰς ἑαυτὸν multa legantur, quae pulcre & pie dicta videntur: nolim tamen ego vel minimam verae ſapientiae laudem illi tribuere, qui non modo miſeriam ſuam prorſus non agnoſcit, ſed & de perfectione hominis naturali tam magnifice gloriatur. En eius verba: *Continenter te ipſum admone: nunc in mea eſt poteſtate, vt in animo hoc nihil ſit malitiae, nihil cupiditatis, nihil tumultus.* Talia plura exſtant apud Antoninum reliquoſque Stoicos, indicioque ſunt clariſſimo, viros hos, quos veluti ex compacto ſapientes praedicamus, a ſapientia vera longe abfuiſſe. Sed non ſolum gentiles hunc falſae ſapientiae characterem prae ſe ferunt, ſed &, quod magis mirandum, chriſtiani quidam philoſophi. Nam vt vel vnico exemplo rem declarem, notum eſt, quanti multis fiat IACOBI ABBADIE de notitia ſui ipſius libellus, quem ipſe ſane, tanquam inaeſtimabilem ſapientiae theſaurum, a non nemine commendari memini: & nihilominus tamen auctor mea quidem ſententia fuit a vera ſapientia alieniſſimus. Eo enim redit, quidquid in hoc libello inculcat (b), vt hominem oſtendat eſſe creaturam nobiliſſimam, & quae vel ſola nobilitatis & perfectionis ſuae ſedula conſideratione eo adduci debeat, vt virtutem rebus omnibus putet eſſe anteponendam. Quo ipſo ſatis clare videtur oſtendiſſe, miſeriam humanae mentis ſe nunquam cum

(y) Vid. Marſil. Ficini *Comment. ſuper Plat. conuiu. orat. IV. cap. IV.* Iuſt. Lipſ. *Phyſiolog. Stoicor. lib. I. Diſſert. XIV. XV.* Io. Franc. Budd. *Diſſ. III. de Praecipuis Stoicorum erroribus* §. IV.

(z) Camp. Vitringa *Obſ. S. lib. III. cap. IIX. IX.*

(a) M. Anton. *lib. VIII. n. 25.* Idem *lib. VII. n. 30. lib. V. n. 14. lib. VI. n. 15.* Budd. *l. c. Diſſ. II.* §. 9.

(b) *L'art de ſe connoître ſoi-même, ou la recherche des ſources de la morale.*

cura expendiſſe. Sed ne nimis diu primo huic characteri inhaereamus, in ipſa definitione pergimus, in qua porro dicimus, ſapientiam eſſe viuam cognitionem veri bonique. Ex quo denuo haut pauci characteres falſae ſapientiae fluere videntur. Quum enim obiectum verae ſapientiae ſit verum & bonum, verba vero in ſe neque ad veritatum neque ad bonorum claſſem pertineant, conſequens eſt, vt *eam notitiam, quae in ſolis verbis haeret, aut obſcuris vocabulis nugas ac ineptias occultat, nihil minus eſſe dicamus, quam ſapientiam.* Hinc facile patet, criticam aliaſque huius generis artes ad ſapientiam non pertinere, ſi quis per omnem vitam in huiuſmodi tricis verſetur, & nunquam iis ad veram eruditionem ac ſapientiam conſequendam vtatur. Sed & hoc adparet, philoſophiae Ariſtotelicae & ſcholaſticae haut exiguam partem nihil facere ad ſapientiam. Obſcuris enim vocabulis Ariſtoteles eiuſque ſectatores quam maxime delectantur, & a communi vſu remotis vocibus neſcio quem inſignis ſapientiae ſtrepitum edunt; quum, detracto hoc inuolucro, brutis iſtis ſine mente ſonis nihil plerumque inſit, quod vel caſſa nuce emeris. Euolue totam Ariſtotelis dialecticam, eam loquendi potius artem eſſe deprehendes, quam inueniendi veritatem (c). Eamdem circa nuda verba obſcuram diligentiam in metaphyſicis & phyſicis Ariſtotelicorum ſcriptis facile animaduertes, niſi tibi Ariſtotelis amor aciem mentis omnem obtuderit. Et quidni animaduertas, quum ipſe P. I. NVNNESIVS (d), at quantus Ariſtotelis admirator, diffiteri hoc non poſſit? Si cauſſam quaeris, omnium ſolidiſſime reſpondebit ARN. WESENFELDIVS, *Ariſtotelem inani hoc verborum ſtrepitu vti voluiſſe, quo plura & difficiliora ſcire videretur. Obtinere enim hoc apud pleroſque homines, vt res eo magis admirentur, quo minus eas penetrent, & ex ipſa ignorantia ſua de aliorum ſcientia iudicent.* Quum ergo praeſtigiae eiuſmodi cum ſapientia conciliari non poſſint, nemo certe erit, quin Ariſtotelicam & ſcholaſticam philoſophandi rationem vel hoc charactere vanitatem ſuam prodere intelligat. Et neſcio ſane, an non iure etiam huc referenda ſit maxima pars cabbalae, de qua alii tam magnifice ſentiunt. Quamuis enim in ea lateant nonnulla non contemnenda: pleraque tamen obſcuris vocabulis data opera ita inuoluta ſunt, vt neſcio quae inaudita myſteria continere videantur, quum, detracto cortice nihil

Charact. 2.

(c) *Vid.* Io. Cleric. *Log. Part.* I. *c.* V. VIII. XI. *& alibi paſſim.*

(d) P. Io. Nunneſ. *de Cauſſ. obſcur. Ariſt.* Arn. Weſenſ. *de Philoſ. ſect. & electi. Diſſ.* II. *cap.* I. *n.* 6. *p.* 12.

hil intus nuclei adpareat. Sane ſi expenderis accuratius, quae de quatuor mundis cabbaliſticis, de Adam Kadmon, de ſpiritu Sandalphon aliiſque huius notae doctrinis, ſubtiliter diſputant CHRISTIANVS KNORRIVS, HENR. MORVS & alii huius arcanioris Ebr. philoſophiae admiratores, nihil temere reperies, quam aut vulgares aut frigidas doctrinas, vocabulis ſphingis aenigmate obſcurioribus inuolutas (e). Vt adeo aureo piſcari hamo videantur, qui tot bonas horas eruendae e tot nugis vni atque alteri veritati impendunt (f). Quare tantum abeſt, vt in cabbala antiquae Ebraeorum ſapientiae theſauros reconditos putem, vt ea characterem non vnum falſae ſapientiae prae ſe ferre videatur. Quum porro ſapientiam viuam veri bonique cognitionem eſſe diximus: etiam hoc inde ſequi arbitramur, *vt eam notitiam, quae vel, neglecto bono, ſola cognitione veri abſoluitur, vel, veritate inſuper habita, ſine illa bonum conſiſtere poſſe ſtatuit, ſapientiae nomine plane indignam eſſe iudicemus.* Quamuis enim diſtincti ſint conceptus veri & boni, re ipſa tamen tam arcto vinculo cohaerent, vt, alterutro ſecluſo, vix vmbra ſuperſit verae ſapientiae. Bonum eſt vel verum vel adparens. Tolle ergo veritatis ſtudium, quid facilius erit, quam vt pro vero bono eius vmbram conſecteris? Sic & veritates quaedam ſint vtiles: ſunt vero & aliae inutiles & noxiae. Tolle ergo boni cognitionem, quid facilius erit, quam vt veritatum inutilium & noxiarum ſtudio te vnice oblectans, a vero ſapientiae tramite turpiter aberres? Quae quum ita ſint, vix dignos eos exiſtimamus glorioſo ſapientum nomine, qui obiecta ſapientiae ſeparant, quae non minus arcte, quam ipſe intellectus & voluntas, inter ſe connexa ſunt. Secundum hunc characterem denuo poterit de pluribus eruditis iudicari. Priorem enim errorem (g), quo vera eruditio & ſapientia in ſola cognitione veri conſiſtere creditur, errarunt permulti, etiam ii, qui ſe viam ſapientiae expediuiſſe, arbitrati ſunt, nec hodienum ab iſto immunes ſunt viri ceteroquin maximi. Poſteriori non minus multi fauent, quicunque videlicet hodie, reuocata Gnoſtomachorum ſtultitia, veritatis nullam, virtutis vero & emendatae voluntatis vnice habendam eſſe rationem exiſtimant, & perinde habent, quid quiſque credat & opinetur, dummodo mentem ad veram

Charact. 3.

(e) *Vid.* Budd. *Hiſt. philoſ. Ebr. p.* 306. *ſeqq.*

(f) Conf. Thomaſii *Caut. circ. praecogn. iuris cap. VI. n.* 21. *p.* 76.

(g) E. g. Auctor. Medicinae *Ment. p.* 9. *Vid.* Thomaſ. *Cautel. cap. I. n.* 3. *p.* 2. *& in Cogitat. monſtr. P. I. pag.* 421. *ſeqq.*

virtutem componat. Horum nos omnium eam eſſe conditionem arbitramur, vt a vera ſapientia quam longiſſime abſint, licet ab aliis tanquam oracula quaedam ſuſpiciantur. Porro in definitione ſapientiae obſeruauimus, viuam iſtam veri bonique cognitionem cum *emendata & compoſita ad omnem virtutem voluntate eſſe coniunctam. Hoc ergo ſi deſit, nihil, quod vel ſapientiae vmbram referat, adeſſe exiſtimamus.* Sane enim quum vel ipſa ratio doceat, mentem, vitiis omnibus contaminatam, ad viuam veri bonique cognitionem fruſtra adſpirare, & tametſi ſibi aliquam veritatum farraginem comparauerit, illa tamen non ea, qua par eſt, ratione vti: quo iure, quaeſo, eiuſmodi homo ſapientiae ſibi laudem depoſceret? Hinc ipſa ſacra ſcriptura vbique hunc ſapientiae ſtultitiaeque characterem inculcat. Luculenter IACOBVS (h), Apoſtolus: *Qui in vobis*, inquit, *eſt ſapiens, oſtendat bonis moribus ſua opera, cum ſapientiae manſuetudine.* Et paullo poſt (i): *At ſuperne oriens ſapientia primum caſta eſt, deinde pacifica, aequa, obſequioſa, pietate boniſque referta fructibus, ſerena & minime ſimulatrix.* Pari ratione & ſtulti infami nomine nemo in ſcriptura ſacra notatur, niſi qui ad omne ſcelus ſimul ſit profligatiſſimus. Quid? quod non tantum ſacri, ſed & profani ſcriptores hunc characterem agnoſcunt. Iam ſupra diximus, quid SOCRATES (k) reſponderit interroganti, num eos, qui ſcirent, quid agi oporteat, & his contraria faciant, ſapientes eſſe putaret? Aiebat enim philoſophus, *ſibi eiuſmodi homines potius inſipientes & ſtultos videri, quam ſapientes.* Idem docet SENECA (l) qui, tametſi ipſe a vera ſapientia alieniſſimus, eam tamen ſolam veram illam & antiquam ſapientiam exiſtimat, quae facienda vitandaque doceret, homineſque redderet meliores. Omitto alia huius generis quamplurima, quum vel ex his virtutis cum ſapientia nexus ſatis ſuperque pateat. Iam ſi proinde tantum quis abeſt a vera ſapientia, quantum a virtute abeſt: quam multi, quaeſo, qui ſibi hodie mirifice placent, ſapientiae laudem amittent? Quam multi enim ſunt, qui, virtute inſuper habita, vitia vel defendunt, vel in ſe ac aliis ferunt? Quam multi, qui id ſibi negotii credunt dari, vt aliorum potius errores, quam eorum ſuaque vitia, emendent? Quam multi, qui aliorum vitia non emendant, ſed, quod turpius

Charact. 4.

(h) *Iac.* III. 13.
(i) *Iac.* III. 17.
(k) Xenoph. *Mem. Socr. lib.* III. c. *XII. p.* 614.
(l) Seneca *Epiſt. XLVI.*

Digitized by Google

pius eſt, rident, identidem iactantes illud LVCRETII (m):

Nil dulcius eſt, bene quam munita tenere
Edita doctrinae ſapientum templa ſerena:
Deſpicere unde queas alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palantes quaerere vitae,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti praeſtante labore,
Ad ſummas emergere opes, rerumque potiri.

Haec ſane hodiernae eruditionis eruditorumque noſtrae aetatis plurimorum facies eſt, quam ſi quis cum ſapientia coniunctam dixerit, nae is vehementer, ex mea quidem ſententia, fallitur: Sed & hoc ex eo, quod in definitione diximus, ſequitur, *vt nemo ſapientiae laudem mereatur, qui ſua quam profitetur, doctrina vitia primaria, voluptatem, ambitionem & auaritiam irritat.* Quod ſi enim ſapientia cum emendatione voluntatis & virtute neceſſario coniuncta eſt, nihilque magis eſt emendationi morum & verae virtuti inimicum, quam triceps iſtud monſtrum: dubitari profecto non poteſt, quin mentem per ſapientiam veram oporteat ab omni ambitione, voluptate & auaritia reuocari. Hinc recte concludunt (n) eruditi, veram ſapientiam in Caini poſteris defeciſſe, quandoquidem omne ſtudium induſtriamque ad eas artes retulerint, quibus tria vitia primaria maxime irritentur. Nec minus verum eſt, hodienum artes omnes, quae vel hominibus aere emungendis, vel vanae ambitioni, vel merae curioſitati velificantur, ad veram ſapientiam non eſſe referendas. De prioribus non opus eſt, vt plura dicamus. Quis enim eſt, qui artem rabuliſticam, aut diſputatoriam ſcholaſticam ſapientiae partem crediturus ſit? At vero, qui ſtudiis curioſis delectantur, ii excuſatius peccare pleriſque videntur. Et tamen, ſi rem aequa lance ponderaueris, generoſa ſtultitia, vt mitiſſime dicamus, inſaniunt, qui, vt curioſitati ſuae ſatisfaciant, verbi cauſſa, omnem aetatem in colligendis numis antiquis, aliiſque eiuſmodi reculis, conſumunt. Quamuis enim ea ſtudia, ſi ad rectum referantur finem, in ſe non contemnenda ſint: tamen quum curioſitati ſuae eorum cultores plerumque plus aequo indulgeant, curioſitas vero non parum vitii a volup- Charact. 5.

(m) Lucret. *lib. I. v. 7. ſeqq.*

(n) *Vide* Thomaſ. *Cautel. cap. VI. p. 13. p. 75.* Budd. *Introd. ad Hiſt. philoſ. Ebr. §. II. p. 4.*

voluptate trahat: fit inde, vt homines nihilo fiant hac induſtria ſua ſapientiores, & tempus inſuper ſibi praeripiant ad meliora tractanda, parum memores ſententiae SENECAE (o): *Dementia eſt, ſuperuacua diſcere in tanta temporis egeſtate.* Sed vt pergamus in definitionis noſtrae ἀναλύσει, diximus porro, veram ſapientiam mentis facultates earumque operationes dirigere, & quidem in duobus capitibus, primo vt obiectum legitimum eligant, ſecundo vt, miſſis inanibus, vtilia & ad felicitatem ſummam profutura conſectentur. Ex iis axiomatibus denuo plures ſequuntur concluſiones, quae characterum ſapientiae vicem iure praeſtabunt. Si enim ſapientiae munus eſt, mentem eiuſque facultates & operationes dirigere: ſtatim inde adparet, eam *non eſſe ſapientiam, quae mentis operationes turbat ac peruertit.* Fieri hoc poteſt modo non vno. Sunt, qui, quum ſapientiam polliceantur, homines reddunt inſanos, quod omnes facere videntur, qui vel olim vel hodie enthuſiaſmos & adflatus vrgent diuinos, & tum ſuae, tum aliorum, imaginationi perſuaſionibus iſtis turpiſſime illudunt. Grauiſſimus enim ac paene deſperatus morbus eſt enthuſiaſmus, quo operationes mentis maximopere turbantur, vt accuratius exempla huiuſmodi hominum paſſim in ſcriptoribus Hiſtoriae philoſophicae & eccleſiaſticae obuia docent, & poſt MERICVM CASAVBONVM (p) & IO. LOCKIVM (q) demonſtrauit celeberrimus BVDDEVS. Pertinere etiam huc videtur omnis ſcepticiſmus, cuius varias ſpecies recenſeri ſolent a philoſophis. Proxima enim haec via eſt ad inſaniam (r), ſi quis omnia veritatis criteria impudenti conatu tollat, & data opera tenebras quaerat. Nec refert, vtrum practico an theoretico ſcepticiſmo (s) quis dementetur, quum vterque mentis operationes turbet, & in ſummam ſenſim abducat ſtultitiam. Denique & doctrina, quae decorum omne proſcribit, eodem charactere falſitatem ſuam prodit. Certum enim eſt, decorum niti pudore naturali, quae virtus eſt veluti homini propria. Sublato igitur decoro, pudor ſimul tollitur, & ſtabilitur impudentia, qua nihil ab hominis natura magis abhorret (t). Vnde ſtatim patet, quid de Cynicorum aliorumque ſtulta ſapientia iudicandum ſit, qui, quantum in illis fuit, omnem verecundiam

Charact. 6.

(o) Seneca *Epiſt. XLIX.*
(p) Meric. Caſaub. *Diſſ. de Enthuſ.*
(q) Io. Lock *de Intell. hum. lib. IV. cap. XIX.*
(r) Budd. *P. I. cap. I. ſect. 5. n. 17. ſequ. p.* 243.
(s) Vide *de ſcepticiſmo practico vel morali Diſſert.* Budd. *quae in analectis eius hiſt. philoſ. habetur.*
(t) Barbeyrac. *Praefat. adverſ. Puſend. §.* 21. La Mothe le Vayer *T. V. p.* 717.

diam omnemque decentiam morum ex humano genere ſublatam voluerunt. Praeterea & hoc in definitione obſeruatum eſt, veram ſapientiam ita dirigere mentis facultates & operationes, vt obiectum legitimum eligant: ex quo axiomate denuo aliquot characteres falſae ſapientiae peti poſſent, ſed ſufficiat vnicus. Sua enim ſponte inde conſequitur, *vt inſipientes illi iudicandi ſint, quicunque menti ſuae omnia indulgent, eamque extra limites euagari patiuntur.* Sunt enim, qui intellectus finibus regundis parum intenti, omnia rimantur, etiam quae extra hominis poſita ſunt intelligentiam (u). Quorum inſignem inſaniam & ſtolidam curioſitatem facete notatam a non nemine animaduertimus elegantiſſimis his verſibus: Character 7.

Qui curioſus poſtulat totum ſuae
Patere menti, ferre qui non ſufficit
Mediocritatis conſcientiam ſuae,
Iudex iniquus, aeſtimator eſt malus
Suique naturaeque: nam rerum parens,
Libanda tantum quae venit mortalibus,
Nos ſcire pauca, multa mirari iubet.
Hic primus error auctor eſt peioribus:
Nam qui fateri nil poteſt incognitum,
Falſo neceſſe eſt placet ignorantiam,
Vmbraſque inanes captet, inter nubila
Imaginoſae adulter Ixion Deae.
Magis quieſcet animus, errabit minus;
Contentus eruditione parabili,
Nec quaeret illam, ſi qua quaerentem fugit.
Neſcire quaedam magna pars ſapientiae eſt.

Hinc ne particulam quidem ſapientiae ſcholaſticis ſuperfuiſſe dixeris, qui quaeſtionibus humanae rationi imperueſtigabilibus enodandis dicam an implicandis ad inſaniam vſque vacarunt. Salſe illos ridet ERASMVS (x), dum ait: *Arcana myſteria ſuo explicant arbitratu, qua ratione conditus ac digeſtus ſit mundus, per quos canales labes*

(u) Io. Cleric. *Dedis. Phyſ. Tom. III. Opp. philoſ.*

(x) Eraſm. *in Moriae Encom. p. 175.*

labes illa peccati in poſteritatem derivata ſit, quibus modis, qua menſura, quantulo tempore in virginis vtero ſit abſolutus Chriſtus, quemadmodum in ſynaxi accidentia ſubſiſtant ſine domicilio? Sed virilia haec dixeris prae anilibus aliis, quae plena manu in ſcholaſticorum libris feruntur. An enim ſani hominis dixeris, quaerere (y): quaenam ſit loquela angelorum? num poſſibilis ſit propoſitio: Deus odit filium? num poſt reſurrectionem iuſta ſtatura futuri ſimus? num ſexus futura ſit differentia? & ſexcenta huius generis alia. Vtiliusne fuiſſet turbati cerebri hominibus, quaerere, num quaerentes de talibus rebus ſint ſatis ſani? Equidem vulgo haec hodie deridentur, ſed vereor, ut meliora ſint, quae hodienum paſſim jactantur. Fictiones ſane illae Carteſianae & Burnetianae de rerum omnium origine, de terrae ante creationem conditione, aliaeque huius furfuris ita comparatae videntur, ut vix huius male ſanae curioſitatis notam effugiant. Et tamen ſunt, qui in his procacium ingeniorum inuentis inveniſſe ſe putant, non quod pueri in faba. Quemadmodum vero intellectus ſuis gaudet limitibus, ita & voluntas. Optare quidem multa poſſumus, quae ſperare per naturae noſtrae conditionem haut licet, at vltra votum progredi, & velle, quae adſequi non poſſis, ſtultorum eſſe videtur. Ex quo adparet, quam parum ſapientes videantur, qui & hic naturae limites tranſiliunt, & ridiculo conatu rebus, quae fieri non poſſunt, inhiant. Referrem in hunc deſipientium ordinem Anglum neſcio quem, qui de euitanda corporis morte conſilium iniit, ſi putarem hominem, niſi febriculoſus fuerit, ſerio potuiſſe haec ſomniare. Sed exſtant exempla alia. Quam enim tot Alchemiſtae quaerunt artem conficiendi aurum & neſcio quam vniuerſalem medicinam, vereor ne prudentiores ob eandem cauſſam ſuſpectam ſint iudicaturi. Si enim vel maxime largiamur, quibuſdam hanc adire Corinthum datum fuiſſe: merito tamen arbitrari nobis videmur, ſaltim pleroſque, qui in hac arte ſapientiae acropolin conſtituunt, viribus ſuis maiora imprudenter moliri. Nimis enim multis, ceu H. CORN. AGRIPPA (z) lepide ait, contingit, *vt praediis, mercibus, patrimoniis omnibus in cinerem ac fumum conuerſis, dum longi laboris praemia & naſcituros foetus aureos, perpetuamque cum reiuueneſcentia ſanitatem ſibi molliter pollicentur, deuoratis multo tempore ſumtibus, tum primum vetuli, annoſi, pannoſi, eſurientes, ſemper ſulphur olentes, & inter carbones atra fuligine ſordidi, adſiduaque argenti*

(y) Ad. Tribbech. de *Doct. ſcholaſt. cap. IV. pag. 65. ſequ.*

(z) H. Corn. Agrippa *de Vanitate ſcient. cap. XC.*

genti vini contrectatione paralytici, ſolius naſi adfluentia diuites, ceterum adeo miſeri, vt pro tribus caſeis etiam animam venalem habeant, quam metallis inferre conabantur, metamorphoſin, in ſe ipſis experiantur, effecti iam ex alchemiſtis cachemici, ex medicis mendici. Quocumque modo ſe res habeat, illud certum eſt, ſtultum eſſe, inſectari id, quod te fugiat, & illud ſequi, quod adſequi non poſſis. Denique vt portum aliquando reſpiciamus, etiam hoc in definitione monuimus, veram ſapientiam vtilia tantum & ad felicitatem ſummam profutura conſectari. Ex quo merito colligimus, *eum quidquid potius eſſe, quam ſapientiam, quae de qua-* Charact. 8.
dam veritatum inutilium farragine ſollicita, parum curat, an, quae tanto ſibi molimine comparat, ad veram ſapientiam aliquid conferant. Tam arduum eſt verae felicitatis negotium, vt, ſi per omnem vitam in eo elaboremus, ſemper tamen, quod agamus, ſuperfuturum ſit. Quam parum prudenter itaque tempus in rebus vanis ac inutilibus collocatur? Non inibimus hic rerum eiuſmodi inutilium recenſum. Id modo addere iuuat, ſi quis hodiernae eruditionis faciem paullo attentius conſideret, ei non poſſe non magnam earum copiam paſſim occurrere. Nam ſi plerique, qui in academiis ſtudiis operam dederunt, vitae anteactae rationes ſubduxerint, pauciſſimarum forſan horarum recordabuntur, quas verae felicitatis curae impenderint, at plurimarum, quas rebus inutilibus tranſmiſerint. Vt adeo & ipſi verum eſſe dicturi ſint, quod ait SENECA (a): *Si volueris attendere, magna vitae pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Haec de verae falſaeque ſapientiae characteribus commentari decreui, plura dicturus, niſi chartae eſſet habenda ratio. Vos itaque nunc alloquor, NOBILISSIMI SVAVISSIMIQVE COMMILITONES, quibus non luxus aut turpe otium, ſed vera ſapientia, curae cordique eſt. Vobis hanc meditationem dedico, vobis eam propriam ſacramque eſſe iubeo. Nolite exiſtimare, aliis me haec ſcripſiſſe: mihi enim primo ſcripſi, deinde & vobis. Quum enim, vt initio dixi, diuinis auſpiciis potentiſſimique REGIS noſtri clementiſſimo iuſſu illam ſapientiae partem, quae philoſophia iam ab antiquiſſimis temporibus ſalutatur, in poſterum mihi eſſe docendam intelligam: cauendum profecto mihi ſedulo fuit, ne ex me quidquam audiatis, quod non audiuiſſe fuerat rectius. Cogitandum ergo putaui de verae falſaeque ſapientiae characteribus, vt & mi-

(a) Seneca *Epiſt. I.*

hi docendi; & vobis iudicandi norma certiſſima in promtu eſſet. Iam ergo, quod felix, fauſtum, fortunatum ſit vobis & vniuerſae huic academiae, ad hanc veram ſapientiam conſequendam ego vobis, quantum vires meae ferent, ducem ac comitem me profiteor. Videbitis me, veſtri cauſſa quotidie efficientem, quaecunque potero; & ea, quae in lectionum indice pollicebor, ſedulo praeſtantem; veſtrum eſt, vt ſtudium meum alatis attentione veſtra, certiſſimeque vobis perſuadeatis, me omnibus vigiliis ac laboribus ſalutem veſtram antepoſiturum, daturumque operam, ne vmquam veſtra vos de me opinio fefelliſſe videatur. P.P. Halae Magdeb. XV. Kal. Oct. MDCCXIII.

DE INCESSV ANIMI INDICE,

DISSERTATIO MORALIS.

EXERCITATIO IV.

CAP. I.

DE INCESSV GENERATIM, EIVSQVE CVM MORIBVS AC PROPENSIONIBVS HOMINVM CONNEXIONE.

σύνοψις.

I. Multa ſunt latentium propenſionum humanarum ſigna. II. In quibus haut poſtremum eſt inceſſus. III. IV. De quo a paucis, nec ſatis cum cura, actum. V. Quid per inceſſum hoc loco intelligatur? VI. Quale propenſionum ſignum inde peti poſſit? VII. VIII. Eſſe inceſſum morum ſignum, probatur ex fundamentis phyſicis, IX. & ex analogia adfectuum & propenſionum, X. nec non exemplis,

tum

tum integrarum gentium, quae mores inceſſu produnt, XI. tum eorum, qui ex inceſſu de moribus hominum feliciter iudicarunt, quales fuere Pythagoras, XII. Auguſtus Imperator, Chryſis apud Petronium, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius Mediol. Epiſcopus. XIII. Impugnant quidem talia propenſionum ſigna Maximus Tyrius & Io. Franc. Picus Mirandulanus. XIV. Sed eorum hypotheſi paucis ſatisfieri poteſt. XV. Concluſio Capitis.

§. I.

CVM multa ſunt & egregia admodum Dei immortalis, quae in humanum genus contulit, beneficia: tum haut poſtremum illud videtur, quod latentes mortalium propenſiones ſignis luculentiſſimis notauit, & homines frugi a malis & ſceleratis accurato diſcrimine ſeiunxit. Quae impreſſa diuinitus ſigna quum paene ex omnibus humani corporis partibus, ex ſermone, motu, minimiſque actionibus eluceant: mirandum profecto eſt, homines bene multos non ſolum ad haec propenſionum humanarum indicia caligare, ſed & in eo errore verſari, vt artem internoſcendi ingenia aut vanam & futilem, aut omnino nullam eſſe iudicent. Ita ſane ſenſiſſe cum aliis videtur Medea apud EVRIPIDEM (a), quae a Iaſone, marito, turpiter deluſa, in ipſos Deos furorem conuertit, per quos ſtetiſſe ait, quo minus boni a malis ſimulata amicitia circumuenirentur, dummodo hos ſignis quibuſdam, ac veluti ſtigmatibus, notare, & a bonis diſtinguere voluiſſent. Hinc ejus verba: *Multa ſunt latentium propenſionum humanarum ſigna.*

> ὦ ζεῦ, τί δὴ χρυσοῦ μὲν, ὃς κίβδηλος ᾖ,
> Τεκμήρει ἀνθρώποισιν ὤπασας σαφῆ,
> ἀνδρῶν δ' ὅτῳ χρὴ τὸν κακὸν διειδέναι,
> οὐδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι;
>
> *O Iupiter, quare auri quidem, quod ſit adulterinum,*
> *Clara ſigna hominibus dediſti:*
> *Sed quo oporteat diſcerni malum virum,*
> *Nullum ſignum inditum eſt corpori?*

Parum religioſe profecto inſana mulier in Deum coniicit culpam, a qua abeſt ille longiſſime. Quamuis enim nemo omnino negare poſſit, miros eſſe mentis humanae receſſus, adeo, vt quo magis penetrare in illos annitimur, eo magis illa veluti refugiat, & auſibus noſtris ſe ſubtrahat: tantum tamen abeſt, vt latentes

(a) Euripides in Medea v. 516. p. 291. edit. Camelin.

in animo propenſiones nulla ſagacitate indagari poſſint, vt potius ſigna adſint clariſſima, quae non temere ſolertiam noſtram deſtituunt, ſi ἐυστοχία quaedam acceſſerit. Ne enim longius abeam, quis quaeſo ignorat, quam ſapienter Deus hominum facies magnitudine partium, forma item ac lineamentis diſtinxerit? Sane quum omnibus eaſdem partes conceſſerit, eodemque ſitu atque ordine diſpoſitas: tamen eas tanta arte formauit, vt tot hominum myriades etiam vultu poſſint internoſci, & monſtri videatur ſimile, ſi bini homines eiuſdem per omnia formae reperiantur (b). Non ita ratio comparata eſt reliquorum animantium. In vna vulpe omnes vides: in vno leone omnium formam perſpicis: at ſolum genus humanum tot formas oſtentat, quot homines, vt *inter cetera, propter quae mirabile diuini artificis ingenium eſt, hoc quoque*, SENECA iudice (c), *referendum ſit, quod in tanta copia rerum*, (adde & hominum) *nunquam in idem incidit, quum etiam, quae ſimilia videntur, quum contuleris, diuerſa ſint.* An vero Deum fruſtra exiſtimemus ora hominum tam prouide diſtinxiſſe? Nonne praeter alia etiam hoc eum intendiſſe credamus, vt tam diuerſa lineamenta vultuum certa eſſent occultarum inclinationum indicia? Ita ſane viſum eſt ſapientiſſimo mortalium, SALOMONI (d), ita SIRACIDI (e), omnibuſque poſt eum philoſophis, ipſique, qui Medeam ſecus ſentientem introduxerat, EVRIPIDI (f), qui plane φιλοσοφικῶς, id eſt, ſuo more:

> *Γνόιη δ' ἂν ὡς τὰ πολλά γ' ἀνθρώπου πέρι,*
> *Τὸ σχῆμ' ἰδών τις, εἰ πέφυκεν εὐγενής.*
> *De homine plerumque quis iudicauerit,*
> *Figuram eius conſpicatus, an ſit generoſae indolis.*

Nec tantum de facie, ſed & reliquarum corporis partium figura, magnitudine ac diſpoſitione, ipſiſque hominum moribus, oratione, geſtibus, & actionibus idem ſentiendum eſt. Ex iis enim tam euidenter hominum indoles elucet, & veluti foras prominet, vt PLVTARCHVS (g), auctor grauiſſimus, ſcribere non dubitet: ὅτι ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς καὶ κακίας ἀλλὰ πρᾶγμα βραχὺ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδιά τις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησε μᾶλλον, ἢ μάχαι μυριόνεκροι, καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται, καὶ πολιορ-

(b) *Exempla huiuſmodi collegit* Valer. Maxim. *lib. IX. cap. XIV. p.* 312. *edit. Elzeuir.*

(c) Seneca *Epiſt.* CXIII.

(d) Prou. VI. 12. 13. XVII. 24. Ecleſiaſt. VIII. 1.

(e) Sirac. XIII. 31. 32. XIX. 26.

(f) Euripides *in Icone v.* 239. 240.

(g) Plutarch. *in Vita Alexandri M.* p. 664. *Tomo I. operum edit. Xylandri.*

Digitized by Google

πολιορκίαι πόλεων. Neque ſemper clariſſimae quaequae res virtutes & vitia repraeſentant, ſed exiguum ſubinde factum dictumque, & iocus aliquis, citius ſpeciem edat morum, quam funeſtiſſima praelia, maximae acies, vrbiumque expugnationes. Aſt vereor, ne actum agere videar, ſi rei, conſentiente eruditorum ſuffragio ipſaque experientia ſatis ſtabilitae, diutius immorandum exiſtimarem. Eſſe enim certa morum ſigna atque indicia, nemo fortaſſis hodie, niſi hoſpes in philoſophia morali, negauerit.

§. II.

In quibus haut poſtremum eſt inceſſus.

Quum vero plures ſint eiuſmodi characteres propenſionum, quos ethicae characteriſticae magiſtri (h) in *cauſſales* & *non cauſſales* diſtinguere ſolent, his iterum in *morales* & *naturales* diuiſis: facile adparet, vberiorem eſſe hanc doctrinam, quam quae breui diſſertatione pro dignitate explicari queat. Quare, praetermiſſis tantiſper characteribus reliquis, iam quidem ex ſignis naturalibus, quae Phyſiognomones diſciplina ſua complecti ſolent, inceſſum ſolum conſiderabimus. Vetus opinio eſt, iam inde ab antiquiſſimis ducta temporibus, omniumque paene gentium firmata conſenſu, ineſſe inceſſui neſcio quid, quod latentes mores ac inclinationes hominum indicio non admodum fallace prodat. Ipſe ſapientiſſimus SALOMON (i) in hac fuit ſententia, dum hominem nequam etiam ex inceſſu cognoſci, his verbis docet: *Homo nequam, vir iniquus, graditur ore peruerſo, nictat oculis, terit pede, digitis indicat, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgiis diſceptat.* Idem viſum fuit SYRACIDI (k), qui inter ſigna morum refert etiam τὰ βήματα, i. e. greſſus vel inceſſum, & CICERONI (l), qui tantum huic ſigno tribuit, vt ſcribere non dubitet: *Cauendum eſt ne aut tarditatibus vtamur in greſſu mollioribus, ne pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur, aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates, quae quum fiunt, anhelitus mouentur, vultus mutantur, ora torquentur, ex quibus magna ſignificatio fit, non eſſe conſtantiam.* Denique & ex patribus huic ſententiae accedunt AMBROSIVS (m), cuius verba infra paragrapho XII. proferemus, & BERNARDVS (n), qui vtiliſſimas quaſdam de componendo inceſſu regulas praeſcribens: *Sit*, inquit, *in ingreſſu tuo ſimplicitas, in inceſſu honeſtas, nihil dedecoris, nihil laſciuiae*,

(h) Scipio Claramont. *de coniectand. moribus lib. I. cap. II. & III. p.* 20. 29.

(i) Prouerb. VI. 12. 13. 14.

(k) Syracid. XIX. 27.

(l) Cic. *lib. I. de Offic. cap. XXXVI.*

(m) Ambroſ. *lib. I. de Officiis, cap. XVIII.*

(n) Bernard. *de modo bene viuendi cap. IX.*

ciuiae, nihil petulantiae, nihil inſolentiae, nihil leuitatis in inceſſu tuo adpareat. Animus enim in geſtu corporis adparet, geſtus ſignum eſt mentis. Quum itaque tot clariſſimi ac eruditiſſimi viri de hac arte ex inceſſu de moribus diuinandi tam praeclare ſentiant, & nos haut praeter rem vereamur, ne temere vel falſae rei, vel non ſatis cognitae, adſentiri videamur: faciendum videtur, vt diligenter etiam argumenta cum argumentis comparemus, &, quid veri inſit eorum ſententiae, paullo accuratius diſpiciamus. Nam cum in rebus omnibus temeritas in adſentiendo errorque turpis eſt, tum in eo loco maxime, in quo de hominum inclinationibus iudicandum. Eſt enim periculum, ne aut neglectis earum characteribus imprudentia, aut iis obſeruatis, anili credulitate obligemur.

§. III.

De quo a paucis, nec ſatis cum cura, actum.

Quae quum ita ſint, videmur profecto nobis operae pretium facturi, ſi in hac potiſſimum tractatione noſtrum exerceamus ingenium. Praeterquam enim, quod non poterit nobis deeſſe diſſerendi de rebus iucundiſſimis atque vtiliſſimis occaſio: certum eſt etiam, neminem de inceſſu ex philoſophiae moralis principiis cum cura egiſſe, eoſque, qui phyſiognomiam ſcriptis illuſtrarunt, ampliſſimum nobis poſt meſſem reliquiſſe ſpicilegium. Equidem, qui primus hanc diſciplinam iuſto commentario illuſtrauit, ARISTOTELES (o), de inceſſu etiam eiuſque ſignificationibus nonnulla obſeruauit, tum in ipſo libro Φυσιογνωμονικὸν, tum in illis, quos de animalium motu conſcripſit, & fatendum ſane eſt, curioſa multa & vera eius meditationibus ineſſe: ſed mox homo redit ad ingenium, omniaque obſcuris ratiocinationibus tamquam gyris concludit. Certe primum eius principium, ex quo omnes paene concluſiones colligit, eo redit potiſſimum, quod corpora hominum cum animantium corporibus contendit. Sicubi enim ſimilitudinem quandam inter ea deprehendere ſe exiſtimat, ſtatim concludit, mores quoque huiuſmodi hominum tales eſſe, qualium ſimulacra in animantibus deprehenduntur (p). Id vero quam ſit lubricum fundamen-

(o) Franciſc. Patrit. in *Diſcuſſ. peripat. Tom. I. lib. III. p. 25. & lib. IV. p. 45. ſuppoſititia eſſe putat Ariſtotelis φυσιογνωμονικὰ, ſed non alio fere argumento adductus, quam quod in auctore quodam vetere nonnulla ex Ariſtotele citentur, quae in opere, quod nos legimus, non exſtent. Sed quis iſte vetus auctor? Vnde conſtat, eum ex Ariſtotelis phyſiognomonicis, & non alio potius deperdito Ariſtotelis libro ſua hauſiſſe? Videtur ergo hic Patritius in obelo notandis Ariſtotelis operibus antiquum obtinere.*

(p) *Vid. φυσιογνωμονικὰ & Analyt. priorum libr. II. cap. vltimum, vbi hoc principium phyſiognomonicum in compendio proponit.*

Digitized by Google

damentum, nemo non videt. Vt enim largiamur, obſeruationem hanc procedere in moribus ex faciei forma diiudicandis, quam cum animantium capitibus, eorumque lineamentis curioſa induſtria comparauit IOANNES BAPTISTA PORTA (q): inceſſus tamen hominum brutorum motui vix quidquam habet ſimile, quum haec vel quatuor pedibus vel certe prona incedant, illi ſublimes, & duobus ſubnixi pedibus progrediantur. Adde, quod nec animalium eiuſdem ſpeciei idem ſemper ac ſimilis inceſſus adparet. Equorum alii ſegnius & moleſtius, alii faſtuoſius & facilius mouentur. Idem in canibus, aliiſque pluribus beſtiis obſeruatur, quarum vix binas deprehendes, qui eodem per omnia inceſſu procedant. Ex quo conſequitur, vt ex comparatione iſta hominum atque brutorum animantium vix quidquam certi poſſit colligi. Signum enim ſemper obſcurius erit re ſignata, explorandaque prius erit cuiuſque animantis indoles, quam ex eius inceſſu de homine iudicemus. Quae quum ita ſint, recte obſeruauit FRANC. BACO DE VERVLAMIO (r), *Ariſtotelem in phyſiognomonicis ingenioſe & ſolerter corporis fabricam . dum quieſcit, tractaſſe: eamdem vero in motu omiſiſſe, qui tamen non minus artium regulis ſubiiciatur, & maioris ſit vſus.* Ex quibus ſatis adparet, Ariſtotelis regulis atque obſeruationibus phyſiognomonicis hac quidem in tractatione nos parum iuuari.

§. IV.

Multo minus calamo noſtro ferias indicunt ADAMANTIVS & POLEMON (s), quorum opuſcula phyſiognomonica nitidae Ariſtotelis editioni, e Wecheliana officina exeunti, inſeruit FRIDRICVS SYLBVRGIVS. POLEMON enim nihil admodum, ADAMANTIVS parum de inceſſu obſeruauit, vterque Ariſtotelem in pleriſque κατὰ πόδα ſequutus. Succeſſit his duumuiris interiecto tempore ignobilis ſcholaſticorum turba, qui quidem certatim & operoſe in ARISTOTELIS Φυσιογνωμονικὰ commentati ſunt, ſed ita, vt aut errores Ariſtotelis ſuis augerent, aut eius recte dicta turpiter deprauarent, & praeterea multa interſererent ex aſtrologia apoteleſmatica, quibus phyſiognomia tota in cordatorum hominum odium adducta eſt. Pertinent huc ſatis famoſae AVERROIS (t) & ALBERTI MAGNI

(q) Io. Baptiſta Porta *in Phyſiogn. humana libr. II. cap. I. ſeqq. p. 47.*

(r) Fr. Baco Verulam. *lib. IV. de Augm. Scient. cap. I. p. 288.*

(s) *Conf. de his auctoribus* Io. Alb. Fabricius *lib.* III. *Biblioth. Graec. cap. VI. p.* 170.

(t) Auerroes *Tom. VII. Operum.*

GNI (u) phyſiognomiae, quibus & aliarum cumulum adiicere poſſemus, ſi tot ſcholaſticorum volumina in re non maximi momenti euoluere vacaret. Sed & in his omnibus parum nobis erit praeſidii, quum iurantibus in verba Ariſtotelis religioni fuerit, eius principia vllatenus deſerere. Denique idem ſentiendum de recentioribus videtur, veluti FRANCISCO SANCHEZ (x), CAMILLO BALDO (y), GVILIELMO GRATAROLO (z), &, qui reliquis iure anteferendi ſunt, IO. BAPTISTA PORTA (a) & SCIPIONE CLARAMONTIO (b), qui in libellis ſuis phyſiognomonicis & ſemeioticis etiam de inceſſu nonnulla obſeruarunt, ſed ieiuna maximam partem, & ex ARISTOTELE & ADAMANTIO depromta, adeo vt ethica characteriſtica & ſemeiotica paullo accuratior adhuc ſit inter res deſideratas referenda. Quapropter adeo non veremur, ne nobis de inceſſu commentaturis quiſquam nouum opus nunciaturus ſit, vt potius gratiam inituri videamur ab aequis lectoribus, quod fundum, a nemine occupatum, excoluerimus diligentius, & rem omnem ad certiora & probabiliora principia retulerimus.

§. V.

Quid per inceſſum hoc loco intelligatur?

Ne vero ad rem illotis, quod aiunt, manibus adgrediamur: in ipſo limine expediendum eſt, quid nobis ſit *inceſſus*, & quale *ſignum* qualemque *characterem* latentium propenſionum ille nobis ſuppeditet? INCESSVS itaque, de quo primo loco agendum, vulgo notat motum pedum, quo corpus a loco ad locum vna transfertur. Vnde & infantes, ſimulac pedes iuſto ordine mouere, & certos firmare greſſus coeperunt, INCEDERE dicuntur. At nobis paullo latius accepta voce inceſſus notat ſtatum, motum, habitumque totius corporis, qui cum iſta pedum motione ſolet eſſe coniunctus, quique maxime in diiudicatione morum ac propenſionum humanarum attendendus eſt. Non ignota ſane eſt haec vocis ſignificatio optimis auctoribus, tum Graecis tum Latinis. His enim familiares admodum ſunt loquutiones: *incedere ceruice obſtipa, flexa, rigida, opima, corpore erecto, prono, alto,* pluresque

(u) Albert. M. *lib. I. de Animal. de quibus conf.* P. Bailii *Dictionnaire hiſterique & critique T. I. p.* 414.

(x) Franc. Sanchez *Comment. ad Ariſt. phyſiogn. qui cum operibus ejus prodiit Toloſ.* 1636. *4to.*

(y) Camill. Bald. *in Opere eiuſdem tituli Bonon.* 161. *fol.*

(z) Cuil. Gratarol. *de praedictione morum naturarumque hominum cap. XXI. p.* 265. *edit. Vrſell.* 1603. *8vo.*

(a) Io. Bapt. Porta *de phyſiogn. hum. libr.* II. *cap. LV. p.* 264. *Francoſ.* 1618. *8vo.*

(b) Scipio Claramont. *de coniectandis cuiuſque morib. lib. VIII. c. V. p.* 492.

reſque huius generis aliae, in quibus & humeros, & ceruicem, & totum corporis habitum ad inceſſum referunt. Illi vero in deſcribendo incedentium habitu & motu feliciſſimi, pro vbertate linguae ſuae, propria in promtu habent vocabula, quibus ſingulos incedentium ſtatus depingant. *Faſtuoſius* enim *incedentes* ὑπερομπίνοντας, *capite retrorſum adducto progredientes* σιμοτραχήλους, *ceruice contracta & elatis humeris ambulantes* βυσαύχενας, *ceruicem elatius attollentes* ὑψαύχενας, *ceruicem incuruantes* κυρταύχενας, *manibus inter eundum geſticulantes* χειρονόμους appellitant, & quae ſunt alia huius generis compoſita in auctoribus Graecis ac lexicis paſſim obuia, ex quibus ſane liquido conſtat, veteres, inceſſum hominum conſiderantes, non ſolum ad pedum motum & poſitum, verum etiam ad corporis habitum, attendiſſe, id quod adeo & nobis videtur faciendum. Deinde & hoc de *inceſſu* monendum eſt, quod hic nonniſi naturalis in cenſum veniat. Ex greſſibus enim, arte compoſitis, aut morbo vel ſenectute corruptis, ſi quis de moribus hominum iudicare vellet, nae iſte mea quidem ſententia, Ioue parum aequo iudicaret, ſeque ipſum traduceret turpiter. Multo minus inceſſus adfectatus, vel ad aliorum imitationem compoſitus, inter propenſionum characteres referendus videtur. Quum enim omnes, qui philoſophiam methodo χαρακτηριστικῇ tradiderunt, ſuadere ſoleant, tum demum ſigna morum eſſe obſeruanda, quum homines, quaſi poſita perſona comica, reiectoque aſcititio vultu & habitu, palam ingenio ſuo obſequantur (c): maxime profecto hoc conſilium valet de inceſſu, quem homines, ad imitationem natura procliues, facile ad aliorum exemplum componunt. Notauit antiquitas eos, qui SOCRATIS gibbum & PLATONIS incedentis incuruos humeros imitati ſunt (d), & de MACRINO Imperatore memoriae proditum eſt (e), quod Antiochiae commoratus, barbam nutriuerit, cuius rei cauſam oſtenſurus Herodianus: ἐζήλου δὲ πάντα, inquit, ὡς δὴ Μάρκου ἐπιτηδεύματα, τὸν δὲ λοιπὸν βίον οὐκ ἐμιμεῖτο. *Haec enim demum ſibi de Marci moribus imitanda propoſuerat, quum ad illius reliquam vitam nullo pacto adſpiraret.* Et quis eſt tandem, qui ignoret, quanta cura greſſus ad Gallorum exemplum componant Germani, aliaeque externae gentes? Iam ſua aetate hoc notauit, ac ſalſe admodum deriſit IO.

(c) Scipio Claram. *toto libro IX. p.* 136. *ſequ.* Petr. Petit. *lib. I. Miſcell. philol. cap. XV.*

(d) Plutarch. *de amici & adulatoris diſcrimine Tom.* II. *Opp. p.* 53.

(e) Herodian. *lib. V. Hiſt. cap.* II. *p.* 163. *edit. Londin.*

BARCLAIVS (f) : quid nos dicamus, qui in ſaeculum, ad imitationem vnice factum, incidimus? Quamuis autem omnis adfectatio habeat neſcio quid, quod ſe prodit turpiſſime, atque ita ſit natura comparatum, ut ſagacioribus facile ſuboleat, ſi inceſſus a naturali forma quocunque modo abhorreat: fieri tamen non poteſt, vt de adfectatione regulae praeſcribantur, quippe diligenti potius obſeruatione detegenda. Ex quo facile liquet, eum demum corporis motum hic eſſe potiſſimum conſiderandum, qui cuique proprius eſt & naturalis.

§. VI.

Quale propenſionum ſignum inde peti poſſit?

Sed haec de inceſſu; iam explicandum etiam, qualia propenſionum humanarum ſigna inde petenda videantur? Duorum ea generum eſſe, iam obſeruauit ex Ariſtotele SCIPIO CLARAMONTIVS (g). Alia enim ſunt ἀποδεικτικὰ, id eſt certa & euidentia, quae indubitatam producunt *coniecturam*: alia probabilia, quae veriſimili tantum *praeſumtioni* locum faciunt. Ἀποδεικτικὰ ſunt ex mente SCIPIONIS CLARAMONTII, quae in ſyllogiſmum primae figurae poſſunt reſolui: at quae ſecundae tantum aut tertiae figurae ratiocinationem gignunt, probabilia illi dicuntur. Sed non opus eſt iſtis ambagibus, ſi dicamus, tum demum certam naſci ex ſignis coniecturam, ſi illa ſint propria, ita vt vel vnica morum cauſſa ſint, vel certe effectus illius generis, qui non aliam, quam hos mores, cauſſam agnoſcat: Sin hae conditiones defecerint, tum ſigna tantum eſſe communia, probabilia, & ad ſolam praeſumtionem producendam comparata. Sic ſi quis pro amico capitis periculum adire non dubitet, eum profecto ſignum ἀποδεικτικὸν verae amicitiae ediidiſſe dicam. Fieri enim non poteſt, vt hic effectus ex alia cauſſa, quam Pyladea amicitia, proficiſcatur. At quum verbi gratia pallor timiditatis ſignum creditur, quis eſt tandem, quin videat, ſignum hoc eſſe tantummodo probabile? Quamuis enim timidi fere omnes palleant: non omnes tamen, qui pallent, timent, nec adeo ſignum hoc eſt timiditati proprium. His ergo poſitis, facile expedietur quaeſtio, ſitne inceſſus ex eorum numero ſignorum, quae certae coniecturae fundamentum praebeant, an praeſumtio tantum probabilis ex eo naſcatur? Fatemur enim non inuiti, ſignum hoc plerumque eſſe tantum probabile. Quamuis enim exempli cauſſa inceſſus elatior faſtum hominis certiſſimo

(f) Io. Barclai, *Icon. Anim. cap.* III. *pag.* 44.

(g) Ariſtot. *Analyt. I. libr. II. cap. penultimo.* Scipio Claramont. *Libro citato pag.* 22.

mo indicio prodere videatur: contingere tamen poteſt, vt eiuſmodi greſſus ab alia quacunque cauſſa, quam ex hoc naturali vitio, veluti a conſuetudine, imitatione, incuria parentum, proficiſcatur. Quin contingit nonnunquam, vt homines, ad faſtum natura procliues, animum cum cura emendauerint, nec tamen inceſſum elatiorem, diuturna conſuetudine firmatum, mutare poſſint. Vnde perſpicuum eſt, inceſſum faſtuoſum non eſſe ſignum faſtus proprium & ἀποδεικτικόν. Et ſic etiam ſe res habet in aliis. Attamen quum rariores ſint hi caſus, quam vt ſemper attendendi videantur, hoc ſignum, cum aliis coniunctum, ad magnum ac ſummum fere probabilitatis gradum accedet, clariſſimumque morum faciet indicium.

§. VII.

Eſſe inceſſum morum ſignum, probatur ex fundamentis phyſicis.

His praemiſſis, ad rem ipſam accingemur, demonſtraturi argumentis euidentiſſimis, eſſe inter inceſſum & hominum propenſiones ſocietatem, & connexionem arctiſſimam, ita vt de his ex illo omnino poſſit iudicari. Quod ut rite exſequamur, auſpicabimur ab ipſa inceſſus natura, eamque ita comparatam eſſe, docebimus, vt non poſſit non morum facere indicium. Primo itaque apud omnes in confeſſo eſt, inceſſum eiuſque varietatem a ſpirituum animalium, neruorum, muſculorum, ipſiuſque ſanguinis & oſſium natura & qualitate unice pendere. Praeclare ac ingenioſe eo opere, quod de motu animalium inſcripſit, hoc demonſtrauit IOANNES ALPHONSVS BORELLVS (h), cuius hypotheſes perſpicue expoſuit, nouiſque experimentis doctiſſimi CRONII (i) illuſtrauit IOANNES CLERICVS (k). Omnis ſcilicet motus corporis fit per muſculos, oſſibus adhaerentes. Hi enim prout inflantur, ſubeuntibus per neruos ſpiritibus animalibus, oſſa ad ſe trahunt, aut prout in alterum muſculum, quem a contraria functione antagoniſtam vocant, tranſeunt ſpiritus, remittuntur, & tracta prius oſſa in priſtinum ſitum reſtituunt. Porro muſculi tum demum inflantur, quum fibrae eius, ſubeunte materia, tenduntur. Obſeruatum enim eſt a viris doctiſſimis, ſingulas muſculorum fibras conſtare veluti catena quadam veſicularum vel vtriculorum, e quorum aliis in alios ſubtiliſſimi meatus pateant. Iam ſi ergo contingit, ut ſpiritus animales in veſiculas iſtas influant, non poſſunt non omnes vehementer inflari, ea-

(h) *Prodiit hoc opus cedro dignum Romae 1680. 1681.*

(i) *Exſtant eius obſeruationes in Actis philoſ. Angl. anno 1681. n. 2. ex quibus ea repetuntur in Actis Erud. Lipſ. 1682. p. 194. Conferatur etiam* Dan. Tauvry *Nouvelle Anatomie raiſonnée, ibidem 1691. pag. 472.*

(k) Io. Cleric. *Opp. Philoſ. Tom.* III. *libr.* IV. *Phyſ. cap.* X. *p.* 158. 159.

eademque opera intendere muſculum, vt veluti induretur, & non modo grauiſſima pondera ſuſtineat, ſed & os, cui tendine adnexus eſt, eam in partem adducat, in qua ipſe inflatus eſt. Quae quum ita ſint, totum inceſſus negotium hoc ordine abſolui videtur. Mens, ſimul ac corpus moueri vult ab hoc loco in alium, ex cerebro per neruos dimittit ſpiritus animales. Hi per ramos, quaquauerſum ſparſos, influunt in muſculos, huic motui deſtinatos, & mixti ſuccis, iam in muſculis reſtagnantibus, fibrarum veſiculas ſubeunt, quae inflatae & extenſae, vt paullo ante dictum, ipſos muſculos ſimul intendunt, & per tendines os promouent, quod, ſimul ac motum ſuum abſoluit, in contrariam partem per muſculos antagoniſtas, eodem modo inflatos, mouetur. Haec omnia clara videntur ac perſpicua, & quamuis non deſint aliae de motu muſculorum hypotheſes (l): in eo tamen omnibus conuenit, quod ad iſtum motum ſpiritus animales, (aut quocumque eos nomine appellites,) per neruos dimiſſi, concurrant, nec muſculi ſine eorum ope munere ſuo fungantur. Ex quibus omnibus conſequitur, vt tantam inceſſus varietatem non aliunde, quam ex muſculorum & neruorum diuerſa capacitate, ſuccorumque & ſpirituum animalium virtute & vel copia vel penuria, deriuandam eſſe dicamus.

§. VIII.

Deinde & hoc certum eſſe arbitror, quod ſpirituum animalium, atque adeo ipſorum neruorum pariter ac muſculorum, virtus a ſanguine pendeat. Vt enim iam non vrgeamus, paene omnes humani corporis partes nutrimenta a ſanguine deſumere: ſpirituum certe animalium generatio vix poteſt alio modo commode explicari, quam ſi ex ſanguine eos ſecerni ſtatuas. Nam ſanguis, ex praeſtantiſſimorum philoſophorum ſententia, vbi in ſuo verſus cerebrum adſcenſu paullatim vias arctiores, & potiſſimum glandulas illas, quibus ſubſtantia cerebri corticalis conſtare videtur, offendit, non poteſt non ſubtiliſſimas ſui partes ſecernere, quae ad cerebrum eleuatae, neruoſas deinde fibras ſubeunt, & ſiue ſpirituum animalium, ſiue ſucci neruoſi, ſiue aliud quodcunque nomen ſortiuntur (m). Quae ſi ponamus, conſequens omnino

(l) *Videantur* Io. Bernoullii *Meditat. mathem. de motu muſculorum in Act. Erud. Lipſ.* 1694. p. 200. Io. Godofr. Bergeri *Phyſiol. med. lib. I. cap. XXI.* Franc. Bayle *Inſtit. phyſic. Tom. I. diſſ. VII. prop.* 9. Guil. Kokburn *Oeconom. corporis* p. 99. *ſeqq.* Ge. Baglivii *de Fibra motrice libro I. cap. IV. p.* 15.

(m) *Vide hic omnino, quae ex* Malpighio *reperit* Io. Clericus *libro citato IV. cap. VII. pag.* 100. *ſqq.*

nino erit, vt ſpirituum animalium vel minor vel vberior ſuppetat copia, prout ſanguis vel ſubtilior & fluidior, vel particulis terreſtribus & craſſioribus foecundior eſt. Iam quum denique apud omnes in confeſſo ſit, ſanguinis naturam differre pro ratione temperamentorum, haec autem, conſentiente omnium iudicio, maximum in producendis moribus momentum habeant: ſatis profecto adparet, cur inceſſum pro morum diuerſitate oporteat eſſe diuerſiſſimum. Vt enim eorum, quae paullo prolixius hactenus diſſeruimus, faciamus compendium, inceſſus diuerſitas pendet a diuerſa virtute muſculorum, muſculorum virtus a neruis & ſpiritibus animalibus deriuanda eſt. Hi varia pollent virtute & efficacia, prout ſanguis vel ſubtilior eſt, vel craſſior. Sanguinis porro qualitates variae ſunt pro varietate temperamentorum; quae denique cum moribus & propenſionibus humanis maximam habent connexionem.

§. IX.

Sed & alterum argumentum, quo theſin noſtram ſtabiliamus, ipſa nobis ſufficit experientia. Quis enim ignorat, vnius eiuſdemque hominis inceſſum ſtatim mutari, ſimul ac mens vehementiore quodam adfectu perturbatur? Finge, hominem placidi admodum inceſſus irae ſtimulis agitari: obſeruabis profecto ſimul, greſſus illius vno momento concitatiores ac confuſiores adparere. Vnde SENECA (n), iratorum faciem & geſtus deſcribens: *Vt furentium*, inquit, *certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus, inquietae manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt, flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exaeſtuante ab imis praecordiis ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemitus mugituſque, & parum explanatis vocibus ſermo praeruptus, & comploſae ſaepius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſque minas agens.* Nec aliter comparatum eſt, ſi alii adfectus animum in tranſuerſum agant. Tardius & moleſtius procedunt, quos vehementior angit triſtitia: at tanto celerius, qui ſubito pauore concutiuntur; Vnde VIRGILIVS (o), rationem celerioris fugae redditurus, ait:

Et ex analogia adfectuum & propenſionum.

Pedibus timor addidit alas.

Idem in effuſiore laetitia contingere animaduertimus, quae in homini-

(n) Seneca *lib. I. de Ira cap. I. p. 1.* (o) Virgilius *lib. IX. Aeneid. v. 244.*

minibus etiam grauiſſimis nonnunquam efficit, vt exſultantes, & decori in inceſſu parum obſeruantes, videantur. Nec dubium eſt, quin & ambitio, deſperatio, audacia, pudor, aliique adfectus paullo vehementiores inceſſu ſe prodant, quum & vulgus ex inceſſu de adfectibus iudicet, & hiſtriones nihil ſoleant agere diligentius, quam vt ſingulos adfectus etiam inceſſu & motu corporis exprimant. At vero quum inter adfectus & propenſiones id tantum interſit diſcriminis, quod illi ſint commotiones tranſeuntes, hae autem ſiue natura, ſiue educationis & conſuetudinis vitio, menti perpetuo inſint: non male nobis videmur colligere, mores quoque poſſe ex inceſſu deprehendi. Quin tanto facilius hoc ſignum in propenſionibus, quam in adfectibus dignoſcendis, procedit, quanto probabilius eſt, id, quod perpetuo ineſt homini, magis inceſſum in certam formam componere, quam quod non multo poſt tranſit.

§. X.

Nec non exemplis, tum integrarum gentium, quae mores inceſſu produnt,

Addimus & tertium argumentum, quod nobis ex integrarum contemplatione gentium ſubnaſcitur. Harum enim haut paucas non moribus magis, quam inceſſu, differre, notum eſt ac prouocatum. Celebrantur apud antiquos SYBARITAE, gens in excogitandis voluptatibus ingenioſiſſima, ſimulque mira ſuperbia ac faſtu turgida. Horum inceſſus tam claro indicio ſuperbiam prodidiſſe fertur, vt inde natum ſit adagium: Συβαρῖται διὰ πλατείας (p), *Sybaritae per plateas*, quod in illos, qui faſtuoſius per viam ingrediebantur, iactatum eſt. Sed nec hodie quidem curioſis deerit occaſio de integrarum gentium moribus ex inceſſu iudicandi. Neque enim quiſquam erit tam hebes, quin viſo Hiſpanorum ac Gallorum inceſſu, ſtatim, mores eorum eſſe diuerſiſſimos, coniiciat. Hiſpanorum inceſſu nihil eſt tumidius, nihil elatius, adeo vt Hiſpano viſo, aut praefecturam, aut fercula pomparum incedere, credas. Quare iam olim in HADRIANO Imperatore, Hiſpanicae originis principe, IVLIANVS (q) notauit σοβαρόν τι, quem characterem, a CAROLO CONTOCLARO in verſione Iuliani omiſſum, PETRVS CVNAEVS (r) & EZECHIEL SPANHEMIVS (s) recte ad inceſſum inſolentem & faſtuoſum retulerunt. Egregium certe teſtimonium, non degeneraſſe a maiorum moribus Hiſpanos, ſed eumdem retinere, qui iam olim in ipſis notabatur, inceſſum. Ex eo

(p) Eraſm. *Adag. Chiliad. II. Centur. II. n. 67. p.* 411.

(q) Iulian. *in Caeſaribus p.* 311. *Opp.*

(r) Petr. Cun. *in Opp. p.* 488.

(s) Ezech. Spanhem. *in Verſione Gall. huius ſatyrae p.* 24.

eo vero quid aliud colligas, quam elatiorem animum, & vt eleganter BARCLAIVS (t) loquitur, *in cothurnos adſurgentem*, qualem iam olim veteres in iſta gente mirati ſunt? Contra in Gallorum motu nihil eſt adfectatum, nihil moleſtum, aut ad oſtentationem compoſitum, ſed venuſta omnia, & cum quadam naturali elegantia coniuncta. Quae itidem cum eorum moribus egregie conſpirare, nemo non animaduertit. Accedant his Hungari, quorum nobilibus BARCLAIVS (u) tribuit *inceſſum, ad venuſtam maieſtatem compoſitum*. At quis ignorat, eoſdem reuera eſſe mentis erectioris & tam generoſae, vt ad magnificentiam facti videantur? Largiuntur hanc laudem Hungaris, quicunque cum illis verſati ſunt, nec ipſe quidem BARCLAIVS hoc diffitetur, quem ego in deſcribendis gentium moribus principem eſſe arbitror. Quum ergo integras gentes indolem ſuam ac mores inceſſu prodere videamus: quid prohibet, quaeſo, quo minus idem de ſingulis hominibus ſtatuamus, quorum inclinationes, ceu ex philoſophiae moralis principiis conſtat, multo facilius, quam integrarum gentium, huiuſmodi indiciis deteguntur?

§. XI.

Tum eorum, qui ex inceſſu de moribus hominum feliciter iudicarunt, quales fuere Pythagoras,

Denique non parum ponderis habere exiſtimo exempla eorum, qui hanc artem exercuerunt feliciter, & ex inceſſu non minus, quam ex aliis ſignis, latentes hominum inclinationes mira ſagacitate indagarunt. PYTHAGORAS, in cuius philoſophia neſcio quid ſublime atque admirandum deprehendere mihi videor, non ſolebat quemquam ad diſciplinam & conuictum ſuum admittere, niſi prius ex vultu totiuſque corporis habitu & motu probam eius indolem perſpexiſſet. Teſtes huius rei habemus A. GELLIVM (x) &, qui prolixius Pythagorae res geſtas perſequutus eſt, IAMBLICHVM (y), qui, quibus ſignis in hoc ingeniorum ſcrutinio Pythagoras plurimum tribuerit, multis verbis enarrat. Obſeruat enim, eum primum inquiſiuiſſe, quo animo, quoque adfectu parentes & familiares proſequuti ſint: deinde notaſſe eorum riſus intempeſtiuos, ſilentium, & ſermonis abuſum: tum quibus potiſſimum cupiditatibus indulgerent, quorum hominum conſuetudine vterentur, quibus maxime rebus interdiu vacarent, quibus item gauderent dolerentque. Quibus praemiſſis, ita pergit IAMBLICHVS: Προσεθεώρει δὲ καὶ τὸ εἶδος, καὶ τὴν πορείαν, καὶ τὴν ὅλην τοῦ σώματος κίνησιν,

(t) Io. Barclai. *in Icone anim. cap. VII. pag.* 117.

(u) Idem *cap. VIII. p.* 119.

(x) A. Gell. *lib. I. Noct. Attic. c. IX.*

(y) Iamblich. *in vita Pythagorae cap. XVII. p.* 58. *edit. Kuſteri.*

κίνησιν, τοῖς δὲ τῆς φύσεως γνωρίσμασι φυσιογνωμῶν αὐτοὺς, σημεῖα τὰ φανερὰ ἐποιεῖτο τῶν ἀφανῶν ἠθῶν ἐν τῇ ψυχῇ. *Inſpiciebat & vultum, & inceſſum, & totius corporis motum, atque ex natiuis faciei lineamentis ipſos ita noſcitabat, vt manifeſta indicia occultis animorum inclinationibus indagandis adhiberet.* Repetit rem ſtatim inſequente pagina, ac denuo Pythagoram ſigna petiiſſe ait ἐκ τῆς μορφῆς τε καὶ βαδίσματος, καὶ τῆς ἄλλης κινήσεώς τε καὶ καταστάσεως, *ex forma, ingreſſu, & totius corporis motu & habitu.* Quin PORPHYRIVS (z), qui pari cura Pythagorae vitam compoſuit, non ſolum de eodem eius inſtituto verbis luculentiſſimis teſtatur, ſed & exemplis quibuſdam, praeſagia iſta haut vana fuiſſe, docet. Narrat enim, Pythagoram, quum Aſtraeum ſeruulum a Mneſarcho dono accepiſſet, ſtatim eius indolem ex corporis habitu exploraſſe, &, quandoquidem ex motu & quiete, frugi eſſe illum, comperiſſet, protinus doctrinae ſuae feciſſe participem. At Cylonem Crotoniatam, qui clariſſimae huic intereſſe diſciplinae peroptabat, eodem (a) teſte PORPHYRIO, conſtanter reiecit, ὁποῖος ἦν, συνιδὼν ἐκ τῶν σημείων, ἃ διὰ τοῦ σώματος ἐθήρα, τῶν προσιόντων, *eo, quod ex indiciis, quae ex accidentibus corporis captabat, quali eſſet ingenio, ſatis perſpexerit.* Neque fefellit profecto Pythagoram augurium. Aſtraeus enim talis erat reuera, qualem futurum, herus iudicauerat (b). Cylon vero aſperitatem morum, quam e corporis motu collegerat Pythagoras, ſatis prodidit turpiſſimo facinore, dum paullo poſt, repulſae contumeliam vlturus, Pythagoraeos circiter XL in Milonis aedibus congregatos, partim combuſſit, partim fugientes lapidibus obruit, ſolo Archippo & Lyſide felici fato elapſis (c).

§. XII.

Auguſtus Imperator, Chryſis apud Petronium, Gregorius Naz. Ambroſius Mediol.

Ne quis autem exiſtimet, intra ſolos Pythagoricae ſcholae parietes artem hanc ingenia ex inceſſu explorandi delituiſſe: addi poſſunt exempla complura alia, non minus profecto admiranda. AVGVSTVS certe Imperator cum omnibus regnatricis prudentiae artibus, tum maxime ingenia internoſcendi ſagacitate excelluit. At quo potiſſimum ſigno vſus eſt? Hoc ipſo, in quo iam verſamur. Inceſſum ſcilicet curioſe ſpectabat, ex eoque de hominum propenſionibus callidiſſime iudicabat. Cuius rei grande experimentum

(z) Porphyrius *de Vita Pythagorae ſect. XIII. p. 16. edit. Kuſt.*

(a) Idem *l. c. ſect. LIV. p. 49.*

(b) *Vid.* Thom. Stanleii *Hiſt. Philoſ. Part. VIII. cap. XXI. p. 697.*

(c) Porphyr. *l. c.* Iamblich. *c. XXXV.* Diog. Laert. *lib. VIII. ſegm. 39. p. 520. edit. Menag.* Stanlei, *l. c. cap. XIX. p. 688.*

tum dedit in ipſo, quem adoptauerat, Tiberio. De huius enim moribus, SVETONIO teſte (d), male ominabatur ideo, quod, eum *ceruice rigida & obſtipa, adductoque fere vultu incedere*, animaduerteret. Quam verus autem vates fuerit, euentus docuit, quo comprobatum eſt, reuera Tiberio arrogantiam illam & vecordiam infuiſſe, quam in inceſſu eius Auguſtus pater deprehenderat. Neſcio, an huc etiam referenda videatur Chryſis apud PETRONIVM (e), quae de εὐστοχίᾳ ſua in dignoſcendis moribus magnifice gloriatur, dum viſo iuuene libidinoſo: *Vides me?* inquit, *nec auguria noui, nec mathematicorum caelum curare ſoleo, ex vultibus tamen hominum mores colligo, &, quum ſpatiantem vidi, quid cogites, ſcio. Quo enim inceſſus arte compoſitus, & ne veſtigia quidem pedum extra menſuram aberrantia, niſi quod formam proſtituis, vt vendas?* Si vera narrauit PETRONIVS, elegantiarum pariter ac nequitiarum arbiter, ac non potius ingenio indulſit, exemplum nobis dedit ancillae, in hac arte excellentiſſimae. Sed ſi maxime per fictionem haec excogitata dixeris: oportet tamen PETRONII aetate hanc phyſiognomiae partem etiam vulgo fuiſſe cognitam, alias τὸ πρέπον, ad quod in fictionibus vel maxime reſpiciendum eſt, omnium minime obſeruaſſet. Sed ad maioris momenti exempla pergo, in quibus facile eminet illud GREGORII NAZIANZENI, viri in eccleſia celeberrimi, & non ſacrarum ſolum, ſed & humanarum litterarum, callentiſſimi. Hic quantum in hac arte valuerit, vel ex eo adparet, quod adhuc iuuenis de Iuliano Caeſare, aequali & condiſcipulo ſuo, qualis eſſet futurus, cecinit vt vates. Ipſe enim refert (f), ſe de eo male ominatum, quum vna Athenis vixiſſent, eiuſque ſcelera iam tum ſe multis amicis praedixiſſe, qui huius rei procul dubio nondum dememinerint. Si quaeras, quibus ille ſignis coniecturam ſuperſtruxerit; ipſe reſpondet: οὐδὲν γὰρ ἐδόκει μοι σημεῖον εἶναι χρηςὸν αὐχὴν ἀπαγής, ὦμοι παλλόμενοι καὶ ἀνασηκούμενοι, ὀφθαλμὸς σοβούμενος καὶ περιφερόμενος, καὶ μανικὸν βλέπων, πόδες ἀστατοῦντες καὶ μετοκλάζοντες. κ. τ. λ. *Neque enim mihi boni quidquam ſignificare videbantur ceruix minime firma, humeri, quos ſubinde agitabat, & attollebat, oculus vagus & oberrans, ac furioſum quiddam intuens, pedes inſtabiles & titubantes*, &c. Idem refert, qui vitam GREGORII NAZIANZENI con-

(d) Sueton. *in Tiber. cap. LXVII.*
(e) Petron. *in Satyr. p. 53. edit. P. Lotichii.*
(f) Gregor. Nazianz. *Orat. IV. in Iulianum Tom. I. operum p. 122.*

conſcripſit, alter GREGORIVS Presbyter (g), cuius verba, quum elegantiora ſint, quam vt hic praetermittenda videantur, ſemel, id eſt Latine tantum, adſcribam: *Gregorius*, inquit, *Athenis adhuc agens, cum Iuliano admodum adoleſcente, nec dum ad imperium euecto, ſed ludimagiſtris operam dante, congreſſus, qualis futurus eſſet, amicis tanto ante ſignificauit, ſubdolum videlicet & impium, & ad omne ſcelus procliuem eum fore, praedicens, coniecturam huius rei faciens ex perturbatis oris lineamentis & riſu petulanti & ferino adſpectu & toto corpore vago temereque ſubſultante, & progreſſibus vecordiae plenis* &c. Haec ille perſpiciens, omnibus praedicebat, fore, vt in grauiſſimum ſcelus tandem erumperet latitans adhuc Iuliani ingenium, atque in apertum aliquando prodiret. Non equidem ignoro, quam parum fidei noſtris temporibus patribus, iis quidem in rebus, quae ad Iulianum attinent, haberi ſoleat. Exiſtimantur enim obliti legis, preſſiorisque iudicii, Iulianum, laudatiſſimum principem, tam indignis modis traduxiſſe, vt eorum narrationes non poſſint non prudentioribus ſuſpectae videri. Sed eſto, patres nonnunquam peccaſſe & in Iulianum fuiſſe paullo acerbiores: hanc tamen GREGORII NAZIANZENI narrationem quo minus reiiciamus, prohibet tot teſtium, ad quam ipſe prouocauit, conſcientia, a quibus facile potuiſſet turpis mendacii argui, niſi vera ipſisque notiſſima ſcripſiſſet. Quid? quod & AMMIANI MARCELLINI (h) exſtet locus, ex quo, Iuliano non factam fuiſſe iniuriam, ſatis adparet. Grauiſſimus enim iſte hiſtoricus, Iuliani formam & habitum corporis deſcripturus: *Figura*, inquit, *talis vtique erat membrorum, mediocris erat ſtaturae, capillis, tanquam pexiſſet, mollibus, hirſuta barba in acutum deſinente veſtitus, venuſtate oculorum micantium flagrans, qui mentis eius anguſtias indicabant, ſuperciliis decoris, & naſo rectiſſimo, ore paullo maiore, labro inferiore diuiſo, opima & incurua ceruice, humeris vaſtis & latis, ab ipſo capite vſque ad vnguium ſummitates lineamentorum recta compage.* En hic αὐχένα ἀσταθῆ, ὤμους παλλομένους, ὀφθαλμὸν σοβούμενον, id eſt, eoſdem, quos GREGORIVS NAZIANZENVS in Iuliano notauerat, characteres, dum, ne quid dubites de GREGORII praeſagio, ipſe AMMIANVS fatetur, ex oculis micantibus *mentis anguſtias*, id eſt, vt ipſe interpretatur, leuius ingenium eluxiſſe. Vnde patet, non eſſe nobis rationes, quibus adducti

(g) Gregor. Presbyter in *Vita Gregor. Nazianz. ante huius opera p.* 11. *Conf.* Socrat. *libr.* III. *H. E. cap. XXIII.* p. 198.

(h) Ammian. Marcellin. *libr. XXV. cap. XVI. p.* 602. *edit. Ian. Grut.*

adducti GREGORII fidem hac quidem in re in dubium vocemus. Quodſi itaque vere a Graecis dictum eſt (i):

Bene qui coniiciet, vatem hunc perhibeto optimum;

profecto & diuinum oportet fuiſſe GREGORIVM, qui tam mature, quid Iulianus minetur, praedixit, & artem minus fallacem ſequutus tam feliciter diuinauit. Sed addam GREGORIO alterum eiuſdem dignitatis ac inſtituti virum, AMBROSIVM, Mediolanenſem Epiſcopum, qui ſimile quid de ſe ipſo in eleganti, quod de officiis inſcripſit, opuſculo refert (k). Ait enim, ſibi fuiſſe amicum, qui omni officiorum genere ſe proſequutus eſſet: at, quum peroptaſſet ſacro ordini adſcribi, nunquam eum hoc impetrare a ſe potuiſſe; nec alia de cauſſa tuliſſe repulſam, quam quod inceſſu parum graui ac compoſito vteretur. Alterum autem, quem iam ante ei ordini adſcriptum inuenerit, non quidem a ſe potuiſſe exauctorari, at non paſſum tamen ſe vnquam eſſe, vt ſibi in ſollemnioribus ſacris praeiret. Eluxiſſe enim ex vtriuſque inceſſu, *neſcio quam imaginem leuitatis, & ſpeciem ſcurrarum praecurſantium*, ex qua non potuerit non male de iis ominari. Ne vero, falſum eſſe hac ſuſpicione ſua AMBROSIVM, exiſtimemus: ſtatim addit, triſtem euentum huic praeſagio plus, quam voluerit, reſpondiſſe, quum vterque ad haereticos turpiter delapſus, deſultoria leuitate ab eccleſia receſſerit. Et hoc quidem experimento edoctus AMBROSIVS tantum tribuit inceſſui, vt ſcribere non dubitet (l): *Habitus mentis in corporis ſtatu cernitur: hinc homo cordis noſtri abſconditus aut lenior, aut iactantior, aut turbidior, aut contra grauior & conſtantior, aut purior & maturior aeſtimatur. Itaque vox quaedam eſt animi corporis motus.* Graue profecto & dignum AMBROSIO iudicium, cui & nos, tot convicti argumentis, merito ſuffragamur.

§. XIII.

Hactenus argumento non vno, indolem hominis ex inceſſu elucere, demonſtrauimus: proximum eſt, vt ſententiam eorum, qui in alia omnia eunt, expendamus. Non defuerunt enim, qui totam phyſiognomiam, atque adeo hoc etiam ſignum, artibus vanis ac futilibus eſſe adnumerandum contenderent. Iam ex antiquis huic ſententiae fauit MAXIMVS TYRIVS (m), qui, vbi obiter meminit Zopyri, phyſiognomonis, de SOCRATIS indole ex ſignis naturalibus iudicantis, non obſcure, totam phyſiognomiam ſibi rem va-

Impugnant quidem talia propenſionum ſigna Maximus Tyrius & Io. Franc. Picus Mirandulanus.

(i) Cicero *lib.* II. *de Diuinat. cap.* IV. *p.* 196. *Tom.* IV. *opp. edit. Guilielm.*

(k) Ambroſ. *lib.* I. *de Officiis c.*XVIII.

(l) Ambroſ. *l. c.*

(m) Maxim. Tyr. *Diſſert. XV. p.* 148. *edit. Dan. Heinſii.*

nam atque anilem videri, docuit. In quo ſane ab ipſo SOCRATE longiſſime diſcedit, quippe qui, audito Zopyri de ſe iudicio, adeo non artem eius omnem adſpernatus eſt, vt potius vera eſſe, quae Zopyrus de ſe conieciſſet, ingenue faſſus ſit (n). Nihilominus elegantem iſtum philoſophum ſequutus eſt IOANNES FRANC. PICVS MIRANDVLANVS (o), qui cum omnes artes diuinatrices non ſine ſale exagitat, tum phyſiognomiam quoque non minus, quam aſtrologiam apoteleſmaticam, chiromantiam, aut quamcunque huius generis aliam, vanam ac fallacem eſſe arbitratur. Quod ſi verum eſt atque aequum iudicium: male profecto nobis perierunt horae, quas in conſcribenda hac diſſertatione collocauimus, quum inceſſum ad ſigna φυσιογνωμονικὰ pertinere, vltro fateamur. Quamobrem e re erit, eorum dicta expendere paullo accuratius, &, quid illis ponderis inſit, paucis conſiderare.

§. XIV.

Sed eorum hypotheſi paucis ſatisfieri poteſt.

Equidem ſi recte calculum poſueris, vnicum inuenies vtriuſque argumentum, vnicum telum, quod phyſiognomonibus minantur. Ponunt enim, nihil inter mentem & corpus intercedere commercii. Ex quo deinde vlterius colligunt, male ratiocinari phyſiognomones, qui ex corporis forma & motu de animi propenſionibus iudicent. Satis clare hoc πρῶτον ψεῦδος prodidit MAXIMVS TYRIVS, in laudata paullo ante diſſertatione. Expoſita enim nota illa de Zopyro hiſtoria, ſtatim haec ſubnectit: Μαντείαν ἀσαφῆ. Τίς γὰρ ἐπιμιξία πρὸς ὁμοιότητα τῆς ψυχῆς καὶ σώματος; *Incerta profecto diuinatio. Quid enim cum anima commune habet corpus?* Eadem eſt Comitis Mirandulani hypotheſis, qui proinde phyſiognomones accuſat, quod, poſthabitis rectae ratiocinationis legibus, a ſpecie ad genus, & a genere ad certam quamdam ſpeciem, adfirmatiuum ducant argumentum. En eius verba: *Non ſecus*, inquit, *aberrat, qui de corporis complexione ad mores ratiocinetur, quam qui a corpore ad animal, ab animali ad hominem recte ſe argumentari putaret. Piaculum hoc in arte dialectica ponitur maximum, ſi in adfirmationibus a ſuperiori, vt aiunt, ad inferius adfirmando adſcendunt, verbi cauſſa, hoc eſt corpus, ergo hoc eſt animal, igitur homo.* Quid his verbis ſibi velit Mirandulanus, non obſcurum eſt. A corporis ſcilicet habitu ad hominis propenſionem nullam eſſe conſequentiam arbitratur, ideo, quod mentis cum corpore nullum

(n) Cicer. *de fato cap. V. pag.* 213. Euſeb. *lib. VI. praep. Euang. cap. IX.*

(o) Io. Franc. Pic. Mirand. *lib. VI. de rerum praenot. p.* 602. *Tom. II. Operum.*

lum ſit commercium. Sed non ferunt noſtrae rationes, vt viro doctiſſimo hac quidem in re adſentiamur. Experientia enim docet, arctiſſimum eſſe foedus inter corpus & mentem, & ſocietatem tam amicam, vt certos motus corporis certi motus mentis & vice verſa hos illi ſemper conſequantur. Corpore bene adfecto, mens incredibilem voluptatis ſenſum capit. Eodem morbis languente, vel ebrietate obruto, mens quoque languet & obruitur, nec vlla officii ſui parte rite defungitur. Viciſſim mente laetabunda, corpus vna adficitur, explicatur frons, omneſque corporis partes veluti reuiuiſcere & geſtire videntur. At ſi eadem, metu, triſtitia, deſperatione alioque moleſtiore adfectu turbetur, corpus quoque in doloris iſtius ſocietatem rapitur, adeo vt iſtum animi moerorem nonnunquam tabes in corpore, canities capillorum, aut ipſa mors conſequatur. Notum eſt curioſum SANCTORII, Medici Patauini, experimentum, quo vnum eumdemque hominem pro varia mentis diſpoſitione modo grauiorem, modo leuiorem, deprehendit, grauiorem puta & ponderoſiorem, quoties vehementiore triſtitia angeretur, at leuiorem viciſſim, ſi quando frons exporrecta laetitiam quandam ac hilaritatem prae ſe ferret. Cuius rei profecto non alia ſuppetit ratio, quam mutuum corporis & animi commercium, quo fit, vt mente triſtitia vacua, corpus felicius perſpiret, eadem autem moerore turbata, tranſpiratio ſit impeditior. Omitto huius generis alia, quum integer GALENI (p) libellus, hoc de foedere conſcriptus, & tota de temperamentis doctrina rem extra omnem dubitationis aleam collocare videantur. Quare nemo non videt, iniuriam fieri phyſiognomonibus a MIRANDVLANO, tam ridicula argumentandi ratione illis tributa. Tantum enim abeſt, vt a ſpecie ad genus, aut ab hoc ad certam ſpeciem inepte ratiocinentur, vt potius argumentatio eorum procedat ab effectu ad cauſſam, ceu initio huius capitis demonſtratum eſt.

§. XV.

Concluſio Capitis.

Haec vero de inceſſu generatim dixiſſe ſufficiant. Quum enim, conſiderata eius natura, illum omnino eſſe animi indicem, argumentis ac exemplis luculentiſſimis demonſtratum, praetereaque MAXIMI TYRII & IO. FRANC. PICI Mirandulani obiectionibus pro virili ſatisfactum ſit: reliquum eſt, vt ad ipſas artis regulas proferendas, atque exemplis illuſtrandas, progrediamur.

T 3 CAP.

(p) *Videatur* Galeni *Opuſculum, quod mores animi temperamentum corporis ſequantur, Tom. V. Opp. p. 444. edit. Pariſienſ.*

CAP. II.

DE VARIIS INCEDENDI FORMIS, ET SIGNIS PROPENSIONVM HVMANARVM INDE CAPIENDIS.

Σύνοψις.

I. Hominum, ſi ad mores reſpicias, quatuor potiſſimum genera ſunt. II. Quadripartita iſta hominum diſtributio a quatuor temperamentis pendet. III. Temperamenta vnde naſcantur; & quam connexionem habeant cum moribus? IV. Eorum mixtura & propenſiones inde emergentes. V. VI. Canones generales de inceſſu ſingulis temperamentis conueniente. VII. Quid praeter has regulas fundamentales in diiudicatione morum obſeruandum ſit? VIII. Inceſſu maxime ſe prodit ambitio, quae quotuplex ſit? IX. Canon 1. *de Inceſſu* STOLIDE AMBITIOSORVM & PEDANTARVM. *X. Canon* 2. *de inceſſu* THRASONVM. *XI. Canon* 3. *de inceſſu* PRVDENTIAE & FORTITVDINIS *gloriam adfectantium. XII. Canon* 4. *de inceſſu hominum ambitione* PHARISAICA *turgidorum. XIII. Canon* 5. *de inceſſu* LASCIVORVM. *XIV. Canon* 6. *de inceſſu* VOLVPTATI AMICAE *deditorum. XV. Canon* 7. *de inceſſu* AVARORVM & SORDIDORVM. *XVI. Canon* 8. *de inceſſu hominum* VECORDIVM. *Canon* 9. *de inceſſu* SIMVLATORVM & CRVDELIVM. *Canon* 10. *de inceſſu* PERFIDORVM & INQVIETORVM. *XVII. Qualis inceſſus hominum* VIRTVTE *vera praeditorum. XVIII. Concluſio capitis.*

§. I.

Hominum quoad mores quatuor genera ſunt.

DEfuncti iam tandem tractatione generali, ad ſpecialem nos accingimus, in qua ita verſabimur, vt, iactis ſolidioribus fundamentis, eas, quae certiores nobis videntur, regulas ſubiiciamus, easdemque, petitis ex hiſtoria & antiquitate exemplis ac teſtimoniis, hinc inde illuſtremus. Ac primo quidem, vt hinc potiſſimum ordiamur, omnes, qui in hac rerum vniuerſitate viuunt, mortales, ſi mores ac inclinationes eorum ſpectes, quatuor potiſſimum generum eſſe, ipſa demonſtrat experientia. In vulgus notum eſt, alios eſſe alacriores, ipſoque geſtu & adſpectu hilares, futuri ſecuros, & commoditatum huius vitae amantiſſimos: alios paullo ferociores, ſui item plenos, morae quidem & otii impa-

impatientes, ſed tamen grauitatis ſtudioſiſſimos, ad audaciam denique & iracundiam natura procliues: alios porro meticuloſos, ſuſpicaces, triſtiores, & cum ſollicitudine quadam rerum ſuarum ſatagentes. Poſtremo alios ignauos, tardos, ſomnolentos, abiectos, & non modo laborum, ſed & voluptatum, ob naturale quoddam taedium, vix patientes, tales denique, qualem ſe eſſe profitetur ille apud TERENTIVM Menedemus (q):

In me quiduis harum rerum conuenit,
Quae ſunt dicta in ſtultum: caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.

Hanc inquam quadripartitam hominum diſtributionem vnusquiſque, ad res humanas paullo attentior, facili negotio deprehendet. Quamuis enim vna harum propenſionum non apud omnes in excellentiore aliquo gradu reperiatur: id tamen certum eſt, ſingulos homines ad aliquam iſtarum ſpeciem magis, quam ad reliquas, eſſe procliues. Quo factum eſt, vt iam inde ab antiquiſſimis temporibus philoſophi quadruplex hoc hominum diſcrimen obſeruauerint, nullaque paene fuerit ſecta philoſophorum, in qua non quaedam ſaltim occurrant doctrinae iſtius veſtigia (r).

§. II.

Quadripartita iſta hominum diſtributio a quatuor temperamentis pendet.

Iam ſi porro diſquiramus, quaenam cauſſa ſit iſtius propenſionum differentiae: non temere ſemper aſſenſi ſumus iis, qui totidem agnoſcunt humani corporis temperamenta, iiſque propenſiones ad certas quaſdam ſpecies determinari docent. Quamuis enim adeo abhorreamus ab eorum ſententia, qui per ſolam corporis conſtitutionem vitiorum labem in animum deriuari exiſtimant (s), vt potius procliuitatem quamdam ad peccatum ſummamque corruptionem humanae menti natura ineſſe, certiſſime nobis perſuadeamus: ad innatum tamen iſtud mortalibus malum partim corroborandum, partim modificandum, determinandumque, quadruplicem iſtam corporis conſtitutionem plurimum conferre, merito arbitramur. Id quod vel ex eo liquido conſtat, quod plerumque corpus, paullo lautius enutritum, mentem magis ad voluptatem percellit, quam quod coena Cynica contentum eſſe cogitur. Inde vero ita colligimus: Quod ſi

(q) Terent. Heautont. *Act. V. Scen.* I. *v.* 3. *ſeq.*

(r) *Vide* Io. Franc. Buddei *Diſſert. de temperamentis, vbi hiſtoria huius doctrinae ſecundum omnes philoſophorum ſectas deſcribitur.*

(s) *Fuit haec plurimorum philoſophorum ſententia. Ipſos Iudaeos ab hoc errore non eſſe immunes, docet* Campeg. Vitringa *in Obſ. Sacris libr.* III. *cap.* VIII. IX. *de Platonicis videatur* Marſilii Ficini *Commentarius ſuper Platonis conuiu. orat. IV. cap. IV. De Stoicis* I. Lipſ. *Phyſiolog. Stoic. lib. I. Diſſert. XIV. XV.* Io. Franc. Budd. *Diſſert.* III. *de praecipuis Stoicorum erroribus.* §. *IV.*

ſi corporis, aliquamdiu vberius paſti, ea vis eſt, vt ad certam quamdam propenſionem animum impellat: quanto magis oportet mentem ad eamdem propenſionem incitari, ſi cui corpus ſaginatum & ſucci plenum natura contigerit? Et quum porro parium eadem ſit ratio, quis tandem dubitet, quin mens reliquis etiam humani corporis temperaturis ad certas propenſiones determinetur? Atque eatenus verum exiſtimamus, quod inculcat PLVTARCHVS (t), *corporis temperamenta adpetitus certos & accendere & alere.*

§. III.

Temperamenta vnde naſcantur, & quam connexionem habeant cum moribus?

Sed vt conſideremus tandem, quibus fundamentis tota haec de temperamentis doctrina innitatur: miſſa merito facimus, quae ab ARISTOTELE, GALENO, eorumque ſectatoribus hac de re fuſius diſputantur (u), & rem ipſam potius ſine ambagibus adgredimur. Obſeruatum nimirum eſt a viris eruditione claris, temperamentorum differentiam tum a ſanguinis & ſuccorum in eo natura & motu, tum a vaſorum totiuſque corporis conſtitutione, eſſe deriuandam. Nam ad ſanguinem quod attinet, conſtat, illum e variis particulis eſſe compoſitum. Eſt in eo ſerum, ſunt deinde particulae craſſiores & terreſtres, ſunt oleaginoſae & inflammabiles, & aliae denique ſalinae (x), eaeque omnes tam diuerſa ratione ac proportione inter ſe mixtae, vt alii homines his, alii aliis particulis copioſioribus praediti ſint. Vaſa deinde ſi conſideres, iſta vel ampliora, vel contractiora deprehendes, quibus & mediocria, ſi viſum fuerit, addi poſſunt. Tandem, ſi etiam corpus contemplemur, aliis poroſum & transſpirationi magis aptum, aliis ſtrictius textum, natura contigiſſe, ipſa quemuis docet experientia. His ergo obſeruatis, non difficile erit, de ſingulis temperamentis paullo accuratius, quam vulgo fieri ſolet, iudicare. Sanguineis proinde ſanguis eſt ſalinis abundans particulis, & ob earum puritatem natiuumque calorem perquam fluidus, aut potius, quum nullis impedimentis intercipiatur, rapidiſſimus: vaſa praeterea exiliora quidem, ſed patentia tamen, & facile peruia: totum denique corpus poroſum, & admittendis humorum meatibus aptiſſimum. Ex quibus conſequitur, vt illis motus ſanguinis ſit liber & expeditus, impulſus mediocris & ſufficiens, & mens ipſa tam praeclaro inſtructa domicilio, ruinamque ejus non facile metuens, ſecura ſemper

(t) Plutarch. *Quaeſt. Natur. Tom. II. Opp. p.* 928.

(u) *Vid. laudati* Io. Franc. Buddei *diſſert. de Temperamentis n. XXIX. ſeqq. p.* 30. *ſequ.* Scipion. Claramont. *lib. I, cap. VI.*

(x) *Vid.* Rob. Boyle *in Adparatu ad hiſtoriam ſanguinis.*

per hilaritati indulgeat. Atque inde patet ratio, qui fiat, vt huius temperaturae homines ad voluptates ſint natura procliues, vt in rebus ſecundis ſpem facile concipiant, in aduerſis & difficilibus angantur & trepident, vt curioſa magis, quam vtilia, conſectentur, vt denique commoditatum & otii amantes genio indulgeant, & taedioſi non minus otii, quam laboris moleſtioris ſint impatientiſſimi. Omnes enim hi mores proficiſcuntur ex mente ſecura & hilari, quae facilem & aequalem in corpore motum animaduertens, omnia ſibi ſecura, prona ac facilia fingit, & nunquam fere male ominatur. In bilioſis contra aliter res comparata eſt. Sanguine enim hi gaudent, particulis oleaginoſis & inflammabilibus referto, atque hinc tenui, & volatili magis, quam fluido. Denique vaſa iis ſunt capaciora, quam ſanguineis, licet corporis textura his, quam illis, ſit ſtrictior. Quum itaque humorum motus ſatis recte procedat, & meatuum qualemcunque anguſtiam ſanguinis tenuitas, & vegetior, qui in cholericis obſeruatur, impulſus facile ſuperet: conſequens eſt, vt mens, eiusmodi inhabitans domicilium, ſibi placeat, ſeipſam veluti admiretur, & nulla re minus, quam metu, angatur. Quapropter minime mirandum, quod bilioſi ſint ſeueri & honoris cupidi; quod ſuperatis omnibus difficultatibus & periculis contra fortunam ſpei inſiſtant: quod quietis impatientes pro viuida indole ſemper aliquid moliantur, & in ipſo labore quaerant requiem; quod denique omnem ſui contemtum vindicent, rebuſque aduerſis ad iracundiam magis, quam deſperationem, percellantur. Non alii enim mores poſſunt ab animo, qualem cholericis eſſe videmus, id eſt, audace & ſui admiratione pleno, exſpectari. Alia porro illorum eſt ratio, in quibus atra bilis abundat, & quos ideo melancholicorum nomine venire ſcimus. Totus horum ſanguis particulis terreſtribus refertus, atque hinc, quod conſequi neceſſe eſt, craſſior & ſpiſſior eſt, id quod tanto illis accidit moleſtius, quanto anguſtiores in ſtrictiore corporis textura ſunt meatus, quos ſanguinem, ſpiſſitudine ſua iam ſic ſatis impeditum, ſubire oportet. Hinc nihil profecto eſſet eiuſmodi hominibus miſerius, niſi natura conſultrix vtilitatumque prouida, tam impeditum ſanguinis motum, non quidem praecipiti, (ex quo obſtipatio metuenda eſſet,) ſed forti tamen validoque impulſu, adiuuiſſet. Ita enim fit, vt ſpiſſus humor, in arctiores vias mediocri quodam impetu impulſus iter facilius abſoluat, quam eius craſſities concedere videbatur. Verumtamen quum haec conſtitutio corporis ita ſit comparata, vt ſanguis etiam ſic ſatis difficulter procedat: mentem tam

quaſſo corpori inhabitantem ſemper oportet eſſe triſtiorem, ſuſpicacem, meticuloſam, ſuiſque rebus maxime diffidentem. Atque hinc omnes melancholicorum characteres facili negotio explicantur, in promtuque cauſſa eſt, cur raro explicent frontem, cur nec praeſentibus fidant, nec futuri ſecuri ſint, cur habendi cupiditate angantur perpetuo, &, quanto plura poſſident, tanto plura ſemper concupiſcant, cur porro, quoties alios ſucceſſibus felicibus frui intelligunt, inuidia aeſtuent: cur denique magna ſedulitate & cura rerum ſuarum ſatagant, &, a fortuna in calamitates coniecti, deſpondeant animum, & a ſpe omni deturbentur? Vix enim aliter adfecta eſſe poteſt mens, ob ruinoſi corporis commercium perpetuae formidini atque anxietati adſueta. Reliquum eſt, vt de quarto etiam temperamento nonnulla addamus, quod phlegmaticum vocari ſolet. Abundat in eiuſmodi hominibus ſanguis particulis ſeroſis, quae totam illius maſſam dilutiorem reddunt, & ſatis fluidam. Sed & vaſorum capacitas totiuſque corporis textura laxior eſt, & non parum poroſa: at impulſus tanto debilior & vitioſior. Quo fit, vt quum motus ſanguinis facilis quidem ſit, ſed ob debilem impulſum non admodum celer, mens, tali corpore circumdata, nec metuat vehementer, nec anxie ſperet, ſed mira ἀταραξίᾳ in rebus omnibus verſetur, nulloque vel voluptatis, vel doloris, ſenſu tangatur. Et hinc facile patet, phlegmaticorum indolem neque virtutis, neque magnorum ſcelerum eſſe capacem, quamuis ob patientiam atque abſtinentiam virtutis quamdam ſpeciem prae ſe ferre videantur. Quin conſtat ſimul, temperamentum phlegmaticum non tam ad mores certos mentem impellere, quam ignauia ac torpore reliquas inclinationes omnes impedire.

§. IV.

Eorum mixtura & propenſiones inde emergentes.

Haec ſunt, quae de temperamentis praemittenda duximus. Iam & hoc adiicimus, quod dudum ab aliis obſeruatum eſt, neminem mortalium vnico eoque ſolo temperamento gaudere, ſed in ſingulis omnia hactenus enumerata, licet mira mixturae & graduum diuerſitate, reperiri. Quum enim fieri non poſſit, vt vllius hominis ſanguis ſolis particulis terreſtribus, aut ſalinis, aut mero phlegmate conſtet, ſed omnes ſanguinem habeant, ex quadruplici iſta materia, diuerſa ratione ac proportione compoſitum: conſequens eſt, vt ipſorum etiam temperamentorum multiplex in hominibus ſit mixtura, ita vt vnum quidem plerumque dominetur, ſed reliqua tamen etiam vel maiore vel minore gradu adſint, & primarium illud vel moderentur, vel data occaſione, quo minus

aus ſe poſſit exſerere, impediant. Quandoquidem vero mixtura iſta tam eſt varia, vt paene infinitae hominum ſpecies inde naſcantur, idemque hic paene contingit, quod ſolet in coloribus, diuerſa ratione mixtis (y): danda omnino videtur opera, vt multiplices iſtae hominum temperaturae ad ſumma quaędam genera reuocentur. Conſideratis itaque rebus omnibus, quae huc facere videntur, rationibuſque ſubductis, hanc feci ſummam cogitationum mearum, ſex potiſſimum eſſe temperamentorum mixturas primarias, ad quas reliquae omnes commode referantur. Primo enim ſi temperamento cholerico primum, ſanguineo proximum, ac poſtremum denique locum melancholico concedas, habebis homines amabiles & gratioſos, miraque virtutis ſpecie fallentes, ſiquidem omnium paene temperamentorum vitia ad quandam moderationem adducuntur, adeo, vt nullum paene excedere, aut incurrere in hominum oculos videatur. Taciturni erunt eiuſmodi homines, ſed non inepte: diſſimulatores, ſed cum quadam calliditate: humani, ſed non omnibus promiſcue obuii: laborum patientes, exiſtimationis & decori ſine adfectatione obſeruantes, graues, & in tempore magnifici, nec tamen profuſi. Sin deinde eidem cholerico primum, melancholico ſecundum, ac ſanguineo tertium locum concedas: homines reperies, qui non tam amore, quam reuerentia quadam, digni videntur. Erunt enim circumſpecti & alacres, ſed ſimul ſuſpicaces, ſimulatores ad admirationem vſque maximi: adfabiles, ſed cum maxima cautione: magnifici, ſi exiſtimatio in eo vertitur, ceteroquin pecuniarum tanto parciores: in ſecunda fortuna ambitioſi, in aduerſa cum quadam magnanimitate comes & demiſſiores: nec iniuriarum patientes, nec vindictae cupiditate cum furore flagrantes, & ſic ad rancorem potius, quam ad excandeſcentiam, procliues: porro continentes & frugales, nec tamen *μισογύναι* aut ſordidi, laborum ſine anxia cura ac ſollicitudine patientes, denique ſui ſpe commodi erga alios officioſi. Tertio ſi temperamenta eo ordine diſpoſita ſint, vt principem locum ſanguineum, proximum cholericum, ac melancholicum denique poſtremum teneat: nouum inde naſcitur genus hominum apertorum & minus ſimulantium, nec tamen omnia ſine iudicio effutientium, pronorum item ad largitionem, nec tamen prodigorum: porro humanorum, & ſine exiſtimationis ſuae periculo ſubmiſſorum: nec audacium admodum,

(y) Chriſt. Thomaſ. viri celeberrimi *Praxis Ethic. cap. XII. n. 1. 2. p. 308 ſeqq.*

nec meticuloſorum, ſed ſpes ſuas ambitione donantium: contemtorum iniuriarum, ac omnium voluptatum cum quadam cura τῦ ϖρέπυ cupidiſſimorum: humanorum denique, hilarium, & vt paucis dicam, in omni vitae genere elegantiſſimorum. Quarto ſi ſanguineum temperamentum regnet, melancholico proximum, ac cholerico poſtremum tenente locum, homines inde naſcentur prope ridiculi. Habebis loquaculos & incautos nugatores: profuſos in omnes, eaſque turpiſſimas viliſſimaſque libidines, & tamen ſimul ad rem attentiſſimos; in ſereniore fortuna oſtentatores grandiloquos & paene intolerabiles, in aduerſa timidos ac puſillanimes: elegantiae ſine iudicio amantes, & hinc ſimul in omni vitae genere ſpurcos & ſordidos: laborum vtilium incapaces, ardeliones denique, obſcoenos, ad excandeſcentiam potius, quam vltionem, procliues, & hoc quidem tanto minus, quanto profundius temperamentum cholericum ſubſidit. Quinto ſi ponas homines, in quibus a temperamento melancholico cholericum, & ab hoc ſanguineum ſuperatur: eſſe illos intelliges ſimulatores, ſed ſimul comes, parcos, ſi ſibi viuunt, ſin veluti foras prominent, lautos & pecuniarum contemtores, porro aſſentatores, iracundos, inſidioſos, voluptatum parum ſtudioſos, at tanto laborum amantiores, denique parum officioſos, niſi quum commodum maximum leuiore iactura redimunt. Poſtremo, ſi temperamentum melancholicum primum, ſanguineum ſecundum, cholericum tertium locum obtineat, homines videbis eiuſdem fere generis, quales paullo ante quarto loco deſcripſimus, ſi id modo obſerues, quod minus loquaces, at tanto mendaciores, minus iactantes, at tanto timidiores, minus laſciui, at tanto parciores, minus elegantiae amantes, at tanto munditiei ſtudioſiores, minus obſcoeni, at tanto ineptiores, minus denique otio dediti, at tanto tardiores ſint, quam illi, de quibus ſupra diximus. Hae ſunt praecipuae temperamentorum & efloreſcentium inde propenſionum mixturae. Phlegmatici enim vel ideo nullam rationem habuimus, quod non tam ſingularem propenſionem, quam torporem quemdam, inducit, & reliquas propenſiones veluti exſtinguit. Soli ſanguineo ſi miſceatur phlegma paullo copioſius, id veluti ſingulare habere videtur, quod procliuitatem in voluptates non tam exſtinguat, quam augeat, adeo vt eiuſmodi homines impuriſſimis flagrent libidinibus, & veluti omnem exuiſſe pudorem videantur, ceu Caligulae, Elagabali, Wenceslai, Imperatorum aliorumque exemplis conſtat, quorum indoli hanc temperamentorum mixturam eſſe conuenientiſſimam, arbitramur.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

His ergo de temperamentis, eorumque mixtura praemiſſis, ad inceſſum redeundum, & quaenam eius ex temperamentis ſequantur differentiae, exponendum erit paullo accuratius. Quum enim hactenus, ſanguinis motum in aliis temperamentis tardiorem & difficiliorem, in aliis eſſe expeditiorem, obſeruatum ſit: non poteſt non ob rationes ſuperiore capite explicatas, ipſe etiam inceſſus pro temperamentorum ratione vel concitatior eſſe, vel tardior & moleſtior. Quoniam itaque cholerici motu ſanguinis vegeto potius, quam praecipiti, gaudent, *inceſſum quoque eorum oportet eſſe tardiorem, & ad grauitatem compoſitum.* Sanguineorum motus quum facilis ſit, & nullatenus moleſtus, *inceſſum quoque eorum mollem, agilem, liberum, & minus, quam cholericorum, grauem eſſe debere*, conſtat. Melancholicorum contra motum moleſtum eſſe & difficilem, obſeruauimus: quid mirum, ſi & *inceſſus eorum ſit moleſtior, difficilior, omniſque elegantiae expers, ob vehementem tamen impulſum non adeo lentus?* Phlegmaticos denique *repere potius, quam progredi, & ſumma cum difficultate incedere oportere*, ex rationibus ante dictis, totaque eorum temperatura euidenter elucet. Quae omnia clara ſunt, vt arbitror, & perſpicua, & non modo ipſa experientia egregie confirmantur, ſed & facillime cum aliorum, qui de inceſſu commentati ſunt, hypotheſibus poſſunt conciliari. Vt enim rem vno atque altero exemplo oſtendam: notiſſima eſt phyſiognomonum regula (z): *Qui breuis & tardi greſſus ſunt, non perfectiui & ſegnitie moleſti ſunt.* Recte. Indicium enim hoc eſt temperamenti phlegmatici, ad ſegnitiem & torporem inducendum natura comparati. Iidem iactant canonem: *Cuius paſſus ſunt lati & tardi, proſperabuntur in omnibus factis ſuis.* Nec id quidem male. Eſt enim hoc ſignum temperamenti cholerici, res maximas molientibus aptiſſimi. Porro & hoc eorumdem eſt ſcitum: *Qui breuis & celeris eſt ingreſſus, moleſtus eſt, & non perfectiuus.* Recte & hoc. Habes enim characterem melancholicorum, qui, quum ſemper moueant, promovent nihil, laborioſi magis, quam in elaborando felices. Et hinc ADAMANTIVS (a) ad auaritiam hoc ſignum retulit, dum ait: ὁ δὲ ταχὺ μὲν, μικρὰ δὲ βαίνων, φιλοκερδὴς, κακοῦργος, δειλίας δὲ εἰς ἄκρον ἥκων. *Qui velociter & breuiter incedit, lucri cupidus, improbus, & ad ſummam timidus eſt.* Eodem modo & alia ſe habent,

Canones generales de inceſſu ſingulis temperamentis conuenientes.

(z) Io. Bapt. Porta *in Phyſiogn. p.* 266. Scipio Claramontius *lib. VIII. cap. IV. pag.* 489.

(a) Adamantius *in Phyſiogn. cap. XXVI. p.* 217.

Digitized by Google

quae a phyſiognomonibus vulgo circumferuntur. Quamuis enim illi alia ſequantur principia: regulae tamen ipſae facile cum noſtris poſſent conciliari, ſi id nunc ageremus.

§. VI.

Idem Argumentum. Enimuero non modo ex principiis phyſicis quadruplex haec inceſſus differentia ſequi videtur, verum etiam ex ipſis propenſionibus primariis, quas cum temperamentis eſſe coniunctas, philoſophia moralis docet. Primaria cholericorum inclinatio eſt ambitio. Qui vero hac gloriae atque honorum ſiti aduruntur, ii nihil faciunt reliqui, vt auctoritatis & prudentiae laudem ſibi concilient. Hinc ſicuti ab omni leuitate, ita & ab inceſſu celeri & concitato abhorrent, & greſſus omnes ad grauitatem quamdam componunt (b). Sanguinei ad voluptates animum adiiciunt. At vero voluptuoſi, quum nullius rei minus, quam morae, patientes ſint, praetereaque inconſtantes & hilares: inceſſum quoque hiſce eorum moribus oportet eſſe conuenientem, id eſt, mollem, celerem, inconſtantem, talem denique, qualem ſupra deſcripſimus. Melancholiae indiuiduus comes auaritia eſt. Hac vero inexplebili opum accumulandarum auiditate quicunque laborant, decorum omnium minime curant, & quum in rebus omnibus mira eorum eluceat lucri cupiditas, & tamen iudicio & ingenio deſtitutis male ipſis pleraque procedant, feſtinantes fere nihil agunt. Hinc demuo in medio poſita eſt ratio, quamobrem in ipſis inceſſum difficilem, moleſtum, incompoſitum & praecipitem notauerimus. Phlegma torporem & ſomnolentiam inducit propemodum inexpugnabilem, & ſic reliquis temperamentis obicem potius ponit, quam vt inclinationem ſingularem producat. Hinc magnus horum hominum torpor, magna ſocordia & ſomnolentia. Nec mirum profecto, & inceſſum eorum lentum dici, qualem in aduocatis ſuis miratur apud PLAVTVM (c) Agoraſtocles adoleſcens, quos vocat

homines ſpiſſigradiſſimos,
Tardiores multo, quam corbitae ſint in tranquillo mari.

& pergens in in eorum criminatione:

Nec quidquam mihi hos patronos elegi, loripedes tardiſſimos;
Qui ſi ituri hodie eſtis, ite, aut ite hinc in malam crucem.
Nam iſte quidem gradus ſecretus eſt cribro pollinario.

Videtur quidem PLAVTVS notare homines triuiali faſtu turgentes: ſed neſcio an facetius quiſquam deſcribere poſſet inceſſum phlegmatico-

(b) *Vid.* Budd. *Elem. philoſ. moral. cap. V.* §. *XXIII. p.* 165.

(c) *Vide* Plautum *in Poenulo Act. III. Scen. I. v.* 1. *ſequ.*

Digitized by Google

maticorum, quos repere potius, quam progredi, ſupra diximus.

§. VII.

Quid praeter has regulas fundamentales in diiudicatione morum obſeruandum ſit?

Iactis his tractationis noſtrae fundamentis, regulae ſpeciales, vulgaribus multo certiores, facile poſſunt ſuperſtrui. Huius vero antequam faciamus periculum, hoc obſeruari velim, coniungendas eſſe cum his hypotheſibus obſeruationes, in vita communi obuias. Ars enim ſemeiotica, ſeu aliorum mores ex certis ſignis, quo etiam inceſſus pertinet, cognoſcendi, non ſolum ex ratiocinatione, ſed & ex diuturna obſeruatione maxime eſfloreſcit. Quamuis enim vel ſola ratiocinatione intelligere poſſimus, tardusne, an celer, grauis, an incompoſitus inceſſus huic vel illi temperamento conueniat: tamen ſi de geſtibus corporisque habitu, qui ad inceſſum grauem, incompoſitum, moderatum, lentum, breuem, longum & ſic porro, requiritur, quaeſtio ſit: tantum abeſt, vt ſola ſufficiat ratiocinatio, vt opus ſit attenta plurium ſenſionum obſeruatione, quae regulas ratiocinatione conſtitutas ſuppleat, confirmet & clariores reddat. Et haec attenta plurium ſenſionum obſeruatio maximum quoque in diiudicando inceſſu, cum temperamentis mixtis coniuncto, momentum habet. Tametſi enim ex comparatione quatuor fundamentorum, quae (§. V.) iecimus, quodammodo conſtare poſſit, qualis emergere debeat ex iſta temperamentorum mixtura incedendi ratio: obſcurae tamen manebunt regulae, niſi diligens obſeruatio geſtuum, omniumque in vniuerſo corpore motuum, acceſſerit. Vnde hic maxime valet, quod de ſignis morum e facie humana petendis praecipit vir illuſtris, CHRIST. THOMASIVS (d), *Aeque ratiocinatione, aut certe attenta obſeruatione plurium ſenſionum opus eſt in cognoſcendis facierum* (adde & inceſſus) *ſignis plerorumque hominum, in quibus non vna aliqua paſſio prae reliquis dominatur, quia intellectus noſter habet congenitas quidem notitias paſſionum ſingularium dominantium, non vero mixtarum.* Maneat ergo hoc fixum ac certum, in cognoſcendis diſtincte incedendi formis, ratiocinationem non tantum, ſed & attentam plurium ſenſionum obſeruationem vtramque facere paginam, atque ex hac illam hinc inde ſupplendam illuſtrandamque eſſe.

§. VIII.

Inceſſu maxime ſe prodit ambitio, quae quotuplex

Iam demum ad ipſos, quos reliquis certiores arbitramur, canones progredimur, &, vt ordinis nobis conſtet ratio, a temperamento cholerico, id eſt, ſignis ambitionis capimus primordia. Hoc

vitium

(d) Chriſt. Thomaſius *in Fundamentis Iur. Nat. & Gent. lib. I. cap. I. n. ſ. 2. 34. p. 37.*

vitium prout aliis temperatum eſt propenſionibus, varias induere formas, omnes, qui mores hominum paullo attentius contemplantur, non inuiti fatebuntur. Attamen ſi recte poſueris calculum, ad tria ſumma genera omnes referri poſſe intelliges. Eſt enim ambitio alia *ſtulta* & *ridicula*, alia *bruta* & *thraſonica*, alia *ſpecioſa*. *Stultam* & *ridiculam* vocamus, quae praerogatiuam adfectat in rebus nihili & futilibus: *Thraſonicam*, qua quis praeferendum ſe aliis exiſtimat ob actiones in ſe vitioſas & turpes: *ſpecioſam* denique, qua quis ob ſingulares animi aut corporis dotes palmam ſibi, contemtis aliis, depoſcit. Luculentiſſimum ſtultae ambitionis exemplum ab elegantiſſimo IANO NICIO ERYTHRAEO (e) memoriae proditum legimus in BELMONTIS CAGNOLI vita, inter cuius ſtulta ac ridicule geſta, qualia de eo multa narrat, non poſtrema ſunt, quae ERYTHRAEVS his verbis refert: *Primum in heroico carmine multis partibus ſe Torquato Taſſo*, (quis vero tanto inter Poetas nomini non adſurgit!) *ſuperiorem fingebat, ac propterea multos, ex ſua Aquileia capta ſoloque aequata, rhythmos, octonis incluſos verſibus, ſelegerat, ac ſeorſum a ceteris vna cum totidem Torquati Taſſi eiusdem fere argumenti verſibus edendos curauerat, vt fieri iudicium poſſet, quantum ipſe illis praeſtaret. Deinde homo, gloriarum pleniſſimus, ſibi perſuadebat, in toto orbe terrarum celebratum ſuum nomen eſſe, ac ſi litteratus quiſpiam ipſi aduenienti continuo non adſurrexiſſet, elatus iracundia, hiſce hominem verbis accipiebat: Itane? Abbas Cagnolus, euerſae Aquileiae, & tantorum carminum auctor, tuam potuit notitiam effugere? non fit veriſimile. Et quo tempore Cardinalis a Balneo aulae ludus erat, cum die quodam in Humoriſtarum coetum ſe intuliſſet, & amatoria quaedam carmina ab alio, vt ipſe dicebat, confecta, qui in eius diſciplina educatus eſſet, ſenex candidiſſimus recitaſſet, omnium in ſe riſus excitauit. Quamobrem ille, inflammatus ira: Quid ridetis, inquit, inſani? Ego ſum ille Abbas Cagnolus, omnium, qui ſunt ex hoc numero, multo antiquiſſimus, quique ex dirutae Aquileiae poemate tantam mihi gloriam famamque collegi, vt nullus in terra viuat, cuius nomen ſit apud omnes illuſtrius & clarius.* Haec ERYTHRAEVS, qui & hoc addit, hominem ridiculo ſui amore inſanientem, ampliſſimorum honorum ſpe animo concepta, ex pediſſequis aliisque imi ſubſellii viris & Gnathonibus, numeroſam ſibi familiam elegiſſe, & illum domus ſuae praefectum, illum ſibi cubicularium, illum pincernam, illum conuiuii magiſtrum, conſtituiſſe. Ridiculum profecto caput, & quod vix denis Anticyris

(e) *Vid.* Pinacoth. I. n. 8. p. 22.

cyris deterſiſſes. Sed neſcio an non illud inſania ſuperauerit alterum, IACOBVS puta CLAVERIVS (f), quem idem auctor perhibet, a pueris ex ſchola redeuntibus, blanditiis, laudibus & iuglande, melle condita, verſiculos quoſdam de laudibus ſuis ſcriptos extorſiſſe, coniunctim deinde ab ipſo editos duobus voluminibus. Qui rebus eiuſmodi futilibus ſe efferunt, quis tandem eos non ineptiſſime ambitioſos dixerit? Et in hoc numero eſſe merito dixeris totum illud genus mortalium, *qui*, vt ait TERENTIVS, *eſſe primos ſe omnium rerum volunt, nec ſunt*, qui ſi vltra triuium ſapiunt, iucundiſſimo hoc imaginationis errore deluſi ſtatuas aureas & tantum non ſupplicationes ad omnia Deorum puluinaria ſibi depoſcunt, qui denique laudes ipſi ſuas pleno ore ebuccinant, ſi nomen ſuum e praelo aliquando exiiſſe meminerint. Quin & illud ipſum vitium, quod nouo pedantiſſimi nomine (g) percrebuit, reuera eſſe ridiculae huius ac deſipientis ambitionis ſpeciem, res ipſa docet, & tradita a tot viris doctiſſimis definitio. Quamuis enim hoc hominum genus ab omnibus ob vitae ſordes, quibus plerumque indulget, exſibiletur, & in tritarum vocum, obſcurarumque diſtinctionum & abſtractionum inueſtigatione ſomnum plerumque vigiliasque reponat: tamen ineptas haſce tricas, ad ſterquilinium iure damnandas, pretioſarum gemmarum inſtar venum exponit, & non niſi magnifice de iſtis loquitur, quin bidental motum eſſe vociferatur, ſi quis parum honorifice de eorum ſtultitia ſentiat. Quis riſum vero teneat, ſi viderit homines, tam nullius momenti rebus gloriantes? Sanos ne putemus, qui hoc morbo laborant? Minime. Haec enim

Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

Quare aequo animo ferant omnes magniloqui pedantae, ſi eos ridiculae ambitionis inſimulauerimus. Ad Thraſonicam & brutam ambitionem quod attinet, diximus eam ob actiones natura ſua vitioſas & turpes praerogatiuam adfectare. Et talium quidem hominum exempla quotidie in omni vitae genere occurrunt. Sunt, qui non niſi palmas & adoreas narrant, & pugnas, cum aliis ob leuiuſculam iniuriam pugnatas, qui occiſorum a ſe aut vulneratorum tantum numerum ineunt, ut a bello Troiano eos redire crederes. Recte illis acclamaret Artotrogus apud PLAVTVM (gg):

Memini: Centum in Cilicia;
Et quinquaginta centum Sicolatronidae,

(f) Eiuſd. *Pinacoth.* I. *n.* 3.
(g) *Vid.* Huberi *Orat. de Paedantiſm.* *v.* 42.
(gg) Plaut. *Mil. glorioſ. Act.* I. *Scen.* I.

Triginta Sardis, ſexaginta Macedones,
Sunt homines, quos tu occidiſti vno die.

Alii, abdomini nati, non niſi Scythica ſcyphorum certamina, validaſque in exhauriendis poculis vires loquuntur, & alios ſe propinando tantum non enecaſſe, iactant. Alii ſcorta & impuros amores recenſent & Herculeas noctes, & cum PLAVTINO illo milite idemtidem repetunt querelam:

Nimia eſt miſeria, pulchrum eſſe hominem nimis.

Quid dicam de illis, qui fraudibus, calumniandi arte, obſcoenitateque ſibi mirifice placent, & neſcio quas prudentiae ingeniique laudes ſibi ob haec ſcelera pollicentur? At mittamus tandem homines impuriſſimos, & id adhuc obſeruemus, ambitionem Thraſonicam in ſtultam & ridiculam ſaepius degenerare, adeo vt Thraſones perſaepe non minus ſtulta & ridicula faciant, quam aut Cagnolus ille, aut Clauerius, de quibus iam proxime diximus. Quare TERENTIVS, mirus in deſcribendis hominum ingeniis artifex, Thraſoni ſuo non ſolum brutae, ſed & ſtultae ambitionis characteres tribuit (h). Reliqua eſt ambitio ſpecioſa, quam ob ſingulares corporis animique dotes praerogatiuam adfectare diximus. Et haec quidem, pro diuerſitate obiectorum, eſt vel *aulica*, qua quis ob prudentiam, vel *erudita*, qua ob ſcientiam, vel *militaris*, qua ob fortitudinem, vel *phariſaica* denique, qua ob ſanctitatem imaginariam ſe omnibus eſſe anteferendum, reliquos velut vmbras volitare, exiſtimat. Vbi tamen nolim exiſtimes, hac diſtinctione ad ſtatum hominum reſpici. Animus enim hic ſpectatur potiſſimum, qui in hominibus etiam viliſſimis ita poteſt eſſe adfectus, vt ab ambitione vel aulica vel militari vel erudita vexetur.

§. IX.

Canon I. *De inceſſu* STOLIDE AMBITIOSORVM & PEDANTARVM.

Quum itaque tam varia ſit ambitio, nec dubitandum videatur, quin ſingulae paene ſpecies inceſſu etiam ſe prodant: proximum eſt, vt demum canones huc pertinentes ſubiiciamus. Statuimus ergo primo: *Inceſſum cum adfectatione quadam & moleſtia tardum, greſſus Hiſpanicos, habitum corporis ad pompam compoſitum, ceruicem obſtipam & vultum adſeueratum, eſſe ſigna ambitionis ridiculae.* Quum enim ſupra demonſtratum ſit, ambitioſos tardo lentoque inceſſu moueri, ab ambitione vero ſtulta iudicium omne abſit quam maxime, tales denique homines pulcherrimum ſibi ducant (i),

Monſtrari

(h) *V. de* Terentii *Eunuchum, vbi act. IV. Scen. VII. inuenies characteres ambitionis Thraſonicae; Act. III. Scen. I. ridiculae & ſtultae eidem perſonae tributos.*

(i) Perſ. *Satyra I, v. 28.*

Monſtrari digito, & dicier : hic eſt ;

non poteſt non eorum inceſſus taedioſam tarditatem, & cum adfe-ctatione & moleſtia coniunctam, prae ſe ferre. In quo autem conſiſtat iſta adfectatio, obſeruatione plurium ſenſionum conſtat, nimirum in greſſibus Hiſpanicis, in corpore ad pompam ridicule compoſito, in ceruice alta & obſtipa, vultu denique inter incedendum adſeuerato, & quaſi ſublime quid meditante. Vnde ſane tam ridiculus iſtorum hominum incedendi mos eſt, vt vel ſeuerum os Catonis eorum adſpectu in riſum ſolueretur. Quare & multi auctores grauiſſimi venuſte admodum & facete eorum greſſus deſcribunt, & tam viuide adumbrant, vt eiuſmodi oſtentatores te coram intueri credas. EPICTETVS, ſalſe perſtringens eos, qui admirationi eſſe cupiunt, id eſt, homines, ſcholaſtico ſupercilio ſeu pedantiſmo auctoritatem aucupantes, ita inſit (k): Τί ἂν ἡμῖν ὀβελίσκον καταπιὼν περιπατεῖς; ἤθελον, ἵνα με καὶ οἱ ἀπαντῶντες θαυμάζωσι, καὶ ἐπακολουθοῦντες ἐπικραυγάζωσιν· ὦ μεγάλου φιλοσόφου. *Quid ergo nobis tanquam obeliſco deuorato obambulas? Vellem, me obuiis etiam admirationi eſſe, & ſectantes mihi adclamare : O magnum philoſophum!* En hic corpus, ad faſtuoſam pompam compoſitum, quod in ipſo canone notauimus. Nec minus diuite vena eiuſdem notae homines his verbis, tamquam coloribus quibuſdam depinxit PERSIVS (l):

Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura quum ſecum & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello.

En hic obſtipam ceruicem & vultum adſeueratum, quem in eiuſmodi hominum inceſſu notauimus. Recte enim obſeruat poeta, hos homines faciem inter ambulandum tam curioſe ad quamdam ſeueritatem componere, vt neſcio quid magnum & vniuerſae reipublicae ſalutare meditari videantur. Sed principem hic locum merentur elegantiſſima HIERONYMI verba (m), ex illis Perſianis, vt videtur, expreſſa, quibus, tamquam penicillo quodam, ridicule ambitioſos delineat : *Alii, ſublatis in altum humeris, & intra ſe neſcio quid cornicantes, ſtupentibuſque in terram oculis, tumentia verba trutinant, vt, ſi praeconem addideris, putes incedere praefecturam.* Nihil profecto in hos homines dici poterat ἐμφατικώτερον. Vere enim tantam ſuperciliis nubem inducunt, tamque meditabun-

X 2 di

(k) *Vid.* Arrian. *Diſſert. Epict. lib. I. cap. XXI. pag. 139.*

(l) *Vid.* Perſ. *Sat.* III. *v.* 80.

(m) *Vid.* Hieronym. *Epiſt. IV. ad Ruſtic. Monachum T. I. Opp. p. 30. edit. Francof.*

di incedunt, vt, qui inſaniam eorum ignorat, illos incedentes de capeſſendo orbis terrarum imperio conſultare crediturus ſit.

§. X.

Canon 2. *De inceſſu* THRASONVM.

Sed ad Thraſonicam ambitionem pergimus, quae, quum tot paene obiecta habeat, quot ſunt vitia, ſufficiet in praeſenti, de iis nonnulla dixiſſe, quibus in armorum conflictu, rixis, nocturnis vociferationibus, feneſtrarum oppugnationibus, & ſimilibus facinoribus omnis poſita eſt gloria. Horum inceſſum ſecundo canone ita depingimus: *Inceſſus tardus & interruptus, cum motu corporis erecto, geſticulatione brachiorum gladiatoria, ceruice exſerta, vultuque truce, & ad terrorem incutiendum compoſito coniunctus, ſignum eſt ambitionis Thraſonicae.* Tarditas inceſſus ſecundum ea, quae §. V. notauimus, ex ambitione proficiſcitur. Quum vero hi homines nihil reliqui faciant, vt terrorem aliis iniiciant: mirum profecto eſſet, niſi omnes geſtus huc referrent. Hinc inceſſum eorum diximus eſſe interruptum. Saepius enim in via reſiſtunt, & quaſi ſpeculantur, an pugnandi ſit occaſio futura. Hinc deinde corpus eos erigere notauimus, quaſi maiores adparere vellent, id quod Latini vocant *alte incedere* (n). Hinc porro eſt, quod brachia ita mouent, quaſi aut excipiendi eſſent ictus, aut inferendi, quodque ceruicem exſerunt, tamquam alios inſultando prouocaturi. Denique incedentes vultum minarum ferocia muniunt, vt Furiarum crederes domicilium, non alia quidem de cauſſa, quam vt obuii, viſa tam horrenda facie, tanquam obiecto Meduſae capite, obrigeſcant. Omnia haec ex attenta obſeruatione conſtant, nec vlla indigent probatione, niſi apud eos, qui Thraſones numquam viderunt. Sane & veteres hoc obſeruarunt, e quorum numero ADAMANTIVS (o) hoc ſignum ad ambitionem thraſonicam retulit, his vſus verbis: Εἰ δὲ ἰκὰν βραδύνοι καὶ ἐφιςάμενος γε ἐν ταῖς ὁδοῖς περιβλέποι, ὑφαυχενῶν ἐςι καὶ ὑβριςὴν ἔςω καὶ ὑπερήφανον. *Quod ſi quis tardo gradu incedit, & ſponte moratur in viis, hunc tu ſcito eſſe glorioſum, iniurioſum & ſuperbum.* Quin ipſe etiam CICERO, (at quantus in deſcribendis hominum ingeniis artifex,) iiſdem paene characteribus vtitur, quoties Thraſonum mores deſcribit. In oratione pro P. Sextio (p) id agit ex inſtituto, vt Gabinium & Piſonem Coſſ. parum frugi eſſe, ex inceſſu demonſtret. Hinc ait: *Quorum per Deos immortales ſi nondum ſcelera vulneraque inuſta reipubli-*

(n) *Vide de inceſſu alto §. ſequentem, p. 216. vbi de* ambitione ſpecioſa.

(o) Adamant. *in Phyſiogn. cap. XXVI.*

(p) Cicero *Orat. pro P. Sextio cap. VII. VIII. pag. 245.*

publicae vultis recordari, vultum atque inceſſum animo intueamini, facilius facta eorum occurrent mentibus veſtris, ſi ora ipſa oculis propoſueritis. Quibus praemiſſis, alterum deſcribit tanquam hominem laſciuia & luxu diffluentem, alterum tamquam Thraſonem, & mollitiem ſuam ſupercilio, & neſcio quo terribili adſpectu, obtegentem. De hoc poſteriore: *Alter,* inquit, *o Dii boni, quam teter incedebat, quam truculentus? quam terribilis adſpectu? Vnum te aliquem ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reipublicae, diceres intueri. - - Nam quid ego de ſupercilio dicam? quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pignus reipublicae, videbatur. Tanta erat grauitas in oculis, tanta contractio frontis, vt illo ſupercilio reſpublica, tanquam Atlante caelum, niti videretur. Erat denique hic omnium ſermo: Eſt tamen reipublicae magnum firmumque praeſidium.* Quis tandem in his CICERONIS verbis non agnoſcat Thraſonem quemdam aut glorioſum militem? Quis, vel hac ſibi ob oculos poſita inceſſus ratione, non colligat, conſulem iſtum hoc, quem hactenus deſcripſimus, ambitionis ridiculae morbo grauiſſime laboraſſe?

§. XI.

Reliqua eſt ambitio ſpecioſa, cuius quum quatuor conſtituerimus ſpecies, obſeruari velim, nonniſi aulicam, militarem & phariſaicam ſingulari ſeſe inceſſu prodere, eruditam vero non aeque, niſi in abſurdiſſimum pedantiſmum degenerauerit, cuius characterem iam ante communicauimus. Deinde nec hoc praetermittendum eſt, aulicam & militarem vix inceſſu poſſe internoſci, niſi quod vultus illius generis hominibus inter ambulandum placidior ſit & grauior, his multo efferatior & proteruior. Quibus praemiſſis obſeruationibus, hunc de ambitione aulica condimus canonem: *inceſſus tardus, altus, conſtans & grauis, cum motu corporis reciproco & motu manuum decoro coniunctus,* eſt ſignum ambitionis tum aulicae, tum militaris, quanquam in illa vultus fere eſt placidior, in hac ob ceruicem inflexam & elatum ſupercilium multo efferatior. Tribuimus itaque huius generis ambitioſis inceſſum tardum, quem cum omnibus, quos vana vexat ambitio, communem habent. Addimus deinde inceſſum altum, quo quid intellectum voluerint Latini, iam ſuperiore paragrapho oſtendimus. Hic enim character & in ambitione ridicula, & in ſpecioſa, conſpicitur, illud modo ſi obſeruaueris diſcrimen, quod in illa altus inceſſus cum turpi & incurrente in oculos adfectatione coniunctus, in hac multo grauior ſit & adſpectu iucundior. Vnde etiam poetae tum Diis, tum heroibus viriſque excellentibus inceſſum altum attribuunt.

Canon 3. *De inceſſu* PRVDENTIAE & FORTITVDINIS *gloriam adfectantium.*

buunt. Sic maieſtatis plenum Stiliconis ſui inceſſum CLAVDIANVS his verbis praedicat (q):

Spondebatque ducem celſi nitor igneus oris
Membrorumque motus, qualem nec carmina fingunt
Semideis: Quacunque alte gradereris in vrbe,
Cedentes ſpatiis adſurgentesque videres.

Et alio loco Honorii inceſſum hoc modo deſcribit (r):

Sic te teſtatur & offert
Celſa poteſtatis ſpecies, non voce feroci,
Non alto ſimulata gradu, non improba geſtu.
Adſectant alii quicquid fingique laborant,
Hoc donat fortuna tibi.

Nec ſane mirum eſt, ſi homines admirationi aliis futuri, maiores quaſi atque erectiores, quam ſunt, videri velint, & ſic alto greſſu, tanquam cothurno, innixi, incedant. Adiecimus porro motum grauem & conſtantem, quippe qui ambitioſorum genio videtur digniſſimus. Nam quemadmodum omnem leuitatem cane peius & angue fugiunt, ita & paſſus veluti omnes ad menſuram componunt, vt neque tardi nimis, neque celeres adpareant. Id quod & CICERO (s) in homine, qualem fingit, virtute praedito, id eſt, vt ego interpretor, honoris, & exiſtimationis ſuae ſtudioſo, requirit (t). Videri quidem hic poteramus parum accurati, dum talem ambitioni ſpecioſae inceſſum tribuimus, qualis paene in hominibus virtute ornatis conſpicitur. Sed in vado rem omnem eſſe arbitramur. Quis enim ignorat, ambitionem aulicam & militarem, quum plerumque haut parum voluptatis ſibi admixtum habeat, miram virtutis ſpeciem prae ſe ferre? Vnde nec mirandum, inceſſum eorum

(q) Claudianus *lib. I. de laud. Stilic. v.* 25.

(r) Id. *de nupt. Honorii v.* 236. *ſequ. Confer.* Caſp. Barthii *Adnot. ad Stat. Papinian. T. II. p.* 394. *& T. I. p.* 19. *vbi inceſſum amplum & altum inſignem arguere virum ait, quod tamen limitandum videtur, niſi turpis adſit adſectatio, quae potius ambitionem ridiculam ſignificat.*

(s) Cicero *lib. I. de officiis cap. XXXVI.*

(t) *Dudum obſeruatum eſt eruditis, Ciceronem alioſque huius generis ſcriptores, ſicubi homines virtute praeditos deſcribunt, plerumque hanc laudem tribuere ambitioſis. Reuera enim ambitio pleriſque gentilium philoſophis virtutis eſſe incitamentum videbatur. Qua de re legi merentur* Ciceronis *Orat. pro Archia poëta cap. XI. p.* 292. *& inſignis locus* Marini *in vita Procli cap. XVI. p.* 38. *vbi Marinus, quum Procli ambitionem negare non poſſet, eam ita excuſat:* Verum non erat ambitio in eo, vt in pleriſque, vitium, propterea quod ad bonum tantum reſpiciebat & ad virtutem. Ac fortaſſe non fieret quidem in hominibus quidquam praeclarum, abſque hac animi concitatione.

Digitized by Google

rum ad hominum virtute praeditorum motum proxime accedere videri. At poterunt tamen facile internoſci, ſi obſeruetur, emendatae mentis homines, minus tarde, minusque alte incedere, quam ambitioſos, & ſic in hoc quoque retinere mediocritatem. Diximus quoque, ambitioſis motum corporis conuenire reciprocum. Quamuis enim ceteroquin ſtatum corporis erectum teneant: fit tamen ob motum tardiorem, & greſſus paullo ampliores, vt anteriorem corporis partem modo dextrae, modo laeuae, paullulum obuertant. Denique obſeruamus, omnem geſticulationem ineptam a motu ambitioſi longiſſime abeſſe, quum eam leuitatis, & neſcio cuius adfectationis notam eſſe, vel pueris notum ſit. Equidem non dicimus, ab omni brachiorum motu abſtinere ambitioſum, quippe quod experientiae quotidianae repugnaret: attamen ille ita comparatus eſt, vt decorus potius, adſpectuque iucundus, quam adfectatus & celerior, adpareat, id quod & SCIPIONI CLARAMONTIO (u) obſeruatum eſt. Adnotauimus quoque nonnulla de vultus forma, quae in vtraque ambitionis ſpecie eſt notabilis, & eam prodere videtur certiſſime. Quemadmodum enim, qui aulica ambitione turgidi ſunt, vultum praeferunt placidiorem, & quaſi ſerenum, ita militaris gloriae cupidorum vultum ob ſupercilium & inflexam ceruicem multo eſſe efferatiorem, diximus. Non heri demum aut nudius tertius nata eſt haec de inflexa in ſiniſtram ceruice obſeruatio: ſed iam tum perſpectam eam habuerunt antiqui, qui iſtam ceruicis formam indicium fortitudinis certiſſimum iudicarunt, ideo, quod hic geſtus educendo gladio videretur conuenientiſſimus. Obſeruarunt hunc geſtum in AVRELIANO AVG. milites (x), quem inde cognomen: *Manu ad ferrum* manſit. Sed & in ALEXANDRO M. tale quid obſervat PLVTARCHVS (y), quippe cui tribuit *ἀνάτασιν τοῦ αὐχένος εἰς εὐώνυμον ἡσυχῇ κεκλιμένην*, *proiectam cervicem, & in ſiniſtrum humerum leuiter inflexam*, additque, eum Alexandri geſtum complures poſtea eius ſucceſſores & amicos fuiſſe aemulatos. Vnde & in numis Seleucidarum & Ptolemaeorum, a VAILLANTIO editis, hoc ceruicis ſiniſtrorſum inflexae ſchema ſubinde adparet. Heroicam vero fortitudinem hoc geſtu non obſcure innui, communis eorum eſt ſententia, qui ethicam ſemeioticam ſcriptis illuſtrarunt, licet ADAMANTIVS (z) iſtum ad ſuperbiam Thraſonicam referre malit, forte quod Thraſones plerumque ad ambitionis militaris

(u) Scipio Claramontius *l. c. p.* 496.

(x) Vopiſc. *in Aureliano cap. VI.* p. 417.

(y) Plutarchus T. I. *Opp. p.* 66.

(z) Adamantius *l. c.*

taris formam inceſſum ſuum quam maxime componunt.

§. XII.

Canon 4. *De inceſſu hominum ambitione* PHARISAICA *turgidorum.*

Ad ambitionem PHARISAICAM noſtra ſe nunc conuertit oratio, quae ſe omnium maxime inceſſu & motu corporis ſolet prodere. Quum enim eius generis hominibus omnis pietatis laus in externo quodam ſchemate poſita ſit, quo ſublato, nihil ſanctitatis ipſis futurum eſſet reliquum: conſequens omnino eſt, vt inceſſu etiam aliis admirationi eſſe velint. Eſto ergo canon: *Greſſus lenti, corporis habitus veluti in ſe contractus, caput demiſſum, oculi deiecti, & ſubinde ad caelum ſublati, totus vultus toruus, ſuſpiria altius & frequentius ducta, ceteris paribus, ſignum ſunt ambitionis phariſaicae.* Tarditatem cum reliquis ambitioſis *phariſaei* habent communem, id vero proprium, quod corpus contrahunt adeo, vt vix vllam in humeris & brachiis motionem reperias, quin brachia adglutinata, aut potius omni ſanguine neruisque deſtituta, crederes. Quia enim corporis, humerorum & brachiorum motus facile vel ſuperbiae, vel leuitatis, ſuſpicionem iniicit, hi, vtraque carituri, ab omni prorſus motu abſtinent, vt obeliſcum quemdam aut Diogenis ſtatuam incedere credas. Sic

Stulti, dum fugiunt vitia, in contraria currunt.

Et hinc reddi poterit ratio, cur caput demittant, cur oculos deiectos humi veluti defigant, cur denique eos ſubinde ad caelum retorqueant, crebraque ab imo pectore ducant ſuſpiria. Audiunt enim, hos geſtus ab aliis laudari, tanquam quos verae pietatis ſenſus hominibus probis nonnunquam extorqueat: quamobrem pertinere hoc ad laudem ſuam arbitrantur, vt eos a non fucatae probitatis cultoribus mutuentur, ex re & vero iudicantes, nemini ſe eſſe perſuaſuros, quod pietatem colant, niſi his geſtibus tanquam perſona quadam tragica, turpiſſimam fraudem tegerent. Obſeruata haec iam olim ſunt in philoſophis, virtutis laudem adfectantibus; obſeruata deinde in monachis, & aliis pietatis fuco fallentibus (a). Quin notus eſt SIXTI V. Pontificis Romani, iocus, qui interrogatus, cur, antequam iſtam dignitatem conſequeretur, capite oculiſque ſubmiſſis inceſſerit? *Petri claues ſe quaeſiviſſe*, reſpondit. Ceterum intellectum hunc canonem volumus *ceteris paribus*. Nam verae equidem virtutis & pietatis cultor tantum abeſt ab omni adfectatione in cultu atque motu corporis, vt potius accurate obſeruet, quod grauiter monuit SENECA (b): *Illud autem te moneo, ne eorum more, qui non proficere ſed conſpici cupiunt, facias aliqua, quae in*

(a) *Vid.* Eunappii *M. Aedeſius p.* 79. (b) Seneca *Epiſt.* V.

in habitu tuo aut genere vitae notabilia ſint. Attamen contingere poteſt, vt vel ob defectum iudicii, vel ob conſuetudinem, vel ob alias cauſſas, etiam vere pii tam adfectato inceſſu vtantur. Hinc prudentiſſime agent, qui hunc quidem canonem non temere adplicant cuivis, nec quemquam ob talem inceſſum phariſaicae ambitionis inſimulant, niſi alia fictitiae pietatis ſigna ſimul hoc ſuadere videantur.

§. XIII.

Proximum iam eſt temperamentum ſanguineum, cuius in natura & characteribus indagandis opera noſtra nunc verſabitur. Praecipua, quam haec ſanguinis temperatura inducit, propenſio eſt voluptas, quam aeque, ac ambitionem, non vnius eſſe generis intelligimus. In eorum tamen maxime imus ſententiam, qui, eam in VENEREAM, BACCHICAM & AMICAM commodiſſime diſpeſci poſſe, ſtatuunt. Priores ob manifeſtam ſemper turpitudinem in ſe notae ſunt. Poſtremam, quam amicam vocamus, eam dicimus eſſe voluptatis ſpeciem, quae arctam coniunctionem animorum, & capiendam ex illa delectationem, anhelat. Primum voluptatis genus indiciis haut obſcuris cognoſcitur. Vnde de inceſſu laſciuorum hunc formamus canonem: *Inceſſus agilis, mollis, & ad ſcenicam leuitatem formatus, nec non oculi, inter ambulandum procaciter circumacti, voluptatis venereae ſignum ſunt.* Agilitatis & mollitiei iam ſupra (§. V.) rationem reddidimus: ſcenica vero leuitas ex ipſa impura libidine proficiſcitur. Solent enim iſti molliculi omnes geſtus ita efformare, vt & mares foeminarum perſonam induiſſe videantur, non alia de cauſſa, quam vt aliorum amores eo felicius aucupentur. Hinc greſſus veluti artificioſe metiuntur ac ſuſpendunt, hinc modo hanc, modo illam veſtium partem, mira manuum geſticulatione in ordinem redigunt. Denique quum oculis potiſſimum hoc inſtituatur aucupium, recteque a non nemine dictum ſit (c): ὀφθαλμὸς ὁδὸς ἐρωτικῷ τραύματι, *oculum eſſe viam, qua menti venerea vulnera infligantur:* ſit inde, vt lubricos indomitosque oculos inter ambulandum huc illuc circumagant, & faſcinum veluti minari videantur. Atque eam ob cauſſam veteres olim veluti ex compacto haec ſigna ad laſciuum amorem retulerunt. Sane quod ad inceſſum agilem, & mollem ſcenicamque, de qua diximus, leuitatem attinet: ex iis miro conſenſu collegerunt voluptatem veneream. Hinc Chryſis apud PETRONIVM (d), viſo laſciuo quodam iuuene: *Quo inceſſus*, inquit, *arte compoſitus, & ne veſtigia* qui-

Canon 5. *De inceſſu* LASCIVORVM.

(c) Achilles Tat. *lib. I. conf.* Barth. *ad Claudianum p.* 800. (d) Petron. *p.* 683

quidem pedum extra menſuram aberrantia, niſi quod formam proſtituis, vt vendas? Sed paullo ante idem PETRONIVS (e) impuris proſtibulis tribuit

Fractos eneruі corpore greſſus.

adeoque cum CATVLLO (f) facit, qui ſimilem ſcorti impuriſſimi characterem his verbis deſcribit:

Quae ſit quaeritis? illa, quam videtis
Turpem incedere, mimice, ac moleſte.

ſed ne in ſola poetarum verba iuraſſe videamur, addemus & philoſophos, ex quorum numero IVL. FIRM. MATERNVS ſatis eleganter: *Molliter*, ait, *ambulantes & ſuſpendentes veſtigia, eo dolere oſtendunt, quod viri nati ſunt.* Nec multum diſcrepare ab hac ſententia SENECAE (g) iudicium, ſequentia eius verba comprobant: *Omnia rerum omnium, ſi obſeruentur, indicia ſunt: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota, & vnum interdum reſponſum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum.* Qui locus tanto nobis eſt gratior, quo & clariorem oculorum flexus facit mentionem. Is enim tam luculentus eſt amoris impudici index, vt eum & ſacri ſcriptores obſeruatione dignum iudicauerint. Notum eſt, quo loco APOSTOLVS habeat ὀφθαλμοὺς μεστοὺς μοιχαλίδος, *oculos adulterinos*, & quam diſerte ſapientiſſimus SYRACIDES (h) puellam impuram & laſciuientem cognoſci oſtendat ἐν μετεωρισμοῖς ὀφθαλμῶν, καὶ ἐν τοῖς βλεφάροις αὐτῆς, *ex vagis & emiſſitiis oculis, eorumque palpebris.* Quin & profani auctores idem de emiſſitiis laſciuorum oculis ſentiunt, quorum e numero OVIDIVS (i), talium obſeruator curioſiſſimus, Helenam introducit ita de Paride conquerentem:

Dummodo me ſpectas oculis, laſciue, proteruis,
Quos vix inſtantes lumina noſtra ferunt.

Ex quo ſimul intelligitur, cur Gallieno Imperatori IVLIANVS (k) in laudata ſatyra tribuat κίνησιν μαλακωτέραν, ὥσπερ τῶν γυναικῶν, *inceſſum molliorem, mulierum ritu*, addatque Silenum in illum ingredientem luſiſſe illud poetae:

Qui tenerae auratus laſciuit virginis inſtar.

Hic enim character optime cum eius moribus conuenit, quem *ab-*

domini

(e) Idem *p.* 14.

(f) Catullus *p.* 22. *edit. Scalig. qui veram lectionem* Mimice *reſtituit, quum antea legeretur* Myrmice, *id eſt, formicarum more, qui character plane nihil ad rem facit.*

(g) Seneca *Epiſt. LII. p.* 164. *Tom. I.*

(h) Syracid. *cap. XXVI. v.* 11.

(i) Ouid. *Epiſt. Helenae ad Paridem.*

(k) Iulian. *Opp. p.* 313.

domini & voluptatibus natum, dies ac noctes vino & ſtupris perdidiſſe, refert TREBELLIVS POLLIO (l).

§. XIV.

Altera voluptatis ſpecies eſt BACCHICA: ſed eam ſingulari inceſſu ſeſe prodere vix arbitramur, niſi forte guloſis eiuſmodi hominibus motum leuem, remiſſum, diſſolutum, ab omni decentia abhorrentem, ſordidum, pedes infirmos ac inſtabiles, & genua ſuccidua, adſcribere velis. At tanto magis ex inceſſu voluptas AMICA elucet. Solent enim hi homines paullo propius accedere ad decorum, quem hominibus virtute ornatis tribuimus, inceſſum, eo, quod inceſſu, inter voluptatem veneream & ambitionem ſpecioſam veluti medio, vtantur. Vnde canon: *Inceſſus agilis & tamen compoſitus, cum motu corporis decoro coniunctus, nec tamen minimicus, vultus denique ſerenus & hilaris indicant voluptatem amicam.* In promtu erit huius inceſſus cauſſa, ſi obſerues, multum hos homines trahere ab ambitione, quae deinde eorum inceſſum ita moderatur, vt nec graues ambitioſorum, nec molles voluptuoſorum greſſus referat, ſed ex vtriſque retineat aliquid, quod miram illi conciliat venuſtatem. Exempli loco procul dubio adduci poſſet TITVS VESPASIANVS, princeps, amicae voluptati dediſſimus, dummodo auctores in deſcribendo eius inceſſu maiorem adhibuiſſent diligentiam. Sufficit tamen, quod in tota eius forma corporiſque habitu plerique obſeruant *decorem* quemdam, & *ſingularem gratiam* (m) vnde etiam in eius inceſſu virtutes has eluxiſſe, merito colligimus.

Canon 6. *De inceſſu* VOLUPTATI AMICÆ *deditorum.*

§. XV.

Reliqua eſt tertia propenſio primaria, inexplebilis illa OPVM CVPIDITAS, quae gradu magis quam ſpecie varia videtur. Quamuis enim multa eius ſint obiecta: ea tamen auaro non aliam ob cauſſam ſunt in deliciis, quam quia aeſtimationem admittunt. Hoc ergo vnum eſt, quod ſitit auarus, quodque vnice concupiſcit. Quare nec opus erit multis de auarorum inceſſu regulis. Vnicus enim, qui ſe vltro offert, ſufficiet canon: *Inceſſus difficilis, & cum moleſtia quadam velox, incompoſitus, interruptus, & cum anhelatione, ſtatuque & motu corporis indecoro coniunctus animum ſeruilem denotat, & opum ac diuitiarum cupidiſſimum.* Inceſſum difficilem, & cum moleſtia feſtinatum, cur auaris adſignemus, ſatis iam ſupra explicatum eſt. Melancholicorum enim motus ob ſpiſ-

Canon 7. *De inceſſu* AVARORUM & SORDIDORUM.

 ſiores

(l) Trebell. Pollio *Vit. Gallieni cap. XVI. p.* 329. *edit. Gruteri.*

(m) Suet. *in Vita Titi cap. III. p.* 758. *& ibi viri docti.*

Digitized by Google

ſiores in ſanguine particulas, natura tardus, & fere teſtudineus eſt. Quum vero curarum ſtimulis agantur, anxieque ſemper metuant, ne immineant feriae eſuriales, aut vlla ipſis pereat lucrandi occaſio: euenit inde, vt iſtis veluti calcaribus ad alacritatem quamdam incitentur. Quapropter non ſecus, ac ſi ad congiarium eundum eſſet, praecipiti curſu feruntur per viam. Primo enim non facile domo pedem efferunt, niſi quaeſtum facturi, & hinc tanto magis feſtinant, vt theſauro potiantur. Deinde ſua haut parum referre arbitrantur, vt ſtatim reuertantur domum, ne quis e familia interim a laboribus ceſſet. Quin & hoc accedit, quod nullum illi hominum genus magis metuant, quam fures, & hinc nec parietibus fidant, nec peſſulis & repagulis. Properant ergo homines, rebus ſuis anxie metuentes, vt ipſi domi poſſint agere excubias, identidem ſecum cogitantes, quod ille apud PLAVTVM (n) Euclio:

Nimis ego homines metuo male,
Ne mihi ex inſidiis verba imprudenti duint,
Neu perſentiſcant, aurum vbi eſt abſconditum,
Qui in occipitio quoque oculos habent, peſſimi.
Nunc ibo, vt viſam, eſtne ita aurum, vt condidi:
Quod me ſollicitat plurimis miſerum modis.

Adeo plures ſunt auaris feſtinandi cauſſae, nec poteſt eorum inceſſus ideo non eſſe concitatiſſimus: ſed talis tamen, vt ſtatim adpareat, adfectatam hanc eſſe celeritatem, & eorum naturae minus conuenientem. Hinc porro in canone obſeruauimus, greſſus auarorum eſſe incompoſitos & interruptos. Quoniam enim natura ab omni decoro abhorrent: non poſſunt profecto a ſe impetrare, vt greſſus ad aliorum componant ſententiam, aut ſibi ipſi modum incedendi, quem perpetuo ſequantur, fingant. Hinc modo per plateas volant velociſſime, vt paene ſpiritum ſibi intercludere velle videantur; modo reſiſtunt, & in minoris momenti rerum contemplatione haerent. Rem omnem verbo eloquemur, ſi *ἀγροικίαν*, i. e. *ruſticitatem* auaritiae propriam eſſe dixerimus. Inter eius enim *κριτήρια* THEOPHRASTVS (o) recte etiam inceſſum interruptum refert, dum ait: Καὶ ἐπ' ἄλλῳ μὲν μήτε θαυμάζειν μήτε ἐκπλήττεσθαι ἐν ταῖς ὁδοῖς· ὅταν δὲ ἴδῃ βοῦν, ἢ τράγον, ἑστηκὼς θεωρεῖν. *In via aliorum quidem nihil admiratur, neque vlla re percel-*

(n) Plaut. *Aulular., Act. I. Scen. I.*

(o) Theophraſtus *in Characteribus morum p. 7. edit. Th. Gale.*

percellitur. At ſi bouem viderit, aut aſinum, aut hircum, ibi homo gradum ſiſtere, & contemplari. Si rationem exquiris, ea in promtu eſt. Sunt enim hae res ita comparatae, vt pretio emi vendique poſſint. Quod quum vnicum ſit auaritiae obiectum: nec mirum certe eſt, ſi in illius contemplatione defixi ſint auarorum oculi. Nam quod quiſque maxime amat, illud ſpectat conſideratque libentiſſime. Denique quum iam obſeruatum ſit, auaros ob atrae bilis abundantiam moleſtius moueri: oportet certe non modo anhelationem ſequi, ſed etiam ſtatum corporis indecorum, qui rectius oculis obſeruari, quam verbis deſcribi poteſt. Turpis ergo eſt auarorum inceſſus, ſeruilis, & negligentior, baiulis denique aut iumentis, quam liberis hominibus, dignior. Quare etiam veteres ab indecoro & illiberali eiuſmodi inceſſu grauiter dehortantur ALEXIS COMICVS (p):

> *οὐ γὰρ νομίζω, τοῦτο τῶν ἀνελευθέρων*
> *εἶναι, τὸ βαδίζειν ἀῤῥύθμως ἐν ταῖς ὁδοῖς.*
>
> *Non ego puto liberi hominis*
> *Eſſe, inceſſu incompoſito ferri per viam.*

Et PLAVTVS in Poenulo: (q)

> *Liberos homines per vrbem modico par eſt gradu*
> *Ire: ſeruile eſſe duco, feſtinantem currere.*

At non opus eſt pluribus. Nulla enim incedendi forma magis incurrit in oculos, quam auarorum, quorum in motu nihil liberale, nihil decorum aut venuſtum elucet.

§. XVI.

Hactenus de propenſionibus hominum primariis, earumque ſignis dictum: iam, quod reliquum eſt chartae, ſecundariis quibuſdam deſtinauimus. Quarum tametſi plures ex temperamentorum mixtura naſcantur, fieri tamen non poteſt, vt omnium exacte hic ineamus numerum, aut, quomodo inceſſu differant, expediamus. Hinc ſaltim vnum atque item alterum canonem, per lancem veluti ſaturam, adiiciemus. Eſto ergo primus: *Inceſſus varius, & modo tardus, modo concitatus, cum vultu feroci & oculis vagis coniunctus,* Canon 8. *De inceſſu hominum* VECORDIUM.

(p) *Vid.* Alexidis Comici *Fragmenta.*

(q) Plautus *in Poenulo Act. III. Scen. I. v. 19.*

iunctus, ſignum eſt ſummae leuitatis & vecordiae. Quodſi enim expendamus regulas, ſupra (§. V.) adductas, rationeſque ſubducamus, tam verſatilis & inconſtans incedendi ratio mentem arguit modo auaritia, modo voluptate, modo ambitione in tranſuerſum actam, id eſt, ad omnem vecordiam & omne ſcelus profligatam. Obſeruarunt hoc pridem IO. BAPT. PORTA (r), SCIPIO CLARAMONTIVS (s), & ex antiquis ARISTOTELES (t), POLEMON & ADAMANTIVS (u), qui ſimulationem prauam & ſummam improbitatem in hominibus ita incedentibus agnoſcunt. Nec falli profecto eos opinione ſua, ſatis docet exemplum L. CATILINAE, de quo SALLVSTIVS (x), grauis inprimis ac prudentiſſimus hiſtoricus: *Color eius*, inquit, *exſanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus inceſſus; prorſus in facie & vultu vecordia inerat.* Ecquis neſcit autem, qualis fuerit Catilina, quam dirum monſtrum, & ex omnibus ſceleribus conflatum? Sed addimus & alterum canonem: *Taciti & cum ceruice rigida & obſtipa incedentes, & quaſi conſilia intra ſe agitantes, ſimulatores, arrogantes & crudeles ſunt.* Eſt hoc illud ipſum ſignum, ex quo Auguſtum Tiberii indolem deprehendiſſe, ſuperiore capite diximus. Qua de re SVETONIVS: (y) *Incedebat*, inquit, *ceruice rigida & obſtipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus; nullo etiam, aut rariſſimo cum proximis ſermone, eoque tardiſſimo, nec ſine molli quadam digitorum geſticulatione. Quae omnia ingrata atque arrogantiae plena & animaduertit Auguſtus in eo, & excuſare tentauit ſaepe apud ſenatum ac populum, profeſſus, naturae vitia eſſe, non animi.* Denique vt portum aliquando reſpiciamus, tertius additamenti loco accedat canon: *Inceſſus cum violento humerorum motu, oculis ſtupentibus, & ore diſtorto coniunctus, ingenium arguit doloſum, inuidum, & nulli mortalium fidum.* Obſeruauit hos fere characteres in Iuliano GREGORIVS NAZIANZENVS, cuius locum iam priore capite adſcripſimus. Os vero inter ambulandum diſtortum, omnibus etiam antiquis animi perfidi ſignum viſum eſt, adeo vt & Comici ſeruis ſceleſtis, & fallaciarum architectis, hunc geſtum adfingant. Sic apud TERENTIVM (z) Phaedria: *oh*, inquit,

Canon 9. *De inceſſu* SIMULATORUM & CRUDELIUM.

Can. 10. *De inceſſu* PERFIDORUM & INQUIETORUM.

Illud vide, os vt ſibi diſtorſit carnifex.

Longam ipſe enarrare poſſem illorum ſeriem, qui tali inceſſu vſi ſunt,

(r) Io. Bapt. Porta *lib. II. cap. LV.* p. 266.
(s) Scipio Claramont. *p.* 491.
(t) Ariſtoteles *libr. IX. moral. cap. IV.*
(u) Adamantius *l. c.*
(x) Salluſt. *in Bell. Catilin. cap. XV.*
(y) Sueton. *Tiber. cap. LXVIII. p.* 374.
(z) *Vid.* Terent. *Eunuch. Act. IV. Scen. IV. v.* 2. 3.

ſunt, quorumque malam mentem, malum animum, ipſe expertus ſum. Sed hic verbis non opus eſt. Prouida enim natura iſtiuſmodi hominibus tam notabiles notas ac veluti ſtigmata inuſſit, vt, ſimul ac conſpiciantur, ſtatim adpareat, illos, tanquam ſocietatis humanae peſtes, cane peius & angue eſſe fugiendos.

§. XVII.

Inceſſus hominum VIRTUTE *praeditorum.*

Hactenus vitioſorum hominum inceſſum fuſius diſtinctiuſque conſiderauimus: vnde iam nihil eſſet reliquum, niſi vt eadem diligentia de motu virtute ornatorum ageremus. Sed veremur, vt virtus aeque facile ex greſſibus eluceat, ac vitia morbique voluntatis. Nam haec nobiſcum naſci, ac ſenſim conſuetudine firmari, nemo ignorat. Quare nec mirum eſt, ſi inceſſum in hanc vel illam formam componant. At virtus nemini mortalium natura contingit, ſed diuinitus datur, maximoque ſtudio, & quidem ſatis plerumque ſero, adquiritur. Et hinc tantum abeſt, vt homines emendata voluntate inceſſum ſimul emendare ſoleant, vt potius plerumque hic valeat illud poetae:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem,
Teſta diu.

Contingit ergo haut raro, vt qui natura antea ad voluptatem procliues fuerunt, voluptatem quamdam inceſſū adhuc prodere videantur, etiamſi mentem reuera emendauerint. Et ſic in reliquis etiam ſe res habere poteſt, praeſertim ſi nemo ipſis vellicet aurem, ac de naeuis iſtis, quos plerumque ignorant, illos admoneat. Quae quum ita ſint, temere agere merito videremur, ſi etiam de hominum virtute praeditorum inceſſu certos condere canones non dubitaremus. Et hinc mutato conſilio, non, quid fiat ab eiuſmodi hominibus, ſed quid fieri deceat, docebimus, pauciſque oſtendemus, qualem potiſſimum inceſſum viro honeſto eſſe arbitremur digniſſimum. Omnes, qui vitio quodam laborant, a regia mediocritatis via euagari videmus. Aut enim iuſto celerius mouentur, aut ab vno extremo, vt loquuntur philoſophi, ad alterum ruunt, & inceſſu inconſtante animi produnt leuitatem. Huc accedit, quod omnia vitia cum quadam ridicula adfectatione coniuncta ſint, & vel in pedum poſitura, vel in geſtibus, quidquam habere videantur, quod a natiua elegantia abhorreat. Ex quibus omnibus conſequitur, vt eum inceſſum eſſe viro bono digniſſimum iudicemus, *qui nec tardus nimis ſit, nec iuſto celerior, ſed mediocris, praetereaque aequalis, ſimplex, & ab omni leuitate atque adfectatione ſeiunctus.* Atque haec eſt decora iſta incedendi ratio,

quae

quae naturali quadam pulcritudine ſe commendat, & ab omnibus, qui de decoro praecipiunt, cum cura inculcatur. Quid CICERO (a) de illa ſcripſerit ad filium, initio diſſertationis diximus. Cauendum enim eſſe monet, *ne aut tarditatibus vtamur in greſſu mollioribus, vt pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur, aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates, quibus anhelitus moueantur, vultus mutetur, aut os torqueatur. Ea enim omnia animi parum compoſiti eſſe ſignificationes.* Idem docet, qui poſt CICERONEM de officiis commentatus eſt, AMBROSIVS (b). Eo enim, quem ſupra laudauimus, loco *tenendam eſſe* monet *in ipſo motu, geſtu ac inceſſu verecundiam.* Et, paucis interiectis, paullo diſtinctius adumbrans viri honeſti ac pii inceſſum, ita pergit: *Eſto etiam greſſus probabilis, in quo ſit ſpecies auctoritatis, grauitatiſque pondus, tranquillitatis veſtigium, ita tamen, ſi ſtudium deſit, atque adfectatio, ſed motus ſit purus ac ſimplex. Nihil enim fucatum placet: motum natura informet. Si quid ſane in natura vitii eſt, induſtria emendetur. Vt ars deſit, non deſit correctio.* Nihil profecto poterat dici elegantius, aut ad mentem noſtram accommodatius. Habes enim hic, quicquid antea de inceſſu viri honeſti diximus. Sed digna tamen ſunt & BERNARDI (c) verba, quae hic legantur. Quemadmodum enim hic vir in multis rebus vltra ſaeculum ſapit: ita & praeclara, & plane philoſophica ſunt, quae de inceſſu praecipit: *Sit*, inquit, *in ingreſſu tuo ſimplicitas, in inceſſu honeſtas, nihil dedecoris, nihil laſciuiae, nihil petulantiae, nihil inſolentiae, nihil leuitatis in inceſſu tuo adpareat. Animus enim in geſtu corporis adparet, geſtus ſignum eſt mentis.* Et hoc quidem praeſtantiſſimo praecepto, tanquam epiphonemate quodam, hanc diſſertationem obſignamus.

§. XVIII.

Concluſio Capitis. Ne enim nimis diu lectoris defatigemus oculos, demum hic vela contrahenda, portuſque tandem aliquando reſpiciendus videtur. Plura, eaque magis exquiſita, dari poterant, niſi temporis pariter ac chartae fuiſſet habenda ratio: at vero, quum tot nobis fuerint feſtinandi cauſſae, ipſumque ſpeciminis academici nomen nos ſubinde monuerit, quanto omnia tranſcurſu dicenda eſſent: breuitatis ſtudio filum hic abrumpimus, nihil quidem, quod addamus, reliquum eſſe rati, praeterquam, vt immortali DEO gratias, quas mens poteſt concipere, maximas agamus, eumque precemur, vt nos, inter tot viarum anfractus incedentes, ita Spiritu ſuo ducat ac dirigat, vt euitatis praecipitiis ac ψευδοπαιδείας diuerticulis, ad veram ſapientiam perueniamus, in eaque vnice adquieſcamus.

DE

(a) Cic. *lib. I. de Offic. c. XXXVI.*
(b) Ambroſ. *lib. I. de offic. c. XVIII.*
(c) Bernard. *de modo bene viuendi cap. IX.*

Digitized by Google

DE PHILOSOPHIS SEMICHRISTIANIS,

EXERCITATIO V.

HISTORICA ET PHILOSOPHICA.

Σύνοψις.

I. Philoſophia viam munit ad religionem Chriſtianam. II. Sed viam hanc philoſophi nonnulli adſpernantur, nonnulli eam ex parte tantum probant. Et hinc PHILOSOPHI SEMICHRISTIANI, *de quibus hac diſſertatione agitur. III. Deſcribuntur hi philoſophi, & in ſuas claſſes diſpeſcuntur. IV. Cur gentiles philoſophiam doctrinis chriſtianis interpolarint? V. Quomodo id fecerint? VI. Probatur haec interpolatio teſtimoniis Patrum. VII. Nec non recentiorum, veluti* IO. OWENI, *VIII.* LVCAE HOLSTENII, *IX.* HVETII, CAVEI, H. WITSII, G. OLEARII. *X Ipſorum denique gentilium. XI. Viae, quibus philoſophi gentiles ad Chriſtianae religionis notitiam peruenere: quales ſunt lectio ſacrarum litterarum. XII. Frequens cum Chriſtianis conſuetudo. XIII. Frequentatio ſcholarum chriſtianarum. XIV. In primis ſcholae Ammonii Saccae, de cuius religione diſquiritur. XV. Recenſentur philoſophi huc pertinentes, iique vel cautius & occultius Chriſtianorum doctrinas ſectati, vt:* EPICTETVS, *XVI.* PLOTINVS, *XVII.* PORPHYRIVS, *XVIII.* HIEROCLES, *XIX.* IAMBLICHVS, *XX. vel apertius χριστιανίζοντας, veluti* SIMPLICIVS, *XXI.* CHALCIDIVS, *XXII.* IO. LYDVS, *XXIII.* PROCOPIVS, *XXIV.* SYNESIVS, *XXV. An etiam* SENECA, *XXVI.* PLVTARCHVS, *XXVII. &* SEV. BOETHIVS *huc referendi? XXVIII. Philoſophi Chriſtiani quidam ad gentiliſmum procliuiores. XXIX. Cauſſae ſemichriſtianiſmi philoſophici ex parte gentilium. XXX. Ex parte chriſtianorum. XXXI. Remedia ſemichriſtianiſmo philoſophico opponenda. Concluſio diſſertationis.*

§ I.

Philoſophia viam munit ad Religionem Chriſtianam.

VEtus opinio eſt, iam inde ab antiquiſſimis ducta temporibus, ipſorumque veterum theologorum, quos patres vocant, firmata conſenſu, philoſophiam, ſi quis ea recte vtatur, viam quodammodo munire ad religionem Chriſtianam, eiuſque veritatem argumentis validiſſimis ſtabilire. CLEMENTI (c) certe Alexandrino hoc tam certum exploratumque viſum eſt, vt non dubitarit ita hanc in rem diſſerere: Ἐπαιδαγώγει καὶ φιλοσοφία τὸ ἑλληνικὸν, ὡς ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους, εἰς Χριστόν· προπαρασκευάζει τοίνυν ἡ φιλοσοφία, προοδοποιοῦσα τὸν ὑπὸ Χριστοῦ τελειούμενον. *Ipſa etiam philoſophia Graecos, ſicut lex Ebraeos, deducebat ad Chriſtum. Praeparat ergo philoſophia, ei viam muniens, qui a Chriſto perficitur.* Cum qua Clementis ſententia, non vno ſolum loco declarata, ſed ſaepiuſcule repetita (d), iudicium auctoritatemque ſuam coniungunt & alii, eiuſdem ordinis viri, & in iis etiam GREGORIVS NYSSENVS (e), qui luculento alterius Gregorii Neocaeſarienſis exemplo demonſtrat, philoſophiam quaſi indicem eſſe chriſtianae veritatis. Quum enim retuliſſet, Gregorium illum, adhuc tum adoleſcentem, operamque philoſophiae nauantem, veluti ſtimulum quemdam ſenſiſſe ad probandam ſuſcipiendamque religionem Chriſtianam: ita pergit vir eloquentiſſimus: Τῇ ἔξω φιλοσοφίᾳ δι' ἐπιμελείας καθομιλήσας, δι' ὧν ἑλληνισμὸς τοῖς πολλοῖς βεβαιοῦται, διὰ τούτων ὡδηγήθη πρὸς τὴν τοῦ χριστιανισμοῦ κατανόησιν. *Quum in externae philoſophiae ſtudio diligenter verſatus eſſet, per quas res a pleriſque errores Graecorum ſtabiliuntur, iis deductus fuit ad chriſtianae religionis cognitionem.* Haec aliaque, quae paſſim apud veteres occurrunt, quamuis magnificentius, quam verius, dici exiſtimentur, ipſique CLEMENTI (f) ſaepius hoc acciderit, vt nimia philoſophiae admiratione abreptus, paullo incautius in eius laudes ſe diffundat: hactenus tamen nihil eum docuiſſe, quod ſit a recta ratione alienum, arbitramur. Reipſa enim philoſophiam veram ac rite adhibitam reuelationi, chriſtianaeque religioni viam ſternere, tam certum exploratumque eſt, vt a nemine poſſit in dubium vocari. Simulac quis verae ſe philoſophiae perpoliendum tradit; non poteſt non animaduertere, mentem humanam morbis grauiſſimis, ac incredibili ad quaeuis mala propenſione

(c) Clemens Alex. *Stromat. I. p.* 282.
(d) Idem *Strom. VII. p.* 710.
(e) Gregor. Nyſſen. *vita Gregorii Thaumat. Tom.* III. *Oper. p.* 539.
(f) Ittigius *Praef. ad Supplem. Operum Clem. Alex. n. VII.*

Digitized by Google

ſione laborare, neque vera felicitate ſe unquam eſſe potiturum, niſi mentem tot morbis vitiiſque obnoxiam emendarit, & ad beatam cum Deo coniunctionem, quocumque demum medio adiutus, peruenerit. Id vero dum anxie anhelat animus, ſtatim deprehendet, tum de mali iſtius origine, tum de Dei natura, coniunctioniſque iſtius, quam adſpirat, modo ac indole vix quidquam ſibi e ratione conſtare, deplorandamque hanc eſſe mentis coecitatem ac caliginem. Porro diſpicienti de mediis, occurrent quidem illi praecepta philoſophorum quamplurima, nec ea quidem in ſe mala: ſed quantumlibet iſta accurate obſeruantem, ipſa mox illum edocebit experientia, mediis his omnibus parum ſe ad rei ſummam proficere. Quo magis enim philoſophiae parebit: eo longius ſe a vera illa ſummaque felicitate abeſſe ſentiet, mirabiturque non ſine dolore, actionibus ad philoſophiae praecepta accurate compoſitis, animum tamen ſe circumferre nihilo, quam antea, emendatiorem. Quin immo, ſi vel maxime in tantis anguſtiis ad Deum confugere, eiuſque eſſlagitare auxilium ſtatuerit: animaduertet tamen, illum ſumme quidem bonum, at eumdem quoque eſſe iuſtiſſimum. Ex quo colliget, Deum hominibus tam malis ac proterue eius legem migrantibus, niſi ſatisfactio quaedam interceſſerit, veniam dare ſalua iuſtitia haud poſſe. Talem vero peccata expiandi modum, quum nullum, ratione duce, inueniat: profecto ita ſecum neceſſario cogitabit, aut nullam eſſe ex miſeria hac eluctandi rationem, quod cum ſumma Dei bonitate conciliari vix poteſt, aut tutiorem certioremque viam diuinitus eſſe hominibus patefactam, atque hinc dari reuelationem, qua duce ad veram cum Deo coniunctionem poſſit perueniri. Enimuero dum reuelationis in mentem veniet idea, eadem opera agnoſcet, ita eam debere eſſe comparatam, vt omnes, quos in ratione deprehenderat, defectus abunde ſuppleat. Hoc enim niſi praeſtiterit reuelatio, non intelliget, cur data ſit, aut quid vtilitatis miſeris hominibus adferre queat. Oportebit ergo reuelationem, ſi auguſtum hoc nomen tueri velit, docere, quaenam ſit innatae illius labis origo, quae Dei natura ac voluntas, quo pacto peccata expiare liceat, quae ſint animum vere emendandi media, & quae ſunt huius generis alia. Denique ſi omnia inueſtigauerit monimenta, quae diuinae reuelationis titulum prae ſe ferunt: nullum omnino reperiet, cui characteres iſti omnes conueniant, praeter diuinas litteras, quibus Chriſtianorum coetus regitur. Eas itaque ſolas a Deo profectas ſtatuet, eas exoſculabitur vnice, iis ducibus tuta certiſſimaque via ad CHRISTVM, & per eum ad ſummam ſempi-

piternamque felicitatem perueniet. Quae quum ita ſint, (eſt enim hic locus a VINCENTIO PLACCIO (g) & IO. FRANCISCO BVDDEO (h) tam luculenter explicatus, vt pluribus iſti immorari haud opus ſit,) conſequens omnino eſt, vt philoſophiam ducem ad chriſtianam religionem non infidam eſſe cum CLEMENTE fateamur.

§. II.

Philoſophi nonnulli viam hanc aſpernantur. Hinc PHILOSOPHI SEMICHRISTIANI.

Enimuero, quemadmodum eorum, qui ipſa reuelatione diuina vtuntur, non omnes ad Chriſtum perueniunt: ita non mirandum eſt, nec philoſophis omnibus maximam praeſtantiſſimamque iſtam felicitatem contigiſſe. Sane enim quum pauciſſimi philoſophia duce ad Chriſtianam veritatem perducti ſint: longe plures in varia diuerticula delapſi miſere perierunt. Alii quippe philoſophia perperam vſi, in atheiſmum ac Spinoziſmum (i) inciderunt. Alii profanae ſuperſtitioni, tamquam ſcopulis, obfirmato animo adhaeſerunt. Alii denique, agnita quodammodo Chriſtianae religionis praeſtantia, impetrare tamen a ſe haut potuerunt, vt auitae ſuperſtitioni nuncium mitterent, & diuinam, quam admirabantur, religionem amplecterentur. Hi ergo ancipiti animo huc illuc fluctuantes, plura quidem, quae Chriſtus praecipit, mirifice probarunt, nec pauciora tamen faſtidioſe reiecerunt, ſimiles illi AGRIPPAE (k), Iudaeorum Regi, qui, audita Apoſtoli oratione: ἐν ὀλίγῳ, inquit, με πείθεις χριστιανὸν γενέσθαι, *Parum abeſt, quin perſuadeas, vt Chriſtianus fiam.* Et de his quidem philoſophis ἐν ὀλίγῳ chriſtianis commentari nonnulla in praeſenti placuit. Quum enim nihil ſit iſto ſemichriſtianiſmo pernicioſius, ipſeque generis humani Seruator (l) eiuſmodi homines ἐπαμφοτερίζοντας, ac neque calidos, neque frigidos, ex ore ſuo ſe eiecturum, minetur: exiſtimauimus nos operae pretium facturos, ſi Dei optimi maximi freti auxilio de hoc potiſſimum philoſophantium periculo diſſereremus paullo diligentius, ſyrteſque illas oſtenderemus, ad quas tot eruditiſſimi viri triſte feciſſent naufragium. Iam dudum eſt a LIVIO (m) obſeruatum, *eſſe hoc in rerum cognitione praecipue ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta, tamquam in illuſtri poſita monimento, intueri, vt inde tibi, quod imitere, capias; inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites.* Quae ſi vera ſunt, vt

(g) Vincent. Placcius *de praecipuo philoſ. mor. fructu.*

(h) Io. Fr. Budd. *Elem. philoſ. mor.* VI. 54. *ſequ. p.* 191.

(i) Idem *in Diſſ. de Spinoziſmo ante Spinozam.*

(k) Act. XXVI. 28.

(l) Apoc. III. 15. 16.

(m) Liuius *Praefat. Hiſt. p.* 3.

Digitized by Google

vt ſunt certe veriſſima, nec hanc vtilitate carituram exiſtimamus tractationem hiſtoricam, quae alienis exemplis cautiores reddere poterit philoſophos, vt melius ipſi ſuis conſulant rationibus, eaque ſumma cautione defugiant, quae aliis detrimento exitioque fuiſſe deprehenderint.

§. III.

Deſcribuntur hi Philoſophi, & in ſuas claſſes diſpeſcuntur.

Vt ergo ab ouo, quod aiunt ordiamur, vel ex iis, quae paullo ante monuimus, poterit colligi, quid philoſophorum ſemichriſtianorum nomine intellectum velimus. Vocantur ita nobis philoſophi, qui in ipſam religionem tantum ſibi iuris ſtatuerunt, vt ex Chriſtianis doctrinis, non plus quam commodum videretur, decerperent, illudque philoſophiae ſuae miſcerent, atque adeo nouum ſibi ipſi fingerent religionis genus, ex Chriſtianis philoſophiciſque doctrinis conflatum. Horum autem philoſophorum ἐν ὀλίγῳ χριστιανῶν quamuis duo potiſſimum ſint genera, alterum veterum, qui ad paganam fere ſuperſtitionem erant procliuiores, eamque tantum petitis ex ipſo Chriſtianiſmo dogmatibus callide interpolabant; alterum eorum, qui, licet in multis cum paganis facerent, ipſi tamen Chriſtianae religioni plus pretii ſtatuere viderentur: tamen in eo vtriſque conuenit, quod nec in ſolidum eſſent chriſtiani, nec omni ex parte cum philoſophis paganis facerent, ſed ex vtraque diſciplina conflarent tertium neſcio quid, quod ſublimioris philoſophiae ſpecie falleret, & imprudentiores raperet in admirationem.

§. IV.

Cur gentiles philoſophiam doctrinis Chriſtianis interpolarint?

De vtriſque ergo quum nonnulla agere animus ſit, ab antiquioribus merito ordiendum, diſpiciendumque eſt, cur gentiles philoſophiam ſuam doctrinis chriſtianis, tanquam phaleris quibusdam, exornandam putauerint? Circumſpectis vero rebus omnibus, quae huc facere videntur, rationibuſque ſubductis, hanc potiſſimum rei iſtius cauſſam deprehendere nobis videmur. Auctis paullatim chriſtianorum rebus, adeo in omnium oculos incurrere coeperat paganae ſuperſtitionis turpitudo, vt publico riſu exciperentur ſacra, mirifica quondam veneratione celebrata. Sane enim Chriſtiana religio maxima ſubinde capiebat incrementa, per vniuerſum terrarum orbem tam ſubito diffuſa, *vt vrbes, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra, tribus, decurias, palatium, ſenatum, fora denique omnia*, TERTVLLIANO (n) teſte, *impleret*, eccleſiaeque termini breui tempore paene iisdem, quibus orbis terrarum, limi-

(n) Tertull. Apol. *cap. XXXVII. p. 182.*

limitibus finirentur. Accedebat inſignis chriſtianorum pietas caſtiſſimique mores, & cruenta, quae laetiſſimo animo ſubibant, ſupplicia, ex quibus non obſcure intelligi poterat, diuinam vtique ac immotam eſſe religionem, quae nec inter tot acerbiſſimos dolores, diriſſimaque tormenta homines deſtitueret. Obſtupeſcebant ad haec gentiles, & quemadmodum chriſtianorum pietatem ſapientiamque vel inuiti admirabantur: ita ex raro victimarum mercatu patriae ſuperſtitionis ruinas triſti augurio praeuidebant. Quid ergo agerent inter haec homines, rebus ſuis male metuentes? Quid caperent conſilii? Non aliud profecto ſuccurrebat miſeris, quam vt velo honeſtiore palliarent proſtitutam in ludibrium religionem, & ſubreptas e chriſtianorum purpura lacinias ingenioſe illi adſuerent, quo iſto induta habitu, confeſtim alio, multoque honeſtiore ſchemate prodiret, hominumque iudicia ſuſtineret facilius.

§. V.

Quomodo id fecerint? Quum vero tria gentilibus eſſent theologiae genera, NATVRALE, CIVILE & FABVLOSVM (o), quorum hoc in turpiſſimis Deorum facinoribus, monſtroſiſque natalibus enarrandis; illud in conſtituendis ſacris publicis; iſtud in exponenda rerum diuinarum humanarumque natura ac indole verſabatur; harum quidem diſciplinarum nulla fuit, quae non chriſtianorum cauſſa ornamenta quaedam aliena ſibi adſumſerit. Poetarum fabulae, in quibus de Diis ea, quorum vel homines puduiſſet, referuntur, tam callide ea tempeſtate explicari conſueuerant, vt dextras iungere ſapientia ſtultitiaque viderentur. Quod, licet iam olim quidam tentaſſent, maxime Platonici (p), qui omnia ἀλληγορικῶς interpretari ex ſectae formula adſueuerant: nunquam tamen, quam florentibus chriſtianis, hoc ſtudium inter ethnicos viguit vehementius. Sic LIBANIVS, ſophiſta, teſte GREGORIO NAZIANZENO (q), nulla re magis callidiſſimum exercuit ingenium, quam inueniendis allegoriis, quibus chriſtianorum tela eluderet, poetaſque impietatis ſtultitiaeque crimine abſolueret. Idemque poſt haec etiam alii permulti factitarunt, quemadmodum a laudatiſſimo THOMAE STANLEII (r) interprete, in erudita de philoſophia eclectica appendice, praeclare

(o) Auguſtinus *de ciuit. Dei VI.* 5. Lactant. *I.* 12. & 17. Coel. Rhodig. *Antiq. Lect. II.* 12.

(p) *Tales ſunt* Metrodorus *Lampſacenus* & Heraclides *Ponticus*, *quorum meminit* Tatianus *aduerſus Graecos p.* 160. Chaeremon. & Cornutus *apud* Euſebium *Hiſt. eccleſ. V.* 19.

(q) Gregor. Nazianz. *Orat. III.* contra Iulianum.

(r) Appendix *ad* Stanleii *Hiſtor. philoſ. cap. VI. p.* 1221.

re eſt obſeruatum. Nec remiſſiore ſtudio ſacrificuli turpiſſima ſacra ſua tum emendabant. Ea enim tam ingenioſe ad Chriſtianorum rituum ſimilitudinem componebantur, vt ſpeciem myſteriorum admodum inſignium prae ſe ferrent. De qua gentilium aemulatione ſatis luculenter teſtatur antiquum marmor, in quo abominanda Taurobolii & Criobolii myſteria ita deſcribuntur (s):

DIS. MAGNIS.
MATRI. DEVM. ET. ATTIDI. SEXTILIVS.
AGESILAVS.
AEDISIVS. V. C. CAVSARVM. NON. IGNOBILIS.
AFRICANI. TRIBVNALIS. ORATOR.
TAVROBOLIO.
CRIOBOLIOQVE. IN. AETERNVM. RENATVS.
ARAM. SACRAVIT. D. D. NN. VALENTE. V.
ET. VALENTINIANO. IVNIOR. AVGG. COSS.

Quis vero non animaduertit, profanos iſtos ritus ita hic exornari, vt baptiſmo aliquatenus comparari poſſent? Tam ſublime enim profecto eſt regenerationis myſterium, tamque humanae rationi abſtruſum, vt ipſe NICODEMVS (t), in ſacris litteris verſatiſſimus, coecutiat ad illud, & audito tantum nomine, rem *ἐν τοῖς ἀδυνάτοις* habeat. Quomodo ergo profana ſacrificulorum diſciplina tantum myſterium inculcare potuiſſet, niſi Chriſtianis vocabulum, eorum religioni proprium, eſſent ſuffurati? Ab his videlicet quum frequentius regenerationem quamdam nominari obſeruaſſent, ipſi eamdem regenerandi virtutem, quam hi baptiſmo tribuebant, Taurobolio ſuo conabantur vindicare, ne, myſteria ſua Chriſtianorum ſacris vlla in re deteriora eſſe, fateri cogerentur. Incredibile hoc poterat videri, niſi & aliis teſtimoniis res extra omnem dubitationis aleam poneretur. Exſtat enim IVLIANI Imperatoris inſignis epiſtola (u), in qua, poſtquam ſacrificulis multas leges praeſcripſit, non diſſimulat, iſta omnia ſe, Chriſti morum aemulatione incenſum, imperare. *Si enim,* inquit, *ſacerdotes noſtri in elargiendis beneficiis ſegniores fuerint: praebebunt Galilaeis materiam, liberalitate ſua & beneficentia factionem ſuam ſtabiliendi, & honeſtos Deorum cultores calumniandi.* Eamdem rem agit in alia ad Arſacium,

(s) Salmaſius *ad* Lamprid. *Elagab. cap. VII. p.* 180. Rigaltius *ad* Cyprian. *p.* 233.

(t) Io. III. 4. 9.

(u) Iulian. *Fragm. Epiſt. p.* 305. *Operum.*

ſacium, Galatiae Pontificem, epiſtola, in qua grauiter hortatur hunc flaminem, vt ſacrificulos, ad cleri Chriſtiani inſtituta, mores, hoſpitalitatem ac diſciplinam inſtituat. At quo conſilio (x)? *Cur enim*, inquit, *hanc ſacrorum mutationem ſufficere poſſe credimus, neque ad ea reſpicimus, quibus impia Galilaeorum religio creuerit: id eſt, ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuorum ſepultura poſitam, & ad ſanctimoniam vitae, quam ſimulant? Quorum ſingula a nobis vere exſequenda eſſe cenſeo.* Referendum etiam huc eſt ALEXANDRI SEVERI (y), principis ſemichriſtiani, inſtitutum, qui non modo Chriſtum in larario ſuo vna cum heroibus paganorum coluit, ſed & tanti aeſtimauit ſacros chriſtianorum ritus, vt eos ad ipſam rempublicam transferret, & magiſtratus ſurrogandos illorum exemplo publice proponeret, & hortaretur populum, ſi quis quid haberet criminis, vt manifeſtis rebus probaret. Quin dudum obſeruatum eſt eruditis, nunquam philoſophos de precibus, de hymnis Deo canendis, aliiſque eiuſmodi cultus diuini partibus ſtudioſius egiſſe, quam ex quo chriſtiani iis exemplo ſuo praeiuerint. Ex quibus ſatis adparet, gentiles etiam ſacrorum ſuorum rationem, quoad eius fieri poterat, ad Chriſtianorum exemplum compoſuiſſe. Ad naturalem denique theologiam quod attinet, expoliendam ſibi illam ſumſerunt philoſophi, maxime illi, qui in nullius verba magiſtri iurantes, eclecticum quoddam philoſophandi genus ſequebantur. Quemadmodum enim hi non dubitabant ex ipſis Chaldaeorum, Aegyptiorum, Phoenicum monimentis nonnulla in rem ſuam vertere: ita & eccleſiae theſauris inhiarunt, plura, quae praeclare a Chriſtianis de rebus diuinis & moralibus tradebantur, impudentiſſimo conatu ſurripientes, lucemque ita miſcentes tenebris, vt difficillimum ſubinde ſit, ea, quae rationis ductu cognouerant, a Chriſtianorum ſpoliis diſcernere. Et haec quidem eſt philoſophorum ἐν ὀλίγῳ Chriſtianorum origo, haec occaſio, qua in lucem prodire coeperunt. Ex eo enim tempore vix vllus eſt doctorum gentilium κατ᾽ ἐκλογὴν philoſophantium, cuius in operibus non aliqua ſaltim occurrant iſtius ſemichriſtianiſmi veſtigia.

§. VI.

Probatur haec interpolatio teſtimoniis Patrum.

Animaduerterunt hanc philoſophorum rapinam iam olim viri eruditiſſimi, qui veluti condictionem rei furtiuae contra illos paſſim

(x) Idem *Epiſt. XLIX. p. 429. ſequ. &* ex ea Sozom. *Hiſt. eccleſ. V. 16.*

(y) Lamprid. *in vita Alexandr. cap. XLIII. & XLIX.*

ſim inſtituerunt. EVSEBIVS (z), in veterum philoſophorum lectione verſatiſſimus, de AMELIO refert, eum diui Ioannis expilaſſe euangelium, eumque non ſine laude citaſſe. De PLVTARCHO & PLOTINO idem teſtatur THEODORITVS (a). Et quamuis, quod ad Plutarchum attinet, ratio eum fugiat: de Plotino tamen res magis videtur dubio carere. Praeterea etiam PROCLO eamdem dicam ſcribit COSMAS INDICOPLEVSTES (b), ſexti ſaeculi ſcriptor chriſtianus, qui de eo diſerte: οὗτος, inquit, τὰ ὅμοια ἡμῖν λέγει, μεταπλάσας τὸν λόγον. *Ipſe quoque noſtris ſimilia profert, mutato ſolum in aliam formam ſermone.* Denique & de aliis ſuae aetatis philoſophis BASILIVS (c) idem adfirmare non dubitat, dum ſcribit: *Haec*, (quae paullo ante ex Ioannis euangelio adduxerat,) *ego noui multos, etiam extra veritatis rationem mundana ſapientia praeditos, iactantes & admirantes ſuis decretis & ſcriptis miſcere auſos eſſe.* Κλέπτης γὰρ ὁ διάβολος, καὶ τὰ ἡμέτερα ἐκφερομυθῶν πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ ὑποφήτας. *Fur enim eſt diabolus, qui, noſtra quae ſunt, extra ad ſuos fert interpretes.* Nihil eo loco planius, nihil euidentius. Non enim loquitur de λόγῳ Platonicorum, quaſi ex ea doctrina falſo collegerit BASILIVS, philoſophos Ioannem expilaſſe: ſed de ipſis Ioannis verbis, in opere eorum non vno adductis, ex iisque recte infert id, quod nos demonſtrandum hic ſuſcepimus, philoſophos etiam gentiles chriſtianae religionis praeſtantiam tam compertam habuiſſe, vt ſubreptas illi purpuras pannis ſuis adſuere non dubitarint.

§. VII.

Nec non recentiorum, velut i Io. OWENI.

Neque noſtra aetate defuerunt viri accurate docti, qui collatis inter ſe veterum iuniorumque ſcriptis, horum plagia ſagaci ingenio deprehenderunt. IOANNES enim OWENVS (d), qui primus mihi nunc in manum incidit, in eruditiſſimo opere, quod Θεολογούμενα inſcripſit, vltimum iſtum ruentis gentiliſmi conatum diligentiſſime deſcribit, obſeruatque, diabolum, praeuiſa antiquae ſuperſtitionis ruina, ne in extremo actu ſibi deeſſet, religionem, in qua ipſe vnus omnia fuerat, varie inſtauraſſe, & nouas ei vires, nouum ſplendorem addere pro virili tentaſſe. Quum vero duae potiſſimum fuerint gentiliſmi partes, vna, quae in variis de Deo rebuſque diuinis opinionibus, altera, quae in profano deorum cul-

(z) Euſebius *Praep. Euang. XI.* 10.

(a) Theodoritus *Therapeut. II. p.* 33.

(b) Coſmas Indicopleuſt. *Chriſtian. Opin. de mundo XII. p.* 341. *in* Bernardi Montfaucon *Collect. noua PP. Tom. II.*

(c) Baſilius *Homil. XVI. in princ.* Ioan.

(d) Io. Oweni *Theologumena l.* 9. *p.* 126. *& III.* 6. *p.* 211.

tu verſaretur, in eo elaboraſſe veteratorem, vt viros doctiſſimos excitaret, qui, ſalua ἀνθρωπολατρείᾳ ſua, & opiniones de Deo ſobrias magis, ac ſublimiores excogitarent, & cultus ſuperſtitioſi rationes minus, quam antea, ridiculas ac ineptas praeſcriberent, & eas veluti fuco delinerent. In prima operis parte AMELIVM, EVMENIVM, PLOTINVM, PROCLVM, HIEROCLEM, CELSVM: in poſteriore APOLLONIVM TYANEVM, PORPHYRIVM, IAMBLICHVM, & IVLIANVM ſedulo elaboraſſe. Quae vbi fuſius doctiſſimus autor expoſuit, ita pergit: *Hoc autem conatu illos eius veritatis, quam odio habuerant, beneficio, quae iam ſui radios in hominum mentes immiſerat, vſos eſſe, certiſſimum eſt.* Quin generatim denique pronunciat, *primis eccleſiae temporibus totam philoſophandi rationem ex chriſtianiſmo eſſe innouatam.*

§. VIII.

LVCAE HOLSTENII,

Eumdem locum cum cura tractauit LVCAS HOLSTENIVS (e), quo nemo in ſcriptis iuniorum PLATONICORVM fuit verſatior. Poſtquam enim de PLOTINI ac PORPHYRII doctrina atque vniuerſa philoſophandi ratione prolixius diſſeruit: ſubductis rationibus omnibus, quae huc facere videbantur, hanc facit cogitationum ſuarum ſummam (f): *Non poſſum, quin praeſtantiſſimorum ingeniorum ſortem miſerear, quae in ea tempora inciderunt, quum religio Chriſtiana nouam ac inſuetam mortalium animis lucem extolleret,* NVMENII, *inquam,* PLOTINI, PORPHYRII, AMELII, HIEROCLIS, *qui quum diuinae veritatis guſtum ex ſacris litteris & naſcentis eccleſiae doctoribus, aut chriſtianorum doctorum ore percepiſſent, puriſſimos veritatis riuulos in Pythagorae & Platonis deriuarunt lacunas, & igniculos diuinae lucis mendaciorum fumo & tenebris obſcurarunt.* Idem vir clariſſimus (g) paullo poſt obſeruat, *in poſteriorum Platonicorum ſcriptis, praeſertim* PLOTINI, IAMBLICHI, & PROCLI, *multa paſſim reperiri, quae non ex obuiis & communibus religionis noſtrae dogmatibus, ſed ex intimis & reconditiſſimis myſticae theologiae penetralibus videantur depromta, neque obiter tantum ſtrictimque verbis adumbrata, ſed proprio ac efficaciſſimo orationis genere adeo luculenter ab iis expreſſa, vt magnis ingeniis materiam dubitandi non leuem reliquerint, alios in eum impulerint errorem, vt quae apud vetuſtiſſimos eccleſiae ſcriptores diuina prorſus in hoc genere, exſtant, ea inuerſo*

(e) Lucas Holſtenius *de vita & ſcriptis Porphyrii cap. VI. p.* 24.
(f) Idem *l. c. p.* 28.
(g) *Vid. Petauii Dogm. theolog. IV.* 10. *de Deo.* Thomae Gale *adnot. ad* Iambl. de myſter. Aegyptiorum *p.* 288. Io. Albert. Fabric. *Proleg.* ad Marini *vitam Procli.*

Digitized by Google

inuerſo ordine a Platonicis illis mutuata, & velut Aegyptiorum ſpolia in pios vſus conuerſa, adfirmarint, atque iſto etiam argumento praeſtantiſſimorum operum fidem auctoritatemque conuellere voluerint. Haec HOLSTENIVS, qui his verbis non obſcure eos notare videtur, qui DIONYSIVM AREOPAGITAM Platonica quaedam in theologiam myſticam tranſtuliſſe arbitrantur. Ipſe enim contra ea exiſtimat, Platonicos potius myſticorum ſcrinia expilaſſe. Quod etiam de Proclo teſtatur SVIDAS (h), dum ait: ἰστέον, ὥς τινες τῶν ἔξω σοφῶν, καὶ μάλιστα Πρόκλος, θεωρήμασι πολλάκις τοῦ μακαρίου Διονυσίου κέχρηνται, καὶ αὐταῖς ταῖς ξηραῖς λέξεσι. *Sciendum autem eſt, quoſdam ex profanis ſapientibus, praecipue vero Proclum, ſaepe theorematis beati Dionyſii, & interdum nudis eius verbis, vſos eſſe.* Sed quocumque modo ſe res habeat, (nolumus enim iam hac de re cum quoquam litigare) id ſaltim certum eſt, philoſophos iſtos, de quibus HOLSTENIVS agit, multa, ſi non e Dionyſio aliiſque myſticis, at certe ex aliis doctorum chriſtianorum operibus, in rem ſuam vertiſſe.

§. IX.

Non magis haec philoſophorum aemulatio fugit ſagacitatem il- HVETII,
luſtriſſimi epiſcopi Sueſſionenſis. P. D. HVETII (i), qui vbi Iambli- CAVEI,
chi de myſteriis Aegyptiorum ſacerrimum opus citat, in eo paſſim WITSII,
dicit micare lucidiſſimae veritatis ſcintillas, & ſtricturas quaſdam OLEARII.
chriſtianiſmi. Cuius rei redditurus rationem; *Ex quo enim*, inquit, *fulgere coeperat Chriſti philoſophia, iam inde etiam ethnicam philoſophiam lucis ſuae radiis late perfudit, idque cum in Procli, Porphyrii, aliorumque ſcriptionibus perſpicitur, tum maxime in eo, quem commemorauimus, Iamblichi libro.* Cui Huetii teſtimonio facile addere liceret alia, veluti GVILIELMI CAVEI (k), & HERMANNI WITSII (l), niſi nos iam dudum ad ſe vocaret laudatiſſimus THOMAE STANLEII interpres (m), qui in ſaepius laudata hiſtoriae philoſophicae appendice, rem omnem, vt ſolet, accurate expediuit. Etenim in politiſſima iſta diatribe ſingulari capite expendit, *quam multa eclectici pagani ex Chriſtianis ſacris in ſua ſcripta deriuarint; & qua de cauſſa?* Reſpondet vir doctiſſimus, iam inde ab Ammonii Saccae temporibus, qui Chriſtianis ſacris initiatus fuerit,

 multa

(h) Suidas *voce* Διονύσιος *Tom. I. edit. Lud. Kuſteri.*

(i) Huetii *Demonſtr. Euang. Prop. IV. p.* 23.

(k) Guilielm. Caue *Chriſtianiſm. Primitiu. l. 3. p.* 64.

(l) Herman. Witſ. *Exercit. Dodec. IV.* 13. *p.* 176.

(m) *Append. ad* Th. Stanl. *Hiſt. philoſ. cap. VII. p.* 1121.

multa ex diſciplina chriſtianorum eclecticos philoſophos reliquis ſapientiae ſuae placitis attexuiſſe, atque hinc nugari eos, qui, quas in horum philoſophorum ſcriptis inueniant, praeclaras doctrinas de morte philoſophica, corporiſque & ſenſuum fuga, de cura animi item & de mentis cultu ex eorum ingenio profecta, a chriſtianis vero in vſus ſuos verſa eſſe exiſtiment. Certum enim hoc eſſe, ipſius ſcripturae φράσιν adeo exacte referre pleraque illa, quae de talibus philoſophi illi habeant, vt ex illis fontibus deriuata ea eſſe, dubitari vix poſſit. Obſeruat porro, id omne ab iis aemulatione religionis chriſtianae factum, ne quidquam ſcilicet deeſſe philoſophiae videretur eorum, quibus illa ſeſe maxime hominum animis commendare deprehenderetur. Nam ab indoctiſſimis quoque hominibus eam in chriſtiana religione doctrinae morumque probitatem deprehenſam eſſe, atque innocentiam, vt non potuerit non animos eorum ducere, atque conuincere conſcientias. Addit praeterea, non alios facile in ornanda ſpoliis huiuſmodi philoſophia diligentiores ſe praeſtitiſſe, quam qui infenſiſſimo fuerint aduerſus Chriſtianos animo. IVLIANVM enim, PORPHYRIVM & PROCLVM, quos peculiaribus ſcriptis chriſtianiſmum impugnaſſe conſtat, diligentiſſimos fuiſſe in imitanda doctrina morum, inſtitutiſque chriſtianorum. Quae & aliis quibuſdam ſpeciminibus demonſtrat, ob praemiſſae breuitatis fidem hic omnino praetermittendis.

§. X.

Ipſorum denique gentilium.

Minimum fortaſſe momentum domeſtica haec teſtimonia ad rem adferre videbuntur. Quum enim nihil contingat frequentius, quam vt adfectus migrent in calamum, & ad id credendum ſit quiſque procliuior, quod ſuae, quam profitetur, religioni honorificum eſſe exiſtimauerit: vereri quis poſſet, ne & hi, quos recenſuimus, humani quid paſſi ſint, iſtaque omnia non tam veritate, quam religionis ſtudio adducti, ſcripſerint. Enimuero, quo minus haec in eos cadat ſuſpicio, ipſi prohibent gentiles philoſophi, qui, vt ſollemne eſt furibus, ſuas ſociorumque rapinas turpiter prodiderunt. PROCLVS (n) enim, qui reliquis plagiariis vult videri ingenioſior, laudatis quibuſdam, quae de archangelis diſſeruerat PORPHYRIVS, caute admodum monet, nouum hoc philoſophandi genus a IAMBLICHO eſſe reprehenſum, ideo, quod PLATO archangelorum nuſquam meminerit, quibus addit PROCLVS:

οὐδὲ

(n) *Proclus in Timaeum I. p.* 41.

οὐδὲ φιλόσοφος ὁ τρόπος οὗτος τῆς θεωρίας ἀλλὰ βαρβαρικῆς ἀλαζονείας μεστός. *Neque philoſophicus hic ſpeculandi modus, ſed barbaricae oſtentationis plenus.* Quibus verbis quid innuat, non adeo obſcurum eſt illis, qui IOANNEM Euangeliſtam ab AMELIO βάρβαρον (o), ipſumque diſciplinae Chriſtianae inſtitutum a PORPHYRIO (p) βάρβαρον τόλμημα. a IVLIANO (q) denique βαρβαρικὴν ἀλαζονείαν frequenter adpellatum, meminerint. Sed quid opus eſt, inquit, ad chriſtianos confugere: quum archangelorum iam multo ante PORPHYRIVM ZOROASTRIS oracula & ORPHEVS meminerint? An non ab his potius, quam a Chriſtianis, mutuam hanc doctrinam acceperit PORPHYRIVS? Annon probabilius eſt, PROCLVM Chaldaeorum potius & Orphei dogmata τῆς βαρβαρικῆς ἀλαζονείας nomine notaſſe, quam Chriſtianorum? Sed ſunt fortaſſis, quae his reponamus. Fateor equidem, multos in ZOROASTRIS oraculis angelos quaerere & archangelos. Quemadmodum & THOMAS GALE (r), diſquirens in eruditis ad IAMBLICHVM adnotationibus, vnde archangelorum doctrinam Porphyrius acceperit? reſpondet, plures eſſe vias, quibus ad eius notitiam potuerit peruenire. Praeter libros enim Iudaeorum, Chriſtianorum & Gnoſticorum apocryphos, etiam ZOROASTRIS exſtitiſſe oracula, e quibus de archangelis quaedam haurire potuerit. Sed in iis, quae exſtant, oraculis neque archangelorum neque angelorum vlla fit mentio. Adſcribunt equidem Chaldaeis hanc doctrinam PSELLVS, DAMASCIVS, & alii (s): ſed qua fide, ipſi viderint. Mihi ſane omnia, quae de ZOROASTRIS & Chaldaeorum doctrinis vulgo referuntur, talia videntur, vt iis vix tuto innitaris. Quamuis enim non negem, ineſſe iis nonnulla vere Chaldaica, res ipſa tamen docet, adeo illa alienis Platonicorum & Iudaeorum doctrinis eſſe interpolata, vt genuina a ſpuriis aegre diſcernere liceat. Idemque ſentiendum videtur de ORPHEO (t), cuius hi verſus circumferuntur:

> Σῷ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παρεστᾶσιν πολύμοχθοι
> Ἄγγελοι, οἷσι μέμηλε, βροτοῖς ὡς πάντα τελεῖται.
>
> *Candentique tuae ſedi permulta laborans*
> *Adſtant angelicus populus, queis maxima cura*
> *Mandata eſt hominum.*

(o) Euſebius *Praep. Ecc.* XI. 19. p. 540.

(p) Idem *Hiſt. eccleſ.* VI. 19.

(q) Iulianus *Epiſt.* LXIII. p. 454.

(r) Thom. Gale *ad Iamblich.* p. 206.

(s) Thom. Gale *l. c.* Thom. Stanleii *Hiſt. Philoſ. Chald.* l. 2. 9.

(t) Orpheus *ap.* Clem. Alex. *Strom.* V. p. 608.

Quis enim eos genuinos praeſtiterit in tanta carminum Orpheo ſuppoſitorum turba? Quare id veroſimillimum videtur, quod LVCAE HOLSTENIO (u) viſum eſt, hanc de angelis doctrinam Porphyrium accepiſſe a chriſtianis, hoſque ipſos eſſe, quos barbarorum nomine PROCLVS traducat. Adiungimus vero PROCLO IVLIANVM, τὸν παραβάτην, qui, quum ad paganorum defeciſſet ſuperſtitionem, nihil reliqui fecit, vt, quantum in ſe eſſet, abſurdiſſimae religionis maculas elueret. Hinc non ipſe tantum cautius ſublimiusque philoſophari coepit, verum etiam reliquos paganos, in primis ſacerdotes, ad emendatiorem illam & ſemichriſtianam philoſophandi methodum eſt cohortatus. Ad ſacrorum enim antiſtites inter alia & haec ſcribit (x): Προσεκτέον μὲν οὔτε πᾶσιν, οὔτε τοῖς πάντων δόγμασιν· ἀλλὰ ἐκείνοις μόνον καὶ ἐκείνων, ὅσα εὐσεβείας ἐστὶ ποιητικά· καὶ διδάσκει περὶ θεῶν, πρῶτον μὲν, ὡς εἰσὶν, εἶτα ὡς προνοοῦσι τῶν τῇδε, καὶ ὡς ἐργάζονται μὲν οὐδὲ ἓν κακὸν, οὐδὲ ἄλλους φθονοῦντες καὶ βασκαίνοντες, καὶ πολεμοῦντες. *Non omnibus aut omnium dogmatibus, auſcultandum, ſed illis, & eorum decretis duntaxat, quae pietatem animis iniicere poſſunt, deque Diis ita docent: primum aliquos eſſe, deinde infimarum rerum penes illos eſſe curam, ad haec nihil ipſos mali, neque hominibus, neque ceteris inferre, liuore, inuidia aut mutuis inter ſe proeliis exercitos.* Quorſum autem haec ſpectent, facile coniiciet, quicunque ea, quae ſtatim ſequuntur, verba expenderit: ὁποῖα γράφοντες μὲν οἱ παρ' ἡμῖν ποιηταὶ καταφρονήθησαν· οἱ δὲ Ἰουδαίων προφῆται διατεταγμένως συγκατασκευάζοντες ὑπὸ τῶν ἀθλίων, τῶν προσνεμάντων ἑαυτοὺς τοῖς Γαλιλαίοις θαυμάζονται. *Huiuſmodi* (de deorum inuidia & contentionibus) *quum Poetae noſtri ſcriptis prodidiſſent, contemtui habiti ſunt, at vero Iudaeorum prophetae, quum illa pro certis & conſtitutis adſtruerent, apud infelices illos, qui ſe ad Galilaeorum coetum adplicarunt, in admiratione verſantur.* Quid aliud ergo intendit IVLIANVS, quam vt gentiles chriſtianorum aemulatione accendat, horteturque ad philoſophiam illam ſemichriſtianam, maiore, quam adhuc feciſſent, cura excolendam? Id vnum ſcilicet reliquum videbatur IVLIANO, turpi ad gentiliſmum defectione omnium reprehenſionem incurrenti, vt ſtrumam, quod eſt in prouerbio, dibapho tegeret, quo emendata quodammodo ad Chriſtanorum exemplum philoſophia, paullo minus inſanire videretur.

§. XI.

(u) Holſtenius *de vita & ſcriptis Porphyrii cap. VI. pag. 27. ſequ.*

(x) Iulian. *Fragm. Epiſt. p. 300. ſeqq.*

§. XI.

Enimuero diſpiciendum porro eſt, quibus demum viis philoſophi iſti ad chriſtianae veritatis theſauros penetrarint. Notum enim eſt, iam inde a ſaeculo tertio Chriſtianos myſteria ſua habuiſſe ſecretiſſima, & ne catechumenis quidem, nedum paganis, illa facile enunciaſſe (y). Quomodo factum eſt igitur, vt ad ipſos paganos eorum notitia peruenerit? Sed cogitanti mihi ea de re, & recentior videtur illa, quam iactant, diſciplina arcani, & tres occurrunt viae, gentilibus philoſophis expeditiſſimae. Alii enim ex ſacrarum litterarum eccleſiaeque doctorum lectione, alii ex quotidiana Chriſtianorum conſuetudine, alii in eorundem ſcholis profecere. Librorum ſacrorum lectioni operam dediſſe iuniores philoſophos, ex iiſque, quantum eorum rationes tulerunt, in rem ſuam vertiſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Quamuis enim haec oracula criminoſiſſime inſectarentur, eorumque θεοπνευστίαν data opera impugnarent; non puduit tamen homines impios, ea, quae ſublimiora ipſis videbantur, operibus ſuis intexere, hiſque alienis plumis ſe efferre. Inter hos merito referimus NVMENIVM, quem ORIGENES (z) ait multa ſuis inſeruiſſe commentariis *depromta e Moſis & Prophetarum libris, & tractata per veriſimilem tropologiam.* Quae ne quis paullo iactantius ab Origene dicta exiſtimet: ſpeciem huius rei nobis ſuppeditant PORPHYRIVS (a) & EVSEBIVS (b), qui verba Moſis: ἐπιφέρεται ἐπάνω τοῦ ὕδατος θεοῦ πνεῦμα (c) a Numenio adducta explicataque teſtantur. Quin immo non ſolum veteris teſtamenti ſcrinia expilauit, quemadmodum ab Origene obſeruatum eſt, ſed & in libro tertio περὶ τ' ἀγαθοῦ narrauit quamdam hiſtoriam de IESV, non addito nomine, ſed narratione in tropologiam conuerſa (d). Porro NVMENIVM in iſthoc inſtituto ſequuti ſunt alii, maxime AMELIVS, qui, EVSEBIO (e) teſte, laudato principio euangelii IOANNIS, per Iouem iurauit, quod barbarus ille, (ſic vocat Ioannem,) recte ſapienterque de λόγῳ diſſeruerit. Quo loco non poſſum non monere, Platonicos iuniores, quum in magiſtri ſui ſcriptis de λόγῳ quodam multa dici deprehendiſſent, maximopere ſuſpexiſſe diuinum illud euangelii Ioannis principium, exiſtimantes videlicet, illam

Viae quibus philoſophi gentiles ad Chriſtianae religionis notitiam peruenere.

(y) Gebh. Theod. Meyer *de recondita veter. Eccleſ. Theologia* §. *XVI. p.* 18. Guil. Erneſt. Tenzel *de diſcipl. arcani.*

(z) Origen. *adu. Celſ. IV. p.* 198. *& I. p.* 13.

(a) Porphyr. *de antro p.* 256.

(b) Euſeb. *Praep. Euang. X.* 17. *XI.* 9. 18.

(c) Gen. I. 2.

(d) Origen. *adu. Celſ. IV. p.* 198.

(e) Euſeb. *ibid. XI.* 19. *p.* 540.

illam PLATONIS περὶ τοῦ λόγου doctrinam, tanti tamque inter chriſtianos honorati viri teſtimonio non leuiter ſtabiliri. In quo quamuis valde eos fugiat ratio, quum IOANNIS euangeliſtae Platoniſque diſſenſus a viris eruditiſſimis contra IO. CLERICVM (f) luculenter admodum demonſtratus ſit (g): Platonicis tamen id adeo non potuit perſuaderi, vt prima illa IOANNIS commata, quum cetera chriſtianorum omnia contemtui haberent, ampliſſimis ſemper laudibus efferrent. Hinc e SIMPLICIO, Mediolanenſium epiſcopo, ſaepiuſcule ſe audiuiſſe ait AVGVSTINVS (h), quemdam ex Platonicis dixiſſe, *aureis litteris deſcribendum eſſe euangelii Ioannis initium, & in conſpicuis eccleſiarum omnium locis proponendum.* Omittimus iam, quae de PLVTARCHO & PLOTINO obſeruare ſibi viſus eſt THEODORITVS (i). Omittimus, quae de CELSO, PORPHYRIO, IVLIANO, & CHALCIDIO dici poterant, quorum vel opera & fragmenta, quam adſidui fuerint in euoluenda ſacra ſcriptura, legendiſque chriſtianorum libris, perſpicue docent. Quis vero viros tam prudentes atque eruditos a diuini verbi lectione plane inanes rediiſſe credat? quis dubitet, quin etiam aliud agentibus plura in eo occurrerint, quae animos, quantumlibet a CHRISTO alienos, in admirationem raperent? Vnde adeo non mirum eſt, philoſophos hos ex ſcripturis ſublimius philoſophari didiciſſe, vt mirandum potius eſſet, niſi vani hi ſapientiae diuinioris oſtentatores ſpoliis quibuſdam, ex diuino codice ſurreptis, φλυαρίας ſuas exornaſſent.

§. XII.

Frequens cum Chriſtianis conſuetudo.

Alteram viam, qua philoſophi pagani ad ſublimiorem quamdam ſapientiam notitiamque chriſtianae religionis peruenerunt, muniuit illis perpetua chriſtianorum conſuetudo, quae iis vel nihil tale cogitantibus profuit, dum tot laudandis chriſtianorum exemplis quotidie excitabantur. Magna nimirum exemplorum etiam apud malos vis eſt, & quemadmodum, qui in ſole ambulant, etiamſi id non agant vt colorentur, colorantur tamen: ita fieri vix poteſt, quin is, qui cum ſapientibus vitaeque emendatae viris quotidie verſatur, aliquam, ſi non ſapientiam ac probitatem, at certe illarum ſpeciem induat. Iam conſideret mihi quiſquam illorum temporum conditionem, ſecumque cogitet, annon oportuerit

(f) Io. Clerici *Animadu. ad XVIII. prima commata cap. I. Ioannis & Ep. Critic. IV. p.* 247.

(g) Hermann. Witſii *diſſ. de λόγῳ in dodec. Exercit. Hiſt. theolog.*

(h) Auguſt. *de Ciuit. Dei. X.* 28.

(i) Theodorit. *Therapeut. II. p.* 32.

tuerit philoſophos ad aemulationem accendi. Omnes ciuitates tum impleuerant chriſtiani, veram illam animique formatricem ſapientiam profeſſi. Eorum non modo doctores & antiſtites, ſed & mulierculae & ſeruuli, a lacu & furno redeuntes, & ſublimius reuerentiuſque de rebus diuinis diſſerebant, & plus verae ſapientiae exprimebant viuendo, quam philoſophi vniuerſi integris voluminibus tradiderant (k). At qui eodem tempore florebant philoſophi, dici non poteſt, quam anilem ac inſipidam ſectati ſint philoſophandi rationem, priuſquam ſublimioris cuiusdam ſapientiae gemmas furtim chriſtianis ſurriperent. Alii, vt LVCIANVS (l) ait, ἀρετήν τινα καὶ ἀσώματα καὶ λήρους magno ſtrepitu iactare: alii vulgaria quaedam viuendi praecepta miro ſupercilio inculcare, ipſi caeteroquin ab emendata vita remotiſſimi: quidam diſputando cum vitiis bellum gerere, & glorioſum ſibi ducere, ſi paullo loquaciores & in vibrandis excipiendiſque quaeſtiunculis eſſent exercitatiores. Denique omnes, qui tum ſapientiam nomine pallioque praeferebant, philoſophiam in populare conuerterant artificium, verborum inanium fumum aere vendentes, quales ἐπὶ μισθῷ φιλοσοφοῦντας καὶ τὴν ἀρετὴν ὤνιον ὥσπερ ἐξ ἀγορᾶς προτιθέντας, *pro mercede philoſophantes, & virtutem veluti venum in foro exponentes*, non ſine ſale exagitat LVCIANVS (ll). Quid agerent igitur excitatiora ingenia, quae in tanto ſtultorum prouentu ſubinde naſcebantur? A Chriſto & vera, quam euangelium exigit, fide penitus abhorrebant. Ex chriſtianis in quotidianis congreſſibus multa audiebant de DEO, eiuſque natura & operibus, multa de ſpiritibus bonis & malis, de rerum origine, de hominis naturali corruptione, de purgatione animi & vera virtute, de caſto Dei cultu, aliiſque huius generis doctrinis, quae vel inuiti cogebantur admirari. Nec ferre profecto poterant aequo animo, ſapientiſſimos quoſque gentilium, a chriſtianorum mulierculis & ancillis ſapientia & pietate ſuperari. Quid conſilii itaque erat reliquum, quam vt chriſtianorum dogmata, quantum ſalua religione fieri poterat, ſua facerent, iiſque ſpoliis exornarent philoſophiam, publico riſui adhuc expoſitam, ipſiſque gentilibus, ſine his tegumentis, dedecori futuram?

§. XIII.

Frequentatio ſcholarum chriſtianarum.

Enimuero ex ipſis denique chriſtianorum ſcholis lumen haut minimum philoſophiae gentilium effulſit. Eas enim & ab ipſis pagano-

(k) Athenagoras *Apolog. p.* 39. & *ibi Rechenbergii Adnotat.*

(l) Lucianus in *Timone p.* 97. *Tom. I.*

(ll) Lucian. in *Nigrino p.* 49. *T. I.*

ganorum philoſophis eſſe frequentatas, exemplis conſtat quam pluximis. Mirum quidem hoc videri poterat, vel eo nomine, quod pagani odio plus quam Vatiniano Chriſtianos proſequebantur. Vnde facile quis poſſet colligere, quoſuis potius, quam chriſtianos doctores, ab iis eſſe auditos. Sed nota eſt curioſitatis indoles, quae reliquos adfectus haut raro ſupprimit, ipſumque odium aut exſtinguit aut ſuſpendit. Sane ipſorum Imperatorum & Auguſtarum nonnullos a chriſtianorum inſtitutione non prorſus abhorruiſſe, legimus. De Seuero enim Imp. a TERTVLLIANO (m) memoriae proditum eſt, quod in palatio habuerit PROCVLVM quemdam chriſtianum, qui Torpacion ſit cognominatus, quique Imperatorem aliquando oleo curauerit, ipſumque eius filium Antonium Caracallam lacte chriſtiano educauerit. Idem de Iulia Mammaea, Alexandri Seueri matre, eſt certiſſimum (n), quippe quae Antiochiam acciuit ORIGENEM, ut ex eius praeceptis ſermonibuſque proficeret, & chriſtianam perdiſceret doctrinam. Haec ſi ipſi Imperatores & Auguſtae fecerunt, qui, quantum nobis conſtat, antiquae ſuperſtitioni, tamquam ſcopulis adhaeſerunt: cur dubitaſſent, quaeſo, tenuioris conditionis homines, chriſtianorum ſcholis intereſſe? Sed quid opus eſt verbis, vbi res ipſa loquitur? Nota eſt ſchola chriſtianorum Alexandrina, ex qua tamquam ex equo Troiano lectiſſima ſemper ingenia prodierunt. Iam inde enim a prima chriſtianorum aetate eam illuminarunt doctores celeberrimi, CLEMENS, PANTAENVS, AMMONIVS, ORIGENES, HERACLAS, PIERIVS, SERAPION (o), DIDYMVS, RHODON, & alii quam plurimi: quorum inſtitutum licet ad τὴν τῶν ἱερῶν λόγων διδασκαλίαν potiſſimum ſpectarit, eoque factum ſit, vt κατηχήσεων magiſtri vocarentur: philoſophiam tamen eadem opera profeſſi ſunt, omniaque, quae in gentilium operibus reperiebantur, in ſuos ſelegerunt vſus, non quod chriſtianae religioni his phaleris opus eſſe exiſtimarent, ſed quia haec non incommoda videbatur gentiles ad ſe alliciendi occaſio. Et ſane non infeliciter ipſis ceſſit hoc conſilium. Quamuis enim fatendum ſit, patres Alexandrinos inquinatioris philoſophiae decreta nonnunquam eſſe amplexos, & dum neſcio quem eruditionis fumum captarint, multos vna errores in eccleſiam inuexiſſe (p): effecerunt tamen hac docendi ratione,

(m) Tertull. *ad Scapulam cap. IV.*

(n) Euſeb. *Hiſt. Eccleſ. V.* 21. *p.* 223.

(o) Philippi Sidetae *Catal. catechetarum Alex. apud* Dodwellum *ad finem differt. Irenaic.* Io. Andr. Schmidii *diſſ. de Schola Alexandr. catechet.*

(p) Thom. Ittigii *Praefat. ad operum Clement. Alex. Supplementum n. VII.*

tione, vt & gentiles, his ἀκροάσεσιν inuitati, eorum ſcholis intereſſent, in iiſque veluti aliud agentes ad chriſtianam religionem praepararentur. Cuius rei luculentum teſtem habeo EVSEBIVM (q), qui vbi de ORIGENE, eiuſque docendi dexteritate & fama agit: Τοιαῦτα δὲ, inquit, φιλοσόφου βίου τοῖς θεωμένοις παρέχων ὑποδείγματα εἰκότως ἐπὶ τὸν ὅμοιον αὐτῷ ζῆλον, πλείους παρώρμα τῶν φοιτητῶν, ὥστε ἤδη τῶν ἀπίστων ἐθνῶν τῶν δὲ ἀπὸ παιδείας καὶ φιλοσοφίας οὐ τοὺς τυχόντας ὑπάγεσθαι τῇ δι᾽ αὐτοῦ διδασκαλίᾳ. *Huiuſmodi igitur philoſophicae vitae exempla omnibus ſpectanda praebens, plures ex diſcipulis ad imitationem ſui merito prouocauit, ita vt multi ex gentilibus, tum in omni doctrinae genere, tum in philoſophia praeſtantiſſimi, eius ſe magiſterio ſubmitterent.* Cui ſuffragatus HIERONYMVS (r): *Illud*, inquit, *de immortali Origenis ingenio non taceo, quod dialecticam quoque & geometriam, & arithmeticam, muſicam, grammaticam, & rhetoricam, omniumque philoſophorum ſectas ita didicit, vt ſtudioſos quoque ſaecularium litterarum ſectatores haberet, & interpretaretur iis quotidie, concurſuſque ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, vt ſub occaſione ſaecularis litteraturae in fide Chriſti eos inſtitueret.* Poſſem hanc in rem exemplum adducere non vnum, iiſque rem omnem perducere ad liquidum. Ipſe enim EVSEBIVS (s) recenſet Plutarchum, Serenum, Heraclidem, Heronem, alterum Serenum, Heraclam, qui omnes, gentiles quum eſſent, Origenis ſcholas frequentarant, in iiſque tantum profecerant, vt non modo verbis factiſque, ſed & ſanguine, CHRISTVM confiterentur. Sed ſufficient fratres germani GREGORIVS THAVMATVRGVS & ATHENODORVS, quorum vterque philoſophicis ſtudiis in Origenis ſcholis initiatus, abiecta veteri ſuperſtitione, inter chriſtianos nomen profeſſus eſt, ceu in ipſo diſſertationis limine ex GREGORIO NYSSENO docuimus.

§. XIV.

In primis ſcholae Ammonii Saccae, de cuius religione diſquiritur.

Inter omnes vero, quae tum floruere, ſcholas, facile reliquis omnibus, palmam praeripuit illa Ammonii Saccae, cuius tanta tum erat fama, tantaque celebritas, vt etiam PLOTINVS, HERENNIVS & ORIGENES, ab Adamantio illo diuerſus, aliique gentiles philoſophi, illi intereſſe non dubitarent, multaque inde procul dubio referrent, ex reconditiſſimis chriſtianae religionis dogmatibus depromta. Sed multa hic eruditis ſubnata ſunt dubia, quorum

(q) Euſeb. *Hiſt. eccleſ. VI. 3. p. 167.*

(r) Hieronymus *Catalog. Viror. illuſtr. c. LIV.*

(s) Euſeb. *Hiſt. eccleſ. VI. 3. p. 166. & 4. p. 167. ſequ.*

rum quaedam, quae huc faciunt, paucis diſcutiemus. PORPHYRIVS (t), qui vitam PLOTINI accurate admodum perſcripſit, vt & HIEROCLES (u), de AMMONIO prodiderunt memoriae, eum veterum philoſophorum opinionibus perpurgatis, reiectiſque, quae inſtar lolii ſuccreuerant, nugis, puram ac genuinam philoſophiam reſtituiſſe, & multos ſibi vndiquaque acciuiſſe auditores, & in his maxime Plotinum, Herennium & Origenem, qui fidem ſibi mutuo obſtrinxerint de dogmatibus AMMONII non euulgandis. At quum PLOTINVS promiſſis bona fide ſtetiſſet: HERENNIVS, teſte PORPHYRIO, eam primus violauit, eumdemque poſtea ſequutus eſt Origenes. Haec partim HIEROCLES, partim PORPHYRIVS referunt. Quum itaque adhuc inter omnes conſtiterit, AMMONIVM iſtim Saccam Chriſtianorum ſacris fuiſſe addictum, collegerunt ex Porphyrii verbis LVCAS HOLSTENIVS (x) & PHILIPPVS LABBEVS (y), dogmata illa Ammonii, de quibus non euulgandis fidem ſibi inuicem obſtrinxerit illa condiſcipulorum triga, nihil fuiſſe aliud, quam doctrinas ſublimiores, ex ipſa religione chriſtiana depromtas, quae a PORPHYRIO inuidiae amoliendae cauſſa *δόγματα ἀνακεκαθαρμένα*, *dogmata inprimis perpurgata* adpellentur. Sed alia omnia hic videntur doctis quibuſdam viris, qui HOLSTENIVM & LABBEVM falli exiſtimant. Celeberrimus, mihique nunquam ſine laude dimittendus STANLEII interpres (z), in eo ait vtrumque erraſſe, quod crediderint, PORPHYRIVM in animo habuiſſe philoſophiam, doctrinis chriſtianis interpolatam, quum potius eius verba ad philoſophiam eclecticam, ab AMMONIO excultam, pertineant. At vlterius progrediuntur PETRVS BAELIVS (a) & IO. ALB. FABRICIVS (b), qui non hunc modo errorem in Holſtenio & Labbeo notant, ſed & penitus AMMONIVM tum chriſtianum fuiſſe negant, quum PLOTINVS ei daret operam. Quae ſi vera ſunt: ne ſuſpicandum quidem erit, AMMONIVM diſcipulis dogmata Chriſtiana inſtillaſſe. Sed vt largiamur, PORPHYRIVM non de dogmatibus chriſtianis, ſed eclecticis, eſſe loquutum, (quamuis tunc vix poſſit reddi ratio, cur haec diſcipulorum triga, ea dogmata eclectica euulganda non putauerit,) ea tamen, quae de paganiſmo AMMONII

(t) Porphyr. *Vita Plotini*, *cap.* III.

(u) Hierocles *apud* Photium *in Biblioth. Codic.* CCXII. *p.* 549.

(x) Luc. Holſtenius *de vita & ſcriptis Porphyr. p.* 781.

(y) Phil. Labb. *diſſ. de ſcript. Eccleſ. Tom. I. p.* 58.

(z) *Append. ad* Stanl. *de philoſ. eclectica cap.* III. *p.* 1210.

(a) Bael. *Diction. Hiſtorique & Critiq. Tom. I. p.* 200.

(b) Fabric. *Bibl. Gr. IV.* 26. *p.* 151. *&* 159.

Digitized by Google

NII ſuſpicati ſunt viri doctiſſimi, non videntur tam firmis niti argumentis, vt eorum cauſſa, virum tam illuſtrem, e chriſtianorum diptychis expungendum arbitremur. Primo enim θεοδιδάκτε cognomen vrget BAELIVS, quod AMMONIO ab HIEROCLE (c) tribuitur, additque non eſſe probabile, gentilem philoſophum Ammonium elogio hoc ornare voluiſſe, ob accuratiorem theologiae chriſtianae notitiam, ſed procul dubio, illud ei datum fuiſſe ob ἐνθουσιασμὸν, & accuratiorem philoſophandi rationem, in qua tamen non Chriſtus & euangelium, ſed PLATO & ARISTOTELES, regnarint. Deinde addit, AMMONIVM diſcipulos habuiſſe, non ſolum chriſtianos, ſed & Deorum cultores, quos AMMONII ſcholas mox fuiſſe deſerturos, credibile ſit, ſi is vel dogmata chriſtiana diſcipulis inculcaſſet, vel ipſe fuiſſet chriſtianus. Praeterea etiam prouocant ad auctoritatem PORPHYRII (d), a quo obſeruatum ſit, AMMONIVM Plotini magiſtrum, chriſtianis ſacris initiatum ad gentiles, ſimulac adoleuerit, defeciſſe, conſtanterque apud eos manſiſſe. Denique e LONGINO (e) obſeruant, AMMONIVM, Plotini praeceptorem, nihil ſcripſiſſe, quum Chriſtiani Ammonii opuſcula quaedam ab EVSEBIO & HIERONYMO laudentur. E quibus omnibus demum colligunt, AMMONIVM hunc Saccam eo tempore, quo Plotinum alioſque paganos auditores habuerit, non amplius fuiſſe Chriſtianum, ſed dudum ad gentilium caſtra tranſiiſſe, atque hinc non leuiter erraſſe EVSEBIVM, qui Ammonium hunc Saccam, alterumque chriſtianum ab eo diuerſum, primus confuderit. Sed fortaſſis rationibus hiſce nondum ſatis euictum eſt, aut EVSEBIVM tam grauiter erraſſe, aut ipſum AMMONIVM fuiſſe gentilem. Quod enim ad primam attinet, noſtra non multum intereſt, vnde θεοδιδάκτε cognomen retulerit Ammonius. Si vel maxime enim hoc demus BAELIO, quod illud ἐνθουσιασμῷ cuidam philoſophico originem debeat: nondum tamen inde ſequitur, vt Ammonium chriſtianum fuiſſe negemus. Non mirum enim eſt, gentiles, rei ignaros, ei ἐνθουσιασμὸν tribuiſſe, qui quum iuuenis ſaccis ferendis vitam aegre toleraſſet, ſubito non modo philoſophus, ſed & nouae emendatiſſimaeque philoſophiae auctor exſtiterat (f). Nec magis nos vrget alterum BAELII argumentum, a diſcipulis Ammonii gentilibus deſumtum. Quum enim ipſe fateri non dubitet, Ammonio, quem

 genti-

(c) Hierocles *apud* Photium *Cod. CCXIV. p. 549.*

(d) Porphyrius *apud* Euſeb. *Hiſt. eccleſ. VI. 19.*

(e) Longinus *ap. Porphyr. in vita Plotini cap. XX.*

(f) Ammianus Marcell. *XXII. ad finem.*

gentilem putat, chriſtianos diſcipulos dediſſe operam : cur adeo abſurdum ſit credere, gentiles etiam chriſtianorum ſcholis interfuiſſe, maxime quum id ſuperiore paragrapho exemplo non vno luculenter demonſtratum ſit? At procul dubio, inquit, gentiles Ammonii ſcholam ſtatim deſeruiſſent, ſi in illa doctrinae chriſtianae fuiſſent propoſitae. Deſeruiſſent vtique, fateor, ſi audiuiſſent myſteria & fundamenta ipſa chriſtianae religionis, ſi Ammonius illis inculcaſſet CHRISTVM, cruci adfixum, *Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, ἔθνεσι δὲ μωρίαν* (g) : ſed huius generis doctrinarum non adeo multam in his ſcholis factam eſſe mentionem, facile adducor, vt credam. Sunt vero & alia chriſtianorum praecepta, ad mores componendos comparata, a quibus adeo non abhorruere gentiles, ſublimioris philoſophiae ſtudioſi, vt ea admirati ſint maxime. Haec vero ſunt, quae inculcarunt magiſtri Chriſtiani: haec ſunt, quae ſectati ſunt pagani philoſophi : his purpuris pallia ſua exornari poſſe, non praeter rem exiſtimarunt. PORPHYRII porro teſtimonium de deſerta ab Ammonio Chriſtiana religione ita comparatum eſt, vt mirari ſubeat, viros doctiſſimos huic viro tam multum tribuiſſe, quo nemo fuit mentiendi in rebus chriſtianorum ſtudioſior. Laborauit enim homo infeliciſſimus eo inſaniae genere, vt omnes paene viros doctos gentilibus vindicaret. Sic ORIGENEM Adamantium gentilibus ſacris innutritum ſero demum ad chriſtianos delapſum, ſcribit eodem loco, quo Ammonium ad paganos deſciuiſſe tradidit (h). Qui itaque de homine celeberrimo, ſibique prope aequali, tam turpiter mentitur, quomodo magis vera dicere crederetur de Ammonio? Sane EVSEBIVS (i), qui non multum ab his temporibus abfuit, viroſque eccleſiaſticos, ſi quis alius, habuit exploratiſſimos, hanc PORPHYRII calumniam dudum exploſit, dum ait : *τῷ δὲ Ἀμμωνίῳ τὰ τῆς ἐνθέου φιλοσοφίας ἀκέραια καὶ ἀδιάπτωτα καὶ μέχρις ἐσχάτης τοῦ βίου διέμενε τελευτῆς. Ammonius diuinae philoſophiae praecepta ad extremum vſque terminum vitae integra atque immota retinuit.* Quis vero credat, viri tam illuſtris *ἀποστασίαν* tam ignotam fuiſſe Chriſtianis, vt ea EVSEBIVM fugere potuerit? Vnde & vltimum, quod e LONGINO deſumitur, argumentum cadere videtur. Quamuis enim negare videatur LONGINVS, Ammonium libris ſcribendis operam dediſſe : ex ipſis tamen illius verbis ſatis adparet, eum loqui de libris tantum philoſophicis, & eos recenſere, qui libros ſcribendi operam non primam & anti-

(g) 1. Cor. I. 23.
(h) Euſeb. *Hiſt. eccleſ. VI.* 19.
(i) Euſeb. *l.* c.

antiquiſſimam, ſed quaſi πάρεργόν τι habuerint. Hinc ſtatim addit: καὶ γὰρ εἴ τι τούτων γεγραπταί ποιν, οὐχὶ ἐχέγγυα (k) πρὸς τὸ μετὰ τῶν ἐξειργασμένων τῶν λόγων αὐτοὺς ἀριθμεῖν ἂν γένοιτο, πάρεργον τῇ τοιαύτῃ χρησαμένους σπουδῇ, καὶ μὴ προηγουμένην περὶ τὸ γράφειν ὁρμὴν λαβόντας. *Iam vero ſi quid ab aliquo eorum ſcriptum eſt, ---- non illud tanti eſt, vt ea propter inter illos referri mereantur, qui dedita opera litteris philoſophiae dogmata explicuerunt, quum haec ipſis opuſcula veluti* πάρεργα *ſeu fortuita fuerint, neque ſcribendi munus, tanquam primum ac praecipuum, in ſe ſuſceperint.* Ex quibus ſane perſpicuum eſt, LONGINVM adeo non negare, Ammonium quaedam theologici argumenti ſcripſiſſe, vt ne philoſophica quidem opuſcula ei plane abiudicet, qualia ab AMMONIO ſcripta eſſe, vel e GREGORIO NYSSENO (l), aut, ſi mauis, NEMESIO non obſcure colligitur. Quum igitur nulla doctiſſimorum virorum ratio nobis perſuadeat, vt Ammonium ad gentilium ſuperſtitionem defeciſſe credamus: nobis contra non deſunt rationes, quae alia omnia ſuadeant. Primo enim omnes, qui praeter PORPHYRIVM Ammonii meminerunt, Chriſtianum eum vocant. Deinde luculentus exſtat AVGVSTINI (m) locus, quo chriſtianiſmus Ammonii non obſcure confirmatur. Mentionem enim faciens PLOTINI, ita differit: *Tunc* PLOTINI *ſchola Romae floruit, habuitque condiſcipulos multos acutiſſimos, & ſolertiſſimos viros. Sed aliqui eorum magicarum artium curioſitate deprauati ſunt, alii Dominum* IESVM CHRISTVM *ipſius veritatis atque ſapientiae incommutabilis, quam conabantur attingere, cognoſcentes geſtare perſonam, in eius militiam tranſierunt.* Ex quo loco AVGVSTINI nihil aliud colligi poteſt, quam PLOTINVM in ea ſchola adoleuiſſe, in qua aliqui eius condiſcipuli ad veram Chriſti cognitionem potuerint peruenire, qualis profecto non fuiſſet ſchola Ammonii, ſi BAELII & FABRICII (n) iudicio ſtandum eſſet. Excipit quidem laudatiſſimus Fabricius, Auguſtini haec ſcribentis animo obuerſatum fortaſſis eſſe ORIGENEM Adamantium, quem per errorem cum altero ORIGENE, Plotini συμφοιτητῇ, confuderit. Verum res ipſa docet, nec Origenem Adamantium, nec alterum gentilem, eum in animo habuiſſe, quum alter nunquam gentilis, alter nunquam chriſtianus fuerit. Plures itaque

(k) *Sequimur hic & in ſequentibus emendationes* Cornelii Tollii, *quas ipſe probat & laudat* Fabricius *Bibl.* Gr. *IV.* 26. *p.* 128. *not. t.*

(l) Gregor. Nyſſ. *aut potius* Nemeſ. *de anima Tom. II. opp. p.* 91. *&* 109.

(m) Auguſt. *Epiſt. LVI. ad Dioſcorum Tom. II. opp. p.* 269.

(n) Fabric. *Bibl. Gr. IV.* 26. *p.* 151.

itaque alios fuiſſe Ammonii diſcipulos oportet, qui in eius ſchola ad Chriſtum adducti ſunt, niſi Auguſtinum plane mentitum dicere velimus. Quae quum ita ſint, adfirmare non dubito id, quod conſentiente adhuc eruditorum omnium ſuffragio adſeueratum eſt, AMMONIVM chriſtianam fidem nunquam deſeruiſſe. Et hinc in medio poſita eſt ratio intelligendi, ex quo fonte ſua tot philoſophi arua irrigarint. Ammonium enim audiuerunt HERENNIVS, PLOTINVS & ORIGENES gentilis, Plotinum & Origenem PORPHYRIVS & AMELIVS, Porphyrium IAMBLICHVS, quem deinde PLVTARCHVS Athenienſis, SYRIANVS, PROCLVS, MARINVS, ISIDORVS, DAMASCIVS continua ſerie exceperunt (o): vt adeo non praeter rem dicere liceat, philoſophorum maximorum turbam, Scholae Ammonianae veluti coloniam quamdam fuiſſe.

§. XV.

Recenſentur Philoſophi huc pertinentes, iique vel cautius & occultius Chriſtianorum doctrinas ſectati, vt EPICTETVS,

His veluti fundamenti loco ſubſtratis, proximum eſt, vt, quinam ſint illi philoſophi gentiles, ἐν ὀλίγῳ chriſtiani, paullo accuratius diſpiciamus. Ii vero denuo duorum eſſe generum videntur. Alii enim paullo cautius atque occultius χριστιανίζειν, & ſpolia illa aliena clam habere ſolent. Alii paullo perfrictioris frontis doctrinas chriſtianis ſurreptas tam manifeſte prae ſe ferunt, vt eruditis quibuſdam dubitandi fecerint materiam, paganine fuerint an chriſtiani? In priorem cenſum merito referimus EPICTETVM, gente Phrygem, domo Hierapolitanum, qui quum eſſet conditione ſeruus, iſtum fortunae errorem incredibili eruditione ac virtute emendauit, & philoſophiae ita percepta habuit praecepta, vt iis ad componendos mores, non ad oſtentationem vteretur. Profecto, ſi quis vnquam philoſophorum fuit, cuius cum verbis & doctrina accurate vita moreſque conſpirarunt, Epictetus, BVDDEO (p) celeberrimo iudice, hanc laudem promeretur, prope certe ab iſta gloria, quae ſumma vtique eſt atque excellens, abfuit. Exſtant huius philoſophi enchiridion & diſputationes ab ARRIANO collectae, quarum hae magnam partem tam ſunt praeclarae ac ſublimes, vt non modo GVIL. CAVEVS (q) eum e chriſtianorum potius conſuetudine, quam in Zenonis porticu profeciſſe exiſtimet, ſed & idem ſe iuſto commentario demonſtraturum receperit GASPAR BARTHIVS (r), quibus & nos adſentiri non dubitamus. Quamuis enim haut

(o) *Vide Append. ad* Thom. Stanleii *Hiſt. cap. III. p.* 1213. *ſeqq.*

(p) Budd. *philoſ. dialog. de moribus philoſ. p.* 103.

(q) Guil. Caue *Chriſt. Primit. I. p.* 64.

(r) Caſp. Barthius *Aduerſ. III.* 10.

Digitized by Google

haut probemus audaciorem coniecturam ABR. BERKELII (s) & GVILIEL. SALDENI (t), qui Epaphroditum, Epicteti herum, eumdem cum eo, qui a Paullo (u) aliquoties commendatur, eſſe exiſtimant, atque inde colligunt, EPICTETI animum ab hero tam pio, matutino Chriſtianae religionis rore quodammodo fuiſſe adſperſum: certum tamen eſt, EPICTETVM, qui ipſis naſcentis eccleſiae temporibus floruit, incredibili chriſtianorum aemulatione incenſum, decreta atque inſtituta eorum curioſius inueſtigaſſe. Hinc ſubinde meminit chriſtianorum, diſcipuloſque eorum exemplo ad virtutem alacriores reddere conatur. Exſtat in diſputationibus eius locus (x), in quo egregia philoſophiae praecepta viuendo etiam eſſe exprimenda, hoc ſuadet argumento: Τί ἐξαπατᾷς τοὺς πολλοὺς; τί ὑποκρίνῃ, ἰουδαῖος ὢν ἕλληνα, οὐχ ὁρᾷς; πῶς ἕκαστος λέγεται ἰουδαῖος; πῶς Σύρος; πῶς αἰγύπτιος: καὶ ὅταν τινὰ ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν εἰώθαμεν λέγειν, οὐκ ἔστιν ἰουδαῖος, ἀλλ' ὑποκρίνεται· ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι καὶ καλεῖται ἰουδαῖος· οὕτω καὶ ἡμεῖς παραβαπτισταὶ, λόγῳ μὲν ἰουδαῖοι, ἔργῳ δ' ἄλλο τι. *Quid populo fucum facis? Quid te, quum Iudaeus ſis Graecum eſſe ſimulas? Nonne vides, vt quiſque dicitur Iudaeus, aut Syrus, aut Aegyptius? Quod ſi quem alternantem viderimus, dicere ſolemus, non eſſe Iudaeum ſed ſimulatorem. Quum autem adfectum illa diſciplina imbuti, (baptizati) ſectamque profeſſi, adhibuerit, tum reuera Iudaeus & eſt & nominatur. Sic & nos adulterini, (baptiſmi deſertores,) ſumus, nomine quidem Iudaei, re vero ipſa quiddam aliud.* Chriſtianos hoc loco Iudaeorum nomine cenſeri, ex baptiſmi mentione patet, recteque eſt ab HIER. WOLFIO (y) obſeruatum. Sane ſi de Iudaeis vere ita dictis loqui voluiſſet, non video, cur baptiſmum proſelytorum, pauciſſimis gentilium procul dubio notum, commemorare maluerit, quam circumciſionem, paganis omnibus notiſſimam. Accedit, quod vulgo tum erat receptum, vt chriſtiani, quorum religio ex Iudaea prodierat, & quaedam cum Iudaeis communia habere videbatur, Iudaei per errorem nuncuparentur, quemadmodum multis exemplis demonſtrarunt IVSTVS LIPSIVS (z), PETRVS PITHOEVS (a), CASP. BARTHIVS (b), aliique viri doctiſſimi. Nec minus notabilis eſt alter ex eo-

(s) Berkel. *Praefat. ad Epictet.*
(t) Salden. *Otior. theolog. p.* 43.
(u) Philipp. II. 21. Coloſſ. I. 7.
(x) Arrianus *Diſp. Epict. II. 9. p.* 192.
(y) Hieron. Wolfii *Adnot. ad hunc locum p.* 479. *ſequ.*
(z) Lipſ. *ad* Taciti *Annal. XV.*
(a) Pithoei *Aduerſ. II.* 2.
(b) Barth. *ad* Rutil. Numantin. *I. p.* 159.

dem ARRIANO (c) locus, in quo clarius chriſtianorum meminit, ſed ita, vt, dum reprehendit, laudet, dum odium turpiſſime prodit, mores eorum ſuis proponat imitandos. En enim eius verba: ποῖος ἔτι τούτῳ τύραννος φοβερός; ἢ ποῖοι δορυφόροι; ἢ ποῖαι μάχαιραι αὐτῶν; εἶτα ὑπὸ μανίας μὲν δύναταί τις οὕτω διατεθῆναι πρὸς ταῦτα καὶ ὑπὸ ἔθους, οἱ Γαλιλαῖοι, ὑπὸ λόγου δὲ καὶ ἀποδείξεως οὐδεὶς δύναται μαθεῖν, ὅτι ὁ θεὸς πάντα πεποίηκε, τὰ ἐν τῷ κόσμῳ. *Quis adhuc tyrannus iſti erit formidabilis? aut qui ſatellites? quiue eorum gladii? Ergo furore quidem ſic aliquis affici poteſt aduerſus illa, & conſuetudine, vt Galilaei; ratione vero & demonſtratione cognoſcore nemo poteſt, Deum ea, quae in mundo ſunt, vniuerſa feciſſe:* Quibus verbis haud obſcure prodit EPICTETVS, multa ſe in chriſtianis, quos familiari conuitio Galilaeos vocat, laudanda obſeruaſſe, atque inde eum cepiſſe fructum, vt, quae hos furore quodam aut conſuetudine facere falſo exiſtimabat, ipſe, ratione duce, adſequi niteretur. Quum itaque philoſophus tam accurate cognitos habuerit chriſtianos, multaque eorum inſtituta vel inuitus miratus ſit: ecquis dubitet quaeſo, quin multas eorum doctrinas, quas, ſaluis ſtoicorum decretis, potuit adoptare, philoſophiae ſuae miſcuerit? Dubitat equidem doctiſſimus FABRICIVS (d), cui *vaniſſima* videtur *de propenſione eius ad chriſtianiſmum ſuſpicio, eo, quod nihil eius feratur, quod non a ſtoico philoſopho proficiſci potuerit, multa autem, quae haut potuerint proficiſci a chriſtiano.* Sed quemadmodum facile in hoc ei adſentior, quod neque chriſtianus fuerit EPICTETVS, neque chriſtianis magnopere fauerit, multaque praeterea ſcripſerit, quae a chriſtiano non poſſent proficiſci: ita paullo fidentius dictum videtur, quod nihil, niſi τὰ ἐκ τῆς στοᾶς docuerit. Quamuis enim omnia, quae tradit EPICTETVS, ipſe ratione duce diſcere potuiſſet: ſatis tamen conſtat, multa, quae etiam ex ratione colligi potuiſſent, fugiſſe philoſophos, donec chriſtianorum exemplis moniti, ea diligentius excoluere. Exemplo ſit doctrina de celebratione Numinis. Non ea ſane abhorret a ratione: ſed quis, quaeſo, ante Epictetum philoſophus, quis Stoicus ante chriſtianae religionis exortum tam praeclare de ea loquutus eſt, vt EPICTETO paria faciat? An Chriſtianus potuiſſet efficacius de ea diſſerere, quam Epictetus apud ARRIANVM (e) diſſeruit? Loquutus enim de operibus Dei ſapientiſſime creatis: *Num*, inquit, *oratione haec ſatis*

(c) Arrianus *Diſſ. Epictet. IV.* 7. p. 400.

(d) Fabr. *Bibl. Graec. IV.* 7. p. 257.

(e) Arrianus *Diſput. Epict.* I. 16. p. 127.

Digitized by Google

rit aut laudari, aut illuſtrari poſſunt? Nam ſi ſani eſſemus, quid nobis aliud agendum erat, & publice & priuatim, quam Numen celebrandum? Nonne & inter fodiendum, & arandum, & edendum, hymnus hic cantandus erat Deo: Μέγας ὁ Θεὸς, ὅτι χεῖρας δέδωκεν, ὅτι καταπίνειν, ὅτι κοιλίαν, ὅτι αὔξεσθαι λεληθότως, ὅτι καθεύδοντας ἀναπνεῖν. *Magnus eſt Deus, qui nobis inſtrumenta praebuerit haec, quibus terram colamus: magnus eſt Deus, qui manus dederit, qui deglutiendi vim, qui ventrem qui effecerit, vt latenter creſcamus, vt dormientes reſpiremus! Haec ſingulis in rebus cantanda erant, & hymnus maximus ac diuiniſſimus reſonandus, quod facultatem dederit harum rerum intelligentem, & vtendi ratione inſtructam. Quid ergo? quum vulgo excoecati ſitis, nonne oportebat eſſe aliquem, qui hoc munere fungeretur & loco omnium hymnum de Deo publicaret? Quid enim aliud poſſum ſenex claudus, niſi celebrare Deum? Quodſi luſcinia eſſem, luſciniae officio fungerer: ſi olor, oloris. Nunc rationis quum particeps ſim, Deus mihi celebrandus eſt, hoc munus meum eſt, hoc exſequar, neque ſtationem hanc deſeram, quoad licuerit, & vos ad eamdem hanc cantilenam exhortor.* Si Platonicus aut Pythagoraeus ita ſcripſiſſet, eſſet fortaſſis, quod paullo minus miraremur. Sed quis a ſtoico haec exſpectaret, cuius de Deo ſententia pro ſectae ratione non longe a Spinozae principiis aberat? Quis ergo non videt, philoſophum imitari chriſtianos, quorum ea tunc peruulgata laus erat, *quod perpetuum Chriſto Deo carmen inuicem dicerent* (f)? Adde quod hymnus ille Epicteticus ad pſalmorum ſtilum quodammodo accedere, & ex ipſis chriſtianorum hymnis expreſſus eſſe videatur. Quod ſane nemini mirum videbitur, qui ſequentia eiuſdem Epicteti verba (g) expenderit: Νῦν τρέμοντες τὸ ὀρνιθάριον κρατοῦμεν, καὶ τὸν Θεὸν ἐπικαλούμενοι, δεόμεθα αὐτοῦ ΚΥΡΙΕ ΕΛΕΗΣΟΝ, ἐπίτρεψόν μοι ἐξελθεῖν. *Nunc trementes augurium capiamus, Deumque inuocantes, precamur eum:* DOMINE MISERERE, *fac mihi exeundi poteſtatem.* Quae vel ſola, niſi fallor, perſuadent, vt Epictetum, quamuis a ſacris myſteriiſque chriſtianorum alienum, moralibus tamen eorum doctrinis philoſophiam ſuam paſſim interpolaſſe credamus, licet id occultius tectiuſque feciſſe non negemus.

§. XVI.

Idem cenſendum videtur de PLOTINO, quem ſupra Ammonio operam dediſſe adfirmauimus. Hic quum eſſet gente Aegyptius, PLOTINVS,

(f) Plinius Epiſt. X. 37. (g) Arrianus Diſſ. Epictet. II. 7. p. 186.

pluresque philoſophos iuuenis audiuiſſet, ex omnium ſcholis paullo triſtior exierat, donec audito Ammonio, eiusque doctrina vnice probata, exclamaret: τοῦτον ἐζήτουν, *hunc ipſum quaerebam* (h). Equidem quid potiſſimum in Ammonio miratus ſit PLOTINVS, non adeo obſcurum eſt. Quum enim ideo abhorreret ab aliorum acroaſibus, quod ſectarum ſtudio, quidquid vel Plato, vel Ariſtoteles, vel Zeno ſomniaſſet, miro ſupercilio diſcipulis obtruderent: non poterat non probare inſtitutum Ammonii, qui in nullius magiſtri verba iurauerat, eclecticamque & ſublimiorem quamdam philoſophiam, raro tum exemplo, colebat. Hanc ergo retinuit etiam PLOTINVS, qui quamuis vulgo Platonicis accenſeatur, aequiore tamen iure inter eclecticos refertur a doctiſſimo STANLEII interprete (i). Nam praeterquam quod in eius ſchola etiam Pythagoraeorum, peripateticorum, & ſtoicorum commentarii legerentur: relatum legimus a PORPHYRIO (k), Plotinum adeo prudentiorem dogmatum ἐκλογὴν probaſſe, vt & Perſarum atque Indorum philoſophiae periculum facere conſtituerit, & iter ideo ſuſceperit in Meſopotamiam. Quum ergo nullius gentis dogmata adſpernatus ſit Plotinus: quis quaeſo negaret, eum etiam rationem habuiſſe Chriſtianorum, in quorum ſcholis adoleuerat? Certe ita viſum eſt multis, iiſque eruditiſſimis viris, THEODORITO, HOLSTENIO, OWENO, aliiſque plurimis. Et quamuis ab eorum ſententia alieniorem ſe profiteatur ὁ πάνυ FABRICIVS (l): crediderim tamen, eum de myſteriis tantum chriſtianis loqui, quae in PLOTINO non reperiri, facile concedo. Ipſe enim nunquam ſatis laudatus FABRICIVS (m) in eruditis ad MARINVM prolegomenis diſerte ait: *Quod vero Plotinus & reliqui ex chriſtianis dogmatis quaedam in ſuam philoſophiam vel receperint, vel cum illa conciliare, aut denique expolire conati fuerint, non videtur temere eſſe vel negandum vel explodendum.* Rem vnico exemplo illuſtrabimus. Conſtat inter omnes, creationem rerum omnium ἐκ μηδενὸς προϋποκειμένου, id eſt ex nihilo, doctrinam eſſe adeo chriſtianis propriam ac peculiarem, vt nulla philoſophorum ſecta eam vnquam adſequuta ſit. Omnes enim veluti ex compacto ſomniant materiam quamdam Deo coaeternam, ex qua deinde hoc vniuerſum vel fortuito exſtiterit, vel a Deo factum ſit. Hinc omnes philoſophi

(h) Porphyr. *vita Plotini cap. III.*

(i) *Appendix ad* Stanleii *de philoſoph. Eclect. cap. III. p.* 1210. *ſequ.*

(k) Porphyr. *vita Plotin. cap. XIV. &* III.

(l) Fabricius *Bibl. Graec. IV.* 26. *p.* 157.

(m) Fabric. *in Proleg. ad* Marini *vitam* Procli *Sect.* II. *pag.* 12.

ſophi de rerum origine perperam ſenſerunt, ne ipſo quidem excepto PLATONE, ceu ex ALCINOO (n) conſtat, quem & CHALCIDIVS fatetur (o), docuiſſe, *non Deum ex his, quae non erant, feciſſe mundum, ſed ea, quae erant, ſine ordine ac modo, ordinaſſe.* Eoque factum eſt, vt PROCLVS (p), Platonis doctrinam vindicaturus, huic dogmati Chriſtianorum duodeuiginti argumenta oppoſuerit, a IO. PHILOPONO totidem libris refutata. Et tamen PLOTINVS primus omnium, fatente ipſo RADVLPHO CVDWORTHO, creationem vniuerſi ex nihilo docuit, quem deinde longo agmine ſequuti ſunt Platonici recentiores tantum non omnes, Porphyrius, Iamblichus, Syrianus, Hermias, Damaſcius, Priſcianus Lydus, HIEROCLES aliique, quos praeter laudatum CVDWORTHVM (q) operoſe enumerarunt LIVIVS GALANTES (r) & IO. ALB. FABRICIVS (s). Vnde vero hanc ſublimiorem doctrinam hauſiſſe dicamus Plotinum? Non ſane ex Platonis & Ariſtotelis operibus, neque ex Chaldaeorum Perſarumque oraculis, in quibus alia omnia occurrunt, ſed a chriſtianis haec omnino didicit, maxime ab AMMONIO, cuius in ſchola, vt diximus, fuerat perpolitus.

§. XVII.

Praeceptori iungimus diſcipulum PORPHYRIVM, Bataneotem Tyrium, patrio nomine MALCHVM, quem omnes neruos ad euertendam chriſtianam religionem intendiſſe conſtat. Hunc philoſophum nihil feciſſe reliqui, vt philoſophiam ad chriſtianae religionis exemplum componeret, & paſſim daret emendatiorem, adeo non mirum eſt, vt, ſi id non feciſſet, omnino miraremur. Ipſe enim Chriſtianis editus parentibus, eorum doctrinas accurate imbiberat, iiſque deſertis, ad paganam deſciuerat ſuperſtitionem. Quod licet dubium videatur GVILIELMO CAVEO (t), ideo, quod praeter NICEPHORVM (u), futilem & nugacem auctorem, nemo veterum iſtius ἀποστασίας diſerte meminerit: rem tamen putamus certiſſimam, & miramur, viro doctiſſimo non ſuccurriſſe teſtimonium SOCRATIS (x), quod rem vtique extra dubitationis ponit aleam. Hic enim

PORPHYRIVS.

(n) Alcinous *doctr. Platon. cap. VIII. & XII. Conf. &* Thom. Gale *ad* Iamblich. *de myſt. r. Aeg. p.* 276.

(o) Chalcid. *ad* Timaeum *Plat. p.* 303.

(p) Fabric. *Append. ad* Marini *vitam Procli p.* 95.

(q) Cudworth. *Syſtema mundi, intelligib. p.* 749. 751. 753. 763.

(r) Liuius Galantes *Compar. Chriſt. & Platonicae Theolog. p.* 273.

(s) Io. Albert. Fabr. *Bibl. Gr.* II. 22. *p.* 464.

(t) Caue *Hiſt. Litt. part. I. Saecul.* III. *p.* 78.

(u) Niceph. *H. E. X.* 36.

(x) Socrat. *H. E.* III. 19.

grauiſſimus auctor ad EVSEBII prouocans auctoritatem : *iam vero*, inquit, *idem, vt videtur, Iuliano accidit, quod* PORPHYRIO. *Nam iſte Caeſareae Palaeſtinae, a quibuſdam chriſtianis reprehenſus, quum pro graui, qua ardebat, iracundia ferre non poſſet, religionem chriſtianam deſeruit.* Eiurato itaque deſultoria leuitate chriſtianiſmo, fecit, quod ſolent omnes fere apoſtatae. Nam non modo diuinam hanc religionem eiuſque fundamentum, violentiſſimis ſcriptis oppugnauit (y), &, vt id eo operoſius exſequeretur, omnes ſcripturae ſacrae libros diligentiſſime euoluit : verum etiam data opera gentiliſmum emollire & ſublimiorem inuenire philoſophiam auſus eſt, vt eſſet, quod chriſtianorum diuiniori ſapientiae opponeret. Id vero tanto facilius praeſtitit homo, ad hanc fallaciam ingenioſiſſimus, quod in eos incidit praeceptores, qui eodem inſtituto vtebantur. Audiuit enim Origenem, non Adamantium quidem chriſtianum, vt HOLSTENIVS credidit, ſed alterum gentilem, Longinum, Plotinum, Ammonii diſcipulos, eorumque in ſcholis ita profecit, vt omnibus magiſtris ſuis videretur ſuperior (z). Sed vt huius quoque ſublimiorem ac ſemichriſtianam philoſophandi rationem vno atque altero exemplo demonſtremus: iam non repetimus doctrinam de creatione ex nihilo, quam in PORPHYRIO quoque deprehendit CVDWORTHVS (a), nec dogma eius de angelis & archangelis, quod ſupra excuſſimus, nec ſublimiora denique illa decreta de morte philoſophica, ſenſuum corporiſque fuga, de cura animi item, mentiſque cultu, & eleuatione in Deum, in quibus non ſolum aliquid chriſtiani ſed & ipſam ſcripturae Φράσιν mirantur L. HOLSTENIVS (b) & ſaepe laudatus STANLEII interpres (c). Sed vnicum addo eius teſtimonium, quod rem illuſtrabit maxime. Quid philoſophi paene omnes, ac Platonici maxime, de animae integritate ſenſerint, notum eſt & peruulgatum. Omnes enim animam tanquam in ſe bonam ac diuinam collaudabant, & hinc peccata, ad quae homo natura eſt procliuior, non animae imputabant, ſed corpori, a cuius contagione ipſam mentem labem & vitium contrahere arbitrabantur (d). Peſtilentiſſima haec erat doctrina, & procul dubio a chriſtianis primitiuis ſaepius exploſa. Quanto ſublimius itaque hic philoſophatur PORPHYRIVS? quam

(y) *Vide* Holſten. *de vita & Script. Porphyr. cap.* III. *& VI.*

(z) Eunapius *p.* 21.

(a) Rad. Cudworthus *l. c. vid. ſupra* §. *X.*

(b) Holſten. *l. c. cap. VI. pag.* 26.

(c) *Append. ad* Stanlei *de philoſ. eclect. cap. VII. p.* 1222.

(d) Marſilii Ficini *Comment. ſuper* Platon. *Conuiu. Orat. IV. cap. IV.* Campeg. Vitringa *Obſeruat. Sacr.* III. 8. 9.

quam praeclare ſcribit (e): Ἀλλ' ἡ ψυχῆς φύσις οὐκ ἦν ἀγαθὸν, ἀλλ' ἀγαθοῦ μετέχειν δυναμένη, καὶ ἀγαθοειδής· οὐ γὰρ ἂν ἐγένετο ἐν κακῷ; τὸ οὖν ἀγαθὸν αὐτῆς ἐν τῷ συνεῖναι τῷ γεννήσαντι· κακία δὲ τὸ τοῖς ὑστέροις. *At natura animae non eſt bonum, ſed quod particeps boni fieri poteſt, & boniforme, alias non incideret in malum, bonum ergo eius conſiſtit in eo, ſi auctori ſuo coniungatur, malum autem, ſi rebus inferioribus.* Quis non videt, haec ſemichriſtiana potius eſſe, quam aut Platonica aut Pythagorica? Talia plura addi poſſent, niſi chartae habenda eſſet ratio, pluresque, qui nos ad ſe vocant, ſupereſſent philoſophi.

§. XVIII.

Prodeat ergo HIEROCLES, non ille Bithyniae, & poſt Alexandriae ἔπαρχος, libris contra chriſtianos ſcriptis notus, quem plures (f) perperam cum noſtro confundunt, ſed philoſophus eclecticus, qui medio ſaeculo quinto floruit, & praeter libros de fato ſeu prouidentia, a PHOTIO (g) exſcriptos, aureum reliquit in aurea Pythagorae carmina commentarium. In his libris Pythagorae ac Platonis doctrinas tam prope ad veritatem chriſtianam extollit, vt nemo paganorum ſublimius ſcribere potuiſſe videatur. Vnde non mirum, quoſdam eius auditores tam admirandis magiſtri dogmatibus ad Chriſtianiſmum praeparatos eſſe. ÆNEAS certe GAZÆVS, qui Chriſto nomen dedit, Hieroclis philoſophiae ſe innutritum ipſe ſubinnuit in limine dialogi de reſurrectione. Ceterum omnes, qui HIEROCLEM legerunt paullo diligentius, ſublimem eius ac ad chriſtianiſmi exemplum compoſitam philoſophiam ampliſſimis laudibus extollunt. Inter quos IO. AVRISPA, Siculus, qui primus Hieroclem latinitate donauit (h), in luculenta ad Nicolaum V. pontificem praefatione fatetur, *ſe, iam prope octogenarium, nihil aut graece aut latine legiſſe, quod ſibi magis profuiſſe intelligat.* Cui ſuffragatur alter editor, IO. CVRTERIVS, qui in praefatione, FRANCISCO RVPIFVCALDO inſcripta (i): *Hoc quoque*, inquit, *doctorum multorum iudicio, quibus ipſum* HIEROCLEM *videre contigit, affirmare non vereor, nullum profani nominis auctorem luci donatum adhuc, quod ſciam, qui tam multa de moribus, de prouidentia, ſimilibuſque rebus, more noſtro, id eſt chriſtiano, hoſtis alioquis*

HIEROCLES.

(e) Porphyr. *Sentent. cap. XXXIV.* p. 236.

(f) Veluti Ionſius *de Scriptorib. Hiſt. philoſ.* III. 15.

(g) Photius *in Biblioth. Cod. CCXIV. p.* 549.

(h) *In edit. Patau.* 1474. 4*to.* & *Romana* 1475. *quas indicat* Fabric. *in Bibl. Graec. c. II.* 12. *p.* 462.

(i) *Edit.* Lond. 1654. *in* 12*mo.*

Digitized by Google

quin (k) *huius nominis acerrimus*, *tam bene*, *tamque aperte diſſeruerit*. Denique & DACERIVS, qui Hieroclem gallice reddidit, in praefatione diſerte ait: *Hieroclem dogmata quam plurima*, *quae ex libris & dogmatibus Iudaicis Pythagoras hauſerat*, *nulli interpretum antea intellecta*, *Chriſtianae religionis ſubſidio egregie expoſuiſſe.* Quae quidem iactantius dicta videri poterant, (ſiquidem ipſe dubito, an a Iudaeis quidquam acceperit Pythagoras,) niſi ex ipſis Hieroclis operibus conſtaret, eum chriſtianorum ſpoliis ſe extuliſſe. Demonſtrauit id exemplis haud paucis HVGO GROTIVS, qui in commentariis ad Matthaei Euangelium diuinam illam Chriſti concionem in monte habitam, cum Hieroclis principiis moralibus paſſim comparauit. Sed exempli loco eſſe poſſunt vel ſola illa, quae de auxilio diuino, precibus obtinendo (l), de vitanda iurandi leuitate (m), de *μετανοίᾳ* ſeu poenitentia, quam ipſe *principium ſapientiae* vocat (n), aliiſque eiuſmodi capitibus moralibus efficaciſſimo orationis genere diſputat, quae tamen quo minus hic exſcribamus, ipſa prolixitate prohibemur.

§. XIX.

IAMBLICHVS, Denique ex aliquorum ſententia huc etiam pertinet IAMBLICHVS, patria Chalcidenſis, gente Syrus, Porphyrii diſcipulus, quartique adeo ſaeculi ſcriptor celeberrimus, cuius vitam, multis praeſtigiis dicam an miraculis diſtinctam, operoſe expoſuit EVNAPIVS (o). Accenſetur & hic vulgo Platonicis, ſed perperam profecto, quum ab omni ſectarum ſtudio alieniſſimus, non modo Platonem, ſed & Ariſtotelem, Pythagoram, quin & Chaldaeos ac Aegyptios, ſequatur. Vnde eo facilius quibusdam perſuaſum eſt, Iamblichum ne chriſtianorum quidem dogmata eſſe prorſus adſpernatum, ſed iis hinc inde opera ſua tanquam gemmis quibusdam diſtinxiſſe. Equidem quodnam ſit illuſtris HVETII de hoc philoſopho iudicium, iam ſupra, ipſis adlatis eius verbis, oſtendimus (p). Nunc THOMÆ GALE (q) addimus teſtimonium, qui adfirmare non dubitat, *hominem hunc minime chriſtianum*, *immo hoſtem fidei noſtrae*, *(ne quis ſtudium partium inuidioſe criminari poſſit,) in libris de myſteriis ita de Deo*, *angelis & anima ſcribere*, *vt nonnullis*, *qui ſe chriſtianos dici volunt*, *de rebus diuinis ſanius*

(k) *Confundit & hic* Curterius Hieroclem, *Bithyniae* ἔπαρχον *cum* Hierocle *philoſopho*, *quem eodem loco falſo fuiſſe putat ſtoicum.*

(l) Hierocl. *ad aur. Pythag. carm.* 45. *p.* 233. *ed.* Curterianae.

(m) Idem p. 31. *ſequ.*

(n) Idem p. 167.

(o) Eunap. *vit. philoſ. ſtatim ab initio.*

(p) *Vid. ſupra* §. 9.

(q) Thom. Gale *praefat. ad Iamblich. de myſter. Aegipt.*

Digitized by Google

nius & caſtius ſentiendi merito magiſter eſſe debeat. Sed denuo intercedit ὁ πάνυ FABRICIVS (r), fateturque, *vt theologiae naturalis inſignita quaedam magnoque numero, ita chriſtianiſmi proprie dicti veſtigia ſe reperire nulla in illo potuiſſe.* Recte profecto & ſapienter. Sed id modo vereor, vt HVETIVM recte perceperit vir doctiſſimus. *Stricturae* enim *chriſtianiſmi*, quas in Iamblichi operibus micare, ait HVETIVS, non ſunt chriſtianiſmi proprie dicti capita, qualia in nullo philoſophorum hactenus recenſitorum opere occurrunt, ſed ſublimiores quaedam doctrinae, a ratione quidem non abhorrentes, ſed antiquioribus tamen philoſophis fere ignotae, a iunioribus vero chriſtianis ſurreptae, vt iis commentarios ſuos illuſtrarent. Tales vero doctrinas ſublimiores in Iamblichi operibus reperiri, nec ipſe forſan negauerit laudatus FABRICIVS. Quamuis fateri non dubitem, pleraſque tam eſſe barbaris Aegyptiorum & Chaldaeorum doctrinis obfuſcatas, & corruptas, vt vix ſui ſimiles videantur. Idemque etiam ſentiendum de SYRIANO, PROCLO, MARINO, ISIDORO, DAMASCIO, hominibus Aſiaticis, qui continua ſerie in Athenienſi ſchola Platonica docuerunt (s), quique non contenti luxuriantis ingenii argutiis, magnam veterum opinionum farraginem ſuis commentis admiſcuerunt, & dum creſcentis longe lateque eo tempore Chriſtianiſmi aemulatione Platonicam theologiam phaleris nimium ornare ſtuduerunt, philoſophiam ab Ammonio perpurgatam πολυλογίᾳ καὶ ἀλλοτρίων δογμάτων ἱστορίᾳ rurſus obruerunt. Quare & de iis non eſt quod multa dicamus.

§. XX.

Progredimur potius ad eos, qui multo apertius chriſtianorum dogmata iactarunt, eaque ita philoſophiae gentili miſcuerunt, vt difficile interdum ſit iudicare, Deoſne falſos, an CHRISTVM coluerint magis. Et in hunc quidem numerum primo refero SIMPLICIVM, gente Cilicem, Graecorum Ariſtotelis interpretum facile principem, &, quod caput rei eſt, nulli ſectae ita addictum, vt non & ex aliis, quae probaſſet, excerperet. Exſtat praeter ea, quae in Ariſtotelem ſcripſit, luculentiſſimus in EPICTETI Enchiridion commentarius, quem poſt alios cum Epicteti tranſlatione Arabica CLAVDIVS SALMASIVS edidit. In eo tam praeclare de vita inſtituenda, componendoque animo philoſophatur apertus chriſtiani nominis hoſtis, vt BONA CARDINALIS (t) eum chriſtianis

Vel apertius χριστιανίζοντες, veluti SIMPLICIVS,

 accen-

(r) Fabric. *Bibl. Graec. IV.* 28.

(s) Luc. Holſten. *de vita & ſcriptis Porphyr. cap. VI. p.* 26.

(t) Card. Io. Bona *in indice librorum allegatorum in tractatu de rebus liturgicis.*

accenſere non dubitet. Qua in re tametſi ratio eum fugiat, quum de eius paganiſmo nullus ſit addubitandi locus: negari tamen non poteſt, SIMPLICIVM ita doctrinis ac dictionibus chriſtianis ſtilum totum imbuiſſe, vt & Platonicorum myſteria nonnunquam verbis, φράσιν chriſtianam redolentibus, inuoluere ſoleat. Id quod ſatis demonſtrat precatio illa, qua commentarium iſtum in Epictetum obſignauit, quamque obſeruante GVIL. CAVEO (u) ita concepit, vt, niſi hominem gentilem ita precari ſcires, crediturus ſis, Chriſtianum hac oratione ſacroſanctam Trinitatem, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, adorare. Ita enim precatur philoſophus ἐν λόγῳ Chriſtianus: ἱκετεύω σε δέσποτα, ὁ πατὴρ καὶ ἡγεμὼν τοῦ ἐν ἡμῖν λόγου, ὑπομνησθῆναι μὲν ἡμᾶς τῆς ἑαυτῶν εὐγενείας, ἧς ἠξιώθημεν παρὰ σοῦ κ. τ. λ. *Tibi Domine,* PATER *& auctor humanae mentis ſupplico, vti nos memores facias eius nobilitatis, qua noſtrum genus dignatus es: vtique faueas nobis pro conditione libertatis noſtrae, dum a corpore nos liberare, & adfectibus brutis repurgare conamur, vt iis ſuperiores euadamus, ipſis imperemus, eorumque miniſterio vtamur, prout fert natura.* Quis non hic Deum Patrem inuocari crederet? ſed age, quid porro? Καὶ περὶ διόρθωσιν τοῦ ἐν ἡμῖν λόγου καὶ ἕνωσιν αὐτοῦ πρὸς τὰ ὄντως ὄντα διὰ τοῦ τῆς ἀληθείας φωτός. *Porro vt adſis nobis in emendatione diligenti rationis noſtrae, vt eam cum rebus veris & aeternis coniungamus, per illam veritatis lucem.* Quis SIMPLICIVM, ac non potius quemcumque Chriſtianorum precantem ſe audire putet, & Spiritus ſancti efflagitantem auxilium? Sed nondum ſatis chriſtianum ſimulauit, en ſequentia verba: Καὶ τὸ τρίτον, τὸν σωτῆρα ἱκετεύω, ἀφελεῖν τελέως τὴν ἀχλὺν τῶν ψυχικῶν ἡμῶν ὀμμάτων, ὄφρα γινώσκωμεν εὖ, κατὰ τὸν Ὅμηρον, ἠμὲν Θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα. *Denique* SERVATOREM *comprecor, vt penitus abſtergere velit omnem caliginem ab oculis animarum noſtrarum, ita vt clare, ceu Homerus ait, & Deum & hominem cognoſcamus.* Quis non hic denuo agnoſcit φράσιν ipſius ſcripturae? Nihil ergo huic precationi, ſi ad verba reſpicimus, deeſſe dixeris, praeter illud AMEN, quod ſolas vere Chriſtianorum preces obſignat. Ceterum huius generis plura exſtant in SIMPLICII commentariis, quae argumento ſunt, hominem infelicem tam prope abfuiſſe a chriſtianorum doctrinis, quam procul ab ipſo Chriſto, maximo malo ſuo, abfuit.

§. XXI.

(u) Guil. Caue *Chriſtianiſm. primit. l. 3. p. 65.*

§. XXI.

Idem iudicandum eſt de CHALCIDIO, cuius commentarius in Platonis Timaeum eiuſdem commatis eſt. De auctore omnia incerta ſunt, adeo vt ne de ipſa quidem, qua floruit, aetate, quidquam compertum habeamus. Quamuis enim GVIL. CAVEVS (x) eum ad annum erae CHRISTIANAE CCCXXX referendum putauerit: non alio tamen fundamento, ceu ipſe fatetur, nititur, quam quod ipſe CHALCIDIVS, Hoſio ſuadente, ſe ad interpretandum Platonis Timaeum acceſſiſſe, innuat. Sed HOSIVS iſte an fuerit notiſſimus ille Epiſcopus Cordubenſium, qui ſaeculo quarto floruit, nondum adeo expeditum eſt, vt CASP. BARTHIO (y) videtur. Certe non fit credibile, virum tam grauem, & negotiis maximis diſtrictum, qualem fuiſſe Hoſium Cordubenſem conſtat, homini profano & ſemichriſtiano id negotii dediſſe. Aeque incerta eſt hominis religio, quam nec ex ejus commentario diiudicare poſſunt eruditi. Sunt qui Chriſtianum & Carthaginienſem Archidiaconum fuiſſe exiſtimant, ſed FABII PLANCIADIS FVLGENTII, ſcriptoris chriſtiani, & Marciani Capellae iunioris auctoritate freti, qui Chalcidium *Leuitarum ſanctiſſimum* adpellat (z). At alii hominem paganae ſuperſtitioni fuiſſe deditum, credere malunt. Nec deſunt denique, qui Hebraeis eum accenſent, quandoquidem & horum placitis nonnunquam fauere videtur. Et reuera Chalcidius non raro ad ſublimiorem Chriſtianorum ſapientiam adſurgit. Exſcribit ſubinde Moſen, ex eoque doctrinam de creatione illuſtrat: laudat Salomonem: in partes vocat LXX interpretes, vt & verſionem Symmachi & Aquilae: eſt, vbi Origenis teſtimonio vtitur: quin ex ipſius N. Teſtamenti libris nonnulla depromit, maxime illam, de ſtella Magis adparente, hiſtoriam, quam cum cura enarrat. Quae omnia laudatiſſimo FABRICIO tam manifeſta viſa ſunt chriſtianiſmi indicia, vt de eo vix dubitandum cenſeat, quamuis adfirmare nolit, eum fuiſſe diaconum, quia forſan talis magis ſibi religioni duxiſſet, chriſtianiſmum ambiguitate verborum occultare. Sed aut fallor ego magnopere, aut CHALCIDIVS (a) nihil minus fuit, quam chriſtianus. Quamuis enim, hyenae inſtar, chriſtianam vocem ſimulet, eorumque doctrinas, manifeſto plagio, in ſcripta ſua transferat: animum tamen a Chriſto alienum

CHALCIDIVS.

Dd 2 vbique

(x) Guil. Caue *Hiſt. litter. Part. I. Saec. IV. p.* 106.

(y) Barth. *Aduerſ. p.* 2257.

(z) *Vide* Fabric. *Bibl. Latin.* III. 7. p. 554.

(a) Chalcidius *ad Tim. p.* 219. & 216.

vbique prodit. Sic vbi ſtellae, quae magis illuxerat, meminit; rem refert, tamquam ſibi minus credibilem, & dubitantis more illud DICITVR vſurpat, additque, *Hoſio ſuo haec multo melius eſſe comperta, quam ceteris.* Quo innuere videtur, ad christianum ſe ſcribere, a quo ſe gratiam fortaſſis huius commemoratione hiſtoriae initurum, ſperabat. De MOSE etiam ita diſſerit, vt non obſcure, quanti eum habuerit, prae ſe ferat (b): *Hebraeorum*, inquit, *ſapientiſſimus, Moyſes, non humana facundia, ſed diuina*, vt FERVNT, *inſpiratione vegetatus, in eo libro, qui de genitura mundi cenſetur:* reliqua. An vero de Moſe ita ſcriberet homo chriſtianus? An eius θεοπνευστίαν ad famam referret? Omitto eius dogmata de aeternitate mundi, ipſiuſque humanae mentis, quae ita defendit CHALCIDIVS, vt & ſaniora Platonis dicta in ſenſum hunc deteriorem detorqueat. Quae quum ita ſint, rectiſſime ſtatuere nobis videmur, nec chriſtianum fuiſſe Chalcidium, nec gentilem, ſed ἐπαμφοτερίζοντα, i. e. vt paucis dicam, philoſophum ſemichriſtianum.

§. XXII.

Io. Lydvs, Erant tum ſcilicet tempora, quibus plures eiuſmodi homines oberrabant, qui miſero errore huc illuc circumacti ac veluti fluctuantes, non inueniebant, vbi conſiſterent. Diſputare hodie ſolent eruditi de eiuſmodi hominum religione, quae, qualis fuerit, ne ipſi quidem miſeri iſti fortaſſis ſciuerunt. Poſſem hic multa adferre exempla: ſed pauciora ſufficient. PHOTIVS (c) qui multorum librorum notitiam ac fragmenta in aurea bibliotheca nobis ſeruauit, inter alios, quos legerat, codices recenſet etiam IOANNIS LAVRENTII, Philadelphienſis Lydi, tractatus tres de prodigiis, de menſibus & de politicis magiſtratibus, de quorum argumento & dictione poſtquam ſuo more grauiter iudicauit, addit, hunc virum initio militaſſe, poſt cauſſas egiſſe, deinde & honoribus functum, imperantibus Anaſtaſio, Iuſtino & Iuſtiniano, ac demum de religione hominis ita loquitur: τὴν δὲ θρησκείαν ὁ ἀνὴρ ἔοικε δεισιδαίμων εἶναι, σέβεται μὲν τὰ ἑλλήνων καὶ θειάζων· θειάζει δὲ τὰ ἡμέτερα, μὴ διδοὺς τοῖς ἀναγινώσκουσιν ἐκ τοῦ ῥᾷστου συμβαλεῖν, πότερον οὕτω νομίζων θειάζει, ἢ ὡς ἐπὶ σκηνῆς. *Religione ſuperſtitioſior videtur. Gentilium enim ſacra ſimul veneratur, & fidem noſtram, vt lectori difficillimum ſit indicare, vtrum ſic vere opinetur, an potius veluti in ſcena ludat.* En denuo philoſophum ſemichriſtianum. Quamuis

(b) Chalcid. *ad Tim. pag.* 372. (c) Phot. *Biblioth.* CLXXX. *pag.* 406.

Digitized by Google

uis enim nomen Ioannis arguat, eum chriſtianis parentibus eſſe vſum, tam male tamen ipſe fuit chriſtianus, vt inter paganam ſuperſtitionem veritatemque diuinam veluti medius fluctuarit & in his mentis erroribus triſti perierit naufragio.

§. XXIII.

Eiuſdem aetatis ac religionis merito eſſe dixeris PROCOPIVM; virum omni eruditione politiſſimum, diuturnoque rerum geſtarum vſu prudentiaque ciuili celeberrimum. Huic quamuis non vacauerit per tot negotia, philoſophiae totum ſe tradere: in libris tamen, quos reliquit, hiſtoricis ita philoſophatur de Deo rebuſque diuinis, ac ipſa demum religione, vt & de eo, gentiliſne fuerit an Chriſtianus, non leuis ſit inter eruditos diſputatio. In libris, quos de aedificiis Iuſtiniani conſcripſit, ſubinde deteſtatur gentilium ſacrificia (d) &, vt ipſe loquitur ἀθεΐαν καὶ πολυθεΐαν, & alibi Ioannem Cappadocem gentilitiae ſuperſtitionis damnat (e), & ſe paullo aequius de Chriſtianis ſentire paſſim profitetur. Nec dubito, quin a Iuſtiniano Imperatore pro Chriſtiano vere habitus ſit, quum vix credibile videatur, eum de ſacris a ſe excitatis aedificiis hiſtoriam Procopio gentili fuiſſe commiſſurum. Quo factum eſt, vt & GVIL. CAVEVS (f) eum in ſcriptorum eccleſiaſticorum numerum referre nullus dubitauerit. Sed nec pauciora occurrunt in eius libris, quae a quouis potius gentilium, quam a PROCOPIO exſpectaſſes. In ea enim, quam de Gothorum bello compoſuit, hiſtoria manifeſto exagitat Chriſtianos, eorumque de Deo & rebus diuinis controuerſias ridet petulantiſſime, ac demum ſuam, quam colat, religionem his verbis profitetur (g): Τὰ δὲ ἀντιλεγόμενα ἐγὼ ἐξεπιστάμενος ὡς ἥκιστα ἐπιμνησθήσομαι· ἀπονοίας γὰρ μανιώδους τινὸς ἡγοῦμαι εἶναι διερευνᾶσθαι τὴν τοῦ θεοῦ φύσιν, ὁποία ποτέ ἐστιν. Ἀνθρώπῳ γὰρ οὐδὲ τὰ ἀνθρώπεια εἰς τὸ ἀκριβὲς οἶμαι καταληπτὰ, μή τί γε δὴ τὰ εἰς θεοῦ φύσιν ἥκοντα. Ἐμοὶ μὲν ταῦτα ἀκινδύνως σεσιωπήσθω, μόνῳ τῷ ἀπιστεῖσθαι τετιμημένα· ἐγὼ γὰρ ἂν οὐδὲν ἄλλο περὶ θεοῦ ὁτιοῦν εἴποιμι ἢ ὅτι ἀγαθός τε παντάπασιν εἴη, καὶ σύμπαντα ἐν τῇ ἐξουσίᾳ τῇ αὐτοῦ ἔχει· λεγέτω δὲ ὡς πῃ ἕκαστος γινώσκειν ὑπὲρ αὐτῶν οἴεται καὶ ἱερεὺς καὶ ἰδιώτης. *Eam controuerſiam etſi probe ipſe teneam, minime tamen commemorabo, quod veſanam eſſe putem inſaniam, Dei quae ſit natura, diſquirere: nam humana haec ipſa, nedum Dei naturam, perfecte adſequi mortales haudquaquam exiſtimo. Quare tu-*

(d) Procop. *de aedific. Iuſtinian. V.* 7.

(e) Idem *de bello Perſico* I. 5. 25. II. 22.

(f) Caue *Hiſtor. litt. Saec. VI.* p. 283.

(g) Procop. *de bell. Goth.* I. *conſ.* Eichel. *praefat.* n. *XVII. ſequ.*

tius haec ego ſilentio praeteribo, ſola tantum credulitate veneratus. Siquidem de Deo nihil ipſe praeterea adſirmauerim, quam quod bonus omni ex parte ſit, reſque vniuerſas ſua potentia complectatur: de hiſce vero controuerſiis ita quiſque vel ſacerdos, vel priuatus homo, loquatur, quemadmodum ipſi ſentire libuerit. Eſt, vbi PROCOPIVS (h) eadem facilitate optionem facit hominibus, prouidentiamne credere velint, an fato, & caſu, impetuque temerario, res humanas ferri. Ex quibus facile intelligitur, PROCOPIVM gentilium ſuperſtitione & chriſtianorum tum viuentium altercationibus offenſum, neutri ſe parti addixiſſe, & genus quoddam religionis tertium, ex philoſophia & chriſtianiſmo conflatum, ſibi temere finxiſſe. Vnde male illi quidem ſentiunt, qui hominem gentilibus accenſent, ſed nec melius illi, qui inter Chriſtianos ei locum concedunt. Optime vero eius religionem perſpexiſſe videtur doctiſſimus NICOLAVS ALEMANNVS (i), qui eius ἀνέκδοτα, ſeu arcanam hiſtoriam, primus in lucem edidit. Is enim de celeberrimo auctore hoc fert iudicium. *Ad eos ſe compoſuiſſe videtur Procopius, quos* POLITICOS *adpellant, ſed longe verius omnium haereſium ſentinas, prorſusque atheos adpellarent, qui licet in ſpeciem chriſtiani videantur, nullique ſectae nominatim addicti ſint, priuatis tamen rationibus vel reipublicae commodis chriſtianam religionem pietatemque metiuntur, neque de Deo, quid ſentias quidue doceas, ſi res ita ferat, vehementer laborant.*

§. XXIV.

SYNESIVS, Denique in eamdem ſemichriſtianorum claſſem non dubito referre SYNESIVM, gente Pentapolitanum, domo Cyrenenſem, philoſophum Platonicum, qui incredibili doctrinae facundiaeque fama, ſaeculo quinto ineunte, claruit. Hic, paganus quum eſſet, ſublimiori, quod prae ſe tulit, philoſophiae genere tantam ſui admirationem concitauit, vt ipſi chriſtiani eum ſuae religioni deditum crederent, & vrbis Ptolemaidis conſtituerent epiſcopum, non modo nihil tale ſperantem, ſed & refugientem, & fatentem diſertis verbis, ſe nec animarum προϋπαρξιν negare, nec mundi interitum, defunctorumque in vitam reditum, vnquam credere poſſe (k). Temerarium hoc videri poterat ignarae plebis facinus, quod impetu magis inconſiderato, quam iudicio & ratione, admiſerit. Sed ratam rem habuit Theophilus, Alexandriae antiſtes, qui Syneſium epiſco-

(h) Procop. *de bell. Vandal. II.*

(i) Nicol. Alemann. *praefat. ad Procop. ἀνέκδοτα. p. XI.*

(k) Syneſ. *Epiſt. CV. p. 249. edit. Dion. Petauii.*

epiſcopum conſecrare non dubitauit, ſperans fore, vt aliquando rectius ſapiat, ſi diligentius inſtitueretur. Memoriae hoc prodidit EVAGRIVS (l), cujus narrationi NICEPHORVS (m) addit, SYNESIVM, a Theophilo ad ſaniorem mentem adductum, ſacrum baptiſmi lauacrum ſuſcepiſſe. Sed, quod pace horum omnium dixerim, Theophilus peſſimo ad omnem poſteritatem exemplo paganum praefecit eccleſiae, ex Platonico, aut ſaltim Platonizante, non epiſcopum chriſtianum, ſed philoſophum ſemichriſtianum futurum. Sane enim SYNESIVS etiam, ſumma iſta inter chriſtianos dignitate auctus, nonniſi religionem quamdam ἐκλεκτικὴν, ex chriſtianiſmo & Platonica barbaricaque philoſophia conflatam, ſectatus eſt. Multa equidem, fateor, egit docuitque epiſcopus, chriſtiano antiſtite digna. Legit interpretatuſque eſt ſacras litteras (n): conuocauit ſynodos (o): externae eccleſiarum ſuarum tranquillitatis fuit ſtudioſiſſimus (p): perperam docentes non ipſe tantum ſtilo compeſcuit, ſed & presbyteris, idem vt factitarent, auctor fuit (q): exercuit etiam haud negligenter diſciplinam eccleſiaſticam (r): quin & de Chriſto pro omnium peccatis cruci adfixo ipſoque Spiritu ſancto praeclare nonnunquam diſſeruit (s): Sed his omnibus nondum adducor, vt Syneſium ſerio Chriſtianum fuiſſe perſuadear. Videtur potius vir doctus, quum ad epiſcopatum ſe compulſum intelligeret, ad prudentiae ciuilis regulas ſe totum compoſuiſſe, eaque omnia egiſſe, quae chriſtianum epiſcopum decere intelligebat, ſalua tamen ſentiendi libertate, quam tanti habebat vir callidiſſimus, vt ea demum lege ſacerdotium ſubiret, ſi iſta ſibi intacta relinqueretur (t). Sane in operibus ſuis ita ſaepenumero diſſerit, vt gentilem vbique agnoſcas. De Fortuna, Fama, Mercurio & ſtellis, tamquam de veris diis deabuſque, loquitur (u): vbi de peccato, de viribus humanis, de gratia, aliiſque huius generis capitibus diſſerit, adeo πλατωνίζει, vt nec miſeriam hominis, nec oeconomiam ſalutis, ſatis videatur adſequutus. In libro de inſomniis, Chaldaeorum teletas & oracula, Aegyptiorum myſteria & ſecretiores artes, mirifice extollit, nonnullaſque amborum

(l) Euagr. *Hiſt. Eccl. I.* 15.

(m) Nicephor. *Hiſt. Eccl. XIV.* 45.

(n) *Vid.* Syneſ. *Homil. in Pſalm. LXXIII. quae nouiſſimae editioni Pariſ.* 1633. *acceſſit.*

(o) Idem *Epiſt. XIII. p.* 174.

(p) Idem *Epiſt. LXVI. LXVII. p.* 206. 208.

(q) Idem *Epiſt. V. p.* 169.

(r) Syneſ. *Epiſt. LVII. & XII. p.* 191. 173.

(s) Idem *Epiſt. LVII. l. c. & LXVII. p.* 208. *ſq.*

(t) Syneſ. *Epiſt. CV. pag.* 249.

(u) Idem *Epiſt. XLIII. XLIV.* 181. *ſequ.*

borum opiniones praecipuas, & a chriſtianiſmo alieniſſimas, amplectitur. Quae omnia quantopere non dicam ab epiſcopi, ſed chriſtiani, perſona abhorreant, nemini profecto obſcurum eſſe poteſt. Sunt equidem, qui hunc librum non minus, ac famoſa ſcholia & epiſtolam ad Dioſcorum (x), magnum Serapidis ſacerdotem, a Syneſio, nondum chriſtiano, ſcriptum contendunt. Sed praeterquam quod hoc ipſum dubium videtur, illud contra certiſſimum, in libris de prouidentia, laude caluitii & cataſtaſi, quae omnia ab eo iam epiſcopo ſcripta eſſe conſtat (y), eaſdem nugas occurrere, paullo obſcurius tamen propoſitas, ne, quam induerat, epiſcopi perſonam incautius agere videretur. Et quid quaeſo verbis opus eſt, vbi res ipſa loquitur? Syneſii iam Epiſcopi opus procul dubio ſunt hymni, in quibus tamen ita philoſophatur, vt dubium ſit lectori, chriſtianumne an Chaldaeum aut Aegyptium quemdam epoptam canentem audiat. Quis chriſtiana putet, quae de λόγῳ ſcribit SYNESIVS (z):

Λόγος ὃν μεγάλῳ	*Verbum, quod magno*
Πατρὶ συνυμνῶ,	*Cum patre cano,*
Νόος ἀῤῥήτου	*Mens ineffabilis*
Τίκτει σε πατρός.	*Gignit te Patris.*

Omnia haec ſunt ex Aegyptiorum barbarorumque ſchola. Habemus enim hic patrem ἄῤῥητον, νοῦν & λόγον, ex quibus deinde Valentinus tres primos aeonas maſculos fabricauit. Ex eadem officina ſunt, quae ſequuntur (a):

Πρῶτος πρώτης	*Primus ex prima*
Προθορὼν ῥίζας	*Prognatus radice,*
Ῥίζα δὲ πάντων	*Radix autem omnium;*
Τῶν μετὰ κλεινὰν	*Quae condita ſunt*
Τὰν σὰν γένναν.	*Poſt inclytum*
	Tuum ortum.

Primam ſcilicet Tetrada Valentiniani etiam vocabant ῥίζαν τῶν πάντων, & logum ex illa eductum *patrem* & *radicem omnium, qui poſt eum exſtiterunt.* Quis chriſtianus porro ita cecinerit (b):

Μάκαρ,

(x) *Vide de his ſcholiis & Epiſtola, quae chemiam inculcant*, Petr. Lambec. *Comment. de Bibl. Vindebonenſ. VI. 2. pag. 168. ſequ.* Borrichii *Vindic. Hermet. &* Morhof. *Polyhiſt. litter. I. 11. pag. 113.*

(y) *Conferri etiam poteſt Epiſt. CXLI. in qua ſimilia deprehendit oculatus in his rebus* Morhoffius.

(z) Syneſ. *Hymn. IV. v. 130. ſequ. p. 337.*

(a) Syneſ. *l. 3. v. 136.*

(b) Syneſ. *Hymn. I. v. 112. p. 315.*

Μάκαρ, ὅστις μετὰ μοῖραν
ἐπιβὰς νόου κελεύθων
Βυθὸν εἶδεν θεολαμπῆ

Beatus, qui poſt fata
Ingreſſus mentis vias.
Bythum vidit, diuina refulgentem luce.

Vbi beatitudinem Syneſius collocat in viſione Bythi, quod & Chaldaei faciebant, quorum in ſcholis hic Bythus natus eſt (c). Ita vbique aliud agit Syneſius, etiam, vbi Chriſtum hymnis celebrare videtur, λόγον illum, in Chaldaeorum Platonicorumque ſcholis natum, celebrat, cui plus fortaſſis, quam λόγῳ chriſtianorum, tribuit. Quid? quod eo prolapſus ſit SYNESIVS, vt putidum iſtud Aegyptiorum ſomnium de Deo ἀῤῥενοθήλῳ vigilans ſomniare non dubitauerit. Audiat mihi quis egregium illum Chriſtianum, SYNESIVM, ita canentem (d):

Μονὰς εἶ μονάδων,	*Vnitas es vnitatum,*
ἀριθμῶν ἀριθμὸς,	*Numerorum numerus,*
ἓν δὲ πρὸ πάντων,	*Et vnum ante omnia,*
Θῆλυ καὶ ἄῤῥεν.	*Foemina & mas,*

& alio loco (e)

Σὺ πατὴρ, σὺ δὲ ἐσσὶ μάτηρ,
Σὺ δ' ἄῤῥεν, σὺ δὲ θῆλυ.
Tu pater es, tu mater,
Tu mas, tu vero foemina.

Nihil hic chriſtianum, nihil, quod non Orphei, Aegyptiorum & haereticorum, ex his ſcholis prodeuntium, lacunas redoleat. Ex his enim ſua arua irrigaſſe SYNESIVM, ſatis adparet ex iis, quae de Deo veterum ἀῤῥενοθήλῳ commentati ſunt IO. ALB. FABRICIVS (f), IS. CASAVBONVS (g) & alii complures. Ceterum talium pleniſſimi ſunt illi Syneſii hymni. Vnde ipſe GVIL. CAVEVS (h): *Hymnorum*, inquit, *prora & puppis ex iiſdem oraculis*, (Chaldaeorum & Aegyptiorum,) *vocabulis quoque iiſdem adhibitis, conficiuntur. Quare* ſuſpicatur vir doctiſſimus, *voluiſſe Syneſium trans-* ferre

(c) *Vid.* Zoroaſtris *Orac. v.* 39. *& ibi* Io. Cleric.

(d) Idem *Hymn.* III. *v.* 186. *p.* 320.

(e) Idem *Hymno II. v.* 93. *ſequ. p.* 317.

(f) Io. Alb. Fabricius *Cod. N. T. p.* 361.

(g) Iſaacus Caſaubon. *Exercit. I. ad Baron. n. XVIII.*

(h) Caue *Hiſt. litt. Part. II. Saec. V. p.* 85. *conf. &* Io. Pearſonii *Vindiciae Ignatii* II. 5. *p.* 362. *edit. Clerici.*

ferre ad theſauros hominis Chriſtiani, quantum poterat, de gemmis Chaldaeorum & Aegyptiorum, idque ipſum in praefatiuncula ad librum de inſomniis aenigmatice inſinuare. Ego vero inde colligere malim, Syneſium, ex eo tempore, quo ad epiſcopatum peruenerat, nunquam, quod quidem conſtet, Chriſtum ſerio coluiſſe, ſed, recepto his ſaeculis more, philoſophiae cuidam ſublimiori, doctriniſque interpolatae chriſtianis, dediſſe operam. An vero ante mortem receptui cecinerit, abiectaque illa ſtulta ſapientia, totum ſe Chriſto tradiderit, is nouit, ὃς ἔγνω τοὺς ὄντας αὐτοῦ (i).

§. XXV.

An etiam SENECA.

Hi ſunt praecipui, quos in philoſophorum ſemichriſtianorum numerum referendos putamus, gentiles philoſophi. Plures forſitan potuiſſent recenſeri, ſi aliorum ſequi voluiſſemus ſententiam: ſed vereor, ne de multis perperam ita iudicetur. Sic quidam (k) inter philoſophos χριστιανίζοντας locum etiam concedunt L. ANNAEO SENECAE, Cordubenſi, qui doctrina non minus philoſophica quam publicis negotiis gerendis, rerumque ciuilium vſu, maximam ſibi gloriam peperit. Et ſane, ſi eius philoſophandi rationem intueamur: ea graue quid omnino & virile prae ſe ferre, tamque ſublimis incedere videtur, vt inter ſtoicos, ſi ab EPICTETO diſceſſeris, vix parem agnoſcat. Quo factum etiam eſt, vt non heri demum aut nudius tertius maxima eius inter chriſtianos coeperit eſſe admiratio, ſed iam olim non defuerint, qui eum vel Chriſtianorum ſacris initiatum, cum ipſoque PAVLLO familiarius per litteras colloquutum (l), vel conflatam ex Chriſtianiſmo & ſtoiciſmo doctrinis philoſophiam excoluiſſe, vel certe multa, chriſtianorum principiis conſentientia, docuiſſe (m), exiſtimarint. Sed vereor, ne iſti omnes magnopere opinione ſua fallantur. Chriſtianum enim primo non arguit vita ad omne ſcelus profligata, quam in SENECA DIO CASSIVS (n) notauit, nec diſſimulare potuit TACITVS (o). Quamuis enim hic nihil non agat, vt hominem excuſet: videtur tamen lauare aethiopem: ſiquidem ipſe fateri cogitur, etiam, viuente illo, & in palatio fulgente, famam hanc fuiſſe vulgatiſſimam, adeo, vt vir ſummae auctoritatis eum detulerit,

(i) 2. Timoth. II. 19.

(k) Guil. Caue *Chriſt. Primit. I. 3. p. 64.*

(l) *Vide* Hieronymi *Catalog. Scriptor. eccleſ. & ibi Interpretes.* Io. Alb. Fabric. *Cod. Apocryph. N. T.*

(m) Tertullianus *de Anima cap. XX. & Apologet. cap. XII.* Auguſt. *de Ciuit. Dei VI. 11.*

(n) Dio Caſſius *aut potius* Xiphilin. *LXI. p. 694.*

(o) Taciti *Annales XIII. 42.*

Digitized by Google

lerit; *tanquam domus Germanici adulterum, & cubicula principum foeminarum corrumpentem.* Accedit, quod PLINIVS (p) verſuum ſotadicorum laſciuiam Senecae exemplo tuetur, qui & ipſe ſe luſibus eiuſmodi turpiſſimis dederit. Quae ſpurcities quum ab hominis, ne dicam philoſophi, perſona abeſſe debeat quam longiſſime: quis non intelligit, Senecae flagitia, adſumto ſtoico ſupercilio, ſanctitatis famam adfectaſſe, ipſumque philoſophum a Chriſto fuiſſe alieniſſimum? Deinde ne id quidem dixerim, quod Seneca aut chriſtianis quaedam debuerit, aut adeo multa ſcripſerit, quae ad Chriſtianam doctrinam accedant. Nihil enim in eius operibus ocurrere videas, quod non a quouis ſtoico, etiam ante naſcentem Chriſti eccleſiam viuente, potuerit proficiſci. Splendida quidem ſunt, quae nonnunquam iactat verba, de inhabitante in homine Deo, aliiſque eiuſmodi doctrinis ſublimioribus, quae adeo admiratus eſt IVSTVS LIPSIVS (q), vt epiſtolis quibuſdam adſcripſerit: *O pulcram! o altam epiſtolam!* aſt ſtatim ceſſat legentis admiratio, ſimulac verba iſta eo, quem SENECA intendit, ſenſu, i. e. ſτωϊκῶς intelligit. Vnde recte a MALEBRANCHIO (r) aliiſque obſeruatum eſt, nihil plerumque in tam magnificis Senecae verbis latere, praeter doctrinas quaſdam ſtoicorum futiles ac vulgares, quae ſublato iſto verborum colore in fumum veluti abeant, auidumque lectorem deſtituant turpiter.

§. XXVI.

Nec magis huc referre auſim illam φιλοσοφίας ἁπάσης ἀφροδίτην καὶ λύραν, PLVTARCHVM Chaeronenſem, cuius opera ita comparata ſunt, vt iis ex omni antiquitate nihil omnino videatur anteferendum. In hoc viro cum alia multa, tum id praecipue mirandum eſt, quod nulli ſectarum ſe dedidit, ſed veritatem per omnes diſperſam, tanquam Hippolyti membra, pro virili collegit. Multa in ſtoicis, multa in Epicureis ipſiſque Platonicis reprehendit, & tamen ab omnibus quaedam petit*, quin neque Iudaeorum etiam atque Aegyptiorum myſteriis nullum ſtatuit pretium, ſi quando ad rem facere videntur. An ergo probabile videatur, hominem tam curioſum & laudanda chriſtianorum exempla quotidie contemplantem, nunquam inceſſiſſe cupiditatem, horum etiam ſapientiam cognoſcendi atque in vſum transferendi, praeſertim quum ſectae ſtudio nullatenus prohiberetur? Certe ita paene viſum eſt PLVTARCHVS.

(p) Plin. *Epiſt. V.* 3.
(q) Lipſ. *ad Senecae Epiſt. XLI.*
(r) Malebranche *de inquir. verit.* II. 4. *conf.* Menagiana Tom. II. *ſub init.* Sancuremoniana Tom. II. p. 32.

RVALDO (s), qui tanquam neſcio quid ſingulare obſeruat, PLVTARCHVM rerum chriſtianarum nuſquam in alterutram partem meminiſſe, cuius rei hanc rationem reddit TILLEMONTIVS (t), quod eos nec laudare auſus ſit, nec traducere, aequum putauerit. Et ſane monſtro paene ſimile eſt, hominem tam curioſum, qui nulli veterum aeque, ac aequalium philoſophorum, pepercit, quique ſuum erga Iudaeos odium diſſimulare non potuit, qui denique de omnium gentium ſacris mira libertate iudicauit, in tot operibus, chriſtianorum in neutram partem meminiſſe, etiam quum commodiſſima eſſet eos commemorandi occaſio. Ea vtique aetate floruit PLVTARCHVS, quum chriſtianum nomen tam eſſet exoſum, vt philoſophi maiorem ab Imperatoribus gratiam inire non poſſent, quam ſi omne ſuum virus in chriſtianos effunderent. Cur ergo ſolus ab hac intemperie abſtinuiſſet Plutarchus, iudicandi libertate nemini ſecundus? Cur ſolos chriſtianos ſine cenſura dimiſiſſet, in quos tum Traianus aeque ac Hadrianus ſaeuiebant? Cur hanc gratiam aucupandi occaſionem e manibus ſibi elabi paſſus eſſet? Accedit, quod THEODORITVS (u), quem ſupra laudauimus, non ſemel innuat, Plutarchum a chriſtianis profeciſſe, & ſacra audiuiſſe euangelia. Denique & ipſa, quam in PLVTARCHI operibus deprehendimus, philoſophandi ratio, tam ſublimis viſa eſt multis, vt auctorem prope a Chriſto abfuiſſe crediderint. Vnde IOANNES (x), Euchetarum metropolita, eo prolapſus eſt ſtultitiae, vt canere non dubitarit:

Εἴπερ τινὰς βούλοιο τῶν ἀλλοτρίων
Τῆς σῆς ἀπειλῆς ἐξελέσθαι, χριστέ μου,
Πλάτωνα καὶ Πλούταρχον ἐξέλοιό μοι,
Ἄμφω γάρ εἰσι καὶ τὸν λόγον καὶ τὸν τρόπον
Τοῖς σοῖς νόμοις ἔγγιστα προσπεφυκότες.
Εἰ δ' ἠγνόησαν, ὡς θεὸς σὺ τῶν ὅλων,
Ἐνταῦθα τῆς σῆς χρηστότητος δεῖ μόνον,
Δι' ἣν ἅπαντας δωρεὰν σώζειν θέλεις.

Si quos auerni liberare nexibus
Tibi conſtitutum eſt, Chriſte, non credentium:
Precibus Platonem redde, ac Plutarchum, meis,
Vterque quorum moribus & ſententia

Acceſſit

(s) Rualdus *in vita Plutarchi* p. 16.
(t) Tillemont *hiſtoire des Empereurs* Tom. II. p. 477.
(u) Theodorit. *in Therapeut.* II. p. 33.
(x) *Apud* I. A. Fabric. *Bibl. Gr.* IV. 11. p. 331.

Acceſſit ad leges tuas quam proxime.
Quod ſi, Deum eſſe te vniuerſi, pridem eos
Latuit, modo hos nunc experiri gratiam
Concede, qui gratis beare omnes cupis.

Sed vt vera fateamur, vix vllam animaduertimus rationem, quae Plutarchum philoſophis, de quibus agimus, ſemichriſtianis accenſeri ſuadeat. Quod chriſtianorum non meminerit, equidem mirum eſt, ſed, vt vnius rei plures poſſunt eſſe cauſſae, ita nolim inde ſingularem quamdam ad chriſtianiſmum procliuitatem colligere. Fortaſſis non dignos habuit homines, vulgo exoſos, & ſuppliciis quidem extremis deſtinatos, quorum in coetibus ſapientiam quaereret. Ad THEODORITVM quod attinet, adfirmat ille quidem, Plutarchum ſacra Chriſti euangelia inaudiuiſſe, ſed nec probat id ipſe, nec ex operibus Plutarchi id conſtat, in quibus nihil occurrit, quod ex euangeliis, ac non potius ex aliorum philoſophorum commentariis, depromtum videatur. Et quo ſimul patet, quid de Ioannis verſiculis ſentiendum ſit. Non potuiſſet enim ſe auctor traducere turpius, quam dum, Platonem aeque ac Plutarchum chriſtianis conſententia docuiſſe, adfirmauit.

§. XXVII.

Ceterum quemadmodum paullo faciliores ſunt, qui Plutarchum gentilium numero eximere non dubitant: ita in alteram partem iniquiores videntur, qui SEVERINVM BOETHIVM, ſcriptorem fatis ſuis nobiliorem, e chriſtianorum diptychis expungunt, & his philoſophis ſemichriſtianis accenſent (y), nullo alio adducti argumento, quam quod carceris taedia philoſophando ſuperare, animique aegritudini notiſſimum libellum de conſolatione philoſophiae opponere ſuſtinuerit. Sed ſi hoc argumento velis vti, multos profecto ex eccleſia eiicies viros probos ac vere chriſtianos, qui & ea, quae ratio ſuppeditat, in iis calamitatibus non adſpernati, & carcere pro muſeo vſi ſunt (z). Vnius poſitionem non eſſe alterius remotionem, peruulgatus eſt philoſophorum canon, quem negligere illi mihi videntur, qui ex hoc libello colligunt, BOETHIVM e ſola philoſophia, neglectis ſacris oraculis, ſolatium petiiſſe. Sed non opus eſt verbis, quum tot BOETHII opera theologica (a) ſatis declarent, eum chriſtianae veritatis multo fuiſſe ſtudioſiſſi-

Et SEV. BOETHIVS huc referendi?

(y) Arnold. *in Hiſt. eccleſ. & haeret. Saec. VI.* 3. *pag.* 267.
(z) Vignol. Maruille *Tom. I. Miſcell. litter. p.* 365.
(a) Guil. Caue *Hiſt. lit. Saec. VI. p.* 274. I. A. Fabric. *Bibl. Latin.* III. 15. *p.* 644. *ſequ.*

dioſiſſimum, & praeter libellum de conſolatione exſtet etiam alter, ad ſocerum de trinitate, quem non minus in carcere ſcripſit. Quo ipſo totius argumenti, quod ARNOLDVS Boethii chriſtianiſmo oppoſuit, neruus plane elangueſcit.

§. XXVIII.

Philoſophi Chriſtiani quidam ad gentiliſmum procliuiores.

Sed dicta haec ſufficiant de philoſophis ſemichriſtianis primi generis, qui ad paganam ſuperſtitionem erant paullo procliuiores, eamque petitis ex ipſo chriſtianiſmo dogmatibus callide interpolabant. Dicendum etiam eſſet de iis, qui, quum Chriſtum profiterentur, in multis fecerunt cum paganis. Sed mare tunc profecto ingrederemur, vix vnquam enauigandum. Dicendum eſſet de patribus quibuſdam, qui tam incaute paganorum amplexi ſunt ſententias, vt vix pauca chriſtianiſmi veri ac purioris remanerent veſtigia. Recenſendi eſſent philoſophi, profeſſione chriſtiani, qui vix vllis chriſtianae religionis dogmatibus, praeter moralia quaedam & rationi etiam non ignota, retentis, in ceteris aut ἑλληνίζειν, aut ſuo indulgere ingenio viſi ſunt. Repetendum porro ex hiſtoria eccleſiaſtica eſſet, pleraſque illas haereſes, quae vel prima, vel ſequiore aetate eccleſiam turbarunt, ex chriſtianiſmi & philoſophiae gentilis mixtura prodiiſſe, atque adeo haereticos fere omnes nihil eſſe aliud, quam philoſophos ſemichriſtianos. Sed quum & chartae, & eius, in qua diſputamus, cathedrae ſit habenda ratio: ſingula, quae commemorauimus, philoſophorum eiuſmodi ἑλληνο-chriſtianorum genera, vno tantum ac item altero exemplo illuſtrare iuuat. Ad patres quod attinet, nemo fortaſſis ignorat, quid ORIGENI acciderit, qui quum chriſtianus eſſet, & in eccleſia Alexandrina presbyter, tot Platonis dogmata adoptauit (b), iiſque interpolauit chriſtianiſmum, vt, ſi ex libris iudicandum eſſet, aeſtimare vix poſſis, Chriſto, an Platoni plus tribuerit. Recepit enim huius dogmata non ea modo, quae aliquatenus videri poſſent cum religione chriſtiana conſpirare, ſed & quae huius principia manifeſto deſtruunt (c), qualia ſunt de tribus hypoſtaſibus ſibi ſubordinatis, de praexiſtentia animarum, de earum lapſu in corpora, de futura beatitudine ſpeculatiua, quae omnia ab Origene non modo incaute recepta, ſed & manifeſto defenſa ſunt. Fortaſſis quidem hae ſtipulae in igne tentationum denique conflagrarunt: ſed certum tamen eſt, quidquid alii ſentiant, Origenem tum ſaltim, quum iſta

(b) *Conferenda hic* Huetii *Origeniana & tot pro Origene Apologiae, quas recenſet* Fabr. *Bibl. Gr. V.* 1. *p.* 237.

(c) *Conſ.* Pagan. Gaudent. *de dogmat. Origenis cum dogmatis Platonis comparatis. Florent.* 1639. 4to.

iſta ſcriberet, potiore iure ſemichriſtianis, quam aut genuinis Platonicis, aut genuinis chriſtianis potuiſſe accenſeri. E recentioribus, qui ad paganiſmum, quam chriſtianiſmum, viſi ſunt procliuiores, plures huc referri poſſent, ſed vt breuitati ſtudeamus, & amoliamur inuidiam, paucos commemorabimus. Notum eſt in republica litteraria MARSILII FICINI nomen, qui ſub ſaeculi XV finem philoſophiam Platonicam illuſtrauit, eamque ita excoluit, vt chriſtianae pietatis ſenſum paene omnem amiſiſſe videretur. Sane non dogmata ſolum Platonis, etiam peſtilentiſſima, defendit: ſed & de immortalitate animae ſubdubitauit, quod eam a PLATONE in Phaedone dubitanter admodum inculcari deprehenderet, vnde notum eſt, quam ſtolide inter ſe pacti ſint MARSILIVS FICINVS & MICH. MERCATVS (d), vt, vter illorum decederet prior, alterum de veritate huius dogmatis commonefaceret. Quin immo & ita vixiſſe ferunt MARSILIVM, vt religionis & pietatis curam philoſophiae ſtudio plane poſthabuerit, donec HIER. SAVANOROLAE Florentiam aduenientis eloquentiam admiratus, ſacris eius orationibus auditis, pietatis chriſtianae igniculos conceperit, ex eoque tempore ad obitum vſque vixerit religioſius (e). Nec melior Ficino fuit M. ANTONIVS de PROSPERIS, qui ſuperiore ſaeculo Romae ita philoſophatus eſt, vt Cynicam ſpurcitiem & Epicureorum ingluuiem chriſtianae religioni longe antehabuerit. Mira ſunt ac prope ridicula, quae de eo retulit IANVS NICIVS ERYTHRAEVS (f), veluti, quod Romae in Suburra inter faecem & quiſquilias vrbis, hoc eſt, inter eos, quos Zingaros vocant, habitauerit, quod pro lecto culcitram humi ſtratam, pro bibliotheca fictile dolium, pro ſcriniis ligneam grauicembali thecam habuerit, & inter has ſordes ita vixerit, vt tota vitae ratione Cynicum potius referret, quam chriſtianum. Sed neſcio, an quiſquam ſibi hic potiore iure locum depoſcat, quam IVL. POMPON. LAETVS, qui vergente iam ad finem ſaeculo XV, Romae floruit, &!, vt MORERIVS (g) ait, *vitam egit philoſophicam, parum curans religionem pietatemque chriſtianam.* Dici non poteſt, quam deplorando ſtultitiae genere laborarit homo miſerrimus, poſteaquam veteris

(d) Baron. *ad ann.* CCCCXI. *prope finem.*

(e) Henricus Wharton *Append. ad* Cauei *Hiſt. litt. Tom. I. p.* 112. Dupin *Biblioth. eccleſ. p.* 111. *Tom. XII.*

(f) Ian. Nici Erythr. *Pinacothec. I. n. XXXI. pag.* 56.

(g) Morer. *Diction. Tom. II. p.* 891. *Il revint depuis à Rome, où il vivoit en philoſophe, ſans ſe ſoucier de la religion & du chriſtianiſme.*

veteris, vt aiebat, ſapientiae amator, hanc ſolam chriſtianae religioni aut antehabere, aut iungere coepit. In domo, quam in Quirinali ſibi comparauerat, natalem vrbis feſtum ſacrumque habebat, in eadem diuinis honoribus colebat Romulum, vrbis parentem, quin non poterat veteris Romae paganae meminiſſe, quin lacrymas, *admonitu*, vt ipſe dicere ſolebat, *meliorum temporum*, liberaliter funderet (h). En denuo philoſophum ſemichriſtianum, in eo tamen reliquis deteriorem, quod nec ex chriſtiana religione adeo multum retinuit, nec philoſophiam quamdam ſublimiorem ſectatus eſt, ſed omnem paene ſapientiam in antiquis ritibus, ſacris Romanorum ſuperſtitioſis, ſtolida curioſitate quaeſiuit, donec vergente aetate, vt a quibuſdam traditum eſt, chriſtiana religio ei paullo magis curae eſſe coepit. Denique, ne id quidem negari poſſe arbitror, omnes paene, quicunque olim eccleſiam turbarunt, haereticos, in hunc philoſophorum ſemichriſtianorum numerum eſſe referendos. Valentiniana enim deliria, vel e Kabbala, vt celeberrimus BVDDEVS (i) exiſtimauit, vel, vt RENATVS MASSVETVS (k) mauult, ex Aegyptiorum lacunis, in purioris chriſtianae religionis fontes deriuatis, exſtiterunt. Sic & Gnoſticos chriſtianiſmum & Platoniſmum, nec non Chaldaica φιλοσοφήματα miſcentes, haereſin peſtilentiſſimam excluſiſſe, vel PLOTINI & PORPHYRII (m) teſtimonio conſtat. Porro & Manichaeos e Perſarum philoſophia & religione chriſtiana veluti vnum corpus male cohaerens conflaſſe, atque adeo ſemichriſtianos fuiſſe philoſophos, tam notum eſt profecto, quam quod notiſſimum (n). Sed plura hic addere nihil attinet, quum quae dicta adhuc ſunt, ad inſtitutum noſtrum abunde ſufficere videantur.

§. XXIX.

Cauſſae ſemichriſtianiſmi philoſophici ex parte gentilium.

Quae fuſius hactenus expoſita ſunt, ad exiſtentiam atque indolem horum philoſophorum explicandam maximam partem pertinent. Diſpiciendum ergo nunc porro eſt, quaenam fuerint huius ſemichriſtianiſmi cauſſae; & primo quidem, qui factum ſit, vt, quum aliqui gentilium philoſophorum tam multa dogmata Chriſtiana

(h) *Vide, quae ex* Angelo Politiano, Sabellico, Eraſmo, & Pignorio *de eo refert* G. I. Voſſius *de Hiſtor. Latin.* III. 8. *p.* 190. *ſequ. Tom. IV. Oper.*

(i) Buddeus *diſſert. de haereſ. Valent. iuncta hiſtoriae phil. Ebraeor.* Io. Alb. Fabric. *Bibl. Gr. V.* 1. *p.* 201. Steph. le Moyne *Var. S. p.* 163. *Tom. II.*

(k) Ren. Maſſuetus *diſſert. I. ad* Irenaeum *edit. Pariſ.*

(l) Plotin. *Ennead. II. libr. IX. qui totus aduerſus* Gnoſticos *ſcriptus eſt.*

(m) Porphyr. *de vita Plotini cap. XVI.*

(n) Thom. Hyde *de Religione veterum Perſ. cap. XXI.*

ſtiana imbiberint, ipſamque legerint ſacram ſcripturam; ab ipſo tamen Chriſto ſemper manſerint alieniores? Et hic quidem in ipſa horum philoſophorum mente cauſſam praecipue quaerendam arbitror. Omnes enim, quos ſupra recenſuimus, gentiles non tam ſerio veritatis ſtudio, quam aemulatione Chriſtianorum, tenebantur, nec tam meliores eſſe, quam Chriſtianis doctiores, videri cupiebant. Qualis adfectio, vbi ſemel animum occupauit, ſane nec ipſa ſalus hominem eiuſmodi miſerrimum ſeruauerit: ilicet, actum eſt. Etenim ſuae quemque infirmitatis conſcientia ſatis edocet, ipſique aliquatenus id agnouerunt gentiles, neminem ad veram poſſe ſapientiam adſpirare, niſi DEO duce vtatur. Recte apud ARRIANVM EPICTETVS (o): οὐκ εἰκῇ ταῦτα γίνεται, οὐδ' ὡς ἔτυχεν· ἀλλὰ καὶ ἡλικίαν εἶναι δεῖ, καὶ βίον, καὶ θεὸν ἡγεμόνα. *Non temere iſta fiunt*, (loquitur de ſtudio & profeſſione ſapientiae,) *neque forte fortuna, ſed & aetate opus eſt, & certa vitae ratione, & DEO duce.* Quibus praemiſſis ſtatim addit philoſophus: ἀπολιπόμενος μὲν οὐδεὶς ἀνάγεται, μὴ θύσας τοῖς θεοῖς, καὶ παρακαλέσας αὐτοὺς βοηθοὺς, οὐδὲ σπείρουσιν ἄλλως οἱ ἄνθρωποι, εἰ μὴ τὴν Δήμητραν ἐπικαλεσάμενοι, τηλικούτου δ' ἔργου ἁψάμενός τις ἄνευ θεῶν ἀσφαλῶς ἅψεται; *Nemo e portu ſoluit, niſi ſacra Diis fecerit: neque aliter ſerunt agricolae, niſi Cerere inuocata. Tantam autem rem,* (ſtudium ſapientiae) *qui neglecto Numine adgreditur, num tuto adgreditur?* Quae ſi vera ſunt, vt ſunt certe veriſſima, quomodo fieri potuiſſet, vt philoſophi illi ad veram peruenerint ſapientiam? Locum non inuenit Dei auxilium, dum animus non veritatis ſtudio, ſed aemulatione, adficitur. Aemulatio enim ſemper cum tumore ac ambitione, quin & odio meliorum, coniuncta, omnes veluti rimulas obſtruit, per quas diuinae lucis radii in animum illabi poſſent; atque adeo mirum non eſt, philoſophos hos, quanto magis a chriſtianis profecerint, tanto remotius ab ipſo CHRISTO abfuiſſe. Secundo & praeiudicia, quibus laborarunt, haud pauca maximopere eos a ſuſcipienda veritate chriſtiana abſterruerunt. Solet enim hoc contingere, vt homines id omne reiiciant, quod cum opinionibus, ſemel animo conceptis, pugnare videtur (p). Tales vero praeiudicatae opiniones haut paucae philoſophorum illorum animis inſederant. Semper ipſis obuerſabantur ex altera parte paganiſmi antiquitas, conſentiens in Deorum cultu plerarumque gentium opinio, philoſophorum antiquorum auctoritas, tot

(o) Arrian. *diſſ. Epict.* III. 21. p. 306.

(p) *Vide* Io. Clerici *tract. de l'incredulité* L. 1. p. 9. *ſequ.*

iacta Deorum oracula ac prodigia: ex altera autem, Chriſti cruci adfixi ταπείνωσις, ipſorum chriſtianorum miſeria ac contemtus, myſteriorum rationi abſtruſiſſima profunditas. Sunt haec praecipua philoſophorum aduerſus chriſtianos argumenta, quae vrgent Celſus & Iulianus apud Origenem & Cyrillum Alexandrinum. Nec alia tum intentione a Porphyrio & Iamblicho Pythagorae; a Philoſtrato Apollonii Tyanenſis; ab Eunapio iuniorum philoſophorum vitae ſcribebantur, quam vt eorum prodigia Chriſti miraculis opponerent (q). Quae omnia tanti eſſe videbantur miſeris hominibus, vt multo tutius exiſtimarent, antiquae ſuperſtitioni inhaerere, quam, admiſſa veritate, his praeiudiciis ſemel ſimulque mittere nuncium. Multos denique fortaſſis a chriſtiana religione abſterruit meticuloſitas, veritos nimirum, ne principum in ſe concitarent indignationem, ſi religionem dudum damnatam atque proſcriptam ſuſciperent. Ita ergo factum eſt, vt multa quidem Chriſtianorum dogmata, potiſſimum moralia, in ſuam rem verterent, nec abduci tamen ſe a gentili ſuperſtitione paterentur.

§. XXX.

Ex parte Chriſtianorum.

At alia eſt ratio chriſtianorum, qui ad paganiſmum plus aequo procliues, religionem philoſophiae poſthabuerunt. Horum enim ſemichriſtianiſmus, ſi quid video, e triplici potiſſimum fonte promanauit. Primus ac praecipuus procul dubio fuit animus improbus, & verae pietatis religioniſque contemtor. Solet enim hoc ſaepius contingere viris etiam eruditiſſimis, vt, dum intellectui excolendo vnice vacant, aut nullam aut minimam voluntatis habeant rationem, eamque veluti obbruteſcere patiantur. Quo fit, vt religionis, ſi quos vnquam conceperunt, igniculi ſenſim veluti elangueſcant, & dum omnia ſibi indulget animus, doctrinas etiam maxime profanas admittat, ac cum chriſtianiſmo temere coniungat. Primo huic errorum fonti accedit alter, ſectae nimirum ſtudium, quod, vbi ſemel radices egit in animo philoſophi, facile eum in ſemipaganiſmum ipſamque idololatriam abripit. *Habet enim hoc*, vt ait ARN. WESENFELD (r), *humanum ingenium, vt a medio, & quaſi puncto rectae rationis, nimis facile in agendo deſciſcat, vnde innumera in rem humanam mala fluxere. Id quod & hic euenit, vbi philoſophi, quos primo, tanquam viros magnos, ſapientia, doctrina & virtute excellentes, aeſtimabant, tandem tanquam numina venerari*

(q) *Vide* Fabric. *Bibl. Gr.* IV. 24. p. 45. & Godofr. Olear. *ad* Philoſtrati vi-*tam Apollon.*

(r) Weſenfeld. *Diſſ. I. de philoſ. ſect. pag.* 33.

rari coeperunt. Hac itaque bruta admiratione hominum, & philoſophica ſuperſtitione regnante, quid facilius eſt, quam vt eiuſmodi homines omnia ſectatorum, dogmata, quantumuis profana, recipiant? Legat modo quis vitam PLATONIS a MARS. FICINO conſignatam, & immodicas, quas paſſim in hunc philoſophum effundit, laudes conſideret: non mirabitur tunc profecto, hominem, tanta Platonis admiratione in tranſuerſum actum, omnia eius dicta veluti oracula excepiſſe. Denique tertiam ſemichriſtianiſmi cauſſam, in temeraria limitum rationis confuſione quaerendam arbitror. Sane enim quum ea demum ſit recta ratio, quae ſe ſuo metitur pede ac modulo, nec vltra peram, quod aiunt, philoſophatur: conſequens eſt, vt non poſſint non illi in errores peſtilentiſſimos, ipſumque paganiſmum, incidere, qui de finibus rationis regundis parum ſolliciti, ipſa quoque myſteria eius iudicio ſubmittunt. Quid enim aliud inde eueniet, quam, vt exploſis primis fidei chriſtianae capitibus, ſoliſque illis, quae rationi probantur, retentis, alia, quantumuis profana, adoptent, ac cum chriſtiana religione coniungant? Quae omnia exemplo non uno poſſent illuſtrari, niſi portus demum eſſet reſpiciendus.

§. XXXI.

Remedia ſemichriſtianiſmo philoſophico opponenda.

Hoc vnum itaque reliquum eſſe video, vt remedia, ſemichriſtianiſmo philoſophico opponenda, paucis commonſtremus. Ea enim quemadmodum ex ipſo ſuperiore paragrapho fluunt, ita non operoſe adeo erunt explicanda. Aduerſus improbitatem itaque & religionis pietatiſque contemtum praemuniendus eſt animus ſedula ac ſeria voluntatis cultura. Subinde recogitandum illud ECCLESIASTAE (s) monitum, quod maxima quoque multarum rerum ſcientia non exſatiet animum, ſed & ipſa ſit ματαιότης ματαιοτήτων. Hoc, ſi quis profundius meditabitur, facile, Deo duce, ſecum ſtatuet, pietatem, veramque cum Deo coniunctionem, omnibus eruditionis theſauris longe eſſe anteponendam. Hanc itaque anhelabit, ad hanc omni ſtudio contendet, hac obtenta & in vera paupertate ſpiritus conſeruata, omnes etiam paganae eruditionis ſcyllas & charybdes tutus praeternauigabit. Quod ad ſectae ſtudium attinet, contra illud tutiſſimus erit, quicunque non tam ad concluſiones ſectariorum, quam ad eorum principia, ſedulo attendet. Blandiuntur nonnunquam Stoicorum, Platonicorum, Pythagoraeorum, doctrinae: & Iouem lapidem iuraret harum rerum ignarus, ſapientiam in iis latere incomparabilem: at vbi corticem detra-

Concluſio Diſſertationis.

(s) Eccleſ. II, 11. ſeqq.

detraxeris, ipſaque eorum principia conſideraueris attentius;

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Facile itaque ceſſabit plerorumque gentilium philoſophorum bruta admiratio, ſi nemo ad eorum lectionem, niſi accurata hiſtoriae philoſophicae cognitione imbutus, acceſſerit. Tertio denique periculo, quod limitum rationis confuſio minatur, opponimus ſedulam imbecillitatum humanarum meditationem, quam ſi quis ſerio ea methodo, eoque ordine, quem in ipſo huius diſſertationis limite commendauimus, inſtituerit, luculenter animaduertet, eſſe praeter rationis lumen aliud longe ſublimius, quod ſolum nobis viam ad veram ſapientiam, felicitatemque ſempiternam pandat. Hoc ergo reuelationis lumen, diuinius ipſi erit & ſanctius, quam vt de eo ad peruerſae rationis lucernam iudicandum putet. Potius ita ſe diuina veritate conuictum ſentiet, vt quidquid cum ea pugnet, nullo loco habendum iudicaturus ſit. PLATO (t) in Phaedone Socratem introducit, multa de animae immortalitate, deque earum e corpore euolantium ſtatu & conditione, ſermocinantem. At ipſe ſtatim addit, rationem in his quaeſtionibus caecutire, atque in vita praeſenti manifeſtam de his rebus veritatem, aut nullo modo, aut difficulter admodum, intelligi poſſe. Ex eo porro colligit Plato, alterutrum fieri oportere ab homine ſapiente, *aut eum diſcere debere ac inuenire, quemadmodum illa ſe habeant: aut ſi hoc fieri nequeat, optimam ac tutiſſimam humanarum rationum eligere, qua, tamquam rate vectus procellas huius vitae pertranſeat.* Tandem vbi omnia incerta ac dubia animaduertit, non ſine ἐμφάσει monet, viam hanc, quam oſtendiſſet, vtique eſſe ingrediendam, εἰ μή τις δύναιτο ἀσφαλέστερον καὶ ἀκινδυνότερον ἐπὶ βεβαιοτέρου ὀχήματος ἢ λόγου θείου τινὸς, διαπορευθῆναι. *Niſi liceat forte iſtas vitae procellas, firmiori quodam vehiculo, vel* DIVINO QVODAM VERBO, *tutius ac minore cum periculo tranare.* Ex quibus verbis ſane patet, Platonem ſola infirmitatum mentis humanae conſideratione eo perueniſſe, vt diuinae reuelationis neceſſitatem agnoſceret, felicior futurus, ſi eamdem ſedulo inueſtigaſſet. Nobis itaque, quibus ille θεῖος καὶ βεβαιότερος λόγος (u) diuino beneficio contigit, ita philoſophandum eſt, vt hoc veluti vehiculo vſi, vitae procellas tranſmittamus ſine periculo, & CHRISTO, in quo omnes ſapientiae theſauri reconditi ſunt, non ex parte, ſed TOTI & VNICE, adhaereamus.

DE

(t) Plato in Phaedon. pag. 604. Tom. II. opp. (u) 2. Petr. I. 19.

DE ORIGINE ATQVE INDOLE
IVRISDICTIONIS
PATRIMONIALIS.

EXERCITATIO VI.

Σύνοψις.

§. I. Ius Romanum priſcis olim Germanis inuiſum. §. II. Hodie tantum eſt ſubſidiarium: & hinc ſemper mores patrii praeferendi. §. III. Id quod praecipue confirmat doctrina de IVRISDICTIONE, *& maxime* PATRIMONIALI, *de qua agendum. §. IV. Diuiſio iuriſdictionis in perſonalem & patrimonialem, deque ea iudicium. §. V. Quae hodie iuriſdictio vocetur patrimonialis? §. VI. Eſt ea Romano iure incognita. §. VII. & hinc origine Germanica. §. VIII. Nec tamen ſaeculo XIII. demum nata, vt putant Hertius & Conringius. §. IX. Quorum argumenta expenduntur. §. X. Vera eius origo eſt antiqua poteſtas dominorum Germanorum in ſeruos & libertos. §. XI. Quaenam fuerit olim ſeruorum in Germania conditio? §. XII. Quis ſtatus libertorum? §. XIII. Dominorum in vtroſque poteſtas. §. XIV. Illuſtratur ea exemplo nobilium in Polonia & Ruſſia. §. XV. Seruilis conditio etiam poſt* Tacitum *in Germania nota. §. XVI. Nec non libertorum, quibus ſimiles hodie ruſtici. §. XVII. An haec antiqua dominorum poteſtas reuera fuerit iuriſdictio? §. XVIII. Qua occaſione ea formam iuriſdictionis induerit? §. XIX. Cur eius ſignum a ICtis ſtatuatur praeſtatio gallinae fumoſae,* des Rauch-Huhns? *§. XX. Vnde nata iuriſdictio circumſepta,* die Pfahl-oder Zaun-Gerichte? *§. XXI. An poſſeſſor huius iuriſdictionis teneatur edere poſſeſſionis titulum? §. XXII. Vtrum cumulatiue an priuatiue praeſumatur conceſſa? §. XXIII. Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Ius Romanum priſcis olim Germanis inuiſum.

GErmanorum veterum mores, ipſaque reipublicae Germanicae indoles, adeo olim a Romanorum inſtitutis ac ſtatu diſcrepabant, vt maioribus noſtris, libertatis amantiſſimis, intolerabilius videretur, Romanas leges admittere, quam ipſum huius populi dominatum ſubire. Sane quamdiu Druſus Germanis ita praeerat, vt ſuis illos legibus viuere pateretur: non adeo aegre ferre videbantur Romanorum imperia. Simul ac vero Quinctilius Varus in Cheruſcis ius more Romano dicere coeperat: adeo peroſi ſunt peregrinae iuriſprudentiae ambages, vt protinus coniurarent, caeſoque Varo, ac tribus legionibus obtritis, in cauſſarum praecipue patronos mira crudelitate ſaeuirent. Rem ita memoriae prodidit L. ANNAEVS FLORVS (a): *Quippe Germani, victi magis, quam domiti erant, moreſque noſtros magis, quam arma, ſub imperatore Druſo, ſuſpiciebant. Poſtquam vero ille defunctus: Vari Quinctilii libidinem ac ſuperbiam haut ſecus, quam ſaeuitiam, odiſſe coeperunt. Auſus ille agere conuentum, & in caſtris ius dicebat, quaſi licentiam barbarorum & lictoris virgis, & praeconis voce, poſſet inhibere. At illi, qui iam pridem rubigine oblitos enſes inerteſque moererent equos, vt primum* TOGAS, *& ſeueriora armis* IVRA *viderunt, duce Arminio arma corripiunt.* Et paucis interiectis: *Itaque improuidum Varum, & nihil tale metuentem, improuiſo adorti, quum ille, (o ſecuritas!)* ad TRIBVNAL CITARET, *vndique inuadunt, caſtra rapiunt, tres legiones opprimuntur. Nihil illa caede per paludes perque ſiluas cruentius, nihil inſultatione barbarorum intolerabilius, praecipue tamen in* CAVSSARVM PATRONOS. *Aliis oculos, aliis manus amputabant: vnius os ſutum, reciſa prius lingua, quam in manu tenens barbarus: Taudem,* inquit, *vipera, ſibilare deſiſte.* Nec iniuria profecto barbari homines, & ſimplicitati aequitatique naturali adſueti, a iuris peregrini ſubtilitatibus abhorrebant. Alia longe penes eos fuerat iuris iudiciorumque facies, ſimplices populi mores, leges pauciſſimae, ac parum ambiguae, iudicia ſeuera atque extemporaria, lites quippe nec vulturum togatorum malitia nec lucri cupiditate protelante. TACITO (b) teſte, etiam grauiſſimae inimicitiae cito inter eos componebantur. Vnde facile colligitur, non niſi raras admodum lites, compoſituque faciles locum apud eos habuiſſe (c). Ab hac vero

(a) Florus *Libro IV. cap. XII.*

(b) Tacit. *de morib. Germ. cap. XXI.*

(c) Conring. *de iudiciis vet. reip. Germ.* §. *XVII. XVIII.*

vero Germanica ſimplicitate quantum diſcedat ius Romanum, nemo ignorat, niſi qui illud nunquam vel a limine ſalutauerit. Quanta, quaeſo, hic legum copia? quantae iudiciorum ambages? quot formularum actionumque captiones? Ab his ergo ſi abhorruerunt maiores noſtri, minime id profecto eſt mirandum, quandoquidem omnes ciuilis prudentiae doctores leges, ſtatui reipublicae populique moribus repugnantes, grauiſſimis reipublicae morbis, qui facile ſentiuntur, accenſere conſueuerunt.

§. II.

Hodie tantum eſt ſubſidiarium: & hinc ſemper mores patrii praeferendi.

Et ab hac quidem maiorum ſuorum ſententia ne hodie quidem plane deſciuerunt Germani. Quamuis enim ius Romanum ex academiis ſenſim in fora penetrauerit (d), nihilque reliqui fecerint iureconſulti, Iuſtinianeae iuriſprudentiae innutriti, vt, profligatis antiquis patriae iuribus, peregrinas iſtas leges in eorum locum ſubrogarent (e): vetus tamen ius Germanicum non potuerunt ita vniuerſum foro eiicere, vt non illud fere vbique primas teneat, & iuri Romano proprie ſic dicto pleriſque in materiis praeferatur. Id quod tum a priori (f), tum a poſteriori (g), tam luculenter demonſtrarunt clariſſimi aetatis noſtrae ICti, vt cauſſam hanc peroratam iam eſſe debere, merito dixeris. Enimuero quamuis facile fateantur cordatiores, ius Romanum in foris noſtris tantum eſſe ſubſidiarium, eoque, quidquid olim maiorum moribus inductum, non plane aboleri (h), maxime quum id ipſae leges Imperii

(d) *Vid.* Conring. *de Orig. Iur. Germ. cap. XXXII. & XXXIII. p.* 204. & 209. Illuſtr. Thomaſ. *in Delineat. hiſt. iur.* §. CLXIII. & *ſequ.*

(e) *Fruſtra contranitentibus Scabinis, de quorum ſimultatibus cum Doctoribus iuris Romani legendus* Dom. Thomaſ. *l. c.* §. *CXXXI. ſeq. & in Animaduerſ. ad* Conradi Sinceri *Diſſertationem Epiſtolicam p.* 48. & *ſequ.*

(f) *Argumentis ſcilicet ab origine & progreſſu iuris Germanici, receptioneque Romani petitis, quod faciunt* Herm. Conringius *in Tract. de origine Iuris Germ.* Conradus Sincerus *in Diſſert.* Epiſt. *de Germanicarum LL. veterum ac Romani iuris in noſtra rep. origine auctoritateque praeſenti, quam cum Animaduerſionibus ſuis nuper recudi fecit* Dom. Thomaſius. *Conſ. huius Delin. hiſtor. iuris: & Diſſert. de rite formando ſtatu controuerſiae: An legum iuris Iuſtin. ſit frequens, an exiguus vſus practicus in foris Germaniae? Halae* 1715.

(g) *Per inductionem nimirum. Quod praeſtitum potiſſimum a* Dom. Thomaſio *tum in Vindiciis corollarii de exiguo Pandectarum vſu, poſt Naeuos iuriſprud. Anteiuſtinianeae p.* 215. *ſeqq. tum in Adnotationibus ad Inſtit. & Pandectas quae anno* 1713. *in 4to prodierunt, tum in Diſſertationibus quibuſdam, quae adhuc de vſu practico Inſtitutionum prodierunt, quarum continuationem reſpublica litteraria auide exſpectat. Eandem viam ingreſſus eſt* B. Beyerus *in Poſitionibus ad Inſt. & Pandectas, quae ideo maxime commendandae.*

(h) B. S. Stryk. *in Diſſ. praelim. de vſu & auctoritate iuris Rom. in foris Germ.* §. 27. *ſeqq.*

Digitized by Google

Imperii publicae paſſim inculcent (i): non eſt tamen diſſimulandum, veteres Germaniae mores pleroſque, ICtorum incuria, partim ex memoria hominum euanuiſſe, partim peregrini iuris mixtura ita eſſe obſcuratos, vt Germanica inſtituta hodie nullis fere minus, quam ipſis Germanis, nota ac perſpecta eſſe videantur.

§. III.

Id quod praecipue confirmat doctrina de IVRISDICTIONE, *&* *maxime* PATRIMONIALI, *de qua agendum.*

Haec, ſi non aliunde conſtarent, vel e ſola doctrina de IVRISDICTIONE quam euidentiſſime poſſent demonſtrari. Tantum enim inter Romanae Germanicaeque iuriſdictionis indolem intercedit diſcrimen, vt & ſummi iuris Iuſtinianei patroni vbique potius, quam in hac materia, viridem legum Romanarum obſeruantiam iactent, & hodiernas de iuriſdictione controuerſias magis ex cuiuſque prouinciae inſtitutis & conſuetudine, quam e iure Romanorum ciuili, diiudicandas eſſe fateantur (k). Equidem a communi hac cordatiorum ICtorum ſententia diſcedit GE. OBRECHT (l), qui intempeſtiuo in leges Romanas amore abreptus, iis omnibus ſuccenſet, *qui in materia iuriſdictionis a iure Romano diſcedere non dubitant.* Sed hoc quam ſit inconſiderate ab eo dictum, nemini obſcurum eſt. Quantum enim deceſſurum eſſet illuſtriſſimarum familiarum iuribus? quanta ſequutura rerum omnium confuſio, ſi in frequentiſſimis de iuriſdictione litibus, Vlpianus, Iulianus, Paullus, Caius & reliqui Romanorum ICti iudices obtruderentur? Alius ſane eſt Germaniae ſtatus, quam vt Romanae de iuriſdictione leges ei poſſint adplicari. Atque hinc MEVIVS (m) merito grauiſſimam dicam ſcribit ICtis, qui de hodierna iuriſdictionis forma ex legibus Romanis cenſent ac diſputant, eoſque vocat *pernicioſiſſimos.* Quod MEVII iudicium quamuis ſit veriſſimum, fatendum tamen eſt, nec eos ipſos ICtos, qui hic patriorum morum praerogatiuam agnoſcunt, illos mores ſatis accurate indagaſſe. Quo factum eſt, vt tota paene de iuriſdictione Germanica doctrina in pelago verſetur, & maxime ſit obſcura. Exemplo eſſe poterit IVRISDICTIO PATRIMONIALIS, Romanis inaudita, ſed & Germa-

(i) *Exemplum eſt in Conſt. Crim. art.* CXL. *& in Receſſu Imp.* 1654. §. 105.

(k) *Notum eſt* Andr. Knichenii *lepidum axioma; modernas de iure controuerſias ex ſolo iure Romano componere velle, abſurdum aeque eſt, quam ſi lanam ab aſino quaerere velis; oleum enim & operam ita perdes. Vid. eius epiſtol. dedicat. libro de Iure territoriali praemiſſam, & conſ.* Strykii *vſ. mod. ff.* L. II. *Tit. I. p.* 172. Carpz. *prax. Crim. Quaeſt.* CIX. *n.* 6. Schilter. *Exercit. VI. ad Pand.* §. *I. p.* 191.

(l) Ge. Obrecht. *Diſp. I. de Iuriſd. theſi* LXX. *notatus iam a* Strykio *l. c.* Ge. Engelbrecht. *in Diſſ. de iuriſd. alta & baſſa cap. I.* §. I.

(m) Meuius *Part. IV. deciſ.* CCXC.

Germanis hodie vix ſatis nota. De cuius origine ac natura nonnulla commentari, vel ideo minus erit ſuperuacuum, quod plerique hac tractatione ſatis obiter defunguntur. Ceterum vt auſpicatus ſit labor, quem tempore excluſi, vno veluti impetu profligauimus, DEVM optimum maximum ardentiſſimis votis precamur.

§. IV.

Diuiſio iuriſdictionis in perſonalem & patrimonialem, deque ea iudicium.

Vt vero, qualis ſit patrimonialis illa iuriſdictio, eo clarius intelligatur: non immerito ab ipſa iuriſdictionis Germanicae partitione auſpicamur. Tralatitium eſt, iuriſdictionem, qualis hodie inter Germanos viget, varie a doctoribus diuidi. Quemadmodum enim aliam dicunt *eccleſiaſticam*, aliam *ſaecularem*, & hanc iterum in *ſuperiorem* ſeu *altam*, & *baſſam* ſeu *inferiorem*, in *togatam* porro, *militarem*, *feudalem* & *foreſtalem*, *&c.* ac denique in *vniuerſalem & particularem* ſeu *circumſeptam* diſtinguunt: ita & moribus Germaniae hoc deberi aiunt, vt alia iuriſdictio *perſonalis* ſit, alia *patrimonialis*, quam & *realem* vocant. Et *perſonalis* quidem illis dicitur, quae iure magiſtratus competit, ipſique perſonae cohaeret. *Patrimonialis* autem, quae inhaeret fundo, & hinc ſimul cum eo ad vniuerſales aeque ac ſingulares ſucceſſores tranſit. Sed haec diſtinctio, quantumuis hodie recepta, multis procul dubio tricis inuoluta eſt. Primo enim multi, ſolidioris iuris publici ignari, etiam Principum Statuumque imperii nec non ciuitatum iuriſdictionem pro patrimoniali venditant (n), quum tamen haec proprie in ſolos ruſticos, non in homines vrbicos aut nobiles, competat. Deinde quum iuriſdictio magiſtratus academici ac vrbici ad neutram harum ſpecierum commode referri queat: recte iam ab illuſtri THOMASIO (o) noſtro animaduerſum eſt, hanc iuriſdictionis Germanicae diuiſionem minus eſſe adaequatam. Enimuero quum noſtra iam haut magni referat, vt hac diſtinctione reiecta, aliam com-

(n) *Natum hinc brocardicum*, hodie iuriſdictionem eſſe patrimonialem. *Vid.* Myleri *de Princip. & Stat. Imp. cap. XLVIII.* §. 8. Paurmeiſt. *lib. II. de iuriſdict. cap. XX. Sed praeterquam, quod hoc brocardicum, ſi ſine limitatione adſumatur, falſum eſt, vt oſtendit* B. Stryk *in Vſu moderno ff. p.* 188. *manifeſto hi iuriſdictionem Statibus imperii iure ſuperioritatis territorialis competentem confundunt cum iuriſdictione patrimoniali, quae proprie competit in ſolos ruſticos. Vid.* Dn. Thomaſii *Nou. Additiones ad Huberi Praelect. in ff. p.* 64.

(o) *Nam iuriſdictio haec academica & vrbica neque* patrimonialis *eſt, quia ciues academici & vrbici non ſunt in patrimonio, neque* perſonalis, *quia cum perſona non expirat, vt obſeruatis* Dn. Thomaſ. *in Annot. ad tit. ff. de iuriſdict. p.* 46.

commodiorem ſubſtituamus (p): ſatis conſuluiſſe lectori videbimur, ſi in anteceſſum moneamus, a nobis ſtrictiſſime hic accipi vocem, & iurisdictionem patrimonialem ex mente noſtra non niſi in ruſticos competere.

§. V.

Quae hodie iurisdictio vocetur patrimonialis?

Experientia ſcilicet conſtat, plerisque per Germaniam nobilibus mediatis, aliisque feudorum poſſeſſoribus, vna cum ipſo feudo concedi ſolere iurisdictionem in ruſticos. Quemadmodum vero in litteris inueſtiturae formulae variant, & modo ſimpliciter conceduntur *die Gerichte*, modo *omnimoda iurisdictio*, *alle und iede Gerichte*: ita haec iurisdictio in ruſticos modo ſolum ius cauſſas ciuiles cognoſcendi complectitur, & tum vocatur iurisdictio *inferior* vel *baſſa*, *Erb-oder nieder-Gerichte*: modo ſimul poteſtatem vindicandi crimina habet coniunctam, quo caſu *ſuperior* audit, vel *alta* (q), (*Ober-Gerichte*, *Hals-Gerichte*, *Peinliche Gerichte*, & in Bauaria *Fraisliche Gerichte.*) Nobiles ergo aliique poſſeſſores, feudis per inueſtituram potiti, hanc in ruſticos iurisdictionem eodem effectu exercent, quo ſenatores vrbici aut conſtituti a Principe magiſtratus. Praeterea illis ſunt praefecti, iuſtitiarii, quos vocant, actuarii, loca cuſtodiae, torturae, exſecutioni deſtinata, inprimis patibula: ipſum formant proceſſum, acta transmittunt, & quaecunque iudici ſunt obſeruanda, omnia expediunt. Porro hoc non tantum iis in locis contingit, vbi ruſtici ſeruilis conditionis habentur, quos homines proprios, *eigene Leute*, vel *Leibeigene* appellitamus; ſed & in alios ruſticos, quos ceteroquin liberos ac ingenuos ferunt, ſimilis nobilibus competit iurisdictio. Quae quum ita ſint, patrimonialis illa, de qua iam agimus, iurisdictio quam commodiſſime videtur deſcribi poſſe, quod ſit ius nobilium, & aliorum feudi poſſeſſorum, diiudicandi cauſſas ruſticorum, & nonnunquam ſimul animaduertendi in facinoroſos, ipſi feudo inhaerens, & hinc cum ipſo feudo alienabile.

§. VI.

(p) *Alias forte concinnius diuidi poſſet in eam, quae iure* ſuperioritatis territorialis *competit*, adminiſtratoriam, *&* patrimonialem, *& illa iterum in* perſonalem *&* realem.

(q) *Recepta iam haec eſt diſtinctio iurisdictionis in* altam *&* baſſam, *ſiue ea gloſſatoribus Italis originem debeat, vt putat* Simoncellus *de decret. min. Libro* 1. *p.* 141. *ſiue Francis & Alemannis, vt manult* Schilter. *Exercit. VI.* §. 7. *p.* 199. *Satis antiquam certe eam eſſe etiam in Germania, patet e Charta* 1258. *apud* Miraeum *Libr. I. Donat. Belg. cap. CVIII. e diplomate* Henrici II. Ducis Lotharing. *A.* 1238. *apud* eumd. *libro II. cap. LXXXV, aliisque chartis, quas recenſet* Io. Nic. Hert. *in Diſſ. de Conſultat. Legibus & iudiciis in ſpecialibus rebusp. Imperii* §. *XXIII. Conf.* Georgii Engelbr. *Diſſ. de iurisd. alta & baſſa Sect. I.* §. *IX, p.* 17. *ſq.*

§. VI.

Ex his autem iam ſatis eſt perſpicuum, iuriſdictionem hanc patrimonialem Romanis fuiſſe plane inauditam, nihilque eam commune habere cum Romanis legibus. Quamuis enim aliud ſibi perſuaſerit MOLINAEVS, (ratus fortaſſis, nihil in iure vniuerſo occurrere, quod Iuſtinianus ignorauerit;) eius tamen errorem grauiter iam profligauit DESID. HERALDVS (r). Et quid opus eſt verbis, vbi res ipſa loquitur? Nihil ſane eorum, quae ſuperiore paragrapho de iuriſdictione patrimoniali commemorauimus, iuriſdictioni Romanae conuenire, palam eſt. Primo enim iuriſdictio patrimonialis ſaepius hodie ſimul complectitur ius vindicandi crimina. Hoc vero ius ſecundum Romanae iuriſprudentiae principia ad iuriſdictionem plane non referebatur. Licet enim populus, quem penes, Regibus exactis, τὸ κύριον in republica erat, magiſtratibus conceſſiſſet iuriſdictionem: ea tamen ſolam illis tribuebat poteſtatem, ius in ciuilibus cauſſis dicendi. Poteſtatem autem animaduertendi in facinoroſos ſibi ſoli reſeruauerat, poſtea in principes transferendam, eaque non ad iuriſdictionem, ſed ad imperium, pertinebat (s). Quo fit, vt in Legibus Romanis poteſtas vindicandi crimina iuriſdictioni opponatur (t). Deinde ad iuriſdictionem patrimonialem hodie omnia referuntur, ad quae expedienda apud Romanos ſpeciali lege ac conceſſione opus erat. Exemplo eſt tutoris datio, quae iure Romano non erat ordinariae iuriſdictionis (u). Atqui hodie vnuſquiſque iudex, etiam cui patrimonialis competit iuriſdictio, pupillis iuriſdictioni ſuae ſubiectis tutorem dare poteſt (x), adeo, vt & inferior iuriſdictio ad id ſufficiat (y). Tertio obſeruauimus, iuriſdictionem hanc ipſi feudo inhaerere. Huic denuo Romana iuriſprudentia nihil habet geminum. Apud Romanos enim omnis iuriſdictio erat perſonalis, & quamuis eatenus videretur aliquid realitatis continere, quod magis officio magiſtratus, quam perſonae, cohaereret: attamen exſpirabat cum ipſa perſona, neque redintegrabatur, niſi alia perſona a populo ſubſtituta (z). Denique iuriſdictionem patrimonialem diximus eſſe cum ipſo feudo alienabilem. Reuera enim eſt in

Eſt ea Romano iure incognita.

(r) Deſid. Herald. *Rer. & Quaeſt. Iur. quotid. cap. VII.*

(s) *Vid. l. 2. §. 16. & 23. ff. de Orig. Iur.*

(t) *L. 3. ff. de iuriſd. l. 1. princ. ff. de offic. eius cui mand. iuriſd. conf.* Suthold *de iuriſd. Aphoriſm. CXV.*

(u) *L. 6. §. 2. ff. de Tutel.*

(x) *Vid.* Reform. Polit. *de anno* 1577. *Tit. XXXII.* Lauterb. *Exercit. forenſ. V. §. 1.* Meu. *ad Ius Lub. P. II. Tit. I. part. 15. n. 16.*

(y) Franzk. *Libr. I. Reſol. XVII. n. 7.*

(z) Stryk. *Vſ. modern. ff. l. c. §. 18.*

in commercio, aeque ac ipſum feudum, vendique poteſt ac alienari, & ad heredes tranſire, iis legibus, quas ius feudale praeſcribit. Poſtremo & amitti poteſt iiſdem modis, quibus ipſum feudum. Quae omnia, quam ſint a Romanae iuriſdictionis indole aliena, nemo ignorat. Vnde & ICti tantum non omnes inauditam Romanis fuiſſe hanc iuriſdictonem, veluti ex compacto fatentur (a).

§. VII.

Et hinc origine Germanica.

Quum ergo patrimonialis iſta iuriſdictio a Romanis minime ſit repetenda: proximum eſt, vt diſpiciamus, cui potiſſimum genti debeat originem? Iam de Germania quidem diximus, in ea hanc iuriſdictionem hodie vbique vigere: ſed extra eam & alia ſunt regna, aliaeque complures prouinciae, in quibus non minus vſu recepta eſt. In Belgio non minus, quam apud nos, nobilibus praediorumque poſſeſſoribus competere iuriſdictionem in ruſticos, notum vtique eſt ac prouocatum. Excipienda tamen Friſia occidentalis, in qua vti nulla fere feuda, ſic & nulla obſeruatur hereditaria iuriſdictio (b). De Gallia quoque res eſt extra controuerſiam poſita, vbi nobiles, quos caſtellanos vocant, feuda ſeu caſtellanias poſſident, cum iuriſdictione ſuprema in ſubditos (c). Idem de Heluetia teſtatur IOSIAS SIMLERVS (d), cuius verba audire iuuat: *Ceterum*, inquit, *eccleſiaſtici ordinis multi, & quamplurimi nobiles paſſim in vicis Turegae inferiorem iuriſdictionem obtinent, ſic tamen, vt ipſi nihilominus praefecto totius regionis ſubiecti ſint. Atque hi edicunt, atque mulctant librae vnius poena: poſſunt deinde edicere & mulctas imponere ad decem vſque libras: ſed media mulctarum pars cedit praefecto, ſicut haec omnia certo iure ac ordine conſtituta ſunt, ipſis noto. Omnes autem hi, qui iuriſdictionem habent, nominantur* Gerichts-Herrn. Denique & in Italia, Dania, Suecia, Boruſſia, Liuonia, Curlandia, Boëmia, Sileſia, hanc florere iuriſdictionem, notum eſt. Sola forſan Anglia ſe hac in re a reliquis Europae regnis, quae quidem ſunt Germanicae originis, ſeiungit. Nulla enim ibi, teſte TEMPELIO (e), iuriſdictio

(a) Roſenth. *de feud. cap. VI. Concl. LXXXV. n.* 10. Reinking. *de regim. ſecul. & eccleſ. libro* I. *claſſ. V. cap.* I. *n.* 18.

(b) *Teſtibus* Hubero *in Praelect. ad ff. libro* II. *Tit.* I. *p.* 58. Tempel. *in Obſeruat. ad remp. foed. Belg. p.* 219.

(c) Franc. Hotomann. *Antitribonian. cap. IV. p.* 111. *Conf.* Caroli du Freſne *Gloſſ. Lat. voce Caſtellanus p.* 178. *T.* I.

(d) Ioſ. Simler. *de Republ. Helu. libro* II. *p.* 190. *ſeq.*

(e) Tempelius *l. c. qui inde obiter colligit, Anglos Friſiis eſſe oriundos. De quo quid ſentiendum, conſule* Hert. *Notit. veteris Germ. populor. Part.* III. *cap. V.* §. 3. *p.* 123. *ſequ.*

Digitized by Google

ſtio eſt hereditaria, ſed omnis pure habetur perſonalis. Quum ergo in iis potiſſimum regnis ac prouinciis iuriſdictio patrimonialis vigeat, in quas olim Germanorum coloniae peruenerunt: merito inde colligit HVBERVS (f), eam Germanicae eſſe originis.

§. VIII.

Nec tamen ſeculo XIII. demum nata, vt putant Hertius & Conringius.

Operae pretium itaque fuerit, ecquando & qua occaſione iuriſdictio haec patrimonialis in Germania innoteſcere coeperit, paullo accuratius hic diſpicere. Primus, quantum conſtat, hac in re diuinare aliquid auſus eſt HERM. CONRINGIVS (g). In doctiſſima enim *de iudiciis veteris reipublicae Germanicae* diſſertatione, vbi vniuerſam iuriſdictionis Germanicae indolem ordinèmque iudiciorum erudite, vt ſolet, expoſuit, porro obſeruat, *olim quidem ſingulas gouas ſingulos habuiſſe comites, poſtea vero coepiſſe multos in vna eademque goua Comitis non quidem nomine, auctoritate tamen gaudere. Namque & Reges vel Caeſares, & Principes, & Duces, & Epiſcopos, & Abbates, & Comites ipſos, particulas gouarum ſuarum aliis atque aliis vrbibus, aut* POPVLI NOBILIORIBVS FAMILIIS, *immo & plebeiis, tradidiſſe, partim ſimpliciter venditione, partim pignore, partim feudi iure, partim dono, partim variis modis.* Auctorem vero SPECVLI SAXONICI (h) has translationes accuſare iniquitatis, ac de iis ita cenſere: *Si comes vel advocatus partem comitatus vel aduocationis alteri contulerit, id contra ius cenſetur attentatum, nec deſuper infeudatus bannum habebit regale.* Denique laudatiſſimus modo CONRINGIVS de tempore etiam, quo hic mos inoleuerit, ſuam exponit ſententiam: *Videntur*, inquit, *maxime omnium haec accidiſſe poſt auctoritatem regiam collapſam, a ſaeculo vſque tertio decimo.* CONRINGIVM preſſo pede hic ſequitur IO. NIC. HERTIVS (i), qui non modo iuriſdictionis patrimonialis originem ad idem ſaeculum refert: verum etiam nonnulla colligit hiſtoricorum teſtimonia, quae id confirmare videntur. Primo enim de Ottone, Bauariae Duce ex ADLZREITERO (k) obſeruat,

(f) Huber. *l. c.*

(g) Conring. *de iudiciis reip. Germ.* §. LXXV.

(h) Sachſen Spiegel *Libro* III. *Art.* LXIV.

(i) Hertius *de Conſultat. Legib. & iudiciis in ſpecialibus Romano-Germ. imperii rebuſpublicis* §. XXII. p. 449. *Tom.* II. *Opuſc.*

(k) Adlzreit. *Part.* I. *Gent. Boic. Libro* XXV. §. 26. *Sic Otto Bauariae Dux anno* 1311. *bellum parans in Hungaros quum omnes pecuniae conficiendae modos circumſpiceret, occurrit ei iuriſdictio minoris imperii, & ius nobiliorum oppidorum, quae hactenus manſerant penes principatum. Haec ergo, quae erant in facultatibus dominatus, ad conquirenda ſtipendia magno aere diſtrahit, non ſine grandi fiſci detrimento, permittitque* OPVLENTIORIBVS E NOBILITATE. -- *Vnde comparata iura locorum, quae hodie* Hofmarchiarum *nomine cenſentur.*

uat, eum anno MCCCXI. Hungaris imminentem, & pecuniae conficiendae modos ſollicite circumſpicientem, iuriſdictionem minoris imperii & ius nobiliorum oppidorum magno aere nobilitati vendidiſſe, atque inde nata eſſe iura bonorum, quae hodienum HOFMARCHIARVM nomine veniant. Deinde & ANT. WECKII (1) allegat teſtimonium, qui ex decreto quodam conuentus prouincialis ordinum Saxoniae probat, ante annum MCCCCXXVIII nulli Statuum in Saxonia iudicia patrimonialia competiiſſe. E quibus clarum eſſe exiſtimat HERTIVS, iuriſdictionem patrimonialem, collapſa ſenſim Principum auctoritate in Germania inoleuiſſe, nec eſſe ſaeculo XIII antiquiorem.

§. IX.

Eorum argumenta expenduntur.

Enimuero, ſi paullo accuratius rem expendas, neque HERTII profecto, neque CONRINGII, argumenta ita comparata ſunt, vt eorum coniectura illis extra omnem ponatur controuerſiam. Quamuis enim ex iis poſſit demonſtrari, nobiles ex eo tempore iura ſua paſſim egregie auxiſſe, in multaque oppida ac vicos iuriſdictionem variis titulis adquiſiuiſſe: nondum tamen eo ipſo euictum videtur, hanc eſſe iuriſdictionis patrimonialis originem. Nobiles enim procul dubio iam multo ante hoc ſaeculum poteſtate quadam in ruſticos gauiſi ſunt, quae erat hodiernae iuriſdictioni patrimoniali analoga. Ea vero poteſtas, (quae qualis fuerit, mox oſtendemus,) non ſaeculo XIII, ſed paullo ſerius iuriſdictionis formam videtur induiſſe. Vtut vero haec ſe habeant, argumenta ſane a CONRINGIO & HERTIO adlata rem non conficiunt. Locus e Speculo Saxonico adductus non agit de iuriſdictione patrimoniali, ſed de ordinaria iuriſdictione comitum, quam iure non poſſe in priuatos transferri, docetur. Iuriſdictio vero illa patrimonialis, quam nobiles exercent in ruſticos, non a comitibus in eos eſt translata, ſed ipſis eorum praediis iamdudum procul dubio inhaeſit, quamuis negare nolim, etiam alios nobiles, qui erant eiuſmodi iure deſtituti, ſenſim a principibus & comitibus eam titulo oneroſo adquiſiuiſſe, quod & hodie nonnunquam fieri ſolet. Neque ſingulare Ottonis Bauari factum probat, iuriſdictionem patrimonialem demum ſaeculo illo in Bauaria coepiſſe. Potius ex ipſo ADLZREITERI loco adparet, iam tum nobiles aliqua iuriſdictione gauiſos. Eam enim iuriſdictionem tum nobilibus venditam perhibet, *quae hactenus manſerat penes principatum.* Ex quibus verbis patet, nobiles tum non

(1) Ant. Weckius *Beſchreibung und Vorſtellung der Stadt Dreſden Part. IV. Tit. VI. p. 438.*

non primum hoc ius eſſe conſequutos. Denique & ANT. WECKIVS ab HERTIO fruſtra citantur. Agens ſcilicet Weckius de comitiis Statuum Saxoniae Dreſdae MCCCCXXVIII. habitis, conqueſtos tum dicit nobiles, *daſs die Vôigte und Amtleute ſie in ihren Gerichtbarkeiten turbireten, und die Vnterthanen in allen geringen Dingen für die Fürſtliche Gerichte und Bann-Stühle forderten.* Hinc porro addit, principes tum nobilibus ex parte ſatisfeciſſe, ſiquidem iis iuriſdictionem ciuilem reliquerint, praefectis vero ſuis reſeruarint iudicia criminalia de homicidio, ſtupro violento, vulnerationibus, furtis, quae etiam in Statuum praediis voluerint exerceri. Ex his demum infert WECKIVS: *Woraus zu ſchlieſſen, daſs damals noch keinem Landſtand die Obergerichte zuſtânding geweſen.* Aſt aliud longe inde refert HERTIVS, nimirum, quod iuriſdictio patrimonialis tum nulli Statuum in Saxonia competierit. Quum ergo Weckius de criminali tantum loquatur, ipſam profecto iuriſdictionem nobilibus non denegauit. Et quo pacto, quaeſo, hi conqueri potuiſſent in comitiis illis, *daſs die Vôigte und Amtleute ſie in ihren Gerichtbarkeiten turbireten*, ſi ante haec tempora nulla iis fuiſſet in ſuos iuriſdictio? Paucis vt me expediam, controuerſia illa de Statuum Saxonicorum iuriſdictione oſtendit quidem, inſignem circa ea tempora confuſionem iuriſdictionum incidiſſe, de qua paullo poſt §. XVIII. erit dicendum: minus vero, quod primum tum inoleuerit ipſa patrimonialis iuriſdictio.

§. X.

Vera origo Iuriſd. patrim. eſt antiqua poteſtas dominorum Germanor. in ſeruos & libertos.

Quae quum ita ſint, veroſimilior longe eſt illuſtris THOMASII (m) noſtri coniectura, quam initio anno MDCCI in luculenta diſſertatione de *hominibus propriis*, deinde vero in aliis ſcriptis compluribus (n) propoſuit. Ea vero huc redit, quod iuriſdictio patrimonialis nobilium in ruſticos nihil aliud ſit reuera, quam antiqua illa poteſtas dominorum in ſeruos & libertos, ſeu homines proprios, alioſque ruſticos. Eam vero poteſtatem in ſeruos & libertos ſequiori tempore quodam iuriſdictionis ſchemate palliatam, atque inde demum natam eſſe poteſtatem illam nobilium, quae patrimonialis iuriſdictionis nomine hodie veniat. Aſt ICtos, Romanis legibus innutritos, & Germanicarum antiquitatum ignaros, variis

(m) Thomaſ. *Diſſert. de hominib. propr.* §. *LXXXVI. p.* 56.

(n) Idem *in nouis addit. ad* Huber. *Praelect. in ff. p.* 64. *Conf.* Eiuſd. *Adnot. ad ff. Tit. de iuriſd. p.* 46. *& Diſſ. de vſu practico diſtinct. hominum in liberos & ſeruos cap.* II. §. *68. 69. p. 49. Sequutus eſt eamdem ſententiam* Dn. Henr. Bodin. *in Diſſ. de iure circa violentiam corpori alterius inferend.* §. 19.

variis ſuis quaeſtionibus ac reſponſis eam adeo reddidiſſe obſcuram, vt hodie tota haec doctrina in pelago veluti verſetur. Quae quum ita ſint, ad genuinos antiquitatum Germanicarum fontes nobis erit eundum, ex iiſque, tum quae fuerit antiquitus ſeruorum libertorumque Germanorum conditio, tum quae dominis in eos competierit poteſtas, paullo accuratius explicandum.

§. XI.

Quaenam fuerit olim ſeruorum in Germania conditio?

Et ad ſeruorum quidem in priſca Germania conditionem quod attinet: ſunt quidam (o) qui duorum eos generum fuiſſe ſtatuunt, quorum alii eodem loco fuerint, quo ſerui Romanorum: alii paullo benignius habiti, hominibus propriis noſtrae aetatis poſſint comparari: idque colligi poſſe putant ex NITHARDO (p), qui tres Saxonum ordines recenſet, *Edelingos*, *Frilingos* & *Lazz* vel *Laſſos*, ſeu vt ipſe interpretatur, *nobiles*, *ingenuiles*, *& ſeruiles*. Accedere aiunt diplomatum teſtimonia, in quibus *Laſſi* a *ſeruis* diſtinguantur (q). Sed vt verum fateamur, *Laſſi*, ceu vocabulum, ipſum eiuſque ἔτυμον indicat, nihil aliud ſunt, quam veterum Germanorum liberti (r), nec ſerui praeter eos, qui hominibus propriis comparari queant, vlli in Germania vmquam fuerunt. Primus enim veterum ſeruorum in Germania conditionem deſcripſit CORNELIVS TACITVS, qui quum Germanos in *ingenuos* & *ſeruos* diſtinxiſſet, & hos tum per aleae luſum, tum per captiuitatem, conſtitui monuiſſet ita pergit (s): *Seruis non in noſtrum morem, deſcriptis per familiam miniſteriis, vtuntur. Suam quiſque ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis vt colono, iniungit, & ſeruus hactenus paret. Cetera domus officia vxor ac liberi exſequuntur.* Sane hunc locum quiſquis legit, non poteſt non de nobilibus ruri degentibus eorumque ruſticis cogitare. Idque patebit clarius, ſi eum paullo reddiderimus illuſtriorem. In vniuerſo hoc de moribus Germanorum libello is eſt ſcopus TACITI praecipuus, vt oſtendat, quantum Germanorum mores a Romanorum legibus ac inſtitutis diſcreparint (t)

Quare

(o) *Vid.* Exc. Ludewig. *de colonis adſcriptitiis cap.* I. §. III. *p.* 2. *in not.*

(p) Nithard. *Libro IV. Hiſt. Franc. ad ann.* 848. *p.* 376. *edit. du Cheſne.*

(q) Diploma Ottonis I. *anno* 939. *apud* D. Ludew. *l. c. p.* 2.

(r) *Vnde & codicilli manumiſſionis vocantur Laſs-Brieffe.* Hert. *de hom. propr. ſect.* III. §. *XI. p.* 174. *Nec obſtat, quod* LASSI a Nithardo *vocantur* SERVILES. *Libertos enim apud Germanos non multum ſupra ſeruos fuiſſe, diſerte adfirmat* Tacitus *de morib. Germ. cap. XXV. de quo nos infra* §. *XII.*

(s) Tacit. *de morib. Germ. cap. XXV.*

(t) *Adeo haec obſeruatio eſt neceſſaria, vt, ſepoſita illa,* Taciti *libellum aegre intellecturus ſis. Vid.* Dom. Thomaſii *Diſ-*

ſert.

Digitized by

Quare & hic ſeruorum vtriuſque gentis conditionem inter ſe contendit, &, quantum inter ambos intercedat diſcriminis, obſeruat. Primo itaque maxima ſeruorum Romanorum colluuies in ipſa vrbe erat, in qua & nobiliſſimae opulentiſſimaeque familiae degebant, & quamuis nonnunquam domini ruſticarentur, ſuis tamen tantum villis ruri gaudebant, in quibus tota alebatur agreſtis familia. Aſt in Germania, quae vrbes ignorabat (u), ingenui cum ſeruis ſuis ruri degebant, & hinc, quidquid de ſeruis commemorat TACITVS, de hominibus propriis nobilium eſt intelligendum. Eos quoque, qui hodie nobiles ſalutantur, INGENVOS a TACITO adpellari, accurate iam ab aliis eſt demonſtratum (x). Deinde idem auctor obſeruat, *Romanos ſeruis deſcriptis per familiam miniſteriis vſos.* Alebant ſcilicet ſeruos ſuos domi, & ſingulis, quae eſſent agenda, iniungebant. Sic alii erant ianitores, alii atrienſes, alii coqui, alii medici, alii ab epiſtolis, & quae erant reliqua ſeruorum officia, quae ex inſtituto TITVS POPMA & LAVR. PIGNORIVS (y) deſcripſerunt. At horum quidem nihil apud Germanos obſeruatum. Quemadmodum enim hi ſatis anguſte habitabant, & parum ſplendidum vitae genus ſectabantur: ita eorum ſerui vel homines proprii *ſuam quiſque ſedem, ſuos penates regebant.* Scilicet haut procul a nobilium ſeu dominorum aedibus caſas ſibi conſtituerant, in quibus ſuae quiſque rei familiari praeerat, vnde pagi enati ſunt maiores aut minores, prout aut plura cuique, aut pauciora erant mancipia. Vt vero vitam tolerarent ſerui: agrorum partem eis adſignabant domini, quorum cultura non ipſi modo ſibi familiaeque victum quaererent, verum etiam domino annuas praeſtarent penſiones. Vnde tertio addit TACITVS: *Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis, vt colono, iniungit.* Ex quo denuo ingens adparet inter vtriuſque gentis ſeruos diſcrimen. Romani enim ſerui nihil ſibi, ſed dominis omnia adquirebant, ne excepto quidem ſeruili peculio, quod non adeo magni erat momenti. At benignius ſeruos habebant Germani. Illi enim certum frumenti modum, aut certum pecorum nu-

ſert. de hom. propriis §. 6. *& de vſu practico diſtinct. homin. in liberos & ſeruos, cap.* II. §. 5.

(u) *Teſtis eſt* Tacitus *de moribus Germ. cap. XI. Interim tamen errat* Caeſar, *dum libro IV. & VI. de bello Gallico Germanos quotannis habitationem mutaſſe tradit, quem errorem, etiam a* Phil. Cluuerio *de Germ. Ant.* L. I. *cap. XIII. p.* 87. *admiſſum, caſtigat laudatus* Dn. Thomaſ. *in Diſſert. de hominib. propr. §. LXV.*

(x) Dn. Thomaſ. *l. c.* §. *LXXII.*

(y) *Prodiit vtrumque opus coniunctim Amſtelod.* 1672. *in 12mo. Conf.* Alex. ab Alex. *Genial. dier. libr.* III. *cap. XXV.*

merum, e. g. gallinas, *Zinſs-Hühner*, aut veſtes (z), aliaque huius generis quotannis praeſtabant domino, eaque penſione ſoluta, operiſque, quas hodie *Frohnen*, *Herren-Dienſte*, *Hof-Dienſte* vocant, exantlatis, quidquid praeterea lucrari poterant, ſibi adquirebant. Vnde & Tacitus addit, *& ſeruus hactenus paret.* Denique quum apud Romanos patres matreſque familias indignum perſonis ſuis exiſtimarent, vel vllo domus officio defungi, & hinc omnia ſeruis atque ancillis demandarent: hac etiam in re Germanorum mores a Romanis diſtabant longius, ſiquidem *cetera domus officia*, qualia ſunt culinaria, & his ſimilia, *vxor & liberi exſequebantur.* Et quamuis auctis forſan familiis, & gliſcente ſenſim luxu, etiam domi ſeruos nonnullos aluerint, quos medio aeuo *gaſindos* vel *Geſinde* vocabant (a): tamen & hi ipſi ruſticae fuiſſe conditionis, & ex ipſis ſeruorum familiis in aedes adſciti videntur. Et haec ſunt, quae TACITVS de Germanorum ſeruis memoriae prodidit. Sequiore aeuo, Slauis toties a Germanis debellatis, non parum creuit ſeruorum numerus: atque inde in diplomatibus toties cum villis ſimul traduntur *mancipia vtriuſque ſexus*, *Slauorum familiae*, *liti*, *& homines iuris ſmurdorum*, de quorum conditione licet hodie parum exploratum ſit, conſentiunt tamen in eo omnes, quod iis ruſticis, qui hodie proprii homines vocantur, fuerint ſimiles, atque ab iis non multum diſcreparint.

§. XII.

Quis ſtatus libertorum? Haec de ſeruis: de libertis iam videamus. De iis vero idem TACITVS (b): *Liberti non multum ſupra ſeruos ſunt. Raro aliquod momentum in domo, nunquam in ciuitate, exceptis tantum iis gentibus, quae regnantur: ibi enim & ſupra ingenuos & ſupra nobiles adſcendunt. Apud ceteros impares libertini libertatis argumentum ſunt.* Hic quoque TACITVS inſigne inter Romanorum Germanorumque libertos diſcrimen animaduertit. In eo equidem vtrique genti conueniebat, quod ſerui poſſent manumitti, id quod etiam eſt iuris gentium: ſed libertorum tamen durior erat, quam apud Romanos, conditio, ſolos ſi exceperis dedititios, qui Germanorum

(z) *Natum inde forſan praecipuum, quod hodienum domini ex hereditate hominum propriorum ſibi vindicant, ad quod etiam referuntur* induuiae vel exuuiae, *Vid. Dipl.* Henrici II. *Imp. ap. Mager. de aduoc. arm. c. VI. n.* 758. *Vnde & hoc ius vocatur* der Gewand-Fall, *qua dicas* veſtimenti capionem. *Conf.* Hert. *de hominib. propriis ſect.* III. §. *IX. p.* 172. *T. II. Opuſc.*

(a) *Vid.* Bignon. *ad formul.* Sirmondic. 947. Hert. *l. c. p.* 156.

(b) Tacit. *de morib. Germ. l. c.*

rum libertis non admodum erant diſſimiles. Scilicet Romanorum liberti per manumiſſionem initio plenam adipiſcebantur libertatem, omniumque iurium, quibus plebeii ordinis ciues vtebantur, fiebant participes (c). Et quamuis poſtea Auguſtus (d) & Tiberius (e) libertorum iura latis legibus coercerent, & hinc liberti alii ciues, alii Latini, alii dedititii dicerentur (f): differentia tamen haec libertorum poſtea abiit in deſuetudinem, nec dedititiorum adeo magnus fuit numerus, quum ſoli, qui ob delictum vincti, caeſi, aut ſtigmate fuerant ob flagitium notati, manumiſſione fierent dedititii. Hinc Romanorum libertorum tanta plerumque erat libertas, aut ſi mauis, tam effrenis licentia, vt cordatioribus ciuibus ſtomachum mouerent, ceu in hiſtoria Romana aeui Auguſtei paſſim commemoratur. Aſt aliter res comparata erat in Germania. Ibi enim *liberti non multum ſupra ſeruos erant.* Quamuis enim libertatem iuris gentium manumiſſione conſequerentur: ſalua tamen manebat ad penſiones operaſque domino praeſtandas obligatio, atque adeo id ſolum manumiſſione conſequebantur, vt non amplius eſſent adſcriptitii, ſed locum, relicto praedio, mutare poſſent. Quum ergo vix mererentur hominibus liberis accenſeri: *raro aliquod momentum in domo, nunquam in ciuitate erat.* Quia enim Germani domus officia per vxores vel liberos exſequebantur: raro omnino liberti adoptabantur in familiam, quemadmodum apud Romanos, apud quos in aedibus patronorum loco erant ſatis honorifico: ſed potius, vt antea, agro colendo vacabant. In rep. vero, quam ſoli ingenui aut nobiles capeſſebant, nullae vnquam erant libertorum partes, *exceptis tantum iis gentibus, quae regnantur, ibi enim liberti & ſupra ingenuos & ſupra nobiles adſcendebant.* Vt ſolent enim principum gratia homines etiam iam viliſſimi nonnunquam ad ſummos honores adſpirare: ita etiam idem in Germania apud eas gentes contigiſſe putat TACITVS, quae regibus paruerint. Enimuero quum ſerui ruſtici fuerint, ceu antea demonſtratum: vix credi-

(c) *Sub Regibus, inprimis* Seruio Tullio, *vnica erat ac ſimplex libertorum omnium libertas.* §. 3. *Inſt. de ingen. & libert.* *Conf.* Dionyſ. Halic. *Libro IV. Antiqu. Rom. cap. XXVI.*

(d) *Lata lege* Aelia Sentia, *qua intempeſtiuum manumittendi pruritum & libertorum iura coercuit. Vid.* Suet. *Auguſt. cap. XL.* Dio Caſſ. *Libr. LV. p.* 556.

(e) *Lege* Iunia Norbana, *de qua vid.* Anton. Auguſtin. *de Leg. & Senatus conſ. p.* 93.

(f) §. 3. *Inſt. de ingen. & libert.* L. *vn. C. de Lat. libert. toll.* L. *vn. C. de dedit. lib. toll. Conſ.* Thomaſ. *de Vſ. pract. diſſ. hominum in ingen. & libertinos, cap.* I. *p.* 18-20.

credibile eſt, tam liberalis eos fuiſſe indolis, vt manumiſſi ſummis honoribus fungi potuerint. Raro certe id eſſe factum, nullum eſt dubium. Vnde concludit demum TACITVS: *Apud ceteros* (Germaniae populos, qui non regnantur,) *impares libertini libertatis argumentum ſunt*, id eſt vmbram potius & ſimulacrum quoddam libertatis, quam libertatem ipſam manumiſſione conſequuntur. His ergo omnibus paullo accuratius expenſis, apertiſſimum erit, inter Germanorum ſeruos ac libertos tantumdem olim interfuiſſe, quantum hodie inter homines proprios & reliquos nobilium ruſticos. Vtrique parebant dominis, vtrique penſiones atque operas praeſtabant. In eo tantum libertorum melior erat conditio, quod non ita eſſent glebae adſcripti, vt non liceret iis, inuitis dominis, locum mutare: idque vnicum forſan erat beneficium, quod manumiſſione conſequebantur.

§. XIII.

Dominorum in vtroſque poteſtas.

Ne denique ignoremus, quaenam apud Germanos dominorum in ſeruos & libertos fuerit poteſtas, denuo audiendus erit TACITVS (g), qui eodem capite: *Verberare*, inquit, *ſeruum, ac vinculis aut opera coërcere rarum. Occidere ſolent, non diſciplina & ſeueritate, ſed impetu ac ira, vt inimicum, niſi quod impune eſt.* Hic locus dici non poteſt, quam crucem figat interpretibus. ALEXANDER enim ab ALEXANDRO (h), quem ſatis conſtat Tacitum ante oculos habuiſſe, de Germanorum iure in ſeruos hunc in modum diſſerit: *Germanis verbere ſeruum afficere, aut vinculis coercere habetur nefas, apud quos laxior ſeruitus erat, & libertinis paene par: quippe ſibi adquirunt ſerui, & peculium habent.* Exiſtimauit ergo ALEXANDER ab ALEXANDRO, Germanis dominis non modo ius vitae & necis, ſed & poteſtatem coërcendi ſeruos plane fuiſſe denegatam. Quem errorem & alii TACITI interpretes errant (i). Sed aliam longe eſſe hiſtorici ſententiam, facile conſtabit, ſi denuo ponas, eum diſcrimen, quod inter Germanorum Romanorumque ſeruos intercedit, oſtendere voluiſſe. Romanis ſcilicet heris iam inde a reipublicae incunabulis ius vitae ac necis fuerat conceſſum, donec demum poſt TACITI aetatem Hadrianus Imperator, dominorum crudelitate offenſus, hanc ſeruos occidendi licentiam latis legibus cohiberet (k). In tanta ergo herorum

(g) Tacit. *de morib. Germ. l. c.*

(h) Alex. ab Alex. *Genial. dier. L. III. cap. XX. p.* 275.

(i) *Et nouiſſime etiam* Io. Chriſtoph. Vetter *in notis ad Taciti h. l. p.* 130.

(k) *Iam antea quidem ſub* Nerone *dominorum ſaeuitia coercita* lege Petronia, *de qua L.* 11. §. 2. *ff. ad L. Corn. de ſicar. Poſtea*

rorum licentia quanta crudelitate in ſeruos fuerit animaduerſum, facile eſt ad exiſtimandum. Non ſufficiebant ſane truculentiſſimis dominis vlmi, ſtimuli, nerui, numellae, boiae, piſtrina, furcae, cruces, centupondia: ſed eo progreſſa erat immanitas, vt exquiſitiſſimos cruciatus in ſeruilia corpora ingenioſe excogitarent. De qua Romanorum crudelitate SENECA (l) aliique grauiſſimi auctores (m) paſſim conqueruntur. Haec ergo domeſtica ſaeuitiae exempla etiam TACITO obuerſabantur, quum ſeruorum in Germania conditionem eſſet expoſiturus. Hinc ait: *Verberare ſeruum, & vinculis vel opera coercere rarum.* Non dicit, nefas hoc fuiſſe habitum, ſed negat tantum, tam immanes fuiſſe in Germania dominos, ac Romae. Quamuis enim liberrima iis fuerit ſeruos coercendi poteſtas, raro tamen verberibus aut vinculis in eorum corpora ſaeuiebant, partim quod ſerui ſedibus ac penatibus ſuis diſtincti non adeo frequenter dominos offenderent, partim quod magis frugi eſſent, quam Romana illa colluuies, quae e Sardis, Syris, aliiſque nebulonibus confluxerat. Genuinum hunc eſſe TACITI ſenſum, e ſequentibus ſtatim verbis patet. *Occidere* quandoque *ſolent.* Non ſecus ergo iis ac Romanis ius vitae ac necis competebat in ſeruos: attamen in eo inſigne adparebat diſcrimen, quod *non diſciplina & ſeueritate* id facerent, ſicuti Romani, qui animo deliberato ſaeuiebant, nihilque habebant ſeruili ſanguine vilius; *ſed impetu & ira, vt inimicos, niſi quod impune.* Tum demum ergo Germani domini ad verbera & caedes ruebant, ſi quando ſerui fraena mordere, fuga ſe ſubducere, aut dominos contumelioſius tractare ſuſtinuerant. Vt adeo mireris, non deeſſe, qui dominis in Germania ius vitae ac necis plane fuiſſe ademtum, exiſtimant (n), quum tamen in vniuerſum ex legibus eorum antiquis conſtet, caedem etiam liberorum hominum ante Chriſtianae religionis exortum in Germania non fuiſſe capitalem, & modico aere facile potuiſſe expiari (o). Cur ergo ſeruorum vitae maius ſtatuiſſent pretium?

§. XIV.

Poſtea vero Hadrianus *ius vitae ac necis plane ademit dominis, teſte* Spartiano in Hadr. *cap. XIIX. & hinc ſeuerius animaduertit in Vmbriciam matronam, quae leuiſſimas ob cauſſas ancillam atrociſſime tractauerat. L. 2. ff. de his qui ſui vel alieni iuris ſunt. Denique ſequuta eſt conſtitutio* Antonini, *quam habes eadem L. 2. vbi conf. §. vlt. Inſt. eod. tit.*

(l) Seneca *de Clement. cap. XVIII.*

(m) *Conf.* Plin. *Libro IX. H. N. cap. XXIII.* Tertull. *de pallio in fine, & maxime* Meurl. *Auctar. philol. ad Libr. de Gloria cap. XXII. vbi oſtendit, ſeruos praeter alios cruciatus caeſos nonnunquam toto die a lictoribus octo.*

(n) *Ita* Iac. Oiſelius *ad* Caii *Inſtit. Libro I. Tit. V. p. 49.*

(o) *Ex* Lege Salica *cap. XXXVII. art. vlt. & aliis antiquis Germ. gentium legibus*

§. XIV.

Illuſtrantur in exemplo nobilium in Polonia & Ruſſia.

Atque haec quidem erat ſeruorum libertorumque apud priſcos Germanos conditio, haec dominorum poteſtas, quam tibi vix conceperis rectius, quam ſi Polonorum Nobiles eorumque ruſticos ob oculos tibi poſueris. Mutuam enim eorum σχέσιν ita deſcribit BER. CONNOR (p), vt fere nulla adpareat inter eius ac TACITI narrationem differentia. En eius verba: *Ein Freygebohrner und ein Edelmann ſind in Polen einerley.* (Non mireris ergo, idem olim in Germania obtinuiſſe.) (q) *Auf ſeinen eigenen Gütern iſt ein iedvveder Edelmann ein ſouuerainer Herr, immaſſen ſeiner Vnterthanen Leben und Tod in ſeinem Handen ſtehet.* (En ius vitae & necis, quale & in antiqua Germania vidimus.) *Es haben auch dieſe armen Leute, vvelche man mit gutem Recht Sclauen nennen mochte, nicht das geringſte priuilegium oder Geſetz, vvorauf ſie ſich vvider ihre Herren beruffen könten,* (En impunitatem, qualem dominis Germanis tribuit Tacitus:) *ſondern ſie müſſen ſich deren Willen ohne Widerrede in allen Stücken untervverffen. Sie dürffen bey Lebens-Straffe ſich nicht von dem Orte, vvo ſie einmal ſind, hinvveg begeben, und einen andern Herrn ſuchen. Hingegen iſt ihr Herr vvohl befugt, ſie an einen ſeiner Nachbarn zu verkauffen.* (Habes hic homines eiuſdem ſortis ac conditionis, qualem hominum propriorum in Germania eſſe conſtat.) *Wenn ein Edelmann eines andern Edelmanns Vnterthanen ums Leben bringt, ſo vvird er desvvegen im geringſten nicht geſtrafft, ſondern iſt nur gehalten demſelben einen andern Sclauen zu ſchaffen, oder ſo viel Geld zu geben, als einer koſtet,* (Quanto magis itaque impune eſſe cenſemus, ſeruum impetu & ira, vt inimicum, occidere?) *darneben aber auch die Familie des Entleibten zu verſorgen. Ermordet einer ſeinen eigenen Vnterthanen, ſo zahlt er ungefehr 50 Polniſche Gulden, und damit hat vveiter niemand einigen Anſpruch auf ihn zu machen.* Denique & huc pertinet, quod de iudiciis nobilium monet CONNOR (r): *Auf den Dörffern iſt das gemeine Volck den Schöppen untervvorffen, vvelche Königliche Bedienten ſind, und hiernächſt den Schultzen, oder auch deſſelben Orts abſonderlichen Herrn,* (nobili ſcilicet, cuius eſt ipſe pagus,) *von vvelchem letzten keine appel-*

legibus id oſtendunt Schilter *Exerc.* XLIX. §. CXIV. & Dn. Thomaſ. *in not. ad Inſt.* p. 30.

(p) Connor *Beſchreibung des Königr. Polon. Part. II. Epiſt. V. p.* 600.

(q) *Vide ſupra* §. *XI. p.* 22.

(r) Bern. Connor *Part. II. Epiſt.* III. p. 544. *Conf.* Hauteuille *relat. hiſtorique de la Pologne, cap. VII.* Hartknoch. *de Polon. Libro* III. *cap. V. p.* 616. 621. 647.

appellation ſtatt findet. Allhier ſprechen die Richter faſt nach ihrem Gutdüncken, (ſine figura ſtrepituque iudicii, prout ipſis aequum videtur,) *ausgenommen in peinlichen Sachen*, (vbi paullo accuratius iudiciorum ordinem obſeruant.) Haec omnia profecto egregie illuſtrant conditionem veterum ſeruorum in Germania. Idem fere in Ruſſia obſeruatur, in qua domini tum ruſticos, qui omnes ſunt ſeruilis conditionis, tum ſeruos domeſticos verberibus, flagellis, aliiſque poenis impune afficiunt, omneſque eorum controuerſias ſine figura ſtrepituque iudicii componunt, exceptis cauſſis vere criminalibus, quae ad proximum iudicem, a Principe conſtitutum, ſunt deferendae. Et profecto tantam inter Germanos veteres haſque gentes hac in re obſeruari ſimilitudinem, non eſt mirum. Iam olim enim eos Germanorum iura ſequutos, inter omnes conſtat (s). In eo tantum a nobis abit vtraque gens, quod Poloni hodienum, Ruſſi ad noſtra vſque tempora antiqui moris fuerunt ſeruantiſſimi.

§. XV.

Ne quis vero exiſtimet, TACITI tantum aeuo eam fuiſſe ſeruorum ſortem, poſtea vero aut a CAROLO M. (t) aut certe ſaeculo XIII. omni penitus ſeruitute in Germania ſublata aliam eſſe coepiſſe rerum faciem: operae pretium fuerit, quae poſt ea tempora de ſeruorum conditione referant annales, paullo accuratius diſpicere (u). Ex his vero conſtat, ſeruitutem in Germania ex eo tempore non imminutam, ſed auctam fuiſſe. Nam vt taceamus, totam Alemanniam (x) & Saxoniae partem non minimam (y) a Francis duriſſimo ſeruitutis iugo ſubiectam: illud ſane certum eſt, debellatis Slauis, tantam ex ea gente hominum multitudinem ſeruitutem Germanorum ſubiiſſe, vt Slauorum non tam gentis quam ſeruitutis nomen eſſet (z). Quum ergo ſub Francis Saxoni-

Seruilis conditio etiam poſt Tacitum in Germania nata.

(s) *De Polonis notum, quod quum antea Germanorum exemplo nullis legibus ſcriptis vterentur, poſtea imperante* Caſimiro M. *ius Saxonicum receperint. Vid.* Bern. Connor. *l. c. Part. I. Epiſt.* II. *p.* 70. & *Part. II. Epiſt.* III. *p.* 545. *ſeq.* Flor. Polon. *Libro* II. *p.* 135. Conring. *de Orig. Iur. Germ.* De Ruſſis *idem ex ipſa legum apud eos receptarum conſideratione patet, docuitque idem* Georg. Engelbrecht *in diſſ. de iure Ruſſico cap. I.*

(t) *Vid.* Gryphiand. *de Weichbild. cap. XXIV. n.* 15. *cap. XXXI. n.* 4. & *ſeqq.*

(u) Bodinus *hoc adfirmat L. I. de Rep. cap. IX. deceptus ab* Abbate Panormitano, *vt oſtendit* Thomaſ. *in diſſ. de vſu pract. diſtinct. inter ſeruos & liberos cap.* II. §. *XX. & XXIII. Interim ex* Bodino *hunc errorem alii hauriunt. Vid.* Stryk. *V. mod. Libro I. Tit. V.* §. 2. *p.* 78. Hert. *de hom. propr. ſect.* 2. §. I. *p.* 164. *T. II. Opuſc.*

(x) Ioach. Vadian. *Epiſt. ap.* Goldaſt. *Tomo II. Rer. Alem. p.* 84.

(y) *Vid.* Sagittar. *Hiſt. Bardeuic. cap.* III. §. 59. Hert. *l. c. ſect. I. p.* 159.

(z) Hert. *l. c.* §. 5. *p.* 161. *ſequ.*

nicisque ac ſequentibus Imperatoribus maior, quam TACITI aeuo, eſſet ſeruorum numerus: agris tantae ſeruorum multitudini non ſufficientibus, diſtinctio naſci coepit inter *caſatos* (*Coſſaten*) & *non caſatos* ſeu *gaſindos*, *Geſinde* (a), quorum vtrique ad ſeruitia ac operas tenebantur. Manebat etiam illa antiqua ſeruorum conditio, qualem ſupra e TACITO deſcripſimus. Obligabantur, vt antea, ad operas & penſiones, poterant vendi, permutari, donari, e fuga retrahi, vindicari atque ob delicta grauiter caſtigari (b), adeo vt & necare ſeruum impune haberetur (c). Eaque ſeruitus adeo non ceſſauit ſaeculo XIII, vt potius ex eo tempore frequentiſſima fiat ſeruorum in monimentis antiquis mentio (d), & ſeruitus illa hodienum maniſeſto ſuperſit in hominibus propriis (e), quidquid alii de eorum libertate iactitent (f).

§. XVI.

Nec non libertorum, quibus ſimiles hodie ruſtici.

Ad libertos veteres quod attinet, nec eorum ſtatus poſt TACITI aeuum aliam induit faciem. Quamuis enim manumiſſionibus frequentatis ſeruorum numerus ſaeculo XIII. ſenſim decreuerit, adeo vt hodie non tanta hominum propriorum, quam olim ſeruorum ſit multitudo: libertorum tamen conditio, pro veteri Germanorum more parum a ſeruili diſcrepauit. Hinc hodienum ruſtici, quos libertorum iſtorum poſteros merito dixeris, non multo benignius a dominis haberi ſolent, ac liberti priſcorum Germanorum. De pleriſque ſane locis verum eſt, quod ait IO. BOHEMVS (ff): *Eorum, qui ruri pagatim villatimque habitant, quique illud colunt, & propter hoc ruſtici vel rurales appellantur, ſi credere velint, ſatis miſera & dura conditio eſt. Seorſim ab aliis quiſque cum familia & pecore ſuo humiliter viuit. Caſae luto lignoque paullulum e terra eductae, & ſtramine contectae domus. -- Dominis*

(a) *Vid.* Capitul. Franc. *T. I. pag.* 687. *edit.* Baluz. Bignon. *ad Form.* Surmondic. *p.* 947.

(b) *Adparet haec dura ſeruorum Germ. conditio ex* L. Wiſigoth. L. II. *Tit. V.* §. 62. *Tit. VII.* §. 16. L. I. §. 10. Ripuar. *Tit. XXIII.* Capitul. Caroli M. L. V. 303.

(c) *Vid. infra* §. 18. *lit. a. p.* 38.

(d) *Ab anno* 1259. *adhuc manumiſſionis teſtimonium* Louanii *exſtare, obſeruauit* Gudelin. *de iure nouiſſimo L. I. cap. IV. Anno* 1314. *in Flandria adhuc exſtitiſſe ſeruos & ſeruas, patet ex Miraeo Donat. Belg. L. I. cap. CXXIX. Anno* 1340. Ludouicus Imp. *Monaſterio* Schoffitharn *donat ſeinen aigen Mann Berchtolden. ap.* Hund. *Tom. III. Metrop. Saliſb. p.* 299.

(e) *Vid.* Huſan. *de hom. propr. cap.* II. *n.* 37. Thomaſ. *diſſ. alleg. & de hominibus propriis. Et ſane* ſeruorum *adhuc fit mentio in* Inſtrum. Pacis Oſnabr. *Art. V.* §. 36.

(f) Sichard. *ad l.* 11. *C. de Teſt. n.* 4. Stryk. *Vſ. mod. l. c.*

(ff) Io. Bohem. *Libro III. de morib. Gent. cap. XII. Conſ. quae de ruſticis in noua Marchia referunt* Muller *Reſol. XCVII. ſequ.* Schepliz *Part. IV. Tit. XIV.*

minis crebro per annum ſeruiunt, rus colunt, & ſemine conſpergunt, fructus metunt, & horreis important, ligna ſecant, domos aedificant, foſſas effodiunt. Nihil eſt, quod ſeruilis & miſera gens ipſis debere non dicatur. Nihil etiam, quod iuſſa facere abſque periculo recuſare audeat. Delinquens grauiter mulctatur. Sed nihil eſt genti durius, quam quod praediorum, quae poſſidet, maior pars non ſua ſit, ſed illorum, a quibus certa frugum parte quotannis redimere debet. Haec ruſticorum conditio, quam parum ab illa libertorum, quam TACITVS deſcripſit, diſtet, nemo non videt. Sed clarius hoc adparet, ſi inter ſe contendas diuerſas colonorum hodiernorum ſpecies, e. g. *die Landſiedel-Leihe, Laſs-Güter, Curmeden.* In iis enim omnibus manifeſta exſtare priſcae ſeruitutis veſtigia, inter omnes conſtat, ac nouiſſime etiam a IO. PETRO LVDEWIGO (g), talium rerum peritiſſimo, eſt obſeruatum.

§. XVII.

An haec antiqua Dominorum poteſtas reuera fuerit iuriſdictio.

Enimuero, quum dominis in Germania tanta olim relicta fuerit ſeruos ſeu ruſticos coercendi poteſtas: quaeſtio omnino emergit, an haec ſecundum antiqua Germanorum principia vera fuerit iuriſdictio? Id vero procul dubio negandum. Aliud enim eſt iuriſdictio, quae a ſuprema in republica poteſtate emanat, & non niſi iure magiſtratus competit, aliud ius dominicum in ſeruos, quod eſt patris familias. Hinc non magis haec coercendi ſeruos poteſtas in Germania dici poteſt iuriſdictio, quam olim Romae, vbi heri eadem poteſtate multo licentius vtebantur. Sane in Germania antiqua, aeque ac in aliis rebuſpublicis, iuriſdictio olim erat mere perſonalis, eiuſque primarius ſcopus videbatur coercitio criminum, quum contra ea poteſtas cauſſas ciuiles cognoſcendi pro parte veluti iudiciorum acceſſoria haberetur (h). Ius ergo in Germania Taciti tempore dicebatur per magiſtratus, non ſecus ac apud Romanos. Iudicia enim erant penes principes & comites in comitiis electos, qui per vicos & pagos, (*in iedem Govv*) iura reddebant. Si qua grauior cauſſa, maxime inter ipſos principes, incidiſſet, res ad comitia referebatur (i). Poſtquam vniuerſa Germania in Francorum imperium conceſſit, alia quidem eſſe coepit iuriſdictionis facies, ſed tamen ne tunc quidem vllum adparuit iuriſdictionis patrimonialis, qualem ſupra deſcripſimus, veſti-

(g) *Vid.* Ioh. Petri Ludew. *Diſſertatio de conductione villari, & Colonis adſcriptitiis, vbi conferend. cap.* I. §. 1.

(h) Thomaſ. *Diſſert. de iuriſd. & magiſtrat. differentia ſecundum mores Germ.* §. LII.

(i) Tacit. *de morib. Germ. cap.* XII. Herm. Conring. *de iudiciis reip. Germ.* §. X. *ſequ.*

veſtigium. Reges ipſi iudicare poterant de omnibus cauſſis, ſiue ciuilibus, ſiue feudalibus, ſiue criminalibus, vbicunque locorum eſſent. Enimuero, quum infiniti fuiſſet laboris, iuris dicundi cauſſa totum peragrare imperium: iuriſdictionem demandabant vel Ducibus, vel Comitibus, vel Miſſis regiis, ſibique iudicia de ipſis principum cauſſis reſeruabant, quas in comitiis ſolebant cognoſcere (k). Denique poſt Francorum tempora principatus ac comitatus maximam partem coeperunt eſſe hereditarii: ſed tamen nec iis quidem temporibus vlla erat nobilium iuriſdictio patrimonialis: ſed ſola dominis conceſſa poteſtas coercendi ſeruos & libertos, i. e. ruſticos. Vnde & in antiquiſſimis chartis, in quibus nobilibus donantur vici, mancipia & ruſtici, nulla vnquam fit mentio iuriſdictionis aut iudiciorum. Exemplum eſt in binis diplomatibus OTTONIS I. & alio HENRICI II. IMP. (l) quae a venerando Fratre e tabulariis Goſlarienſibus depromta, in eius de ſigillis Syntagmate recenſentur. In primo enim anno DCCCCXXXVII. BIAE, *nobili cuidam matronae, in proprium dantur omnia, quae in* GERESLEVO *ad Caeſareum ius pertinent, in pago Sueuia, in comitatu Chriſtiani, hoc eſt curtile vnum, in eodem campo XL iugera agrorum, & adhuc inquirenda, nec non &* VIII MANCIPIA, *Adalvver & Hilteburg cum filiis & filiabus ipſorum*: ſed nihil de iuriſdictione in haec mancipia additur, quum procul dubio plena poteſtas dominica in Biam fuerit tranſlata. In altero diplomate anno DCCCCXLV. idem OTTO I. Imp. *quibuſdam vaſalli ſui, Friderici, filiis, Folcmaro & Richberto quaſdam res proprietatis ſuae in proprium donat, nimirum inter* Sclauos *prope fluuium* FONA *vocatum, in pago* Sirmuntilande *nuncupato, in comitatu* Chriſtiani *comitis villas IV*, Reckiam, Bodblozi, Zachliandorf, Pochutikie *cum omnibus appendiciis & adiacentiis ſuis iuſte legitimeque ad illas villas pertinentibus, curtilibus, aedificiis, terris cultis & incultis, piſcationibus, viis & inuiis, exitibus ac reditibus, quaeſitis ac inquirendis, mobilibus & immobilibus*: ſed de iuriſdictione ac iudiciis denuo altum ſilentium. Idem denique in tertio quoque diplomate obſeruatur, quo HENRICVS II. Imp. anno MIII. *cuidam fideli ſuo* Folcmaro *in proprium donat praedium ſui iuris, i. e. XX. regales manſos vltra* Albiam, *in territorio* Zerbi-

(k) Conring. *de iudic. reip. Germ.* §. X. *ſequ. Conſ.* Hert. *diſſert. de Conſultat. legib. & iudiciis in ſpecial. Rom. Germ. Imp. rebuſp.* §. *XIX. p.* 441. *ſequ.*

(l) D. Io. Mich. Heineccii *Syntag. de vet. Germ. aliarumque nat. ſigillis, Part. I. cap. IX. p.* 90. 91. 94.

Zerbiſte, *in Comitatu* Geronis, *in locis* Droganize, Lirubuſiz, Wize, *cum omnibus pertinentiis legalibus, areis, mancipiis vtriuſque ſexus, terris cultis & incultis*, & ſic porro: omiſſa denuo iuriſdictione, quae ſalua poteſtate in ruſticos dominica ad Comites pertinebat. Ex quo quidem intelligitur, dominis, ſeu nobilibus olim in ruſticos liberrimam competiiſſe poteſtatem coercendi, liteſque eorum ſine figura ſtrepituque iudicii dirimendi: ſed eos hoc iure non gauiſos tanquam iudices, ſed tanquam patres familias, adeoque hanc poteſtatem magis oeconomicam vel herilem, quam iudicialem fuiſſe.

§. XIIX.

Qua occaſione ea formam iuriſdictionis induerit.

Quum ergo iſthaec dominorum in ſeruos poteſtas olim non fuerit vera iuriſdictio: diſpiciendum nunc merito, qui factum ſit, vt demum iuriſdictionis pallium induerit? Niſi vero omnia me fallunt, Clero haec debetur μεταμόρφωσις, &, quae ab eo dependebant, academiis. Quum enim initio, ceu ex TACITO obſeruauimus, nobiles in ruſticos ſuos impune animaduerterent: indignum poſtea hoc viſum eſt epiſcopis, qui proinde caedem eiuſmodi excommunicatione & poenitentia biennii vindicabant (m). Poſtea quum nec id fulmen ſufficere videretur; eo res rediit, vt in dominos ſeruum occidentes capitale ſtatueretur ſupplicium. Vnde iam temporibus collecti SPECVLI SAXONICI ac SVEVICI receptum, vt dominus, qui etiam ſeruum proprium occidiſſet, capitis damnaretur (n). Hoc ergo quum eſſet legibus cautum, dominique iurium ſuorum eſſent tenaciores, quam vt ea plane dimitterent; id ſenſim cepere conſilii, vt non amplius per iram ac impetum in ruſticos animaduerterent, ſed, conniuentibus principibus, cauſſas eorum paullo accuratius cognoſcerent, ac demum ex prudentiorum conſilio de iiſdem ſtatuerent. Inde ergo Doctores ſolius Romani iuris rerumque Germanicarum ignari, quum primum in academiis Germanicis docere coepiſſent, ſingularem fingere coeperunt iuriſdictionis ſpeciem, quam, ne nomen deeſſet, patrimonialem vocabant (o). Ex eo ergo tempore iuriſdictionis patrimonialis nomen vbique per Germaniam audiri coepit, maxime quum Principes in litteris inueſtiturarum nobilibus in feudum concederent *die Gerichte, die ober-und nieder-Gerichte, alle vnd iede*

 Gerichte,

(m) *Vid. Addit. IV. ad Capitular. cap. XLVIII.*

(n) Ius Prou. Sax. *libro* II. *art. XXXIII. in* Gloſſ. Germ. *n.* 4. Ius Prou. Sueu. *cap. LXVII.*

(o) Thomaſ. *Diſſ. de hominib. propr.* §. *LXXXVI. & Diſſ. de vſu pract. diſt. homin. in liberos & ſeruos cap. II.* §. *LXIII. & ſequ.*

Digitized by Google

Gerichte, & quae ſunt aliae formulae in curiis feudalibus ſequiore demum aeuo receptae. Nec dubitandum adeo, quin poteſtas; quae olim ceu in Polonia & Ruſſia, tantum dominica erat, hodie in veram abierit iuriſdictionem, eamque Nobiles nunc iure feudi, id eſt, iuſto titulo teneant.

§. XIX.

Cur eius ſignum a ICtis ſtatuatur praeſtatio gallinae fumoſae, des Rauch-Huhns?

Veram hanc eſſe iuriſdictionis patrimonialis originem, iam hiſtoricorum teſtimoniis mediique ac ſequioris aeui annalibus ac monimentis eſſet demonſtrandum: ſed tempore mihi excluſo ea omnia alii ſcriptioni reſeruanda ſunt. Illud addere nunc licebit, pleraque, quae de iuriſdictione hac hodie veniunt in controuerſiam, omnium rectiſſime ex hac hypotheſi poſſe explicari. Vt vnum atque alterum addamus exemplum: notum eſt, SIGNVM iuriſdictionis patrimonialis, & criminalis maxime, vulgo a ICtis ſtatui praeſtationem annuam GALLINAE FVMOSAE, *des Rauch-Huhns* (p): & quin recte id quidem fiat, nullus plane dubito. Sed ſi rationem a ICtis exigas, qui Romanis ſolum legibus pretium ſtatuunt: mira audies vigilantium ſomnia. Contendunt enim, inde natam eſſe hanc gallinarum adpellationem, *quod in altum, ſeu loca fumo expoſita ſe eleuent gallinae, & ibi requieſcant: atque hinc factum, vt earum praeſtatio altitudinem iuriſdictionis ſeu merum imperium denotet* (q). Ingenioſa profecto diuinatio. Sed ſi haec eſt genuina huius antiquiſſimi moris ratio; merito mireris, cur nobiles non potius vultures, aquilas, aut certe columbas a ſubditis in ſignum altae iuriſdictionis exegerint. Vera ſuppoſita iuriſdictionis patrimonialis origine, plana omnia erunt ac perſpicua. Ex TACITO enim ſupra obſeruauimus, dominos ſeruis ſeu ruſticis annuas iniunxiſſe penſiones. Inter eas vero praecipue etiam erant gallinae, quae vel viuas praeſtabant, vel veteri Germanorum ritu infumatas. Vnde medio aeuo plura huius penſionis nomina enata. Dicta enim eſt *gallinagium, cenſus gallinarum, gallinium* (r), *gallina fumoſa, das Rauch-Huhn, Leib-Huhn*, & quia pridie diem Cinerum vt plurimum exigi ſoleret, *das Faſtnachts-Huhn* (s). Eaque

(p) *Vid.* Pruckm. *Vol.* I. *Conſil.* II. *num. LXXXIII.* Klock. *Tom. II. Conſil. VII. n.* 159. Brunnem. *Cent.* III. *deciſ. XXIV. p.* 155. Stryk. *Vſ. mod. ff. Libr.* II. *Tit.* I. *p.* 176.

(q) Stryk. *Diſſ. de iuriſd. circumſepta cap. III. n. XXXIV. vol. I. Diſp. & vſ. mod. ff. l. c.*

(r) Car. du Freſne *in Gloſſ. med. & inf. Lat. his vocibus p.* 575. *Part. II.* Stamm. *Libro III. de hom. propr. cap. XXII. pag.* 3.

(s) Chron. Andrenſe *ad ann.* 1203. *p.* 53. *apud* Car. du Freſne *l. c.*

Digitized by Google

que conſuetudo tam erat vniuerſalis, vt medio aeuo gallina pro ſeruo ſeu homine proprio acciperetur, in veteri Germanorum prouerbio: *Kein Huhn fleucht über die Mauren* (t). Quum ergo haec gallinarum annua praeſtatio ſignum eſſet ſeruilis aut certe libertinae conditionis, in ſeruos vero & libertos domino poteſtas illa herilis competeret, quae deinde in iuriſdictionem patrimonialem abiit: recte omnino haec gallina hodie probabile iuriſdictionis ſignum habetur.

§. XX.

Vnde nata iuriſdictio circumſepta, die Pfahl-oder Zaun-Gerichte?

Aeque facile deciditur quaeſtio, cur in Germania, & in Marchia potiſſimum, iuriſdictio occurrat, ad loca ſpecialia, certas ſcilicet perſonas vel certa praedia reſtricta, quae ideo IVRISDICTIO CIRCVMSEPTA *die Pfahl-oder Zaun-Gerichte* vocatur, opponiturque iuriſdictioni ſine reſtrictione loci conceſſae, *den Straſſen-Gerichten* (u)? Hic enim ICti vulgo confugiunt ad exemtionem, & ex Rolando a Valle (x) vrgent, certum territorii locum a iuriſdictione poſſe eximi: Sed exemtionem hanc, quia in facto conſiſtat, eſſe probandam (y), eam quoque eſſe ſtricti iuris, atque hinc extra locum exemtum vbique ſe exſerere iuriſdictionem. Sed non opus erit iſta exemtione, ſi veram ſupponas iuriſdictionis patrimonialis originem. Quum enim ea nihil aliud ſit, quam poteſtas veterum Germanorum dominica in ſeruos & libertos, ſequiore aeuo quodam iuriſdictionis ſchemate induta, non potuit illa iure ſe vlterius extendere, quam in perſonas caſaſque ruſticorum. Et hinc procul dubio omnis nobilium iuriſdictio initio fuit circumſepta, priuſquam ampliora Nobilibus iura per inueſtituram concederentur. Quemadmodum ergo iuriſdictio vniuerſalis (*die Straſſen-Gerichte*) principum debetur indulgentiae: ita circumſepta genuinam antiqui moris retinuit faciem, ſimulque indicio eſt, veteres Marchiones Brandenburgicos iurium ſuorum fuiſſe obſeruantiſſimos.

§. XXI.

An poſſeſſor huius iuriſdictio-

Ad exercitium porro & poſſeſſionem huius iuriſdictionis quod attinet, quaeri etiam ſolet, an poſſeſſor eius principi edere teneatur

(t) *Vid. de hoc prouerbio* Hert. *in paroem. iur. L. II. paroem. X. p. 607. T. III. Opuſc.*

(u) Stryk. *Diſſ. ſing. de iuriſdict. circumſepta & Vſ. Modern. ff. Lib.* II. *Tit. I. p. 189.*

(x) Rol. a Valle *Vol. III. Conſil. XXXIII. n. 27.*

(y) Eraſm. a Chokier *Tract. de iuriſd. ordin. in Exempt.* P. *I. Quaeſt. VIII. num. 1.*

nis teneatur edere poſſeſſionis titulum?

tur poſſeſſionis titulum? Facilis denuo, ſuppoſita vera huius iuriſdictionis origine, reſponſio. Quamuis enim alioquin tanta ſit poſſeſſionis efficacia, vt a tituli allegatione liberet (z): attamen merito excipitur, quidquid ſine titulo poſſideri nequit (a), qualia ſunt omnia regalia, atque adeo etiam iuriſdictio (b). Iam vero quum iuriſdictio conniuentibus principibus ex poteſtate in ruſticos dominica nata ſit, atque adeo nulla pro nobilibus militet praeſumtio, quod iis conceſſa ſit iuriſdictio, merito ſibi princeps titulum edi poſtulat, nec ſufficit adeo, quae alias ſufficere aliquamdiu ſolet, nuda poſſeſſio.

§. XXII.

Vtrum cumulatiue an priuatiue praeſumatur conceſſa?

Famoſa etiam eſt quaeſtio, vtrum iuriſdictio patrimonialis cumulatiue an priuatiue data intelligatur? ſeu, vt clarius rem enunciem, dominuſne regionis iuriſdictionem cenſeatur indulſiſſe communicando duntaxat cum altero, an adimendo ſibi? Prius procul dubio eſſet adfirmandum, ſi ad ipſam reſpiciendum eſſet huius iuriſdictionis indolem. Quum enim illa poteſtas, quae nobilibus in ruſticos competit, non fuerit olim vera iuriſdictio, eaque hoc ſchema, quo hodie gaudet, ſenſim demum induerit: conſequens eſt, vt princeps eam indulgendo nihil iurium ſuorum voluerit imminutum. Quocunque ergo titulo a domino regionis fuerit conceſſa, ſemper ea lege data cenſetur, vt ne eius ſuperioritas laedatur: quod vero omnino fieret, ſi promiſcue in arbitrium inferiorum diiudicationem cauſſarum tranſlatam diceremus (c). Enimuero quum feudo hodie concedi ſoleat, ſine reſtrictione: moribus hodie inualuit, vt non tam cumulatiua ſit quam ſubordinata, & non niſi per modum adpellationis aut querelae de denegata aut protracta iuſtitia ad ſuperiorem pateat recurſus.

§. XXIII.

Concluſio diſſertationis.

Multa ſupereſſent dicenda de iuriſdictione nobilium in vxores & liberos, inque familiam eorum conductitiam, de interpretatione porro formularum in litteris inueſtiturarum occurrentium: ſed quum charta, quam feſtinantes, huic diſſertationi inaugurali deſtinauimus, plura nunc non capiat: plurima, quae reſtant, alii occaſioni reſeruare, qua totam hanc materiam, cuius veluti primas iam

(z) *L. Cogi II. C. de petit. heredit.*
(a) B. Brunnemann. *ad h. l.*
(b) Stryk. *Vſ. mod. l. c.* §. 27. Thomaſius *Diſſ. de praeſcript. ſubdit. adu. principem.*
(c) Hert. *de Conſultat. legib. & iudiciis in ſpecialib. Imp. Germ. rebuſpubl.* §. *XXII. p.* 450. *T. II. Opuſc.*

iam lineas duximus, luculentius ac maiore adparatu tractare licebit. Interim, dum politius quid ac limatius molior, contentum te, LECTOR, hoc Catone eſſe iubeo.

GE. BEYERVS, IN PRAEF. POSIT. SECVNDVM PAND.

§. XXIV.

IVs Germanicum antiquius hic (in iuriſprudentia enucleanda,) perquirendum eſſe, veriſſimum eſt, quantumcunque etiam rideant delicatuli, quos neſcio quid aſperum & incultum in verbis offendit, quaſi phaleratum dicendi genus & comta verborum lenocinia ad imperautium voluntatem ſubditis aperiendam requirantur. -- Neque hodie metuendi ſunt ſiniſtri in iure patrio enucleando ſucceſſus, poſtquam *Schilterus* ſatis ſuperque oſtendit, eſſe in Germanicis legibus plura, laborem eruditorum non admittentia modo, ſed & exſpectantia, & ſatis habere ICtos, quo hic ſe exerceant, ſi modo vltra collegia praeceptorum ſapere, & viae commodiori, ſed non adeo commentatorum voluminibus explanatae, inſiſtere, non alicuius laboris eſſe putarent.

DE LEVIS NOTAE MACVLA

AD LEG. XXVII. COD. DE INOFF. TEST.

EXERCITATIO VII.

§. *I. Legis XXVII. C. de inoff. teſt. celebritas & tenebrae.* §. *II. Exercitationis partitio.* §. *III. Textum legis a Triboniano interpolatum eſſe, ex L. 1. C. Theod. de inoff. teſt. patet.* §. *IV. Longa eidem lacinia ex L. 3. C. Theod. eod. adſuta.* §. *V. Quo tempore lex lata?* §. *VI. Eius analyſis & explicatio.* §. *VII. An noui quid ſanxerit Conſtantinus M.?* §. *VIII. Summa olim teſtandi libertas ſenſim coanguſtata.* §. *IX. Hinc &* QVERELA INOFFICIOSI *inuenta.* §. *X. Eius origo.* §. *XI. Eiuſdem antiquitas.* §. *XII. Ea paullatim etiam ad alios, & maxime fratres, porrecta eſt.* §. *XIII.* IO. VAN DE WATER *ſententia expenſa.* §. *XIV. Quando olim haec querela locum habuerit contra teſtamentum fraternum?* §. *XV. Conſtantinus M. non tam nouum ius reperit, quam vetus in vſum reuocauit.* §. *XVI. Cur perſonas turpes & leuiter notatas fratribus anteferri noluerit? Reſpicit Conſtantinus ad legem Papiam Poppaeam.* §. *XVII. Ante eam legem vxores plebeias, at non libertinas, ducere licebat.* §. *XVIII. Poſtea ſenatoribus libertinarum, ingenuis turpium perſonarum nuptiis interdictum eſt.* §. *XIX. Qui contra hanc legem perſonas vel turpes vel leuiter notatas duxerant, nihil poterant capere.* §. *XX. Quaenam perſonae ob turpitudinem vel leuem notam capere non potuerint?* §. *XXI. Per turpitudinem incapaces habebantur lenones & lenae, a lenonibus manumiſſae:* §. *XXII. Iudicio publico damnatae, & in adulterio deprehenſae.* §. *XXIII. Artem ludicram facientes.* §. *XXIV. Ob leuem notam capere non poterant illorum liberi, non meretrices.* §. *XXV. Nec non libertini.* §. *XXVI. Legis noſtrae occaſio: & cur ad legem Papiam Poppaeam reſpexerit Conſtantinus.* §. *XXVII. Eum ad*

ad hanc legem reſpexiſſe, ex interpretibus veteribus demonſtratur. §. *XXVIII. Doctrina vulgaris de leuis notae macula, eiuſque natura.* §. *XXIX. De perſonis, quas hodie leuis notae macula adſperſas putant.* §. *XXX. De aliis, quas olim hac macula dehoneſtarunt.* §. *XXXI. De effectibus huius maculae.* §. *XXXII. Errores doctorum circa naturam huius maculae.* §. *XXXIII. An perſonae, quae a doctoribus notantur, iure hac macula adſpergantur?* §. *XXXIV. An ſpuriis leuis notae macula haereat?* §. *XXXV. Quid de effectibus, quos doctores huic maculae tribuunt, ſentiendum?* §. *XXXVI. Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Leg. XXVII. C. de inoff. teſt. celebritas & tenebrae.

INter celeberrimas tritiſſimaſque, quae in iure noſtro exſtant, leges locum haut poſtremum ſibi vindicat LEX XXVII. COD. DE INOFF. TEST. quam euoluere paullo accuratius atque enodare decreuimus. Quemadmodum enim vſu venire ſolet, vt, qui frequentiſſime e pulpitis atque in foro recitantur, textus minime omnium a pleriſque intelligantur: ita & huius tam inſignitae conſtitutionis eadem fere fata fuiſſe animaduertimus. Vulgo doctores inde exſculpunt neſcio quod ignominiae genus, ab infamia iuris aeque ac facti ſecretum, quod petitis ex hac lege verbis LEVIS NOTAE MACVLAM adpellitant, eaque contumelia non modo ſpurios, carnifices, lictores, verum etiam quoſdam opifices, qui ſordidiore vitae genere quaeſtum faciunt, dehoneſtare ſolent. Varios quoque comminiſcuntur huius maculae effectus, eamque non ſolum fratribus & ſororibus praeteritis, de inofficioſo fratrum teſtamento conquerendi occaſionem ſuppeditare, verum etiam ab omnibus dignitatibus ipſiſque opificum collegiis arcere contendunt. Quae omnia quum a legis noſtrae ſenſu alieniſſima videantur: licebit illi aliquot noctes dare, periculumque facere, poſſitne illi induſtria noſtra aliquid lucis adfundi.

§. II.

Exercitationis partitio.

Ne vero latius, quam diſſertationis limites ferant, euagemur: ipſi de regundis ſcriptionis noſtrae finibus erimus ſolliciti, eamque ita partiemur, vt enucleata legis noſtrae & querelae inofficioſi hiſtoria, cur CONSTANTINVS M. fratribus praeteritis aduerſus heredes probro aliquo diffamatos ſuccurrendum putarit, quae ſit illa LEVIS NOTAE MACVLA, quam in animo habuerit Imperator, & num denique tota illa de hac macula doctrina, quam in omni-

Digitized by Google

omnibus iureconſultorum commentariis inculcari, animaduertimus, vllum in iſta lege praeſidium inueniat, cum cura diſquiramus.

§. III.

Textum legis a Triboniano interpolatum ex L. C. Theod. de inoff. teſt. patet.

Lex ergo ipſa, quam interpretandam delegimus, in CODICE IVSTINIANEO (a) ita ſe habet: *Imp.* CONSTANTINVS *A. Verino. Fratres & ſorores vterini ab inofficioſi actione contra teſtamentum fratris vel ſororis penitus arceantur. Conſanguinei autem, durante agnatione (b), vel non, contra teſtamentum fratris ſui vel ſororis de inofficioſo querelam mouere poſſunt, ſi ſcripti heredes* INFAMIAE, *vel* TVRPITVDINIS, *vel* LEVIS NOTAE MACVLA *adſpergantur, vel liberti, qui perperam & non bene merentes, maximiſque beneficiis patronum ſuum adſequuti, inſtituti ſunt, excepto ſeruo neceſſario herede inſtituto. Dat.* ID. APR. *Sirmii*, CONSTANTINO P. A. V, & LICINIO CAES. COSS. 319. Talem quidem hanc conſtitutionem CONSTANTINI nobis obtruſit TRIBONIANVS, vel quiſquis digerendae huic codicis parti operam nauauit. Sed iam a MERLINO (c) & GOTHOFREDO (d), iureconſultis humaniſſimis, obſeruatum eſt, hic quoque antiquum obtinuiſſe hominem, & pro duabus, iiſque diuerſiſſimis, CONSTANTINI legibus, vnam nobis, ſed interpolatam, & variis laciniis onuſtam, dediſſe. Quod vt luculentius pateat: ipſam adſcribemus genuinam CONSTANTINI epiſtolam, in CODICE THEODOSIANO (e) ſuperſtitem: *Imp.* CONSTANTINVS *A. Verino. Fratres vterini ab inofficioſis* (leg. *inofficioſi*) *actionibus arceantur: & germanis tantummodo fratribus, aduerſus eos duntaxat inſtitutos heredes, quibus inuſtas conſtiterit eſſe* NOTAS DETESTABILIS TVRPITVDINIS, *agnatione durante, ſine auxilio Praetoris petitionis aditus reſeretur. Dat.* ID. APR. *Sirmio*, CONSTANTINO V. & LICINIO CAES. COSS. Ex inſcriptione ſane aeque ac notatione diei & conſulum intelligimus, eamdem hanc eſſe conſtitutionem, quam in codicem retulit TRIBONIANVS. Et tamen eam ſuo arbitrio non modo auxit, verum etiam interpolauit, adeo, vt ſui vix videatur ſimilis. CONSTANTINVS de ſolis fratribus loquitur: Tribonianus etiam *ſorores* vbique addit. Ille tum demum fratribus hanc querelam indulget, ſi talis inſtitutus ſit heres, cui deteſta-

(a) L. 27. C. *de inoff. teſt.*

(b) *Ita ſcilicet legendum, non, vt in exemplaribus quibuſdam eſt, agnitione.*

(c) Merlin. *de Legitim. lib. VIII. Tit. II. Quaeſt. XIII.*

(d) Iac. Gothofr. *Comment. ad Leg. I.* Cod. Theod. *de inoff. teſtam.*

(e) *L. I. Cod.* Theod. *de inoff. teſt. lib. II. Tit. XIX.*

Digitized by Google

teſtabilis turpitudinis notas inuſtas eſſe conſtiterit: hic *infamiae* & *leuis notae maculam* adiicit. Ille fratres germanos, *durante* duntaxat *agnatione*, hanc querelam mouere poſſe ſtatuit: hic, verbis in contrarium ſenſum detortis, de ſuo addit, *durante agnatione, vel non*, adeoque perinde eſſe exiſtimat, agnatine teſtatoris ſint fratres ſuperſtites, an capitis paſſi deminutionem. Quae quam aliena ſint ab Imperatoris mente, nemo non intelligit. Denique longi illius, quod legi noſtrae adſutum videmus, ſyrmatis de liberto ingrato & ſeruo herede neceſſario inſtituto, nec vola vlla nec veſtigium in genuina hac CONSTANTINI conſtitutione exſtare, animaduertimus.

§. IV.

Longa eidem lacinia ex L. 3. C. Theod. eod. adſuta.

Ne quis tamen exiſtimet, poſtremam illam laciniam ex ſolo TRIBONIANI ingenio eſſe profectam: ex eodem CODICE THEODOSIANO (f) diſcimus, illam ex alia CONSTANTINI conſtitutione, annis vndecim poſt edita, decerptam, & ſuperiori ob ſimile argumentum intertextam eſſe. Eam quoque epiſtolam hic dare vel ideo nos oportet, vt ſimul, vnde LEVIS NOTAE MACVLAM exſculpſerit codicis Iuſtinianei auctor, intelligatur. Reſcribit ergo Imperator ad concilium Byzacenum: *Seruus neceſſarius heres inſtituendus eſt, quia non magis patrimonium, quam infamiam, conſequi videtur. Vnde claret, actionem inofficioſi fratribus relaxatam, quum* INFAMIAE *adſpergitur vitiis is, qui heres exſtitit, omniaque fratribus tradi, quae per* TVRPITVDINEM *aut aliquam* LEVEM NOTAM *capere non poteſt inſtitutus. Ita in hac quoque parte, ſi quando, libertis heredibus inſtitutis, fratres fuerint alieni, inofficioſi actione propoſita praeualeant in omnibus occupandis facultatibus defuncti, quas ille perperam ad libertos voluerat pertinere.* Ex quibus adparet, ingenio ſuo denuo indulſiſſe TRIBONIANVM, & hanc ſanctionem plane in alium ſenſum detorſiſſe. CONSTANTINVS enim pro genio ſaeculi, libertinis inimiciſſimi, ſtatuerat, vt, ſi libertus fuiſſet heres inſtitutus, fratres germani praeteriti inofficioſi querela experiri poſſent, ceu luculenter demonſtrauit GOTHOFREDVS (g). TRIBONIANVS vero, ne quid integrum vſquam relinqueret, limitatione addita, totam legem peruertit, neque contra omnes in vniuerſum libertinos, ſed ingratos tantum; qui vel accepta a patrono beneficia maleficiis compenſaſſent, vel ſane egregiis facinoribus tantum beneficium haut meruiſſent, querelam fratrum valere voluit. Quorum

(f) *L. 3. Cod. Theod. de inoff. Teſtam.* (g) Gothofred. *ad L. 3. C. Th. eod. Tom. I. pag. 277.*

rum omnium nihil profecto in mentem venerat CONSTANTINO. Videtur tamen & haec lacinia ex altera huius conſtitutionis parte (h) male intellecta detracta, & loco alieno adſuta eſſe a TRIBONIANO. Neque enim in hac altera parte epiſtolae de querela inofficioſi agitur, ſed de libertis ingratis in ſeruitutem reuocandis. Sed TRIBONIANVS, qui vna cum collegis id ſibi datum negotii arbitrabatur, vt quadrata miſceret rotundis (i): ingrati animi vitium etiam ad querelam inofficioſi tranſtulit, adeoque non niſi ingratos libertos a fratribus excludi voluit. Rectius ſe habent, quae de ſeruo neceſſario herede inſtituto in LEGE NOSTRA occurrunt, quamuis & hic non tam verba CONSTANTINI, quam ſenſum, expreſſa intelligamus. Sic ergo codicis Iuſtinianei compilatores duas Conſtantini conſtitutiones, & quidem interpolatas, & in alienum detortas ſenſum, in vnam conflarunt. Eam deinde adhuc magis vel emendarunt vel corruperunt Graeci, qui in BASILICIS (k) totam legem ita ſiſtunt: Οἱ ἀδελφοὶ καὶ ἀδελφαὶ κατὰ διαθήκης ἀδελφοῦ ἢ ἀδελφῆς κινείτωσαν τὴν μέμψιν, ἐὰν οἱ γεγραμμένοι κληρονόμοι ΑΤΙΜΟΙ ὦσι. ἢ ΑΙΣΧΡΟΊ καθ' οἱανδήποτε ΚΟΥΦΟΤΑΤΗΝ ΑΤΙΜΙΑΝ, ἢ ἀπελεύθεροι μὴ μεγάλαις εὐεργεσίαις τὸν ἴδιον ἀμειψάμενοι πάτρωνα. κατὰ δὲ δούλου ἀναγκαίου γενομένου κληρονόμου μὴ ἐναγέτωσαν. *Fratres & ſorores, agunt de inofficioſo teſtamento fratris vel ſororis, ſi heredes ſcripti ſint* INFAMES, *vel* TVRPES, *etiamſi ex* LEVISSIMA INFAMIA, *vel liberti, qui maximis beneficiis ſuum patronum renumerati non ſunt. At contra ſeruum neceſſarium heredem ſcriptum non agunt.* Vbi ſane adparet, Graecos poſt IVSTINIANI tempora differentiam etiam inter vterinos & conſanguineos fratres ſuſtuliſſe, fratribuſque & ſororibus in vniuerſum omnibus hanc querelam permiſiſſe. Vnde & THALELAEVS (l) nullum amplius inter ὁμοπατρίους & ὁμομητρίους diſcrimen ſtatuit: quemadmodum nec THEOPHILVS (m), & HARMENOPVLVS (n) huius differentiae ullam faciunt mentionem.

§. V.

Quo tempore lex lata.

Ceterum vt ad rem ipſam veniamus, edidit hanc conſtitutionem CONSTANTINVS in conſulatu quinto, in quo Licinium Caeſarem collegam habuit, id eſt, anno erae Chriſtianae CCCXIX. Eo tempore totus in eo fuiſſe dicitur Imperator, vt mores populi Romani,

(h) *L. 1. Cod. Theod. de libertis.*
(i) §. 2. *Conſtit. de nouo Cod. fac.*
(k) Baſilica *Tom. V. lib. XXXIX. lege LVI.*
(l) Thalel. *in Gloſſ. ad Synopſ.*
(m) Theophil. §. 1. *Inſt. de inoff. teſtam.*
(n) Harmenop. *Promt. lib. V. Tit. VI. §. II.*

mani, qui ex anteriorum temporum perturbatione haut parum rubiginis attraxerant, in melius verteret, & ad virtutem humanitatemque traduceret (o). Quam imperatoris curam eo ipſo tempore, anno puta CCCXXI mirifice collaudat NAZARIVS (p): *Exornatae*, inquit, *mirandum in modum, ac prope de integro conditae ciuitates:* NOVAE LEGES REGENDIS MORIBVS, & FRANGENDIS VITIIS *conſtitutae, veterum calumnioſae ambages reciſae, captandae ſimplicitatis laqueos perdiderunt. Pudor tutus, munita coniugia,* SECVRAE FACVLTATES AMBITIONE SVI GAVDENT, *nec aliquis habendi quam plurimum metus, ſed in tanta bonorum adfluentia magna verecundia non habendi.* Plures hic celebrantur nouae Conſtantini leges, ad regendos mores & frangenda vitia comparatae, quas etiam laudibus in caelum extulit PORPHYRIVS OPTATIANVS (q). Harum aliae ad *recidendas veterum calumnioſas ambages & captandae ſimplicitatis laqueos* pertinuiſſe dicuntur, quales ſunt, quas his annis de accuſatoribus (r), delatoribus (s), abolitionibus (t), adpellatione (u), re iudicata (x), erroribusque aduocatorum (y) publicauit: Neque enim ad ſublatas a Conſtantino M. formulas actionum reſpiciunt haec NAZARII verba, ceu ſuſpicatus eſt V. C. CHR. GODOFR. HOFFMANNVS (z), ſiquidem a Conſtantino M. nullas plane formulas actionum, ſed teſtamentorum tantum, ſublatas eſſe, ſatis conſtat (a). Aliae leges *pudorem tutum* praeſtabant, *coniugiaque muniebant*, quo conſtitutiones variae de ſponſalibus (b), concubinis (c), raptu virginum (d), mulieribus, ſeruili amore bacchantibus (e), eodem tempore editae, pertinent. Quae vero NAZARIVS addit de SECVRIS FACVLTATI-

(o) Baron. *Annal. ad ann.* CCCXX. *n. V. ſequ. p.* 274. *Tom.* II. Gothofred. *Chronol. legum Cod. Theod. ad ann.* CCCXIX. *p.* 17.

(p) Nazar. *Paneg. cap. XXXVI.*

(q) Porphyr. Optatian. *Paneg. Carm. VI.*

(r) *L.* 2. 5. & 9. *Cod. Theod. de accuſation. lib. IX. Tit.* 1.

(s) *L.* 2. *Cod. Theod. de petit. & delator. lib. X. Tit. X.*

(t) *L.* 1. *Cod. Theod. de abolit. lib. IX. Tit. XXXVII.*

(u) *L.* 10. & 11. *Cod. Theod. de adpell. lib. XI. Tit. XXX.*

(x) *L. vn. Cod. Theod. de re iudic. lib. IV. Tit. XVI.*

(y) *L.* 1. *Cod. Theod. error. aduocat. lib. II. Tit. XII.*

(z) Hoffmann. *de orig. & progr. iur. Rom. Per. IV. p.* 74.

(a) *Vid.* Gothofr. *ad Cod. Theod. libr. II. Tit. III. p.* 95. *Tom. I. de formulis teſtamentorum teſtis eſt Euſeb. de vit. Conſtantini M. lib. IV. cap. XXVI.*

(b) *L.* 1. & 2. *Cod. Theod. de ſponſal. lib. III. Tit. V.*

(c) *L. vn. Cod. de concubin.*

(d) *L.* 1. *Cod. Theod. de raptu virg. lib. IX. Tit. XXXIV.*

(e) *L.* 1. *Cod. de mul. quae ſe ſeru. propr. lib. IX. Tit. IX.*

TATIBVS & AMBITIONE SVI GAVDENTIBVS, ea ad hanc ipſam legem noſtram aliaſque nonnullas, quibus poſſeſſorum & heredum ſecuritati conſuluit (f), videntur pertinere. Senſus enim verborum NAZARII eſt, effectum eſſe CONSTANTINI legibus, vt heredes ab inteſtato captatorum, hereditates aucupantium, artes minus, quam antea, pertimeſcant, ſed potius ea ſtultitia gaudeant, tamquam maxime ſibi profutura. Id quod hac lege ſibi propoſuiſſe Imperatorem paullo poſt adparebit.

§. VI.

Eius analyſis & explicatio. Scilicet ex ipſo textu ſatis adparet, & infra oſtendetur pluribus, voluiſſe Imperatorem hac lege fratribus aduerſus heredipetas & captatores, maxime vero defunctorum coniuges, aduerſus legem Papiam Poppaeam ductas, ſuccurrere. Hinc iis, in teſtamento fratris praeteritis, querelam inofficioſi indulſit, ſed certis tamen obſeruatis conditionibus, quas partim ſaluas reliquit, partim ſuſtulit TRIBONIANVS. Primo enim eam actionem non fratribus vterinis conceſſit, ſed germanis, id eſt, vt recte in COD. IVSTINIANEO explicatur, conſanguineis, qui, IANO RVTGERSIO (g) teſte, κατ' ἐξοχὴν *germani* tum dicebantur. Quum enim fratres vterini nulla inter ſe agnatione iungantur, portio vero legitima, cuius defectus querelam inofficioſi inducit, non niſi agnationis iure tum deberetur: conſequens erat, vt vterinis nulla competere poſſet querela. Deinde ex eadem ratione, non niſi durante agnatione, hanc querelam a fratribus inſtitui voluit. Emancipatione enim e familia dimiſſi, non minus, ac alius generis capitis deminutionem paſſi, tunc adhuc extraneis accenſebantur (h), adeoque nec legitimam exigere, nec querela inofficioſi vti poterant. Aſt quum animaduerteret TRIBONIANVS, iam ab ANASTASIO (i) Imperatore anno CCCCXCIV diſcrimen inter ſuos & emancipatos ſublatum, & hos in agnatorum numerum fuiſſe cooptatos: alteram hanc conditionem plane ſuſtulit, legique addidit: DVRANTE AGNATIONE, VEL NON. Recte id quidem, & ſuo iure: ſed in eo tamen parum prudentiae oſtendit, quod non primam etiam conditionem, quae eadem ratione nititur, eadem opera aboleuit. Quod ſi enim agnatio non amplius attendenda viſa eſt: quid fuit, quaeſo, quamobrem inter vterinos & conſanguineos diſtingueret?

(f) L. 4. *Cod. Theod. de Inoff. donat. lib. II. Tit. XX.*

(g) Rutgerſ. *Var. lect. libr. I. cap. IX. p. 40. ſequ.*

(h) *Patet hoc ex L. vn. Cod. Theod. de hered. petit. lib. II. Tit. XXII.*

(i) *L. 4. C. de legit. tut. §. 1. Inſt. de ſucceſſ. cognat.*

Digitized by Google

gueret? Vnde ſane prudentiores BASILICORVM auctores, qui diſcrimen inter conſanguineos & vterinos plane ſuſtulerunt. Tertia quoque conditio a CONSTANTINO addita fuerat, vt ſcripti ſint heredes, qui ob turpitudinem leuemue notam capere haut poſſent, vel quibus inuſtas eſſe conſtiterit deteſtabilis turpitudinis notas: quae verba quo pertineant, infra oſtendemus. Enimuero contingere ſolet, vt de interpretatione nouarum legum ambigant iudices. Quare & haec CONSTANTINI conſtitutio nonnullis crucem figebat. Fratres in ea praeferuntur ſcriptis heredibus, quibus deteſtabilis turpitudinis notas inuſtas eſſe conſtiterit. Addubitabant ergo nonnulli, an id etiam de libertinis eſſet accipiendum. Dedititii ſane liberti, quippe ob admiſſa in ſeruitute crimina ſuppliciis ſubditi, aut ſtigmatibus in facie deformati (k), non immunes ab infamia videbantur: aſt reliquorum libertinorum non eadem erat conditio, quum Latini Iuniani parum a ciuibus abeſſent, & ex fideicommiſſis ſemper, ex teſtamentis vero tum capere poſſent, ſi intra centum dies a cretione iura Quiritium conſequerentur (l): libertini vero vindicta, teſtamento, vel in ſacroſanctis eccleſiis manumiſſi, etiam ciuitatis iura impetrarent, nullaque adeo turpitudinis nota viderentur inſigniti. Hunc ergo ſcrupulum altera conſtitutione ſua exemit Imperator, & libertos omnes, ſaltim ob LEVEM NOTAM ex eiuſmodi teſtamento capere haut poſſe, adeoque eos heredes inſtitutos a fratribus praeteritis merito excludi, docuit. Enimuero nec haec conuenire videbantur ſaeculo IVSTINIANI, qui libertis omnibus non modo ciuitatem (m), verum etiam poſtea ius aureorum annulorum (n), adeoque omnia ingenuitatis ornamenta dederat. Quum ergo iam nulla amplius macula iis haerere videretur: abſonum exiſtimabat TRIBONIANVS, libertinos perſonis vel turpibus, vel leuis notae macula adſperſis, accenſeri, ideoque eos tantum libertos hac ignominia dignos eſſe volebat, qui vel patronum ſibi beneficiis haut deuinxiſſent, vel ei malam retuliſſent gratiam, adeoque ne ſummo quidem illo beneficio moueri potuiſſent ad concipiendum humanitatis ſenſum. Denique ex eo, quod liberti a fratribus querela inofficioſi repelli poſſunt, colligere quis potuiſſet, multo magis id procedere, ſi ſeruus heres fuiſſet inſtitutus. At reſcribit Imperator, ſeruum heredem neceſſarium ſcriptum non vereri fratrum querelam, nec inui-

(k) Sueton. *Auguſt. cap. XL.* Caius *Inſtit. lib. I. Tit. I.* §. III. Vlpian. *Fragm. Tit. I.* §. *XIV.* Paull. *Recept. Sent. lib. IV. Tit. II.*

(l) Vlpian. *Fragm. Tit. XVII.* §. *I.*

(m) *L. vn. C. de Lat. lib. toll.*

(n) *L. vn. C. de dedit. libert. toll.*

inuidendum ei eſſe vanum heredis nomen, qui ideo inſtitutus ſit, vt infamiam, quae defuncto eiuſque heredibus ob poſſeſſionem bonorum obaeratorum ſubeunda eſſet, in ſe deriuari, & bona domini ſuo nomine poſſideri vendique pateretur (o).

§. VII.

An noui quid ſanxerit Conſtantinus M.

Haec eſt legis noſtrae ſententia, expendenda iam paullo accuratius, & e iure aeque ac antiquitatibus illuſtranda. Primo ergo noſtra intereſt, ſcire, nouine quid hac lege ſanxerit CONSTANTINVS, an ius vetus ratum habuerit, & in vſum reuocarit? Quod vt diſtinctius concipiamus: operae pretium fuerit, rem paullo altius repetere.

§. VIII.

Summa olim teſtandi libertas ſenſim anguſtata.

Legibus XII. tabularum liberrima latiſſimaque omnibus data fuerat teſtandi facultas (p). Quamuis enim & ante decemuiros heredes etiam extraneos nuncupare liceret, ceu patet exemplo Tarrutii, qui iam ſub Anco Marcio Laurentiam meretricem πλουτίους ἀπολείψαι κληρονόμον, id eſt, *heredem reliquiſſe*, dicit (q), quam phraſin hereditatem teſtamento delatam denotare, obſeruauit IAC. PERIZONIVS (r): non aliter tamen id fieri poterat, quam comitiis calatis, rogante populum magiſtratu, & populo iure ſciſcente, id eſt, ferente ſuffragia (s). Quod ipſum parum libertatis hac quidem in re arguit. Aſt liberrimam teſtandi libertateſque & legata dandi facultatem ciuibus dedere decemuiri, in legibus XII. tabularum ita ſtatuentes (t): PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER PECVNIAE TVTELAEVE SVAE REI, ITA IVS ESTO. Quod ius quin a Graecis, & praecipue Athenienſibus, petierint Romani, eo minus videtur dubitandum, quo certius ex PLATONE (u), DEMOSTHENE (x) ac PLVTARCHO (y) conſtat, eamdem fere Athenienſibus teſtandi libertatem fuiſſe ex legibus SOLONIS. Secundum hanc ergo legem XII. Tabularum tantum abeſt, vt fratribus vel ſororibus quidquam deberetur, vt potius ne liberos quidem vel exheredes ſcribere, vel praeterire nefas crederetur (z). Cuius rei exempla haut pauca exſtant apud veteres (a). Negat id equidem M. AVREL.

(o) §. I. *Inſtit. qui & ex quib. cauſſ. manumittere non poſſ.*

(p) Pompon. *L.* 120. *D. de verb. ſign.*

(q) Plutarch. *in Romulo p.* 20.

(r) Perizon. *ad Leg. Vocon. p.* 134.

(s) Gell. *Noct. Att. lib. XV. cap. XXVII.* Vlpian. *Fragm. Tit. XX.* §. I. *& §. I. Inſt. de teſtam. ordin.*

(t) Vlpian. *Fragm. Tit. XI. §. XIV. L.* 53. *D. de Verb. ſign.*

(u) Plato *de Legib. lib. XI. p.* 679.

(x) Demoſthen. *Orat. de coron. II. p.* 983.

(y) Plutarch. *vit. Solon. p.* 90.

(z) *L.* 11. *D. de lib. & poſtum.* Theoph. *princ. Inſt. de Inoff. teſtam.*

(a) Valer. Max. *lib. VII. cap. VIII. §. II.*

REL. GALVANVS (b), ſed non alia ratione negat, quam quod liberi iam vetuſtiſſimo iure HEREDES SVI, id eſt, viuo adhuc parente rerum omnium quodammodo domini fuerint. Sed praeterquam quod illud dominium filii familias vix vmbram dominii refert, ne colligi quidem inde poteſt, non licuiſſe ideo parentibus eos exheredes ſcribere, ceu recte oſtendit V. C. IO. VAN DE WATER (c) & LVC. VAN DE POLL (d). Sui enim dicuntur, non quod iam viuo parente fuerint rerum paternarum domini, ſed quaſi proprii, natiui, domeſtici, & quia ipſi parentes veteri iure liberos reuera tamquam res mancipi in dominio habebant, vt eleganter demonſtrat BYNCKERSHOEKIVS (e). Quum vero ſaepe contingeret, vt aut illecebrae muliebres & nouercalia delinimenta patris moribundi voluntatem a liberis nihil tale meritis abducerent, aut pater ipſe, relicta poſt tergum humanitate, patrem nefarie exueret: illa teſtandi exheredandique libertas ſenſim, vt POMPONIVS (f) ait, *coangustata eſt, vel* INTERPRETATIONE LEGVM, *vel auctoritate iura conſtituentium.*

§. IX.

Hinc & querela inofficioſi inuenta.

Et liberis quidem, cum praeteritis tum exheredatis iniuſte, initio praetor ſuccurriſſe videtur. Eo enim pertinere arbitror illa VLPIANI (g), quibus edictum illuſtrauit: *In contra tabulas bonorum poſſeſſione liberos accipere debemus ſiue naturales ſiue adoptiuos, ſi neque inſtituti, neque exheredati ſunt.* De liberis enim ſuis loqui iureconſultum, vel inde patet, quod paragrapho demum VI. de emancipatis agere incipit, & de iis ita diſſerit: *Et* SVI IVRIS FACTOS *liberos inducit in bonorum poſſeſſionem Praetor.* Verum poſtea inualuit, vt liberis praeteritis, teſtamenta ipſo iure nulla viderentur (h): ex eoque tempore non amplius ſuis, ſed emancipatis liberis illo praetoris beneficio opus erat (i), quamuis & illi bonorum poſſeſſionem nonnumquam peterent, ſi in prioribus tabulis perfectis exheredati; in poſterioribus imperfectis fuiſſent praeteriti (k). Illud ius quando inductum ſit, & quo primum tempore NVLLIVS MOMENTI viſa ſint teſtamenta, in quibus filius, in po-

(b) Galuan. *de Vſufr. cap. VIII. num. XIII.*

(c) Io. van de Water *Obſeru. lib. I. cap. XI. p. 55.*

(d) Luc. van de Poll. *de Exher. cap. VII. p. 21.*

(e) Bynckershoek. *de iure occidendi liberos lib. I. p. 145. ſequ.*

(f) Pompon. *L. 120. D. de Verb. Sig.*

(g) Vlpian. *lib. XXXIX. ad Edict. L. 1. princ. D. de bonor. poſſeſſ. contra tab.*

(h) Papinian. *L. 1. D. de iniuſt. rupt. irrit. teſtam.*

(i) Vlpian. *L. 1. §. 6. D. de bonor. poſſeſſ. contra tab.*

(k) Caius *L. 12. §. 1. D. eod.*

Digitized by Google

teſtate teſtatoris conſtitutus, praeteritus eſſet, non adeo expeditum eſt. Dabimus tamen operam, vt eius originem ex antiquitatis parietinis, quantum quidem fieri poterit, eruamus. Id mihi conſtat, CICERONIS temporibus adhuc dubitatum eſſe, an teſtamentum, filio praeterito, nullum eſſet habendum. Ita enim ſpeciem huc pertinentem refert TVLLIVS (l): *Quae potuit igitur eſſe cauſſa minor, quam illius militis, de cuius morte quum domum falſus ab exercitu nuncius veniſſet, & pater eius, re credita, teſtamentum mutaſſet, & quem ei viſum eſſet, feciſſet heredem, eſſetque ipſe mortuus: res delata eſt ad centumuiros, quum miles domum reueniſſet, egiſſetque lege in hereditatem paternam teſtamento exheres filius. Nempe in ea cauſſa quaeſitum eſt de iure ciuili*, POSSETNE PATERNORVM BONORVM EXHERES ESSE FILIVS, QVEM PATER TESTAMENTO NEQVE HEREDEM, NEQVE EXHEREDEM SCRIPSISSET NOMINATIM? Eiuſdem hiſtoriae meminit VALER. MAXIMVS (m), additque, filium praeteritum *omnibus non ſolum conſiliis*, (in quatuor enim conſilia diuiſi erant centumuiri, vt e PLINIO (n) diſcimus) *ſed etiam ſententiis ſuperiorem diſceſſiſſe.* Et ex eo tempore factum fuiſſe videtur, vt ius illud admitteretur in forum, & moribus magis, quam certa lege teſtamenta, quibus filius familias praeteritus eſſet, nulla viderentur. Hinc paullo poſt M. Annaeus, licet alii in adoptionem datus, M. Corſeolani patris teſtamentum, in quo fuerat praeteritus, apud centumuiros reſcidit (o): idque deinde alii quoque fecerunt tempore Auguſti (p). Et ita quidem filiis praeteritis ſatis conſultum videbatur. Quid vero ſi nominatim quidem, at iniuſte, exheres ſcriptus filius? Teſtamentum eiuſmodi non iniuſtum quidem erat, legibuſque aduerſum: (quia nulla vmquam lege libera illa teſtandi facultas reſtricta fuerat,) ſed IMPROBVM tamen, INHVMANVM, atque INOFFICIOSVM videbatur. Ea enim vocabula ea in re coniungit CICERO (q). De reliquis vocabulis nullum eſt dubium: cur vero INOFFICIOSVM adpellari conſueuerit eiuſmodi teſtamentum, non adeo notum eſt. Rem tamen expedit SENECA (r), dum ait: *Sunt, qui ita diſtinguunt, quaedam* OFFICIA *eſſe, quaedam* BENEFICIA, *quaedam* MINISTERIA. BENEFICIVM *eſſe, quod alienus det: alienus eſt, qui potuit*

(l) Cicero *de Orat. lib. I. cap. XXXVIII.*

(m) Valer. Max. *lib. VII. cap. VII. §. I.*

(n) Plin. *lib. II. Epiſt. XIV. & lib. VI. Epiſt. XXXIII.*

(o) Valer. Max. *lib. VII. cap. VII. §. II.*

(p) Idem *ibid. §. IV.*

(q) Cicero *lib. I. aduerſ. Verrem cap. XLII.*

(r) Seneca *de Benefic. lib. III. cap. XVIII.*

ed by Google

tuit ſine reprehenſione ceſſare: OFFICIVM *eſſe filii, vxoris, & earum perſonarum, quas neceſſitudo ſuſcitat, & ferre opem iubet.* MINISTERIVM *eſſe ſerui, quem conditio ſua eo loco poſuit, vt nihil eorum, quae praeſtet, imputet ſuperiori. Officium* ergo erat veteribus, quidquid cognati cognatis debebant, adeoque teſtamentum illud INOFFICIOSVM dicebatur, *quod fruſtra exheredatis liberis, ſine* OFFICIO *naturalis pietatis, in extraneas perſonas redactum eſſet*, vt illud definit ISIDORVS HISPALENSIS (s). Ex eo itaque dabatur *querela inofficioſi*, quam quum liberi iniuſte exheredati apud centumuiros ſolerent inſtituere: eam etiam κατ᾽ ἐξοχὴν CENTVMVIRALE IVDICIVM adpellari a SCAEVOLA (t), animaduertimus. Inſtituta vero hac querela, reſcindebantur a centumuiris teſtamenta inofficioſa, ipſaque etiam legata & datae libertates corruebant, ceu diſerte teſtantur VLPIANVS (u) & PAVLLVS (x), quamuis id poſtea a IVSTINIANO (y) demum mutatum ſit, qui, reſciſſo hac querela teſtamento, ſolam heredis inſtitutionem cadere, & reliqua omnia rata eſſe iuſſit.

§. X.

Origo huius querelae ſpiſſis antiquitatis tenebris etiamnum inuoluitur. Ex praetoris edicto illam arceſſit PITHOEVS (z), quam ſententiam, licet eam non nimis multis ſeſe probaturum, auguratus ſit, adeo tamen probauit RANCHINO (a), vt is haec edicti verba veluti legitima comminiſci non dubitarit: *Si quis teſtamentum inofficioſum dicere velit, eo, quod iniuſte ſe exheredatum aut praeteritum eſſe queratur, neque ei quarta pars debitae portionis ab inteſtato relicta fuerit, inofficioſi teſtamenti intra quinquennium ei actionem dabo.* Sed vereor, ne vtrumque hic fugiat ratio. Nam primo querela haec non inſtituebatur ad tribunal praetoris, ad quod actiones vere praetoriae pertinebant; ſed ad centumuiros deferebatur, a quibus non actiones ex edicto praetoris deſcendentes, ſed vſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum, aliaeue huius generis cauſſae, e iure ciuili profectae, cognoſcebantur, vt luculenter docet CICERO (b). *Eius origo.*

 Dein-

(s) Iſidor. *Hiſpal. Orig. lib. IV. cap. XXIV.*

(t) Scaeuola *L. 13. D. de inoffic. teſt.*

(u) *L. 8. §. 16. D. eod.*

(x) *L. 28. D. eod.*

(y) *Nouell. CXV. cap. III. extremo.*

(z) Pithoeus *ad Collat. Leg. Moſaic. & Romanar. Tit. XVI.* §. III.

(a) Ranchin. *Edict. perpet. reſtit. lib. V. Tit. III.*

(b) Cicero *de Orat. lib. I. cap. XXXVIII. Conſ.* Dionyſ. Gothofred. *ad L. 19. & 17. D. de inoff. teſt.*

Deinde certum eſt, querelam hanc initio biennio (c), ac poſtea circumacto quinquennio, exſpiraſſe: illudque ius etiam ante Conſtantinum valuiſſe, docent VLPIANVS (d) & MODESTINVS (e). Remedia vero praetoria rei perſequutoria, quae ad reſciſſionem actus geſti tendebant, non niſi annalia erant, ceu actionis reſciſſoriae (f), Paullianae (g), quod metus cauſſa (h), itemque reſtitutionum in integrum (i) exemplis demonſtrat STRYKIVS (k). Denique ipſe PAVLLI (l) textus, quo ſententiam ſuam ſtabiliri credit PITHOEVS, rem haut conficit. Ait enim iureconſultus: *Qui ſui heredes ſunt, ipſo iure heredes, etiam ignorantes, conſtituuntur, vt furioſi, aut infantes; & peregrinantes, quibus bonorum poſſeſſio propter* PRAETORIAM ACTIONEM *non erit neceſſaria.* Quamuis enim hic per actionem praetoriam querelam inofficioſi intelligendam eſſe moneat PITHOEVS: illud tamen vel ideo admitti non poteſt, quod VLPIANVS (m), Paulli aequalis, querelam inofficioſi e praetoris iuriſdictione eſſe diſerte negat, dum ſcribit: *Non putauit Praetor, exheredatione notatos & remotos ad contra tabulas bonorum poſſeſſionem admittendos: ſicuti nec* IVRE CIVILI *teſtamenta parentum turbant. Sane ſi velint* INOFFICIOSI QVERELAM *inſtituere, eſt in ipſorum arbitrio.* Quum enim hic diſerte VLPIANVS hanc querelam & a remedio praetoris, & a iure ciuili, diſcernat: facile patet, illam ex edicto praetoris deriuari haut poſſe. Exiſtimo ergo, *actionem praetoriam* apud PAVLLVM nec querelam inofficioſi denotare, nec, quod SCHVLTINGIO (n) viſum eſt, hereditatis petitionem praetoriam: ſed reſtitutionem in integrum, quam infantibus atque abſentibus contra omiſſionem querelae inofficioſi dederat ALEXANDER Imperator (o), ſub quo floruiſſe Paullum conſtat. Quum ergo nihil minus ex hoc PAVLLI loco colligi poſſit,

(c) Plin. *lib. V. Epiſt. I. Ex quo loco ſimul patet, biennium iſtud non demum conſtitutionibus Traiani vel Antoninorum inductum eſſe, ceu exiſtimauit Siccama de iudic. centumuir. lib. II. cap. VI. Rectius hoc biennium ab ordinario tempore vſucapionis immobilium repetit* Io. vande Water. *lib. I. Obſ. cap. XI. pag. 60.*

(d) *L. 8. §. vlt. D. eod. praeter quam nullam in Digeſtis mentionem huius quinquennii fieri, fruſtra exiſtimat* Io. vande Water. *lib. I. Obſ. cap. XI. pag. 61.*

(e) Modeſtin. *L. 9. D. d. querel. inoff.*

(f) *L. 35. pr. D. de oblig. & action.*

(g) *L. 6. §. fin. & L. 18. §. 8. D. quae in fraud. cred.*

(h) *L. 14. §. 1. D. quod met. cauſſa.*

(i) *L. fin. C. de temp. in integr. reſt.*

(k) Stryk. *de Action. praeſcript. Sect. III. Membr. III. Ax. II. p. 326.*

(l) Paull. *Recept. Sent. lib. IV. Tit. VIII. §. V.*

(m) Vlpian. *L. 8. pr. D. de bon. poſſeſſ. contra tab.*

(n) Schulting. *Iuriſp. antiqu. ante Iuſtin. pag. 408.*

(o) Alex. *Imp. L. 1. C. de in integr. reſt. min.*

Digitized by Google

ſit, quam quod inde collegit PITHOEVS: certiorem huius querelae originem reperiſſe ſibi viſus eſt CVIACIVS (p). Animaduertens enim, legem IV. DIG. de inoff. teſt. in qua querelae illius cauſſa & ratio indicatur, e CAII LIBRO SINGVLARI AD LEGEM GLICIAM eſſe decerptam: acute inde coniecit iureconſultus humaniſſimus, querelam illam e lege quadam Glicia deſcendere, quam CAIVS ideo ſingulari commentario illuſtrarit. Et ſane non ignota olim Romae gens Glicia, cuius praeter LIVIVM, FLORVM, SVETONIVM etiam tabulae Capitolinae (q) meminerunt, in quibus ad annum V. C. IↃIIII. laudatur.

M. CLAVDIVS C. F. GLICIA QVI SCRIBA. FVERAT DICTATOR: SINE MAG. EQV.

Vnde & mihi (r) aliquando tam digna CVIACII haec coniectura viſa eſt, vt eam ipſe quoque aduerſus HOTOMANVM (s) tuerer. Sed iam, re paullo accuratius expenſa, ne CVIACII quidem ſententia mihi omni exceptione maior videtur. Praeterquam enim, quod inſcriptio illa dubia eſt: lex quoque ipſa, ſi ab hoc Dictatore vel alio eiuſdem gentis lata fuiſſet, non GLICIA, ſed CLAVDIA, vel certe GLICIANA debuiſſet adpellari. Antiquitati enim omnino conuenit, quod obſeruauit CAR. SIGONIVS (t): *Neque enim leges a cognomine adpellantur, vt in* IVS *deſinant, ſed ſi id forte fiat, in* ANVS, *vt Grachanae leges, at non Grachiae, & Caeſarianae fortaſſe, non Caeſariae: a nomine vero ſemper, vt Semproniae, Iuliae.* Quibus exemplis a SIGONIO adlatis addi poteſt lex *Iunia Norbana.* Quum enim alter conſul IVNIVS SILANVS, alter L. BALBVS NORBANVS adpellaretur; ab illius nomine & huius cognomine lex dicta eſt *Iunia Norbana*, non *Iunia Norbania.* Sunt etiam, qui cum DVARENO (u) ex conſtitutionibus principum hanc querelam repetunt: ſed iis iam a CORN. BYNCKERSHOEKIO (x) ita ſatisfactum eſt, vt quidquam addere mihi attineat. Quae quum ita ſint, circumſpectis rebus omnibus, quae huc facere videntur, ſubductiſque rationibus, hanc feci ſummam cogitationum mearum,

 quero-

(p) Cuiac. *Obſeru. lib. II. cap. XXI. lib. III. cap. VIII. libr. XIV. cap. XIV. & in Praelect. Papinian. ad L.* 15. §. 1. *D. de inoff. teſtam.*

(q) Pigh. *Annal. Tom. II. p.* 50.

(r) *Vid. Praeſid. antiqu. Rom. lib. II. Tit. XVIII. §. V. p.* 515. *Tom. I. Adſentiuntur etiam Cuiacio* Ant. Auguſtin. *de Leg. & SC. voce Glicia.* Io. Vinc. Grauina *de Leg. & SC. n. LXXX. p.* 649.

(s) Hotom. *de Legitima Diſp. IV. cap. I.*

(t) Car. Sigon. *de Nomin. Rom. p.* 1426. *edit. Gothofr.*

(u) Duaren. *ad Tit. de inoff. teſt. cap. II.*

(x) Binckersh. *Obſ. lib.* II. *cap.* XII.

querelam iſtam non ex aliqua lege, neque ex praetoris edicto; ſed ex interpretatione prudentum, deſcendere, & ob eam etiam cauſſam non ACTIONEM, nec CONDICTIONEM, ſed QVERELAM eſſe adpellatam, quae vox, obſeruante VOSSIO (y), proprie amicis tantum & neceſſariis tribuitur. Sane *latiſſimam illam heredes inſtituendi poteſtatem, verbis XII. Tabularum tributam, vel* INTERPRETATIONE LEGVM, *vel* AVCTORITATE IVRA CONSTITVENTIVM, *coanguſtatam eſſe,* ait POMPONIVS (z): vbi *iura conſtituentes* non alii ſunt, quam iureconſulti, quos & alibi in iure noſtro IVRIS AVCTORES (a) & IVRIS CONDITORES (b) adpellari, intelligimus. Deinde ſatis luculenter id adparet ex ipſa huius querelae natura, quam inſtitui oportebat eo colore, quaſi turbatae mentis fuiſſent parentes, quum teſtamentum ordinarent (c). Quo colore profecto opus haut fuiſſet, ſi ex lege aliqua aut praetoris edicto deſcenderet haec actio. Aſt videbant iureconſulti, teſtamenta parentum, in quibus liberi iniuſte exheredes ſcripti, nullo iure poſſe infirmari. Quum tamen nihilominus liberis eiuſmodi ſuccurrendum exiſtimarent: commode in mentem venit, quod furioſi ob turbatam mentem ex lege XII. Tab. (d) in agnatorum ac gentilium curatione ſint, adeoque etiam ex hac ratione teſtamenta condere nequeant (e). Vnde denuo colligebant, furioſorum teſtamenta in ſe nulla eſſe. Haec omnia quum expediti iuris eſſe non ignorarent: fingebant, patrem, quum faceret teſtamentum, non integrae mentis fuiſſe, idque inde praeſumendum putabant, quod liberos nihil tale meritos exheredaſſet, quodque tam malignum de ſanguine ſuo iudicium in virum ſanae atque integrae mentis cadere haut videretur. Hoc commentum, non ad ſeruandam defunctorum famam, vt vulgo interpretes exiſtimant, ſed ad cauillanda legis XII. tabularum verba (f) comparatum, quum iis feliciter aliquoties procederet: noua inde naſcebatur INOFFICIOSI QVERELA, quae quotidie fere occupabat centumuiros. Et haec quidem eſt noſtra de huius querelae origine ſententia, a qua nemo fortaſſis magis fuit alienus, quam GE. SCHVBAR-

(y) Voſſ. *Inſt. Orat. Lib.* I. *Cap. VI.* §. *II. Add.* Petr. Colu. *ad* Apulei *Florid. II. p.* 180.

(z) Pomp. *L.* 120. *D. de verb. ſign.*

(a) Paull. *L.* 3. *D. ſi pars hered. pet.* Modeſtin. *L.* 39. *D. de act. empti. L.* 17. *de tur. patr.*

(b) *L.* 25. *C. de nupt. L.* 23. *C. de procurat.*

(c) *L.* 2. *D. de inoff. teſt.*

(d) Cic. *Quaeſt. Tuſcul. Lib. III. Cap. V.* Vlpian. *Fragm. Tit. XII.* §. *II. L.* 3. *D. de curat. furioſ.*

(e) *L.* 1. *D. qui teſt. fac. poſſ.*

(f) Huber. *Eunom. Rom. ad L.* 2. *D. de inoff. teſt.*

BARTVS (g), qui vllam actionem a iureconſultis inuentam eſſe, plane negat. Sed quum eam opinionem iam IAC. RAEVARDVS (h) ſolide profligarit, & vel actionum VTILIVM exemplo ſatis conſtet, iureconſultos in locupletando actionum numero ſolertes admodum fuiſſe (i): ea de re fuſius hic diſſerere nihil attinet.

§. XI.

Quaerentibus porro, quam antiqua ſit illa querela, & quo demum tempore in foro audiri coeperit, vix quidquam, quod curioſitati noſtrae ſatisfaciat, nobis ſuggerunt annales. Iam libera republica eam inſtitui conſueuiſſe, ex CICERONE (k) diſcimus, qui iam anno V. C. IↃLXXXIII. illius meminit, dum ita in Verrem inuehitur: *Quis vmquam dixit iſto modo? quis vmquam eius rei fraudem aut periculum propoſuit edicto, quae neque poſt edictum, neque ante edictum prouideri potuit? iure, legibus, auctoritate omnium, qui conſulebantur, teſtamentum P. Annius fecerat, non* IMPROBVM, *non* INOFFICIOSVM, *non* INHVMANVM. Immo iam anno IↃXLII eam querelam Romanis haut ignotam fuiſſe, e VALERIO MAXIMO (l) colligo, qui de C. Calpurnio Piſone ita refert: *Egregia quoque eſt* C. CALPVRNII PISONIS, *praetoris vrbis, conſtitutio. Quum enim ad eum Terentius, ab octo filiis, quos in adoleſcentiam perduxerat, ab vno in adoptionem dato exheredatum ſe*, QVERELAM *detuliſſet: bonorum adoleſcentis poſſeſſionem ei dedit, heredeſque lege agere paſſus non eſt.* Videmus ergo, iam ad C. Calpurnium Piſonem, praetorem vrbanum, eiuſmodi querelam a patre exheredato fuiſſe delatam. Atqui quum tres eius nominis praetores in annalibus occurrant, quorum primus anno V. C. IↃXLII (m); alter anno IↃLXVII (n); tertius anno IↃCXLIX (o) praeturam geſſit: facile patet, de primo loqui VALERIVM, ſiquidem alteri non praetura vrbana, ſed quaeſtiones rerum capitalium; tertio Hiſpania ſorte obuenerunt, primus autem vere praetor vrbanus fuit (p), P. Sulpicio Galba & Cn. Fabio Centumalo Coſſ. id eſt anno IↃXLII. Quae quum ita ſint, iam vltra centum annos ante CICERONEM notam fuiſſe oportet inofficioſi querelam. Ea deinde

Eiuſdem antiquitas.

(g) Ge. Schubart. *Exerc. II. de Fat. Juriſpr. Rom.* §. *LXIII. ſequ.*

(h) Raeuard. *de Auctorit. prud. cap. XII. p.* 1021. *Tom. II.*

(i) Vinc. Grauina *de ortu & pr. iur. eius.* §. *XLIII. p.* 96.

(k) Cicero *L. I. aduerſ. Verrem cap. XLII.*

(l) Valer. Max. *lib. VII. cap. VII. num. V.*

(m) Steph. Vin. Pigh. *Annal. lib. IX. pag.* 181.

(n) Idem *lib. X. pag.* 304.

(o) Idem *lib. XIV. pag.* 151.

(p) Patin. *Famil. Rom. ex num. pag.* 56.

de tam frequenter centumuiros fatigauit, vt nulla magis. Vix vero illuſtrius eius rei exſtat exemplum, quam T. TETTII VIBONIS, cuius inſcriptio exſtat in hoc marmore apud TOMASINVM (q):

IOVI O. M.
TETTIVS BIVVO
PRO SALVTE
PETRONII MERVLAE
P. PETRONII F.
V. S.

Quum enim is filium C. Tettium infantem e Petronia ſuſceptum exheredem ſcripſiſſet: irritum id teſtamentum reddidit Auguſtus, filioque ſubuenit (r). Quam hiſtoriam in commentario ad illud marmor egregie illuſtrat THOM. REINESIVS (s). Vnde certiſſimum eſt, ſatis antiquam hanc querelam, & ex ipſa libera rep. reliquam eſſe.

§. XII.

Ea paullatim etiam ad alios, & maxime fratres, porrecta eſt.

Quamuis vero initio non niſi liberis iniuſte exheredatis eo modo ſubueniri coepiſſet: ius tamen illud, ceu fieri ſolet, etiam ad alios, non ſolum agnatos, verum etiam amicos, quos aequitas ſcriptis heredibus anteferendos eſſe ſuadebat, porrectum eſt. Notum eſt, filio in adoptionem dato patrem naturalem haut ſucceſſiſſe, adeoque, defuncto patre adoptiuo, liberrimam ei fuiſſe teſtandi facultatem. Idem ius emancipatis filiis competebat. Quamuis enim ita comparati eſſent emancipationis ritus, vt ante tertiam mancipationem fiduciam interponeret pater naturalis, eaque caueret, vt emtor fiduciarius filium ſibi remanciparet, quo facto pater iura patronatus, adeoque ius ſuccedendi ab inteſtato retinebat (t): id ius tamen tantum ad ſucceſſionem ab inteſtato pertinebat, neque impediebatur filius adoptiuus, ſui iuris factus, quo minus teſtamentum conderet, & heredes, quos vellet, inſtitueret. Et tamen iam olim, libera adhuc republica, liberorum emancipatorum teſtamenta querela inofficioſi reſcindebantur a patribus naturalibus, ceu exemplum ſupra e VAL. MAXIMO (u) adlatum oſtendit. Nemo porro ignorat, ad liberos hereditatem matris iure XII. tabularum haut pertinuiſſe, quia nec ſuos heredes habere

(q) Tomaſin. *de Donar. & Tab. votiu. cap. XXXIII.*

(r) Valer. Max. *lib. VII. cap. VII. §. III.*

(s) Reineſ. *Inſcript. pag. XXIII.* 1.

(t) Cai. *Inſt. lib. I. Tit. VI.* §. III. *Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.*

(u) Val. Max. *lib. VII. cap. VII. n. V.*

Digitized by Google

bere poterant feminae (x), adeoque anno demum v. c. IↃCCCCXXXI. Iuliano Rufo & Gauio Orphito coſſ. (y) cautum eſſe SC. ORPHITIANO, vt ſine in manum conuentione matrum legitimae hereditates ad filios filiaſque pertinerent, excluſis conſanguineis & reliquis cognatis (z). Et tamen iam multo ante illa tempora liberis a matribus praeteritis querelam inofficioſi permiſſam fuiſſe, e VALERIO MAXIMO (a) & PLINIO (b) conſtat. Aſt praecipue etiam fratribus id datum, vt a fratribus praeteriti querelam inofficioſi inſtituere poſſent, & quidem iam pridem ante latam legem noſtram & CONSTANTINI M. tempora. Auctor enim eſt VALERIVS MAXIMVS (c), cui ſoli paene, quae de huius querelae antiquitate ſcimus, accepta ferimus, *Pompeium Rheginum, virum tranſalpinae regionis, quum teſtamento fratris praeteritus fuiſſet, & ad* COARGVENDAM INIQVITATEM *eius binas tabulas teſtamentorum ſuorum in comitio inciſas, habita vtriuſque ordinis maxima frequentia recitaſſet, in quibus magna ex parte heres frater eſſet ſcriptus, praelegerenturque ei centies & ſexagies ſeſtertium, multum & diu inter adſentientes indignationi ſuae amicos queſtum, quod ad* HASTAE IVDICIVM *attinuerit, cineres fratris quietos eſſe paſſum.* Senſus eſt, Pompeium Rheginum, a fratre praeteritum, Romam veniſſe, querelam inofficioſi inſtituturum: poſtea tamen, mutato conſilio, cineres fraternos turbare noluiſſe. *Coarguere* itaque *teſtamenti iniquitatem* idem eſt, ac inofficioſi querela agere. *Haſtae* vero *iudicium* non aliud eſt, quam iudicium centumuirale, quemadmodum & *centumuiralem* HASTAM *cogere* dicuntur praetor & decemuiri in litibus iudicandis apud SVETONIVM (d). Iam equidem, quo tempore vixerit Pompeius ille Rheginus, vix conſtat. Attamen, quum ipſe VALERIVS MAXIMVS imperante Tiberio floruerit: facile patet, trecentos minimum annos ante CONSTANTINI M. aetatem fratres iam conſueuiſſe querela inofficioſi aduerſus teſtamenta fraterna experiri, adeoque hunc Imperatorem non primum fratribus hanc querelam permiſiſſe. Id vero etiam ex ipſo iure noſtro conſtat. Dum enim VLPIANVS (e) ait, *omnibus, tam parentibus, quam liberis, de inofficioſo licere diſputare, cognatos ve-*

(x) Vlpian. *Fragm. Tit. XXVI. §. VII.*

(y) *Hos coſſ. huic anno adſignant accuratiſſimi faſtorum auctores Henr. Noris Epiſt. Conſul. pag. 462. ap. Graeu. Tom. XI. Antiqu. Rom.* Ant. Pagi *Crit. ad* Baron. *Annal. ad ann. Chriſti* CLXXVIII.

(z) Vlpian. *l. c.*

(a) Valer. Max. *lib. VII. cap. VII.* §. *IV & cap. VIII.* §. *II.*

(b) Plin. *lib. V. Epiſt. I.*

(c) Val. Max. *lib. VII. cap. VIII.* §. *V.*

(d) Sueton. *Aug. cap. XXXVI.*

(e) Vlpian. *L. 1. D. de inoff. teſt.*

ro proprios, qui ſint VLTRA FRATREM, *melius facturos, ſi ſe ſumtibus inanibus non vexarent, quum obtinendi ſpem non habeant:* ſatis ſuperque indicat, fratribus ſuo aeuo licuiſſe aduerſus teſtamenta fraterna de inofficioſo diſputare. Id quod etiam ex alio VLPIANI (f) textu elucet, in quo circa inofficioſi querelam plerumque euenire ait, vt in vna eademque cauſſa diuerſae ſententiae proferantur, in eiusque rei exemplum addit ſpeciem, *ſi* AGENTE FRATRE, *heredes ſcripti diuerſi iuris fuerint.* Immo tanto minus mirandum, fratribus permiſſam eſſe inofficioſi querelam, quanto certius conſtat, veteri iure etiam amicis, bene de defuncto meritis, licuiſſe teſtamentum eius, non quidem tamquam *inofficioſum*, ſed tamquam *ingratum* coarguere, ſi perſonae, nullo beneficio teſtatori cognitae, heredes fuiſſent inſtitutae. VALERIVS MAXIMVS toto capite octauo agit de teſtamentis, *quae rata manſerunt, quum cauſſas haberent, propter quas* RESCINDI *poſſent* (g). Atqui iiſdem accenſet teſtamenta Q. Caecilii, qui, praeterito Lucullo, bene de ſe merito, T. Pomponium Atticum heredem ſcripſerat (h); T. Marii Vrbinatis, qui Auguſtum Imp. erga ſe beneficentiſſimum, praeterierat (i); L. Valerii Heptachordi, qui praeteritis aduocatis & patronis ſuis, togatum hoſtem, Cornelium Balbum, inſtituerat (k); T. Barruli, qui Lentulum Spintherem, ſibi familiariſſimum, nulla ex parte heredem reliquerat (l), & denique M. Popilii, qui Oppium Gallum, ab ineunte adoleſcentia ſibi coniunctiſſimum, nulla hereditatis parte honorauerat (m). Hos omnes ergo, licet extranei eſſent, reſcindere teſtamenta potuiſſe, ait VALERIVS, ſi voluiſſent. Quod quo iure facere potuerint, niſi & amicis tum licuiſſet, inofficioſi querelam inſtituere, ego equidem non video. Enimuero poſtea, vt fit, multi ea querela abuti coeperunt, maximeque mali principes, qui non dubitarunt promiſcue reſcindere teſtamenta, in quibus ipſi nulla ex parte heredes ſcripti fuerant. Iam IVLIVM CAESAREM eiuſmodi quid ſtatuiſſe, ait NICEPHORVS CALLISTI (n); Refert enim, illum lata lege cauiſſe, vt ſenatorius vir de bonis ſuis teſtari haut poſſet, niſi dimidiam eorum partem principi, qui eo tempore futurus eſſet, reliquiſſet. Sed qui in hiſtoria Romana non ſunt plane hoſpites, id quidem ſibi a NICEPHORO perſuaderi haut patientur.

(f) Vlpian. L. 24. *D. eod.*
(g) Valer. Max. *lib. VII. cap. VIII. princip.*
(h) Idem *l. c.* §. *V.*
(i) Idem §. *VI.*
(k) Idem §. *VII.*
(l) Idem *l. c.* §. *VIII.*
(m) Idem *ibid.* §. *IX.*
(n) Niceph. Calliſt. *Hiſt. Eccl. lib.* III. *cap. XXXI.*

tur. Nondum eo tempore certa lege conſtitutum fuerat, vt reſpublica vni pareret perpetuo; nec tuliſſet id Caeſaris ingenium, vt actu eiuſmodi tyrannico animi ſententiam proderet. Procul dubio ergo NICEPHORVM Caii praenomen decepit, vt Caium Iulium Caeſarem in Caii Caeſaris locum ſubſtitueret. De eo enim SVETONIVS (o) refert, quod *teſtamento primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii neque illum, neque ſe, heredem reliquiſſent, tamquam* INGRATA *reſciderit.* Idem vero deinde ſollemne fuit Neroni, de quo idem SVETONIVS (p): *Inſtituit*, inquit, *vt* INGRATORVM *in principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent: ac ne impune eſſet ſtudioſis iuris, qui ſcripſiſſent vel dictaſſent ea.* Denique & de Domitiano (q): *Confiſcabantur*, inquit, *alieniſſimae hereditates, vel exiſtente vno, qui diceret, audiſſe ſe ex defuncto, quum viueret, heredem ſibi Caeſarem eſſe.* Quae omnia quum iniquiſſima eſſent: meliores, qui ſequuti ſunt, principes, Traianus puta, Hadrianus & Antonini querelam inofficioſi paſſim reſtrinxerunt. De Hadriano ſane memoriae prodidit SPARTIANVS (r), eum hereditates eorum, qui liberos haberent, reſpuiſſe, tantum abeſt, vt teſtamenta aliorum, in quibus ipſe fuiſſet praeteritus, tamquam ingrata reſciderit. Idem procul dubio & ſucceſſores fecerunt. Quo factum eſt, vt Alexandri Seueri temporibus ab VLPIANO (s) traditum ſit, ne cognatis quidem vltra fratres, nedum amicis & familiaribus licere de inofficioſo diſputare.

§. XIII.

Io. VAN DE WATER ſententia expenſa.

Et haec quidem de ipſa huius querelae origine & progreſſu monere viſum eſt. Quum vero & vir doctiſſimus, IOANNES VAN DE WATER (t), ex inſtituto hanc rem egerit: licebit iam ea, quae ipſi in mentem venerunt, paullo accuratius expendere, vt, an acu rem ſemper tetigerit, eo clarius perſpici poſſit. Primo ergo dum huius querelae originem ad centumuiros refert, mea quidem ſententia, non parum errat. Quamuis enim centumuiri de hereditatibus cognoſcerent, non tamen licebat iis, tamquam iudicibus, nouas actiones vel inuenire, vel praetoris ad exemplum edictis proponere. Querela vera inofficioſi ab iis admiſſa eſt ideo, quod color, quo illam obducere ſolebant, efficeret, vt ex XII. tabulis fluere, aut ſaltim iiſdem haut repugnare videretur. Addit equidem

 vir

(o) Sueton. *Calig. cap. XXXVIII.*
(p) Sueton. *Neron. cap. XXXII.*
(q) Sueton. *Domit. cap. XII.*
(r) Spartian. *vit. Hadr. cap. XVIII.*
(s) Vlpian. *L. 1. D. de inoff. teſt.*
(t) Io. van de Water *Obſeru. lib. I. cap. XI.*

vir clariſſimus, ſtante republica, fictum illum dementiae colorem nondum inualuiſſe, excogitatum quippe a iureconſultis, quos aetas Iulii Caeſaris & Auguſti admirata ſit. Sed haec quidem nullum, niſi in dicentis auctoritate, inueniunt praeſidium. Vnde enim didicit vir eruditiſſimus, ea demum aetate hunc colorem inualuiſſe? Siue ipſam querelam ſtante republica ignotam fuiſſe exiſtimat, ſiue colorem hunc demum poſtea acceſſiſſe credit. Vtrumque falſum eſſe adparet. Ad illud enim quod attinet, alia omnia iam ſupra ex CICERONE & VALERIO MAXIMO demonſtrauimus. Hoc vero ſi ſtatuit VAN DE WATER, ſcire velim, quo iure, ſalua lege XII. tabularum, haec querela, libera adhuc republica, admitti potuerit? Accedit, quod ipſe doctiſſimus auctor quartae legitimae originem cum CLAVDIO CHIFLETIO (u), IANO A COSTA (x), & ANT. SCHVLTINGIO (y), ad legem Falcidiam refert, quam Cn. Domitio Caluino & C. Aſinio Pollione Coſſ. anno V. C. IↃCCXIV. latam eſſe, vel ex DIONE (z) conſtat. Si vero ineunte Auguſti principatu haec quarta legitima inualuit, quid opus erat colore iſto fictae dementiae? Cur poſt ea demum tempora de inueniendo iſto laborauerint? quum longe expeditius liberis ſuppeteret agendi fundamentum, quod ſcilicet legitimam hereditatis paternae portionem non haberent. Quare non praeſtitiſſe arbitror virum doctiſſimum, quod inſcriptio iſtius obſeruationis, ceteroquin eruditiſſimae, promittit; ſiquidem de origine querelae inofficioſi eiuſque aetate vix quidquam, quod ſit operae praetium, attulit, & vbique coniecturas potius, quam argumenta vendidit lectoribus.

§. XIV.

Quando olim haec querela locum habuerit contra teſtamentum fratrum.

Redimus iam ad querelam inofficioſi fratribus competentem; quam ante CONSTANTINI M. tempora vſu frequentatam eſſe, ſupra demonſtrauimus. Iam ſcire noſtra intereſt, quibus demum conditionibus a fratribus inſtitui potuerit, & quid noui ea in re CONSTANTINI M. conſtitutione inuectum ſit? Sunt, qui praelationem tantum turpium perſonarum ab hoc imperatore prohibitam exiſtimant, quum ante hanc conſtitutionem contra quoſcunque heredes extraneos agi a fratribus potuerit. Sed e VALERIO MAXIMO (a) conſtat, iam olim, libera adhuc rep. praecipue a centumuiris

(u) Claud. Chifflet. *de legitima port. cap. III.*

(x) Ian. a Coſta *ad princ. Inſt. de inoff. teſt.*

(y) Ant. Schulting. *Iuriſpr. anteiuſtin. p.* 381.

(z) Dio Caſſ. *Lib. XLVIII. p.* 430.

(a) Valer. Max. *Lib. VII. Cap. VII. §. VI. & VII.*

ris quaeſitum eſſe in hac cauſſa, an perſona humilis vel turpitudine inſignis propinquis fuerit praelata. Hinc vbi de Pompeio Rhegino, inofficioſi querela contra fratris tabulas acturo, loquitur, ſtatim addit: *Et erant ab eo inſtituti heredes, neque ſanguine patrio pares, neque proximi, ſed & alieni &* HVMILES, *vt non ſolum flagitioſum ſilentium, ſed etiam* PRAELATIO *contumelioſa videri poſſet* (b). At poſtea non tam de vilitate heredum, quam ſtatu eorumdem quaeri coepit, ſi quando a fratribus de inofficioſo diſputaretur. Tum demum enim victoriam ſibi ſpondere poterant fratres praeteriti, ſi quis vel *ſeruilis conditionis*, vel *non municeps* heres fuiſſet inſtitutus. Diſcimus hoc ex fragmento PAVLLI (c), in quo primus IAC. GOTHOFREDVS (d) haec antiqui iuris veſtigia notauit. Ait enim ibi iureconſultus: *Quantum ad inofficioſi liberorum vel parentum querelam pertinet, nihil intereſt, quis ſit heres ſcriptus, ex* LIBERIS, *an* EXTRANEIS, *vel* MVNICIPIBVS. Quae verba διὰ διαστολὴν nihil indicant aliud, quam in fratrum querela permultum interfuiſſe, liberne, an extraneus vel municeps in tabulis heres ſcriptus fuerit. Fratribus ergo, ceu ex hac quantiuis pretii lege adparet, anteferri non poterant SERVI, etiam cum libertate inſtituti, tam leuis quippe exiſtimationis, vt non hominibus, ſed rebus mancipi, vel poſſeſſionibus accenſerentur (e), vnde notum illud IVVENALIS (f):

O demens, ita ſeruus HOMO *eſt?*

Nec magis fratribus praeferendi videbantur EXTRANEI; quo vocabulo quidem alias in iure noſtro adpellantur, quicumque teſtatoris iuri ſubiecti non ſunt, vel certe, qui nullo ei cognationis vinculo iuncti (g): ſed neutram tamen vocabuli notionem hic locum inuenire arbitror. Quid enim opus erat monere, fratribus anteferri potuiſſe liberos ſuos? Aut ſi contra omnes, nulla propinquitate ſanguinis iunctos, querela hac experiri licuit fratribus, quid opus fuit, ſeruos & non municipes ſeparatim nominare, quum vtrique iam extraneorum nomine contineantur? Exiſtimauerim itaque, *extraneum* hic a PAVLLO opponi municipi, eumdemque adeo eſſe ac *non municipem*. SEXTVS enim POMPEIVS (h), vete-

(b) Idem *Lib. VII. cap. VIII. §. IV.*

(c) Paul. *L. 31. §. 1. D. de inoff. teſt.*

(d) Gothofr. *ad L. 1. C. Theod. de inoff. teſt. Tom. I. p. 173.*

(e) Vlpian. *Fragm. Tit. XIX. §. I.* Bynkersh. *de rebus mancipi & nec mancipi Cap. V. p. 115. opuſc.*

(f) Iuuenal. *Sat. VI. v. 221.*

(g) Briſſon. *de verb. Signif. voce Extraneus.*

(h) Sext. Pompei. *de verb. veter. p. 1373. edit.* Dion. Gothofr.

veterum verborum peritiſſimus, EXTRARIVM eſſe ait, *qui extra forum, ſacramentum, iuſque ſit*, id eſt, qui nec eodem foro vtatur, nec eidem municipali reip. ſacramentum dixerit, nec denique particeps ſit reliquorum eiuſdem municipii iurium. *Extrarios* vero & *extraneos* in iure noſtro promiſcue vſurpari, ex textibus conſtat quam plurimis (i). Et alibi etiam in iure noſtro EXTRANEI ſunt homines alterius prouinciae (k), ceu obſeruauit LVC. VAN DE POLL (l). Ex quo ſatis patet, cur extraneis municipes opponat PAVLLVS, negetque, fratres de inofficioſo diſputare poſſe, niſi vel ſeruus vel extraneus heres fuerit inſtitutus; quum contra ea in liberis perinde fuerit, liberne an ſeruus, extraneus an municeps, heres fuiſſet ſcriptus. Atque inde ſimul inſignem lucem capit fragmentum VLPIANI (m), vbi *circa hanc querelam plerumque euenire ait, vt in vna atque eadem cauſſa diuerſae ſententiae proferantur*, additque exemplum, ſi FRATRE *agente*, *heredes ſcripti* DIVERSI IVRIS *fuerint*, tunc enim fieri, *vt pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus, deceſſiſſe videatur frater defunctus*. Species enim, qua haec lex illuſtranda, non alia eſt, quam ſi quis, fratre praeterito, heredes quoſdam ſeruos, quoſdam liberos, eosque alios extraneos, alios municipes inſtituerit. Tunc enim reſciſſo teſtamento, pro ea parte, qua ſerui & extranei inſtituti, cadebat heredis inſtitutio; pro altera, qua liberi homines, iique municipes, ſcripti, rata ac firma habebatur, adeoque teſtator pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus, videbatur deceſſiſſe. Hoc eſt illud ius antiquum, quod proxime ante CONSTANTINVM circa querelam inofficioſi viguiſſe, accurate, vt ſolet, oſtendit GOTHOFREDVS. Enimuero diuortium ab hac opinione denuo facit IO. VANDE WATER (n), qui haec omnia gratis a GOTHOFREDO tradi exiſtimat. Praeterquam enim, quod ex multis digeſtorum legibus (o) conſtet, fratribus nulla addita limitatione querelam hanc fuiſſe permiſſam, ante Conſtantinum M. nec e PAVLLI quidem & VLPIANI textibus, quos Gothofredus adlegauit, colligi poſſe exiſtimat, fratribus tantum aduerſus ſeruos & extraneos querelam competiiſſe, quandoquidem in poſteriore alia ſpecies, vbi ſcripti heredes aliud atque aliud ius ſortiantur, fingi poſſit, ex priore vero

(i) *L. 36. D. de bon. libert. L. 78. pen. D. de Legat. 2.*

(k) *L. 3. D. de Offic. praeſid. iuncta L. 11. D. de cuſtod. & exhib. reor.*

(l) Luc. vande Poll. *de Exhered. cap. LXI. §. VI. p. 441.*

(m) Vlpian. *L. 24. D. de querel. inoff.*

(n) Io. vande Water *Obſ. lib. I. cap. XII. p. 70.*

(o) *L. 1. L. 6. princ. L. 8. §. 5. D. de inoff. teſtam. L. 21. C. eod.*

ro non niſi ἐκ διαστολῆς ratiocinetur GOTHOFREDVS, qualia argumenta in iure valde periculoſa eſſe ſoleant. Sed vereor, vt victas manus dare cogatur GOTHOFREDO. Leges, quas allegat WATERVS, fratrum tantum obiter meminerunt, limitationem vero, qua eorum querela reſtringenda ſit, neque addunt, neque aliquam fuiſſe negant. In LEGE XXIV. D. DE INOFF. TEST. ſpeciem quidem aliquam fingi poſſe adfirmat, ſed eam audire ego, quam fingere malim. *Multa*, inquit WATERVS, *accidere poſſunt, quibus heredes aliud atque aliud ius ſortiri debeant. Fac, tribunalia centumuirorum diuiſa eſſe, & in illo fratrem agentem vincere, in altero ſuccumbere. Vid.* Plin. *6. Epiſt. 33. vti hoc & ſimilibus exemplis liquidum fecit* Anton. Faber. *in Rationalib. ad h. l.* Sed fingamus, quod fingi vult WATERVS, diuiſa eſſe centumuirorum conſilia, in altero fratrem ſuperiorem, in altero inferiorem diſcedere: an ideo heredes ſcripti dici poſſunt DIVERSI IVRIS? Homines *diuerſi iuris*, mea quidem ſententia, non ſunt, qui diuerſas ſententias in iudicio audiunt, ſed qui non vnius eiuſdemque ſtatus ſunt, adeoque, ratione ſtatuum illorum diuerſis iuribus vtuntur, v. c. ſerui ac liberi, extranei ac municipes, peregrini & ciues. Quod ad PAVLLI textum attinet, non ignorare quidem ait his ſacris initiatos, argumenta ἐκ διαστολῆς petita eſſe valde periculoſa: ſed aut non initiatus ſum his myſteriis, aut argumentum ἐκ διαστολῆς, ſi plura membra fingi nequeant, omnium firmiſſimum eſt. Hinc ſi quis dixerit: *in codicillis nihil intereſſe, teſtes ſollemniter rogati ſint, nec ne:* ego quidem non video, quid periculi ſubſit, ſi ἐκ διαστολῆς inde colligam, in teſtamento teſtes ſollemniter eſſe rogandos. Suo ergo more & hic agit IO. VAN DE WATER, dum Gothofredum, argumentis firmiſſimis ſubnixum, ſolis coniecturis profligare contendit.

§. XV.

Conſtantinus M. non tam nouum ius reperit quam vetus in vſum reuocauit.

Iam facile adparebit, quid vel noui ſanxerit, vel e veteri iure retinuerit CONSTANTINVS. Non enim tam nouum ius inuenit, quam vetus in vſum reuocauit. Quum enim proxime ante ſua tempora ſolos ſeruos & extraneos, id eſt, non municipes, fratribus anteferri haut poſſe intelligeret: maluit Imperator, vt ſecundum antiquam obſeruantiam tum demum fratribus liceret defunctorum fratrum teſtamenta reſcindere, ſi perſonae, quibus inuſtas eſſe conſtiterit turpitudinis notas, heredes ſcriptae fuiſſent. Denuo hic in alia omnia diſcedit IO. VANDE WATER (p), exiſtimans, iam

(p) Io. vande Water *Obſerv. lib.* XII. *cap.* I. *pag.* 67.

Digitized by Google

iam olim fratribus germanis hanc querelam competiiſſe, & competere etiamnum, ſiue turpis, ſiue alia quaecumque honeſta perſona fuerit heres ſcripta, adeoque hac in ſpecie nullum inter parentes, liberos & fratres germanos interceſſiſſe diſcrimen: CONSTANTINVM vero id ius porrexiſſe etiam ad fratres conſanguineos, ſed ita, vt iis non niſi ea lege hanc querelam conceſſerit, ſi turpis perſona illis fuerit praelata. Enimuero nec hac in re admittenda videtur viri eruditiſſimi ſententia. In ipſa enim genuina CONSTANTINI M. epiſtola, quam ſupra e CODICE THEODOSIANO (q) protulimus, non conſanguineorum ſed *germanorum* fratrum fit mentio: *Fratres vterini*, inquit Imperator, *ab inofficioſi actionibus arceantur, & GERMANIS tantummodo fratribus aduerſus eos duntaxat inſtitutos heredes, quibus inuſtas conſtiterit eſſe notas deteſtabilis turpitudinis, agnatione durante, ſine auxilio praetoris petitionis aditus reſeretur.* Iam equidem in aurem nobis dicit vir laudatiſſimus, per germanos hic ſignificari conſanguineos, ſeu eodem patre ſaltim progenitos, eamque notionem tum iuris tum litterarum auctoribus frequentiſſimam eſſe, e CVIACIO (r), IAC. GOTHOFREDO (s), & ECKIO (t) obſeruat: verum, quamuis id facile largiamur, nec negemus, vere conſanguineos intellexiſſe CONSTANTINVM: nemo tamen ſibi aeque facile perſuadebit, hoc ambiguo vocabulo vſurum fuiſſe imperatorem, ſi germanos a conſanguineis diſtinguere voluiſſet. Germanos fratres ait de inofficioſo diſputare poſſe, ſi turpis perſona fuerit inſtituta: vterinis vero id concedi poſſe, negat. Quis ergo ex his verbis eum ſenſum eliciet, germanos ſemper, vterinos numquam, conſanguineos, turpi duntaxat perſona herede ſcripta, agere poſſe? Non ergo de diſcrimine germanorum & conſanguineorum agit Imperator, ſed germanorum nomine & germanos proprie ſic dictos, & conſanguineos complectitur, iiſque querelam inofficioſi, more maiorum, concedit, ſi turpis perſona illis praelata fuerit. Id vero nouum plane eſt, quod turpibus perſonis etiam leui nota adſperſas, & libertinae conditionis homines iunxit: cuius rei quas rationes habuerit, eadem nobis cura in poſterum diſpiciendum videtur.

§. XVI.

Cur perſonas turpes

Vt ergo de hac etiam quaeſtione diſſeramus, ipſa huius legis ratio

(q) L. 1. C. Theod. *de inoff. teſt.*

(r) Iac. Cuiac. *Obſeru. lib. XI. cap. XXVI.*

(s) Iac. Gothofred. *ad d. L. 1. Cod.* Theod. *eod.*

(t) Eck. *in Princip. Pandect. ad tit. de grad. & adfin. in fin.*

& leuiter notatas fratribus anteferri noluerit?

ratio non aliunde rectius, quam ex ipſis legis verbis, intelligi poterit. Genuina vero, quae in CODICE THEODOSIANO (u) ſupereſt, CONSTANTINI M. epiſtola ea omnia fratribus tradi iubet, QVAE PER TVRPITVDINEM AVT ALIQVAM LEVEM NOTAM CAPERE NON POSSIT INSTITVTVS. Ex his vero verbis manifeſtum eſt, legem quamdam exſtitiſſe, qua cautum fuerit, vt perſonae turpes, vel leviter ſaltim notatae, incapaces quarundam hereditatum eſſent, & ad hanc ipſam legem reſpicere CONSTANTINVM. Non enim iubet, vt perſonae turpes inſtitutae in poſterum nihil capiant, fratre defuncti adhuc ſuperſtite: ſed perſonas quaſdam fratribus anteferri vetat, & eas quidem, quae iam tum *per turpitudinem vel aliquam leuem notam capere non poſſint.* Ex quo conſequitur, vt legem aliquam, qua perſonae eiuſmodi ab hereditatibus quibuſdam arcentur, in animo habuerit CONSTANTINVS. Idem ex altera quoque eiuſdem epiſtola (x) colligitur, qua fratres de inofficioſo diſputare ſinit aduerſus perſonas, QVIBVS INVSTAS ESSE CONSTITERIT NOTAS DETESTABILIS TVRPITVDINIS. Quo loco vox *deteſtabilis* non aliud videtur denotare quam *inteſtabilis.* Haec enim vocabula promiſcue ſolent vſurpari apud veteres. Quomodo vero conſtare potuit, perſonis quibuſdam inuſtas eſſe notas deteſtabilis turpitudinis, niſi lex quaedam hac de re exſtitiſſet? Atqui nulla vmquam lex perſonas quaſdam ob turpitudinem capere vetuit, quam PAPIA POPPAEA, in qua multa de ſolidi capacitate, maxime inter virum & vxorem, turpitudine aut leui nota inſignitam cauta fuerant. Quare ex ea demum lucem foenerabimur legi CONSTANTINI.

§. XVII.

Ante eam legem vxores plebeias at non libertinas ducere licebat.

Scilicet antiquiſſimis temporibus, fluctuante adhuc inter patricios & plebem republica, non erat inter vtrumque ordinem matrimoniorum communio. In ipſis enim XII. Tabulis lege cautum fuerat, PATRIBVS CVM PLEBE CONNVBII IVS NE ESSET (y). Poſtea, quum plebs ſatis animaduerteret, legem illam ad ſtabiliendum patriciorum dominatum diſſociandoſque ciuium animos vnice eſſe comparatam: anno ab V. C. CCCVIII. inter tribunicios C. Canuleii tumultus lex perlata eſt, vt promiſcua in poſterum eſſent inter patricios plebemque coniugia (z). Quamuis vero ex eo tempore, maxime, quum plebeii honores, magiſtratus, ſacerdotia patri-

(u) L. 3. Cod. Theod. *de inoffic. teſtam.*

(x) L. 1. Cod. Theod. *de inoff. teſtam.*

(y) Dionyſ. *Halic. lib. X. Antiqu. Rom. extremo.*

(z) Liuius *lib. IV. cap. V.*

patriciis extorſiſſent, ſatis frequenter gente ſua enuberent patriciae, nec raro patricii, & qui poſtea nouum ordinem conſtituere coeperunt, ſenatorii viri plebeias domum ducerent: non ferebat tamen Romana grauitas, vt ingenuus ſanguis ſeruarum libertinarumque vt & turpium perſonarum commercio contaminaretur. Hinc ex LIVIO (a) diſcimus, Hiſpalae Fecenniae libertinae ſc. eſſe conceſſum, vt nubere poſſet ingenuo. Quali s. c. ſane haut fuiſſet opus, ſi licita tum fuiſſent inter ingenuos & libertinas connubia. Enimuero ex quo inter ciuiles tumultus in peius ire coeperat vetus Romanorum diſciplina: eo ſenſim res redierat, vt & ſenatorii ordinis viri, nedum reliqui ingenui, libertinas, lenas, aliaſque ex vltima faece muiierculas ducerent. M. ſane Antonio grauiter id exprobrat CICERO (b), quod in libertinae haeſerit amplexibus. *Sed hoc*, inquit, *a te commemoratum puto, vt te infimo ordini commendares, quum te omnes recordarentur* LIBERTINI GENERVM, *& liberos tuos nepotes Q. Fabii libertini hominis.* Quod exemplum quin plures alii tunc ſequuti ſint, dubitare nos haut patitur temporum illorum conditio.

§. XVIII.

Poſtea ſenatoribus libertinarum ingenuis turpium perſonarum nuptiis interdictum eſt?

Ne itaque in publicum dedecus vergeret illa nuptiarum licentia; Auguſtus primo quidem anno v. c. IↃCCXXV. legem Iuliam de maritandis ordinibus tulit (c), quam ita deſcribit HORATIVS (d):

Diua producas ſobolem, patrumque
Proſperes decreta ſuper iugandis
Feminis, proliſque nouae feraci
Lege marita.

Enimuero quum hanc legem iterum iterumque tuliſſet Auguſtus, eamque, SVETONIO (e) teſte, prae tumultu recuſantium perferre non poſſet, niſi demta lenitaue parte poenarum, & vacatione triennii data, auctiſque praemiis: demum anno IↃCCLXII. lex perlata eſt, M. PAPIO MVTILO & Q. POPPAEO SECVNDO (f) COSS. ex Kal. Iul. ſuffectis, ceu marmora capitolina apud STEPH. VINPIGHIVM (g) oſtendunt, vnde ea lex PAPIA POPPAEA; &, quia ſimul lex Iulia de maritandis ordinibus in illam migrauerat, IVLIA & PAPIA dicta eſt. Ea itaque cautum eſt inter cetera, *vt omnibus*

(a) Liuius *lib. XXXVIII. cap. VI.*
(b) Cic. *Philipp. II. cap. II.*
(c) Dio Caſſ. *lib. LIV. p. 608.*
(d) Horat. *Epod. XVIII. v. 17.*
(e) Sueton. *Auguſt. cap. XXXIV.*
(f) *Non* Secundus *ſed* SECVNDINVS *vocatur in numis apud Hub. Golz. Faſt. Conſ. & triumph. p. 229. & ſequ.*
(g) Pigh. *Annal. Rom. p. 19.*

nibus ingenuis, praeter ſenatores, eorumque liberos, libertinam vxorem habere liceret (h). Ceterum ipſa legitima huius capitis verba partim PAVLLVS (i) ſeruauit, partim ex aliis auctoribus reſtituit GOTHOFREDVS (k), ex iiſque intelligimus, I. ſenatoribus eorumque filiis, nepotibuſque ex filio, pronepotibuſque ex nepotibus filio natis interdictum eſſe connubio cum libertinis, iiſque, quae ipſae, quarumue pater materue artem ludicram faceret fecerit, vt & earum, quae palam quaeſtum corpore facerent fecerint. Deinde ex iiſdem fragmentis diſcimus II. ſenatorum filias nepteſque ex filio, pronepteſque ex nepotibus filio natis, per hanc legem nubere haut potuiſſe libertinis, iiſque, qui ipſi, quorumue pater materue artem ludicram facerent fecerint. Denique III. eadem lex reliquis ingenuis libertinas quidem vxores permittebat, (id quod DIONE (l) teſte ideo tum e republica viſum eſt, ἐπεὶ πλεῖον τὸ ἄῤῥεν τοῦ θήλεος τοῦ εὐγενοῦς ἦν: *quoniam maſculi ingenui numerum ingenuarum feminarum multo anteibant*) iiſdem tamen interdicebat nuptiis cum lenis, a lenone lenaue manumiſſis, iudicio publico damnatis, in adulterio deprehenſis, & ſi quae artem ludicram facerent fecerint (m). Licebat ergo ex eo tempore ingenuo etiam minori libertinam vxorem ducere, quin & matrimonii cauſſa ancillam manumittere. Quod ius non e lege Aelia Sentia, ceu ex male intellecto INSTITVTIONVM loco (n) vulgo colligunt, ſed ex sc. quodam, ad legem Papiam Poppaeam confecto (o), profectum eſt. Hinc ex eo tempore non pauca exſtant vetuſta marmora, in quibus haec & ſimilia legimus (p): SALVIAE NYMPHIDIAE LIBERTAE SVAE ET CONIVGI OPTIMAE B. M. DE SE & L. item: SEPTIMVS IVLIANVS CONIVGI & LIBERTAE KARISSIMAE. item L. AEBVTIVS FELIX FECIT SIBI ET HELPIDI LIB. CONIVGI KARISSIMAE. Enimuero non omnibus promiſcue libertinis iungi ingenuos volebant Romani. Hinc tametſi patronus honeſte duceret libertam: tantum tamen abeſt, vt liberto licuerit patronae, patroniue vxoris vel filiae adfectare nuptias, vt potius, ſi id conatus eſſet, pro dignitate perſonae metalli

(h) Dio Caſſ. *lib. LIV. p.* 608. Caius *L.* 22. *D. de nupt.*

(i) *L.* 44. *D. de ritu nupt.*

(k) Gothofred. *Leg. Pap. Popp. p.* 27.

(l) Dio Caſſ. *lib. LIV. pag.* 608.

(m) *L.* 43. *de ritu nupt.*

(n) §. 5. *Inſt. qui & ex quib. cauſſ. manum. non licet.*

(o) *Tempore Legis Aeliae Sentiae hucae nondum libera erant inter ingenuos & libertinas matrimonia. Ex SC. quodam id iure eſſe, putat ex L.* 13. *fin. D. de manum. vind.*

(p) Reineſ. *Inſcript. pag.* IↃCCLIX. *n.* 131. *p.* IↃCCLX. & IↃCCLXXIII.

talli poena, vel operis publici, PAVLLO (q) teſte, coerceretur; niſi forte ipſa perſonae vilitas hanc ſeueritatem videretur diſſuadere (r). Multo minus ingenuis viris ducere licebat *lenas*, ipſa quaeſtus turpitudine infames, *a lenone lenaue manumiſſas*, quippe quae quaeſtum corpore feciſſe & publicae patuiſſe libidini praeſumebantur, *publico iudicio damnatas*, *vel in adulterio deprehenſas*, quibus ne mica quidem exiſtimationis ſupererat, & *quae* denique *artem ludicram vel facerent* in praeſente, *vel* olim *feciſſent*: nam & hunc quaeſtum tamquam turpem & honeſtis feminis indignum adſpernatos eſſe Romanos, vel e CORNELIO NEPOTE (rr) diſcimus.

§. XVIIII.

Qui contra hanc legem perſonas vel turpes vel leuiter notatas duxerant, nihil poterant capere.

Quum vero lex, ſanctione poenali haut munita, imperfecta ſit (s): poenas haut leues illis minatur lex PAPIA POPPAEA, qui ſe eiuſmodi perſonarum connubio commercioque polluiſſent. Praeterquam enim, quod liberi, ex eiuſmodi matrimonio quaeſiti, natiue ſui heredes non eſſent (t), nec parentibus prodeſſent ad conſequenda fecunditatis praemia (u): ipſi etiam coniuges *neque hereditatem*, *quae eis lege obueniſſet*, *neque legatum*, *neque inter ſe quidquam capiebant*. Qua de re praeclarus exſtat VLPIANI (x) locus, quem, quia ad interpretandam legem noſtram egregie facit, integrum adſcribere iuuat: *Aliquando nihil inter ſe* CAPIVNT *coniuges: id eſt, ſi contra legem Iuliam Papiamque Poppaeam contraxerint matrimonium, verbi gratia, ſi* FAMOSAM *quis vxorem duxerit, aut* LIBERTINAM *ſenator.* Nec inter ſe tantum nihil capiebant coniuges eiuſmodi impares, ceu ex VLPIANO quis poſſet colligere, ſed ne hereditates quidem legitimas, & legata, ab aliis ſibi relicta, accipiebant, vt ex fragmentis quibuſdam veterum iureconſultorum (y) acute colligit IAC. GOTHOFREDVS (z).

§. XX.

Quaenam perſonae ob turpitudinem vel

His ergo praemiſſis, iam non adeo difficile explicatu videbitur, quales in lege noſtra ſint perſonae, quae per TVRPITVDINEM, aut ALIQVAM LEVEM NOTAM CAPERE NON POSSVNT? Non aliae

(q) Paull. *Recept. Sent. lib.* II. *Tit. XIX. §. IX.*

(r) Papinian. *L.* 13. *D. de ritu nupt.*

(rr) Corn. Nep. *praefat.* §. *IV. V.*

(s) Vlpian. *Fragm. Tit. I.* §. *I.*

(t) Paull. *Recept. Sent. lib. IV. Tit. VIII.* §. *IV.*

(u) *L. XXXVII.* §. *VII. l.* 37. 57. *D. de oper. libert.*

(x) Vlpian. *Fragm. Tit. XVI.* §. *II.*

(y) *L.* 130. *D. de verb. ſignif. L.* 79. *D. de adquir. heredit. L.* 38. *D. de mort. cauſſ. donat.*

(z) Iac. Gothofr. *Leg. Pap. Popp. cap. IV. p.* 276.

aliae videlicet, quam quas lex PAPIA POPPAEA notauerat. Per *turpitudinem* capere non poterant perſonae, quarum a nuptiis quosuis ingenuos abſtinere oportebat: vnde ab VLPIANO etiam FAMOSAE adpellantur. Propter *aliquam vero leuem notam* omnes illi, quibus ſenatores ſenatorumque filii & filiae honeſte iungi non poterant. Iam pridem enim inter infamiam vel turpitudinem, & leuem notam, diſcrimen ſtatuerant Romani. Accurate illud obſeruat NEPOS (a), dum ait: *Quae omnia apud nos partim* INFAMIA, *partim* HVMILIA *atque ab honeſtate remota ponuntur*: vbi humile nihil aliud quam leuem notam ſignificare, ex antecedentibus verbis, vbi de mulieribus, artem ludicram facientibus, loquitur, clariſſime adparet. Eodem modo diſtinguit VLPIANVS (b): *Si perſona honeſta ſit, remittitur et ſatiſdatio, & maxime ſi ſubſtantia modica ſit: ſi autem patroni perſona* VVLGARIS *vel* MINVS HONESTA *ſit, ibi dicendum eſt, ſatiſdationem locum habere.* Hic quoque perſonae *minus honeſtae* ſunt infames; *vulgares* leuiter notatae. Alia exempla addere nihil attinet. Prouide ergo Auguſtus ingenuos infamibus; ſenatores & ſenatorum poſteros humilibus, vulgaribus vel leuiter notatis iungi prohibuit. Et hi ipſi ſunt, quos *per turpitudinem vel levem notam capere non poſſe* ait CONSTANTINVS, quoſque ideo & fratribus anteferri vetat.

leuem notam capere non potuerint.

§. XXI.

Per turpitudinem ergo capere haut poterant LENÆ, ac, quod par ratio exigit, LENONES, qui mulieres quaeſtuarias proſtituebant (c), ſiue ipſi per ſe, ſiue alterius nomine id vitae genus exercerent (d), ſiue principaliter hunc quaeſtum facerent, ſiue cauponam exercentes corpora quaeſtuaria in tabernis haberent (e). Hos enim omnes infamia iam praetor notauerat (f). Et quid quaeſo eo hominum genere turpius? quid ad omne ſcelus procliuius? quibus fraudes, periuria, peſtilentiſſimaeque libidines ludus & iocus erant. Omnes ſane, quibus aliquis honeſtatis ſenſus erat, ab hac exſecranda ciuitatis ſentina abhorrebant; ceu vel ex illis paraſiti verbis apud PLAVTVM (g) adparet:

Per turpitudinem habebantur incapaces lenones & lenae a lenonibus manumiſſae.

Idem genus eſt lenonum inter homines, meo quidem animo,
Vt muſcae, culices, pedeſque puliceſque, cimices.
Odio & malo & moleſtiae; bono vſui eſtis nulli.

(a) Nep. *Praef.* §. *V.*
(b) *L.* 5. §. 1. *D. de legit. tutor.*
(c) *L.* 42. §. 7. *D. de rit. nupt.*
(d) *L.* 42. §. 8. *D. eod.*
(e) *L.* 43. §. 9. *D. eod.*
(f) L. 1. *D. de his qui not. infam.*
(g) Plaut. *Curcul. Act. IV. Scen.* II. *v.* 13.

Nec vobiſcum quiſquam in foro frugi conſiſtere audet;
Qui conſiſtit, culpant eum, conſputatur, vituperatur.
Eum rem fidemque perdere, tametſi nihil fecit, aiunt.

Eodem loco habebantur a LENONE vel LENA MANVMISSAE, quum & has non modo ſeruilis conditio dehoneſtare, ſed & publicae libidini proſtitutas fuiſſe, veroſimillimum videretur. Quin tanto magis intererat reipublicae, mulieres, e lupanari prodeuntes, infamia notari, quo ſollemnius erat adoleſcentibus, amicas vel vi, vel pretio, a lenonibus abducere, easque, tamquam ingenuas vxores, ſibi deligere. Hae enim fraudes tam erant Romae frequentes, vt vix fabulam excogitarent comici, in qua non fallacia eiusmodi poneretur ob oculos. Vnde PLAVTVS (h):

Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabula eſt.
Neque in hac ſubagitationes ſunt, vllaue amatio,
Nec pueri ſuppoſitio, nec argenti circumductio.
Neque vbi amans adoleſcens SCORTVM LIBERAT, *clam ſuum patrem.*
Huiuſmodi PAVCAS *reperiunt poetae* COMOEDIAS.

Quamuis enim comici Graecorum potius, quam Romanorum, res in fabulis ob oculos poſuerint: ſoliti tamen ſunt eiuſmodi praecipue vitia producere in ſcenam, quae Romae erant frequentiſſima, & oblique notare mores Romanorum, in peius ruentes, adeo vt ſaepe ad antiquae comoediae licentiam adſurgerent, ceu vel e BACCHIDE PLAVTI (i) conſtat, & iam a IVL. CÆS. SCALIGERO (k) praeclare eſt obſeruatum.

§. XXII.

Iudicio publico damnatae & in adulterio deprehenſae.

Porro & IVDICIO PVBLICO DAMNATAS, & IN ADVLTERIO DEPREHENSAS, infamia notat lex Papia Poppaea. Et de prioribus quidem iam Praetor (l) ita edixerat: *Qui in* IVDICIO PVBLICO *calumniae, praeuaricationiſue cauſſa quid feciſſe iudicatus erit, infamia notatur.* Enimuero longius progreſſus Auguſtus, etiam adulterii aliorumque criminum publicis iudiciis damnatas infames eſſe iuſſit, & non ſolum, qui ipſas vxores ſcientes duxerint, lege Iulia de adulteriis teneri voluit (m), verum etiam ingenuo copulatas quidquam capere vetuit lege Papia Poppaea: id quod deinde SC. etiam ad alias mulieres, a ſenatu damnatas porrectum eſt (n). Quin

(h) Plaut. *Captiu. Act. V. Scen. IV. v. 1.*
(i) Idem *Bacchid. Act. V. Scen. III.*
(k) Scalig. *Poet. lib. I. cap. VIII. p. 31.*
(l) *L. 1. D. de his qui not. infam.*
(m) Briſſon. *ad Leg. Iul. de adult. p. 114.*
(n) Vlpian. *Fragm. Tit. XIII. §. 11.*

Digitized by Google

Quin tanta ſeueritate adulteras perſequutus eſt Imperator, vt & in adulterio deprehenſas, quamuis nondum ſententiam paſſas, immo quamuis abſolutas, infames haberi, nuptiarumque & hereditatum incapaces eſſe iuſſerit (o).

§. XXIII.

Praeterea his accenſentur, QVÆ ARTEM LVDICRAM FACIVNT, FECERVNT. Artem vero ludicram facere dicebantur, quotquot operas in ſcenam ſaltandi geſticulandique cauſſa locauerant, vel etiam extra ſcenam fuerant geſticulati (p), quales erant mimi, hiſtriones, pantomimi, ὀρχησταὶ, arenarii, de quibus iam ab aliis (q) tam copioſe actum, vt actum agere non vacet. Neque tamen in eumdem cenſum referebantur, qui priuatos ludos agebant (r), nec athletae, thymelici, xyſtici, agitatores, & qui aquam equis, refocillandorum eorum cauſſa, ſpargebant, ceterique omnes, qui ludis ſacris in deorum honorem inſeruiebant, itemque deſignatores, quos βραβευτὰς adpellabant, quippe quos omnes iam praetor infamia exemerat (s). Sed & Atellanarum actores artem ludicram facere haud videbantur, ſiquidem oſcum illud ludorum genus iam inde ab antiquiſſimis temporibus iuuentus Romana tenuerat, nec paſſa erat illud ab hiſtrionibus pollui. De quo ludorum genere a BRISSONIO (t), SCALIGERO (u), TVRNEBO (x) aliiſque accuratius actum eſt. Reliqui omnes, in ſcenam prodeuntes, tamquam infames tribu mouebantur, ceu ex CORNELIO NEPOTE (y), TERTVLLIANO (z), ARNOBIO (a), AVGVSTINO (b) aliiſque diſcimus. Ad mulieres in primis quod attinet, eas, vbi mercede conductae in ſcenam prodierant, infamia notari cœpiſſe, eo minus mirum eſt, quo certius conſtat, eiuſmodi mulierculas praeter artem ludicram etiam quaeſtum corpore facere conſueuiſſe, idque tam impudenter, vt, quod a LIPSIO (c) primum obſeruatum eſt, tranſactis fabulis promiſcue viris ſuccumberent. Quo pertinent illa PLAVTI (d):

Artem ludicram facientes.

Ea

(o) *L.* 43. §. 12. *D. de rit. nupt.*

(p) L. 2. §. *vlt. D. de his qui not. inf.* L. 10. §. *vlt.* D. *ad L. Iul. de adult.*

(q) *Vid.* Torrent. ad Suet. *Aug. cap.* XLIV. Briſſon. *de iure connub.* p. 250. *ſequ.*

(r) Petr. Fab. *Semeſt. lib.* I. *cap.* XX. p. 115. *ſequ.*

(s) *L.* 2. *de his qui not. inf.*

(t) Briſſon. *de iure connub.* p. 251.

(u) Scalig. *Art. Poet. lib.* I. *cap.* VIII. *pag.* 33.

(x) Turneb. *Aduerſ. lib.* III. *cap.* XVII. & *lib.* X. *cap.* XXVII.

(y) Nep. *praef.* §. V.

(z) Tertull. *de Spectac. cap.* X.

(a) Arnob. *adu. gent. lib.* VII.

(b) Auguſtin. *de Ciuit. Dei lib.* II. *cap.* XIII.

(c) Lipſ. *Elect. lib.* I. *cap.* XI.

(d) Plaut. *Caſin. Prolog.* v. 31.

Ea inuenietur & pudica, & libera,
Ingenua Athenienſis, neque quidquam ſtupri
Faciet profecto, in hac quidem comoedia:
Mox hercle vero poſt, TRANSACTA FABVLA,
Argentum ſi quis dederit, vt ego ſuſpicor,
Vltro IBIT NVPTVM, *non manebit auſpices.*

§. XXIV.

Ob leuem notam capere non poterant illorum liberi, non meretrices.

Et hae quidem perſonae *famoſae* dicuntur VLPIANO. *Leuiter notatae videbantur*, quarumcumque connubium indignum ſenatoria dignitate *videbatur*. Sic quum ipſi mimi, pantomimi, ὀρχησαί, hiſtriones, infames eſſent: leui nota inſigniti videbantur eorum liberi, quorum a nuptiis non quidem plebeiis, ſed ſenatoribus abſtinendum erat ex lege Papia Poppaea, ſiue ſuae eſſent hae perſonae, ſiue emancipatae, ſiue naturales ſiue adoptiuae (e). Deinde eiuſdem commatis habebantur, QVÆ PALAM QVAESTVM CORPORE FACIVNT FECERVNT, id eſt, meretrices, ſiue ſe in lupanari proſtituiſſent, ſiue in taberna cauponaria (f). Et quamuis earum tantum lex faciat mentionem, quae quaeſtum ea turpitudine fecerint: parum tamen intereſſe videbatur iureconſultis, quaeſtumne ea libidine reuera feciſſent, an gratis ſuccubuiſſent viris (g). Quin tametſi aliqua paupertatis obtentu in eam turpitudinem incidiſſet (h), poſteaque rediiſſet ad frugem (i): tamen ne ſic quidem aboleri videbatur priſtinae turpitudinis nota. Nemo vero, cui res Romanae non plane ignotae ſunt, mirabitur, gentem profano cultui deditam, tantam meretricibus notam inuſſiſſe. Romae ſcilicet extra poenas legum ciuilium erat, publice proſtituere corpus, dummodo mulierculae impudicae quaeſtus illius foeditatem profiterentur apud Aediles, quorum curae etiam fornices, popinae, cauponae, aliaeque Bacchi Venerisque palaeſtrae erant demandatae, ceu luculenter oſtendit LIPSIVS (k). Facta hac profeſſione, impune ſe proſtituebant feminae, neque opus vlla acriore poena videbatur, quum poenas omnes ipſa ignominioſa illa flagitii profeſſio ſuperaret. Hinc eleganter TACITVS (l): *Viſtilia*, inquit, *praetoria familia genita, licentiam ſtupri apud Aediles vulgauerat*, MORE INTER VETERES RECEPTO, *qui ſatis poenarum aduerſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant.*

(e) *L. 44. §. 2. 3. 4. D. de ritu nupt.*
(f) *L. 43. pr. D. de rit. nupt.*
(g) *L. ead. §. 3. D. eod.*
(h) *L. ead. §. 4. eod.*
(i) *L. 43. §. 4. D. de rit. nupt.*
(k) Lipſ. *Excurſ. ad* Tacit. *Annal. lib. II. cap. LXXXV.*
(l) Tacit. *Annal. lib.* II. *cap.* LXXXV.

debant. Quam ignominioſa enim viſa ſit haec quaeſtus meretricii profeſſio, vel inde patet, quod, antequam ea fieret, nomina mutare ſolerent: ad quem morem reſpicit PLAVTVS (m):

-- Quum huc aduenisti in ipſo tempore,
Namque hodie earum MVTARENTVR NOMINA,
Facerentque indignum genere quaeſtum corpore.

Quem locum praeclare illuſtrarunt ALCIATVS (n), DVNANTIVS (o), TAVBMANNVS (p). Si qua vero mulier Romae corpus venale haberet, cuius nomen in illo albo haut exſtaret, eam Aediles deferebant ad populum, eiuſque ſuffragiis vel mulcta vel exſilio plectebant, ceu exempla docent apud LIVIVM (q). At gliſcente malo, & feminis etiam illuſtribus ad euitandas adulterii poenas licentiam ſtupri profitentibus, primus Tiberius, teſte TACITO (r), Senatuſconſultum fieri iuſſit, *ne quaeſtum corpore faceret, cui auus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuiſſet.* Idem imperator feminas famoſas, quae, vt ad euitandas legum poenas iure ac dignitate matronali ſoluerentur, lenocinium profiteri coeperant, ne quod refugium in tali fraude cuiquam eſſet, exſilio mulctauit, vt memoriae a SVETONIO (s) proditum eſt. Ex quo loco inſignem lucem capit textus PAPINIANI (t), in quo ad SC. illud reſpicitur. Poſtea quum ſub malis principibus denuo inualuiſſet lenonum, meretricum atque exoletorum vectigal: Alexander Seuerus id ſacro aerario inferri vetuit (u), Tacitus vero Imp. priſca ſeueritate vſus, teſte VOPISCO (x), *meritoria intra vrbem ſtare plane prohibuit.* Tanta ignominia Romae manebat mulieres, quae quaeſtum corpore facere non dubitarent. Accedebat & aliud dedecus. Quum enim, facta hac profeſſione, IVRE AC DIGNITATE MATRONALI, vt SVETONIVS (y) loquitur, EXSOLVERENTVR mulieres: oportebat eas & cultum matronalem cum habitu meretricio mutare, quo facilius eas ipſe externus habitus ab honeſtis feminis ſeiungeret. Hinc *meretriciae veſtis* meminit VLPIANVS (z), eamque *matronali* pariter ac *ancillari* opponit: & TERTVLLIANVS (a) conquaeritur de inclinata temporum ſuorum diſciplina,

(m) Plaut. *Poenul. Act. V. Scen. III. v. 19.*
(n) Alciat. *Parerg. cap. X.*
(o) Donant. *Variar. lib. I. cap. II.*
(p) Taubmann. *ad* Plauti *loc. alleg.*
(q) Liu. *lib. X. & lib. XXV.*
(r) Tacit. *l. c.*
(s) Sueton. *Tiber. cap. XXXV.*
(t) Papinian. *L. 10. §. 2. ad Leg. Iul. de adult.*
(u) Lamprid. *Alex. Seu. cap. XXIV.*
(x) Vopiſc. *Tacit. cap. XI.*
(y) Sueton. *l. c.*
(z) Vlpian. *L. 15. §. 15. D. de iniur.*
(a) Tertullian. *de cultu mulier. cap. XII.*

quibus nulla lex amplius iſtas publicarum libidinum victimas a matronis & matronalibus decoramentis coerceat. Habitus vero ille meretricius, ceu a LIPSIO (b), BRISSONIO (c) aliiſque obſeruatum, in eo conſtitit, quod probroſae feminae, poſita inſtita ac ſtola, togam meretriciam ſumere cogerentur. Huc enim pertinent illa IVVENALIS (d):

---- Carſinia talem
Non ſumet damnata TOGAM.

Nec non illa HORATII (e):

--- Quid inter -
Eſt, in matrona, ancilla, peccesue TOGATA?

Vbi *togatam* pro meretrice poni, iam ab ACRONE ſcholiaſta notatum eſt. Denique & MARTIALIS (f) in hanc togam ita ludit:

Coccina famoſae donas & ianthina moechae:
Vis dare, quae meruit, munera? mitte TOGAM.

Quum ergo tam ignominioſe Romae habitae ſint mulieres, quotquot venalem habere pudicitiam non dubitabant, quum tamen ſtuprum extra legum ciuilium poenas eſſet: facile patet, cur iis leuem ſaltim notam inuſſerit lex PAPIA POPPAEA.

§. XXV.

Nec non libertini. Eadem leuis notae macula haerere videbatur LIBERTINIS, ſiquidem & cum his Senatoribus nulla erat communio. Quamuis enim poſt leges Aeliam Sentiam & Iuniam Norbanam non eſſet vna omnium libertinorum conditio, ſiquidem alii Quiritium, alii Latinorum in colonias deductorum (g) iura manumiſſione adſpirabant, ſoliſque dedititiis ex ſtigmatibus & ſuppliciis in ſeruitute inflictis aliquid maculae haerere videretur: exiſtimabant tamen Romani, libertinos in vniuerſum omnes ex priſtina ſeruitute vitii & maculae quidquam trahere, quod exiſtimationem eorum integram eſſe haut pateretur. Hinc PLINIVS (h) Pallantem, quamuis ſummis honoribus in palatio, ipſiſque praetoriis ornamentis condecoratum a Senatu, *faſtidioſiſſimum mancipium* adpellat, eique *honeſto loco natos* opponit. Eadem de cauſſa nec in Senatum legi

(b) Lipſ. *Exc. ad Tacit. p.* 1176.
(c) Briſſon. *Antiqu. Rom. Select. lib. I. cap. IV.*
(d) Iuuenal. *Satyra II. v.* 69. 70.
(e) Horat. *Serm. lib. I. Satyr. II. v.* 63. & 81.
(f) Martial. *lib. II. Epigr. XXXIX.*
(g) Vlpian. *XIX.* 4. *Fragm. Reg. ex vetere iureconſulto n. VIII. p.* 805. *edit.* Schultingii. *Conf.* Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. §. IX. & Antiqu. Rom. Praeſidis lib. I. Tit. IV. & V. §. XIV. pag.* 120. & Adpend. *lib. I. §.* CXXII. *p.* 391. *Tom. I.*
(h) Plin. *lib. VIII. Epiſt. VI.*

legi (i), nec ad honores & militiam palatinam admitti poterant libertini (k). Quin opus iis erat, *reſtitutione natalium*, vel, vt IVSTINIANVS (l) vocat, τῷ τῆς παλιγγενεσίας δικαίῳ, quod beneficium conſequuti, *perinde habebantur, ac ſi ingenui facti, medio tempore* MACVLAM SERVITVTIS *non ſuſtinuiſſent*, ceu loquitur MODESTINVS (m). Ex quo ſimul patet, non ad liberationem tantum ab operis atque obſequiis patrono exhibendis, vti vulgo exiſtimant, ſed ad maculae illius, quae ipſis ex priſtina ſeruitute haerere videbatur, abolitionem pertinuiſſe hoc beneficium, adeoque libertinae conditionis hominum non integram fuiſſe exiſtimationem, qua ſoli ingenui Romae gaudebant.

§. XXVI.

Legis noſtrae occaſio & cur ad legem Papiam Poppaeam reſpexerit Conſtantinus.

Iam ſatis ex his conſtare arbitror, quaenam ſint illae perſonae, quas PER TVRPITVDINEM vel LEVEM NOTAM CAPERE non poſſe, ait CONSTANTINVS. Sed quid, inquis, legi noſtrae cum Papia Poppaea commercii? Finge coniuges, qui contra hanc legem inierant matrimonium, nec inter ſe quidquam nec ex teſtamento extraneorum capere potuiſſe: quid hoc ad querelam inofficioſi, fratribus a CONSTANTINO permiſſam? Sed ſalua res eſt. Lex Papia Poppaea, ad locupletandum aerarium, vt TACITVS (n) ait, comparata, mirum in modum ſemper placuit principibus Romanis, adeo vt nulla temere lex pluribus SC. & conſtitutionibus principum firmata ſit, quam illa de maritandis ordinibus. Sed paullo ante CONSTANTINI aetatem a veteri illa diſciplina fuerat deſcitum, eoque ſenſim proceſſerat non ciuium tantum plebeiorum, ſed & illuſtrium, impudentia, vt viliſſimis ſe matrimoniis polluere haud dubitarent. Hinc ſummi etiam viri vxores ducebant lenas, meretrices, mulieres ſcenicas, libertinas, de furno & lacu redeuntes; & viciſſim mulieres ſummo loco natae in libertorum ſeruorumque amplexus ruebant, ceu e binis CONSTANTINI conſtitutionibus conſtat, quarum altera anno CCCXX. mulieres ſeruili amore bacchantes coërcet (o): altera, XVI. annis poſt edita (p) legem Papiam Poppaeam reuocat in vſum, & non ſolum Senatori-

(i) *Vid.* Gothofr. *ad L. 3.* Cod. Theod. *de libert. Tom. I. p.* 377.

(k) Lipſ. *ad* Tacit. *Annal. lib. XI. p.* 283. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. §. IX. p.* 21. *L. 3.* C. Th. *de libert.*

(l) Nou. *LXXVIII. cap. I.*

(m) Modeſtin. *L. 5. D. de natal. reſtit.*

(n) Tacit. *Annal. lib. III. cap. XXVIII.*

(o) *L. vn. C. de mul. quae ſe propr. ſeru. iunx. edita non anno CCCXXVI. vt in Codice Iuſtinianeo eſt, ſed anno CCCXX. Vid.* Gothofr. *Chronolog. Leg.* Cod. Theod. *praemiſſ. ad h. ann.*

(p) *L. 1. C. de natur. lib.*

toribus, verum etiam viris perfectiſſimis, ipſiſque duumuiris & Phoeniciarchis ac Syriarchis, nuptiis eiuſmodi indecoris mira ſeueritate interdicit: quibus legibus profecto haut fuiſſet opus, niſi tum frequentiſſimae eſſe coepiſſent indecorae eiuſmodi nuptiae. Hos ergo famoſos coniuges ſuſceptoſque ex illis liberos heredes deinde inſtituebant ex aſſe, ceu ex conſtitutione paullo ante laudata (q) patet. Iam quidem aduerſus has fraudes ſatis praeſidii erat liberis legitimis & parentibus, quibus iam ab antiquiſſimis vſque temporibus licuerat querela inofficioſi aduerſus quoſcumque experiri, ſi portio illis legitima deeſſet. Verum fratribus nullum erat ius reſcindendi eiuſmodi tabulas, niſi vel ſeruus, vel non municeps, ſeu extraneus, fuiſſet heres inſtitutus. Haec ergo animaduertens CONSTANTINVS, fratribus hac lege conſulere decreuit, iiſque conceſſit inofficioſi querelam, ſi heredes fuiſſent ſcripti, qui ex lege Papia Poppaea PER TVRPITVDINEM vel LEVEM NOTAM CAPERE haut poſſent, id eſt, lenones, lenae, a lenone vel lena manumiſſae, iudicio publico damnati, in adulterio deprehenſi, qui quorumue parentes artem ludicram fecerint, quae quaeſtum corpore fecerint, ac denique libertini ac libertinae. Quod vero non ſpeciatim coniugum; ſed in vniuerſum turpium perſonarum meminit Imperator, illud ideo factum eſt, quod non temere videretur contingere poſſe caſus, quo quis perſonam infamem, & nulla ſibi conſuetudine venerea cognitam, praetermiſſis fratribus, heredem ſcriberet.

§. XXVII.

Eam ad hanc legem reſpexiſſe ex interpretibus veteribus demonſtratur.

Haec eſt noſtra de ſenſu legis CONSTANTINIANAE ſententia, cui profecto inde etiam haut parum ponderis videtur accedere, quod antiquiſſimi interpretes eaſdem paene perſonas, quae ex lege Poppaea capere per turpitudinem non poterant, in hac lege intelligi docuerunt. THEOPHILVS (r) ſane, explicaturus, quales ſint illae perſonae turpes leuiſque notae macula adſperſae: Ἀδελφὴ δὲ, inquit, καὶ ἀδελφὸς ἀνατρέπουσι τηνικαῦτα τὴν τοῦ τελευτήσαντος διαθήκην, τῶν σκρίπτων προτιμώμενοι, ἡνίκα αἰσχρὸν ἐπέχωσιν οἱ γεγραμμένοι πρόσωπον, οἷον ἡνίοχοι, μῖμοι, κυνηγοί, καὶ οἱ ἀπὸ αἰσχρᾶς μίξεως ἐγνωσμένοι, τοῦτο γὰρ ταῖς θείαις περιέχεται διατάξεσι. *Porro ſoror & frater tum demum teſtamentum defuncti ſubuertunt, quaſi ſcriptis heredibus a iure praelati, quum heredes inſtituti turpes perſonas ſuſtinent, vt* AVRIGAE, MIMI, ARENARII, *& hi,* QVORVM FAMILIA-

(q) *L. vn. de mul. quae ſe propriis ſeru. iunx.*

(r) Theoph. *ad princ. Inſt. de inoff. teſt.*

MILIARITAS EX TVRPI CONSVETVDINE CONFLATA EST. *Sic enim id ſacris conſtitutionibus expreſſum eſt.* Eodem modo legem noſtram interpretatur CONST. HARMENOPVLVS (s): Οἱ δὲ ἐκ πλαγίου, ἡνίκα μόνον αἰσχρὸν ἐπέχουσιν οἱ γεγραμμένοι κληρονόμοι πρόσωπον, ἡνίοχοι τυχὸν ὄντες, ἢ μῖμοι, ἢ κυνηγοὶ, ἢ ἀπὸ αἰσχρῆς μίξεως ἐγνωσμένοι. *At qui ex tranſuerſo ſunt, tum demum, quum turpem ſcripti heredes perſonam ſuſtinent, quod forſan* AVRIGAE, MIMI aut ARENARII, GLADIATORES*ve ſint, aut ex* TVRPI CONSVETVDINE *contracta familiaritas.* Omiſit vterque libertinos, de quibus tamen, quum eorum in lege ipſa diſerte fiat mentio, non multum laborabimus. Habemus vero hic eos, *qui artem ludicram faciunt*, id eſt, mimos, aurigas, arenarios, quos CONSTANTINVS quoque in conſtitutione, qua legem Papiam confirmat (t), eodem fere modo coniunxit. Habemus *lenones*, *lenas*, *a lenonibus manumiſſas*, vel, vti CONSTANTINO in eadem lege vocantur, *tabernarias*, & *quae quaeſtum corpore fecerint.* Has enim omnes probroſas feminas hic τὰς ἀπὸ αἰσχρῆς μίξεως ἐγνωρισμένας vocari facile patet. Quin ex eadem phraſi non obſcure patet, ad turpes cum eiuſmodi perſonis coniunctiones, quas ipſas lex Papia Poppaea coercuerat, hic reſpici. Non multum ab his Graecis interpretibus abit vetus Latinus (u), qui CODICEM THEODOSIANVM illuſtrare ſtuduit, &, GOTHOFREDO (x) obſeruante, nonnumquam rem acu tetigit feliciſſime. Hic enim legi noſtrae hoc quantiuis pretii ſcholion adiecit: *Germanis fratribus praetermiſſis, id eſt, vno patre natis, ſi turpibus perſonis, id eſt, infamibus, fuerit hereditas derelicta, hoc eſt, aut pro libidine* MERETRICIBVS, *aut pro inhoneſto affectu* NATVRALIBVS, *aut certe* THYMELICIS *vel de* LIBERTIS *ſuis, agendi contra teſtamentum licentia reſeruatur.* Sunt & hic *meretrices*, id eſt, legis Papiae Poppaeae ſtilo, quaeſtum corpore facientes, ſunt *thymelici*, id eſt, artem ludicram facientes. Hos enim licet infamia exemiſſet praetor: facile tamen condonandum auctori, quod vetus thymelicorum & reliquorum ludionum diſcrimen non adeo accurate compertum habuerit. Adſunt denique *liberti*, quos ipſos etiam *infamibus* accenſet interpres, forte quod eius ſaeculum ignoraret perſonarum infamium & leuiter notatarum differentiam. Spurios vel *naturales* liberos quo iure huc referat, infra patebit.

 Quum

(s) Harmenop. *Promptuar. lib. V. Tit. VI.* §. 11.

(t) *L. vn. C. de nat. quae ſe propr. ſeru.*

(u) Interpret. *vetus* L. 1. C. Theod. *de inoff. teſt.*

(x) Gothofr. *Prolegom.* Cod. Theod. *cap. VI.* p. CXCV.

Quum vero haec tantum exempli cauſſa attulerit: facile patet, eum, dum meretricum meminit, nec lenas, a lenonibus vel lenis manumiſſas, iudicio publico damnatas, in adulterioque deprehenſas, excluſas voluiſſe. Haec ergo ſatis demonſtrant, interpretes vetuſtiſſimos non alias perſonas, quam quae ex lege Papia Poppaea per turpitudinem vel leuis notae maculam capere non poterant, hic intellexiſſe. Qua in re quum ii procul dubio auctores antiquiores ſequuti ſint: non parum profecto interpretationi noſtrae inde accedere videtur veroſimilitudinis.

§. XXVIII.

Doctrina vulgaris ac leuis notae macula ejusque natura.

His ergo de ſenſu legis praemiſſis, facile patebit, quid de vulgari illa doctrina, quam ex hac lege eliciunt iureconſulti, ſit exiſtimandum. Quam vt breui exhibeamus, quidam ſtatuunt, eſſe aliquam leuis notae maculam, alii illam nullum, niſi in fingentium audacia, praeſidium inuenire contendunt (y). Deinde nec, qui iſtam leuis notae maculam admittunt, in eamdem omnes ingrediuntur ſententiam. Alii enim illam ab infamia facti, quam adpellant, vix diſcrepare aiunt (z): alii, qui reliquis accuratiores videri volunt, ab infamia plane ſeiungunt (a); maxime, quia in lege noſtra infamia & haec macula iungantur particula VEL, quam doctores ſua natura in diuerſa cadere obſeruant (b). Addunt iidem, tantum non in oculos incurrere vtriuſque ignominiae differentiam. Infamiam enim facti naſci ex turpi facinore, aduerſus leges admiſſo, eoque proprio: leuis notae maculam etiam ob ſordidum vitae genus, & parentum vitium, adſpergi, nec non ob alias cauſſas, neſcio quas, quas exemplis potius, quam definitione aliqua, exprimi poſſe exiſtimant (c). Deinde illam aiunt perpetuo haerere, adeo, vt ſi vel principis beneficio aboleatur, litura tamen maneat, vt argute ea de re dixit Claudius apud SVETONIVM (d): hanc vel reſtitutione natalium, vel deſerto turpi vitae genere exſtingui facilius (e). Et inde quidem hanc formant huius maculae definitionem, quam tamen nec ſic qui-

(y) Vaſqu. *lib. I. de teſtat. potent.* §. *X.* *n. LXVIII.* Bocer. *Claſſ. V. Def. XXIV.* *n. XXVII.*

(z) Hartm. Piſt. *Quaeſt. iur. lib. I. Quaeſt. XXX. n. II.* Petr. Heig. *Quaeſt. XXI. n. XVIII.* Peck. *de regul. iur. Canon. Reg. LXXXVII.* Ludwell. *ad* §. 2. *Inſt. de inoff. teſt.*

(a) Lauterb. *Colleg. theor. pract. lib. III. Tit. II. n. XXXI.* Frommann. *Diſſ. de leuis not. mac.* §. *VI.* Struu. *Exerc. VII.* 20.

(b) Strauch. *Lex. Particul. voce* VEL *p.* 268.

(c) *Vid.* Muller *ad* Struu. *Tom. I. p.* 369.

(d) Sueton. *Claud. cap. XVI.*

(e) Frommann. *Diſſ. de leuis notae mac.* §. *LVIII. ſequ.*

quidem omnes admittunt: eam eſſe *maculam, quae opinione honeſtorum virorum ob defectum legitimorum natalium aut ſordidum vel abiectum vitae genus aut mores & actiones, non doloſas quidem, ab honeſtate tamen recedentes, inuritur, facile exſtinguendam* (f).

§. XXIX.

De perſonis quas hodie leuis notae macula adſperſas putant.

Hac ſemel admiſſa definitione, dici non poteſt, quam magnam, vt ita dicam, proſcriptionis tabulam ſuſpendant doctores, & quot homines, numquam vel a praetore vel moribus notatos, hac macula adſpergant. Sic honeſtorum hominum tribu mouent, ac tantum non e ſocietate hominum proſcribunt CARNIFICES & LICTORES, eo, quod non iuſtitiae ſtudio, ſed innata quadam truculentia in reos ſaeuire ſoleant (g), nihilque turpius excogitari poſſit, quam tam horrendi muneris profeſſione facere quaeſtum, aliorumque ſordibus & ſanguine viuere (h). Hinc non modo ipſis his hominibus hanc notam inurunt, verum etiam eorum liberis; quid quod eam, non ſecus ac contagioſam luem, etiam illos inficere exiſtiment, qui eorum hominum conſuetudine frequentius vtuntur (i) quaſi vero ipſe ſpiritus carnificum & lictorum pollueret obuios, & aerem, qui nos ambit, peſtilenti quodam ſidere adflaret. Quod quamuis cordatiorum iureconſultorum iudicio iniquiſſimum, & ab omni ratione alienum ſit (k): tam facile tamen a iureconſultis perſuaſum eſt principibus & imperii ordinibus, vt res digna videretur, quam publicis legibus firmarent. Cautum enim illis eſſe non ignoramus (l), ne carnifices & lictores eodem, quo reliqui ciues, habitu vterentur: quali habitu diſcolori eos etiamnum in ciuitatibus quibuſdam celebrioribus incedere, animaduertimus. Hiſce plerique iungunt, EXCORIATORES PECORVM (m); eoſque, qui latrinis purgandis adhibentur (n), quos ipſum ſordidiſſimum vitae genus indignos honeſtorum virorum conſortio reddat. Nec melioris conditionis eſſe iubent CASTRATORES SVVM (o), & CIRCVMFORANEOS, ipſis quippe imperii

(f) Lauterb. *l. c.* Frommann. *l. c.* §. *VII.*

(g) Damhoud. *Pract. Crim. cap. CXLII. n. VI.* Carpz. *Prax. Crim. Part.* III. *Quaeſt. CXXXVII. n.* 58.

(h) Muller. *ad* Struu. *Exerc. VII. Theſ. XX.*

(i) Carpz. *l. c. n. LIX.* Freher. *de Infam. lib. III. cap. XXIV.*

(k) Richt. *Part. II. Deciſ. LXXX. n. II.* Stryk. *vſ. modern. Dig. lib. III. Tit. II. n. IV.*

(l) Reform. *Polit. anni* cIↄIↄxxx. *rubr. von Nachrichtern.*

(m) Richt. *Part. II. Dec. LXXX. n. XX.* Harpr. *ad* §. 2. *Inſt. de inoff. teſt.* Hahn *ad* Weſenb. *tit. de his qui not. inf. n.* 12.

(n) Fromm. *diſſ. alleg. c. XXI.*

(o) Stryk. *Vſ. mod. Digeſt. l. c.* Hahn. *l. c.*

perii legibus notatos (p), deſperatos porro LVSORES (q), PRODIGOS (r), EBRIOSOS (s), MERETRICES, quae priſtinae vitae turpitudini nuncium miſerunt (t), LYRISTAS & CITHAROEDOS; vicatim oberrantes (u), ipſosque VESPILLONES & SANDAPILARIOS, eo quod cadauera tractent, eorumque vota eadem ſint, ac orci (x). Denique & SPVRIOS huc referunt, & quidem non ſolum vulgo quaeſitos, ſed & liberos naturales, quos alii infames (y), alii leuiter ſaltim notatos exiſtimant (z). Paullo benignius quidam agunt cum liberis praecocibus (a), quos tamen antiquo iure germanico notatos nouimus (b), & expoſititiis (c), quorum dubia origo ſuadet, vt in benigniorem ſententiam ingreſſi, eos e iuſto potius matrimonio, quam e furtiuis amplexibus, natos exiſtimemus.

§. XXX.

De aliis quas olim hac maculas dehoneſtarunt.

Tam late itaque, e doctorum ſententia hodienum, patet leuis notae macula: Olim vero multo latius patuit. Eo enim impudentiae quidam doctorum progreſſi ſunt, vt vix vllum opificium aut vitae genus macula vacuum eſſe paterentur, tametſi illud nec ſordidum eſſet, nec abiectum. Scilicet non omnes ſtatim artes, non omnia opificia, in Germaniae vrbibus in certas tribus vel corpora coaluerant. Multa erant vitae genera, quae ab omnibus e faece etiam plebis promiſcue poterant exerceri. Quum ergo ſola, quae in corpora coaluerant, opificia honeſta dicerentur, (*ehrliche und Zünfftige Handvvercke*;) facile in eam ſententiam ingreſſi ſunt doctores, omnia reliqua leui quadam nota inſignita eſſe. Atque inde eſt, quod doctores veteres & PICTORIBVS (d) NVMVLARIIS (e), COQVIS (f), LANIONIBVS (g), PISTORIBVS (h), FABRIS

(p) Receſſ. *imp. anni* CIↃ IↃXXX. *tit. XXXVIII.*

(q) Maſcard. *de probat. Conc.* IↃCCCCXCVII. *n.* 3.

(r) Speidel. *voce verſchvvender.*

(s) Schneidw. *ad* §. 1. *Inſt. de inoff. teſt.*

(t) Lauterb. *Diſſ. de ſing. Fratr. inrib. p.* 83. *n. IX.*

(u) Pet. Friz. *de nobilit. theſ. XXX.*

(x) Bud. *ad* L. 5. §. 8. *D. de inſtit.act.*

(y) Valaſc. *conſ. XVII.* Farinac. *de Delict. Part. I. Quaeſt. XIII. n.* LII. Tuſch. *tract. Concl. Tom. VII. concl.* CCCCXV. *n.* 1. *& XXI.*

(z) Ant. Fab. *in Cod. lib. IX. Tit. XXVIII. n. XX.* Bacchov. *ad* Treutl. *Vol. I. D. VIII. ad fin.*

(a) Frommann. *Diſſ. alleg.* §. *XVIII.*

(b) *Ius prou. Saxon. lib.I. Art.XXXVI.*

(c) Frommann. *l. c.* §. *XIX.*

(d) Nold. *de Statu nobilit. ciu. cap. XVII. th.* CLXII. Friz. *de nobil. th.XXX.*

(e) Friz. *l. c.*

(f) Nolden. *l. c.*

(g) Nolden. *l. c.* Sinib. Vbald. *de Nobilit. Axiom. LVI.*

(h) Nold. Friz. *l. c.*

FABRIS (i), CARPENTARIIS (k), LIBRARIIS (l), SARTORIBVS (m), NAVTIS (n), FVLLONIBVS (o), MVLIONIBVS, EQVISONIBVS, AVRIGIS (p), BAIVLIS (q), OPILIONIBVS (r), & aliis leuem hanc maculam adſpergere non dubitarint. Inprimis vero reliqui opifices ſtatus controuerſiam non ſemel mouerunt *textoribus*, *tonſoribus*, *balneatoribus*, *molitoribus*, *buccinatoribus*, *publicanis*, quorum ne liberos quidem in tribus ſuas & corpora admittere voluerunt, donec his aliiſque, nullo ſuo merito notatis, publicis imperii legibus conſultum eſt anno inprimis CIↃ IↃXLVIII (s). Ex his vero ſatis patet, iureconſultos, nullis certis principiis hac quidem in re innixos, ſuo arbitrio, quoſcumque liberet, leui macula adſperſiſſe, peſſimo profecto ad poſteritatem exemplo.

§. XXXI.

De effectibus huius maculae.

Denique quod ad effectus huius maculae attinet, eos & multos & ſatis triſtes fingunt doctores. Praeterquam enim, quod ex hac ipſa lege noſtra arguunt, fratres conſanguineos, teſtamento praeteritos, querelam inofficioſi inſtituere poſſe: idem etiam procedere aiunt in querela inofficioſae donationis & dotis: ſiquidem tanta inter has atque illam intercedat ſimilitudo, vt ab altera ad alteram ducere liceat argumentum (t). Vnde ſi frater, fratribus vel ſororibus poſt habitis, vel vniuerſa bona in perſonam turpem tranſtulerit, vel marito, leuis notae macula inſignito, eadem in dotem dederit: vtrumque actum ex hac ipſa lege reſcindi poſſe aiunt PEREZ (u), DONELLVS (x), RITTERSHVSIVS (y), & BRVNNEMANNVS (z). Deinde ex eadem lege nonnulli exſculpunt actionem nouam, ad ſupplendam portionem legitimam comparatam, fratribus etiam & ſororibus, competentem, ſi frater, inſtituta turpi perſona, minus illa portione iis titulo quocumque reliquiſſet (a). Praeterea ab omni dignitate arcent perſonas hac macula notatas (b), adeoque nec ſacros ordines ab iis

(i) Iid. *l. c.*
(k) Iid. *l. c.*
(l) Iid. *l. c.*
(m) Nold. Vbald. Friz. *l. c.*
(n) Iid. *l. c.*
(o) Iid. *l. c.*
(p) Barboſ. *ad L.* 27. *C. de inoff. teſt.*
(q) Gomez. *Tom. I. cap. XI. n.* XXVIII.
(r) Friz. *l. c.*
(s) Reform. *Polit. anni* CIↃ IↃ XLVIII. *Tit. von Handwercks-Söhnen.*
(t) Trentacinqu. *Reſolut.* III. *n.* XIV.
(u) Perez. *ad L. fin. C. de inoff. donat. num.* II.
(x) Donell. *Comment. lib. XIX. cap. XI.*
(y) Rittershuſ. *ad* Novell. *Part.* V. *cap.* XIII. *n.* XIV.
(z) Brunnem. *ad L. vn. C. de inoff. dot.*
(a) Paull. a Caſtro *ad* L. 30. C. *de inoff. teſt. n.* III. Bardili *Diſſ. de condict. ad ſuppl. legit. th.* XVIII. Fromm. *diſſ. alleg. n.* LIV.
(b) Ob. *L.* 2. *C. de dign.*

ſuſcipi (c), nec rempublicam geri poſſe, ſtatuunt (d). Porro eadem ſeueritate ex opificum corporibus exſulare eos iubent, eaque in re quam religioſi ſint opifices, & quantum ſaepe negotii hac ſuperſtitione ſua non modo tribunalibus, ſed & ipſis imperii comitiis, faceſſere ſoleant, neminem latet, cui non plane ignota eſt tritiſſima per Germaniam paroemia: *Die Aemter und Zünffte in den Städten müſſen ſo rein ſeyn, als ob ſie von Tauben geleſen vvaren* (e). Denique & teſtimonio harum perſonarum non multum tribuunt (f), & parum abeſt, quin ſpurios alioſque, quos macula illa notandos exiſtimant, nec ad ſuppletorium, quod vocant, nec purgatorium ius iurandum admitti poſſe, contendant (g). Quod tamen ab aliis merito in dubium vocatur.

§. XXXII.

Errores doctorum circa naturam huius maculae.

Ita in nucleo exhibuiſſe videmur, quae integris commentariis de LEVIS NOTÆ MACVLA diſputant doctores. Quo fundamento vero haec omnia nitantur, ex iis, quae ſupra de legis noſtrae occaſione & ſenſu diſſeruimus, facile intelliges. Primo ergo, quod ad huius maculae naturam attinet, non falluntur profecto, qui ab infamia diſcernunt. Praeterquam enim quod TVRPITVDO & LEVIS NOTA in textu noſtro manifeſto diſtinguuntur, & exemplum liberti, de quo loquitur CONSTANTINVS, non patitur nos de infamia vel iuris vel facti cogitare: illud ex antiquitatibus certiſſimum eſt, Romae plebem vltimam, quam libera adhuc rep. in tribus vrbanas coniectam nouimus, quales erant turba forenſis (h), libertini (i), apparitores magiſtratuum & ſerui publici (k), vltimum plebis conſtituiſſe ordinem, &, tamquam *ſordem & faecem vrbis*, vt CICERO (l) vocat, nullo loco habitam fuiſſe. Sane enim nec dignitate hi gaudebant, nec cenſu, & plerumque ſordido vitae genere miſerum ſpiritum trahebant. Infames hos fuiſſe, nemo dixerit: erant tamen ſordidi, humiles, & tales, quorum a conſuetudine vir honeſtus merito abhorrebat. Et hos ipſos olim leui nota adſperſos fuiſſe arbitramur, antequam Auguſtus lata lege Papia Poppaea, certas tantum ex hac turba perſonas ingenuorum nuptiis & hereditatibus indignas exiſtimaret. Multi

(c) Ob. *c.* 23. *X. qui fil. ſunt legit.*
(d) Fromman. *l. c.* §. *LXVII.*
(e) Hert. *Paroem. Iur. lib.* I. *Paroem.* XIV. *pag.* 417.
(f) Ob. *L.* 3. *D. de teſtib.* Struu. *Exerc.* VII. 20. Hahn. *ad* Weſemb. *Tit. de his qui not. infam. num. VIII.*
(g) Heig. *Part. I. Quaeſt.* XXI. *num.* XI. XII.
(h) *Vid.* Sigon. *de Iure ciu. Rom. lib.* I. *cap.* XIII.
(i) Idem *lib.* I. *cap.* XIV.
(k) Idem *lib.* I. *cap.* XV.
(l) Cicero *ad* Att. *lib.* I. *Epiſt.* XIII.

Digitized by Google

ti ergo Romae erant infames, qui ad faecem illam ac ſentinam ciuitatis non pertinebant: multi etiam leuiter notati, quos nulla infamia ſequebatur. Ex quo profecto conſequitur, vt diſcrimen aliquod inter infames & leuiter notatos ſtatuendum ſit. Deinde quod ad cauſſas huius maculae attinet: vereor, vt eas ſatis intelligant doctores. Parentum vitium leui nota adſperſiſſe liberos, nemo rerum Romanarum paullo peritior dixerit. Equidem, ſi ſeruiles natales intelligerent doctores, id omnino concedendum videretur. Sed quum non ſeruis natos, ſed ſpurios, in animo habeant, magnopere falluntur. Liberi nec naturales nec ſpurii Romae vel tribu mouebantur, vel excludebantur a dignitatibus (m): adeoque nec infames erant, nec leui nota inſigniti, vt recte contra GOTHOFREDVM (n) oſtendit illuſtris THOMASIVS (o). Equidem in alia omnia diſcedit iureconſultus humaniſſimus, ZACH. HVBERVS (p), qui leuem illis notam etiam Romae haeſiſſe partim PLVTARCHI partim CICERONIS teſtimoniis euincere conatur. Sed rem mihi ne is quidem confeciſſe videtur. Ait quidem PLVTARCHVS (q) *ſpurium comitari perpetuum probrum* (ὄνειδος) *per omnem vitam, quod anſam praebeat illis, qui libenter mordent & laedunt.* Refert idem (r) locum Ciceronis, qui Metello Nepoti ſaepiuſcule interroganti: *Qui pater tuus eſt?* reſponderit: Σοὶ ταύτην τὴν ἀπόκρισιν ἡ μήτηρ χαλεπωτέραν ἐποίησεν: *Tibi hanc reſponſionem mater tua reddidit admodum difficilem.* Denique & alter CICERONIS (s) locus non ignotus eſt, quo in Erucium, accuſatorem S. Roſcii, luſit: *Quaeſo, Eruci, vt hoc in bonam partem accipias: non enim exprobrandi cauſſa, ſed commonendi gratia dicam. Tibi fortuna non dedit, vt patre certo naſcerere, ex quo intelligere poſſis, qui animus patrius in liberos eſſet.* Sed ecquid inde colliget HVBERVS? Turpes eſſe ſpuriorum natales, nec hodie quisquam dubitat, nec Roma forſan dubitauit, adeoque facile largimur, probrum miſeros illos perpetuo ſequutum eſſe, idque occaſionem dediſſe dicacibus, hanc labem exprobrandi hominibus, nulla ſua culpa miſeris. Verum nos non agimus de hominum opinione & populi conuicio, ſed de eiuſmodi leuis notae macula, de qua lex noſtra loquitur, id eſt, quae hereditatis incapaces reddat.

(m) *L. 3. §. 2. D. de Decur. L. 6. pr. D. eod.*

(n) Gothofr. *ad L. 3. C.* Theod. *de inoff. teſt.*

(o) Thomaſ. *Diſſ. de vſu pract. doctr. inſt. de liberorum legitimatione cap.* I. §. III.

(p) Zach. Huber. *de Caſib. enucl. Quaeſt. III. VIII. pag. 60.*

(q) Plutarch. *de prolis amore init. p. 493.*

(r) Idem *vit.* Ciceron. p. 874.

(s) Cic. *pro S. Roſc. Amerin. cap. XIV.*

Non enim de omnibus perſonis humilibus loquitur CONSTANTINVS, ſed de iis, *quae ob leuem notam* CAPERE NON POSSINT. Eam vero maculam fruſtra adſpergunt ſpuriis, vt praeter THOMASIVM oſtendit PALAEOTVS (t). Nec ſolum ſordidum vitae genus hanc maculam gignere videtur, quum alias nulla poſſit reddi ratio, cur Romae non omnes opifices hereditatum incapaces viſi ſint, quippe quos omnes in ſordido vitae genere verſari exiſtimabant Romani, ceu DIONYSIVS HALICARNASSAEVS (u) & CICERO (x) teſtantur. Quare non alia huius leuis notae origo eſt, quam interdictio nuptiarum cum ſenatoribus eorumque liberis. Leuis enim nota haerere videbatur iis, quos ſenatoriis nuptiis indignos iudicauerat lex Papia Poppaea. Denique dum leuem notam facilius, quam infamiam, tolli poſſe exiſtimant, ne in hac quidem re conſentientem me habent doctores. Si enim id de effectu ciuili intellectum velint: aeque facile famam, quam natales, reſtituet princeps. Sin de opinione hominum; non facilius leuiter notatorum, quam infamium, macula tolletur. Quae quum ita ſint, facile patet, immutandam eſſe leuis notae definitionem, eamque nihil aliud eſſe, quam *ignominiam, ab infamia ſecretam, ob quam perſonae quaedam nec ſenatoriis nuptiis, nec hereditate dignae iudicantur, ſi fratres conſanguinei in tabulis fraternis fuerint praeteriti.*

§. XXXIII.

De perſonis quae a doctoribus notantur, iure hac macula adſperguntur.

Ex quibus ſimul patebit, quo iure quaue iniuria tot perſonis leuem notam inurant iureconſulti? Carnifices Romae, vt a SIGONIO (y) obſeruatum eſt, erant, qui in crucem ſontes agebant. Supplicia enim reliqua ſumebant lictores, quin promiſcue omnia milites, ceu ex SALVATORIS paſſione patet, ipſique centuriones, quos ad triſtiſſimum hoc miniſterium ſub Imperatoribus plerumque adhibitos fuiſſe, egregie docuit PETRVS FABER (z). Ex quo ſimul patet, nullam hominibus ignominiam ob lugubre iſtud miniſterium haeſiſſe. At haeſit tamen carnificibus? Fateor, idque me docet CICERO (a) qui *carnificem non modo foro, ſed etiam coelo vrbis ac ſpiritu ac vrbis domicilio legibus cenſoriis arceri, tradit.* Vnde non dubito, quin herede illo inſtituto fratres querela inofficioſi teſtamentum euertere potuiſſent. Sed id quidem non propter miniſterium, quod praeſtabat, ſed propter ſtatum cum ſordido munere coniunctum. Non enim ciuis erat carnifex, vt SIGONIUS

(t) Palaeot. *de Spur. cap.* LV.
(u) Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. lib. II. p.* 98.
(x) Cic. *de Offic. lib. I. cap.* XLII.
(y) Car. Sigon. *de iure ciu. Rom. lib.* I. *cap.* XV.
(z) Pet. Fab. *Semeſtr. lib. II. cap. IX.*
(a) Cic. *pro Rabir. cap. V.*

SONIVS (b) vult, ſed peregrinus. Peregrinum vero hominem, mactandis carnificandiſque ſeruis locantem operas, abominatos eſſe Romanos, minime mirandum eſt. Lictorum muneri Romae in ſe nihil turpitudinis ineſſe videbatur. Potius eo, tamquam dignitate aliqua, ſibi placebant lictores, idque officium non ſine ambitione adſcribebant titulis, ceu ex marmoribus quam plurimis patet (c). Quum tamen plerumque libertinae eſſent conditionis (d): non munus, ſed ſtatus efficiebat, vt leuiter notati viderentur. Vnde non dubito, quin & contra hos locum habuerit inofficioſi querela, ſi fratribus praeteritis heredes fuiſſent ſcripti. Aſt haec omnia principiis iuris Germanici vix congruunt. Carnifices hodie non peregrini ſunt, ſed ciues, quemadmodum & lictores non libertini ſemper, ſed ingenui conſtituuntur. Immo ſi vel maxime vel peregrini, vel libertinae conditionis eſſent: neutrum horum eorum exiſtimationem laederet. Nam peregrinos, quod ad ſucceſſionem, ciuibus aequiparat conſtitutio FRIDERICI (e). Libertini vero in Germania non alii ſunt, quam ruſtici noſtri, glebae non amplius adſcripti. Quis vero his maculam aliquam adſpergere auſit in Germania? Ergo non alia ſupererit ratio, cur leuis nota inurenda ſit carnificibus & lictoribus, quam quia vulgus ita opinatur. Ob vulgi vero opinionem hos magiſtratus apparitores, ſanctiſſimo munere functos, hereditatum incapaces habendos eſſe, nec legi noſtrae, nec rationi conſentaneum videtur. Ex quo ſimul patet, quam ab omni ratione alienum ſit, etiam liberos eorum, & qui iis paullo familiarius vtuntur, eadem affici contumelia. Caſtratorum ſuum ſordidum eſt opificium: ſed non ſtatim ob ſordidum vitae genus homines iis accenſentur, *qui ob turpitudinem vel leuem notam capere non poſſent.* Et ſunt ſane opificia, illo non multo minus ſordida, quae nemo eiuſmodi macula adſpergit. *Circumforaneos* leges imperii notant, vt & *lyriſtas* & *citharoedos* vicatim oberrantes, ſed non ob vile ac ſordidum vitae genus, ſed ob ſuſpicionem flagitiorum, quae in eos cadit, vocatos ideo *leichtfertiges Geſindel* (f). Quare non leui macula, ſed infamia facti, quam vocant, laborant. Idem cenſendum de prodigis, ebrioſis, luſoribus deſperatis: quos infamia ſequitur, ſi flagitii comperti & a magiſtratu notati ſint, alias moribus noſtris,

(b) Sigon. *l. c.*
(c) Smet. *Inſcript. p. XCVII. 5. XLV. 7. CIII. 8. Onuphr. Panuin. de Reb. Rom. p.* 292.
(d) Lipſ. *Elect. lib. I. cap. XXIII.* Sigon. *l. c.*
(e) Authent. *Omnes peregrini C. comm. de ſucceſſ.*
(f) Receſſ. *Imp. anni* cIↃIↃLXXX. *Tit.* CXVIII.

proh dolor, ne leui quidem macula laborant. Et valde dubito; an ſuperior diceſſurus hodie ſit frater teſtamento praeteritus, ſi demonſtrauerit, heredem inſtitutum quotidie vino ingurgitari, eumdem ſaepe alea ludere, & bona paterna nequitia ſua diſperdere, niſi aliae accedant circumſtantiae. Meretrices, ſiue quaeſtum corpore fecerint, ſiue iuuenum illecebris pudicitiam ſibi extorqueri paſſae ſint, hodie non leui nota, ſed infamia laborant, quum caſtitas noſtrorum temporum non ferat, vt Romanorum exemplo ſtuprum extra legum ciuilium poenam eſſe patiamur. Veſpillones & ſandapilarii apud nos, nec lege nec hominum opinione notantur, niſi in oppidulis minoribus, vbi ſimul vinciendis hominibus operas locare ſolent: nec video, qui ſordidius haberi poſſit exanime cadauer humare, quam illud abluere, veſtimentis ornare, euiſcerare, & cultro anatomico ſubiicere. Nec eorum ſtatim vota eadem, quae orci eſſe videntur, quibus aliquid lucelli ex frequente hominum morte accedit. De reliquis opificiis non eſt, quod quidquam addamus, quum iis ipſae imperii leges omnem maculam iam pridem deterſerint.

§. XXXIV.

An ſpuriis leuis notae macula haereat.

Si recte ergo ponas calculum, omnes, quos leui hac nota maculant doctores, vel infamia laborant, vel abſque vlla ratione tanta iniuria adficiuntur. De ſolis ſpuriis dubitare liceret, qui, tametſi Romae infames haut fuerint, in Germania tamen ſemper leui nota adſperſi fuiſſe videntur. Non vlla enim temere gens plus pretii caſtitati & pudicitiae ſtatuit, quam Germani. Iam TACITVS (g) iis hanc laudem tribuit, quod *ſepta pudicitia agant mulieres* Germanorum, *nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus corruptae: Litterarum ſecreta apud Germanos viros pariter ignorare* ait, *ac mulieres*; *pauciſſima* ergo *in tam numeroſa gente eſſe adulteria, eorumque poenam praeſentem & maritis permiſſam. Acciſis enim crinibus, nudatam adulteram, praeſentibus propinquis, expelli domo, ac per omnem vicum verbere agi: Publicatae etiam pudicitiae nullam veniam eſſe: non forma, non aetate, non opibus maritum inuenire meretrices.* Talia etiam de Vandalis, Gothis & Francis SALVIANVS (h), de Saxonibus BONIFACIVS (i) refert. Vnde & QVINCTILIANVS (k), inſectatus Romanorum incontinentiam, & foedam, qua in eumdem ſexum ruebant, libidinem: *Nihil*, inquit, *tale nouere Germani, & ſanctius*

(g) Tacit. *de Morib. Germ. cap.* XIX.
(h) Saluian. *de Gubern. Dei lib.* VII.
(i) Bonifac. *apud* Guil. Malmesb. *lib.* II. *cap.* LXIV. & Baron. *ad ann.* IↃCCXLVII. *Adde* Saluian. *l. c.*
(k) Quinctilian. *declam.* III.

ſtius viuitur ad oceanum. Quum vero tantopere maioribus noſtris cordi fuerit pudicitia, apud eoſque tum hac quoque in re plus valuerint boni mores, quam hodie bonae leges: facile eſt ad intelligendum, eos nullo loco habuiſſe ſpurios & vulgo quaeſitos, teſtes quippe maternae libidinis ac turpitudinis perpetuos. Hinc LVDOVICVS PIVS (l), *ex commixtione meretricum degeneres populos, & IGNOBILES & furentes libidine procreari*, ait. Et in IVRE PROVINCIALI SAXONICO (m) legimus: *Wer eines Mannes ehrlich Weib offentlich behuret, oder ſonſt ein Weib oder Magd notzoget, nimmt er ſie darnach zur Ehe, eheliche Kinder gevvinnet er nimmermehr bey ihr: Kemoffer und ihre Kinder, Spielleut, und alle die unehelich gebohren ſind,-- die ſeynd alle Rechtloſs.* Id quod etiam ad liberos praecoces extenditur alibi, vbi ſtatuitur (n): *Wann ein Weib einen Mann nimmbt, gevvinnt ſie Kinder, ehe die rechte Zeit kommt, da das Kind gebohren vverden mochte, man mag es beſchelten an ſeinen Rechten, vvann es zu früh gebohren iſt.* Sed ſi dicendum quod res eſt, ſpurii etiam veteri Germanico iure non leuis notae macula adſperſi, ſed infamia notati fuiſſe videntur. *Rechtloſe Leute* enim iidem ſunt ac infames, *ehrloſe und ohne recht, an denen niemandt nichts verbrechen kan, unttüchtige, daſs ſie nicht gezeugen ſeyn moegen* (o). Si ergo hodienum, ſpuriis inſtitutis heredibus, querela inoſſicioſi locum haberet: illi ſane ex principiis iuris Germanici magis ob infamiam, quam leuem aliquam notam, excluderentur hereditate. Enimuero, quum hodie plerique iureconſulti a veteribus illis Germanici iuris principiis diuortium faciant, adeoque ſpurios infamia notandos eſſe negent, leuis vero nota e iuris Romani principiis ſpuriis non haereat, ceu iam ſupra eſt a nobis demonſtratum: merito dubites, an hodie aduerſus ſpurios inſtitutos hac querela cum effectu experiri liceat. Plerique ſane iureconſulti eiuſmodi hic inueniunt limitationes, quibus regula illa tantum non perimitur. Aiunt enim, aduerſus ſpurios eſſe querelae locum, niſi vitae honeſtate & meritis hanc maculam eluerint (p). Hinc ſi ſpurius honeſte viuat, aut ſi ſpuria honeſto viro nupſerit, nullum querelae locum eſſe contendunt (q). Nec deſunt exempla, quod ita iudicatum ſit in tribu-

(l) Ludo. Pius *Addit. capitul. IV.* 102.

(m) *Ius prouinc. Sax. Lib. I. Art. XXXVII.*

(n) Ibid. *cap. XXXVI.*

(o) Vocabular. *ſpeculo Saxon. addit a* Wolfg. Loſſio *voce Rechtloſs.*

(p) Stryk. *ad* Lauterb. *tit. de inoff. teſt. pag.* 201.

(q) *Per can. numquam 4. Diſtinct. LVI.*

tribunalibus illuſtrioribus (r). Quae ſi ita ſunt: licebit tantum hodie de inofficioſo diſputare aduerſus ſpurios, quos non ſceleſta minus & turpis vita, quam ſors natalium, dehoneſtat. Atqui infamia facti laborant eiuſmodi homines, adeoque non tam ob leuem notam, quam infamiam, indigni habentur, qui fratribus defuncti praeferantur.

§. XXXV.

Quid de effectibus, quos doctores huic maculae tribuunt, ſentiendum.

Ex his ergo facile patet, quaecunque de leuis notae macula tradunt iureconſulti, ea omnia in Germania vix vllius vſus eſſe, dum de inofficioſo teſtamento diſputatur. Supereſt itaque, vt, an reliqui, quos comminiſcuntur, illius maculae effectus foris noſtris concinni ſint, paullo accuratius expendamus. Primo ergo eadem, ex ipſorum ſententia, eſt inofficioſi teſtamenti & inofficioſae donationis & dotis ratio. Quum vero iam demonſtratum ſit, hodie non illos, qui leui nota adſpergi dicuntur, ſed infames, querela fratrum ab hereditate arceri: conſequens eſt, vt idem quoque de inofficioſa donatione & dote ſtatuendum ſit, adeoque & in hac re nullus ſit doctrinae de leuis notae macula vſus. Deinde dum ex hac lege etiam nouam actionem, ad ſupplementum portionis legitimae fraternae comparatam exſculpunt, eamque aduerſus heredes, leuis notae macula adſperſos, competere contendunt, ne hac quidem in re me habent conſentientem. Nam & haec actio ex iiſdem rationibus non aduerſus eos, qui leuis notae macula, ſed qui infamia laborent, valebit. Quae de dignitatibus & opificiis differunt iureconſulti, ea ita comparata ſunt, vt vſum huius doctrinae inde fruſtra exſculpas. Iam multo ante receptum ius Romanum opifices certos homines tribu mouendos putarunt, non vero ob leuis notae maculam, de qua ne fando quidem quidquam inaudiuerant, ſed ob alias rationes, de quibus iam ſupra nonnulla diximus, & alibi vberius differendi erit locus. Nec ſane ex lege noſtra, in qua ſola leuis notae maculae fit mentio, vllis fidiculis elicies argumentum, quo demonſtrari poſſit, homines, quos leuis notae macula adſpergunt doctores, collegiis aut dignitatibus eſſe mouendos. Fingamus enim eos omnes, fratribus praeteritis, heredes teſtamento ſcribi non poſſe: an inde quaeſo conſequitur, vt nec ad dignitates & opificia illis pateat aditus? An quae in fratrum conſanguineorum fauorem conſtituta ſunt, etiam ad opifices pertinent? Sunt equidem leges patriae,

(r) Alu. Valaſc. *Conſult. XVII. n. 3.* Ant. Teſſaur. *Deciſ. Pedemont. CXXVII. n. VI.*

triae, quae ſpurios & aliis natalium vitiis laborantes dignitatibus excludunt (s): Moribus etiam ad opificum collegia non admitti ſpurios, vt & carnificum & lictorum filios, nemo ignorat (t). Sed ex his legibus & moribus vſus doctrinae de leuis notae macula non magis, quam ex lege noſtra demonſtratur. Non enim ideo Germani ſpurios & naturales ad dignitates & opificia adſpirare non patiuntur, quia eos ex teſtamento, fratribus ſuperſtitibus, aliquid capere vetuit CONSTANTINVS, (dummodo id vetuit,) ſed partim, quia Germanis veteribus, quibus praeter nobiles nulli ingenui erant, indignum videbatur, libertinae & ſeruilis originis, vt & vulgo quaeſitis, vel rempublicam, vel illius partem demandare: partim, quia ciuitatibus inſtitutis dabant operam, ne facile ruſtici adſcriptitii, eorumque filii, pfalburgeri, aliaeque perſonae humiles ciuitatis iure donarentur: partim quia doctrina de matrimonii ſacramento ſpuriorum odium haut parum augeret. Non ergo principiis iuris Romani, ſed moribus patriis originem debent hae leges Germanicae & priuilegia opificum, quibus a dignitatibus & collegiis arcentur ſpurii & humili loco nati: quamuis hodie, quum alia ſit ingenuitatis & ciuitatum facies, aliaque etiam multis ſedeat de matrimonio ſententia, paſſim conſilia capiant imperantes de conſuetudinibus eiuſmodi magis magiſque abolendis. Quae quum ita ſint, ipſa iureconſultorum collegia hodie benignius agendum putant cum hominibus leuis notae macula adſperſis. Vnde memini, quum nuper vici cuiuſdam incolae virum cetera honeſtum ob natalium vitium a ſcabini munere excluſum vellent, eaque de re conſulerent illuſtre Iureconſultorum hac in academia collegium, ab eo hunc in modum eſſe reſponſum:

Hat das Königliche Amt W. I. S. euren Mit-Nachbar zum Schöppen bey eurer Gemeine verordnet, und denſelben darauf gevvönlicher maſſen verpflichtet, dagegen ihr aber aus dem Fundament, *daſs dieſer I. S. auſſer der Ehe erzeuget, und mithin zu Bekleidung dieſes Schöppen-Amts gantz* inhabil *ſey, ſo fort* proteſtation *eingevvandt, und auf deſſen* remotion *gedrungen. Iſt es darüber zvviſchen euch und ihm zum rechtlichen Verfahren kommen, und ſind endlich die* Acta, *nach dem beyde Theile zum Urtheil beſchloſſen,*

(s) *Cammer-Gerichts-Ordnung Part. I. Tit. III. §. I. & Tit. XXX. §. I. Aliarum rerumpublicarum, ciuitatum & academiarum ſtatuta, quibus ſpurii & viles perſonae a dignitatibus arcentur, collegit* Fromman. *diſſ. de leuis notae macula* §. XLVII.

(t) Hadr. Beyer *de iurib. opificum cap. V. & VI.* Ge. Beyer. *Spec. iur. Germ. lib. I. cap.* XV. §. XII. XIII.

zu auſvvärtigen Spruch Rechtens verſchicket vvorden, und ihr vvollet dannenhero belehret ſeyn,

> *Ob ihr bey eurer* proteſtation *in Rechten gegründet, und dannenhero euch eines beyfälligen Urthels zu verſehen habet?*

Ob nun vvohl 1) *ſehr viele Rechts-Lehrer in den Gedancken ſtehen, daſs alle unehlich gebohrne denenienigen Perſonen, vvelche nach der*

in L. 17. C. *de inoff. teſtam.*

befindlichen Redens-Art leuis notae macula laboriren, *beyzuzehlen ſeyn, indem, obſchon die Schuld und Urſach ihres Gebrechens nicht ihnen, ſondern den Eltern beyzumeſſen*

can. naſci 5. *diſt.* 56.

und die Kinder ihrer Eltern Schuld zu tragen nicht verbunden ſind

L. 3. §. 2. L. 6. *pr. ff. de Decur.*

dennoch alle honnete *Völcker von ſolchen unehlich gebohrnen nichts halten*, adeo, vt vix ſine dedecore tam patres quam liberi eiusmodi, expreſſam veluti turpitudinis notam in fronte circumferentes, adſpiciantur

Petr. Heigius *P. I. qu.* 21. *n.* 38.

Welches Recht dann 2) *in Teutſchland um ſo vielmehr* in viridi obſeruantia *ſeyn muſs, da auch nach den alten Teutſchen Rechten unehlich gebohrne nicht nur* pro leuis notae macula adſperſis, *ſondern gar für rechtloſs und mithin* pro infamibus *gehalten vvorden.*

Sächſ. Land-R. L. 1. art. 37.

Hiernechſt auch 3) *unter die* effectus leuis notae maculae *auch dieſer mit gerechnet vvird, daſs ſie zu keinen Ehren-Stellen*

arg. L. 1. C. *de dignit.* Struu. *exerc. ad ff.* 7. *th.* 2. Fromm. *diſſ. de leu. not. mac. th.* 47.

am vvenigſten aber ad ſcabinatum vel iudicialem dignitatem *zugelaſſen vverden*, quum indignum videatur, tribunali adſidere eos, qui ſanguinis labem in fronte gerunt:

Heig. *d. qu.* 21. *n.* 14. & 32. Schiferdegh. *h. l.* 3. *tract.* 25. *qu.* 9.

daher ſolches auch im gegenvvärtigen Fall um ſo vielmehr ſtatt zu finden

Digitized by

finden ſcheinet, da der Schöppe eurer Gemeine nicht nur die vom Ambt einlauſende Befehle exequiren, notificiren *und Auflagen verrichten, ſondern auch, vvas hier und dar vorgehet*, obſeruiren *und beym Amte anzeigen, auch vvenn daſelbſt* inquiſitiones *vorfallen, die Gerichts-Banck mit beſetzen muſs, und folglich ſolches Schöppen-Amt nicht als ein bloſſes* munus, *zu vvelchem auch* ſpurii, *in Ermangelung anderer, zugelaſſen vverden, ſondern als ein* honos *und* dignitaet *anzuſehen. Aus vvelchen Gründen es faſt das Anſehen gevvinnen möchte, als ob ihr in eurer* proteſtation *genugſam gegründet, und mithin an einem beyfälligen Vrtheil nicht zu zvveifſeln hättet.*

Dennoch aber und dievveil 1) *ſo vvenig das natürliche, als das Römiſche Recht, die unehlich gebohrne ihrer Ehren beraubet, oder dieſelben mit einer ſo genanten* leuis notae macula *beſchmützet. immaſſen ienes nach den Regeln der geſunden Vernunfft nicht zuläſſet, daſs das Kind die Schande ſeiner Eltern tragen müſſe, dieſes aber von unehlich gebohrnen mehr nicht verordnet, als daſs dieſelben die* effectus patriae poteſtatis *nicht zu genieſſen haben, im übrigen aber dieſelben vveder von dem Bürger-Recht, noch* a teſtamenti factione, *ja nicht einmahl* a dignitatibus *ausſchlieſſet,*

> Hotoman. *de ſpur. & legitim. c.* 3. Strauch. *exerc. IV. th.* 3. Thomaſ. *diſſ. de vſu pract. tit. de legit. cap.* 1. §. 3.

Wie denn die Geſetze denſelben ad decurionatum, *vvelcher doch kein bloſſes* munus, *ſondern eine anſehnliche* dignitaet *vvar, den Zugang ausdrücklich eröffnen.*

> *L. 6. pr. ff. de decur. verbis: Non impedienda enim eſt* DIGNITAS *eius, qui nihil admiſit.*

Hiernechſt auch 2) *vvenn ſchon einige Geſetze in Teutſchland die* ſpurios *von Dignitaeten ausſchlieſſen, daſſelbe doch auf ein Schöppen-Amt bey einer Dorff-Gemeine nicht zu appliciren, da daſſelbe* reuera, *der bevvertheſten Rechts-Lehrer Meynung nach, mehr ein* munus, *als eine* dignitaet *iſt, und daher ein* ſpurius *davon nicht ausgeſchloſſen vverden kan,*

> Hartung. *de ſcultet. & Scabin. pagan. c.* 3. *n.* 11. Modeſtin. Piſt. 1. *c.* 46. *qu.* 1. Berlich. *Deciſ.* 299. *n.* 10.

Anbey 3) *dieienigen Rechts-Lehrer ſelbſt, vvelche ſonſt den unehlich gebohrnen eine* leuis notae maculam *zuſchreiben, dennoch dieſelben öffentlicher Aemter vvürdig erkennen,* ſi hanc maculam na-

talium virtutibus & honeſtiore vita eluerint,

Teſſaur. *Dec. Pedem.* 126. *n.* 6. Valaſc. *Conſult. Luſ.* 17. *n.* 8. Carpz. 3. *Conſt.* 10. *D.* 10. *n. f.*

Welches den I. S. da derſelbe nicht nur überhaupt ein gutes Zeugniſs vor ſich hat, ſondern auch bey ſeinen vorhin obhabenden Bauermeiſter-Amt, und den dabey geführten Rechnungen ſich ehrlich und redlich verhalten, und daher um die Gemeinde, daſs ihn dieſelbe in ihren Schrifften ſo ſchimpfflich tractiret, keinesvveges verdienet hat, allerdings zu ſtatten kommen muſs. Endlich auch 4) *die gegenſeitigen* rationes dubitandi *aus obigen Gründen gar leicht zu beantvvorten, immaſſen, vvas die erſte anbetrifft, in dem angeführten*

L. 27. *C. de inoff. teſtam.*

zvvar gevviſſer Perſonen, quae leuis notae macula adſperſae ſunt, *gedacht, keinesvveges aber, daſs ſie von Ehren-Aemtern auszuſchlieſſen, noch vielvveniger aber, daſs unehlich gebohrne dadurch zu verſtehen ſeyn, angezeiget vvird. Wie denn vielmehr aus der genuinen* Conſtitution *des* Conſtantini M., *vvelche in dem* Cod. Iuſtinianeo *ziemlich verändert, in dem* Cod. Theodoſiano *aber*

L. 3. C. Theod. *de inoff. teſtam.*

noch aufrichtig zu befinden, gnugſam erhellet, daſs in derſelben nicht de ſpuriis, *ſondern von den freygelaſſenen*, qui reſtitutionem natalium nondum impetrauerint, *die Rede ſey. Daher auch die* interpretation, *daſs die auſſer der Ehe gebohrne* leuis notae macula laboriren, *mehr unter die ungegründeten Meinungen der* Gloſſatorum, *als die auf zulängliche* principia *gegründete* doctrina iuris *zu zehlen iſt.*

Thomaſ. *d. diſſ.* §. 3. *not. d.*

Welche Bevvandtnis es auch 5) *mit den alten teutſchen Rechten hat, immaſſen dieſelben nicht* ex principiis antiquiſſimis iuris Germanici, *nach vvelchen unehlich gebohrne auch ſo gar zur Würde gelangen konten,*

Vt de Francis *teſtatur* Hertius *Notit. regni* Franc. *c.* 5. *n.* 9. *de Danis* Ad. Bremenſ. *l.* 2. *hiſt. eccleſ. c.* 54. *de Norvvegis* Sturleſon. *Chron.* Noru. *pag.* 67.

ſondern ex principiis papatus, *nach vvelchen die Ehe als ein Sacrament, und daher alle* ex coniunctione extra matrimonium *erzeugte* tamquam homines inhoneſti & infames *angeſehen vvurden, geſloſſen,*

geſloſſen; und mithin zu unſern Zeiten, da man ſolchen Irrthum vorlängſt zu erkennen angefangen, billig nicht mehr in einige Betrachtung kommen. Wie denn auch die Rechts-Lehrer durchgehends die ſpurios ab infamia *freyſprechen, und folglich* a iure Germanico *in dieſem Stück abvveichen.*

Frantzk. *ad tit. ff. de his qui not. infam. n.* 21. Freh. *de exiſtimat. l.* 3. *c.* 23. *n.* 23. Bocer. *in com. L. vn. C. de famoſ. c.* 1. *n.* 11. *ſequ.* Fromm. *diſſ. de leu. not. mac. th.* 14.

Endlich 6) *vvas das Schöppen-Amt auf einem Dorffe betrifft, daſſelbe* pro dignitate *keinesvveges zu achten, angeſehen es eigentlich nur* in executione *desienigen, vvas das Amt angeordnet, beſtehet, die Zuziehung aber der Dorff-Schöppen bey* inquiſitionibus *von keiner ſolchen Wichtigkeit iſt, daſs deshalb denen* ſcabinis *eine beſondere Würde zuzuſchreiben, immaſſen dabey billig mehr auf die Aufrichtigkeit und honeteté eines ſolchen* Scabini, *als auf deſſen Herkommen und Geburt reflectiret vvird.*

Als ſind vvir der Meynung, daſs ihr ein beyfälliges Vrtheil ſchvverlich zu ervvarten habet, und dannenhero beſſer gethan hättet, vvenn ihr euch der proteſtation *aus dieſem* fundament *enthalten. V. R. W.*

§. XXXVI.

Plura addi poterant de ea re, in qua multis modis aberratum eſt a doctoribus: Sed quum plura non capiant chartae, diſſertationi academicae deſtinatae, hic quidem filum abrumpimus, maxime quod ſatis videmur demonſtraſſe, quod demonſtrandum ſuſcepimus, a pauciſſimis ſatis intellectam eſſe *legem XXVII. C. de inoff. teſtam.* & doctrinam de leuis notae macula, quam vulgo inde eliciunt, nec iuri Romano conſentaneam, nec vllius hodie in Germania noſtra vſus eſſe. *Concluſio diſſertationis.*

Digitized by Google

DE NAVIBVS OB VECTVRAM VETITARVM MERCIVM COMMISSIS.

EXERCITATIO VIII.

Cap. I.

DE MERCIBVS VETITIS ET COMMISSIS GENERATIM.

§. I. Variae doctorum concertationes de dominio maris. §. II. Vera ea de lite ſententia. §. III. Eius effectus & hic eſt, vt imperantes quarumdam mercium importationem & adpulſum ad littora prohibere. §. IV. Vt & eumdem certis legibus concedere poſſint. §. V. Ea prohibitio & ratione ſubditorum rata eſt, & ratione exterorum. §. VI. An & exterorum cum exteris hoſtibus commercia prohiberi poſſint? §. VII. Variae inter gentes ea de re concertationes. §. VIII. Sententia Grotii & Ziegleri. §. IX. Prohiberi eiuſmodi commercia poſſe demonſtratur. §. X. Merces eiuſmodi vetitae vocantur CONTRABANDO *& cur? §. XI. Qualium mercium negotiatio vetita fuerit iure Romano ratione exterorum? §. XII. Quarum negotiatio inter ipſos ciues prohibita? §. XIII. Quid ius canonicum circa merces vetitas ſtatuerit? §. XIV. Quid hodie* CONTRABANDO *iure & conſuetudine gentium ratione exterorum? §. XV. Quaſnam merces a priuatis venire prohibeat ius Germanicum? §. XVI. Quemadmodum prohibere, ita & concedere Princeps commercia cum exteris poteſt certis legibus. §. XVII. Inter has etiam eſt ſolutio vectigalium. §. XVIII. Si vel merces vetitae inueniantur, vel vectigal non ſoluatur, merces a fiſco vindicantur. §. XIX. Et tunc vocantur* COMMISSAE. *§. XX. Saepe & naues ſimul capiuntur & a fiſco occupantur, quod vocant:*

Vor

Vor gute Prieſen erklähren. §. *XXI. Tranſitio ad caput ſecundum.*

§. I.

Variae Doctorum concertationes de dominio maris.

ACriter iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus de imperio libertateque maris diſceptatum eſſe, vel Minois (a), nec non Athenienſium & Lacedaemoniorum (b), Romanorum item & Carthaginienſium (c), aliaque innumerabilia gentium aliarum bella ſatis demonſtrant. Saepe profecto maris vndas cruore effuſiſſimo contaminauit impotens illa etiam mari dominandi libido. Saepe quaeſitum iſtud imperium non minore ſanguinis profuſione euertit libertatis cupiditas, neque poſt tot turbas ita de hac lite tranſactum eſt, ut non ſubinde ideo aemulae claſſes aperto Marte concurrant. Nec minore cura interea, dum gentes arma ſtrinxerunt, calamos expediuerunt eruditi. Veteres equidem Romanorum ICti, Stoicorum innutriti ſapientiae, & neſcio quam totius humani generis rempublicam ſomniantes (d), naturali iure non ſolum mare, verum etiam littora maris communia eſſe omnium contendebant (e). Sed ab his principiis, mutata paullo poſt republica, ipſos Romanos feciſſe diuortium, vel inde patet, quod Imperatores ipſi ſibi maris dominium vindicare non dubitarint: id quod ex APPIANO (f), ARISTIDE Rhetore (g), OPPIANO (h), PHILOSTRATO (i), ipſaque celeberrima *lege ἀξίωσις IX. digeſt. ad L. Rhod. de iactu* magno apparatu demonſtrauit IAC. GOTHOFREDVS (k). Multo acrius ea de re certamen natum eſt, poſtquam Europaeae gentes maria extera tentarunt, ſed ita, vt plerique ſcriptores patriae commodis manciparent calamum, & hoc partium ſtudio, vt fit, in diuerſas ſententias abriperentur. Libertatem maris ſummo ſtudio adſerere adlaborauit HVGO GROTIVS

(a) Boecl. *Diſſert. de Minoe maris domino Tom.* II. *diſſert. academ. pag.* 1073.

(b) Iſocrat. *Orat. de pace.*

(c) Flor *lib.* 2. *cap.* XI. Appian. *de bellis punicis p.* 1.

(d) Gerh. Nood. *probabil. lib.* I. *cap.* VIII. *ſequ. p.* 21.

(e) §. 1. *Inſt. de rer. diuiſ. L.* 13. §. 7. *de injur. L.* 13. *pr. D. commun. ruſt. & urban. praed.*

(f) Appian. *praefat. hiſt. p.* 3. *edit.* Stephan.

(g) Ariſtid. *Orat. ad* M. Antonin. *p.* 119. *conf. & pag.* 354. 360. 382. *ſequ. Tom. I.*

(h) Oppian. *Halieut. v.* 3.

(i) Philoſtrat. Vit. Apollon. Tyan. *lib.* VII. *c.* II.

(k) Iac. Gothofredi *diſſert. de imperio maris ad L. ἀξίωσις* 9. *D. ad L. Rhod. Geneu.* CIƆIƆLIV.

TIVS (l), ſed lucro nauigationum ad Indos, quod tum Hiſpani pariter ac Luſitani intercipere ſtudebant, ad ſcribendum pellectus (m). Eamdem Belgarum cauſſam non modo contra Hiſpanos, verum etiam Anglos, halecum piſcaturam Batauis inuidentes, egerunt THEODORVS GRASWINCKELIVS (n), VLR. HVBERVS (o), CORN. VAN BYNCKERSHOEK (p), aliique, quamuis non omnes GROTII principiis inſiſterent. Verum tanto acrius pro maris imperio contenderunt earum gentium ſcriptores, quae ſibi antiquitus iſto potitae videbantur: quales ſunt IOANNES SELDENVS (q), IO. BAPTISTA BVRGVS (r), THOM. RIVIVS (s), MARISOTTVS (t), STRAVCHIVS (u) aliique quam plurimi. Fuerunt etiam, qui cum IO. ISAACO PONTANO (x), SAM. PVFFENDORFIO (y) aliiſque mediam quamdam ingreſſi viam, totam hanc litem variis diſtinctionibus ſine pulueris iactu componi facillime poſſe, ſibi perſuaderent. Vt adeo, ſi in vlla, in hac certe quaeſtione, quam maxime in partes eant eruditi, patriae plerumque commodorum, quam veritatis, hac in re quidem, ſtudioſiores.

§. II.

Vera de ea lite ſententia.

Quamuis vero is ego non ſim, qui ſibi in re tanta iudicium arrogare ſuſtineat, quod iam IS. PONTANO (z), *onus Aetna grauius* viſum eſt: id tamen certum exploratumque videtur, eruditos tantum non omnes, quos non immoderatum patriae ſtudium in tranſuerſum egit, ſecundum SELDENVM litem dediſſe (a). Id quidem apud omnes aeque in confeſſo eſt, Deum, qui, vt exiſterent homines, voluit, non poſſe non & velle, vt iis rebus creatis, quibus

(l) Grotius *de mari libero, qui libellus prodiit anno* cIↄIↄCVII. *Conf. euſdem. ius belli & pacis lib.* II. *cap.* II. §. 3. *ſeqq. & cap.* III. §. 8. *ſequ.*

(m) Dominic. Baud. *lib.* II. *de induciis belli Belgici.*

(n) Graswinckel. *Vindiciae maris liberi, quae tamen ordinibus oblatae, ſuppreſſae ſunt. vid.* Huber *hiſt. ciuil. Part.* III. *lib.* I. *ſect.* VI. *cap.* I.

(o) Huber. *digreſſ. Part.* I. *lib.* IV. *cap.* XIV. *ſequ. & de iure ciuit. lib.* II. *Sect.* IV. *cap.* II.

(p) Corn. Bynkershoek *differt. de dominio maris. Hag.* cIↄIↄCCIII.

(q) Selden. *mare clauſum, edit.* cIↄIↄCXXXV.

(r) Io. Bapt. Burg. *de dominio maris Liguſtici.*

(s) Riuius *Hiſtor. nauig. Ind. lib.* III. *cap.* XXXVII. *ſequ.*

(t) Mariſott. *orb. maritim. lib.* II. *cap.* X. & XX. *ſequ.*

(u) Strauch. *differt. de imperio maris.*

(x) Io. Iſ. Pontan. *diſcuſſ. hiſtor.*

(y) Puffendorf. *de iure nat. & gent. lib.* IV. *cap.* V. *ſequ.*

(z) Pontan. *praefat. diſcuſſ. hiſt.*

(a) Ziegl. *de iure maieſt. lib.* II. *cap.* VII. §. 9. *ſequ.* Hertius *de ſeruitute naturali ſect.* I. §. XI. Thomaſ. *ad* Huber. *de iure ciuit. lib.* II. *ſect.* IV. *cap.* II. §. XLIII.

bus ad ſuſtinendam commodeque tranſigendam vitam opus videretur, libere vterentur. Hinc non equidem dominium proprietatemque introduxit, ceu vulgo ex oraculo illo diuino apud MOSEN (b) colligunt, ſed facultatem rebus in medio poſitis vtendi. Ex eo conſequitur, vt communio antiquior fuerit dominio. *Omne* enim *dominium*, vt recte a NERVA (c), Iureconſulto, animaduerſum eſt, *ex naturali poſſeſſione incipit.* Poſſeſſio vero facti eſt, adeoque, niſi in infinitum progredi cogitando velis, neceſſe eſt, vt originarius acquirendi modus, vel ab occupatione vel a diuiſione inceperit, quarum neutra ſine communione intelligi poteſt (d). Quum vero communio illa in tanta hominum auiditate diutius ſubſiſtere nequeat, quam quoad res illae communes inexhauſti vſus fuerint: conſequens eſt, vt relicta illa, dominium introducere maluerint homines, poſteaquam gliſcente auaritia & luxu, auctoque humano genere, animaduerterunt, res communes & in medio poſitas non ſufficere ſingulis, innumeriſque litibus dare occaſionem. Hinc factum vero eſt, vt, quae ob communionem, quam vocant priuatiuam, antea nullius eſſent, cederent deinde occupanti. Hoc modo integri terrarum tractus ſiue per vniuerſitatem, ſiue per fundos occupari coeperunt, quumque priore caſu tractus illi toti ad populum pertinerent; conſequens erat, vt & ſingulae illius partes in eiuſdem eſſent dominio adeoque & illa, quae priuatorum dominio non eſſent adſcripta, & quibus ſinguli commode vti frui non poſſent, imperantes ſibi vindicarent (e). Eo iure ergo ſenſim in mare etiam tractibus ſuis proximum vſi ſunt imperantes, ſibique iura quaedam, quae non inexhauſti videbantur vſus, ita vindicarunt, vt alios eorum vſu excluderent. Adeoque hoc modo per occupationem mare in dominio vel imperio gentium eſſe coepit, idque non magis a ratione alienum eſt, quam quod & alia ἀδέσποτα, veluti feras, flumina, piſces, inſulas, mineras & metalla, aliaque huius generis occupando ſua fecerunt.

§. III.

Porro quemadmodum dominium ſemel occupatione quaeſitum, animo deinde etiam retinetur, quamuis actu non ſemper accedat poſſeſſio: ita idem de mari ſtatuendum, quidquid nobis obuertat CORN. BYNCKERSHOEK (f), cuius hypotheſin accurate ſuo more deſtru-

Eius effectus eſt vt imperantes quarundam mercium

(b) *Geneſ.* I. 28. *ſequ.*
(c) L. 1. §. I. *D. de acquir. rer. domin.*
(d) Thomaſ. *fundam. iur. nat. & gent. Lib. II. cap. X. §. VII.*
(e) Boehmer. *ius publ. vniuerſ. Lib. II. cap. X. §. 5. ſequ.*
(f) Corn. Bynkersh. *de domin. mar. p. 12. ſequ.*

importationem & ad pulsum ad littora prohibere,

destraxit illuſtris THOMASIVS (g). Dominium vero iſtiuſmodi non momentaneam, ſed permanens, non poteſt non varios, eoſque ſatis illuſtres, producere effectus. Inter quos haut poſtremus eſt, quod in arbitrio principis tanquam maris domini ſit, an concedere velit peregre aduenientibus vel adpulſum ad littora, vel tranſitum per mare a ſe occupatum. Quamuis enim id grauiter negent Belgae apud GROTIVM (h), *legesque diuinas ac humanas nauigandi mercandique ius ita vt caelum & ſolum omnibus ex aequo addicere*, contendant, nec deſint etiam, qui huius ad littora adpulſus tranſitusque maris conceſſionem ſeruitutibus naturaliter inter liberos populos conſtitutis accenſent (i): neutris tamen noſtram adiungere ſententiam poſſumus. Eſt haec natura dominii, vt alios vel vſu rei noſtrae arcere, vel eumdem certis legibus iis concedere liceat. *Qui alienum fundum ingreditur*, inquit CAIVS (k), *venandi occupandique gratia, poteſt a domino, ſi is praeuiderit, prohiberi, ne ingrediatur.* Et aucupibus reſcripſit D. PIVS (l): Οὐκ ἐςιν ἐυλογον, ἀκόντων τῶν δεσποτῶν ὑμᾶς ἐν ἀλλοτρίοις χωρίοις ἰξεύειν. *Non eſt conſentaneum, vt per aliena praedia inuitis dominis aucupium faciatis.* Cur vero non liceat domino maris, quod in praedio ſuo cuiuis licet? Saepe ſane fit hodienum, quod Carthaginienſium regina Troianis, littorum portuumque hoſpitium ſibi barbaro more negare querentibus, reſpondit apud VIRGILIVM (m):

Res dura & regni nouitas, me talia cogunt
Moliri, & late fines cuſtode tueri.

Quis ergo hoc iure priuare auſit ſummos imperantes, vt populi ſalutem ſupremam ſibi legem dicant? Hinc profecto nihil frequentius eſt, quam vt pactis inter gentes caueatur, quouſque ius adpellendi tranſeundique ſit concedendum. Quemadmodum induciis Hiſpanorum & Belgarum, anno CIƆ IƆCIX. factis, cautum legimus (n): *non eſſe ius adpellendi ad portus, plagas, promontoria alterutrius partis cum tali numero nauium aut armatorum, vt iuſti timoris ſuſpicio generari poſſit, vim parari niſi ex permiſſu eius, ſub cuius ditione loca illa ſita ſunt, aut niſi tempeſtatibus aliaque neceſſitate delati illuc fuerint ad maiorem vim aut naufragii periculum effugie*n-

(g) Thomaſ. ad Huber. *de iure ciuil. l. c.*

(h) Grot. *Hiſt. Belg. lib. XVII. ad annum* CIƆ IƆCVIII.

(i) Hertii *diſſert. de ſeruit. natural. conſt. ſect. I. §. X. ſequ.*

(k) L. 3. §. I. D. *de acquir. rerum domin.*

(l) L. 16. D. *de ſeruit. praed. ruſtic.*

(m) Virgil. *Aeneid. lib. I. v.* 563.

(n) Induc. *Belgar. anno* 1608. *art. XII. apud* Eman. Meteran. *hiſt. Belg. lib. XXVIII. p.* 88.

Digitized by Google

giendum. Qualibus pactis non opus eſſet profecto, ſi omnibus perſuaſum eſſet, eos, qui alios ſuis portubus arcent, *παρὰ τὰ κοινὰ δίκαια*, *aduerſus iura communia facere*, ceu Megarenſibus olim perſuaſum fuiſſe, memoriae prodidit PLVTARCHVS (o).

§. IV.

Vt & eundem certis legibus concedere poſſint.

Ex eo vero porro conſequitur, vt ſi, quibus maris ſui vſum ad commercia maritima indulgeat princeps, etiam leges iis dicere poſſit. Hinc eius eſt, ſtatuere, quas merces vel per mare ſuum vehi, vel prouinciis ſuis inferri, vel denique iisdem exportari velit. Quemadmodum enim cuilibet rei ſuae legem dicere licet: ita & maris ſui vſui commerciiſque maritimis dum modum ponit princeps, ſuo iure vtitur. Intereſt ſane Reipublicae, ne promiſcue omnibus negotiandi licentia detur. Intereſt, vt iam ARISTOTELES (p) monuit, *legibus definire, quibuſcum communicare ciues oporteat, cum quibus non oporteat.* Intereſt, ne exteri commerciorum obtentu quaeſtui inſiſtant, ciues diuitiis ſpolient, luxu aliiſque vitiis ac probris inficiant rempublicam, ſeque vel ipſos vel hoſtes rebus noſtris potentiores opulentioreſque efficiant. Quibus omnibus proſpicere, imperantis ſine dubio eſt officium.

§. V.

Ea prohibitio & ratione ſubditorum rata eſt, & ratione exterorum.

Iuſtam haec rationem habere in ciuibus, iiſque, qui cum noſtris negotiantur, nemo temere negauerit. Quod enim ad illos attinet, recte ait ZIEGLERVS (q): *Vti totum regimen ad principem ſpectat, ita etiam ab eius iudicio dependet, ea, quae neceſſaria aut vtilia reipublicae fuerint, definire, & in effectum deducere, neque ſubditis vlla tum competit poteſtas, ſcrupuloſo examine eadem perſtringere aut impedire.* Quum ergo nemini dubium ſit, quin ad neceſſitatem vtilitatemque reipublicae quam maxime pertineat, vt legibus certis ac perſpicuis, quae vel exportanda e regione ſint, vel admittenda ab exteris, definiatur, ſiquidem alias vel ciuium indigentia vel luxus impediri vix poteſt: facile patet, hanc quoque poteſtatem imperantibus, ſalua republica, non poſſe denegari. Sic iam olim Lycurgum, Spartanorum legiſlatorem, non ſolum ciues ſuos peregrinari, ſed & peregrinos in vrbe negotiari prohibuiſſe, auctor eſt PLVTARCHVS (r). Maiores noſtri nihil, quod ad luxum & mollitiem irritare ciues poſſet, ad ſe deferri paſſi ſunt. De Neruiis, ciſrhenano populo, CAESAR (s): *Nullum aditum eſſe ad*

(o) Plutarch. *in Pericle. p.* 168.
(p) Ariſtot. *lib.* VII. *polit. cap.* 6.
(q) Ziegler. *de iur. maieſt. lib.* I. *cap.* IV. §. 18.
(r) Plutarch. *in Lycurgo p.* 25.
(s) Caeſar *de bello Gall. lib.* II.

Digitized by Google

eos mercatoribus: nihil pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relangueſcere animos, eorumque virtutem remitti exiſtimarint, IDEM de Sueuis (t): *mercatoribus eſt ad eos aditus, magis eo, vt quae bello ceperint, quibus vendant, habeant, quam quod vllam rem ad ſe importari deſiderent.* De reliquis in vniuerſum Germanis TACITVS (u) obſeruat, *proximos tantum ripae & vinum mercari*, reliquis quippe Germanis plane ignotum. Contra ea de Solone refert PLVTARCHVS (x), ex fructibus ſolum eum oleum dediſſe peregrinis diſtrahendi facultatem, aliorum exportatione interdixiſſe, maxime ficuum, conſtitutis delatoribus, qui eorum exportationem indicarent, ideo ſycophantarum nomen adeptis. Alia huius generis exempla collegit IO. MICHAEL PICCARTVS (y). Eodem exemplo nuper admodum Galliae Rex & poſtea auguſtiſſimus Imperator adamantes ad ſe inferri venumque exponi vetuerunt, quemadmodum & Gallos ſericum; Anglos lanam & ſtannum inelaboratum & infectum exportari regnis ſuis non pati, nemini ignotum eſt. Quae omnia quis eos iure facere neget? Negare id quidem audent GROTIVS & (z) SIGISM. SCACCIA (a), qui exteris non hoſtibus commercia denegare cum ciuibus noſtris, inhumanum credunt, partim ob commerciorum libertatem, quae quum a gentibus ſemper magni aeſtimata fuerit, citra iniuriam impediri a nemine poſſit, partim quod commercia neceſſaria ſint ad conſeruandam ſocietatem humanam, adeoque nec hoc nomine poſſint ab vllo mortalium prohiberi. Ex quibus fundamentis Angli apud THVANVM (b) grauiter conqueruntur de Hiſpanis, quod libertas commerciorum ſibi ab ipſis contra ius gentium denegetur. Enimuero neutra ratio ita videtur comparata, vt ideo nobis deſerendum ſit vadimonium. Libertas commerciorum in ſtatu pacis ſalua eſſe debet. Eadem libertas vero etiam prohibet, quo minus quiſquam cogi poſſit ad merces ab exteris admittendas. Nec periculum eſt, ne ideo totius ſocietatis humanae ſalus in diſcrimen adducatur, ſi cum hac vel illa gente, cuius merces nobis parum neceſſariae videntur, commerciorum abrumpatur libertas. Multum enim, vt recte vidit ZIEGLERVS (c), intereſt,

(t) Idem *de bello Gall. lib. IV. cap. I.*

(u) Tacit. *de moribus Germ. cap. XXIII.*

(x) Plutarch. *in Solone p. 91. Athen. lib. III. cap. III. p. 74.*

(y) Piccart. *Obſeru. hiſtor. polit. decad. II. obſeruat. III.*

(z) Grotius *de iure belli & pacis lib. II. & cap. II. num. XIII. XVIII. XXII.*

(a) Scaccia *de commerc. §. I. quaeſt. I. num. XLVII.*

(b) Thuan. *lib. LXXI. ad annum* cIↄ IↄLXXX.

(c) Ziegler. *ad* Grotium *l. c. de iure maieſt. lib. I. cap. XLI. §. 21.*

intereſt; vtrum in vniuerſum prohibeantur commercia; an cum hac vel illa gente prohibeantur, neceſſitate reipublicae id exigente. Quemadmodum enim medicus aegrotantibus, ſaluo officio, interdicere nequit medicamentis, quum tamen pro morbi ratione huius vel illius medicinae vſu interdicere iure poſſit: ita dubium non eſt, quin ſalua commerciorum libertate princeps hanc vel illam gentem portubus ſuis arcere, aut certarum mercium vecturam legibus inhibere poſſit, niſi pactis foederibuſque aliud fuerit conuentum. Cuius rei exempla non experientia modo, verum etiam ipſum ius noſtrum (d) quam plurima ſuggerit.

§. VI.

An & exterorum cum exteris hoſtibus commercia prohiberi poſſint.

Sed quemadmodum haec omnia ſua luce radiare videntur: ita paullo obſcurius poteſt exiſtimari, an eo vſque progrediatur principis imperium, vt & exterorum cum exteris commercia, per mare prouinciis ſuis proximum inſtituta, vel legibus vel claſſibus armiſque turbare ei liceat? Quid enim principi in exteros imperii? Cur mercatores exteros ad exteros excurrere prohibeat, quum iſti iure ſuo vtantur, adeoque nemini faciant iniuriam? Quum ergo haec res non adeo ad liquidum perducta videatur: licebit & nobis hanc quaeſtionem tot eruditiſſimorum hominum calamis aeque ac potentiſſimarum gentium armis diutiſſime diſceptatam, paullo accuratius expendere.

§. VII.

Variae inter gentes ea de re concertationes.

Certe quam ſaepe potentiſſimi reges ac reſpublicae florentiſſimae ſibi hanc mouerint controuerſiam, quam ſaepe ea non dicam in litem, ſed in bellum ferociſſimum euaſerit, exempla fere innumera docent, quorum vel pauca hic retuliſſe ſuffecerit. Lubecenſibus ſaeculo XVI. eam ob cauſſam multum negotii faceſſebant Dani. Quum enim illi Suecis res neceſſarias aduehérent, Danique id prohibere non dubitarent: Maximilianus I. Imperator ea de re acriter contendit cum Ioanne, Danorum rege, eique, teſte MEVRSIO (e) per litteras denunciauit, ne commercia Lubecenſium in mari Baltico vllo modo turbaret. Quin & Germaniae principes edicto monuit, vt ad Lubecenſium tutelam contra Danum excubarent, neque vllos milites in regis ſtipendia per prouincias ſuas ire paterentur. Aſt iidem tamen Dani, qui Lubecenſibus eam ad hoſtes ſuos nauigandi libertatem dubiam reddere non dubitauerant, anno CIↃ IↃXCVII. miſſa ad Anglos & Batauos legatione libertatem come

(d) *l. 4. C. de commerc. & mercat.* (e) *Meurſ. hiſtor. Dan. lib. V. pag. 49.*

commerciorum cum Hiſpanis grauiter vrgebant (f). Eadem de re haut paullo maiore impetu circa annum CIↃ IↃLXXXIX. inter ſe litigarunt Angli & Poloni (g), nec non paullo poſt Angli & ciuitates Hanſeaticae, quibus illi, feruente adhuc bello, iure cum Hiſpanis negotiandi interdicebant (h): quum tamen paullo ante ipſa Eliſabetha Regina miſſis ad Batauos Guil. Wintero & Rob. Beale, proteſſa eſſet, ferre Anglos non poſſe, vt Bataui in ipſo belli aeſtu naues eorum ad portus Hiſpanicos detinerent (i). Quid ea de re inter Suecos & Batauos Angloſque in Liuoniam nauigantes noſtra aetate actum, quantoque animorum motu haec quaeſtio inter gentes illas potentiſſimas agitata ſit, nemo ignorat. Sic vtilitati ſuae numquam non ſeruiunt gentes, idque ſaepe iuri gentium conſentaneum iudicant, quod praeſenti rerum ſuarum ſtatui expedire animaduertunt, modo commerciorum libertatem tuiturae, ſi ita viſum fuerit, modo eamdem, ſi conſultius id arbitrentur, impediturae.

§. VIII.

Sententia Grotii & Ziegleri.

Ad quaeſtionem ipſam demum vt redeamus, eam, vt ſolent, erudite tractarunt GROTIVS (k), &, qui eius veſtigia legit, MARQVARDVS (l). Vterque rem omnem diſtinctionibus quibuſdam quam accuratiſſime explicari poſſe exiſtimat. Primo ergo diſtinguunt res ipſas, quarum aliae in bello tantum vſum habeant, vt arma: aliae voluptati tantum inſeruiant: aliae & in bello & extra bellum vtilitatem adferant, vt pecuniae, commeatus, naues, & quae nauibus adſunt. De primo genere extra omnem dubitationem poſitum eſſe, eiuſmodi mercium vecturam ad hoſtes poſſe prohiberi, quum in hoſtium partibus eſſe videantur, qui iis ad bellum neceſſaria ſubminiſtrant. Secundum genus querelam non habere, quia eiuſmodi res neque maiores vires addant hoſti, &, ſi quod ſuperſit eius robur, infringant. Vnde & SENECA (m) non negandum tyranno putat beneficium, *quod illi neque vires maiores daturum ſit in*

(f) Meteran. *hiſt. Belg. lib. XVIII. p. 775. ſeqq.*

(g) Cambden. *hiſt. Eliſab. ad ann.* CIↃ IↃLXXXIX. CIↃ IↃXCV. & CIↃ IↃXCVII. Meteran. *hiſt. Belg. p. 760. ſeqq.* Grot. *lib. I. hiſt. Belg. ad ann.* CIↃ IↃLXXIX.

(h) Teſmar. *ad* Grot. *de iure belli & pacis lib. III. cap. I. §. V. p. 737.*

(i) Rhodan. *hiſt. Batau. ad ann.* CIↃ IↃLXXV. Cambden. *hiſt. Eliſab. ad ann.* CIↃ IↃLXXVI. Meteran. *hiſt. Belg. lib. V. pag. 192.*

(k) Grot. *de iure belli & pacis lib. III. cap. I. §. V.*

(l) Marquard. *de iure mercat. lib. I. cap. XVI. n. 34.*

(m) Seneca *de benefic. lib. VII. cap. XX.*

Digitized by Google

in exitium commune, nec confirmaturum, quas habet. In tertio genere diſtinguendum eſſe belli ſtatum, diſpiciendumque, princepsne tueri ſe non poſſit, niſi, quae hoſti ſubmittantur, interceperit, (tunc enim neceſſitatem ius dare,) an hoſti paene a nobis iam perdomito eiuſmodi res ſubuehantur, quibus vires eius paene iam infractae poſſent reſtitui: (tunc enim exteros cum hoſte negotiantes nobis de damno culpa dato teneri,) an porro damnum nondum dederint, ſed dare tamen voluerint (tunc enim ius eſſe rerum retentione eos cogere, vt de futuro obſidibus, pignoribus aliisue modis caueant,) an denique euidentiſſima ſit hoſtis iniuſtitia; (tunc enim illos, qui illum quocumque modo confirment, iam non ciuiliter amplius de damno, ſed & criminaliter ad ſupplicium obligari.) Haec GROTIVS & MARQVARDVS. Paullo aliter rationes iniit ZIEGLERVS (n). Quamuis enim de primi ac ſecundi generis mercibus cum GROTIO ſentiat: ad tertium vero quod attinet, concedat, prohibitionem fieri non poſſe per modum imperii, eo, quod imperio noſtro negotiatores iſti non pareant: fieri tamen poſſe exiſtimat denunciationem, quam ſi inſuper habuerint exteri, magis excuſatam fore manus iniectionem. Intereſſe tamen adhuc putat, vtrum ſuo nomine mercatores hoſtibus eiuſmodi res ſubminiſtrent, an publico principis aut ciuitatis. Illo caſu, quia non animus hoſtilis, ſed ſolum lucri ſtudium mercatores agat, non ſtatim idem in eos, quod in hoſtes, decernendum eſſe. Hoc vero, quia publica cauſſa iam ſatis oſtendat, hoſtilem eſſe illum ſubuectionis actum, etiam negotiatoris deteriorem fore conditionem, nec aliam, quam ipſius hoſtis. Multa etiam obuertit theſi iſti, qua GROTIVS ea, quae hoſti ſubmittuntur, tum demum intercipi poſſe ſtatuit, ſi nos aliter tueri nequeamus. Eam enim ex principio illo GROTII (o) de communione primigenia, in caſibus extremae neceſſitatis reuiuiſcente, ab ipſo ZIEGLERO (p), PVFFENDORFIO (q) & OBRECHTO (r) ſatis iam profligato, falſo deriuari obſeruat, quum longe commodius ex hoſtili eiuſmodi negotiatorum animo deduci poſſit. Tanta hac quidem in re ſunt eruditorum diuortia.

§. IX.

Enimuero rem paullo accuratius, adhibita in conſilium ratione, expen- *Prohiberi eiuſmodi commer-*

(n) Ziegler. *de iur. maieſt. lib. I. cap. XLI.* §. 17.

(o) Grot. *de iure belli & pacis lib. II. cap. II. §. VI.*

(p) Ziegler. *ad Grot. l. c.*

(q) Puffendorf. *ius nat. & gentium lib. II. cap. VI. §. VI.*

(r) Obrecht. *Obſeru. ad Grot. l. c. p.* 108.

cia poſſe demonſtratur.

expendentibus facile adparebit, rem omnem facile ex ſanis iuris vniuerſalis principiis componi poſſe. De mercibus ad voluptatem vnice comparatis inter omnes conſtat, liberam eſſe oportere earum vecturam. Tantum abeſt, vt hoſti inde quidquam accedat roboris, vt potius idem illi detrimentum adferant, quod Hannibali *Capuae* deliciae, *quas ipſi Cannas fuiſſe* veteres (s) obſervant. Quare vix ſubeſt ratio, cur earum vectura neutrarum partium gentibus interdici debeat. Nec de primi generis mercibus, quae ad belli vſum primario comparatae ſunt, quiſquam temere dubitauerit, quin earum vectura impediri quouis modo poſſit. Perinde enim eſſe videtur, ſiue quis arma nobis intentet, ſiue hoſtibus eadem ſubminiſtret, nobis inferenda, & recte apud PROCOPIVM (t) Amalaſuntha, *in exercitu hoſtium eum cenſeri*, ait, *qui, quae ad bellum vſui ſint, hoſtili exercitui ſubminiſtrat.* Vnde notum ex LIVIO (u) eſt, hoſtium loco a Romanis habitos eſſe Epirotas & Teios, quod Anthiochum hoſtem pecunia & commeatu iuuiſſent. Aſt dum GROTIVS reliquas merces, quae & in bello & extra bellum vſum habent, non niſi quibuſdam caſibus certaque ratione prohiberi poſſe, arbitratur, in eo procul dubio eum fugit ratio. Nimirum vti recte vidit illuſtris COCCEIVS (x), omne illud ius occidendi, vaſtandi, eripiendi, quod extra bellum iniuriae inſtar eſſet futurum, ſola neceſſitate iuris noſtri tuendi recuperandique defenditur, illamque libertatem vtraque pars belligerantium pro ſe ſolet allegare. Quiſque illa HORATII (y) ingeminat:

> *Nec quiſquam noceat cupido mihi pacis. At ille,*
> *Qui me commorit, (melius non tangere, clamo,)*
> *Flebit.*

Quod ſi vero in defenſione illa quaeuis honeſta ratio eſt expediendae ſalutis: conſequens eſt, vt princeps omnia facere poſſit, ſine quibus ius ſuum tueri nequit, omniaque, quae huic defenſioni obiiciuntur, impedimenta remouere. Ergo eo iam caſu non quaeritur, an alteri ius ſit, hoſti noſtro aduehendi commeatum, aliaque, quae ei neceſſaria ſint, ſubminiſtrandi: ſed ſufficit, & nobis ius eſſe, contra quemcumque, qui defenſionem noſtram vel ancipitem magis vel difficiliorem reddit, arma expediendi. Sic eos;

(s) Liu. *lib. XXIII. cap. VI.*
(t) Procop. Gothic. *lib. I. cap. II.*
(u) Liu. *lib. XXXVI. & lib. XXXVII.*
(x) Coccei. *diſſert. de commiſſis* §. *XXIV. ſequ.*
(y) Horat. *lib.* II. *ſat.* I.

eos, qui hoſti noſtro ex foedere obligati auxilia ſubmittunt, iure ſuo agere, nemo negauerit. Sed nec magis negari poteſt, nobis licere armis eorum arma opponere. Eadem vero ratione pars belligerantium ius commerciorum impedire iure poteſt, ſi quocumque modo hoſtium viribus inde accedat cumulus, aut defenſio illi reddatur difficilior. Quis vero neget, commeatu, pecunia, nauibus, apparatuque nautico non minus augeri hoſtium vires, quam armis ipſis ſuppeditatis? Quare nihil aequius eſt, quam vt haec quoque hoſtibus aduecta intercipi poſſint, ceu iam a RICH. ZOVCHAEO (z), SELDENO (a), HERTIO (b) aliiſque eſt obſeruatum. Nihilominus tamen excipiendus eſſet caſus, ſi inter gentes conueniſſet, vt neutra alterius commercia turbaret, tametſi hoſtibus neceſſaria ſubueherentur. Quales conuentiones tametſi rariſſimae, non tamen plane ignotae ſunt, ceu vel exemplo pactionis Guſtaui I. Sueciae & Franciſci I. Galliae Regis patet, inter quos conuenit, *vt omnibus Sueciae ſubditis liberum eſſet, cum nauibus ſuis, mercibus & commerciis proficiſci ad Galliae hoſtes & inimicos, eorumque portus, regiones & terras, vbicumque eis commodum videretur, ſubſiſtere & commercari, abire & redire quandocumque vellent, ita vt ea de cauſſa non dicerentur violaſſe pacem, aut malo quid iis inferretur a Francia.* Ipſam pactionis formulam ſeruauit LOCCENIVS (c), quam hic exſcribere non vacat.

§. X.

Ceterum merces eiuſmodi, quarum vectura hoc modo prohibetur, Athenis ἀπόῤῥητα dicebantur, in eamque claſſem a SCHOLIASTA ARISTOPHANIS (d) referuntur lina, vtres, lignum, cera, pix, aliaque conficiendis inſtruendiſque nauibus idonea. Romae quoque notae erant *res, quae venire non poſſent*, vt & *quae exportari non debeant*, quarum bis in rubricis pandectarum (e) & codicis (f) fit mentio. Aſt medio aeuo vocari coeperunt CONTRABANDO *vel contrabando Wahren*, a vocabulo *bando*, quod idem eſt ac *bannum.* Quamuis vero huius vocabuli frequentiſſimus medio aeuo vſus, & multiplex ſit ſignificatio, ceu copioſe docuit CAR. DV FRESNE (g): praecipue tamen huc notio pertinet, quam e tabulario

Merces eiuſmodi vetitae vocantur CONTRABANDO *cur?*

(z) Zouch. *iur. faecial. ſect. VIII. quaeſt. 7. ſequ.*

(a) Selden. *de mari clauſo lib.* II. *cap.* XX.

(b) Hert. *ad* Puſend. *de iur. nat. & gent. lib. VIII. cap. VI.* §. *VII.*

(c) Loccen. *hiſtor. Sueciae. lib. V. ad annum* cIↄ IↄLIX.

(d) Ariſtophan. Scholiaſt. *ad nubes & equit.*

(e) Rubr. *lib. XVIII. D. Tit. I.*

(f) Rubr. *lib. IV. Cod. Tit. XL. & XLI.*

(g) Car du Freſne *in Gloſſar. med. & inf. Latin. Part. I pag.* 454.

lario Caſaurienſi & *vocabulario della Cruſca* protraxit, quod ſcilicet *bannum* vel *bandum* ſit *legge o decreto del principe o de' magiſtrati, notificato col ſuono di tromba del miniſtro publico*, id eſt, lex vel decretum principis vel magiſtratus ſonante tuba miniſtri publici promulgatum (h). Vnde conſequitur, vt CONTRABANDO nihil aliud ſit, quam quidquid contra publicam legem vel interdictum principis fit, adeoque *contrabande Wahren* ſunt merces, quarum vecturam ſummi imperantes vel publica lege, vel denunciatione ſaltim exteris facta, prohibuerunt.

§. XI.

Qualium mercium negotiatio vetita fuerit iure Romano ratione exterorum?

Quamuis vero medio demum aeuo natum ſit iſthoc vocabulum: tantum tamen abeſt, vt res ipſa tum demum innotuerit, vt potius iam iure Attico & Romano multarum rerum commercium vel inter ciues ipſos, vel cum gentibus exteris prohibitum eſſe, animaduertamus. Ab his vt capiamus primordia, plura ſunt, quae barbaris aduehi vetant Imperatores. Vt vero, quales hi ſint, eo rectius intelligamus, obſeruandum eſt, inualuiſſe initio apud Romanos diſtinctionem inter ciues & peregrinos, quos hoſtes etiam vocabat antiquitas. Et his quidem omnes accenſebantur etiam in orbe Romano, qui ciuitatis iura non impetrauerant, veluti ſocii & Latini nominis & Italici iuris, ipſique prouinciales, quos ſolos dum CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS V. C. (i) peregrinos adpellatos exiſtimat, procul dubio errat. Poſtea vbi Antoninus Caracalla ciuitatem cum omnibus in orbe Romano viuentibus communicauerat (k), ſoli libertini Latini & dedititiae conditionis *peregrini* habiti ſunt (l): ceteri omnes, qui Romanis parebant, AVGVSTINO (m) teſte, Romani; reliqui extra orbem Romanum *barbari* dicti ſunt (n). Vnde *eos ſolos in totius mundi ciuitate peregrinari*, ait SIDONIVS (o). Cum his ergo non omnium rerum erat commercium, multaeque adeo in legibus noſtris recenſentur res, quas ad eos aduehere nefas habebatur. Sic VALENTIS & GRATIANI Auguſtorum lege (p) cautum eſt, *vt ad barbaricum transferendi vini, olei & liquaminis nullam quiſquam habeat facultatem*.

(h) *Conf.* Caſtelli Dittionario *de' Viaggianti Italiano Tedeſco ſub voce* banno.

(i) Schwarz. *diſſert. de iure Italic. cap. I.* §. I.

(k) L. 17. *D. de ſtatu homin.*

(l) Vlpian. *fragm. Tit. XX.* §. *XIV.*

(m) Auguſtin. *in Pſ. LVIII. Part. I. ſub fin. Conf.* Caſaub. *ad* Lamprid. Alex. Seu. *cap. V.* Iuſtell. *ad can. eccleſ. vniu. IV. p.* 95. *Tom. I.* Ez. Spanhem. *orb. Rom. exerc. II.* §. 10. *p.* 89.

(n) Briſſon. *de verb. ſignif. voce* barbarus.

(o) Sidon. *Apollin. lib. I. Epiſt. VI.*

(p) L. 1. C. *quae res expo rtari non deb.*

Digitized by

tatem, ne guſtus quidem cauſſa, aut vſus commerciorum. Oleum & vinum quid ſit, & quibus vſibus inſeruiat, nemo omnino neſcit. *Liquamen* vero, quod & γάρον vel *garum* adpellatur (q), erat condimentum ex piſce ſoluto confectum, quod in deliciis habebant veteres (r). Haec vero omnia barbaris inuidebant Imperatores, ne deguſtatis eiuſmodi deliciis pellecti, ſeſe prouinciis Romanorum infunderent. Hoc enim modo LIVIVS (s) Gallos, & PAVLLVS DIACONVS (t) Langobardos in Italiam pellectos fuiſſe referunt. Vnde non mirum, quod *ne guſtus quidem cauſſa, aut vſus commerciorum*, id eſt, ne quidem ad vſum ipſorum mercatorum, cum barbaris negotiantium, eas res in ſolum barbaricum deferri voluerint principes Romani. Eadem ſeueritate GRATIANVS, VALENTINIANVS & THEODOSIVS Auguſti (u) *purpuram vel in ſerico, vel in lana, quae blatta vel oxyblatta, vel ianthina dicebatur, nec non muricis vellus diſtrahi vendique vetuerunt*, addita ſanctione, vt is, qui poſtremum vendere auſus fuerit, capitis ſubiret diſcrimen. Omnia haec ſibi reſeruauerant principes Romani, tamquam maieſtatis ſuae inſignia, vnde ſua intereſſe exiſtimabant, ne haec inter barbaros vulgarentur (x). Iidem Auguſti (y) etiam *ſerici comparandi a barbaris facultatem omnibus, praeterquam comiti commerciorum, adimendam* exiſtimarunt. Quamuis vero hac lege non tam exportatio quam importatio rei prohibeatur: reuera tamen ea principum fuit intentio, vt ne aurum ad barbaros migraret. Pretioſa res habebatur ſericum, adeo, vt, VOPISCO (z) teſte, libra auri libra ſerici aeſtimaretur. Intererat ergo reipublicae, ne tam vana merce aurum permutarent Romani, & barbaros ſtultitia ſua redderent opulentiores. Genuinam hanc fuiſſe legis noſtrae rationem vel ex eo patet, quod & alio loco (a) iidem principes ſanxerunt, *vt barbaris aurum non ſolum minime praeberetur, ſed etiam, ſi apud eos inuentum fuerit, ſubtili auferretur ingenio: vtque ſi vlterius aurum pro mancipiis vel quibuscumque ſpeciebus ad barbaricum fuerit translatum a mercatoribus, non iam hi damnis, ſed ſuppliciis ſubiugarentur, iudice etiam tamquam conſcio criminis punito, ſi repertum non vindicauerit.* Quid? quod non ſolum ad barbaros nihil harum rerum exportari volebant

 Impe-

(q) L. 3. §. 1. D. *de penu. legat.*

(r) Cuiac. *lib. IX. obſ. IX.*

(s) Liuius *lib. V. cap. XXXV.*

(t) Paul. Diac. *hiſt. Langob. lib. I. cap. vlt.*

(u) L. 1. C. *quae res venire non poſſunt.*

(x) L. *fin.* C. *de veſtibus holoſer.*

(y) L. 2. C. *quae res ven. non poſſ.*

(z) Vopiſc. *in Aurelian.*

(a) L. 2. C. *de commerc. & mercat.*

Imperatores, verum etiam ipſos barbaros ad portus & emporia ſua omnino non admittendos exiſtimabant. Vnde HONORIVS & THEODOSIVS Auguſti (b) mercatores tam imperio ſuo, quam Perſarum regi ſubiectos vltra ea loca, in quibus foederis tempore cum memorata natione conuenerat, nundinas exercere prohibuerunt, addita elegante ratione, *ne alieni regni, (quod non conuenit,) ſcrutarentur arcana.* Quum ergo ſua intereſſe crederent Romani, vt barbarorum luminibus officerent, neque eos vel prudentiores, vel ditiores potentioreſque fieri paterentur: nemo dubitabit, quin multo magis armorum exportationem inhibuerint. Quo pertinet lex MARCIANI Imperatoris (c), qua ſanxit, *vt nemo alienigenis barbaris cuiuſcumque gentis, vel ſublegationis ſpecie vel ſub quocumque alio colore Conſtantinopolin venientibus, aut in diuerſis aliis ciuitatibus vel locis loricas, ſcuta & arcus, ſagittas & ſpathas & gladios, vel alterius cuiuſcumque generis arma, vel ferrum, ſiue factum ſiue infectum, auderet venundare*, comminatus iis bonorum vniuerſorum publicationem, & capitale ſupplicium, qui huic legi non paruerint. Elegans & hic additur ratio, *perniciosum eſſe Romano imperio, & proditioni proximum, barbaros, quos indigere conueniat, telis, vt validiores reddantur, inſtrui.* Ea ſcilicet tum erat orbis romani conditio, vt cum barbaris aut bellum eſſet, aut belli praeparatio, aut pax quam maxime infida. Hinc nec pacis tempore iis ſubminiſtrari volebant ea, quae iam veteres Romani hoſtibus aduehere prohibuerant. Qua de re praeclarus exſtat locus IVLII PAVLLI (d): *Cotem ferro ſubigendo neceſſariam hoſtibus quoque venundari, vt ferrum & frumentum & ſales, non ſine periculo capitis licet.* Ex quibus locis ſimul diſcimus, Romanos non ad GROTII mentem ſuas attemperaſſe leges, ſed ea quoque, quae tum extra tum intra bellum uſum habent, quin & ad voluptatem comparata ad hoſtes deferri vetuiſſe, eoque frequentius eiuſmodi condidiſſe leges, quo magis reipublicae intereſſe animaduertebant, ne earum violatione hoſtes ſuos ditiores ferocioreſque redderent.

§. XII.

Quarum negotiatio inter ipſos ciues prohibita?

Quemadmodum vero haec omnia ad commercia cum barbaris inita pertinebant: ita negotiationes non nullae inter ipſos ciues Romanos erant prohibitae. Talis erat ille chriſtianorum mancipiorum mercatus, quo fiebat, vt plurima in Iudaeorum poteſtatem

(b) L. 4. C. *de commerc. & mercat.*
(c) L. 2. C. *quae exportari non deb.*
(d) Paull. *Recept. ſent. lib. V. Tit. XII. & L. II. pr. D. de public. & vectigal.*

Digitized by

tem non ſine ſummo religionis ſuae diſcrimine peruenirent. Hoc enim hominum genus, proſelytos faciendi ſtudioſiſſimum, miſeros illos ſeruulos duriſſime tractabat, vt pertaeſi illius miſeriae & ſpe melioris conditionis pellecti, religioni ſuae mitterent repudium, ſeque ſynagogae adiungerent. Hinc HONORIVS & THEODOSIVS Auguſti (e) anno erae chriſtianae CCCCXVII ſanxere, *vt ne Iudaeus ſeruum chriſtianum comparare, aut quocumque titulo conſequi poſſet. Si quis vero vllum eiuſmodi mancipium poſſederit, aut circumciderit, is capitali ſententia puniretur, ipſo ſeruo pro praemio libertate donato.* Quamuis vero ea lex de ſolis Iudaeis loquatur: in rubrica tamen ipſa prohibetur, *ne chriſtianum mancipium* HAERETICVS *vel* IVDAEVS *vel* PAGANVS *habeat, vel poſſideat, vel circumcidat.* Et in BASILICIS (f) re ipſa ea lex porrigitur etiam ad *Graecos*, id eſt, deorum cultores, *Samaritanos & alios haereticos, id eſt, non exiſtentes orthodoxos*, quamquam capitali illi ſupplicio alia paullo mitior poena XXX librarum ſurrogatur. Quemadmodum vero haec lex inſtar antidoti aduerſus corruptionem animi erat: ita aliis ſanctionibus iam olim corpori conſulere ſtuduerant, vetito quippe veneni mali commercio, ex quo facile detrimentum capere poterat reſpublica. Sane ad edictum prouinciale notauit CAIVS (g), *putare quoſdam*, VENENI MALI *non contrahi emtionem, quia nec ſocietas aut mandatum flagitioſae rei vllas vires habeat*. Quod quamuis ipſe non ita in vniuerſum admittere velit, eo quod hoc tum demum iuſtam rationem habeat, ſi res nullo modo adiectione alterius materiae vſui nobis eſſe poſſit: ex lege tamen Cornelia de ſicariis (h) capitale erat, venenum malum necandi hominis cauſſa conficere, habere, vendere. Quod deinde variis ſenatus conſultis & principum conſtitutionibus ad eos porrectum eſt, qui vel *conceptionis* (i), *vel libidinis* (k), *vel abortionis* (l), *vel alienandae mentis* (m) cauſſa venena vendiderint. Eodem modo in commercio non erat frumentum tum publici canonis (n), tum quod exercitui mittebatur (o). Illud ſi quis vel emeret vel venderet, capitali vterque ſupplicio plectebatur. Huius emtio in vilioribus perſonis capitali ſupplicio;

 in

(e) *L. vn. C. ne Chriſtian. mancip. haeret. vel Iudaeus.*

(f) Baſilic. *lib. LX.*

(g) L. 35. §. 2. *D. de contrah. emt.*

(h) *L. 1. §. 1. L. 3. princ. D. ad L. Corn. de ſicar.*

(i) *L. 3. §. 2. D. ad L. Corn. de ſicariis.*

(k) *L. 4. C. de malef.*

(l) L. 38. §. 5. *D. de poen.*

(m) Nouell. *CXV. cap. IV.* §. 5.

(n) *L. 3. C. quae res venire non poſſ.*

(o) L. 4. C. *eod.*

in honeſtioribus proſcriptione & publicatione bonorum coercebatur. Erat vero frumentum publici canonis, quod & *canon* (p), *commeatus* (q), *canon vrbicarius* (r), & *entheca populi Romani* (s) dicitur, penſio annonae, quae a prouincialibus poſſeſſoribus populi vſibus annis ſingulis ſubmittebatur, vt ex eo populo Romano panis miniſtraretur a piſtoribus (t). Quum vero annona Romana externis potius quam domeſticis praeſidiis niteretur, & nulla re facilius vulgus ad ſeditionem conſternari ſoleat, quam metu feriarum eſurialium: tanta animi contentione annonae publicae curam ſuſceperunt principes Romani (u), ut ANNONA AVGVSTA inter ſolemnia, quibus eorum laudes in nummis conſecrabantur, elogia in primis emineat (x). Quare ne quidquam huius frumenti a priuatis vel exteris interciperetur: tam ſeuera lege eius mercatum prohibere placuit. Eademque ratio ſuaſit, vt & commeatus ad exercitum deſtinati emtionem priuatis inhiberent, haut ignari, & illum fame non modo rebus gerendis inidoneum reddi, verum etiam ad ſeditiones facile incitari. Metus iſte ſeditionum etiam iam olim ſubegerat Romanos, vt deuictis gentibus & male obſequioſis arma adimerent, cuius rei exempla haut pauca exſtant apud IVL. CAESAREM (y) & TACITVM (z). Id vero ad omnes porrexit IVSTINIANVS (a), a quo lege publica cautum legimus, ne quiſquam priuatorum arma conficere auderet, niſi ſit ex numero fabricenſium, neue priuati arma emerent geſtarentque, praeter cultellos minores, quibus nemo in praeliis utatur. Priuatorum ergo non ſolum commercio, ſed & fabricationi Imperator exemit arma, eamque operam ſolis demandauit fabricenſibus, qui iam olim fabricandis armis locare operas conſueuerant, & ſub primiceriis fabricae huic labori inſudauerant (b), a curialibus ideo muneribus immunes (c), ſed adeo tamen huic vitae generi adſtricti, vt illud deſerere non poſſent, & in fuga deprehenſi ſtigmate vrerentur (d).

§. XIII.

(p) L. 30. C. *Theod. de annona.*

(q) L. 32. C. *Theod. de nau. cular.*

(r) L. 3. C. *Theod. de can. frum.*

(s) L. 13. C. *Theod. de oper. publ.*

(t) Iac. Godofr. Parat. ad Cod. Theodoſ. *lib. XIV. tit. XIV. pag. 125. Tom. V.*

(u) Boecleri *Exerc. de annona ſub Imperat. Rom. Tom. II. Exerc. XVI. p. 512.*

(x) Occo *Numiſm. p. 122. 189.*

(y) Caeſar *de bello Gall. lib. II.*

(z) Tacit. *Annal. lib. XII. cap. XXXI. & Hiſt. lib. II. cap. LXIV. & LXVI.*

(a) Novell. *LXXXV. cap. I. & ſequ.*

(b) L. 4. 5. 6. C. *Theod. de fabricenſib. lib. X. tit. 22.*

(c) *L. 37. & 81. C. Theod. de decurion.*

(d) L. 4. *Cod. Theod. de fabricenſib.*

§. XIII.

Quid ius canonicum circa merces vetitas ſtatuerit?

Sunt etiam commercia quaedam iure canonico vetita a pontificibus, de quibus ipſis quoque facere non poſſumus, quin aliquid moneamus. Maxime hanc eorum ſollicitudinem incitarunt expeditiones illae ſacrae, ad quas ſuſcipiendas variis artibus & pollicitationibus totum chriſtianum orbem pellexerant, vt eo liberius in vacuis principum palatiis dominarentur. Vt ergo tanto auſpicatius ſacrum iſtud bellum gereretur: variis bullis vetuerunt, ne quis Saracenis arma vel commeatum ſubueheret. Sic ALEXANDER PAPA III. (e) Romae in concilio Lateranenſi anno CIↃCLXXIX iis omnibus non modo diras ſed & ſeruitutem & rerum vetitarum amiſſionem minatur, *quorum animos ita occupaſſet ſaeua cupiditas, vt Saracenis arma, ferrum, & ligamina galearum ſubminiſtrarent, vel in galeis & piraticis Saracenorum nauibus regimen & curam gubernationis exercerent.* Nec mitior CLEMENS PAPA III. (f) CIↃ CX. ne eos quidem, qui Alexandriam redimendorum captiuorum cauſſa erant nauigaturi, portu ſoluere paſſus eſt, niſi iureiurando adactos, *ſe nihil in mercibus ſuis vel alio modo ſecum illuc deferre, vnde poſſit Saracenis, excepto redemtionis articulo, aliquod commodum aut ſubſidium prouenire.* Sed & iis diras minatus eſt, qui induciarum tempore merces prohibitas, lucrandi animo, eo detulerint. Quin ne quemquam fugeret inclementiſſimi Clementis ſeueritas, eodem anno (g) decreuit, *vt qui iam amplius cum Saracenis mercimonia habuerint, ſiue per ſe, ſiue per alios, nauibus vel quocumque alio ingenio, eis aliqua rerum ſubſidia ſeu conſilia, bello feruente, impendenda duxerint, omnes abſtenti eſſent, & a ſacrorum vſu excluſi.* Preſſit anteceſſorum veſtigia INNOCENTIVS III. (h), qui ALEXANDRI III. decretum firmauit, addiditque, iis, qui Saracenis quidquam aduexiſſent, *gremium eccleſiae non eſſe aperiendum, niſi totum, quod ex commercio tam damnato perceperint, & tantumdem de ſuo in ſubſidium terrae ſanctae tranſmiſerint, vt aequo iudicio, in quo deliquerint, punirentur.* Nec minus denuo hanc legem firmarunt anno CIↃCCCX. CLEMENS V. (i), & anno CIↃCCCXVI. IOANNES XXII. (k) quorum verba hic legere parum refert. Tanta fuit pontificum Rom. in vindicando hoc crimine ſeueritas. Et operae ſane pretium videbatur, his legibus auiditatem perfidiamque hominum coercere, vt eo ſpecioſius ſibi pontifices

(e) *cap. 6. X. de Iud.*
(f) *cap. 11. X. de Iudaeis.*
(g) *cap. 12. X. eod.*
(h) *cap. 17. X. eod.*
(i) Extrau. *comm. multis 1. de Iud.*
(k) Extrau. *copioſius I. de Iud. & Saras.*

ſices ius belli & pacis in orbe Chriſtiano vindicarent, & uniuerſalem illam Chriſtianorum rempublicam, cuius ipſi rectores moderatoreſque eſſent, ſtabilirent. Id enim vnice propoſitum habuiſſe praeſules Romanos, dum claſſicum belli ſacri cecinerunt, iam ab ALBERTO AQVENSI (l) aliiſque praeſtantiſſimis viris (m) eſt obſeruatum.

§. XIV.

Quid hodie CONTRABANDO *iure & conſuetudine gentium ratione exterorum?*

Sed quum neque ius Romanum neque canonicum genuinum ſit controuerſias inter gentes ſopiendi fundamentum: noſtrum erit, paullo adcuratius inquirere, quaenam hodie merces inter gentes contrabando habeantur. Paucis dicimus, quod iam ſupra demonſtratum eſt, imperantium eſſe, diſpicere, quas merces admittere, quas cum exteris communicare velint, vt adeo hic longam earum rerum texere ſeriem ſuperuacuum videatur. Ad hoſtes vero quas merces deferre nefas habeatur, pluribus inter gentes conuentionibus eſt explanatum. Exſtant eam in rem TRACTATVS HISPANIAE REGIS cum Belgis (n), REGIS GALLIÆ cum ciuitatibus Hanſeaticis (o), eiuſdem cum Batauis (p), ANGLORVM cum Polonis (q) & Suecis (r) aliique huius generis complures, in quibus mercibus vetitis accenſeri animaduertimus omnia arma igniuoma, eorumque adparatus, qualia ſunt tormenta, bombardae, mortaria, betardae, bombi, granatae, circuli picei, tormentorum ſuſtentacula, furcae, balthei, puluis nitratus, reſtes igni capiendo idoneae, ſal nitrum, globi, item haſtae, gladii, galeae, caſſides, loricae, bipennes, ſpicula, equi, ephippia, aliaque inſtrumenta bellica. Quin & triticum, hordeum, auena, legumina, ſal, vinum, oleum, vela, reſtes, & ſi qua alia ad adparatum nauticum pertinent. Quamuis enim alter populus forſan ſuo iure vtatur, dum talia hoſti alterius ſubminiſtrat: nec minus tamen iure ſuo vtitur, qui ſe aduerſus illos defendit, qui hoſtem reddere potentiorem non dubitant. Ceterum ſunt quaedam, de quibus inter gentes aliquando diſceptatum eſt, an mercibus vetitis ſint accenſenda. Sic de vaginis aliquando dubitatum, refert REINOLDVS KÜ-

RIKE

(l) Alb. Aquenſ. *Chron. Hieroſolym. lib. IV. cap. XXVIII.*

(m) Reinecc. *Praefat. Hiſtoriae orient. praemiſſ.* Buddaei *Diſſ. de expedit. cruciat.* §. 19. *ſequ.*

(n) Leon. ab Aizm. *hiſt. pac. Belg. pag.* 710.

(o) Diar. *Europ. contin. VI. in adpend.*

(p) Diar. *Europ. contin. VII. art. XXVII.* §. 368.

(q) Meteran. *hiſt. Belg. loc. cit.*

(r) Diar. *Europ. contin. VII, Art. XI. p.* 364.

KIKE (s), an vna cum armis deferri prohibitis cenſeantur prohibitae? Sed quemadmodum ipſe auctor prudentiſſimus quaeſtionem adfirmandam exiſtimat: ita praeclare obſeruat, in inſtrumento foederis REGIS GALLORVM cum Belgis (t) vaginarum negotiationem reliquis commerciis vetitis diſerte fuiſſe accenſitam. Et ſane cur accenſeri eas non oporteat, nulla videtur eſſe idonea ratio. Vaginis non minus opus eſt hoſti, quam gladiis: & quamuis vaginis non vulneret aut ſtragem edat: inutiles tamen eſſent ipſi gladii futuri, niſi vaginae eos a pluuia & rubigine tuerentur. Eadem ergo ratio, quae vela, reſtes nauticas, frumenta, prohiberi ſuaſit, ipſis etiam vaginis facile poterit accommodari. Multo acrius inter Hiſpanos & Anglos diſputatum eſt de herba Nicotiana (u), vtrum illam hoſtibus ſubminiſtrare liceat? Negabant Hiſpani, qui illam rebus ad victum comparatis accenſebant, adeoque non minus intercipi poſſe iudicabant, quam ſalem. Aſt in alia omnia ibant Angli, quod herbam iſtam non nutrire vllo modo putarent. Hinc quum in tribunali maritimo Hiſpanico herba iſta Nicotiana iure intercepta iudicaretur: Angli litteras repreſſaliarum ad ſarcienda damna decreuerunt. Sed vt dicamus, quod res eſt, non tam hic quaeri videtur, an aliquid nutriat, quam an hoſtis eo commode carere nequeat, adeoque eo impetrato aduerſus nos procedat inſtructior? Talem eſſe herbam Nicotianam, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Exercitus enim ſub humido aere varioque caelo pro ſalute reipublicae excubans, deficiente hac herba, non magis ſe beatum aut inſtructum putabit, quam ſi ferias ageret eſuriales. Quo magis ergo intereſt gentis, ne aduerſus hoſtem probe inſtructum arma ferat, eo minus illi vitio vertendum, ſi haec exercitui deſtinata intercipiat.

§. XV.

Qualnam merces a priuatis venire prohibeat ius Germanicum?

Ne quis vero iure nos reprehendere videatur, quod diutius terra marique peregrinati, quid domi noſtrae praui rectique geratur, nondum expenderimus: proximum erit, vt & in merces Germanico iure vetitas inquiramus. Antiquiſſimis temporibus ab omnium rerum exterarum commercio abhorruiſſe maiores noſtros, iam ſupra ex IVLIO CAESARE & TACITO demonſtrauimus. Poſtea etiam res exteras admittere coeperunt: ſed tamen, vt recte a CON-

(s) Kürike *iur. maris hanſeat. in annexis Quaeſt. illuſtr. Quaeſt. XVIII. p. 75.*

(t) *Tract. Regis Gall. cum. Belgis art. 170. in Diar. Europ. cont. VII. Art. XXVII.*

(u) Zouch. *iur. & iudic. faecial. Part. II. Sect. VIII. n. XII.*

CONRINGIO (x) obſeruatum eſt, rarus per Germaniam; & non niſi viliorum fuit commerciorum vſus, vſque ad annum a nato ſeruatore fere milleſimum centeſimum. Hactenus quidem paucae peregrinae merces, & vix aliunde quam ex Italia adlatae, oceano omni Normannorum piratica infeſto, & Germanicis nauibus paene ignoto. Primi ſeptentrionales populi mare Germanicum tentarunt, & proximi eidem mari Venedi, quorum nobile ad oceanum emporium Rerich, iam a Godofredo Danorum rege deſtructum, commemorant veteres FRANCORVM ANNALES (y). Nec minus Iulinum, Venedorum emporium, iam ſaeculo vndecimo florenti ſimum, celebrant ADAMVS BREMENSIS (z) & HELMOLDVS (a). Paullo poſt & Hanſeaticum illud foedus, CONRINGIO (b) teſte, inualuit, ex eoque tempore ita vbique effloruerunt commercia, vt Germania rerum & ad neceſſitatem & ad commodiorem vitae vſum pertinentium adfluentia, nulli terrae cederet. Quemadmodum vero tunc fieri ſolet, vt multa, quibus vix carere poteſt reſpublica, exportentur, multa, quae ciues ad luxuriam aliaque vitia publice noxia incitant, aliunde aduehantur: ita dandam ſibi operam exiſtimarunt imperii proceres, vt, quarum rerum commercia vetanda ſint, legibus publicis definirent. Sic CONSTITVTIONE CRIMINALI (c) cautum eſt, ne venena publici fiant commercii, ius iurandumque a pharmacopoeis exigatur, ſe inſcio magiſtratu nemini illa tradituros. Quum enim facile his rebus ad veneficia, mortemque voluntariam abuti ſoleat malitia hominum, nec raro imprudente earum tractatione ingens detrimentum capere poſſint integrae familiae: e republica profecto fuit, venenorum omnium commercium cohibere. Eam vero legem deinde mirifice paſſim perpoliuerunt leges prouinciales, maioris cautionis ergo ſtatuentes, ne venenorum thecae reliquis thecis miſceantur, vt in vendendis illis ſingularis libra adhibeatur, ne prouiſores, quos vocant, illa cuiquam tradant, vt nemini vendantur, niſi ipſis patribus familias integrae famae, vel illis, qui litteras ab iis ſcriptas obtulerint, vſum ſimul eorum indicaturas, & quae ſunt huius generis alia (d). Prudenter etiam legibus Germaniae publicis

(x) Conring. *de vrbib. Germ.* §. *LXXXV.*

(y) Annal. Franc. *ad an.* IↃCCCVIII.

(z) Ad. Brem. *hiſt. eccleſ. cap.* LXVI.

(a) Helmold. *Chron. Slau. lib.* I. *cap.* II.

(b) Conring. *l. c.* §. XLV.

(c) Conſtit. Crim. Carol. *art. XXXVII.* *§. fin.*

(d) Apothecker Ordnung der Stadt Lübeck *de anno* 1606. *cap. IV. art.* I.

blicis prohibitum legimus (e), ne quis chriſtianus cum Iudaeo aliter quam in foro domicilii chriſtiani ineat contractum, nec quiſquam actiones obligationeſque aduerſus chriſtianum a Iudaeo emat, addita poena amittendi crediti, ſi quis ius Iudaei in ſe transtulerit. Immo & magiſtratui leges minantur infamiam & remotionem ab officio, qui ſuper huiuſmodi prohibita venditione inſtrumentum conficere auſus fuerit (f). Vnde fruſtra a tali prohibitione eximunt emtionem, eiuſmodi actis inſinuatam, quum vitioſus actus alio aeque vitioſo ſuſtineri non poſſit (g). Nec melius componunt rationes, qui cum CARPZOVIO (h), RICHTERO (i) aliiſque iureconſultis Saxonicis hanc prohibitionem ad debita tantum vſuraria, & a iudice non confirmata, reſtringendam exiſtimant. Nam harum actionum ceſſionem prohibere, ſuperuacuum erat, quum iam tum vſurarii eiuſmodi contractus ipſo iure nulli haberentur (k). In Saxonia tamen & aliis prouinciis ſententiam CARPZOVII alteri praeferri ſatis notum eſt, & pluribus exemplis a PHILIPPI (l), SCHILTERO (m) & MENCKENIO (n) demonſtratur. Vnde non mirum eſt, & ZIEGLERVM (o), STRYKIVM (p) alioſque accuratiſſimos iureconſultos pedibus diſcedere in CARPZOVII ſententiam. Eiuſdem generis in Germania noſtra ſunt leges, quibus certa pannorum genera prohibentur. Sic quum animaduerſum eſſet, mercatores pannos laneos nimis extendere ſolere, (*daſs die Tücher an den Rahmen allzuviel geſtrecket vverden, und demnach dem Käuffer ein mercklisches davon im Waſſer abgehe, auch zu Zeiten die Tücher blatterischt vverden,*) primum anno CIↃ IↃXLVIII. (q) cautum eſt, ne eiuſmodi panni extendantur, nec, niſi antea humefacti & detonſi, venirent, aut ita

 venditi

(e) *Rec. imp. de anno* CIↃIↃLI. §. *dieſem zu begegnen vers. Es ſoll auch kein Chriſt. Ordin. Polit. de anno* CIↃIↃLXXVII. *Tit.* 20. §. *Es ſol auch kein Chriſt.*

(f) *Receſſus imp.* CIↃIↃLV. §. *zu dem vvollen.*

(g) Richt. *Dec.* XXXVI. *n.* XII. *ſequ.* Lenz. *de nomin. ceſſion. cap. XXVI. memb.* I. *num. XI.*

(h) Carpz. *lib. V. Reſp. XXXVIII. & part.* II. *conſt. XXXV. defin. XLV.*

(i) Richter. *l. c.*

(k) *Vid. ipſe receſſ. Imp.* CIↃIↃLV. §. *dieſem zu begegnen, ib. nichtig und unbündig ſeyen. conf.* Lauterb. *Colleg. pract. lib. XVIII. Tit. IV.* §. *XXIIII.*

(l) Philippi *ad Deciſ. Elect.* XXVIII. *obſeru.* VI.

(m) Schilter. *ad Pandect. Exerc. XXX.* §. LXXVII.

(n) Mencken. *diff. iur. comm. & Saxon. ad Hub. p. m.* 49.

(o) Ziegler. *de iurib. Iudaeor. cap. V. n.* XXIII.

(p) Stryk. *de iur. & act. non ceſſibil. cap.* I. *§.* III. *p.* 6.

(q) *Reform. Pol. anni* CIↃIↃXLVIII. *Tit. von Verkauffung der vvollenen Tücher* §. *Dievveil auch befunden.*

Digitized by Google

venditi a fiſco vindicarentur. Poſtea anno cIↃ IↃLI. (r) hoc ad pannos Londinenſes alioſque exteros reſtrictum, de Germanicis vero diſpoſitum eſt, *das berührte gemeine Tücher, die in der teutſchen* Nation *gevvebet vverden, damit der gemeine Mann ſich deren auch zu gebrauchen hab, und dieſelben zu Nutz gebracht vverden, dergeſtalt an die Rahmen angeſchlagen, und das nachmahls dieienigen, ſo ſolche Tücher im H. Reich teutſcher* Nation *mit der Ellen ausſchneiden vvollen, daſſelbige vermöge der Policey-Ordnung thun, und die Tücher genetzt und geſchoren verkauffen.* Aſt anno cIↃ IↃLXXVII. (s) denuo prior illa lex firmata, ſimulque vt omnes panni expanſi, & qui nec humefacti nec detonſi venduntur, fiſco cedant, mandatum eſt. In iiſdem comitiis (t) cautum, ne panni caerulei tincti colore corrodente, qui in receſſu vocatur, *die neulich erfundene, ſchädliche und betrügliche freſſende oder* corroſiv-*Farb, ſo man die Teufels-Farbe nennet*, vendantur, addita praeter confiſcationem pannorum infamiae poena grauique mulcta, ſi quis vel hoc colore pannos tingere, vel hoc modo tinctos diſtrahere auſus fuerit. Nec minore ſeueritate aromatum fraudulenter corruptorum, veluti zingiberis, colore tincti, nec non piperis, ſacchari & croci adulterini negotiationem receſſibus compluribus vetitam animaduertimus (u). Prudenter porro in Germania commercio exemtae ſunt fruges herbeſcentes & immaturae, vt & vuae nondum ad vindemiam maturae. In eadem enim ORDINATIONE POLITICA (x), quam vocant, cautum eſt, vt liceat quidem fruges & vindemiam futuram oppignorare, ſed ita vt iuſti pretii illius temporis ratio habeatur, aliaeque, quae ibi leguntur, cautiones obſeruentur, venditio vero frugum herbeſcentium & vinorum in vuis plane prohibeatur. Quae ratio imperatorem & imperii proceres induxerit, vt id vetuerint, facile patet. Solebant enim lucricupidi homines a colonis & vinitoribus, aeris indigis, totam ſpem meſſis vel vindemiae, nondum maturam, pretio minimo emere, eamque deinde collectam eo carius vendere. Iniuſtum vero eſt, auidos eiuſmodi homines alieno ſudore & ſanguine viuere, & pauperes his fraudibus redigere ad incitas. Hinc non mirum, quod ſaluberrima iſta lex ab ordinibus

(r) *Receſſ. Imp.* cIↃIↃLI. §. 73. *ſeq.*

(s) *Ord. Polit.* cIↃIↃLXXVII. *Tit.* XXI. §. *dievveil auch befunden.*

(t) Ibid. §. 3. *verb. Gleichfalls iſt uns glaublich furgebracht.*

(u) *Receſſ. Imp.* cIↃIↃLI. §. 85. & *ſequ. Ord. Polit.* cIↃIↃLXXVII. *Tit.* 24. *Von Verkauffung des Inguvers, Pfeffers, Saffrich, und andern Gevvürz und Specereyen.*

(x) *Ord. Polit.* cIↃIↃLXXVII. *Tit.* 19. §. *Hierauf ſetzen und ordnen.*

bus imperii non ſolum ſeruata, verum etiam ad ſimiles caſus porrecta ſit. Sic vetere ciuitatum Hanſeaticarum decreto ſtatutum eſt (y): *Nemo emet & vendet haleces, antequam captura ſit perfecta, nec frumentum ante meſſem, pannum aut alia artificialia manufactionis, priuſquam fuerint confecta & abſoluta. Si quis contra hoc quid tentet, tunc emtor perdet bona cuncta: venditor autem decem marcas argenti pro mulcta ſoluet. Qui talem contractum nullitatis arguet, ille ſextam partem ex bonis his confiſcandis pro praemio accipiet.* Denique multae hinc inde exſtant leges de vino diluto & corrupto, exempli gratia, ne quis vina medicamentis inficiat, nec vaſa, niſi ſulphure, idque ſemel & modice fumiget (z), vt extera tantum vina helenio, ſaluia, abſinthio herbiſque aliis innoxiis condita & confecta vendere fas ſit (a), vt procurator fiſci imperii, vini adulteratores, magiſtratu prius officii fruſtra admonito, poenam poſcat (b), vt denique vinum diluentes, vel calce aliiſque mixturis corrumpentes infamia, ſuppliciis, bonorum publicatione mulctentur (c), & quae ſunt huius generis alia. Sed mirum eſt, in tanta optimarum legum copia, omnes etiamnum de mercium eiuſmodi vetitarum adfluentia conqueri. Aſt fuere eheu tempora, quibus, TACITO (d) teſte, *plus apud Germanos valebant boni mores, quam alibi bonae leges.*

§. XVI.

Quemadmodum prohibere, ita & concedere Princeps commercia cum exteris poteſt certis legibus.

Hae ſunt merces, quas in commercio eſſe tum leges publicae, tum mores ac conſuetudines gentium prohibent. Latiſſimus hic ſe aperiret campus, in quo excurrere nobis liceret, & quas merces aliae etiam gentes vel ad ſe importari, vel exportari ex prouinciis ſuis nolint, paullo adcuratius ediſſerere. Sed otium nobis ea in re fecit MARQVARDVS (e), qui integro capite *de reſtrictione & coarctatione commerciorum, itemque iure prohibendae tranſuectionis mercium ſingulari* egit, variaque Gallorum, Scotorum, Italorum, Belgarum aliarumque gentium, quae huc faciunt, ſtatuta collegit. Quare omiſſa in praeſenti hac tractatione, potius id obſeruamus, imperantem ex principiis ſupra explicatis etiam eo iure

(y) Io. Aug. Werdenhagen *de rebuspubl. Hanſeat. Part.* IV. *cap. XI.* Marquard. *Iur. Mercat. lib.* III. *cap.* V. §. 13.

(z) *Receſſ. Imp.* cIↃCCCCXCVII. §. 1. *ſequ.*

(a) *Receſſ. Imp. eod. anno* §. *Item es ſollen auch Aland &c.*

(b) *Receſſ. Imp.* cIↃIↃ. *Tit. vom gemächt der Wein.* §. *Gemächt halben.*

(c) *Reform. Polit.* cIↃIↃXLVIII. *Tit.* 16. *von den Schiff-und Fuhr-Leuten* §. *nachdem auch zu Zeiten.*

(d) Tacit. *de moribus Germ. cap. XIX.*

(e) Marquard. *de iur. merc. lib.* I. *cap.* XVII.

re vti, vt commercia exteris quoque certis legibus concedere poſſit. Quum enim ea iure quodam ſuo certis caſibus plane prohibeat: non video, quid eum impediat, quo minus & conceſſis certas leges dicere, adeoque, quibus conditionibus illa libera eſſe debeant, edicere queat. Sic in commerciis maritimis obſeruari ſolet, vt naues mare vel portum peregrinum ſubeuntes, reuerentiam ſuam ſigno aliquo teſtentur, id quod iam olim apud Romanos fieri conſueuiſſe, praeclare docet LIPSIVS (f). Et ſane luculentum eius rei exemplum apud APPIANVM (g) eſt, apud quem quum Domitii Ahenobarbi & Antonii naues praetoriae caſu ſibi obuiam factae eſſent, primarius Antonii lictor, ſtans in prora, vt mos erat, Ahenobarbi nautis imperabat, *vt detraherent inſignia.* Hodie naues hanc reuerentiam teſtantur demiſſo velo, non vno tamen ſemper modo. Ait enim STYPMANNVS (h): *Entvveder es vvird im Mittel-Maſt die oberſte Flagge ein vvenig herunter gelaſſen, und bald vvieder aufgezogen, oder es vvird das Toppſegel hernieder gelaſſen, und nicht ehr als man einen Canonen-Schuſs vveit in die See iſt, vvieder aufgezogen.* Et de hoc reuerentiae ſigno, quemadmodum ſaepe inter gentes potentiſſimas diſceptatum, ita & ſaepe pactis & foederibus cautum eſt, quo modo illud a ſingulis eſſet exhibendum (i). Ad eaſdem leges, quae commerciis dici ſolent, pertinet, quod imperantes ciuitatibus quibuſdam concedere ſolent priuilegium, ſiſtendi & ab inſtituto curſu retrahendi merces exoticas, quas negotiator importat, vt nimirum eo loco ad certum tempus conquieſcant, & includantur ſtabulo publico, quo venum exponantur, quauis conditione, niſi vector domum redire malit. Vocant id ius *ſtapulae, die Stapel-oder Staffel-Gerechtigkeit, die Niederlage*, quale priuilegium Atrebato in vinis Francicis; Middelburgo in vinis iiſdem, vt & Hiſpanicis & Luſitanicis; Dordraco in vinis Rhenanis, frugibus, lignis & carbonibus; Spirae Nemetum in ſalibus aliiſque mercibus, aliis denique ciuitatibus in aliis rebus competere, ſatis conſtat (k). Accenſen-

(f) Lipſ. *Elect. lib.* I. *cap.* XXIII.

(g) Appian. *de bello ciuil. lib. V.*

(h) Stypman. *de iur. maris. Part. V. cap.* I. *n.* 21.

(i) *Vid. tractatus inter Sueciae & Daniae reges anno* CIↃIↃXLV. *Art.* 5. 14. *&* 15. *apud* Loccen. *de iure maris. lib.* I. *cap.* IV. *num.* X. *Tractatus Londinenſ. inter Anglos & Belgas* CIↃ IↃCLXXIV. *Art.* IV. *See-Tractat inter Ludouicum* XIV. *& ciuit. Hanſeat. art.* VII. *apud* Marquard. *de iur. mercat. Tomo* II. *pag.* 31. Puffendorf. *Rer. Brandeburg. lib.* IX. §. LXVIII.

(k) *Vid.* Leuber. *diſquiſ. Stap. num.* CCXCVII. *ſequ.* Wehner. *voce Staffel-Recht.* Marquard. *de iure mercat. lib.* II. *cap.* VI. §. *XII. ſequ.*

Digitized by Google

cenſendum porro his legibus *ius geranii*, *das Krahnen-Recht*, quo imperantes iubent, vt merces certis locis machina ad id comparata nauibus extrahantur, & explorato eorum pondere, denuo immittantur (l). Omitto alias huius generis leges, quibus imperantes paſſim circumſcribere ſolent exterorum negotiationes.

§. XVII.

Inter has etiam eſt ſolutio vectigalium.

Principem vero locum inter has leges & conditiones iure quodam ſuo ſibi depoſcunt vectigalia, quae fere vbique mercibus extrinſecus adlatis imponuntur. Iam olim apud Romanos quam plurima fuiſſe vectigalia, vel e iure noſtro conſtat, eorumque rationes poſt SIGONIVM (m) luculenter excuſſit V. C. PETRVS BVRMANNVS (n). Quorum morem quum hodie gentes tantum non omnes ſequantur, non temere quaerere quis poſſit, an id iure fiat? Equidem iure exigi vectigalia & portoria, vbi in vias muniendas, reficiendaſque, cannales ducendos, pontes ſtruendos, purgandos portus, aliaeque huiuſmodi impenſae fiant, nemo negat. Sed an in libero mari vectigalia iure exigi & imperantium arbitrio libere intendi poſſint, id vero eſt, quod haut pauci negant. Maxime hanc litem Danis haut ſemel intentarunt Sueci. Iam anno CIↃ IↃCXL. PVFFENDORFIO (o) teſte, acriter querebantur, Danos in freto Oreſundico vectigalia nimis intendere, idque vel eo nomine iniquiſſimum eſſe iudicabant, quod id ius tamquam partem ſummi imperii ſibi vindicarent. *Equidem Haſniae aut Bergis vectigal, quantum velit, exigere licere Dano, & ibi contradicturum neminem. Sed in freto id capere, vbi nec littore nautae vtantur, non plus rationis habere, quam ſi aut Anglus in freto Britannico, aut Hiſpanus in Gaditano idem exigere inſtituat.* Hinc non mirum, Suecos bello, quod paullo poſt inter eas gentes exarſit, compoſito, in pace anno CIↃ IↃCXLV. articulo III. ſibi ſummam libertatem a vectigalibus iſtis Oreſundicis eſſe ſtipulatos. Eadem lis recruduit anno CIↃ IↃCLVIII. & paullo poſt denuo ſopita (p): Sed vt ſunt fata rerum humanarum, Dani, qui tam diu Suecis hanc libertatem concedere fuerant coacti, ius ſuum exigendi a Suecis vectigalia etiam in freto Oreſundico recuperarunt vltima pace Holmienſi, vt adeo iam eam litem ſopitam oporteat. Enimue-

(l) *Vid.* Loccen. *l. c. lib. I. cap. X.* §. 11. Stypmann. *contin. de iure marit. Part. V. cap.* II. *num. XI. ſequ.*

(m) Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. lib.* I. *cap. XVI.*

(n) Petr. Burmann. *de vectigal. pop. Rom.*

(o) Puffendorf. *rer. Brandenburg. lib. XII.* §. *LXXXVI.*

(p) Puffendorf. *vita Caroli Guſtaui regis Suec. lib. V.* §. *LXVI.*

Enimuero ne in fretis quidem ſoluenda vectigalia, (quorum aequitatem tueri difficillimum putat HERTIVS) (q), iuri refragari, illi facile largientur, qui mare imperio ſubeſſe poſſe, non inficiantur. Quaeſito vero tali imperio, quis neget, vectigal a tranſeuntibus pro mercium vectura peti poſſe? Ea ſane exiguntur non ſolum ob impenſas in vias & pontes faciendas, ceu HERTIVS exiſtimaſſe videtur, verum partim in ſignum & recognitionem imperii, quod in certum maris tractum ſibi adſeruerunt imperantes, vt ZIEGLERVS (r) vidit, partim ob ſecuritatem, quam princeps nauibus ſuis & claſſibus praeſtat tranſeuntibus, quam cum ZIEGLERI ratione coniungendam recte monet illuſtris BÖHMERVS (s). Vnde ne ipſe quidem PVFFENDORFIVS (t) id ius plane iniquum dicere auſus eſt, quamuis moderate eo vtendum eſſe, fruſtra monuerit, quum id de omnibus vectigalibus ipſa aequitas & ratio prudentiae ciuilis ſuadere videatur.

§. XVIII.

Si vel merces vetitae inueniantur, vel vectigal non ſoluatur, merces a fiſco vindicantur.

Quum vero legibus a ſubiectis obſequium debeatur, ſubiectorum vero numero non ſolum ciues, verum & exteri, dum in terris noſtris vel maribus haerent, habendi ſint, ſiquidem in aliena republica verſari, & imperanti parere nolle, hoſtile eſſet futurum (u): conſequens eſt, vt a ciuibus non modo, verum etiam peregrinis, qui vel merces vetitas venum exponunt, vel vectigalia defraudant, vel aliis legibus ab imperante circa commercia conditis refragantur, principes poenas iure poſſint exigere. Poenae vero non ſemper & vbique eaedem ſunt. Saepe fieri ſolet, vt, qui hoſti maxime obſidione cincto & deditioni proximo neceſſaria ſufficiunt, extremo ſupplicio adficiantur. Sic iam olim Demetrius, quum Atticam teneret exercitu; iamque vicina oppida Eleuſina & Rhamnuntem cepiſſet, Athenis finem facturus, nauis frumentum inferre parantis & magiſtrum & gubernatorem ſuſpendit, eoque modo deterritis ceteris, vrbe potitus eſt (x). Eadem ſeueritate Pompeius, teſte PLVTARCHO (y), cuſtodes impoſuit Boſphoro, obſeruaturos, ſi qui mercatorum eo nauigarent, & deprehenſos capitali ſupplicio affecturos. Talia etiam exempla haut pauca

(q) Hert. *de ſeruit. natur. conſtit. ſect. I. §. XV. p.* 129.

(r) Ziegler. *de jur. maieſt. lib. II. cap. VII. §. XIII.*

(s) Boehm. *ius pub. vniuerſ. lib. II. cap. IX. §. XIX. & XX. & ibi not. I. pag.* 555.

(t) Puffendorf. *de jur. nat. & gent. lib. III. cap. III. §. VII.*

(u) Boehm. *ius publ. vniu. lib. III. cap. I. §. XIII. ſequ. pag.* 574. *ſeq.*

(x) Plutarchus *in Demetrio.*

(y) Idem *in Pompeio.*

Digitized by Google

pauca nouiſſima ſuppeditat hiſtoria (z), quae ne GROTIVS (a) quidem iniquitatis arguere in vniuerſum potuit. Non mitiorem poenam leges comminantur illis, qui cum gente hoſtili negotiantur (b), aut rem vetitam doloſe vendunt (c). Saepe enim infamiam (d), vel animaduerſionem (e), vel excommunicationem (f), vel mulctam denique (g) eiuſmodi negotiatoribus vel merces vetitas aduehentibus vel omittentibus profeſſionem, vel alias leges contemnentibus propoſitam eſſe animaduertimus. Praecipue tamen locum tunc habet poena confiſcationis. Quamuis enim olim paullo mitius nonnumquam actum ſit cum negotiatoribus, ceu docent variae Graeciae & Alamanniae imperatorum, vt & Regum Franciae, Hiſpaniae, Syriae, Cypri, Balearium, Venetorum, Genuenſium, conſtitutiones, in CONSVLATVM MARIS (h) relatae: plerumque tamen merces, quae vel contra leges vehuntur (i), vel de quibus non ſoluuntur vectigalia (k), & a Romanis & gentibus hodiernis in fiſcum redigi ſolent. Nec id quidem iniuſtum eſſe, quilibet intelligit. Leges eam poenam comminantur: indicari etiam ſolet variis ſignis, quo loco mercium profeſſionem fieri velit imperans, eoque comparatae ſunt ſtatuae mercuriales, *die Zoll-Stangen.* Quod & ad merces prohibitas attinet, ciuibus aeque ac exteris antea fieri ſolet denunciatio vel ſignificatio publica, vt cauere ſibi a damno poſſint, qualium ſignificationum publicarum exemplum haut vnum apud CAMBDENVM (l) alioſque (m) exſtare animaduertimus. Quod ſi ergo iſtas minas deſpicatui habent mercatores, & contra leges ſibi dictas negotiantur: conſenſiſſe in poenam illam videntur, neque adeo ipſis, tamquam volentibus, fit iniuria.

§. XIX.

Et tunc vocantur COMMISSAE.

Romano iure quidquid ob hanc cauſſam in fiſcum redigitur, COM-

(z) Gregorii Leti *vit. Philippi* II. *Part.* I. *lib.* III. Thuan. *hiſt. lib. XV. pag.* 305.

(a) Grot. *de iure belli & pacis lib.* III. *cap.* I. §. 5.

(b) L. 11. *pr. D. de public. & vectig.*

(c) L. 1. *C. ne Chriſt. mancipium.*

(d) Reform. *Polit.* cIↄIↄLVIII. *Tit. XVI.*

(e) Reform. *Polit. l. c.*

(f) C. 6. 11. 12. 17. *X. de Iudaeis.*

(g) L. *vlt.* §. 5. & 10. *D. de public. & vectigal.*

(h) Conſulat. maris *cap.* CCLXXIV.

(i) L. 11. §. 2. *D. de publ. & vectigal. L.* 1. *D. de his quae ut indign. L.* 3. *C. de nauт. foen. Ord. Polit.* cIↄIↄLXXVII. *Tit. XVI. Tit. XIX.* §. 3. *Tit. XX.* §. 4. *Tit. XXI.* §. *II. III. XVI. Tit. XXII.* §. *vlt.*

(k) L. *vlt. D. de publ. vectigal. & commiſſ. Quinctil. Declam.* CCCXLII.

(l) Cambden. *hiſt. Eliſabethae reginae ad ann.* cIↄIↄXCI. & cIↄIↄXCVIII.

(m) *Vid.* Grot. *in not. ad ius belli & pacis lib.* III. *cap.* I. §. *V.*

COMMISSVM vocatur, ceu ex toto titulo digeſtorum *de publicanis, vectigalibus & commiſſis* adparet. Proprie equidem & ex vſu Latinae linguae COMMISSVM non res eſt, quae a fiſco vindicatur, ſed factum, ob quod vindicatur. Quicumque enim contra legem aliquid ſuſceperant, COMMISISSE in *legem* dicebantur (n), vel etiam COMMITTERE *edictum* (o). Vnde & apud SVETONIVM (p) & VLPIANVM (q) commiſſum non pro re a fiſco erepta, ſed pro facto aduerſus leges commiſſo, accipitur. Ait enim ille, *vectigalibus indictis, neque propoſitis, quum per ignorantiam ſcripturae multa* COMMISSA *fierent*, id eſt, quum per ignorantiam ſaepe aduerſus legem ageretur. Hic vero dum *commiſſa* etiam *ad heredes transmitti* monet, non profecto res, quae in commiſſum cadunt, ſed factum illicitum, & natam inde obligationem, intelligit. Quum vero, qui legi non paret, etiam ad poenam ſit obligatus, etiam haec committi dicebatur. Sic ſaepe in legibus noſtris eſt: *committere in poenam* (r), ſaepe & *poena ipſa committi dicitur* (s). Denique & ad ipſam rem, quae poenae loco eripitur, dictionem hanc adplicarunt ICti, adeo vt & fundus (t), homo (u) & merces (x) *committi*, vel in *cauſſam commiſſi cadere* dicantur. Quamquam, qui purioris Latinitatis ſunt paullo ſtudioſiores, HVBERO (y) obſeruante, dicere malint: *res pro commiſſo tenetur*, qua locutione etiam QVINCTILIANVM (z) vſum nouimus.

§. XX.

Saepe & naues ſimul capiuntur & a fiſco occupantur, quod vocant: Vor gute Preiſen erklähren.

Nec merces tantum pro commiſſo tenentur, verum ſaepe etiam naues ſimul capiuntur, ſi vel hoſtium ſint, vel hoſti quidquam, quod eius vires augeat, ſubuehere audeant. Exempla iam in iure noſtro exſtant luculentiſſima (a). Hodie vero nihil hoc iure inter gentes eſt frequentius, adeo, vt, feruente bello, vix hebdomas abeat, quin captarum ob merces vetitas nauium mentionem faciant nouellae publicae. Vocant eiuſmodi nauem *eine Priſe*,

(n) *L. 39. D. ad L. Iul. de adult.* L. *vlt. D. de lege commiſſor.*

(o) *L. 8. §. vlt.* L. 10. *§. 14. D. de coniung. cum emancip.* L. 126. D. *de legat. I.*

(p) Sueton. Caligul. *cap.* XLI.

(q) Vlpian. *L. 14.* D. *de public. vectigal. & commiſſ.*

(r) *L. 23. §. 1. D. de recept. qui arbitr. L. vlt. in fin. D. quod quiſque iuris in alt.*

(s) Cicero *pro Cluent.*

(t) *L. 17. §. vlt. D. ad SCtum* Vellei. *L. 37. D. de neg. geſt.*

(u) *L. 2.* C. *ſi ſeruus export.*

(x) *L. II. §. 2. D. de publ. vectig. & commiſſis.*

(y) Huber. *Praelect. ad D. lib.* XXXIX. *Tit. V. §. VIII.*

(z) Quinctil. *Declam.* CCCXLII.

(a) *L. 11. §. 2. D. de publ. vectigal. & commiſſis. L. 3. C. de naut. foen.*

ſe, & ſi lis ea de re oritur, & ſententia contra magiſtrum nauis fertur, phraſis adhiberi ſolet: *Das Schiff iſt für gute Priſe erklåret.* Quod ex lingua Italica eſſe, facile vnuſquiſque animaduertit.

§. XXI.

Et haec quidem de ipſis mercibus vetitis & commiſſis generatim praemittere viſum eſt. Proximum eſt, vt ad ſpecialiorem thematis noſtri expoſitionem prouehamur, acturi, quod & titulus iam pollicetur, *de nauibus ob mercium vetitarum vecturam commiſſis.* Ea enim de re tot inter gentes agitantur controuerſiae, vt iis vel enumerandis pauciores plagellae ſufficere non videantur. Dabimus tamen operam, vt ſi non alia re, at certe breuitate nos lectori commendemus. *Tranſitio ad caput ſecundum.*

Cap. II.

DE NAVIBVS OB MERCIVM VETITARVM VECTVRAM COMMISSIS.

§. *I. Naues & nautae iure Romano pluribus priuilegiis fruuntur.* §. *II. Talia & ius nouiſſimum illis concedit.* §. *III. Saepe tamen capiuntur, & pro commiſſo tenentur, maxime ob merces illicitas.* §. *IV. Niſi merces vetitae non ab exercitore, ſed a magiſtro nauis impoſitae ſint, tunc enim ſolae merces fiſco cedunt.* §. *V. Id cognoſcitur ex inſtrumentis, quae vocantur* paſſeports, certificats, certepartien, cognoſcementen. §. *VI. Saepe etiam pacta intercedunt inter gentes, ne hoc caſu naues vna cum mercibus fiſco vindicentur.* §. *VII. An capta naue etiam merces licitae cum illicitis in commiſſum cadant?* §. *VIII. Quid ſi vel naues hoſtium merces amicorum, vel naues amicae merces hoſtium contineant?* §. *IX. Varii caſus hic accurate diſtincti.* §. *X. Vnde cognoſcatur, res naui impoſitas hoſtibus eſſe deſtinatas?* §. *XI. Vnde pateat, eaſdem hoſtium eſſe proprias?* §. *XII. Vnde conſtet, naues ipſas eſſe hoſtium?* §. *XIII. Cui praeda cedat, ſi naues captae a nauibus imperantium bellicis?* §. *XIV. Cui, ſi priuatae naues auctoritate publica naues ceperint?* §. *XV. Quid ſi naues conſociatae* (eine Admiralſchafft?) §. *XVI. Naues captae in commiſſum cadunt poſt ſententiam a iudicio cauſſarum maritimarum latam.* §. *XVII. Quod ex ipſis gentium maritimarum legibus demonſtra-*

monſtratur. §. *XVIII. Lata ſententia, praeda ſtatim fit eorum, qui ſub haſta emunt.* §. *XIX. Nauium ita pro commiſſo occupatarum pretium an ab adſecuratoribus reſtituendum ſit, in adſecuratione pura?* §. *XX. An ſi adſecuratio ſit conditionata?* §. *XXI. Si ſententia nondum lata, quamdiu exſpectandum ſit adſecurato, antequam reſtitutionem exigat?* §. *XXII. Nauibus iniuſte captis, legati mittuntur illas repetituri, vel decernuntur repreſſaliae.* §. *XXIII. Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Naues & nautae iure Romano pluribus priuilegiis fruuntur.

SVmtuoſiſſima eſt nauium ſtructura, maioreſque impenſas & inſtructio earum, & adparatus nauticus exigunt. Vnde non mirum, quod & nauibus ipſis, & nautis, haut pauca priuilegia indulſerint ſummi imperantes, quo & ſecuritati eorum proſpiceretur, & homines ad rem nauticam redderentur alacriores. Sic iam olim Claudius imperator Latinis nauem mercaturae cauſſa fabricantibus ius Quiritium dedit, dummodo naue illa decem millium modiorum Romam ſex annos frumentum portaſſent (b). Eodem iure Romano etiam vacatio a publicis muneribus dabatur nautis (c), & grauioribus poenis coercebantur, qui aliquid ex naufragio vel expugnata naue rapuerant, receperant, damnumue dederant (d). Si quis alterum hominibus armatis de naui ſua deiecerat, concuſſerat, expugnauerat, lege Iulia de vi publica tenebatur (e). Sunt etiam, qui legem illam, quod nemo domo ſua extrahi atque inde in ius rapi poſſet (f), cum ALBERICO DE ROSATE (g), BALDO (h), NEGVZANTIO (i), IASONE (k), BENEV. STRACCHA (l) etiam ad nauem porrigunt. Quam ſententiam iuſtam apud Romanos habuiſſe rationem eo minus dubitamus, quo certius conſtat, totam illam aedium religionem a Larium & Penatium cultu eſſe repetendam. Atqui etiam LARES PERMARINI erant, quibus nauali praelio aduerſus Antiochi praefectos aedem vouit L. Aemilius (m). Porro & id ſingulare eſt, quod ſi quis nauem

(b) Sueton. Claud. *cap. XIX.* Vlpian. *Fragm. Tit.* III. §. *6.*

(c) *L. 3. D. de vacat. mun.*

(d) *L. 1. D. de incend. ruin. rate naue expugn.*

(e) *L. 3. D. ad leg. Iul. de vi publ.*

(f) L. 18. *D. de in ius voc.*

(g) Alberic. *de Roſ. ad* L. *pen. D. de his qui deiec.*

(h) Baldus *ad* L. 2. *C. locat.*

(i) Neguzant. *de pignor. memb. IV. part.* II. *num. 169.*

(k) Iaſon. *ad* L. 18. *D. de in ius voc.*

(l) Stracch. *de nauib. Part. I. n. 7.*

(m) Liu. *lib. XL. cap.* VII. *Conf. de Laribus marinis* Elid. Herald. *ad* Tertull. *Apol.* I. 16. *eiuſd. Aduerſ. lib.* I. *cap.* VII. *Meurſ. Actuar. philol. ad libr. de gloria cap.* II.

nauem communem refectionis indigam communi nomine refecerit, alterque ſocius ſumtus erogatos cum vſuris centeſimis intra menſem non reſtituerit, is, qui refecit, totius nauis dominium in ſolidum obtineat (n), quum alias dominio rei ſuae non temere quiſquam ſit priuandus. Nec minus is, qui ad nauem conſtituendam, reficiendam, inſtruendam pecuniam credidit, praelationis iure ante reliquos creditores gaudet (o), immo, vt RAVCHBARO (p) & KVRIKIO (q) viſum, etiam iure tacitae hypothecae, cuius diſerte mentio fit in legibus (r), quidquid a VINNIO (s), LOCCENIO (t) & STYPMANNO (u) in contrarium adlegetur. Haec & alia nauium nautarumque iura paſſim prodit ius Iuſtinianeum, quae fuſius hic exponere noſtra iam parum intereſt.

§. II.

Talia & ius nouiſſimum illis concedit.

Nec parciores hodie gentes ſunt in priuilegiis circa rem nauticam concedendis. In pleriſque ſane legibus nauticis cautum eſt, vt nemo nautam itineri accinctum arreſtare, nauique exire iubeat propter perſonale debitum, ſi vel bona in naui habeat, vel nauclerus pro eo fideiubeat. Ita IVRE DANICO (x) ſancitur. *Liegt ein Schiff ſegelfertig, und vvartet auf vvind, ſo mag niemand deſſen Steur-oder Boſmann um Schuld vvillen aufhalten, ſondern ſein Gut, ſo er im Schiffe hat, ausbenommen ſeine Kleider, darinn er geht, und ſein Koy-Bette ſoll von dem Schiffer und Schiffleuten bey eydlicher Auſſage gelieffert vverden, der andere aber ſoll ſeine Reiſe der Abrede nach fortſetzen.* Eadem ſtatuerunt Philippus II. Rex Hiſpaniae (y) vt & iuris WISBYENSIS (z) & LVBECENSIS (a) auctores. Vnde & in IVRE PRVTENICO (b) legimus: *Wann ein Schiff von Königsberg nach der Pillau kommt, ſo ſoll niemand ſein geheurtes Schiff-Volck aus des Schiffers Bort nehmen, Schuld-Sachen halber, vvofern der Schiffer vor ihn* cauiren *oder bürgen volte.* Iisdem iuribus etiam iis, qui pecuniam ad reficiendas naues crediderunt,

(n) L. 52. §. 10. D. *pro ſocio.* L. 4. C. *de aedific. priuat.*

(o) L. 5. & L. 6. D. *qui potior. in pign.* L. 25. D. *reb. cred.* L. 26. & 34. D. *de rebus auctorit. iud. poſſ.*

(p) Rauchb. *Part.* I. *qu. V. n.* XVI.

(q) Kürike *Reſol. Quaeſt. illuſtr. quaeſt.* XIII. *p. 65.*

(r) Nouell. *XCVII. cap.* III.

(s) Vinn. *ad L. non autem D. de exercit. act. p.* 100.

(t) Loccen. *iur. marit. lib.* III. *cap.* II. *p.* 213.

(u) Stypman. *iur. naut. Part. IV. cap. IV. n.* XX.

(x) Ius Danic. *lib. IV. cap.* I. *art.* XXXVI.

(y) Ord. marit. *Tit. de naut. art. XXVI.*

(z) Ius Wisbyenſ. *art.* VI.

(a) Ius Lubec. *lib. VI. Tit. I. art. VI.*

(b) Ius Pruten. *lib. IV. Tit. XIX. art. I. §. VI.*

runt, ius praelationis non modo prae aliis creditoribus, verum etiam prae illis, *vvelche Geld auf Bodmerey gegeben*, indulgetur, dummodo inſtrumentum ſuper eo contractu fuerit confectum, quod vocant *einen Byl-Brief* (c). Qua de re denuo IVS DANICVM (d): *Wer einem andern Geld, ein neu Schiff zu bauen, oder mittler vveil das Schiff zu unterhalten, fürſtrecket, ſoll einen ſchrifftlichen* contract, *der von guten Männern zur Kündligkeit unterſchrieben ſey, aufrichten, vvelcher* contract *Byl-Brief genandt vvird. Selbiges Geld ſoll bezahlet, und das Schiff von ſolcher Schuld frey gemachet vverden, ehe bevor es ſich auf die Reiſe begiebt. Mittler vveil bleibet das Schiff zur Verſicherung, und dafern der Byl-Brieſe viele ſolcher geſtalt ausgegeben vvären; ſollen die älteſten den jüngern vorgehen, und alsdann vvird ſolche Schuld-Forderung allen andern Schulden, die auf dem Schiffe hafften können, vorgezogen.* Singularia eiuſmodi iura & priuilegia rei nauticae bono a ſummis imperantibus condita paſſim exſtant, & ab aliis ex inſtituto explicantur vberius.

§. III.

Saepe tamen capiuntur, & pro commiſſo tenentur, maxime ob merces illicitas.

Quamuis autem tantus ſit nautarum nauiumque fauor, vt nihil reliqui fecerint legiſlatores, vt illos, quantum ſalua republica fieri poſſet, in tuto collocarent: ſaepenumero tamen contingit, vt captae pro commiſſo teneantur. Non modo enim ab hoſtibus & praedonibus maritimis capiuntur, qui ſibi in hoſtium naues omnia licere exiſtimant, verum etiam ab amicis, ſi merces vetitae vel ad hoſtes vel ad ciues ipſos aduehuntur. Hoc enim caſu non ſolum merces ipſae, verum etiam nauis cum vniuerſo adparatu nautico commiſſae iudicantur. Quamuis enim res ſecus ſe habeat, ſi ob neglectam profeſſionem mercium, defraudationemque vectigalis fiſcus res occupet, ſiquidem tunc non nauis, ſed onus illius, pro commiſſo tollitur (e): hoc tamen ad commiſſum propter merces illas illicitas non videtur adplicandum. Vectigal enim non de nauibus, ſed de mercibus illis impoſitis, exigitur. Aſt ſi certae merces illicitae declarantur, lex commiſſi eſt, ne merces eo vehantur, adeoque ea lex & merces ipſas, & nauem, qua vehuntur, complectitur (f). Aequum id Romanis iam viſum eſt. Ait enim PAVLLVS Iureconſultus (g): *Dominus nauis, ſi* ILLICITE *aliquid in naue, vel ipſe, vel vectores impoſuerint,*

(c) Vinn. *l. c. p.* 95.
(d) Ius Danic. *lib. IV. Tit. V.* §. *IX.*
(e) L. *vlt.* §. *vlt. D. locat. conduct.*
(f) L. 11. §. 2. *D. de publ. vectigal. & commiſſis.*
(g) Coccei. *diſſert. de commiſſ.* §. *XXXV.*

rint, NAVIS *quoque fiſco vindicatur*. Et hoc iure hodienum vtuntur gentes, quoties cum aliis bellum gerunt. Tunc enim omnes naues, mercibus illicitis onuſtae, vna cum mercibus a fiſco occupantur. Sic, exempli cauſſa, praepotentes ordines foederati Belgii, cum Anglis bellum gerentes, anno CIↃ IↃCXLVIII. prid. Non. Febr. (h) publice & ciuibus & neutrarum partium gentibus denunciarunt, in commiſſum caſuras omnes naues, Anglis quidquam illicitarum mercium aduecturas. *Wir vvollen*, inquiunt, *alle unſere* alliirt*en*, *Freunde und* Neutral*en*, *und* generaliter *alle Völcker und* nation*en hiermit* aduertiret, *und ernſtlich erſuchet und ermahnet haben, daſs ſie nicht befordern, noch bey vvährenden dieſen* differenti*en verführen oder* tranſportir*en vvollen aus einigen Landen, Königreichen, Plätzen oder Städten* directe *oder* indirecte, *noch einigen Städten, Häfen und Plätzen in England &c. einige Kriegs* - ammunition, *oder einige Materialien, ſo zu Ausrüſtung der Schiffe dienen, vvie die auch genant vverden mögen, auch von vvas* ſorte, qualitaet *und* condition *oder Natur die auch ſeyn mögen, keine ausbeſcheiden. Sintemahl vvir vor gute Priſen und verbrochen halten vvollen alle die Orlogs - und Schiffs-behufen, ſo dieſer unſer* aduertentz *und* ordonanz *zuvvieder vvürden befunden vverden.* Et ne quis exiſtimet, de ſolis mercibus confiſcandis loqui ordines Belgicos, ſtatim addunt (i): *Maſſen vvir für verbrochen halten vvollen, und von nun an für gute Priſen erklären alle die Schiffe, ſo vvohl auch die eingeladene Güther, Wahren und Kauffmanſchafften, von vvelchen mehr, als ein See-Brief*, (ad occultandas ſcilicet merces illicitas,) *gefunden vverden.* Idem ius gentibus exteris cum Suecis negotiantibus anno CIↃ IↃCLIX. denunciauit FRIEDERICVS Rex Daniae (k), nec hodie fere bellum vllum geritur, quin naues vna cum mercibus contrabando ſoleant a belligerantibus occupari (l). An autem naue publicata etiam ſcapham hoc fatum maneat, diſquiritur, pleriſque id negantibus (m), quia nec emta naui ſcapha ſimul emta videatur (n). Sed

(h) Placat *der Hochmögenden Herren Staaten General der vereinigten Niederlanden, vvie es bey gegenvvärtigem See-Krieg mit der Nauigation und Commercio auf England gehalten vverden ſolle.* §. 2. *ap.* Marquard. *de iure mercat. in append. pag.* 643.

(i) Ibid. §. 5. *pag.* 644.

(k) Marquard. *de iure merc. in append. p.* 656.

(l) See-Tractat *inter Lud. XIV. Reg. Gall. & ciuitates Hanſeat. art.* III. *apud* Marquard. *in append. pag.* 30.

(m) Bald. *ad* L. 3. *Cod. de naut. foen.* Stracch. *de nauibus. Part.* II. *num.* XII.

(n) L. *fin. D. de inſtr. vel inſtr. leg.* L. 44. *D. de euict.*

Sed raro ea de re ſuborietur controuerſia, cum exercitor, amiſſa naui, de ſcapha non admodum ſit laboraturus.

§. IV.

Niſi merces vetitae non ab exercitore, ſed a magiſtro nauis impoſitae ſint, tunc enim ſolae merces fiſco cedunt.

Quum vero ius iſtud ſatis rigidum ſit: mirum non eſt, quod illud valere non ſoleat, ſi merces illicitae non a domino, ſed magiſtro nauis, gubernatore, proreta alioue e nautis naui illatae ſint. Tunc enim non nauis, ſed merces tantum in commiſſum merito cadunt, quia dominus nauis delictum ferre non tenetur, quod ab alio in re ſua commiſſum eſt. Qua de re denuo PAVLLVS (o): *Quod ſi abſente domino illicitum quid a magiſtro vel gubernatore aut proreta, nautaue aliquo impoſitum, ipſi quidem capite puniuntur commiſſis mercibus*, NAVIS *autem domino reſtituitur.* Elegans huius rei exemplum exſtat in lege DIOCLETIANI & MAXIMIANI Imperatorum, vbi quum Iunias quidam propoſuiſſet, ſe nauticum foenus ea conditione dediſſe, vt poſt nauigium, quod in Africam dirigi debitor adſeueraſſet, in Salonitanorum portum naue delata, foenebris pecunia ſibi redderetur, ita vt nauigii duntaxat, quod in Africam deſtinatum fuerit, periculum ſuſceperit, ſed vitio debitoris, nec locum quidem nauigii ſeruantis, illicitasque merces comparantis, omnia, quae nauis continuerit, fiſcum occupaſſe: reſcripſerunt Imperatores, *amiſſarum mercium detrimentum, quod non ex marinae tempeſtatis diſcrimine, ſed ex praecipiti auaritia, & inciuili debitoris audacia accidiſſe conſtet, adſcribi Iuniae, iuris publici rationem non permittere.* Nihil hic de naue a fiſco occupata, ſed de mercibus tantum. Illa enim non ideo non ceciderat in commiſſum, quia nauis vel Iuniae, vel alterius fuerat, ſed quia, eo inſcio ac abſente, debitor, illius nauis magiſter, merces illicitas naui impoſuerat. Quum ergo re ſua excidere non debeat dominus, ſi in ea ab alio quidquam contra leges fuerit admiſſum, & recte in ſimili caſu reſcripſerit ANTONINVS (p): *Si colonus vel ſerui domini praedii ferrum illicite in praedio fecerint, ignorante domino, nulla poena dominum teneri:* aequitas ſane ſuadet, vt & nauis a fiſco non occupetur, cuius non dominus, ſed magiſter deliquit.

§. V.

Id cognoſcitur ex inſtru-

Vt vero eo rectius pateat, dominine id delictum ſit, an magiſtri nauis: leges nauticae exigere ſolent litteras, in quibus iure iurando confirmare debet dominus nauis, merces ſuas eſſe, non

(o) L. 11. §. 2. *D. de public. & vectigal. & commiſſ.*

(p) L. 16. §. 11. *D. de publ. & vectigal. & commiſſ.*

Digitized by Google

non hoſtis, ſimulque indicare, vnde merces veniant, quo deſtinatae & cuius naturae ſint. Has litteras, quas CERTIFICAT vocant, vna cum PASSEPORTIS oſtendere tenentur magiſtri nauium, quo animaduerti eo facilius poſſit, vtrum domini nauis, vel qui ei merces impoſuerunt, *die ausrehder*, bona fide agant, an ipſi merces illicitas naui impoſuerint. Hunc in finem in foedere maritimo LVDOVICI XIV. & ciuitatum Hanſeaticarum anno CIↃ IↃCLV. (q) cautum eſt: *Et afin que l'on ne puiſſe douter de la qualité des marchandiſes, chargées dans les dits vaiſſeaux, ſeront les Capitaines & Maiſtres d'iceux trouvez en mer, tenus de montrer aux Capitaines de navires de guerre de ſa Majeſté un* PASSEPORT, *ou lettre de mer, & un* CERTIFICAT, *ou police de chargement, par lequel paſſeport apparoitra, comme le navire apartient aux habitans des dites villes Hanſeatiques, ce qui ſera atteſté ſur leur ſerment par le magiſtrat du lieu d'où il ſera, & ſeellé de ſon cachet: & dans le certificat ſera contenu la charge du navire, le lieu d'où il part, & & où il va, & qu'il n'y a pas des marchandiſes de contrebande.* Formula eiuſmodi paſſeporti haec exſtat apud MARQVARDVM (r), a foederatorum Belgarum ordinibus praeſcripta: *Denen Allerdurchlauchtigſten, Durchlauchtigſten, Durchlauchtigen, Groſsmaechtigen, Maechtigen, Hoch-Edlen, Edlen, Erbaren und Weiſen Herrn, Kaeyſern, Koenigen, Republiquen, Printzen, Hertzogen, Grafen, Baronen, Herren, Bürgemeiſtern, Schoepffen, Raethen, Richtern, Officiren und Regenten, in allen guten Staedten und Plaetzen, ſo vvohl geiſt-als vveltlichen, vvelche dieſes unſer Patent ſehen oder leſen hoeren, thun vvir Bürgemeiſter und Regierer der Stadt N. zu vviſſen, daſs N. N. Schiffer des Schiffes N. vor uns erſchienen, und bey ſeinem ſolennen Eyd declariret hat, daſs das Schiff N. groſs ohngefehr N. Laſten, auf vvelchem er ietzo Schiffer iſt, zugehoere den Invvohnern der unirten Prouintzen, ſo vvahr ihm Gott helffe. Vnd vvie vvir gerne ſehen, daſs ermeldter Schiffer in ſeinen rechtmaeſsigen Sachen befoerdert vverden moege, ſo erſuchen vvir euch alle insgemein, und in particulir, vvo beſagter Schiffer mit ſeinem Schiff und Guetern arriuiren vvird: daſs euch beliebe denſelben gutvvillig auf- und anzunehmen, und nach Gebühr zu tractiren, und vvann er den rechten gevvoehnlichen Zoll und Vngeld erleget, in, durch, und vorbey euren Hafen, Stroehmen und Gebiethen, ſeegeln, paſſiren, frequentiren und negotiiren zu laſſen, vvo es*

mentis; quae vocantur, paſſeports, certificats, certepartien, cognoſcementen.

(q) See-Tractat Ludouici XIV. *reg. Gall. & ciuit. Hanſeat. art.* VI. *apud* Marquard. *de iure mercat. in adpend. pag.* 30.

(r) Marquard. *Adpend. libri de iure mercat. pag.* 652.

ihm beliebt. Welches vvir gern vviederum verſchulden vvollen. Zu vvelches Zeugniſs vvir unſer Stadt-Siegel hierunter ſetzen laſſen. Quum vero praeter publicum hoc magiſtratus teſtimonium etiam CERTIFICAT, id eſt, litterae ipſius domini nauis, vel eorum, qui merces imponunt, exigantur, eaeque ſint duorum generum, & vel ad naues, vel ad merces nauibus impoſitas pertineant: vtriuſque formulas addere iuuat, quales Fridericus rex Daniae, die XXIII. Sept. cIɔ Iɔclix. publica lege praeſcripſit (s): *Wir N. N. und N. N. ſaembtliche Schiffer und Rehder des Schiffs N. groſs N. Laſten, ſo ietziger Zeit gefuehret vvird von Schiffer N. N. certificiren hiermit, daſs ietzt benanntes Schiff niemand anders, als uns allein, propre und eigenthuemlich zugehoere, und daſs auch keine feindliche Perſon, noch andere, als vvir obgemeldte, darinnen einigen Theil oder Part haben, auch daſs mit unſerem vveder des einen noch des andern Vorvviſſen und Willen darinnen keine feindliche Guether geladen vverden ſollen, als helffe uns Gott und ſein heilig Wort.* Haec certificatio ad nauem ipſam pertinet: de mercibus naui impoſitis teſtari eos oportet (t), *daſs alle ſolche Gueter, ſo in das Schiff, N. N. darauf Schiffer iſt N. N. gedeſtiniret nacher N. N. zu gehen, eingeladen und in dieſer certification ſpecificiret und nahmhafftig gemacht, und gemercket vverden ſollen, niemanden in der Welt, als ihnen einig und allein zugehoerig, und vor ihre eigene Mittel erhandelt ſeyn, alſo daſs dieſelben allein gehen vor ihre eigene Rechnung und riſico, und ſolches nicht zum Schein, daſs ſie ſolche Guether durch etvvan heimlichen accord mit feindlichen Perſonen durch dieſe certification, als vor ihre eigene Rechnung und riſico ſo lange ſolten beneficiren, biſs ſie in ſaluum gebracht und dann vor Feindes Rechnung ſeyn und verkaufet vverden ſolten, ſondern zu guter Treue ihnen allein zukommen, ohne faute, ſo vvahr ihnen helffe Gott und ſein heiliges Wort.* Tales ſunt litterae illae, quas *paſſeports & certificats* vocant: de quibus illud addere iuuat, iam Romanis illas non ignotas fuiſſe. HONORIVS enim & THEODOSIVS AVGG. ad Euſtachium reſcribunt (u): *naucleros, antequam e portu dimittantur, deponere debere, in quam prouinciam ituri ſint, eoque manifeſtato, nullam poſtea contra eos indignationem ſeu concuſſionem procedere.* Praeter has litteras Belgii foederati ordines (x) etiam exigunt alias, veluti *Certepartien*, id eſt, contractus nauticos,

(s) Marquard. *Append. pag.* 655.
(t) Ibid. *pag.* 656.
(u) L. vn. C. *de littor. & itin. cuſtod.* lib. XII. *Tit.* XLV.
(x) Placat *der Hochmoegenden Herren Staaten, vvie es bey gegenvvaertigem See-Kriege mit der nauigation &c. Art. V. pag.* 644.

Digitized by Google

ticos, *Fracht-Brieſſe*, id eſt, inuentarium vel indicem mercium omnium naui impoſitarum, rite confectum, *cognoſcementen*, id eſt, teſtimonia iis, qui naui aliquid impoſuere, data, *Auis-und Conuoy-Brieſſe*. Et quum magiſtri nauium ſaepe bina eiuſmodi litterarum exempla aſſeruare ſoleant, vt alteras requirentibus oſtendere, alteras in portu, in quo adpellere cupiunt, in vſum ſuum conuertere poſſint: eadem lege denunciarunt Belgarum ordines, naues eas vna cum mercibus pro commiſſo occupatum iri, in quibus diuerſa eiuſmodi litterarum exempla reperiantur.

§. VI.

Saepe etiam pacta intercedunt inter gentes, ne hoc caſu naues vna cum mercibus fiſco vindicentur.

Quamuis vero hoc ius merces illicitas vna cum nauibus capiendi & antiquum ſatis & hodienum inter gentes frequentiſſimum ſit: in promtu tamen ſunt exempla, quod inter gentes aliud conuenit. Sic in congreſſu publico legatorum Monaſterienſi, inter ſe pacti ſunt Hiſpani & Belgae, vt ſi alterutra gens bellum gereret, & ex altera natione quiſquam merces illicitas hoſti aduehere auſus fuiſſet, merces quidem illae fiſco cederent, naues vero captae remitterentur domum. Verba in ſeparato articulo, inſtrumento pacis inter Hiſpanos & Belgas factae adiecto, ita ſe habent (y): *Und auf den Fall, daſs in ermeldten der vnirten Niederlanden Schiffen, ſolche Güter, Wahren und andere Sachen, ſo für verbothen declariret ſeyn, oder Ihro Maieſtaet zum Schaden gebrauchet vverden koenten, befunden vverden ſolten, ſo ſollen allein dieſelben Güter und Wahren verbrochen ſeyn und confiſciret vverden, und ſoll nicht das Schiff moleſtiret oder confiſciret vverden einigermaſſen, und hinvviederum und reciproce ſollen auch hoechſt ermeldten Koenigs in Hiſpanien Unterthanen eben dieſelbe Freyheit und Sicherheit in der ſegelation und commercio haben und genieſſen.* Quum vero paullo poſt bello inter Hiſpanos & Gallos coorto de articulo iſto lites quaedam agitari coepiſſent: nouo tractatu Hagae comitum CIↃ IↃCL. die XVII. Sept. inter Hiſpanos & Belgas concluſo (z), articulus iſte vlterius explicatus, & ea libertas nauium denuo ſtabilita eſt, ſimulque conuentum, vt hordeum aliaque frumenta & legumina, itemque vinum, oleum, ſal, ceteraque ad victum hominis comparata, mercibus illicitis non accenſerentur. Eodem modo inter ſe pacti ſunt Galli & ciuitates Hanſeaticae (a) anno CIↃ IↃCLIV. *S'il ſe trouvoit des dites contrebandes ſur des vaiſſeaux des dits habitans, chargés à cueillette en*

 un

(y) Marquard. *l. c. p.* 648.
(z) Marquard. *in adpend. p.* 649.

(a) Seo-Tractat *inter Ludou. XIV. reg. Gall. & ciuit. Hanſeat. art.* 11-16. *p.* 28.

un ou pluſieurs lieux, elles ſeront confiſquées purement & ſimplement, ſans que les autres marchandiſes ni le vaiſſeau le puiſſent être. Quin exſtat exemplum rariſſimum conuentionis, inter Luſitanos & Belgas anno CIↃ IↃCLXI. initae, qua his omnium mercium, etiam illicitarum, vectura ad hoſtes libera permittitur, adeo vt nec naues, nec merces ideo capi aut fiſco addici poſſint (b). Sed quemadmodum eiuſmodi pacta ad exceptionem pertinent: ita facile patet, regulam iſtis non tolli, adeoque certi iuris eſſe, ob merces illicitas naues etiam in commiſſum cadere.

§. VII.

An capta naue etiam merces licitae cum illicitis in commiſſum cadant?

Quum ergo naues, ceu hactenus dictum, hoc caſu vna cum mercibus pro commiſſo teneantur: facile decidi poterit quaeſtio, an tum licitae etiam merces, naui impoſitae, una cum illicitis fiſco cedant, ſi domino conſentiente vtraeque fuerint impoſitae? Ipſis iuris Romani principiis id haut repugnare, ex verbis PAVLLI (c), ſupra allegatis, colligit ANTONIVS MATTHAEI (d), ſiquidem capta naue merces etiam procul dubio captae videantur. Et ita etiam ratiocinati ſunt FRANCISCVS I. (e) CAROLVS IX. (f) & HENRICVS III. (g) qui legibus nauticis ſanxere, vt occupata ob illicitarum mercium vecturam naue, etiam merces licitae cum illicitis pro commiſſo teneantur. Vnde tritiſſima inter Gallos eſt paroemia iuris, *que la robbe de l'ennemi confiſque celle de l'ami* (h), quam magno adparatu tuentur ſcriptores Galli. Enimuero quamuis in ſe iniuſtum non videatur, eiuſmodi commiſſi poenam denunciare iis, qui merces illicitas aduehere non dubitauerint, maxime quum eo maior plerumque dolus ſubſit, ſi merces licitae illicitis miſceantur: tamen id neque ex allegato PAVLLI textu fluit, qui tantum de illicitis loquitur, & aequitati magis conſentaneum eſt, eas tantum merces, quae aduerſus legem vehuntur, in commiſſum cadere vna cum naue. Certi enim iuris eſt, vtile per inutile non vitiari, nec poenam eſſe, niſi vbi delictum fuit, quum, vt eleganter ait PAPINIANVS (i), *non debeat alteri per alterum iniqua conditio inferri.* Et hanc aequitatem paſſim hodie ſequuntur gentes. Sic Hiſpani & Belgae inter ſe pacti

(b) Tractat *ende Alliantie tuſſchen Portugal ende de Staaten General der vereinigde Nederlanden art. 12. ibid. p. 363.*

(c) L. 11. §. 2. *D. de publ. & vectigal. & commiſſ.*

(d) Ant. Matth. *de crimin. lib. XLVIII. Tit. II. c. V. n.* XVIII.

(e) Edict. *anno* CIↃIↃXLIII. *art.* XLII.

(f) Edict. *anno* CIↃ IↃLXIX.

(g) Edict. *anno* CIↃ IↃLXXXIV.

(h) Mornac. *in L. pen. §. vlt. D. loc. cond.*

(i) L. 74. *D. de diverſ. reg. Iuris.*

Digitized by Google

ſti ſunt in congreſſu Monaſterienſi (k), *daſs allein die Wahren, ſo für verboten declariret ſeyn, verbrochen und confiſciret ſeyn, und das Schiff oder die anderen Güter und Wahren, und was ſonſten in dem Schiff ſeyn moechte, deſvvegen nicht moleſtiret und confiſciret vverden ſolle einiger maſſen.* Quin ipſi Galli ſenſim a rigore iſtius legis remittunt, ſiquidem LVDOVICVS XIV. (l) ciuitatibus Hanſeaticis conceſſit, vt non obſtantibus illis edictis FRANCISCI I. & HENRICI III. mercibus illicitis in nauibus hanſeaticarum ciuitatum repertis, licitae non ſimul fiſco vindicentur, *en ſorte, que la robe de l'ennemy ne confiſque point celle de l'amy.* Quam in rem & ſententias quaſdam latas in tribunalibus Gallicis allegat MARQVARDVS (m). Quod ſi tamen ſeparari nequeant merces licitae ab illicitis, omnes in commiſſum cadere merito tradunt MATTH. DE AFFLICTIS (n), SIXTINVS (o), &, qui edicta ordinum Belgii hanc in rem allegat, WISSENBACHIVS (p). Immo & tunc merces licitae & amicorum ſimul cum hoſtilibus pro commiſſo tenentur, ſi dominus ſimul ex naui hoſtili aduerſus capientes pugnarit. Id quod non ſolum foedere inter LVDOVICVM XIV. & ciuitates hanſeaticas (q) inito cautum, verum etiam a Batauis, teſte METERANO (r), obſeruatum eſt. Quum enim, capta naui Luſitanica, Franciſcus Carletti, Florentinus, merces ſuas naui iſti impoſitas, quaſque ipſe 90000 florenis aeſtimabat, repeteret: obiectum illi eſt a capientibus, quamuis ipſe ſit neutrarum partium, eum tamen e naui hoſtili pugnaſſe. Vnde ſententia lata a iudicibus rerum maritimarum, *daſs man ſeine befundene Güter ad vtilitatem ius habentis mit verkauffen ſolte.*

§. VIII.

Quid ſi vel naues hoſtium merces amicorum, vel naues amicas

Idem paene iuris eſt, ſi hoſtium res in nauibus reperiantur: quamuis hic varios caſus diſtinguere ſoleant doctores. In CONSVLATV MARIS (s), vbi ex inſtituto huius generis controuerſiae tractantur, ita definitur haec quaeſtio, vt, ſi & nauis & merces hoſtium ſint, vtraeque fiant capientium: ſin nauis ſit pacem colentium, merces autem hoſtium: nauis cogatur merces eas in ali-

 quem

(k) *Articulo ſeparato, de quo ſupra.*

(l) *Traité ſur le fait de la marine anno 1655. art. III.*

(m) Marquard. *de iure mercat. lib. II. cap. 4. n. 36. ſequ.*

(n) Matth. *de Afflictis de Vectigal. num.* LXV.

(o) Sixtin. *de Regalibus cap. VI. num.* CXCI.

(p) Wiſſenbach. *in digeſta Part. II. Diſp. XV. §. XXV.*

(q) *Sec-Tractat. Art. III.*

(r) Meteran. *Annal. Belg. lib.* XXIII. *pag.* 164.

(s) Conſulat. mar. *cap.* CCLXXIV.

merces hoſtium contineant?

quem portum noſtrarum partium deferre, & vecturae pretium nautae ſoluatur: ſi porro nauis hoſtilis ſit, merces vero aliorum, de naue tranſigatur, aut ſi tranſigere nolint vectores, cogantur in portum aliquem noſtrarum partium intrare, & capienti mercedem pro nauis vſu ſoluere. Sed non ſemper tam humanae ſunt gentium leges, belli tempore propoſitae. Saepe allegato FRANCISCI I. edicto cautum animaduertimus, vt tum naues neutrarum partium, rebus hoſtium onuſtae, tum naues hoſtium vna cum mercibus amicorum impoſitis fiſco vindicentur. Idem etiam ſancitum eſſe conſtat a Luſitanorum regibus, quorum LEGEM (t) citat GROTIVS (u). Aliud placuit Hollandis, qui anno CIƆCCCCXXXVIII bello cum ciuitatibus Hanſeaticis impliciti, frequenti ſenatu, GROTIO (x) teſte, iudicarunt, merces amicorum etiam in hoſtium nauibus repertas in praedam non cedere vna cum naue. Sed quamuis id deinde pro lege habitum eſſe referat GROTIVS: ſaepe tamen alia omnia ab ipſis Batauis ſancita ſunt. In tractatu enim maritimo inter Hiſpanos & Belgas anno CIƆ IƆL. Hagae Comitum facto (y), conuentum eſt, *daſs alle daſienige, ſo durch die Invvohner und Vnterthanen der vnirten Prouintzien in ihrer Maieſtaet Feinden Schiffen geladen ſeyn vvird, ob es gleich keine verbothene Kauffmannſchafft iſt, geconfiſciret vverden ſoll, mit allem demienigen, das im vorbeſchriebenen Schiffe gefunden vvird, nichts dauon ausbeſcheiden noch gereſeruiret, dahingegen aber ſolle alle daſienige, vvelches in denen hochgemeldten Herren Staaten General-Vnterthanen zugehoerigen Schiffen iſt, und befunden vvird, liber und frey ſeyn, ob gleich die Ladung, oder ein Theil dauon, Ihre Maieſtaet Feinden zugehoerete.* Quale ius etiam ſibi tum ſtipulati ſunt Hiſpani (z). Eamdem legem etiam Daniae Rex anno CIƆ IƆCLIX. menſe Septembri (a) dixit omnibus in Sueciam negotiantibus. Quamuis enim liberam eſſe concedat earum mercium, quae ad belli vſum non ſunt comparatae, vecturam; ſtatim tamen addit; *Alle das freye Gut aber, ſo in unfreyen Schiffen gefunden oder betreten vvird, ſoll und muſs endlich ohne einige exception der confiſcation zur guten Priſe untervvorffen ſeyn.* Paullo ſeuerior tamen eſt

(t) Lex Portugall. *lib.* Tit. *XVIII.*

(u) Grotius *de Iur. bell. & pacis lib.* III. *cap.* VI. §. VI.

(x) Grotius *de Iur. bell. & pacis l. c. & not. ad lib.* III. *cap.* 11. §. *V.*

(y) Tractat van de Marine *Art.* XIII. *&* XIV. *apud* Marquard. *in Adpend. p.* 651.

(z) Ibid. *Art. XV.*

(a) *Verordnung vvie es bey vvaehrendem Kriege mit den certificationen zu halten Art.* 4. *ibid. p.* 655.

eſt eiuſdem regis declaratio, menſe anteriore edita (b) vbi & neutrarum partium naues confiſcationi obnoxias pronunciauerat, ſi rebus hoſtium onuſtae reperirentur. Ait enim Rex: *Worunter doch nicht gemeinet, daſs daher unſerer Freunde, benachbarten und anderer neutral-Staende und Staedte Güter und Schiffe, ſo aufgebracht, zu confiſciren, und preiſs zu machen, es vvaere dann, daſs dieſelbe attrapiret vvürden - - - - mit Zu-oder Abfuhr der Schvvediſchen Güter.* Ex quibus ſatis adparet, vere omnino dixiſſe GROTIVM (c) non certam ea de re eſſe iuris gentium legem.

§. IX.

Varii caſus hic accurate diſtincti.

Enimuero, ſi dicendum, quod res eſt, facile decidi hanc quaeſtionem poſſe arbitror, ſi varii caſus recte diſtinguantur. Si & naues & merces hoſtium ſint: nullum eſt dubium, quin vtraeque impune capi poſſint. Hoſti enim in hoſtem extra ciuitatem in infinitum omnia licere, rationi conſentaneum eſt, recteque philoſophatur AESCHYLVS (d):

- - - πάσχειν δὲ κακῶς
ἐχθρὸν ὑπ' ἐχθρῶν οὐδὲν ἀεικές.
- - - *Male ab hoſte pati*
Hoſtem, minime diſſidet aequo.

Quod ſi tamen naues hoſtiles, mercesque ipſis impoſitae, vel virtute nautarum capientibus eripiantur, vel fuga ſe illis ſubtrahant, vel a capientibus redimantur, poſtliminio ad priorem ſtatum & cauſſam redeunt (e). Quid vero, ſi captae naues hoſtiles, & mercibus hoſtilibus onuſtae, ob tempeſtatis periculum portum gentis vtrique parti amicae ſubire cogantur, an & tunc poſtliminii ius admitti poteſt, ita vt praeda a communi amico capienti eripi, alterique, cui erepta eſt, reſtitui debeat? Adfirmare id haud dubitat ALBERICVS GENTILIS (f), ſed cuius argumenta, quum ea lis inter Venetos & Genuenſes agitaretur, accuratiſſime profligauit PETRVS CVNAEVS (g). Et ſane quum, qui medii ſunt animo, & cum vtraque parte colunt amicitiam, factum pro iure accipiant, adeoque an ab alterutro amico iure vel iniuria praeda iſta facta ſit, iudicium ſibi arrogare non poſſint: conſequens eſt, vt, nec ius poſtliminii hic locum inuenire debeat. Paullo aliter rationes

(b) Declaration *für die handthieren-de zur See* cIↃIↃLXIX. *art.* 1. Ib. *p.* 656.

(c) Grot. *lib.* III. *cap.* VI. §. VI.

(d) Aeſchyl. *in Prometh. vincto.*

(e) *L.* 12. *pr. L.* 26. *D. de capt. & poſtlim. L.* 2. *L.* 5. *L.* 12. *C. eod.*

(f) Alberic. Gentil. *in Aduoc. Hiſp.* *lib.* I. *cap.* I. II. VI. VII.

(g) Petri Cunaei *reſponſ. in cauſſa Poſtlim. anno* 1631. *recenſ. poſt eius orationes pag.* 521.

rationes componendae nobis videntur, ſi merces amicorum hoſtium nauibus impoſitae reperiantur. Hic enim vix vllam excogitari poſſe rationem, exiſtimamus, quae merces illas vna cum ipſa naui capientibus adquiri perſuadeat. Nec ob conditionem dominorum id fieri poteſt, qui hoſtium loco non habentur: nec ob delictum aliquod: cur enim nefas ſit, merces quaſdam naui gentis alteri inimicae imponere? nec ob ipſam mercium conditionem, quippe quas licitas eſſe, nullaque lege vel denunciatione prohibitas, ponimus. Vnde merito paullo inhumanior iudicatur illarum gentium conſuetudo, qua, naui hoſtili capta, res hoſtium & amicorum iuxta in praedam cedere capientibus iudicantur (h). Idem ſtatuendum arbitramur, ſi res hoſtiles in nauibus amicorum reperiantur. Illas capi poſſe, nemo dubitat, quia hoſti in res hoſtis omnia licent, eatenus, vt eas vbicunque repertas ſibi poſſit vindicare. Sed naues amicorum ideo capi poſſe, iuris rationes non ferunt. Vel amici enim nomen eos ab hac iniuria tueri debebat, maxime quum ſuo iure vſi ſint, dum alterius gentis ſibi amicae res in naues ſuas negotiandi cauſſa bona fide receperunt. Quemadmodum ergo iure ſuo vtuntur, qui res hoſtium ex iſtis nauibus auferunt: ita & iniuſte non faciunt, qui amicorum res nauibus ſuis vehunt. Quum vero par ſit ea in re vtriuſque conditio: quo iure ſibi alter amici nauem, quae nihil contra leges admiſit, in praedam depoſceret?

§. X.

Vnde cognoſcatur, res naui impoſitas hoſtibus eſſe deſtinatas?

Quandoquidem vero multa hic incidunt dubia, veluti an merces vetitae hoſti deſtinatae ſint? vtrum res naui impoſitae hoſtium ſint propriae, an amicorum? vtrum denique naues ipſae hoſtiles ſint, nec ne? ſaepe fit, vt, quid tunc ſit praeſumendum, quaeratur. Et ad primam quidem quod attinet quaeſtionem, non facile poteſt res obſcura eſſe, ſi adſint paſſeporti & certificationes, quales ſupra deſcripſimus. Sed ſaepe ſolent mala fide agere nautae, & inſtrumenta falſa proferre, e quibus colligi poſſit, merces alio eſſe deſtinatas, quum tamen hoſti ſint aduehendae. Saepe etiam, vbi animaduertunt, imminere naues, quarum magiſtris de mercium conditione ſit reddenda ratio, inſtrumenta in mare proiiciunt, ac deinde ſibi vlla fuiſſe, negant, vel illa caſu periiſſe fingunt. Quum ergo tunc vix liquido conſtet, hoſtibuſne an alii neutrarum partium genti merces mittantur: merito ad praeſumtionem recurritur.

(h) Alberic. Gentil. *adu. Hiſp. lib.* I. *cap.* XX. Roder. Zuar. *conſil.* II. *de nauib. tranſueh. & mercib. exportand. num.* VI. Marquard. *de iure mercat. lib.* II. *cap. IV.* §. 31. *ſequ.*

Digitized by Google

ritur. Ea vero tunc contra nautas, inſtrumenta ſuſpecta proferentes, quam maxime militat, ſi in littoribus hoſtici deprehendantur. Vnde denuo Belgii ordines (i): *vierdtens ordiniren vvir ferner allen unſeren Ingeſeſſenen und Vnterthanen, aduertiren und ermahnen auch alle unſere Alliirte, Freunde und neutralen, und generaliter alle Voelcker und Nationen, ſo nacher Franckreich, Spanien, oder einigen andern benachbahrten oder alliirten Reichen, Landen, Staedten und Plaetzen, Oſt-Weſt-oder Nord-vverts von dieſem Staat belegen, oder von dannen hieher gedencken, das ſie die raume See kieſen und halten ſollen, maſſen vvir Krafft dieſes verſtehen und declariren, daſs alle die Schiffe, ſo auf den Küſten von Engelland, Schottland und Irrland, oder anderen Landes, Eylanden, und Plaetzen, ſo unter dem Gebieth gegenvvaertiger Regierung in Engelland ſeyn, und inſonderheit binnen laengſt denſelben Küſten belegenen Bancken und Untieſſen gefunden vverden, und alſo nicht auſſer Verdacht ſeyn, daſs ſie vvider dieſe unſere Ordonantz und Aduertentz etvvas vorhaben, ſo fern dieſelben entvveder gantz oder zum theil mit einiger Ammunition von Orlogs- oder Schiffs Bebuſſen beladen ſeyn, von den Capitainen und andern Orlogs-Officiren und commiſſien-Fahrern dieſer Landen aufgehohlet und aufgeſchicket vverden ſollen, damit von der Admiralitaet darüber ſententiiret vverde.* Equidem & ad littora hoſtilia adpulſum impunem ſibi fore ab Hiſpanis ſtipulati ſunt Belgae (k): ſed id hac tantum lege obtinuerunt, *vvann die auf der Rehde gefundene Schiffe nicht einlauffen vvollen, oder auch vvann ſie in einen Hafen lauffen, da ſie nicht loſſen, oder die Laſt brechen vvollen.* Attamen ab hoc rigore merito remittunt, ſi quando aduerſis ventis & tempeſtatibus vel a piratis ad iſta littora fuerint compulſi. Tunc enim ipſa imperioſa illa neceſſitas praeſumtionem iſtam, quod merces hoſtibus deſtinatae ſint, elidit. *Hinc ſi propter neceſſitatem aduerſae tempeſtatis onus expoſitum ſit, non debere hoc commiſſo vindicari*, iam diui fratres, MARCIANO (l) teſte, reſcripſerunt. Et CONSTANTINVS AVG. (m) *Si quando*, inquit, *naufragio nauis expulſa fuerit ad littus, vel ſi quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat, fiſcus meus ſe non interponat. Quod enim ius habet fiſcus in aliena calamitate, vt de re tam luctuoſa compendium ſectetur?* Quamuis vero priorem legem ad vectigalia; poſteriorem ad res naufragorum, a fiſco non vindicandas pertinere non ignorem: eadem ta-

(i) Placat *der Hochmoegenden Herren Staten* cIↄIↄCLVII. *Art. IV.*

(k) Tractat *van de marine* cIↄIↄCL. *art. IX. pag.* 650.

(l) *L. vlt. §. 8. D. de publica. & vectigal. & commiſſ.*

(m) L. 1. C. *de naufrag.*

men, ratio etiam ſuadet, ne naues tempeſtate vel piratarum metu ad littora hoſtilia compulſae in commiſſum ob nudam praeſumtionem cadant. Quod & Batauorum ordinibus viſum eſt aequiſſimum, vnde ſtatim addunt: *Et vvaere dann daſs dieſelbe Schiffe durch den Sturm oder andere Noth dahin getrieben und gerathen ſeyn moechten, und ſolches von dem Rath der Admiralitaet, aus deſsvvegen aufgenommenen Circumſtantien, koenne abgenommen und geurtheilet vverden.* Nec minus deinde contra nautas militat praeſumtio, ſi vel diverſa & contraria in naue inſtrumenta reperiantur, vel magiſter nauis eadem plane in mare proiecerit. Tunc enim dolum latere, eo minus eſt dubitandum, quo maior in his inſtrumentis fides curaque exigitur. De contrariis inſtrumentis praepotentes Belgii ordines cauerunt (n): *Maſſen vvir für verbrochen halten vvollen, und von nun an für gute Priſen erklaehren alle die Schiffe, ſo vvohl auch die eingeladene Güter, Wahren und Kauffmannſchaſſten, von vvelchen mehr als ein See-Brief, certepartie, doppelte Fracht-Briefe, cognoſcementen oder andere Beſcheiden gefunden vverden.* De inſtrumentis vero in mare proiectis ibidem diſponitur: *Wie dann auch alle Schiffe und Güter, die mit ervvehnten Beſcheiden und documenten nicht nach Gebühr verſehen ſeyn, vor verbrochen gehalten vverden ſollen.* Et clarius LVDOVICVS XIV. (o) Rex Francorum, in priuilegio, ciuitatibus Hanſeaticis conceſſo, nauibus iſtarum ciuitatum indulget, vt pro commiſſo teneri non poſſint, ſi vel maxime res hoſtium in iis reperiantur, *ſi ce n'eſt, qu'il s'y en trouvaſt de contrebande, ou que les maiſtres des dits vaiſſeaux euſſent jetté leurs papiers cy-après ſpécifiés à la mer.* Et hae quidem ſunt praeſumtiones illae, quae perſuadent, merces naui impoſitas hoſti deſtinatas eſſe, niſi probationibus euidentioribus elidantur.

§. XI.

Vnde pateat, easdem hoſtium eſſe proprias?

Quum vero non minus ſaepe obſcurum ſit, vtrum res naui impoſitae hoſtium ſint, an amicorum, maxime ſi certificationes, quas vocant, vel ſuſpectae ſint, vel plane deſiderentur: & hic etiam fortiſſima praeſumtio ex ipſa naui naſcitur. Si enim hanc hoſtilem eſſe conſtiterit, dubitandum non eſt, quin & res illi impoſitae tamdiu hoſtium eſſe praeſumantur, donec aliud liquido fuerit probatum. Agnoſcunt id GROTIVS (p), MARQVARDVS (q), & reliqui, qui

(n) Placat der Hochmoegenden Herren Staaten art. V.

(o) See-Tractat zvviſchen Ludou. XIV. Koenig in Franckreich und den Hanſee-Staedten. Art. III.

(p) Grot. de iure belli & pacis lib. III. cap. VI. §. VI.

(q) Marquard. de iur. mercat. lib. II. cap. IV. n. XXXI.

Digitized by Google

qui his in rebus induſtriam ſuam exercuerunt, ſcriptores. Et ſane iuris certiſſimi eſt, res in aedibus vel praedio repertas tamdiu domini praedii praeſumi, donec aliud probetur ab eo, cuius intereſt, res pro aliems haberi. Quemadmodum enim poſſeſſio ab onere probandi titulum ordinarie liberat (r): ita merito etiam contra poſſidentem militat praeſumtio, donec elidatur, ceu exemplo furti apud alium concepti patet (s). Quod ius vt in nauibus etiam obſeruetur, aequiſſimum arbitramur. Accedunt tamen & aliae praeſumtiones, in quibus neſcio an primum ſibi locum merito vindicent SIGNA MERCATORVM, quae & MARCAS adpellitant. ; Haec enim ciſtis & inuolucris mercium impreſſa praeſumtionem de domino inducere, ALBERICVS GENTILIS (t), STRACCHA (u), MENOCHIVS (x), aliique (y) agnoſcunt. Id quod & Romani iuris principiis videtur conſentaneum, quae ex ſignis praeſumi iubent, rem venditam traditamque eſſe (z), praeterquam in vinis, quibus ante deguſtationem ſignatis, periculum adhuc venditoris eſſe cenſetur, niſi aliud conuenerit (a). Quod ſi itaque in naue res reperiantur vel hoſtilis reipublicae vel mercatoris cuiuſdam e gente illa ſigno notatae, nihil aequius eſt, quam vt hoſtium eſſe tamdiu praeſumantur, donec aliud demonſtretur.

§. XII.

Vnde conſtet, naues ipſas eſſe hoſtium?

Eadem denique praeſumtio locum habet in diiudicandis nauibus, vtrum illae ſint hoſtiles, nec ne. Ex ſignis enim naui impoſitis (*der Flache*) merito iudicatur, quae gens illam mari immiſerit, maxime quum legibus publicis vbique cautum ſit, ne quis alienis inſignibus in naui vtatur, poenaque vel confiſcationis vel mulctae pecuniariae propoſita ſit iis, qui ea in re dolo malo vtuntur. Sic iam Anconitanos ſanxiſſe refert BENEVENTVS STRACCHA (b), ne magiſtri nauium inſignibus aliarum ciuitatum vterentur. Idem & HAMBVRGENSIBVS (c) placuit, quorum haec eſt lex nautica: *Ein ieglicher unſer Bürger ſoll führen einen rothen Flüger, und vver das nich thut, der ſoll es beſſern mit 3. Marck Silbers.* Quin iam iure

 Romano

(r) L. II. C. *de petit. hered.* L. *fin.* C. *de rei vindicat.*

(s) §. 4. *inſt. de obligat. quae ex delictis. Paull. recept. ſent.* II. 31. 3. *&* 5.

(t) Alberic. Gentil. *aduoc. Hiſp. lib.* II. *cap.* X.

(u) Stracch. *de mercat. part.* II. *nu.* LXXVIII.

(x) Menoch. *de praeſumt.* III. *praeſ.* LXIV.

(y) Nic. Boer. *Deciſ.* CV. *n.* IX.

(z) L. I. *prin. D. de peric. & comm. rei vendit.*

(a) *L.* 14. §. 1. *D. eodem.*

(b) Stracch. *de naut. nauib. & nauigat. part.* III. *n.* XXIV.

(c) Statut. Hamb. *part. II. Tit. XIV.*

Romano ſimile quid ſtatutum eſſe conſtat. Nota enim eſt lex ARCADII & HONORII (d): *Multi naues ſuas diuerſorum nominibus & titulis tuentur: cui fraudi obuiantes praecipimus, vt, ſi quis ad euitationem publicae neceſſitatis titulum crediderit opponendum, ſciat, nauem ſiſco eſſe ſociandam.* Si fingamus ergo, inſigne hoſtis in naue amica reperiri, procul dubio iure praeſumetur, nauem illam hoſtis eſſe, adeoque fiſco vindicabitur, niſi oſtendere liquido poſſit magiſter nauis, ſe iuſta de cauſſa, veluti metu piratarum, hoc inſigni vſum. Hoc vno ergo probationis genere contraria praeſumtio eliditur. Nam ſi dolus ea in re adpareat, nihil iuſtius eſt, quam vt nauis fiſco vindicetur: quamuis, ſi ſolius naucleri ea in re dolus verſetur, naues ac merces dominis iure reſtituantur, ceu Anconae aliquando iudicatum teſtatur BENEVENTVS STRACCHA (e).

§. XIII.

Cui praeda cedat, ſi naues captae a nauibus imperantium bellicis?

Actum hactenus eſt de nauibus ipſis, quae ob merces illicitas pro commiſſo tenentur: proximum eſt, vt, quibus lucrum inde debeatur, eadem cura expediamus. Videntur vero & hic tres caſus curatius ſecernendi. Aut enim naues bellicae ipſius principis; aut naues priuatorum, auctoritate principis praedatum excurrentes, (*die Capers, Commiſſ. Fahrer, Armateurs*) aut denique naues mercatorum, ſecuritatis cauſſa in claſſem conſociatae, (*eine gantze Admiralſchafft*,) naues amicas ceperunt. Si iſtud factum, nemini videbitur dubium, quin nauis cum vniuerſa praeda fiſco vindicetur. Quum enim princeps ſit, cuius auſpiciis bellum geritur, idemque & ſumtus & onera belli ferat: conſequens eſt, vt & praeda ab eius nauibus & nautico milite occupata, non huic, ſed ipſi principi cedat (f). Solent tamen principes, eorum virtutem excitaturi, etiam his partem aliquam loco praemii concedere. Vnde ordines Belgarum in ſaepe laudato edicto (g): *Was aber die Schiffe und Güter betrifft, ſo von einigen dieſes Staats Orlogs-Schiffen in der See betreten, und von dannen vvegen contrauention vvider dieſe unſere Ordonantz und Aduertentz aufgebracht und folgends durch gemeldte Raethe der Admiralitaet für verbrochen und gute Priſen erklaeret vverden, von denſelben ſoll die Theilung geſchehen, nach denen desvvegen hiebevor gemachten oder nochzumachenden Inſtructien, Placaten und Ordonantzen.* Atqui diſtributione non erat opus, niſi & militi nautico vel eius praefecto pars praedae eſſet attribuenda.

§. XIV.

(d) L. 1. C. *de nau. non excuſ.*

(e) Straccha *l. c.*

(f) Puffend. *iur. nat. & gent. lib. VIII. cap. VI. n. XXI.*

(g) Placat der Hochmoegenden art.

§. XIV.

Paullo aliter ſe res habet, ſi priuati autoritate publica praedatum excurrant, qui vocantur *Capers*, *Commiſs-Fahrer*, *Armateurs*, *Octroyrte Freybeuter*, adeoque tum a praedonibus maritimis vel piratis, tum ab aliis, qui damni ſibi illati ſarciendi cauſſa vela pandunt, *von den Retorſien-Fahrern*, probe ſunt diſtinguendi. Quemadmodum enim priuati ſuo arbitrio, nullaque principis vel reipublicae auctoritate muniti, praedatum excurrunt, & hoſtes amicosque iuxta habent, ideoque extremo ſupplicio deprehenſi mactantur (h): ita qui damni reſarciendi cauſſa vela pandunt, (*die Retorſien-Fahrer*) priuato quidem arbitrio, ſed principe tamen generatim concedente, naues hoſtiles ſibi infeſtas perſequuntur. Ab his diuerſi die *Commiſs-Fahrer* vel *Capers*, accepta a ſummo imperante poteſtate, praedatum excurrunt, non hoſtiles modo, verum etiam amicas capturi naues, ſi illis merces illicitas hoſtibus aduehere conentur. Quum ergo hi ſuo ſumtu inſtruant naues militeſque colligant, publicis tamen auſpiciis nauigent: dubium non eſt, quin maximam praedae partem lucrentur, certa tantum parte fiſco relicta (i). Sic apud Italos captae nauis pars tertia cedit domino navis victricis, tantumdem ferunt, quorum merces in naui victrice ſunt, & reliqua pars militibus relinquitur (k). Apud Hiſpanos pars praedae Regi, pars maris praefecto attribuitur: reliqua itidem victores capiunt (l). Galliae quoque moribus regi non modo praecipuum, verum etiam praefecto maris decima pars praedae debetur (m). Denique & apud Batauos quinta parte a fiſco deducta, & relicta praefecto maris portione, reliqua partim delatores partim victores manent (n). In bello tamen cum Anglicana republica anno cIↄ Iↄʟɪɪ. geſto ita ſanxerunt Batauorum ordines (o): *Es ſoll alle daſſelbe Geld, vvelches von der confiſcation oder ſonſten aus dieſer unſer ordonantz vvird reſultiren, und herkommen, appliciret vverden, vvie gevvoehnlich alle poenen, mulcten und confiſcationen der placaten appliciret und vertheilet vverden, nehmlich ein Drittheil zu profite des Betreters, oder Angebers, es ſey derſelbe in Eyd und Dienſten dieſer Lande oder*

Cui, ſi priuatae naues autoritate publica naues ceperint?

(h) Loccen. *de iur. marit. lib. II. cap. III.* Stypman. *de iur. marit. & naut. Part. IV. cap. XVIII. n. LXX. ſequ.*

(i) Grotius *lib. III. cap. VI. §. XXV. n. VIII.*

(k) Conſulat. Mar. *cap. CCLXXXV.*

(l) Grotius *l. c.*

(m) Conſtit. Gall. *lib. XX. Tit. XIV. art. I.*

(n) Ordinat. *Belg. inſtruct. rei marit. cap. XXII.*

(o) Placat *der Hochmoegenden Herren Art. X.*

nicht, ein Drittheil zu profite des Officirers, der die calangie und executie gethan, und das reſtirende Drittheil zu profite des gemeinen Gutes. Non ergo eaedem vbique hac de re vigent leges nauticae, adeoque principum & rerumpublicarum eſt, ſtatuere, quam quiſque partem praedae capere debeat.

§. XV.

Quid ſi naues conſociatae (eine Admiralſchafft?)

Quod denique ad naues mutuae defenſionis cauſſa conſociatas attinet, eae adpellantur *Admiralſchafften.* Ex quo enim Saraceni principes ſuos vocare coeperunt *Emirs*, vel *Amiras*, *dominos*, eaque adpellatio deinde ad praeſides prouinciarum ac poſtremo ad ipſos maris praefectos produci conſueuit: Chriſtiani etiam miro conſenſu claſſium praetores nuncuparunt *Amiralios* vel *Admiralios*, ceu praeclare docuit CAR. DV FRESNE (p), qui etiam obſeruauit, alucinari omnes, qui huic voci vel ex Anglo-Saxonica vel ex Graeca lingua arceſſunt originem. Ab his ergo nauium praefectis nomen accepit coitio quaedam nauium ſub communi praefecto aduerſus piratas, aut alios ſiue inuaſores ſiue hoſtes, priuata auctoritate facta. Graeci eiuſmodi conſociationem vocabant σύμπλοιαν vel ὁμόπλοιαν: Germani dicunt: *Es iſt Admiralſchafft gemachet vvorden.* Sic IVS MARITIMVM HANSEATICVM (q): *vvann Admiralſchafft gemackt, und nicht gehalten, und darüber iemand genommen vvird, ſo ſoll derjenige, vvelcher die Admiralſchafft gebrochen, den Schaden von dem ſeinen zu bezahlen ſchuldig ſeyn.* Et LEGES DANIAE (r): *Sind in einem Hafen in oder auſſer dem Reiche einige den Kaenigl. Vnterthanen gehoerige Schiffe, die zu einer Zeit ſeegelfertig ſeyn, und aus Furcht vor Caper oder andern unglücklichen Zufaellen für rathſam erachten, daſs ſie zuſammen bleiben, und Admiralſchafft aufrichten, ſo ſollen ſie gevviſſe Articuln ſchriftlich mit einander eingehen.* Quamuis vero eiuſmodi σύμπλοιαν priuata auctoritate ineant magiſtri nauium: nauis tamen omnium munitiſſima reliquis praeeſt, ac ideo publicum principis vel reipublicae ſuae inſigne praefert, *es führt die Admirals Flache.* Qua de re denuo IVS DANICVM (s): *Iſt alsdann ein vvehrbares Schiff darunter, ſo ſoll ſelbiges eine Flache führen, und die andern vertheidigen.* Et IVS ADMIRALITATIS HAMBVRGENSE (t): *Es ſoll auch*

(p) Car. du Freſne Gloſſar. *lat. voce Amir.*

(q) Ius marit. Hanſeat. *Tit. VII. Art. vnic.*

(r) Ius Dan. *lib. IV. cap. VII.* §. *I.*

(s) Ius Dan. *lib. IV. cap. VII.* §. 11. *conſ.* Stypman. *ius naut. Part. IV. cap. XI. n.* 48. *ſequ.* Loccen. *de iur. marit. lib. II. cap. II.*

(t) *Der Stadt Hamburg Admiral-ſchaffs-Ordnung Art. XII.*

Digitized by Google

auch einer ieden Flotte durch die Deputirten ein gevviſſer Admiral und Vice-Admiral vorgeſetzet vverden. Da aber zu einem mahl eine gar groſſe Flotte abſeegeln vvolte ſoll zvvar eine iede Compagnie, ſo auf einen Ort mit einander zu ſeegeln hat, ihren Admiral und Vice-Admiral haben, nichts deſtovveniger ſoll ihnen noch ein Ober-Admiral durch die Deputirte zugeordnet vverden, der den andern ſo lange commandiren moege, biſs ſie kommen auf die Hoehe, da ein ieder ſeinen Cours veraendern muſs. Ceterum ſi claſſis eiuſmodi nauem aliquam vel hoſtilem vel mercibus illicitis onuſtam capiat, diſtinguendum eſt, vtrum iuncta opera viribuſque conſociatis hanc praedam fecerint, an vna vel altera nauis ſeorſum illam ceperit. Priore caſu praeda vendita inter ſingulos *συμπλοίας* iſtius participes; poſteriore inter magiſtros nauium victricium eorumque nautas habita ratione ſtipendii eorum diſtribuitur. Qua de re denuo IVS DANICVM (u): *Zutrüge es ſich, daſs eine dergeſtalt geſchloſſene Flotte ſich eines feindlichen Schiffes bemaechtigen vvürde, ſoll ſelbiges alsbald in eines von des Koenigs oder ſeiner Alliirten Hafen gebracht, und alda nach rechtmaeſsigem Verfahren Preiſs gemachet vverden. Was daraus gemachet vvird, ſoll unter alle, die unter der Admiralſchafft gevveſen getheilet vverden. Würde es aber von einem der andern abgeſonderten Schiffe aufgebracht vverden, ſo hat derienige, der es geführet, ſolches allein zu genieſſen, und theilet die Beuthe unter ſich und ſein Schiffs-Volck nach Gleichmaeſsigkeit eines ieden Lohns und Monaths-Gelder.* Non multo aliter ſtatuunt Bataui (x), apud quos ſi nauis hoſtilis adimitur, nauis cedit occupantibus, & hi praeterea capiunt bimeſtre ſtipendium tot perſonarum, quot in naue captae ſunt. Iuſtiſſimum hoc eſt vel eo nomine, quod iſtius coitionis ſocii non modo ſumtus omnes ferre, verum etiam damnum per hoſtes aut piratas vni vel alteri extra nautarum culpam illatum omnes, ut fit in magna hauaria, rependere tenentur (y). Eumdem vero fructus ferre, cui & damnum ferendum eſt (z), ipſi aequitati naturali conſentaneum eſſe nemo non intelligit. Attamen nec id vbique obſeruatur. Quum enim mercatores quidam Selandini anno CIↃ IↃCII. nauem Luſitanicam opulentiſſimam cepiſſent: quintam partem ſibi fiſcus vindicabat: ſextam partem petebant nautae, qui & gemmas aliaque pretio-

(u) Ius Dan. *ibid. art. VI.*

(x) Hollandiſch See-Recht. *tit. von Admiralſchafft pag. 92. & 93.*

(y) Grot. *de iure belli & pacis lib. II. cap. XII. n. XXV.* Stypman. *de iure marit. & naut. part. IV. cap. XI. n. 52. ſequ.*

(z) *L. ſecundum naturam* 10. *D. de reg. iur.*

pretioſa, e mari extracta, ſibi vindicabant. Pauperibus 10000. floreni dabantur. Reliqua exercitoribus relinquebantur (a).

§. XVI.

Naues captae in commiſſum cadunt poſt ſententiam a iudicio cauſſarum maritimarum latam.

Sed cum ex his ſatis conſtet, cui cedant naues ac merces, quae captae pro commiſſo tenentur: paullo incertius videtur, an ipſo iure committantur? Vulgo id adfirmant doctores, eumque in finem allegant VLPIANVM (b), qui, quod commiſſum eſt, ſtatim ait deſinere eius eſſe, qui crimen contraxit, ob eamque cauſſam dominium rei vectigali adquiri, & commiſſi perſequutionem ſicut aduerſus quemlibet poſſeſſorem, ſic aduerſus heredem competere docet. Sed praeterquam, quod haec lex tantum de iis, quae ob profeſſionem neglectam in commiſſum cadunt, loquitur: ne in his quidem ita intelligenda eſt, ac ſi fiſcus propria auctoritate poſſeſſionem adprehendere poſſit, ſed & hoc caſu opus eſſe ſententia declaratoria, agnoſcunt GAILIVS (c), COLERVS (d), MODESTINVS PISTORIS (e), STRVVIVS (f), aliique iure conſulti praeſtantiſſimi. Et ſane quemadmodum ipſo iure dominium rei pure legatae tranſit ad legatarium (g), nec tamen ideo ſequitur, vt hic ſua auctoritate poſſeſſionem prehendere poſſit (h): ita non minus hoc procedit in rebus ipſo licet iure commiſſis. Quum enim non parum inde detrimenti capiant domini, & magna ſaepe ſit publicanorum iniquitas: aequiſſimum eſt, vt non niſi cauſſa cognita, lataque ſententia, fiſcus in rerum pro commiſſo occupatarum poſſeſſionem mittatur. Quidquid vero ſit de rebus ob defraudatum vectigal commiſſis: illud certum eſt, in naues ob rerum illicitarum vecturam captas dominium non prius vel fiſco vel capientibus adquiri, donec ea de re ſententia ſit lata ab harum rerum moderatoribus. Pretioſa enim res eſt nauis, & merces illi impoſitae plerumque maximam patrimonii aliquot priuatorum partem exhauriunt. Iniquiſſime ergo ageretur cum dominis, ſi naues captae ſtatim retinerentur. Quin quum & nautica turba ſit genus hominum legibus indomitum pariter ac rapaciſſimum, de quo iam apud EVRIPIDEM HECVBA (i) recte queritur:

Ἀκόλαστος ὄχλος ναυτική τ' ἀναρχία
Κρείσσων πυρός, κακὸς δ' ὁ μή τι δρῶν κακόν.

Indomita

(a) Meteran. *Annal. Belg. lib. XXIII. p.* 164. *sequ.*

(b) *L.* 14. *D. de publ. vect. & commiſſ.*

(c) Gail. *lib. II. obſeru.* LI.

(d) Colerus *de proceſſu exſecut. lib.* I. *cap. III. n.* 84.

(e) Modeſtinus Piſt. *part. II. conſ.* LXXXIV. *n. XVIII.*

(f) Struu. *exerc. XXXIX.* §. LI.

(g) *L.* 80. *D. de legat.* 2.

(h) *L.* 1. §. 2. *D. quod legator.*

(i) Euripid. *in Hecuba.*

Digitized by Google

Indomita plebs & nauta frenari ſolens
Minus igne: malus eſt, qui nihil fecit mali.

facile fieri poſſet, vt nauem amicam non tam iure quam ſpecioſo praetextu capiant, atque ita multos priuatos nihil tale meritos ad ſummam redigant mendacitatem niſi magiſtratui reddenda eſſet ratio.

§. XVII.

Hinc legibus nauticis & ſummorum imperantium edictis ſaepiſſime cautum legimus, vt captae ob merces illicitas naues in portus abducantur, & a proximo collegio admiralitatis, quod vocant, cauſſa cognoſcatur adcuratiſſime, vt lata demum ſententia adpareat, dimittendane ſit nauis, an commiſſa iudicanda, an denique vel merces commiſſa naui, vel nauis vindicatis mercibus, dominis ſint reſtituendae. Inter Ludouicum XIV. & ciuitates Hanſeaticas (k) conuenit, vt capta ob merces vetitas naue Hanſeatica, praefecti nauis victricis non aperiant ciſtas, nec inuolucra mercium ſoluant, nec quidquam rerum in naue repertarum amoueant, & praeſentibus iudicibus rerum nauticarum, *(en la préſence des iuges de l' admirauté,)* inuentarium rerum omnium conficiendum curent. Eoque facto, ne ſic quidem cuiquam liceat aliquid, in naue iſta repertum, emere vel permutationis donationiſue titulo adquirere, *avant que les priſes n'ayent eſté déclarées bonnes par les iuges de ſa majeſté.* Idem inter ſe pacti ſunt Hiſpani & Bataui anno CIↃ IↃCL. (l) *Vnd im Fall in gemeldten der vniirten Prouintzien Vnterthanen Schiffen durch vorbeſchriebenes Mittel einige ſothane Kauffmannſchafften befunden vvürden, ſo hieroben für contrabande und verbothen erklaehret ſeyn: ſo ſollen dieſelbe von denen von der Admiralitaet, oder andern competenten Richtern allein entladen, gecalangiret und geconfiſciret vverden.* Ipſi etiam Belgae anno CIↃ IↃCL. in denunciatione ſaepe allegata (m) hac de re ita diſponunt: *Vnd ſoll die indicatur über die transgreſſion dieſer unſerer Ordonantz zukommen den Raethen der Admiralitaet, in vvelcher diſtrict die contrauentien entdecket vverden, oder vvo die Capitains, ſo die Schiffe aus der See aufgebracht, ausgefahren ſeyn.* Denique in edicto Friderici Regis Daniae CIↃ IↃCLIX. (n) itidem cautum: *Iedoch alle ſolche Güter nicht zu rühren, oder derſel-*

Quod ex ipſis gentium maritimarum legibus demonſtratur.

(k) See-Tractat *inter Ludov. XIV. & ciuit. Hanſeat. Art. III. & IV.*

(l) Tractat van de marine CIↃIↃCL. *art. XII.*

(m) Placat *Ihro Hochmoegenden* CIↃ IↃCLII. *art.* IX.

(n) Declaration *für die handthierende zur See* 1659. *art.* Ap. Marquard. *in Adp. pag.* 646.

Digitized by Google

derſelben etvvas zu eroeffnen, ehe dann darüber ein Vrtheil gefaellet, vvelches dann die Admiralitaet ohne einige dilation rechtmaeſſig und endlich abſprechen ſoll, vvie ſie ſelbige vor uns und unſern geliebten Reichs-Raethen verantvvorten und im Gericht geſtaendig ſeyn vvollen. Ceterum in hoc iudicio cauſſarum maritimarum ſummarie admodum procedi, non eſt dubitandum. In tribunalibus admiralitatis Hollandicis ne duplicam quidem litigantibus eſſe permiſſam tradit MARQVARDVS (o). Et in ordinatione proceſſus maritimi Lubecenſi CIↃ IↃLV (p) cauetur, vt proceſſus ſit ſummarius, vt non admittantur deductiones ſcriptae, vt peracta probatione non admittantur diſputationes *die ſchriffilichen diſputir-Geſetze*, vt ex iſtis curiis exſulent aduocati & cauſſarum patroni, vt lata ſententia ſtatim exſecutio decernatur, nec locus ſit adpellationi, ſupplicationi, reductioni, niſi ſumma, de qua litigatur, ſuperet mille marcas Lubecenſes. Fiſci tamen cauſſam agit aduocatus fiſci, ceu exemplum paullo ante ex METERANO (q) adlegatum demonſtrat. Vnde lites eiuſmodi de commiſſis breui finiri, ſatis conſtat.

§. XVIII.

Lata ſententia, praeda ſtatim ſit eorum, qui ſub haſta emunt.

Illud quoque obſeruandum, quod lata ſententia, & naui fiſco addicta, res omnes ſub haſta vendi, nauis vero, ſi bellicis vſibus inſeruire queat, ſummo imperanti cedere, ſin ſit mercatoria, (*ein Kauffartbey-Schiff*) itidem ſub haſta venum exponi ſoleat. Quicunque rem eiuſmodi emit, ſtatim ſecurus eſt, non modo quod a fiſco emit, verum etiam quod rerum per mare adlatarum, & bona fide comparatarum ſtatim adquiritur dominium. Id ſane certum eſt de iure Hamburgenſi, in quo cautum legimus (r): *Bringet iemand Gut über See und Sand, und daſſelbe als geſtohlen oder geraubt Gut angeſprochen vvird, ſo iſt derienige, vvelcher das Gut gebracht, noch daſſelbe zu behalten, als iemand ihm daſſelbe abzugevvinnen, iedoch ſo er ervveiſen kan mit ehrlichen Leuten, oder mit ſeinem Wirth, oder auch durch ſchriffiliche Urkunde der Stadt, darinnen er das Gut gekaufft, daſs er daſſelbe redlich an ſich gebracht habe.* Quod ius Hamburgenſe ſingulari diſſertatione expoſuit B. IO. SAM. STRYCKIVS (s). Nec tamen dubium eſt, quin & alibi res eiuſmodi ſtatim adquirantur bona fide eas ementibus. In

(o) Marquard. *de iure mercat. lib. III. cap. VII. §. VI.*

(p) *Ordnung des ſummariſchen See-Gerichts-Proceſs E. E. Raths zu Lübeck ap.* Marq. *in Adp. p.* 704.

(q) Meteran. *lib. XXIII. p.* 163.

(r) Stat. Hamb. *lib. II. Tit. XIX. Art. II.*

(s) Io. Sam. Stryk. *de praeſcript. rerum per mare allatarum.*

Digitized by Google

In Gallia id praeterea ſingulare eſt, quod ius protimiſeos competat iis, qui nauem ceperunt. Qua de re in tractatu inter Ludouicum XIV. Regem Galliae & ciuitates Hanſeaticas cautum eſt (t): *au quel cas* (ſi ſcilicet ſententia lata ſit a cauſſarum nauticarum iudicibus,) *les capitaines des vaiſſeaux, ſur leſquels les dites marchandiſes auroient eſté priſes, les pourront rachetter, s'ils veulent, pour le prix de leur adiudication, & ſeront preferés à tous autres.* Sed ſua forſan cuiuis genti ea in re conſuetudo eſt, nec quidquam, quod vbique obſeruetur, hic poterit definiri.

§. XIX.

Nauium ita pro commiſſo occupatarum pretium an ab adſecuratoribus reſtituendum ſit, in adſecuratione pura?

Quum vero mercatores non facile belli tempore naues peregre mittere ſoleant, niſi contractu adſecurationis, quem vocant, ſibi de damno reſarciendo proſpexerint, noua hic incidit quaeſtio, an & mercium hoc modo a fiſco vindicatarum ipſiuſque nauis, ſi & illius periculum in ſe ſuſceperint adſecurantes, pretium ſit reſtituendum? Vbi facile quiſque animaduertit, aliud de *pura*, aliud de *conditionali* adſecuratione eſſe reſpondendum. In illa quum ſimpliciter, ſine conditione aliqua temporis vel loci, periculum ſuſcipiatur: dubium non eſt, quin & pretium nauis ob merces illicitas ereptae ſit reſtituendum, dummodo non ipſo tempore adſecurationis factae in periculo verſatae ſint naues. Adſecurationem enim non ad praeteritum, ſed futurum & imminens periculum extendendam eſſe, legibus omnibus cautum eſt. Sic in ORDINATIONE PHILIPPI II. Regis Hiſpaniae (u) praecipitur: *So ſoll man auch keine Verträge von Verſicherung machen von die Gevärde einiger Kauffmanſchafften oder Schiffe, oder ſonſten von einigen andern Dingen, vvelche zu dem Tage, vvan die Verträge gemacht ſeyn ſollen, mögen verlohren oder vertruncken ſeyn.* Quod ſi tamen adſecuratus expreſſe ſibi caueri curauerit in euentum boni vel mali nuncii, nec, qui periculum in ſe ſuſcepit, probare poſſit, ei, cui cautum eſt, ante cautionem conſtitiſſe de damno, vel hic ab ea ſuſpicione ſe iureiurando liberare queat: procul dubio & tum tenebitur adſecurator. Et ita non ſolum in ROTA GENVENSI (x) iudicatum eſt, verum etiam iudicari iubent leges de adſecurationibus receptiſſimae. Ita enim in ORDINATIONE AMSTELODAMENSI (y) cautum eſt: *Men vermach ook Schepen, Goeden, Waeren en Koopmanſchappen, die verdroncken, geroofſt of bedorven zyn doen*

 aſſeu-

(t) See-Tractat *zvviſchen Lud. XIV. art. V.*

(u) *Ordnung von Aſſecurantz der Schiffe* cIↃIↃLXX. *art. XI.*

(x) Rot. Genu. *Deciſ.* CII. *num. IV. & V.*

(y) *Aſſecurantz - Ordnung der Stadt Amſterdam art. XXI.*

aſſeureren, oek na dat ſe verdroncken, geroofſt ende verdorven ſyn gevveſt, zo vvanner het ter kenniſſe van der perſoon, dietſelbe doet aſſeureren, niet gekomen en iſs, van de vertreckinge, rovinge, ende verderſeniſſe, van den vorſchreven Schepen ende goeden. Sed haec omnia locum tantum habent, ſi ii, qui periculum in ſe ſuſceperunt, merces eiuſmodi vetitas naui fuiſſe impoſitas nouerint: Nam nemo in ſe ſuſcipit periculum, niſi nauis curſum, merciumque quantitatem, qualitatem, numerum, menſuram, & quidem facta prius bona fide aeſtimatione, & inſtrumento ea de re ſollemniter confecto, exacte compertam habeat (z). Quod ſi itaque doloſe vetitae merces pro licitis fuerint indicatae: dubium non eſt, quin damni reſtitutio non poſſit ab adſecuratoribus peti (a).

§. XX.

An ſi adſecuratio ſit conditionata?

Sin non pure, ſed addita conditione, periculum in ſe quiſquam ſuſceperit: ex inſtrumento, quod Pollizzam vocant, diiudicandum, quos in ſe caſus ſuſceperint adſecuratores. Non enim pactum generale pertinet ad caſus iſtos fortuitos, de quibus non cogitatum videri poteſt (b). Hinc ſi nauis curſum mutet, vel ſi princeps eam ſub colore, quod merces vetitas contineat, capiat detineatue: non tenentur adſecuratores, niſi hoc diſerte in diplomate, vti plerumque fieri ſolet, cautum legatur (c). Hinc ſi vulgaris formula adhibita legatur (d): *Wy Aſſeureedeurs dragen alle peryckel der See, van vuer, van Winden, van vrienden ende vianden, van Briefen, van Marcke, oder repreſſalien, van arreſte ende detentie, van Konigen, Princen ende Heren, vvie ſie ſien, ende generalicken van allen andern perykeln ende fortuynen, die ſouden mogen overkoomen, in eeniger manieren, oft de man ſoude mogen verdencken, gevvonlick oder ongevvonlick:* nullum eſt dubium, quin damna omnia etiam nauis pro commiſſo occupatae reſarcienda ſint ab adſecuratoribus, qui merces eiuſmodi impoſitas, & ad hoſtes alterius amicae nationis deſtinatas eſſe, non ignorarunt.

§. XXI.

Si ſententia nondum lata, quamdiu

Quum autem ſupra dictum ſit, naues ob mercium illicitarum vecturam, ſententia demum a cauſſarum maritimarum iudicibus lata, fiſco cedere: quaeritur, an reſtitutio ſuſcepti damni peti poſ-

ſit

(z) Marquard. *de iure mercat. lib. II. cap. XIII. num. XXIV.*

(a) Santern. *part.* III. *n.* XIII. *ſeq.* & XLIII. *ſeq.*

(b) *L. 5. & L. 9. D. de tranſact. L. 1. D. de pign. act.*

(c) *Aſſecurations-Ordn. der Stadt Amſterdam art. VIII.*

(d) Marqu. *de iur. mercat. l. c. num.* LXVIII. Werlhoff. *de Polizza in adpend.*

Digitized by Google

ſit ab adſecuratoribus, priuſquam lis iſta finita ſit? Id vero procul dubio negandum. Tunc enim dubium adhuc eſt, libertatemne recuperatura nauis, an fiſco ceſſura ſit. Et hinc ſi in exteris locis detineatur, pro ſitu iſtorum propiore aut remotiore vel ſex menſium, vel anni vel biennii ſpatium exſpectandum eſt adſecurato, priuſquam ab adſecuratoribus damni ſuſcepti reſtitutionem exigere poſſit (e). Ita cautum eſt non ſolum ORDINATIONE AMSTELODAMENSI (f) verum etiam IVRE DANICO (g), quo etiam additur, hoc caſu, ſpatio illo elapſo, intra tres menſes reſtitutionem damni fieri debere ab adſecuratoribus: *Nach ſolchem Tage hat der Aſſecurant drey Monathe Friſt, die Gelder zu bezahlen. Erfolgt die Bezahlung binnen ſolcher Zeit nicht, ſo ſoll er, vvie obgemeldet, (monatlich einen halben* pro cento*) die Zinſen erlegen, und durch rechtlichen Mittel zur Zahlung angehalten vverden.*

exſpectandum ſit adſecurato, antequam reſtitutionem exigas?

§. XXII.

Quid vero ſi ſententia quidem lata, nauis ob mercium vetitarum vecturam fiſco addicatur, gens tamen, cui illa ademta eſt, iniuriam ſibi fieri conqueratur: an vllum ſupereſt remedium? Non temere hic ſtatim arma expedienda eſſe ſuadet prudentia. Solent ergo mitti legati, qui naues iniuſte captas repetant, id quod vocant *die aufgebrachten Schiffe reclamiren.* Quale exemplum noſtra aetate in Suecia occurrit, a qua Britanni pariter ac Bataui naues quam plurimas, quas iniuria ſibi ereptas conquerebantur, repoſcebant. Sin nec hoc quidem leniore remedio malo mederi liceat: decerni ſolent repreſſaliae. Exemplum iam ſupra retulimus ex ZOVCHAEO (h), qui Anglos litteras repreſſaliarum decreuiſſe memoriae prodidit; quum Hiſpani herbam Nicotianam pro merce vetita declaraſſent, naueſque Anglicanas ideo addixiſſent fiſco. Nec noſtra omnino aetas eiuſmodi repreſſaliarum vſum plane ignorat. Plura de repreſſaliis & pignorationibus nauium tradunt LOCCENIVS (i) & STYPMANNVS (k), quae, ne iuſto latius euagari videamur, merito omittimus, illud modo obſeruantes, ius iſtud pignorationis non penes priuatos eſſe, quantumuis iniuſta nauium detentione laeſos, ſed penes ſummos imperantes, quorum in arbitrio eſt, an pro indemnitate ſubditorum

Nauibus iniuſte captis, legati mittuntur illas repetituri, vel decernuntur repreſſaliae.

eas

(e) Marqu. *l. c. num. LXV.* Kurike *diatr. de Adſec. p.* 17.

(f) *Adſec. Ordn. der Stadt Amſterd. art. VIII.*

(g) Ius Danic. *lib. IV. c. VI.* §. 10.

(h) Zouch. *Ius fecial. Part. II. Sect. VIII. n. XII.*

(i) Loccen. *Ius marit. lib.* III. *c. IV.* §. *IX.*

(k) Stypman. *contin. ius maris. Part. V. cap. I. n. XXII.*

eas decernere velint? Tametſi enim aliud videatur GROTIO (l), & BODINO (m), qui illud ius etiam priuatis, hoc modo laeſis, iure competere, & fruſtra iuribus maieſtatis accenſeri contendunt: rationem tamen hoc fugere ſatis demonſtrauit ZIEGLERVS (n). Sunt enim repreſſaliae veluti praeparatio belli, vel potius bellum quoddam particulare, quo non minus ſaepe vniuerſa reſpublica in diſcrimen adducitur, ac bello iuſto indicto. Non magis ergo a maieſtate ius repreſſaliarum ſeiungi poteſt, quam ipſum ius bellum inferendi, niſi priuato cuiuis ius eſſe putes, rempublicam in extremum coniiciendi periculum. Vnde a IVLIO FERRETO (o) obſeruatum eſt, in regno Siciliae illum ſemiſſe bonorum omnium etiam feudalium mulctari, qui repreſſalias priuata auctoritate facere fuerit auſus.

§. XXIII.

Concluſio diſſertationis.

Sed haec quidem de nauibus, ob mercium illicitarum vecturam commiſſis, ex ipſis gentium mari potentiſſimarum legibus fœderibuſque diſſerere placuit. Breuitatem diſſertationis academicae rationes; naeuos, ſi qui lucubrationi huic haereant, iuuentus; conatum denique ipſa rei, cuius tractationem ſuſcepimus, dignitas vtilitaſque excuſabunt. Noſtrum eſt, Deo, ſtudiorum moderatori, votiuam ſuſpendere tabulam, eique totius, ſi qua futurae eſt vitae noſtrae ſtudiorumque rationes votis incitatiſſimis commendare.

DE

(l) Grot. *lib. III. de iure belli & pacis c. II. §. VII. n. III.*

(m) Bodin. *de Republ. lib. I. c. X.*

(n) Ziegl. *ad* Grot. *l. c. de Iur. Maieſt. lib. I. cap. XXXIV.* §. VIII.

(o) Iul. Ferret. *de re naual. lib. V. num. XXIV.*

DE COLLEGIIS ET CORPORIBVS OPIFICVM.

EXERCITATIO IX.

CAP. I.

DE ORIGINE ET IVRE COLLEGIORVM ET CORPORVM APVD ROMANOS.

§. I. Inſtituti ratio & partitio diſſertationis. §. II. Romulus in noua vrbe ciuibus opificia non permiſit. §. III. Quia ea non conueniebant fini reipublicae Romanae, qui erat potentia bellica. §. IV. Mutauit id NVMA*, qui & opificiis adſuefecit ciues, & collegia inſtituit. §. V. Collegia ab eo inſtituta qualia? Tibicines quinam fuerint? Quinam aurifices? Quinam fabri aerarii, vt & fabri tignarii, dendrophori, centonarii, dolabrarii, ſcalarii, tinctores, ſutores & reliqui opifices. §. VI. Collegiorum a Numa inſtitutorum conuentus & ſacra. §. VII. Cur ea collegia Numa contra Romuli inſtitutum inuenerit? §. VIII. Collegia illa aboleuit* TVLLVS HOSTILIVS, *reſtituit* SERVIVS TVLLIVS, *ac denuo ſuppreſſit* TARQVINIVS SVPERBVS. *§. IX. Primis reipublicae liberae temporibus nulla fuerunt collegia. §. X. Poſtea in vſum reuocata ſunt a decemuiris. §. XI. Parum honorifica tamen ſemper Romae fuit opificum conditio. §. XII. Et tamen tunc veteribus illis collegiis noua addita. §. XIII. Inde natae ſunt turbae reipublicae perniocioſiſſimae. §. XIV. Quare SCto ſublata ſunt praeter pauciſſima. §. XV. Poſtea ea reſtituit nouaque addidit P. Clodius. §. XVI. Ac denuo eadem ſuppreſſerunt Caeſar & Auguſtus. §. XVII. Digreſſio de collegiis ſacrorum cauſſa coëuntibus. §. XVIII. In primis de conuentibus Chriſtianorum. §. XIX. Collegiis inimiciſſimi*

ciſſimi fuerunt Claudius, Traianus, & ſequentes Imperatores. §. *XX. Quaedam tamen Collegia ſemper coëundi poteſtatem retinuere.* §. *XXI. Quin & noua ſubinde inſtituta ſunt indulgentia principum.* §. *XXII. Collegia ergo vel licita vel illicita. Illicitorum poenae.* §. *XXIII. In licita quinam recipi potuerint?* §. *XXIV. Quinam illis excluſi?* §. *XXV. An licuerit pluribus collegiis intereſſe?* §. *XXVI. Collegia vniuerſitates & quaſi reſpublicas conſtituebant, & hinc iuribus minorum vtebantur.* §. *XXVII. An iure antiquo heredes inſtitui, fideicommiſſa & legata capere potuerint?* §. *XXVIII. Quid ea in re legibus nouis ſenſim immutatum ſit?* §. *XXIX. Variae collegiorum immunitates.* §. *XXX. Earumque cauſſae.*

§. I.

Inſtituti ratio & partitio diſſertationis.

Conſilium eſt, de COLLEGIIS & CORPORIBVS OPIFICVM, eorumque origine & iuribus, paullo vberius agere, & ea maxime, quae vel praetermiſſa ab aliis, vel perfunctorie expoſita ſunt, ediſſerere curatius. Ne vero, quod vulgo fieri ſolet, peregrina patriaque iura imprudenter miſceamus: ipſi diligentiae noſtrae eos ponemus limites, vt priore capite Romanorum; poſteriore Germanorum mores atque inſtituta circa opificum collegia & corpora expendamus. Quo labore ſi ita defungemur, vt per Romanas patriaſque antiquitates excurramus paullo liberius, & frequentius praeſtantiſſimis omnis aeui ſcriptoribus, quam BARTOLO & BALDO, (quos honoris cauſſa nominamus,) denunciemus teſtimonium: facile, ſpero, id nobis condonabunt, quicumque ſaeculi noſtri intelligunt bona, nec compendiorum ambitu vniuerſam eruditionem iuridicam circumſcribendam exiſtimant.

§. II.

Romulus in noua vrbe ciuibus opificia non permiſit.

Vt ergo ab ouo, quod aiunt, ordiamur: illud initio obſeruamus, condita Roma, nullo loco in noua ac naſcente ciuitate fuiſſe opifices, adeo, vt quaeſtum facere in officina, indignum ciuium Romanorum perſonis viſum ſit. Quamuis enim hodie opificiorum artiumque manuariarum culturam rebuſpublicis omnibus commendent ciuilis prudentiae auctores: aliter tamen rationes ſuas compoſuit ROMVLVS, qui Quirites ab artibus mechanicis, tamquam illiberali quaeſtu, penitus abſtinere iuſſit. Teſtis eſt DIONYSIVS HALICARNASSEVS (a), qui Romuli perſequutus inſtituta:

(a) Dionyſ. Halic. *Ant. Rom. lib.* II. *pag.* 98.

Digitized by Google

tuta: ἐπιδιφρίους μὲν, inquit, καὶ βαναύσους, καὶ προσαγωγοὺς ἐπιθυμιῶν, αἰσχρῶν τέχνας, ὡς ἀφανιζούσας καὶ λυμαινομένας τά τε σώματα καὶ τὰς ψυχὰς τῶν μεταχειριζομένων, δούλοις καὶ ξένοις ἀπέδωκε μεθοδεύειν. *Propterea ſellularias quidem & ſordidas, & turpium cupiditatum incitatrices artes, vt corporibus & animis tractantium noxias & peſtiferas, ſeruis & exteris exercendas tradidit.* Quo loco quidem interpres τέχνην βάναυσον *ſordidam artem* tranſtulit: ſed Graecis omnes artes mechanicas & manuarias, & maxime fabriles, βαναύσους adpellari, ſatis conſtat, vt merito mireris, etiam doctiſſimum SCHEFFERVM (b) inter mechanicas & ſordidas vel ſellularias artes diſtinguere, & his tantum βαναύσων nomen concedere, quum tamen & mechanicae artes ſaepiſſime audiant βάναυσοι, & ipſi opifices vel ἀποχειροβίωτοι Graecis vocentur mechanici (c). Ex quibus, patet, non ſordidis tantum & ſellulariis, ſed omnibus in vniuerſum artibus manuariis Romanis interdixiſſe Romulum, ſoliſque ſeruis & peregrinis quaeſtum illum mercenarium reliquiſſe.

§. III.

Opificia non conueniebant fini reipublicae Romanae, qui erat potentia bellica.

Rationes huius inſtituti non adeo obſcurae videntur. Quum enim ex fine omnia metienda ſint; ad eum etiam in conſtituenda republica vnice reſpexit Romulus. Non alium vero ſibi finem propoſuerat, quam potentiam bellicam & latam quaqua verſum dominationem. Facile praeuidebat vir ſagaciſſimus, nouam, quam condiderat, vrbem neque commerciis, neque opificiis, neque agricultura vel re pecuaria, eam, quam animo conceperat, felicitatem conſequuturam. Commerciis obſtabant vrbis ſitus, Tiberini amnis anguſtia, onerariis nauibus eo quidem tempore vix peruia (d), & maxime tot florentiſſimarum vrbium portuumque vicinia, quorum luminibus officere, omnino videbatur difficillimum. Neque ex artibus opificiiſque in tanta ſaeculi frugalitate multum ſplendoris ſperari poterat nouae ciuitati, maxime quum aduentitia illa turba, quae Romam confluxerat, rei potius pecuariae & latrociniis, quam artibus & opificiis, adſueuiſſet. Denique & agriculturam ipſa agri Romani anguſtia parum quaeſtuoſam pro-

(b) Scheffer *in indice Graec. ad* Aelian. *voce* βάναυσος τέχνη.

(c) Kuhn *in Addit. ad* Scheffer. *indicem l. c.*

(d) *Vid.* Marliani *Topogr. Rom. lib.* VII. *cap.* I. *p.* 271. *Poſterioribus tamen temporibus operam dederunt Romani, vt fluuium hunc redderent nauigabilem: quamuis non niſi actuariae naues Romam vſque pergerent, maiores Oſtiae ancoris alligarentur. Et de his temporibus intelligendus* Dionyſ. Halic. *lib.* III. *p.* 183. *qui de huius fluminis commoditate ſatis magnifice ſentit.*

mittere videbatur. Is enim, SIGONIO (e) teſte, principio fuit parum ſpatioſus, adeo, vt vltra Tiberim in Hetruria nullus eſſet, Latium vero verſum haut multum pateret. Quamobrem populo egeno, rudi, & nouarum rerum cupido, nihil magis conuenire videbatur, quam ſtudium rei militaris, quod vnice ſibi propoſuiſſe Romulum, iamdudum obſeruarunt auctores grauiſſimi, & in his HERM. CONRINGIVS (f). Ipſum ſane Romulum DIONYSIVS HALICARNASSEVS (g) nobis ſiſtit, de inſtituenda republica hunc in modum concionantem: *ἕτερον εἶναι τὰ σώζοντα καὶ ποιοῦντα μεγάλας ἐκ μικρῶν τὰς πόλεις· ἐν μὲν τοῖς ὀθνείοις τὸ διὰ τῶν ὅπλων κράτος. Aliud eſſe, quod ſeruet ciuitates, & e paruis magnas faciat; nimirum in externis bellis armorum potentiam.* Quem reipublicae ſcopum etiam paullo poſt commendat Romulus, dum libere profitetur, *μαχητάς τε καὶ δικαίους ἄνδρας, καὶ τὰς ἄλλας ἀρετὰς ἐπιτηδεύοντας τὸ τῆς πολιτείας σχῆμα ποιεῖν τοῖς φρονίμοις αὐτὰ κατασκευασαμένοις, bellicoſos viros, qui iuſtitiam caeteraſque virtutes colant, prudentibus hominibus, qui reſpublicas conſtituerunt, earum conſtituendarum formam praebuiſſe.* Quum ergo ſemel placuiſſet, Martis aleae committere ciuitatis fortunam: non ſolum id operam dedit Romulus, vt ciuitatem haberet frequentiſſimam, verum etiam, vt ipſi ciues ad arma ſumenda eſſent expeditiſſimi. Iam ſatis intelligebat vir ſagatae non minus, quam togatae prudentiae praeſidiis inſtructiſſimus, mercatoribus atque opificibus non ſatis cum militia conuenire: neque ignorabat, artes manuarias parum robuſtos & agiles milites dare, qui multo rectius ruri adoleſcerent. Hinc & eum potiſſimum quaeſtum, qui ex agricultura prouenit, permittebat ciuibus, iiſdemque, vt ait DIONYSIVS (h), *τόν τε πολεμικὸν καὶ τὸν γεωργικὸν ἔταξε βίον, tam bellica, quam ruſtica iniungebat munia.* Et haec demum eſt genuina ratio, ob quam ciues artes manuarias facere vetuit Romulus, quae etiam alias gentes bellicoſas permouit, vt vel e rebuſpublicis ſuis proſcriberent opificia, vel certe arma iis numquam traderent. Aegyptiis ſane ignobiliores habitos eſſe opifices, nec paſſos illos eſſe, militem his artibus contaminari, auctor eſt HERODOTVS (i). Idem de Lacedaemoniis teſtantur PLVTARCHVS (k), AELIANVS (l), & maxime XENOPHON

(e) Sigon. *de iure ciu. Rom. lib.* I. *cap.* II. *p.* 22.

(f) Conring. *ad Machiau. Princ. cap.* XII. *p.* 227.

(g) Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. lib.* II. *pag.* 79.

(h) Dionyſ. Halicarn. *lib.* II. *pag.* 98.

(i) Herodot. *lib.* II. *cap.* XLII.

(k) Plutarch. *in compar. Lycurgi & Numae. pag.* 76.

(l) Aelian. *Var. Hiſt. lib. VI. cap. VI.*

NOPHON (m), qui Spartanorum aliarumque Graecarum ciuitatum inſtituta inter ſe contendens: ἐν μὲν γὰρ δήπου, inquit, ταῖς ἄλλαις πόλεσι πάντες χρηματίζονται, ὅσον δύνανται· ὁ μὲν γεωργεῖ, ὁ δὲ ναυκληρεῖ, ὁ δ' ἐμπορεύεται, οἱ δὲ ἀπὸ τεχνῶν τρέφονται· ἐν δὲ τῇ Σπάρτῃ ὁ Λυκοῦργος τοῖς μὲν ἐλευθέροις τῶν μὲν ἀμφὶ χρηματισμὸν ἀπεῖπε μηδενὸς ἅπτεσθαι. *Nam aliis in vrbibus omnes, quocumque modo poſſunt, rem faciunt. Hic agrum colit, ille nauiculatoriae deditus eſt: bic mercatura, ille opificio exercendo ſe alit. Spartae vero Lycurgus ingenuis interdixit, quo minus ea, quibus rem facere poſſent, attingerent.* Quum ergo Romulus, non minus ac Lycurgus, ad potentiam bellicam omnia retulerit: non mirum profecto videbitur, eum etiam artes manuarias omnes, tamquam fini & ſcopo ſuo parum concinnas, e republica ſua proſcripſiſſe.

§. IV.

Mutauit id NVMA, *qui & opificiis adſueſ. cit ciues, & collegia inſtituit.*

Satis diu iſtud Romuli inſtitutum viguiſſe, credit DIONYSIVS HALICARNASSEVS (n), dum ait: καὶ διέμεινεν ἕως πολλοῦ χρόνου δι' αἰσχύνης ὄντα Ῥωμαίοις τὰ τοιαῦτα ἔργα, καὶ ὑπ' οὐδενὸς τῶν αὐθιγενῶν ἐπιτηδευόμενα: *longoque tempore pudori fuerunt Romanis opera talia, ita, vt nemo ex indigenis animum ad ea adplicaret.* Sed conſtat tamen aliunde, non diutius illud manſiſſe, quam ipſum Romuli imperium. Numa enim, qui Romulo ſucceſſit, nihil fecit reliqui, vt ciues feroces opificiorum artiumque redderet ſtudioſiores. Hinc non ſolum ciuibus eum quaeſtum permiſit, verum etiam ipſos opifices in certa collegia vel corpora primus deſcripſit. Rem memoriae prodidere PLINIVS (o) & PLVTARCHVS (p), cuius verba audire iuuat: Τῶν δὲ ἄλλων αὐτοῦ πολιτευμάτων ἡ κατὰ τέχνας διανομὴ τοῦ πλήθους μάλιστα θαυμάζεται - - Ἦν δὲ ἡ διανομὴ κατὰ τὰς τέχνας ΑΥΛΗΤΩΝ, ΧΡΥΣΟΧΟΩΝ, ΤΕΚΤΟΝΩΝ, ΒΑΦΕΩΝ, ΣΚΥΤΟΤΟΜΩΝ, ΣΚΥΤΟΔΕΨΩΝ, ΧΑΛΚΕΩΝ, ΚΕΡΑΜΕΩΝ, τὰς δὲ λοιπὰς τέχνας εἰς ταὐτὸ συναγαγὼν ἓν αὐτὸ ἐκ πασῶν ἀπέδειξε σύστημα· κοινωνίας δὲ καὶ συνόδους καὶ θεῶν τιμὰς ἀποδοὺς ἑκάστῳ γένει πρεπούσας τότε πρῶτον ἐκ τῆς πόλεως ἀνεῖλε τὸ λέγεσθαι καὶ νομίζεσθαι τοὺς μὲν Σαβίνους, τοὺς δὲ Ῥωμαίους, καὶ τοὺς μὲν Τατίου, τοὺς δὲ Ῥωμύλου πολίτας. *Prae ceteris eius inſtitutis commendatur populi per artificia centuriatio. - - Diuiſit autem ciuitatem per artes* TIBICINVM, AVRIFICVM, FABRVM, TINCTORVM, SVTORVM, CORIARIORVM, AERARIORVM, FIGVLORVM. Reli-

(m) Xenoph. *de Laced. Republ. cap. VII.* 1. & 2. *p.* 79. *Tomo V. Oper. edit. Oxon.*

(n) Dionyſ. Halic. *lib. II. p.* 98.

(o) Plin. *Hiſt. nat. lib. XXXIV. cap.* I. & *lib. XXXV. cap. XII.*

(p) Plutarch. *in Numa pag.* 71.

non FABRVM fuit, vt PLVTARCHI fert ordo, ſed AERARIORVM FABRVM, vt obſeruauit PLINIVS (a), qui de re aeraria agens: *Docuimus*, inquit, *quamdiu populus Romanus aere tantum ſignato vſus eſſet, & alia, quae vetuſtas tradidit, quum aequalem vrbi auctoritatem eius declararet, a Rege Numa tertio collegio aerariorum fabrum inſtituto.* Non dubito, quin hi antiquiſſimis temporibus etiam cudendis numis operam locarint: ſiquidem antiquiſſimi Romanorum numi aenei tantum fuerunt (b). Poſtea eam operam in ſe ſuſceperunt FLATVRARII AVRI ET ARGENTI MONETARII (c), quibus modo triumuiri, modo quatuoruiri auro argento aeri flando feriundo (d), nec non triumuiri, menſarii (e), & EXACTORES ARGENTI ET AERIS (f) praeerant, quorum iſti cudendis numis, illi iiſdem expendendis, hi materiae vel metallo colligendis praefecti fuiſſe videntur. Proximi his fabris aerariis procul dubio fuerunt FABRI, quibus poſteriore aeuo etiam CENTONARII, ac denique ex conſtitutione CONSTANTINI M. (g) etiam DENDRODHORI iuncti ſunt. Hinc ſaepe in vetuſtis marmoribus occurrit COLL. FABR. TIGNAR. (h) COLL. FABROR. ET CENTONAR. (i) COLL. DENDROPHOR. FABRVM CENTONARIORVM (k). CENTVR. CENTONARIORVM, DOLABRARIORVM, SCALARIORVM (l), e quibus ſeſe vix expedire adhuc potuerunt eruditi. Fabri tignarii qui ſint, nemo ignorat. Hi autem quum ſimul coërcendis reſtinguendiſque incendiis darent operam (m), eoque fine, duce praefecto vigilum, cum dolabris vncis aliiſque machinis vrbem noctu obirent (n): facile patet, cur fabris iungantur *centuriae ſcalariorum & dolabrariorum.* Eadem de cauſſa fabris etiam accenſentur *centonarii*, non a numero id nomen adepti, ſed a *centonibus*. Centones vero, vt e IVLIO CAESARE (o), VEGETIO (p) ipſoque Iure noſtro (q) conſtat, erant machinae, ad reſtinguenda incendia comparatae. De dendrophoris quam maxime dubitant eruditi.

(a) Plin. *Hiſt. Nat. lib.* XXXIV. *c.* I.
(b) Plin. *l. c.*
(c) Smet. *Inſcript. pag.* CXLIX. 5.
(d) Hotom. *de Magiſtrat. Rom. pag.* 436. Alex. ab Alex. *gen. dier. lib.* III. *cap.* XVI.
(e) Liu. *lib.* XXIII. *cap.* XXI. *l.* XXIV. *cap.* XVIII. *l.* XXVI. *cap.* XXXVI.
(f) Gruter. *Inſcr. p.* XXXVI. 8.
(g) L. I. *Cod.* Theod. *de Centon. & dendroph.* L. XIV. *Tit.* VIII.
(h) Smet. *Inſcript. p.* LVII. 3.
(i) Smet. *Inſcript. p.* LXXV. 6. *p.* CLX, 1. 2. 3.
(k) Smet. *Inſcript. p.* XLVI. 4.
(l) Smet. *Inſcript. p.* CLIX. 13.
(m) Plin. *lib. X. Epiſt.* XLII.
(n) L. 3. §. 3. *D. de offic. praef. vigil.*
(o) Iul. Caeſ. *de bello ciuili lib.* II. *cap.* X.
(p) Veget. *de re milit. lib. IV. cap. XV.*
(q) L. 12. §. 18. *de inſtruct. vel inſtrum. leg.*

Digitized by Google

diti. HADRIANO TVRNEBO (r) enim materiam ad machinas bellicas caſtrenſes & poliorceticas aduexiſſe videntur. PIERIVS VALERIANVS (s) eoſdem ratiarios fuiſſe mauult. Ab vtroque ſententiam ſuam ſeiungit CLAVD. SALMASIVS (t), qui dendrophororum collegium non ad artem aliquam fabrilem, ſed deorum cultum pertinuiſſe contendit. Denique acutiſſimus humaniſſimusque IAC. GOTHOFREDVS (u), eumque ſequutus THOM. REINESIVS (x), duorum generum dendrophoros ſibi reperiſſe viſi ſunt, quorum alterum in re fabrili, alterum in cultu Deorum fuerit occupatum. Sed omnino fabrili arti operam dederunt omnes dendrophori, in findendis quippe ſiluis, caedendis arboribus, carbonibus faciendis, aduehendis lignis aliiſque huiusmodi operis occupati (y); ideoque & fabris eos iungi praecipit CONSTANTINVS M. Iidem tamen & ſacris operabantur, vt paullo poſt paragrapho proxima oſtendemus. Vt adeo nec SALMASIO cauſſa fuerit ſuggillandi TVRNEBVM, nec GOTHOFREDO, ex vno dendrophororum collegio duo diuerſa fingendi. TINCTORVM & SVTORVM collegia, quae ſuperioribus ſubiungit PLVTARCHVS, non magis veteribus memorantur, ac collegium FIGVLORVM, niſi quod PLINIVS (z) hoc ſeptimum tenuiſſe locum refert. CORPVS CORIARIORVM MAGNARIORVM SOLARIORVM, nec non CORIAARVM in marmoribus Romanis (a) occurrit, & fortaſſis pars quaedam fuit illius collegii coriariorum, quod inſtituerat Numa. Reliquos opifices quum in vnum collegium conieciſſe dicatur Numa: illud mea quidem ſententia non aliud fuerit, quam illud, ex quo poſtea natum eſt COLLEGIVM MAGNVM, quod ſequiore aeuo ad ſacra magis quam opificia pertinuit. Eius aliquot vetuſta marmora (b) meminerunt, veluti illud Romanum:

D. M.

TI. CLAVDIO.

ONESIMO.

VIATO-

(r) Turneb. *Aduerſar. lib. XXIX. cap.* XVI.

(s) Pier. Valer. *Serm.* I.

(t) Salmaſ. ad Spartian. *Caracall. cap. IX.*

(u) Iac. Gothofr. *ad* L. 10. *Cod.* Theod. *de pagan.* & L. 1. *Cod.* Theod. *de centon. & dendrop.*

(x) Thom. Reineſ. *Inſcript. Claſſ.* 1. 40. *p.* 75.

(y) Alciat. *ad* L. 167. *D. de verb. ſignif.*

(z) Plin. *hiſt. nat. lib.* XXXV. *cap.* XII.

(a) Smet. *Inſcript. p.* LVIII. 1. Lazius *de republ. Rom. lib.* XII. *cap.* IV. *p.* 900.

(b) Smet. *Inſcript. p.* XXVII. 6. *p.* XLVII. 10.

Digitized by Google

VIATORI
COLLEGI MAGNI.
FL. ZMYRNA CONI.

Et haec quidem ſunt nouem illa collegia, quae a Numa Pompilio inſtituta fuiſſe, e PLVTARCHO diſcimus.

§. VI.

Ex eodem vero etiam adparet, collegiis his Numam non ſolum ſodalitates ſuas vel conuentus, verum etiam ſacra cuilibet conuenientia dediſſe. Sodalitates eo pertinebant, quod liceret collegiis ſtatis diebus coire, & de rebus ad opificium & collegii vtilitatem pertinentibus conſulere in medium, & ſumtibus corrogatis epulari (c): id quod apud Graecos ἰμυρία adpellabatur. Eo fine ſingulis collegiis praeerant, qui collegium ipſum dirigerent, alii, qui fiſci rationes conficerent, alii denique, qui collegis miniſtrarent. Quo in marmoribus pertinent MAGISTRI QVINQVENNALES COLL. FABR. TIGNARIOR. (d) MAGISTRI QVINQVENNAL. COLL. AVRIFICVM (e), PROCVRATOR TIBICINVM ROMANOR. (f) QVAESTOR COLL. CENTONARIOR. (g) HONORATI ET SCRIBAE COLL. FABR. TIGNAR. (h) COLLEGI MAGNI VIATOR (i). Quin quum inuiſa paullatim eſſe coepiſſent collegia: coeperunt ſingula ſibi e patriciis & nobilibus adſciſcere patronos, quorum praeſidio apud Senatum populumque vterentur. Hinc paſſim in vetuſtis marmoribus laudantur PATRONI COLL. CENTONARIORVM (k), DENDROPHORORVM (l), FABRORVM (m) & huius generis alii, quorum de origine atque officio iam alio loco (n) fuſius actum eſt. Erat praeterea collegiis ſingulis fiſcus, qui ARKA adpellatur in iure noſtro (o) & in marmore Romano (p), in quo ſtatuitur, VT ANNVI. X. DC. DIE VIIII. KAL. OCTOBR. NATALI DIVI AVGVSTI EROGENTVR EX ARK. Idem Numa etiam ſacra quaedam cuiuis collegio propria eſſe voluit, de quibus quamuis hodie non adeo exacta nobis ſuppetat notitia; ea tamen, quae commune naufragium euaſerunt, tamquam fractas tabulas colligere

Collegiorum a Numa inſtitutorum conuentus & ſacra.

(c) L. 10. C. Theod. *de pagan.*
(d) Smet. *Inſcrips.* p. XCVI. 4.
(e) Idem *Inſcr.* p. XCVI. 2.
(f) Smet. *Inſcr.* p. CXLIX. 14.
(g) Smet. *Inſcr.* p. CLIX. 15.
(h) Smet. *Inſcr.* p. LVII. 3.
(i) Smet. *Inſcript.* p. XCVII. 10.
(k) Reineſ. *Inſcript. Claſſ.* I. 302.
(l) Idem *Claſſe* I. 283.
(m) Idem *Claſſe* II. 17.
(n) Meum *Syntagm. Antiqu. Rom.* lib. I. *Tit.* II. n. XXIX.
(o) L. 1. §. 1. *ff. quod cuiuſcunque vniuerſ. nomine.*
(p) Smet. *Inſcript.* p. XXXIV, 16.

Digitized by Google

re iuuabit. Singulis ergo collegiis erant certi dii, qui iiſdem praeeſſe dicebantur, & in vetuſtis marmoribus ſaepe vocabantur *genii.* Sic GENIVS COLLEG. CENT. eſt apud REINESIVM (q): GENIVS COLLEGI TIBICINVM ROMANORVM Q. S. P. P. apud RAPH. VOLATERANVM (r) & eumdem (s). Singulis quoque collegiis feſti erant dies, quibus praecipue ſacris operabantur. De tibicinibus notum eſt, eos Idibus Iuniis celebraſſe quinquatrus minuſculas, quibus feriati per vrbem vagabantur, & ad aedem Mineruae conueniebant (t). Eidem Deae etiam fullones & cerdones vel tinctores ſacra feciſſe quinquatribus maioribus XIV. Kal. Aprilis, auctor eſt OVIDIVS (u), qui poſtquam docuit, feſtis illis diebus philoſophos, medicos, magiſtros litterarios, pictoreſque, & lanam tractantes ſacra feciſſe Mineruae, etiam fullonum & cerdonum ita meminit:

Hanc cole, qui maculas laeſis de veſtibus aufers:
Hanc cole velleribus, quiſquis ahena paras.

Praecipue fabris ſacra fuiſſe propria ac veluti domeſtica, vel inde conſtat, quod alicubi etiam ſingularia templa erant, in quibus ſacra facerent. Sic enim TEMPLVM CENTONARIORVM ET FABRORVM, Regii celebre, occurrit in marmore apud GRVTERVM (x). Praecipue tamen fabri Siluanum coluiſſe, & in eius honorem frondes & ramos pinuum e luco ſacro exciſarum per vrbem tuliſſe videntur, quod etiam alibi in Bacchi, Apollinis, Hecates & Cereris ſacris fieri conſueuiſſe, ex STRABONE (y), & ARTEMIDORO (z) diſcimus. Et ideo non ipſi modo hi fabri; ſed & Siluanus, quem hoc ritu colebant, DENDROPHORVS audit in hoc marmore (a):

SILVANO. DENDROPHORO. SACRVM.
M. POBLICIVS. HILARVS. MARGAR. Q. Q.
P. P. CVM. LIBERIS. MAGNO. ET.
HERMONIANO. DENDROPHORIS.
M. D. M. DE. SVO. FECIT.

Quo etiam adludens VIRGILIVS (b):

Et teneram, inquit, *ab radice ferent, Siluane, cupreſſum.*

Et

(q) Reineſ. *Claſſ.* I. *n.* 302.
(r) Raph. Volaterr. *Comm. Vrb. lib. XXX.*
(s) Reineſ. *Claſſ.* I. *n.* 167.
(t) Liu. *lib.* IX. *cap. XXX.*
(u) Ouid. Faſtor. *lib.* III. *v.* 821.
(x) Gruter. *Inſcript. n. CI.* 1.
(y) Strabo *lib. X.*
(z) Artemid. *lib. II. cap.* XLII.
(a) Smet. *Inſcript. p.* XXVII. 10.
(b) Virgil. *Aeneid. lib.* IX. *v.* 81.

Digitized by Google

Et ex eo ſimul reddi poterit ratio, cur Honorius auguſtus (c) dendrophororum collegium, tamquam ad profanum deorum cultum & ſuperſtitionem comparatum, ſacra & epulas facere vetuerit. Inde enim non ſequitur, vt dendrophori hi ab aliis, qui rei fabrili operam dederunt, fuerint diuerſi, aut vt Imperator iſte dendrophororum plane collegium ſuſtulerit, ſed vt ſacra tantum, a Numa fabris tradita, & conſtante vſu ſeruata, tamquam ſuperſtitioſa, primus aboleuerit.

§. VII.

Cur ea collegia Numa contra Romuli inſtitutum inuenerit.

Reliquum eſt, vt quas rationes habuerit Numa collegia iſta inſtituendi, tantumque honorem deferendi opificibus, paullo adcuratius diſquiramus. Scilicet vti Romulus iſtas artes indignas Quiritibus exiſtimauerat, quia ad potentiam bellicam omnia referebat: ita Numa eas artes iiſdem quam maxime commendabat, quia acrem, qua flagrabant, bellandi cupiditatem exſtinguere quam maxime annitebatur. Ipſe erat gente Sabinus. Sabinorum vero minime omnium intererat, Romanos armis valere, quippe a quibus iam imperante Romulo tantum non ad incitas fuerant redacti. Ne ergo reliquias Sabinorum exſcinderent, omnino iis ſuadebat prudentia, vt, quoad fieri poſſet, Romanorum ferociam ſupprimerent. Hinc a PLVTARCHO (d) memoriae proditum eſt, vacillante Numa, & regnum oblatum reſpuente, patrem eius Pomponium, & Ancum Marcium, generum, multis verbis eum cohortatos eſſe ad faſces ſuſpiciendas. Praecipuum vero, quo vtebantur, hoc erat argumentum: εἰ δὲ δὴ καὶ παντάπασιν ἀκρατῶς ἔχει καὶ μανικῶς πρὸς πόλεμον, ἆρ' οὐχὶ βέλτιον ἀλλαχόσε τὴν ὁρμὴν αὐτῶν τρέπειν, διὰ χειρὸς ἔχοντας τὰς ἡνίας· τῇ δὲ πατρίδι καὶ παντὶ τῶν Σαβίνων ἔθνει σύνδεσμον εὐνοίας καὶ φιλίας πρὸς πόλιν ἀκμάζουσαν καὶ δυνατὴν γένεσθαι. *Quod ſi etiam populus Romanus immodico & inſano bellandi ardeat ſtudio; nonne ſatius ſit, habenas tenentem* ALIO DIVERTERE *feruorem eius, patriaeque atque vniuerſae Sabinorum genti florentem ciuitatem & opulentam neceſſitudine & amicitia copulare?* Sabinorum ergo ſtudio, ad exſtinguendam Romanorum ferociam omnem operam omniaque conſilia contulit Numa: neque minus ea in re ipſorum patriciorum Romanorum, a quibus ad regnum fuerat euectus, deſiderio ſatisfecit. Nam & hi, peroſi Romuli inſtituta, ipſi auctores fuerunt nouo regi, vt ciuitatem bellicoſam ad pacis conſilia traduceret. Hinc cum denuo prae ſe ferret Numa, ſe ab oblato regno abhorrere, cauſamque interſereret, quod ferox populus & dominandi libidine incenſus, arden-

(c) L. 10. C. Theod. *de pagan.* (d) Plutarch. *in Numa p.* 63.

dentem viuidumque regem deſideret: patres a ſenatu miſſi, teſte eodem PLVTARCHO (e), reſponderunt: *Τίς δὲ ἴδιον, εἰ καὶ νικῶντα δῆμον πολέμου κόρος ἴσχει, καὶ μεστοὶ θριάμβων καὶ λαφύρων γεγονότες, ἡγεμόνα πρᾶον καὶ δίκης ἐπιεικῆ ἐπ' εὐνομίᾳ καὶ εἰρήνῃ ποθοῦσιν; Quia ſi victorem populum iam ſatietas ceperit belli, triumphiſque expletus & manubiis ſedatus principem & iuſtitiae cultorem ad ciuitatem legibus & pace temperandam exoptet?* Quum ergo ſemel conſilium hoc cepiſſet Numa, ſe ſibi alium ac diuerſum regnandi finem ob oculos poſiturum, quam ad quem omnia retulerat Romulus: fieri non poterat, quin & leges daret, Romuli inſtitutis plane contrarias, & non ad excitandam fortitudinem, ſed reprimendos ferocis populi ſpiritus vnice comparatas. Id quod etiam LIVIVS (f) obſeruat, dum de latis a Numa legibus ita ſcribit: *Vrbem nouam, conditam vi & armis, iure, legibus ac moribus de integro condere parauit, quibus cum inter bella adſueſcere videret non poſſe, (quippe efferatis militia animis,) mitigandum ferocem populum armorum deſuetudine ratus eſt.* Et nonnullis interiectis (g): *Ita duo deinceps reges, alius alia via, ille bello, hic pace ciuitatem auxerunt.* Quae quum ita ſint, nemini profecto mirum videbitur, Numam etiam artibus manuariis & ſellulariis adſuefacere plebem decreuiſſe, eoque fine ipſos opifices in certa collegia & corpora primum deſcripſiſſe, vt tanto honeſtius huic quaeſtui in poſterum vacarent.

§. VIII.

Collegia illa abolevit TVLLVS HOSTILIVS, *reſtituit* SERVIVS TVLLIVS, *ea denuo ſuppreſſit* TARQVINIVS SVPERBVS.

Enimuero quemadmodum Numa Romuli, ita Tullus Hoſtilius Numae inſtituta tantum non omnia ſuſtulit. Tantum enim abeſt, vt tertius ille Rex Romanorum quiete ac otio marceſcere ciuitatem paſſus ſit, vt nihil niſi arma & bella ſpirarit, eaque in re ipſum Romulum ſuperarit. Qua de re LIVIVS (h): *Seneſcere*, inquit, *ciuitatem otio ratus, vndique materiam excitandi belli quaeſiuit*; cui & EXCERPTA PEIRESCIANA (i) reſpondent, quorum verba ſemel, id eſt, Latine hoc loco producere erit volupe: *Tullus Hoſtilius in bello aduerſus hoſtem fortiſſimus habebatur, ſed deos idem magnopere contemnebat.* Quae vltima verba eo procul dubio pertinent, quod vir fortiſſimus a ſuperſtitione, cui nimium indulſerat Numa, alieniſſimus fuerit. Omnia ergo exemplo Romuli ad potentiam virtutemque bellicam referebat, egregius, vt a FLORO

(e) Plutarch. *in Numa pag. 63.*
(f) Liu. *lib.* I. *cap.* XIX.
(g) Liu. *lib. I. cap. XXI.*
(h) Liu. *lib. I. cap. XXI.*
(i) Excerpta Peireſciana, *cap.* XXII. *p. 568.*

Digitized by

a FLORO (k) adpellatur, *militiae artifex*, quin *ipſo Romulo*, LIVIO (l) iudice, *acrior.* Ex quo regnandi fine facile colligere licebit, Tullo Hoſtilio nec ciues opificiis vacantes, nec eorum collegia magnopere placere potuiſſe. Veterum enim Romanorum militia ſelecta erat, non mercenaria. Atqui ad primam praeconis vocem nomen dare regi, delectum habenti, arma ſumere pro republica, colligere ſarcinulas, in caſtris excubare pro ſecuritate reipublicae, & ſub ipſis denique pellibus hibernare, minime omnium integrum eſt iis, qui in officinis deliteſcunt, & artibus manuariis victitant. Ergo ſatis veroſimile eſt, Tullum Hoſtilium Numae Pompilii inſtitutum de collegiis opificum ſuſtuliſſe. Quod ne gratis videamur adfirmare, colligere id nobis licebit ex FLORO (m), qui collegiorum originem ad Seruium Tullium regem refert, his verbis: *Ab hoc populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, curiis atque* COLLEGIIS *diſtributus, ſummaque regis ſolertia ita eſt ordinata reſpublica, vt omnia patrimonii, dignitatis, aetatis,* ARTIVM, *officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur.* Scilicet ea non ita intelligenda videntur, ac ſi primus haec collegia inuenerit Seruius, ſed quod a Numa inuenta reuocauerit in vſum, deſcriptaque in claſſes ciuitate, etiam centurias quaſdam ex fabris, reliquiſque opificibus confecerit, ceu ex DIONYSIO HALIC (n). conſtat. Enimuero ne ſic quidem manſere collegia. Tarquinius enim ſuperbus ea non ſecus, ac alia Numae inſtituta, propoſito edicto ſuſtulit. Qua de re DIONYSIVS HALIC. (o): Συνόδους δὲ συμπάσας, ὅσαι πρότερον ἐγίνοντο κωμητῶν, ἢ φρατριαστῶν, ἢ γειτόνων, ἔν τε πόλει καὶ ἐπὶ τῶν ἀγρῶν, ἐφ᾽ ἱερὰ καὶ θυσίας πάσαις κοινὴ προεῖπε, μηκέτι συντελεῖν, ἵνα μὴ συνιόντες εἰς τὸ αὐτὸ πολλοὶ βουλὰς ἀπορρήτους μετ᾽ ἀλλήλων ποιῶνται περὶ καταλύσεως τῆς ἀρχῆς. *Praeterea coetus omnes paganorum, curialium, vicinorum, vel in agris, vel in vrbe, antea ſacrorum cauſſa fieri ſolitos, vno edicto in poſterum vetuit: ne multis in vnum locum conuenientibus, arcana de conuellenda tyrannide inirentur conſilia.* Et hac in re tyranni mores expreſſit Tarquinius, ad quos, ARISTOTELE (p) teſte, etiam haec pertinent: *neque concoenationes permittere, neque ſodalitatem neque diſciplinam, neque aliud quidpiam huiuſcemodi: ſed omnia cauere, vnde ſolent exoriri duo, animoſitas ſcilicet & fides.* Ex quibus ſimul facile eſt ad intelligendum, non tam ipſa opificia quam opificum collegia & corpora, ſuppreſſiſſe Tarquinium. In officinis

(k) Flor. *lib. I. cap. VIII.*
(l) Liu. *lib. I. cap. XXIII.*
(m) Flor. *lib. I. cap. VI.*
(n) Dionyſ. Halic. *lib. IV. p.* 221.
(o) Idem *lib. IV. p.* 246.
(p) Ariſtot. *Polit. lib. V. cap. XI.*

enim deſidere ciues, & perpetuo ſudore miſeram vitam tolerare, non incommodum regi, ſed rebus eius mirifice proficuum videbatur.

§. IX.

Primis reipublicae liberae temporibus nulla fuerunt collegia.

Eiectis Tarquiniis, id ſibi negotium datum credebant patres, vt ad ſe raperent rempublicam, & ariſtocratiam, plebe ſuppreſſa, inſtituerent. Inde innumerae natae ſunt concertationes inter optimates & plebeios, quae tum demum paullatim exſtinctae ſunt, quum, communicatis cum plebe magiſtratibus & ſacerdotiis, aequa vtriuſque factionis iura eſſe coepiſſent. Non diſſimulat iſthoc patriciorum conſilium Appius Claudius apud DIONYSIVM HALIC. (q) Incuſatus enim a Valerio impotentis aduerſus plebem odii, reſpondit: *Quod me Valerius difficilem adpellauit, & malorum hominum anteſignanum, infenſumque plebi, &* PAVCORVM POTENTIAE *ſtudioſum,* ἐπὶ ἀριστοκρατίας περιέρχομαι, *quod optimatum regimen tuear: communia mihi* VOBISCVM *ſunt crimina quotquot, quum ſitis ipſi meliores, detrectatis deteriorum imperium, & quam a maioribus accepiſtis, rempublicam non ſinitis degenerare in deterrimam omnium ſpeciem popularis regiminis.* Plebs ergo quum ſpe libertatis & popularis imperii reges pepuliſſet: patres ariſtocratiam meditabantur; & hinc non poterat non ſumma rerum confuſio naſci ex tam male temperato ciuitatis ſtatu. Atqui ariſtocratico regimini nihil minus conuenit, quam collegia & ſodalitates, quibus factiones & ſeditiones aluntur. Hinc eas ex eiuſmodi rebus publicis proſcribendas eſſe monent ciuilium rerum ſcriptores (r). Quae quum ita ſint, facile coniicere licebit, de reſtitutione collegiorum & corporum a Tarquinio Superbo proſcriptorum non multum laboraſſe patricios. Quin tantum abeſt, vt tum collegia & corpora opificum in vrbe eſſe paſſi ſint, vt potius ne opificia quidem exerceri a ciuibus voluerint, bellis quippe perpetuis a Tarquinio eiuſque ſociis fatigati. Multa ſunt, quibus id demonſtrare licet, argumenta. Primo enim Menenius Agrippa, quum plebs in montem ſacrum ſeceſſiſſet, & varia eſſent patrum ea de ſeceſſione conſilia, ita cenſebat (s): Καὶ οὐ προστίθημι ἐνταῦθα, ὅτι πολεμικῶν ἐπιτηδείων σωμάτων ἡμῖν ἐν τῷ παρόντι δεῖ, οὐ γεωργῶν, οὐδὲ θητῶν ἐμπόρων, οὐδὲ τῶν περὶ τὰς βαναύσους τέχνας ἀσχολουμένων. *Taceo, quod bello aptatis corporibus nunc opus habemus, non agricolis,*

(q) Dionyſ. Halic. *lib. VI. p.* 386.

(r) *Vid.* Hert. *Elem. Polit. lib.* II. *Sect.* VI. §. *V. & XX. p.* 383. *&* 387. Contr. *Hiſt. rerump. vbi de Vitrai.* §. *XX.*

(s) Dionyſ. Halic. *lib.* VI. *pag.* 382.

lis, nec mercenariis, nec negotiatoribus, nec opificibus ſellulariis. Deinde quum A. Virginio Tricoſto Rutilo & Sp. Seruilio Structo Coſs. A. V. C. CCLXXVII. magna eſſet annonae grauitas, id malum tanto moleſtius ciuitati fuiſſe ait DIONYSIVS HALICARNASS. (t) quod proximo luſtro cenſa fuerint robuſtae aetatis ciuium plus centum & decem millia, mulierum autem & puerorum, ſeruitiorum item, negotiatorum & opificum, inquilinorum, triplo plures. Ne cui autem mirum videretur, negotiatores & opifices ſeorſum numerari, ſtatim addit auctor πολιτικώτερον: οὐδενὶ γὰρ ἐξῆν Ῥωμαίων οὔτε κάπηλον, οὔτε χειροτέχνην βίον ἔχειν. *Neque enim ciui Romano aut cauponari, aut arte manuaria victum quaerere licebat.* In quae verba quidem incidens SIGONIVS (u), vix ſeſe expedire poteſt, quippe cui certum videtur, iam inde a Numae aetate ciues opificiis vacare coepiſſe. Vnde etiam ita intelligendum putat DIONYSIVM, quod e ciuibus quidem multi artibus manuariis vixerint, ſed ideo tamen contemtim habiti, & a reliquis germaniſque ciuibus ſecreti, quippe nec ad militiam vocati propter ignauiam, nec vllis tributis, ob tenues opes, obnoxii. Enim vero rationem hic fugere SIGONIVM facile patet. Ciues enim DIONYSIVS hic opponit inquilinis, iiſque opifices & negotiatores ideo adnumerat, quia probro fuerit ciui Romano, huiuſmodi quaeſtum facere. Vnde certiſſimum videtur, nec opificia hoc tempore permiſſa ciuibus, nec collegia & corpora opificum a Tarquinio abolita tunc adhuc reſtituta fuiſſe.

§. X.

Poſtea in vſum reuocata ſunt a decemuiris.

Aſt paullatim ea collegia in vſum reuocata videntur, ex quo plebs primum tribunos plebis, ac deinde ius honorum ac ſacerdotiorum extorquere ſenatui coeperat. Paullo poſt enim illa tempora collegia illa ſtabilita animaduertimus in LEGIBVS DVODECIM TABVLARVM. Colligi ſane id poteſt ex CAIO, iureconſulto (x), cuius haec ea de re verba ſunt: *Sodales ſunt, qui eiuſdem collegii ſunt, quam Graeci* ἑταιρείαν *vocant. His autem poteſtatem facit lex,* PACTIONEM QVAM VELINT, SIBI FACERE, DVM NE QVID EX PVBLICA LEGE CORRVMPANT. *Sed haec lex videtur ex lege Solonis translata eſſe.* Non ſolum ergo collegia eſſe paſſi ſunt decemuiri, verum etiam facultatem iiſdem fecerunt, pactiones ſibi pro collegarum arbitrio faciendi, dummodo illae legibus publicis non aduerſarentur. Dum vero id e Solonis legibus in tabulas

(t) Dionyſ. Halic. *lib. IX. p.* 583. L. II. C. II. *p.* 340.

(u) Sigon. *de antiqu. iure ciu. Rom.*

(x) L. *vlt.* D. *colleg. & corp.*

decemuirales migraſſe ait CAIVS: id non de ipſis collegiis intelligendum eſt, quae iam dudum ante decemuirorum tempora Romae fuerunt, ſed de iure pactiones vel ſtatuta faciendi. De eo enim eadem fere ſanxiſſe SOLONEM, cum a SALMASIO (y) oſtenſum eſt, tum ex ipſis legitimis SOLONIS verbis, apud eumdem CAIVM (z), adparet: Ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ἱερῶν ὀργίων, ἢ ναῦται; ἢ σύνσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, (Salmaſ. ὁμόγαλοι,) ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λίαν, (Salmaſ. καπηλίαν, *) οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν, ὅτι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα. *Si autem tribus vel fratres, vel ſacrorum ſacramentales, vel nautae, vel ſynſiti, vel qui eiuſdem ſepulcri ius habent, vel thiaſotae, vel ſocii ad praedam coitionis (*cauponationis*) vel negotiationis, quid inter ſe ſtatuant, firmum id ratumque ſit, niſi publicae hoc leges prohibeant.* Nullum ergo relinquitur dubium, quin collegia & corpora decemuirali hac lege ſint confirmata. Subdubitare quidem ea de re videtur IAC. GOTHOFREDVS (a) qui eam legem non ad vniuerſa collegia opificum, ſed ad fratrum arualium collegium pertinuiſſe iudicat, ideo, quod idem CAIVS (b) etiam mentionem faciat legis decemuiralis, de incerta ratione finium, ſodales vero aruales, teſte PHILOXENO (c), fuerint οἱ περὶ ὅρων διαγινώσκοντες δικασταὶ, *iudices de finibus cognoſcentes.* Enimuero cur ſodalibus arualibus pactiones, quas vellent, ſibi faciendi poteſtatem feciſſent decemuiri? An vero vicinorum lites & iurgia, ſi hoc iure fuiſſent deſtituti, componere non potuiſſent? Accedit, quod an vnquam de finibus regundis cognouerint fratres aruales, merito dubites. PHILOXENI non tanta eſt auctoritas, vt ei in re tam antiqua fides tuto habeatur. Reliqui vero ſcriptores, tamquam ex compacto, tacent, & hoc ſacerdotum collegium ſacra tantum publica ob aruorum fertilitatem feciſſe referunt (d). Et quid fiet alteri legi decemurali: *Si iurgant ad fines, finibus regundis praetor arbitros tres addicito*, quam ipſe reſtituit

(y) Salmaſ. *Obſeru. ad ius Attic. cap. IV.*

(z) *L. ead. D. eod.*

* *Ita refingendum hunc locum ideo putat SALMASIVS, quod credibile haud ſit olim, Athenis licita habita fuiſſe praedonum collegia. Quod procul dubio etiam* Petitum *ad leg. Attic. p.* 418. *monuit, vt legi iuberet ἐπὶ λεῖαν, ad frumentum. Sed antiquiſſimis temporibus omnino licuiſſe praedatum in mare exire, ſatis adparet ex* Thucydide *lib. I. init.* & Homero, *Odyſſ. lib. III.*

(a) Iac. Gothofred. *Not. ad XII.* *Tabb.* Tab. VIII. *p.* 224.

(b) *L. vlt. D. fin. regund.*

(c) *Gloſſa* Philoxeni *ex libro de offic. Procoſſ.*

(d) Varro *de ling. lat.* L. IV. C. XV. *p.* 26. Fulgent. *de priſco Serm. pag.* 802. *edit.* Dionyſ. Gothofr.

Digitized by Google

ſtituit GOTHOFREDVS (e), ſi penes fratres aruales fuit de finibus regundis iudicium? Nihil ergo certius eſt, quam quod lex XII. tabularum de omnibus, adeoque & opificum collegiis ſit intelligenda, adeoque ea iam illo tempore denuo coire & ex Numae inſtituto ſodalitia celebrare ſacraque facere coeperint.

§. XI.

Parum honorifica tamen ſemper Romae fuit opificum conditio.

Reperio igitur, ex eo tempore etiam ciues operam dediſſe negotiationi & opificiis, ſed ita, vt parum honorifica manſerit eorum conditio. CICERO (f) ſane, vbi ex inſtituto ea de re agit: *Illiberales*, inquit, *& ſordidi quaeſtus mercenariorum omnium, quorum operae, non quorum artes, emuntur. Eſt enim illis ipſa merces auctoramentum ſeruitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod ſtatim vendant. Nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. Nec vero quidquam eſt turpius vanitate. Opificeſque omnes in ſordida arte verſantur. Nec vero quidquam ingenuum poteſt habere officina.* Et SENECA (g): *Quatuor ait Poſidonius eſſe artium genera: Sunt vulgares & ſordidae, ſunt ludicrae, ſunt pueriles, ſunt liberales. Vulgares opificum, quae manu conſtant, & ad inſtruendam vitam occupatae ſunt: in quibus nulla decoris, nulla honeſti ſimulatio eſt.* Hinc quamuis opifices tribubus eſſent adſcripti, adeoque iure ſuffragii gauderent, ceu luculenter demonſtrauit SIGONIVS (h): vix tamen iis in militia erat locus, niſi vel trepidis rebus, vel a ſeditioſis ciuibus concitati ad arma aliquando concurrerent. Hinc tamquam ſingulare quid atque inuſitatum obſeruat LIVIVS (i), *opificum quoque vulgus, & ſellularios, minime idoneum militiae genus, excitos, Veioſque ingentem exercitum contractum, vt inde obuiam Gallis iretur.* Et de C. Mario refert SALLVSTIVS (k), *plebem ſic accenſam eſſe, vt opifices omnes agreſteſque, quorum res fideſque in manibus ſitae ſint, relictis operibus, frequentarint Marium.* Vt adeo parum Romae interfuiſſe videatur, inter turbam illam forenſem, faecemque vrbis & opifices, qui nec cenſu, nec virtute dignos ſe Quiritium nomine exhibebant.

§. XII.

Et tamen tunc vete-

Interim libera adhuc republica non ſolum priſca illa & a Numa

(e) Iac. Gothofr. *ead. tab.* VIII. *pag.* 133.

(f) Cic. *de offic. lib.* I. *cap.* XLII.

(g) Seneca *Epiſt.* LXXXIIX.

(h) Sigon. *de antiquo iure ciu. Rom. l.* II. *c.* II. *p.* 341.

(i) Liu. *lib.* VIII. *cap.* XX.

(k) Salluſtius *de bello Iugurth. cap.* LXXXVI.

Digitized by Google

Ritus illis collegiis noua addita.

ma inſtituta collegia florebant, ſed & noua ſubinde inſtituebantur. Sic A. V. C. CCLIX. Claudio Seruilioque Coſs. collegium mercatorum inſtitutum, quod ab aede Mercurii, in qua ſacra faciebant, MERCVRIALE dictum eſt (l). Eodem exemplo aliud mercatorum collegium coiit, quod a Capitolio adpellatum eſt CAPITOLINVM, A. V. C. CCCXVI. inſtitutum a M. Furio Camillo Dictatore (m). Vtrumque tam celebre fuit, vt non ſolum ciues e plebe, verum etiam equites Romani illi nomina darent. Id quod vel ex CICERONE (n) diſcimus, qui ad Quintum fratrem: *M. Furium Flaccum*, inquit, EQVITEM ROMANVM, *hominem nequam, mercuriales & Capitolini de collegio eiecerunt.* Paſſim etiam ex eo tempore aliorum collegiorum & corporum fit mentio in lapidibus atque annalibus, veluti aurigatorum (o), baliſtariorum (p), fabrûm ferrariorum (q), naupegiariorum (r), particariorum (s), pellionariorum (t), ſagariorum (u), ſiliginiariorum (x), tabulariorum (y), vaſculariorum (z), argentariorum (a), aurariorum (b), hortulanorum (c), olitorum (d), vtriclariorum (e), lenunculariorum (f), aeneatorum (g), ſtructorum (h), ſuariorum vel porcinariorum populi Romani (i), caudicariorum (k), cuſtodiariorum (l), lecticariorum (m), menſorum (n), nautarum (o), piſtorum (p), confectuariorum (q), vinariorum (r), aliaque plura, quorum paſſim in inſcriptionibus vetuſtis fit mentio. Nec Romae tantum, ſed & in municipiis & coloniis eadem fere collegia & corpora inſtituta ſunt. Idque tanto aequiore animo tulere Romani, quanto magis eorum intererat, ſociorum & prouin-

(l) Liu. *lib. II. cap. XXI. & XXVII.* Ouid. Faſt. *lib. V. 672.*
(m) Liu. *lib. V. cap. L.*
(n) Cic. ad Quint. Fratr. *lib. I. Ep. V.*
(o) Reineſ. *Inſcript. Claſſ. X. 12.*
(p) *Nou. LXXXV.* Reineſ. *Claſſ. X. 6.*
(q) Smet. *p. XCVIII. 5.* Reineſ. *Claſſ. X. 6.* L. 2. C. Theod. *de excuſ. artif.*
(r) Reineſ. *Claſſ. X. 7. & claſſ. I. 261.*
(s) L. *7.* C. *de excuſ. mun.*
(t) Reineſ. *Claſſ. X. 8.*
(u) Reineſ. *Claſſ. X. 9.*
(x) Id. *Claſſ. I. 254.* Grut. *p.* LXXXI. 10.
(y) Reineſ. *Claſſ.* I. 275.
(z) Id. *Claſſ. X.* 10. Grut. *p.* IↃCIII.3.
(a) Reineſ. *Claſſ.* I. 139.
(b) Id. *ibidem.*
(c) Id. *Claſſ. XI. 79.*
(d) Id. *ibid.* Smet. *p.* C. 4.
(e) Reineſ. *Claſſ. XI. 64. Conferri meretur* Schvvarzii *Schediaſm. antiqu. de vtriclariis.*
(f) Reineſ. *Claſſ. X.* 1.
(g) Smet. *p.* LVI. *9.*
(h) Smet. *p. XXXIV. 5.*
(i) Smet. *p. XXIX. 5.*
(k) Smet. *p. LXX.* 6.
(l) Id. *p. XXIII.* 13.
(m) Id. *p.* CVI. 1.
(n) Id. *p. LXX. 6.*
[o] Idem *pagina* C, 4. *pag.* CLVII. 15.
[p] Idem *pagina LV. 3. pag.* LXXIX. 8. *pagina XXXI. 2.*
[q] Idem *pagina LXIX. 9.*
[r] Idem *pagina* C. 4.

Digitized by Google

prouincialium animos, omiſſo armorum ſtudio, artium opificiorumque tractatione veluti effeminari & imbelles reddi. Hinc vt per omnes vbique provincias tot florebant rhetorum & grammaticorum ſcholae: ita vbique feruebat artium opificiorumque ſtudium, quod facilius tolerabant Romani, quam ſi in armis ſe exercuiſſent populi victi. Facile ergo patet ratio, cur in Italia non modo, verum etiam in prouinciis opifices atque artifices in varia collegia ac corpora coierint. Sic quum Romae celeberrimum eſſet collegium dendrophororum, centonariorum, fabrûm; in lapidibus paſſim etiam celebrantur DENDROPHORI COMENSES (s), PARMENSES (t), BRIXIENSES (u): FABRI CENTON. DENDR. FELTRIÆ (x), COLON. ARIMINI (y), COLONIÆ PISAVRI (z), MVNICIPI BERGOMI (a), & extra Italiam COLL. CENTONAR. EXTRA TARRACONEM (b). In aliis lapidibus, apud ONVPHR. PANVINIVM (c), & apud LAZIVM (d), legimus de NEGOTIATORIBVS VINARIIS ET OMNIBVS CORPORIBVS LVGDVNI LICITE COEVNTIBVS. Vt adeo frequentiſſima paſſim fuerint, per vniuerſum Romanum orbem, opificum collegia.

§. XIII.

Inde natae ſunt turbae reipublicae pernicioſiſſimae.

Enimuero paullo poſt deprehenſum eſt, collegia iſta & corpora opificum cum magno reip. detrimento eſſe coniuncta. Vix enim vlla arte poterat prohiberi, quo minus illa collegia in factiones & hetaerias abirent. Quotieſcunque enim ſeditioſus aliquis tribunus aduerſus ſenatum concionabatur, aut nouas leges ad turbandam rempublicam comparatas parturiebat; frequentiſſimi ad roſtra confluere ſolebant opifices, qui, clauſis tabernis, de republica conſultabant, operamque & ſuffragia promittebant tribunis turbulentiſſimis. Id quod facile poterant, quum Lepidus & Nobilior Cenſores, teſte LIVIO (e), *mutaſſent ſuffragia, regionatimque, generibus hominum, cauſſis & quaeſtibus tribus deſcripſiſſent.* Vbi per quaeſtus, recte notante SIGONIO (f), intelligenda ſunt collegia opificum. Quum ergo haec ex illo tempore per tribus fuiſſent diuiſa: permultum ſane conferre poterant ad tribunicios tumultus, quibuſcum tum conflictabatur reſpublica. Quin per-

[s] Grut. CCCL. *6.*
[t] Grut. *p.* CCCCXCV. *5.*
[u] Grut. *pag.* CLXXV. *7.*
[x] Grut. *p.* CCCCIX. 8.
[y] Gruter. *Inſcr. p.* CCCCXXXI. *9.*
[z] Gruter. *ibidem.*
[a] Id. *p.* CCCCXXXVI. *5.*
[b] Grut. *p. CLXXV. 3.*
[c] Onuphr. Panuin. *Antiqu. Veron.*
[d] Wolfg. Laz. *de Rep. Rom. lib. XII. cap. IV. p. 90.*
[e] Liu. *lib. XI. cap. LI.*
[f] Sigon. *de iure antiquo ciu. Rom.* L. *II.* C. *XII. pag. 342.*

permultum intererat maximorum ciuium, vt collegia ſibi conciliarent. Hinc CICERO (g) fatetur, etiam collegiorum opera ſe in ciuitatem reuocatum: *Nullum eſt*, inquit, *in hac vrbe collegium, nulli pagani aut montani, (quoniam plebi quoque vrbanae maiores noſtri conuenticula & quaſi conſilia quaedam eſſe voluerunt,) qui non ampliſſime non modo de ſalute mea, ſed etiam de dignitate decreuerint.* Et QVINTVS, FRATER CICERONIS (h) etiam inde ſpem haut leuem conſulatus fratri auguratur adfulgere, *quod habeat equeſtrem ordinem, multa municipia, multos ab eo defenſos, cuiuſque ordinis homines, aliquot* COLLEGIA. Quae omnia intelligi haut poſſent, niſi collegiis etiam ius ſuffragandi in tribubus fuiſſe poneremus. Enimuero eo collegiorum iure nefarie abutebantur ciues ſeditioſi, qui ſaepe ad roſtra euocabant opifices, atque ideo tabernas claudi iubebant, vere *tabernariorum concitatores*, vti L. Sergium vocat CICERO (i). Sane idem (k) auctor eſt, *ſeditioſos tribunos claudi tabernas ſolitos eſſe iubere.* Et alio loco ad Clodium (l): *An tu populum Rom. eſſe illum putas, qui conſtat ex iis, qui mercede conducuntur, qui impelluntur, vt vim adferant magiſtratibus, vt obſideant ſenatum, optent quotidie caedem, incendia, rapinas? Quem tu tamen populum, niſi* TABERNIS CLAVSIS, *frequentare non poteras.* Idem alibi quaerit (m): *Opifices & tabernarios quid eſt negotii concitare?* Exemplum eius rei praebet Lentulus, Catilinae ſatelles, cuius leno concurſabat per tabernas, pretio ſperans ſollicitari poſſe animos egentium atque imperitorum (n). Et de Munacio Planco, tribuno plebis, refert ASCONIVS PAEDIANVS (o), *eum pro concione cohortatum eſſe populum, vt poſtero die,* CLAVSIS TABERNIS, *ad iudicium frequens adeſſet, nec pateretur elabi Milonem.* Vt adeo nulla temere pars ciuium facilius ſe quouis tribunicio vento huc illuc agitari paſſa ſit, quam deſcripti in collegia opifices. Quod quanto cum reip. periculo fuerit coniunctum, facile eſt ad intelligendum. Accedebant epulationes & comeſſationes, tam immodicae, vt in publicum dedecus vergerent, id quod ad tollenda collegia praecipue mouiſſe Imperatores, exiſtimat CVIACIVS (p). Iam ſuo aeuo conqueſtus eſt VARRO, *immutabiles collegiorum coenas intendere annonam.*

(g) Cic. pro domo, *cap.* XXVIII.
(h) Quint. Cicero. *de petit. conſul. cap.* I.
(i) Cicero pro domo, *cap. V.*
(k) Cic. Quaeſt. *Acad. lib. IV. cap.* XLVII.
(l) Cic. pro domo, *cap.* XXXIII.
(m) Cic. pro Flacco, *cap. VIII.*
(n) Cic. Catilin. IV. *cap.* VIII.
(o) Aſcon. Paed. *ad* Cic. *pro* Milone, *p.* 1319.
(p) Cuiac. *lib. VII. Obſeru. XXX*

Digitized by Google

ram. Et apud PHILONEM (q) in edicto exprimit Auguſtus, collegia & coitiones Iudaeorum ſe ideo permittere, quod non ſint crapulae primum & vinolentiae, deinde quod non ſeditionum nutriculae, ſed ſcholae temperantiae & iuſtitiae, hominum, ſummo ardore animi omne virtutis genus amplectentium. Denique & Claudius apud DIONEM collegia diſſoluens, nominatim comeſſationum etiam meminit, eaſque fieri vetat, eaque de cauſſa, ne ſint popinae, neue caro elixa aſſaue, ne eſculenta in cauponis publice veneant, edicit. Ex quibus omnibus quidem patet, hanc intemperantiam quoque collegia & corpora opificum reddidiſſe odioſiſſima.

§. XIV.

Pertaeſum itaque poſtremo eſt collegiorum iſtorum, nihilque reliqui fecerunt Romani, vt ea tollerent, vel certe ad antiquum numerum reducerent. Primum ea de re cogitatum eſt anno V. C. IↃCLXXXV. L. Caecilio Metello, & Q. Marcio Rege Coſs., qui quum frequentes a collegiis coetus fieri, conſilia conferri, & ludos compitalitios celebrari animaduerterent, de abolendis illis ad ſenatum retulerunt, obtinueruntque, vt condito SCto, collegia omnia, praeter antiqua & reip. neceſſaria tollerentur. Rem memoriae prodidit ASCONIVS PAEDIANVS (r): *L. Caecilio & Q. Marcio Coſs. quos & ipſe Cicero ſupra memorauit, SC. ſublata ſunt collegia, quae aduerſum rempublicam videbantur eſſe.* Et alio loco (s): *Frequenter tum etiam coetus factioſorum hominum ſine publica auctoritate, malo publico, fiebant, propter quod poſtea collegia SC. & pluribus legibus ſunt ſublata, praeter pauca atque certa, quae vtilitas ciuitatis deſideraſſet, vt fabrorum, tinctorumque.* Primum ergo tum ſublata ſunt collegia & corpora, quamuis quae res huic SC. occaſionem dederit, non adeo videatur expeditum.

Quare SCto ſublata ſunt praeter pauciſſima.

§. XV.

Enimuero non adeo diuturnum fuit hoc conſulum inſtitutum. Nouennio enim poſt flabellum illud vrbanorum tumultuum P. Clodius non ſolum collegia reſtituit, verum etiam noua haut pauca antiquis addidit, vt eorum ſuffragiis atque auxilio tanto facilius Ciceronem eiuſque amicos opprimeret. Qua de re DIO CASSIVS (t): ὁ οὖν Κλώδιος ἐλπίσας, αὐτὸν, διὰ πάντων ἂν τήν τε βουλὴν καὶ τοὺς ἱππέας, τόν τε ὅμιλον προπαρασκευάζηται, ταχὺ κατεργάσεσθαι, τόν τε

Poſtea ea reſtituit novaque addidit P. Clodius.

(q) Philo adu. Flaccum, *ab init. p.* 965.

(r) Aſcoon. Paedian. ad Cic. in Piſon. *p.* 1063.

(s) Idem ad Cic. pro Cornelio *maieſt. reo*, *p.* 1312.

(t) Dio Caſſ. *lib.* XXXVIII. *p.* 66.

σῖτον προῖκα αὖθις διένειμε, καὶ τὰ ἑταιρικὰ κολλήγια ἐπιχωρίως καλούμενα, ὄντα μὲν ἐκ τοῦ ἀρχαίου, καταλυθέντα δὲ χρόνον τινὰ ἀνενεώσατο. Sperans itaque Clodius, ſe eum facile poſſe opprimere, ſi ſenatum prius, equiteſque & plebem ſibi conciliaſſet, frumentum ipſis gratuito diſtribuit, ſodalitates, quae patria lingua COLLEGIA *vocantur, antiquitus quidem inſtituta, ſed aliquamdiu ſuppreſſa, reſtituit.* Et CICERO (u): *Ergo his fundamentis poſitis conſulatus tui, triduo poſt, inſpectante ac tacente te, a P. Clodio, fatali portento prodigioque reip. lex Aelia & Fuſia euerſa eſt, propugnacula murique tranquillitatis atque otii: collegia non ea ſolum, quae ſenatus ſuſtulerat, ſed innumerabilia quaedam noua ex omni faece vrbis ac ſeruitio concitata.* Denique ASCON. PAEDIANVS (x): *Poſt nouem demum annos, quam ſublata erant collegia, P. Clodius, tribunus plebis, non ſolum ea reſtituit, ſed etiam alia noua adiecit ex omni faece vrbis & ſeruitio.* Et ſane fructum eius rei haut leuem tulit Clodius. Nihil enim ex eo tempore egit frequentius, quam vt vel ipſe vel per ſatellites ſuos tabernas opificum ſollicitaret, ſi quando furere, & contra ciues bonos debacchari liberet, ceu ex CICERONIS quibuſdam locis (y) iam ſupra oſtendimus. Quod vero etiam noua collegia, ex ipſis ſeruis ac faece vrbis, concitaſſe dicitur Clodius, illud eo minus mirandum, quo certius conſtat, ipſos peregrinos, Romae aeque ac in municipiis, aliquando in collegia coiiſſe. Huc enim pertinet vetus inſcriptio apud REINESIVM (z):

IN. H. D. D.
GENIO COLLE-
GI PEREGR.
VLP. DECEM.
BER. ET VERE-
CVND. COR-
NVTVS D. D.

Vnde ſimul patet, cur & ſeruorum in legibus noſtris fiat mentio, vbi de collegiis & corporibus agitur. Ait enim MARCIANVS (a): *Seruos quoque licet in collegio tenuiorum recipi, volentibus dominis, vt curatores horum corporum ſciant, ne, inuito aut ignorante domino, in collegium tenuiorum reciperent: & in futurum poena teneantur, in ſingulos homines aureorum centum.* Vt vero ad P. Clodium reuertamur, quum ille, etiam reuocato ab exſilio Cicerone,

(u) Cic. in Piſonem *cap. IV.*
(x) Aſcon. Paedian. ad Cic. Piſonem. *p.* 263.
(y) Cic. pro domo, *cap. V. &* *XXXIII.*
(z) Reineſ. *Inſcript. Claſſ. I. p.* 160.
(a) *L.* 3. *§.* 1. *ff. de colleg. & corp.*

cerone, tabernariis ſuis aduerſus remp. vti non deſineret, A. V. C. IↄCXCVI. P. Cornelio Lentulo Spinthere, & Q. Caecilio Metello Nepote Coſs. die IV. Id. Febr. SC. factum eſt, VT SODALITATES DECVRIATIQVE DISCEDERENT, lexque de iis ferretur, VT QVI NON DISCESSISSENT, EA POENA, QVÆ EST DE VI, TENERENTVR (b). An ea lex tum perlata ſit, nondum liquet. Illud certum eſt, poenam, quam tum interminatus eſt ſenatus, poſtea ad poenam criminis maieſtatis vſque auctam, ceu ex VLPIANI (c) fragmento conſtat.

§. XVI.

At denuo eadem ſuppreſſerunt Caeſar & Auguſtus.

Enimuero mutata republica, & principatu a Caeſaribus firmato, nihil odioſius videri coepit collegiis & corporibus. Nondum enim adſuetis vnius imperio ciuibus, ipſa ſuadebat prudentia ciuilis, non permittere concoenationes & ſodalitates, e quibus factiones ſeditioneſque naſci oportebat. Hinc ipſe C. Iulius Caeſar, ex quo, dictatoris perpetui adſumto nomine, rerum potiri coeperat, nihil antiquius habuit, quam vt reſtituta a Clodio ſuo collegia tantum non omnia ſupprimeret. Teſtis SVETONIVS (d), qui de Caeſaris diſſerens inſtitutis: *Cuncta*, inquit, *collegia, praeter antiquitus inſtituta, detraxit.* Vbi antiquitus conſtituta, quae excepit, non alia procul dubio ſunt, quam illa a Numa inſtituta, veteraque mercatorum, quae ſenatus auſpiciis coiiſſe diximus. Patris veſtigia preſſit Auguſtus, de quo idem SVETONIVS (e): *Plurimas factiones, titulo collegia, praeter* ANTIQVA & LEGITIMA, *diſſoluit.* Scilicet quum lex Caeſaris in maximis reip. turbis, & ciuilibus, quibus adhuc iactata fuerat, fluctibus ad nihilum recidiſſet; operam ſibi dandam exiſtimauit Auguſtus, vt eam reuocaret in vſum, collegiaque noua in vniuerſum aboleret, relictis tantum legitimis & antiquis, id eſt, ſenatus populique auſpicio inſtitutis, & quibus carere vix poſſe reſpublica videbatur.

§. XVII.

Digreſſio de collegiis ſacrorum cauſſa coëuntibus.

Sed non temere de vllis collegiis magis diſceptatum eſt, quam de iis, quae ad religionem pertinere videbantur. Ad ea quum & Iudaeorum & Chriſtianorum religioſae συνάξεις referrentur: licebit nobis, breui digreſſione, de iis nonnulla, ab aliis fere praetermiſſa, conſectari. Et de patria quidem religione non multum dubitatum eſt ab imperatoribus, ſaltim ſecundo tertioque ſaeculo

(b) Cic. *ad* Quint. Fratr. *lib.* III. *Epiſt.* III.
(c) L. 2. D. *de coll. & corpor.*
(d) Sueton. Iul. *cap.* XLII.
(e) Id. Aug. *cap.* XXXII.

Digitized by Google

lo viuentibus, an eius cauſſa coire in collegium liceat. Diſerte enim MARCIANVS (f): *Sed religionis cauſſa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra ſenatus conſultum, quo illicita collegia arcentur.* Hinc ea aetate frequenter ſatis commemorantur COLLEGIA DENDROPHORORVM, FREDIANORVM, CHILIARCHARVM (g), HECATONTARCHARVM (h), FRATRVM ARVALIVM (i), VII. VIR. EPVLONVM (k), quae omnia demum a Chriſtianis imperatoribus ſublata eſſe, ſatis conſtat. Aſt difficilius Romani permiſerunt collegia, ſacrorum peregrinorum cauſſa inſtituta, quum ipſa ſacra peregrina nimium quantum deteſtarentur, ceu luculenta diatriba de ſacris peregrinis demonſtrauit ὁ πάνυ CORNEL. BYNCKERSHOEKIVS. Saepe tamen vel ſuperſtitio, vel auri ſacra fames impulit principes, vt & exterorum ſacrorum cauſſa collegia fieri paterentur. Sic ſane COLLEGII SERAPYS vt & COLLEGII YSID. mentio fit in marmóre apud REINESIVM (l). Poſtquam enim peregrina iſta ſacra clam Romam migrauerant, & priuati diis illis Aegyptiis fana dedicauerant, ea primum ſenatus demoliri iuſſit (m). Eadem paullo poſt reſtituta per auſpices, ſed iterum deiecta (n), ac demum ſub Auguſto denuo decreta ſunt (o). Ex quo tempore non ſolum illa ſacra viguerunt diutiſſime, verum etiam collegia eorum cauſſa inſtituta ſunt. Iudaeorum eadem fuiſſe fata, ex vetuſtis monimentis certiſſimum eſt. Iam libera adhuc republica Iudaeos quam plurimos Romae vixiſſe & ſynagogas ſuas collegiumque habuiſſe, ex CICERONE (p) ſatis acute collegit GROTIVS (q), eoſque in actibus apoſtolicis ἐπιδημοῦντας Ῥωμαίους, Ἰουδαίους τε καὶ προσηλύτους vocari, exiſtimat. Multos ſane Iudaeos Romam captiuos tranſtulerat Pompeius, qui deinde manumiſſi ſingularem ſynagogam, quae libertinorum dicta fuit, Romae conſtituerunt. Vltra quatuor mille libertinorum Iudaeorum Romae habitaſſe, tradit TACITVS (r), nec aliam eſſe ſynagogam libertinorum, cuius antiſtites Hieroſolymis aduerſus Stephanum conſpirarunt (s), oſtendit BASNAGIVS (t), qui etiam Romae in Vaticano & inſula Tiberina Iudaeos habitaſſe, accurate demonſtrat (u). At quum Iulius

(f) *L. 1. ff. de Colleg. & corp.*
(g) *L. 20. C. Theod. de pagan.*
(h) *Synod. VI.* in Trullo *cap. LXI.*
(i) Reineſ. *Inſcript. Claſſ.* I. 157.
(k) Idem *Claſſ. II.* 2.
(l) Reineſ. *Inſcr. Claſſe XIV.* 171.
(m) Dio Caſſ. *lib. XL. p.* 142.
(n) Idem *lib. XLII. p.* 196.
(o) Idem *lib.* XLVII. *p.* 336.
(p) Cic. pro Flacco *cap. XXVIII.*
(q) Grot. *ad acta II.* 10.
(r) Tacit. *Annal. lib.* II. *cap.* LXXXV.
(s) *Act.* VI. 9.
(t) Baſnage *dans l'hiſtoire des Iuifs liu.* VII. *chap.* VIII. §. 11. *ſeqq.*
(u) Id. *ibid.* §. *XI. ſeqq.*

Digitized by Google

Iulius Caeſar, ceu paullo ante diximus, omnia collegia noua ſuſtuliſſet: dubium non eſt, quin & Iudaeis per iſtud SC. integrum non amplius fuerit, religionis cauſſa coire. Sed facile tamen pecunia obtinuerunt tunc homines verſuti, vt collegium Iudaeorum ea lege exciperetur. Hinc IOSEPHVS (x): Καὶ γὰρ Γάϊος Καῖσαρ ἐν τῷ διατάγματι κωλύων θιάσους συνάγεσθαι κατὰ πόλιν, μόνους Ἰουδαίους οὐκ ἐκώλυσεν οὔτε χρήματα συνεισφέρειν, οὔτε σύνδειπνα ποιεῖν. *Etenim C. Caeſar, SCto vetans collegia coire in vrbe, ſolis Iudaeis neque ſtipem conferre, neque conuiuia agitare prohibuit.* Senatuſconſultum quoque ea de re fieri iuſſerat Caeſar, breui antequam interimeretur. Quum vero id in aerarium nondum fuiſſet delatum, SC. vero, antequam a quaeſtoribus in aerario collocata eſſent, vim ſibi vllam, TACITO (y) teſte, non vindicarent: nihil reliqui fecerunt Iudaei, homines ardenti feruidoque ingenio, & incredibili in commodis praeſertim ſuis diligentia, vt interemto proximo ſtatim menſe Caeſare, nouo condito SC. illud a Caeſare conditum ratum eſſe atque in aerarium deferri iuberetur a P. Dolabella & M. Antonio Coſs. Excidit ex IOSEPHI textu hoc quantiuis pretii SC. quod in codice MSto bibliothecae Leidenſis inuentum primus reſtituit IAC. GRONOVIVS (z), idque tale eſt: Τῇ πρὸ τριῶν εἰδῶν Ἀπριλλίων ἐν τῷ ναῷ τῆς Ὁμονοίας γραφομένῳ παρῆσαν Λούκιος Καλπούρνιος, κ. τ. λ. Πόπλιος Δολαβέλλας, Μάρκος Ἀντώνιος, ὕπατοι, λόγους ἐποιήσαντο· περὶ ὧν δόγματι συγκλήτου Γάϊος Καῖσαρ ὑπὲρ Ἰουδαίων ἔκρινε, καὶ εἰς τὸ ταμιεῖον οὐκ ἔφθασεν, ἀνενεχθῆναι περὶ τούτων ἀρέσκει ἡμῖν γενέσθαι, ὡς καὶ Ποπλίῳ Δολαβέλλᾳ καὶ Μάρκῳ Ἀντωνίῳ τοῖς ὑπάτοις ἔδοξεν, ἀνενεγκεῖν τε ταῦτα εἰς δέλτους καὶ πρὸς τοὺς κατὰ πόλιν ταμίας, ὅπως φροντίσωσι καὶ αὐτοὶ ἐν δέλτοις ἀναθεῖναι διπτύχοις. *Ante diem III. Id. Apr. in aede Concordiae ſcribendo adfuerunt L. Calpurnius &c. P. Dolabella M. Antonius Coſs. verba fecerunt. In quibus rebus SC. C. Caeſar de Iudaeis decreuit, neque ante curauit in aerarium deferri, de his placet nobis fieri, ſicut etiam P. Dolabellae & M. Antonio Coſs. viſum fuit, & deferre iſta in tabulas, & ad quaeſtores vrbanos, vt & ipſi curent ea in tabulis duplicibus reponere.* Adſcriptum eſt eidem SC. factum id eſſe ante quintum Idus Febr. in templo Concordiae, vt adeo denuo decem circumacti ſint menſes, antequam iſtud SC. ad aerarium deferretur, quo ſcilicet

(x) Ioſeph. *lib.* *XIV. Antiqu. Iud. cap. XVII.*

(y) Tacit. *lib.* III. *Annal. cap.* LI.

(z) Iac. Gronou. *De reb. Rom. & Aſiat. pro Iudaeis ab Ioſepho collectae in libro XIV. Archaeol. ſed male intermiſſa & expuncta, in publicam lucem vtilitatemque reſtituta p. 1.*

ſcilicet eo diutius occaſio eſſet conſulibus rapaciſſimis, aere emungendi Iudaeos. Obtinuerunt ergo auri imbre Iudaei, Romae viuentes, vt ſacrorum cauſſa iis liceret coire, conferre ſtipem, communibus epulis intereſſe, quae ipſa erat collegiorum conditio, ceu docet MARCIANVS (a). Vt vero eodem iure etiam in prouinciis vterentur, noua opus erat largitione. Hinc quum paullo poſt Dolabella Aſiam occupaſſet, miſſis legatis Hyrcanus, Sacerdos Maximus Iudaeorum, obtinuit, vt epiſtola Epheſinis denunciaret Dolabella, ſe Iudaeis indulſiſſe vacationem a militia, iiſdemque conceſſiſſe χρῆσθαι τοῖς πατρίοις ἐθισμοῖς ἱερῶν ἕνεκα καὶ ἁγίων συναγομένοις, καθὼς αὐτοῖς νόμιμον· *vti moribus patriis, cum propter ſacra & res diuinas congregentur, prout eorum legitima ſollemnitas poſcat* (b). Alia eiuſmodi decreta pro Iudaeis haut pauca collegit ex eodem codice GRONOVIVS, ex quibus ſatis conſtat, non defuiſſe Iudaeis aurum, quo eam ſibi libertatem mercarentur, quae ne ipſis quidem Romanis per ea quidem tempora dabatur. Sub Auguſto priuilegia illa conceſſa Iudaeis euiluiſſe ſenſim videntur: ſaltim in prouinciis, vbi conuentus eorum paſſim cohibebantur a praeſidibus, donec iis denuo religionis cauſſa coire permiſit Auguſtus, non ſolum libertinis Iudaeis Romae impenſe fauens, ceu demonſtrat BASNAGIVS (c), verum etiam epiſtola ad Norbanum Flaccum, Aſiae procos. praeſideſque prouinciarum miſſa, eorum ſacra permittens, vti refert PHILO ALEXANDRINVS (d). Eam libertatem Iudaeis ademit Tiberius, qui quatuor millia libertini generis Aegyptiaca & Iudaica ſuperſtitione infecta, Roma expulit, & quibus idonea aetas, in inſulam Sardiniam deportauit, coërcendis ibi latrociniis &, ſi ibi ob grauitatem caeli periiſſent, vile damnum, vt loquitur TACITVS (e). Non minus Iudaeis infeſtus Caius Caligula, a quo non impetrauerat Philo, vti collegium Iudaeorum Alexandriae eſſe pateretur (f). Sed paullo poſt ea etiam Romae diſſoluit Claudius. Et DIO (g) quidem, eum maioris periculi metu, conuentus illorum prohibuiſſe, & ſynagogas tantum occluſiſſe refert: aſt aliud docent ACTVS APOSTOLICI (h), qui Iudaeos tum Roma pulſos docent. Quod etiam confirmat SVETONIVS (i), qui de Claudio;

(a) *L. I. D. de colleg. & corp.*
(b) Gronou. *l. c. p. 6.*
(c) Baſnage *Hiſt. des Juifs liu.* VII. *chap.* VIII. §. VI. & VIII. *p.* 203. & 209. *Tom.* VII.
(d) Philo *adu.* Flaccum.
(e) Tacit. *Annal. lib.* II. *cap.* LXXXV. Ioſeph. *Antiqu. Iud. lib. XVIII. cap. V.*
(f) Philo *de legat. ad* Caium *init.*
(g) Dio Caſſius *lib. LX. pag.* 669.
(h) *Act. XVIII.* 2.
(i) Sueton. Claud. *cap. XXV.*

dio; *Iudaeos, impulſore Chreſto adſidue tumultuantes, Roma expulit.* Vbi quidem aliqui intelligunt Chriſtianos, quos cum Iudaeis tum ſaepe numero confuſos eſſe, iam a LIPSIO (k), PITHOEO (l), BARTHIO (m) aliiſque eſt obſeruatum. Sed nihil prohibet, quo minus Iudaeos ob Chriſtianorum nouam religionem adſidue tumultuantes in mente habuerit SVETONIVS: partim quod id DIONIS narrationi egregie conuenit, partim quia Chriſtianos a Claudio non eſſe expulſos, vel ex iis, quae poſtea ſub Nerone contigerunt, ſatis conſtat. Sub extrema Neronis tempora, quamuis hoſtes iudicarentur Iudaei, adeoque illis procul dubio non permitteretur Romae eſſe, nedum ad ſacra more patrio coire: prioribus tamen annis tam crudelis imperii plures Iudaeos Romae vixiſſe, & libere religioni ſuae vacaſſe, non ſolum ex ACTIBVS APOSTOLICIS (n), verum etiam ex PERSIO (o) patet, qui Iudaeos natalem Herodis Romae mira ſollemnitate celebraſſe ait:

Herodis venere dies vnctaeque feneſtra
Diſpoſitae pinguem nebulam vomuere lucernae.

Poſtea triſtiora ſucceſſere tempora: ſed tantum tamen abeſt, vt diuturnum fuerit Iudaeorum exſilium, vt poſtea vbique per imperium Romanum impune ſynagogas condiderint, & religionis cauſſa conuenerint. Quod & ſub Chriſtianis imperatoribus iis permiſſum, adeo, vt THEODOSIVS, ARCADIVS & HONORIVS (p) ſcribant anno CCCXCIII. *Iudaeorum ſectam nulla lege prohibitam, ſatis conſtat. Vnde grauiter commouemur, interdictos quibuſdam locis fuiſſe conuentus eorum.* Qualia etiam in aliis CODICIS THEODOSIANI legibus (q) paſſim leguntur.

§. XVIII.

Quamuis vero licita crederentur Iudaeorum collegia: durior tamen ea in re fuit Chriſtianorum conditio, quorum ſacri conuentus religionis cauſſa indicti, collegiis illicitis atque ἑταιρίαις acceniti ſunt, ideoque grauiter inhibiti. Teſtis eſt PLINIVS (r), qui de Chriſtianorum agapis ad Traianum referens: *Quibus peractis*, inquit, *morem ſibi diſcedendi fuiſſe adfirmabant Chriſtiani, rurſuſque coëundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium, quod ipſum facere deſiiſſe poſt edictum meum, quo ſecundum* *In primis de conuentibus Chriſtianorum.*

(k) Lipſ. ad Tacit. *Annal. lib. XV.*
(l) Pith. *Aduerſ. lib.* II. *cap. II.*
(m) Barth. *ad* Rutil. *Numant. itiner. lib.* I. *v.* 159.
(n) *Act. XXVIII.* 19.
(o) Perſ. *Satyr. V. v.* 180.
(p) L. 9. C. Theod. *de Iud. caelic. & Sam.*
(q) L. 12. L. 20. 21. *ſeqq. eod.*
(r) Plin. *lib. X. Epiſt.* XCVII.

mandata tua hetaerias eſſe vetueram. Ἑταιρίαι ſcilicet apud Graecos vocabantur epulae a collegiis & corporibus religionis cauſſa inſtitutae, quales apud Cretenſes erant ἀνδρεῖα, apud Lacedaemonios συσσίτια, Neapoli Φατριαὶ, Athenis κοινὰ ἐρανιστῶν & alia huius generis coëpulonum collegia, quae ſeuere prohibuerant imperatores, ne' forte ſeditionibus occaſionem darent illa tot hominum conuenticula (s). Quum ergo Chriſtiani ſingulis diebus ſolis coirent ad peragenda ſacra, agapaſque, id eſt conuiuia ſobria & pia inſtituenda: facile in eam ſuſpicionem inciderunt, ac ſi hetaerias facerent, iique conuentus & concaenationes ad rempublicam conturbandam pertinerent. Quod crimen quamuis accurate diluant TERTVLLIANVS (t) & ORIGENES (u): dici tamen non poteſt, quantam illud lanienam concitarit aduerſus Chriſtianos, & quot eccleſiae ob hetaerias illas mira crudelitate fuerint diſſipatae.

§. XVIIII.

Collegiis inimiciſſimi fuerunt Claudius, Traianus, & ſequentes Imperatores.

Iam vt ad collegia opificum tamquam e diuerticulo redeamus: dubium non eſt, quin ea inſequentibus temporibus non temere reuiuiſcere paſſi ſint imperatores. Claudium enim denuo collegia a Caio inſtituta diſſoluiſſe, auctor eſt DIO CASSIVS (x). Et de Traiano ſatis conſtat, eum ſeueriſſime vetuiſſe hetaerias, neque paſſum vmquam, vt noua collegia vel Romae vel in prouinciis inſtituerentur. Nam eius non ſolum mandato, propoſito edicto, hetaerias eſſe vetuerat PLINIVS, propraetor prouinciae Ponticae, conſulari poteſtate (y): verum etiam quum ipſe PLINIVS (z) Nicomediae collegium fabrum ad incendia coërcenda inſtituere vellet, eamque rem magnopere commendaret imperatori: hic reſpondit (a): *Tibi quidem ſecundum exempla complurium, in mentem venit, poſſe collegium fabrorum apud Nicomedienſes conſtitui: ſed meminerimus, prouinciam iſtam & praecipue eas ciuitates ab eiuſmodi factionibus eſſe vexatas. Quodcumque nomen ex quacumque cauſſa dederimus iis, qui in idem contracti fuerint, hetaeriae, quamuis breues, fient.* Aegre ergo Traianus permiſit opificibus in collegium vel corpus coire, multo aegrius hetaerias facere. Quem morem etiam tenuiſſe videntur ſequentes imperatores. Sane & diui fratres collegiorum licentiam inhibuerunt (b), & poſtea Seuerus

(s) Plin. *lib.* X. *Epiſt.* XCIII.
(t) Tertullian. *Apol. cap.* XXXVIII. *p.* 30. & *cap.* XXXIX. *p.* 32.
(u) Origen. *adu.* Celſ. *lib.* I. *pag.* 5.
(x) Dio Caſſ. IX. *pag.* 669.
(y) Plin. *lib.* X. *Epiſt.* XCVII.
(z) Idem *ibid. Epiſt.* XLII.
(a) Traian. *ibid. Epiſt.* XLIII.
(b) *L.* I. §. 2. *D. de colleg. & corp.*

Digitized by Google

Seuerus Imperator (c). Vt adeo magis magiſque videantur ex eo tempore exſpiraſſe.

§. XX.

Neque tamen omnia collegia ex vrbe, Italia & prouinciis proſcripſere Romani principes, ſed quaedam diſerte exceperunt, quibuſdam ſingularibus SC. coëundi dederunt facultatem. Hinc MARCIANVS (d): *In ſumma autem niſi ex* SC. *auctoritate, vel Caeſaris, collegium vel quodcumque tale corpus coierit, contra* SC. *& mandata & conſtitutiones collegium celebrat.* Et CAIVS (e): *Paucis admodum in cauſſis conceſſa ſunt huiuſmodi corpora, vt nec vectigalium publicorum ſociis permiſſum eſt corpus habere, vel aurifodinarum, vel argentifodinarum & ſalinarum. Item collegia Romae certa ſunt, quorum corpus* SC. *atque conſtitutionibus principalibus confirmatum eſt, veluti piſtorum, & quorumdam aliorum, & nauiculariorum, qui & in prouinciis ſunt.* Et hinc ſaepe in marmoribus vetuſtis gloriantur collegia & corpora, permiſſam ſibi SC. eſſe coëundi facultatem. Sic apud GRVTERVM (f) occurrit:

Quaedam tamen Collegia ſemper coëundi poteſtatem retinuere.

COLLEGIVM DENDROPHORVM ROMAN.
QVIBVS EX S. C. COIRE LICET.

Alibi legimus (g):

MENSORIBVS MACH. QVIBVS EX S. C. COIRE LICET. Et iam ſupra ex LAZIO (h) vidimus lapidem, in quo occurrunt NEGOCIATORES VINARII ET OMNIA CORPORA LVGDVNI LICITE COEVNTIA. Ex quibus ſatis patet, numquam in Romano orbe collegia in vniuerſum omnia legibus principum fuiſſe ſublata.

§. XXI.

Quin tantum abeſt, vt vnquam penitus ſint abolita, vt potius noua ſubinde Principum poſteriorum indulgentia Romae aeque ac in prouinciis ſurrexerint. De Alexandro enim Seuero auctor eſt AEL. LAMPRIDIVS (i): *eum corpora conſtituiſſe omnium vinariorum, lupinariorum, caligariorum & omnino omnium artium, hiſque ex ſe defenſores dediſſe.* Nec dubium eſt, quin inſequentes Imperatores Alexandrum ſectati ſint, & modo his modo illis artificibus coëundi conceſſerint libertatem. Sub Alexandri tempora iam XXXII. opificum corpora recenſet TARRVNTENVS PATERNVS (k), qui

Quin & noua ſubinde inſtituta ſunt indulgentia principum.

 10.

(c) L. 1. *pr. D. eod.*
(d) L. 3. §. 1. *D. eod.*
(e) L. 1. *pr. D. quod cuiuſcumque vniu. nomine.*
(f) Gruter. *Inſcript. p. CLXXV.* 8.
(g) Idem *ibid.*
(h) Laz. *de Rep. Rom. lib.* XII. *cap.* IV. *p.* 900.
(i) Ael. Lamprid. Alex. Seuer. *cap. XXXIII.*
(k) L. 6. *D. de iure immunit.*

Digitized

IO. BERTRANDI (l) & GV. GROTII (m) iudicio ſub Commodi imperio floruit. Inſequente ſaeculo XXX. nominat CONSTANTINVS (n), & ea quidem ab illis PATERNI diuerſa. In hoc enim numero ſunt *architecti*, *mulomedici*, *pictores*, *ſtatuarii*, *marmorarii*, *lecticarii*, *clauicarii*, *quadratarii*, id eſt, λιθοβήκται, qui marmora quadrabant, *ſtructores*, *ſculptores ligni*, *muſarii*, qui muſiua vel opera vermiculata efficiebant, de quibus ſingulari opere IO. CIAMPINVS (o): *deauratores*, *albini*, qui parietes incruſtabant, *argentarii*, *barbaricarii*, qui opera phrygionata efficiebant, *diatrætarii*, vaſa aurea argenteaque caelantes, *aerarii fuſores*, *ſignarii*, ſigilla facientes, *ferrarii*, *fabri tignarii*, *bracarii*, forſan *blatticarii*, ſericum purpura tingentes, *aquae libratores*, *figuli*, *aurifices*, *vitriarii*, *plumarii*, *ſartores* certarum veſtium, *ſpecularii*, *eborarii*, *pelliones*, *fullones*, *carpentarii*, *ſculptores marmoris*, *dealbatores*, *cuſores linarii*, *bractearii*, *aurum in lamellas attenuantes*, *inteſtinarii*, qui ornamenta aedium, quae inteſtina vocabant veteres, fabricabant, *teſſelarii* aliique plures, de quibus omnibus accurate ſuo more GVIDO PANCIROLLVS (p). Quum ergo praeter haec tot alia artificum opificumque collegia ex marmoribus iam ſupra collegerim: facile eſt ad intelligendum, quanta eorum vbique fuerit copia. Ea vero ad extrema imperii tempora duraſſe, ſatis docent SYMMACHI epiſtolae (q), CODEX vterque, THEODOSIANVS & IVSTINIANEVS quin hodiernae Romae municipiorumque Italiae conſuetudines, vti iam ab aliis eſt oſtenſum.

§. XXII.

Collegia ergo vel licita vel illicita. Illicitorum poenae.

Iam ex his, quae diximus, ſatis adparet, Romae collegia alia licita, alia illicita fuiſſe. Licita habebantur, quibus ex SC. vel conceſſione principis coire licebat. Reliqua illicita credebantur. Quicumque illicitum collegium vſurpabant, VLPIANO teſte (r), *ea poena tenebantur, qua teneri conſtat eos, qui hominibus armatis loca publica vel templa occupaſſe iudicati ſunt.* Haec vero poena non alia eſt, quam legis Iuliae de maieſtate, ſiquidem eodem auctore VLPIANO (s), maieſtatis crimine tenetur etiam is, *cuius opera, dolo malo, conſilium initum eſt, quo armati homines conueniant aduerſus rempublicam, locaue occupentur, vel templa, quoue coetus*

(l) Bertrand. *de Iuriſper. lib. I. cap. XXXII. p. 166.*

(m) Gu. Grot. *Vit. iurecons.* l. II. c. XI. §. IV. *p. 166.*

(n) L. 2. C. Theod. *de excuſ. artif.*

(o) Io. Ciampin. *de oper. muſiu.*

(p) Guido Panciról. *Adpend. ad Notit. imp. occid. pag. 21. ſeqq.*

(q) Symmach. *lib. X. Epiſt. XXVII. & XLII.*

(r) *L. 2. D. de colleg. & corp.*

(s) *L. 1. §. 1. D. ad L. Iul. de maieſt.*

coetus conuentuſque fiat, hominesue ad ſeditionem conuocentur. Huius vero criminis poena olim erat aquae & ignis interdictio, poſtea vero humiliores beſtiis obiiciebantur, vel viui exurebantur, honeſtiores capite puniebantur, vti de ſuis temporibus teſtatur PAVLLVS ICtus (t). Quum vero hoc animaduertendi ius intra vrbem & centeſimum ab vrbe lapidem, penes praefectum vrbi eſſet (u): etiam ii, qui illicitum collegium coiiſſe dicebantur, apud praefectum vrbi accuſandi erant, ex conſtitutione SEVERI (x). Vt adeo ſatis dura fuerit huius extraordinarii criminis poena.

§. XXIII.

In licita quinam recipi potuerint?

Quod ad licita attinet collegia, in ea recipi poterant omnes, qui illi profeſſioni vel artificio dabant operam. Quin & alii admittebantur religionis cauſſa, & de his intelligendus VLPIANVS (y): *Religionis cauſſa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra* SC. *quo illicita collegia arcentur.* Nec ſerui excludebantur collegiis tenuiorum, dum ſciente ac volente domino nomina dederint. Si quos enim curatores, imprudente aut inuito domino, recepiſſent, in ſingulos homines poena centum aureorum tenebantur (z). Exemplum ſane huius rei non vnum in vetuſtis marmoribus exſtat. Notum eſt CAPVLATORVM COLLEGIVM, in vrbe aeque ac prouinciis celeberrimum. Romae enim, regione vrbis III. recenſetur SCHOLA CAPVLATORVM (a). Et in aliis monimentis occurrunt CAPLATORES TIBVRTES (b), & CAPLATORES MVNICIPII ASCVLI (c). Capulatores vero vocatos, qui torcularibus vino oleoque exprimendo, & in fictilia labra doliaque defundendo praeerant, ex CATONE (d), COLVMELLA (e) & PLINIO (f), ſatis conſtat. Et tamen huic capulatorum vel caplatorum collegio etiam ſeruos interfuiſſe, vel ex Romana inſcriptione (g), in qua SERVVS DOLEARIVS laudatur, & habitu ſeruili eiuſmodi hominum apud REINESIVM (h) & ARINGHIVM (i) conſtat.

 §. XXIV.

(t) Paull. *recept. ſent. lib. V. Tit. XXIX.* §. 1.

(u) Vlp. *L.* 1. §. 4. *D. de offic. praef. vrb.*

(x) Idem L. 1. §. 14. *D. eod.*

(y) Idem L. 1. §. 1. *D. de colleg. & corp.*

(z) L. 3. §. 2. *D. de coll. & corp.*

(a) Guid. Panciroll. *Notit. imp. occid.* p. 3. & 165.

(b) Gruter. *Inſcript. p.* cIↃLVIII. 7.

(c) Idem *p.* CCCCXLIV. 1.

(d) Cato *de re ruſt. cap.* LXVI. *ſequ.*

(e) Colum. *de re ruſt. lib.* XII. *cap.* L.

(f) Plinii *Hiſt. Nat. lib.* XV. *c.* VI.

(g) Grut. *Inſcript. p.* IↃXXXIII. 1.

(h) Reineſ. *Inſcr. Claſſ.* XI. 62.

(i) Aringh. *Rom. ſubterr. lib.* III. *cap.* XXXVII. *p.* 317.

§. XXIV.

Quinam illis exclusi?

Neque tamen deerant, quos collegiis & corporibus etiam licitis arcendos exiſtimabant Romani. Ecce enim milites nec in caſtris collegia vel corpora conſtituere, nec in vrbibus & municipiis iiſdem nomina dare poterant. Prius MARCIANVS (k) docet, dum ſcribit: *Mandatis principalibus praecipitur praeſidibus prouinciarum, ne patiantur eſſe ſodalitia, neue milites collegia in caſtris habeant.* De poſteriore nos VLPIANVS (l) monet, qui *ſub praetextu religionis, vel ſub ſpecie ſoluendi voti, coetus illicitos ne a veteranis quidem tentari oportere*, ait. Cauſſa non ſolum ea fuiſſe videtur, quae ab aliis muneribus negotiiſque ciuilibus milites remouet, ne ſcilicet a militia & ſignis abſtrahantur, vel (m), vt PAVLLVS APOSTOLVS (n) rem eloquitur, ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ: ſed ne hoc praetextu fierent coitiones caſtrenſes, & ſeditiones militares, quibus nihil excogitari poteſt reipublicae pernicioſius. Licebat tamen militibus, vt idem MARCIANVS (o) ait, tenuioribus collegiis *ſtipem menſtruam conferre, dum tamen ſemel in menſe coirent, ne ſub praetextu huiuſmodi collegium illicitum coiret.* Inter collegiorum ſcilicet priuilegia, ceu ex IOSEPHO (p) patet, erat etiam τὸ χρήματα συνεισφέρειν, *collatio ſtipis*, quae epularum publicarum cauſſa fiebat. Quamuis ergo ſecundum regulam non permiſſum eſſet militibus, collegiis accedere: paullo poſt tamen acceſſit huic regulae exceptio, permiſſum hoc illis iri, ſi collegio tenuiorum accederent, ſtipemque conferrent, nec ſaepius, quam ſemel ſingulis menſibus, epularentur. Sed quaenam illa *collegia tenuiorum*, quorum bis meminit MARCIANVS (q)? Vtrum forſan viliorum artium & opificiorum? an minus opulentorum? Neutrum arbitror. Faecem enim vrbium, & vltimam illam colluuiem omnium maxime ad ſeditiones procliuem eſſe, nemo ignorat. Cur igitur Imperatores militibus permittere maluiſſent, vt viliſſimorum, quam lautiorum hominum, ſodalitiis accederent? Exiſtimo itaque, *collegia tenuiorum* eſſe minus frequentia, in quibus pauci tantum coirent, quemadmodum & corpus, mole paruum, tenue dicitur. His ſane etiam ſerui ac milites nomina dare, ac ſtipem conferre ſine periculo reipubl. poterant, ſiqui-

(k) *L. 1. pr. D. de colleg. & corp.*
(l) *L. 2. D. de extraord. crim.*
(m) *L. 4. C. Qui dare tut. vel curat.*
(n) *2. Tim. II. 4.*
(o) *L. 1. pr. D. de coll. & corp.*
(p) Ioſeph. *Antiqu. Iud. lib.* XIV. *cap.* XVII.
(q) *L. 1. pr. & §. 2. D. de coll. & corp.*

ſiquidem; orto tumultu, pauci turbulenti homines facile coërceri cogique in ordinem poterant.

§. XXV.

An liceat pluribus collegiis intereſſe?

Deinde id quoque obſeruandum erat iure Romano, ne quis pluribus, quam vni collegio accederet. Ita enim diuos fratres reſcripſiſſe, ait MARCIANVS (r). Ratio huius legis eadem fuiſſe videtur, quae ipſa collegia reddebat odioſa. Homines enim, qui plura collegia habebant, non poterant non ſempiterna propemodum crapula torpere, quum ſingula ſingulis ſaltim menſibus coirent. Fieri non poterat, quin inhiarent alienis, qui ſua prodegiſſent. Quare quum ſuſpectam hanc collegiorum ambitionem haberent principes: lata lege, vnum pluribus collegiis intereſſe vetuerunt. Si quis vero in duobus eſſet, reſcripſerunt, *eligere eum oportere, in quo magis eſſe vellet, accepturum ex eo collegio, a quo receſſiſſet, id, quod ei competeret ex ratione, quae communis fuit.* Eo magis vero iuſtum videbatur, eum, qui e iuſto & licito collegio diſcederet, pecunias recipere, quia & illis, qui collegiis illicitis interfuerant, iis diſſolutis, *permittebatur, pecunias communes, ſi quas habebant, diuidere, pecuniamque partiri*, vt denuo ſcribit MARCIANVS (s), quem ita intelligo, hanc diſceſſionem licuiſſe ſtatim, poſtquam iſtiuſmodi collegium, principum decreto, fuerit abolitum. Si enim poſtea quis collegium illicitum vſurpaſſet: non amplius locum habebat diſceſſio haec, & pecuniae collatitiae partitio, ſed tunc collegae criminis maieſtatis tenebantur, poenaque adficiebantur, quam paullo ante ex VLPIANO deſcripſimus.

§. XXVI.

Collegia vniuerſitates & quaſi reſpublicas conſtituebant, & hinc iuribus minorum vtebantur.

Caeterum collegia licita, & ab imperatoribus firmata, gaudebant iuribus & priuilegiis, quae vna faſce complecti iuuabit. Sic primo iis licebat ex ipſis XII tabulis, pactionem, quam vellent, ſibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumperent (t). Poterant ergo condere ſtatuta, dum ne illa legibus repugnarent. Licebat etiam coire, & de rebus communibus conſulere in medium, & deinde decreta condere, quae fere cum SCtis conueniebant, quod ad formam attinet. Aetatem enim tulit marmor vetuſtum, apud GRVTERVM (u) & PANCIROLLVM (x), in quo hoc collegii decretum legimus:

IMP.

(r) L. 1. §. 2. *D. eod.*
(s) L. 3. *p. D. eod.*
(t) L. 4. *D. eod.*
(u) Gruter. *Inſcr. p. CI.* 1.
(x) Guid. Pancirol. *Adpend. ad Notit. Imp. occident. p.* 23.

IMP. CÆS. M. AVRELIO ANTONINO AVG. PIO
FELICE VIM PETRONIO PEPTIMIANO COS.
X. KAL. APRIL. IN TEMPLO COLLEGI
FABRVM ET CENTONARIORVM REGIENSIVM.
QVOD REFERENTIBVS P. SAENIO MARCELLINO ET C. AVFIDIO
DIALOGO QVAESTORIBVS
V. F. (y)

IVSSILIVM IVLIANVM VIRVM ET VITA ET MODESTIA ET INGENITA VERECVNDIA ORNATVM ET LIBERALEM OPORTERE COLLEGI NOSTRI PATRONVM COOPTARI VT SIT CETERIS EXEMPLO IVDICI NOSTRI TESTIMONIVM.

Q. F. P. D. E. R. I. C. (z)

SALVBRI CONSILIO TAM HONESTA RELATIONE A QVÆSTORIB. ET MAGISTRIS COLLEGI NOSTRI FACTAM ET SINGVLI ET VNIVERSI SENTIMVS ET IDEO EXCVSANDVM POTIVS HONESTO VIRO IVLIANO HVIVS TARDAE COGITATIONIS NOSTRAE NECESSITAT. PETENDVMQVE AB EO LIBENTER SVSCIPIAT COLLEGI N. PATRONAL. HONOREM TABVLAMQVE AEREAM CVM INSCRIPTIONE HVIVS DECRE. N. DOMO EIVS PONI CENSVERVNT.

Ex hoc quantiuis pretii monimento ſatis elucet, veluti reip. ſpeciem quamdam prae ſe tuliſſe iſthaec collegia. Ad exemplum ſane reip., teſte CAIO (a), *habebant res communes, arcamque communem*, habebant quaeſtores, magiſtros quinquennales, procuratores, qui veluti magiſtratuum loco erant. Hi referebant ad collegium, non ſecus ac conſules ad ſenatum. Singuli porro collegae dicebant ſententiam, & quod plurimorum ſuffragiis fuerat comprobatum, decreti nomine veniebat. Quin & aeneis tabulis decreta ſua incidebant, & publice legenda proponebant, ſicuti olim SC. Quemadmodum porro vniuerſitates, municipia, oppida per ſyndicos litigabant: ita & collegia ſingula, teſte CAIO (b), *habebant ſyndicum vel actorem, per quem, tamquam in republica, quod communiter agi fierique oporteat, ageretur, fieret.* Quemadmodum ergo non eſt dubium, quin vniuerſitates fuerint collegia & corpora: ita eadem, vniuerſitatum inſtar, iure minorum vſa eſſe, adeoque in integrum reſtitui potuiſſe, veroſimile eſt (c). Vnde nec dubitari poteſt, quin ſi pecuniam mutuam acceperint adminiſtratores, ſpeciali mandato haut inſtructi: verſio

in

(y) *Id eſt: verba fecerunt.*

(z) *Legendum: Quid fieri placeret; de ea re ita cenſuerunt.*

(a) L. 1. D. *quod cuiuſcumque vniuerſitatis nomine.*

(b) L. *ead.* D. *eodem.*

(c) L. 3. C. *de iure reip.* L. 4. C. *ex quib. cauſ. mai. reſt.*

Digitized by Google

in rem collegii probanda fuerit a creditoribus (d). Ratio enim, ob quam ciuitatibus ac rebuſpublicis haec minorum iura indulſerunt, etiam reliquis vniuerſitatibus ac collegiis quadrat, quippe quae, non ſecus ac ciuitates, perpetuae ſubſunt aliorum adminiſtrationi.

§. XXVII.

An iure antiquo heredes instituti, fideicommiſſa & legata capere potuerint?

Ex eodem principio leges veteres collegia ad hereditates non admittebant, quia erant perſonae incertae. *Incerta autem perſona heres inſtitui non poterat, quoniam certum conſilium eſſe debet teſtantis*, vti loquitur VLPIANVS (e), qui etiam ſtatim addit: *Nec municipia nec municipes heredes inſtitui poſſunt, quoniam incertum corpus eſt, vt neque cernere vniuerſi, neque pro libito pro herede gerere poſſint, vt heredes fiant.* Ratio ergo huius antiqui iuris repetenda eſt a ſollemnitate cretionis. Haec tamquam actus legitimus non admittebat procuratorem (f). Ciuitates autem & municipia non potuiſſent cernere, niſi per ſyndicum. Quod ſane non magis ciuitatibus licebat, quam pupillis, pro quibus ne quidem tutores hereditatem cernere & adire poterant (g). Quae omnia ita ſunt comparata, vt non minus ad collegia, quam ciuitates & municipia poſſint adplicari. Ceterum hoc ius ſub Traiano adhuc inconcuſſum fuit, ſub quo ſcribit PLINIVS (h): *Nec heredem inſtitui, nec praecipere poſſe rempublicam, conſtat.* Vnde ſimul liquet, rempublicam nec legata nec fideicommiſſa capere potuiſſe, quum tamen hic nulla obſtaret cretionis ſollemnitas, quod & obſeruauit VLPIANVS (i).

§. XXIIX.

Quid ea in re legibus nouis ſenſim immutatum ſit?

Sed paullatim aliquid remiſſum a priſtina illa ſubtilitate. Nam primo aliquot SC. prodierunt, quibus conceſſum, vt municipia a libertis inſtitui poſſent (k). Deinde de fideicommiſſis, municipiis relinquendis, prodiit ſenatuſconſultum Apronianum ſub Hadriano, anno erae vulgaris vel CXVII. vel CXXIII. Vterque enim in faſtis praefert Apronianum Cos. Quamuis enim CVIACIVS (l) id SC. ſub Marco demum conditum malit: rem tamen conficit teſtimonium ex *L. 27. pr. D. ad* SC. *Trebell.* vbi iam Iulianus huius iuris meminit, qui ſub Hadriano ſcripſit. Ex eo ergo tempore non deſunt exempla integrorum praediorum, vrbi-

(d) L. 27. *D. de reb. credit.*
(e) Vlpian. *Fragm. Tit.* XXII. §. *V. ſequ.*
(f) L. 90. *pr. D. de acquir. hered.*
(g) L. 4. & 5. C. *de iure delib.*
(h) Plin. *lib. V. Epiſt.* VII.
(i) Vlpian. *ibid.*
(k) Idem *ibid. L.* 1. *D. de libert. municip.*
(l) Cuiac. *ad* Vlpian. *Fragm. l. c.*

bus legatorum (m). Quum vero ea sc. de ſolis ciuitatibus loquerentur: ad alias quoque vniuerſitates illa protulit Marcus Imp. qui & vicis ſuis hoc ius legata capiendi reſcripto dedit (n), & poſtea illud etiam ad collegia protulit. Qua de re PAVLLVS (o): *Quum ſenatus, temporibus diui Marci, permiſerit collegiis legare, nulla dubitatio eſt, quod, ſi corpori, cui licet coire, legatum ſit, debeatur.* Plura eam in rem dixere MERILLIVS (p), SCHVLTINGIVS (q) & GVNDLINGIVS (r). Quemadmodum porro certi iuris erat, eis mortis cauſſa recte donari, qui legata capere poſſint (s): ita nemo dubitabat, quin & collegiis mortis cauſſa donari poſſit. Denique omnem ſubtilitatem aboliturus Leo Imp. (t) omni genere vltimae voluntatis bona etiam in collegia transferri permiſit. Ad exceptiones pertinet, quod Iudaeorum collegio, licito tamen ante ea tempora, iſtud priuilegium ademit Antoninus Caracalla, qui ad A. Claudium Tryphoninum reſcripſit (u): *Quod Cornelia Saluia vniuerſitati Iudaeorum, qui in Antiochenſium ciuitate conſtituti ſunt, legauit, peti non poteſt.*

§. XXIX.

Variae collegiorum immunitates.

Denique & immunitatibus quibuſdam gaudebant collegia, verum non tam iure ſuo, quam priuilegio principum. Plura enim, quae a neceſſitate, munera ſubeundi, libera erant, recenſet TARRVNTENVS PATERNVS (x), aliaque addit CONSTANTINVS (y). Sic corpori inprimis menſorum frumenti iuxta annonam vrbis, id priuilegium tributum ait PAVLLVS (z), vt ab oneribus etiam patrimonialibus vacationem haberent, quo tamen in prouinciis non gaudebant menſores. Sed & *porcinarios vrbis aeternae, quum peruigilem laborem P. R. commodis exhiberent, ſordidis muneribus liberatos legimus* priuilegio VALENTINIANI, Theodoſii & Arcadii auguſtorum (a). Ceterum priuilegia haec erant varia, veluti: ne quid nouum, id eſt, nouam collationem ſuſtinerent (b), nec ad militiam cogerentur, niſi ad murorum & portarum cuſtodiam

(m) L. 101. *D. de legat.* III.
(n) L. 73. §. 1. *D. de legat.* 2.
(o) L. 20. *D. de reb. dub.*
(p) Merill. Variant. ex Cuiac. *lib.*II. *cap.* XIV.
(q) Schulting. *Iuriſpr. antiqu. Anteiuſtin. p.* 659.
(r) Gundling. *diſſ. de principe herede. cap.* II. §. IV.
(s) L. 9. *D. de mort. cauſſ. don.*
(t) *L.* 12. *C. de hered. inſt.*
(u) *L.* 1. *C. de Iud.*
(x) *L.* 6. *de iur. immun.*
(y) *L.* 2. C. Theod. *de excuſ. artif.*
(z) L. 10. §. 1. *D. de vacat. & excuſ. mun.*
(a) L. 1. C. *de ſuariis.*
(b) L. 1. C. *de priuileg. corp.*

Digitized by

diam (c), nec famis tempore vrbe expellerentur (d). Sed quum haec iura non omnibus indulta fuiſſe, ſatis adpareat, iis iam haut immorabimur.

§. XXX.

Magis ad rem faciet, ſi in cauſſas, cur poſteriores Imperatores tam multa collegiis permiſerint, inquiramus, maxime quum ſupra animaduerſum ſit, anteriores imperatores eorum cauſſam male cupiuiſſe. Scilicet quum parum honorata eſſet opificum conditio, multi aufugiebant Roma, & in prouincias ſe conferebant, vbi benignius habebantur. Hinc tot priuilegiis alliciendi erant, vt Romam redirent. Quin quum priuilegia atque immunitates non ſufficerent ſiſtendae huic fugae, cogi opifices iuſſerunt imperatores, vt Romam reuerterentur. Quo pertinet conſtitutio Honorii & Theodoſii auguſtorum (e), ex tribus aliis conflata (f), qua cautum legimus, *vt cura rectorum prouinciarum corporati vrbis Romae, qui in peregrina transgreſſi ſint, redire cogerentur, vt ſeruire poſſint functionibus, quas impoſuerit antiqua ſollemnitas.* Qua lege in primis tunc opus erat, quum ob Gothicam, ſub Alarico & Ataulpho, vrbis vaſtationem plures in orientem, Aegyptum & Africam fugiſſent, ceu erudite demonſtrauit GOTHOFREDVS (g). Sed quum iam ad haec extrema reipubl. tempora peruentum ſit, hic quidem merito, ſigno receptui dato, ad collegiorum in Germania originem & iura progredimur.

Earumque cauſſae.

(c) *Nouella XLIII.*

(d) Gothofr. *ad L.* 2. C. Theod. *de priu. corp. L.* XIV. *Titulo* II.

(e) *L.* 1. *C. de priuil. corp. lib. XI. Tit. XIV.*

(f) *L.* 2. 3. 4. C. Theod. *eod. lib.* XIV. *Tit. II.*

(g) Gothofr. *ad L.* 4. C. Theod. *eod. pag.* 194. *Tom. V.*

CAP. II.

DE COLLEGIORVM IN GERMANIA ORIGINE ET IVRIBVS.

§. *I. Germani in conſtituendis collegiis Romanos imitati.* §. *II. Antiqui Germani ſine vrbibus & oppidis degere.* §. *III. Hinc nec commercia & opificia inter eos floruerunt.* §. *IV. Conficiendis rebus neceſſariis ſoli tum vacabant ſerui.* §. *V. Quod & Francorum ſequentiumque Imperatorum Germ. aeuo factum.* §. *VI. Etiam in ipſis vrbibus.* §. *VII. Mutatio a ſaeculo XI. facta.* §. *VIII. Vrbes*

Vrbes pleraeque conſules & ſenatum, exemplo Italorum, ſibi conſtituerunt. §. *IX. Inde natae ſunt tribus vel collegia.* §. *X. Imperatores & principes his collegiis maxime aduerſabantur.* §. *XI. Effectus harum tribuum fuere variae turbae in ciuitatibus.* §. *XII. Origo litterarum natalitiarum.* §. *XIII. Cur ſpurii non admittantur?* §. *XIV. Cur quorumdam opificum filiis nefas fuit opificia addiſcere?* §. *XV. Ex quo iure definiendae collegiorum controuerſiae.* §. *XVI. Collegia apud nos vel licita, vel illicita.* §. *XVII. Eorum adminiſtratio & res communes.* §. *XVIII. Ea gaudent iuribus vniuerſitatum.* §. *XIX. Contractus & delicta illorum.* §. *XX. Eorumdem diſſolutio & ſeparatio.* §. *XXI. Concluſio exercitationis.*

§. I.

Germani in conſtituendis collegiis Romanos imitati.

SI vlla in re Germani vetera Romanorum inſtituta adoptarunt, factum id certe in collegiis & corporibus opificum inſtituendis. Romana enim hic eſſe omnia, is demum deprehendet, qui & originem eorum apud Germanos expenderit paullo accuratius, & leges atque inſtituta cum Romanis contenderit. Quod quum a nemine ſatis diligenter factum eſſe animaduertam, licebit nobis in vacuam venire poſſeſſionem, & per veterum annalium monimenta liberius exſpaciari.

§. II.

Antiqui Germani ſine vrbibus & oppidis degere.

TACITI aeuo nullas in Germania magna vrbes; nulla munitiora fuiſſe oppida, comperio. Diſerte enim hic auctor rerum Germanicarum peritiſſimus (h): *Nullas*, inquit, *Germanorum populis vrbes habitari, ſatis notum eſt: ne pati quidem inter ſe iunctas ſedes.* Et ſane maiores noſtri nulla opum cupidine, nullo luxu, rudi tecti vellere, & cibo ſimpliciore, lacte, caſeo, agreſtibus pomis, recente fera contenti, vitam omnem in ſtudio rei militaris tranſigebant. Eoque commodius tum fuit diſcretis ac ſeiunctis penatibus habitare, vt fons aliquis, vt campus, vt nemus maxime delectabat, quo minus ita quidquam poſſent ſuae deſiderare beatitati. Hinc quamuis PTOLEMAEVS (i) nonaginta quatuor vrbes recenſeat in Germania, in quibus quaedam, hodierno more, in *burgum* finiunt, veluti *Laciburgum*, *Aſciburgum*: facile tamen patet, πόλεις illas non niſi vicos fuiſſe. Nam & CAESAR (k) Sueuis & Vbiis tribuit *oppida*, quae Graecus metaphraſtes

(h) Tacit. *de morib. Germ. cap. XVI.*

(i) Ptolem. *Geogr. lib. II.*

(k) Caeſar *de bello Gall. lib. IV. cap. XIX. & lib. VI. cap. X.*

Digitized by Google

ſtes τὰς πόλεις vocare non dubitat. Et HERODIANVS (l), vbi Germanorum vicos a Maximino direptos exuſtoſque refert, ſtatim addit: εὐμαρέςατα γὰρ τὸ πῦρ ἐπινέμεται τάς τε πόλεις αὐτῶν, ἃς ἔχουσι, καὶ τὰς οἰκήσεις ἁπάσας. *Sunt autem vrbes eorum aedificiaque omnia maxime incendiis obnoxia.* Vbi manifeſto πόλεις vocat, quas antecedente periodo vocarat κώμας, dum ſcripſerat: τὰς δὲ κώμας ἐμπιπρὰς διαρπάζειν ἐδίδου τῷ στρατῷ. *Vicos incendendos diripiendoſque militibus tradidit.* Tantum ergo abeſt, vt vrbes condiderint Germani, vt quarto adhuc ſaeculo *oppida, tamquam circumdata retibus luſtra, declinarint*, teſte locupletiſſimo AMMIANO MARCELLINO (m).

§. III.

Commercia & opificia inter Germanos non floruerunt.

Inde vero facile patet, nullum tunc mercaturae peregrinae in Germania fuiſſe locum, vilia tantum & obuia petentibus maioribus noſtris. Multo magis ergo exſulaſſe opificia, credibile eſt, luxuriae, aut vitae certe mollioris inſtrumenta. Quatuor ſcilicet erant hominum ordines, nobilium, ingenuorum, libertinorum, ſeruorum (n). Nobiles reipublicae domi foriſque praeerant. Ingenui bellis & venationibus vacabant (o), negotiis domeſticis feminarum turbae & infirmiſſimo cuique delegatis. Libertini non multum ſupra ſeruos erant, adeoque cum illis agriculturae reique pecuariae dabant operam, hominibus propriis, ruſticiſque hodiernis ſimillimi. Quintum hominum genus, oppidanorum puta, quod mercatura opificiiſque atque artibus manuariis viuit, vetus illa liberaque Germania, non minus ac ipſas vrbes, ignorabat.

§. IV.

Conficiendis rebus neceſſariis ſoli vacabant ſerui.

Quum tamen opificiis quibuſdam omnino carere non poſſit respublica, nec maiores noſtri in plauſtris, ſed in aedibus vixerint, nec nudi, ſed armati & veſtiti inceſſerint, inſtrumentiſque vſi ruſticis, atque vtenſilibus variis: nemo dubitauerit, quin in Germania quoque fuerint, qui tractarent fabrilia, veſtes conſuerent, aratra, arma, ollas, reliquamque ſupellectilem conficerent. Sed caue eos opifices in vrbibus, collegiiſque quaeras, aut tales tibi concipias, qui tranſactis tirocinii annis, & edito artis ſpecimine, in corpus aliquod fuerint cooptati. Vt cuique ſeruo vel ruſtico erat artis fiducia, ita eiuſmodi negotiis vacabat horis ſubceſiuis. Auctor ſane eſt TACITVS (p), *ſeruos praeter modum frumenti*

(l) Herodian. *Hiſtor. lib.* VII. *cap.* II.
(m) Amm. Marcell. *lib.* XVI. *c.* III.
(n) Tacit. *de morib. Germ. cap.* XXV.
(o) Idem *cap.* XV.
(p) Tacit. *ibid. cap.* XXV.

menti & pecoris, *etiam* VESTES *dominis praeſtitiſſe*. Has ergo a ruſticis ipſis conſutas eſſe, facile eſt ad intelligendum.

§. V.

Mos Francorum ſequentiumque Imperatorum Germ. aeuo factum.

Et ita ſe res habuit etiam inſequentibus ſaeculis. Quamuis enim ſub Francorum regibus hinc inde exſurgerent vrbes ampliores, maxime vbi reges, duces, epiſcopi, ſedes collocauerant: quamuis etiam in tanta hominum adfluentia quibuſdam locis florerent emporia, qualia ſunt *Bardenvvich*, *Schesla*, *Magadoburg*, *Episfurt*, *Forchheim*, *Breemberg*, *Raginisburg*, *Lauriacum*, quarum in CAPITVLARIBVS CAROLINIS (q) fit mentio; vrbes tamen illae, ſi a paucis diſceſſeris, non aliis, quam ſeruilis ac libertinae conditionis hominibus, habitabantur. Sic Erfurtum, quam emporiis adnumerat CAROLVS, BONIFACIVS (r) in litteris ad Zachariam Papam, vocat *locum, qui dicitur Erphesfurt, qui fuit iam olim vrbs* PAGANORVM RVSTICORVM. Nec ignota ſunt diplomata, quibus integris ciuitatibus *ius mortuarii* remiſſum (s); vel quibus manumiſſae ſunt integrae ciuitatum vniuerſitates (t). Quae ſane indicio ſunt, etiam in vrbes tunc maxime confluxiſſe ſeruorum libertinorumque colluuiem.

§. VI.

Etiam in ipſis vrbibus.

Quamuis ergo non dubitem, quin ab eo tempore in vrbibus quoque maxime floruerint opificia: ea tamen non niſi a ſeruis culta exiſtimo. Sane inter Francorum miniſteriales, id eſt, ſeruos, in variis monimentis occurrunt *argentarii* (u), *aurifices* (x), *carpentarii* (y), *fabri*, (z), *ſartores* (a), *ſutores* (b), aliique opifices. Et quamuis ſub Henrico I., vrbium per Saxoniam conditore, alia eſſe coeperit oppidanorum conditio, conuentibus, nundinis, conuiuiis pleriſque in vrbes & oppida tranſlatis (c): fuere tamen & mercatores & opifices adhuc glebae adſcripti, obnoxiique dominis. Sic in diplomatibus Ottonis M. apud HVNDIVM (d) mentio fit *aureariorum*, *bunheariorum*, *clidelariorum*, *mercatorum*, qui omnes erant ſeruilis conditionis. Et in vita Gebhardi,

(q) Capitul. *ann.* Iↄcccv. *n. VII. p.* 425.

(r) Othilo *Vit.* Bonifac. *lib.* II. *c.* II.

(s) Lehm. *Chron. Spir. lib. IV. cap.* XXII.

(t) Meibom. *Script. rer. Germ.* Tom. III. *p.* 205.

(u) *Lex* Burg. *Tit.* XXI. §. 11.

(x) *Lex* Burg. *ibid.*

(y) *Lex* Salica *Tit. XI.* §. *V.*

(z) *Lex* Burg. *Tit. XXI.* §. II.

(a) *Ibidem.*

(b) *Ibidem.*

(c) Witichind. *Annal. lib.* I. *p.* 693.

(d) Hund. *Metrop. Salisb. Tom.* I. *p.* 227. *&* Tom. II. *pag.* 372. *ſequ.*

hardi, Epiſcopi Conſtantienſis (e) legimus, *eum ſeruos optimos quoſque elegiſſe, & ex eis coquos, piſtores, caupones, fullones, ſutores, hortulanos, carpentarios, &* SINGVLARVM ARTIVM MAGISTROS *conſtituiſſe, eiſque conceſſiſſe priuilegia, vt quum quis praeſentium, vel eorum ſucceſſorum, qui de progenie illorum eſſet, moreretur, exuuiae de iis non ſumerentur, ſed heredes relictam hereditatem poſſiderent. Si vero de alia progenie aliquis ſucceſſiſſet, ab hoc donatiuo alienus eſſet.* Ita diutiſſime opificia in ſeruorum caſis delituerunt, quamuis variis priuilegiis ſubinde ornarentur a principibus. Et inde reddi poterit ratio, cur ex antiquiſſimorum opificiorum inſtituto boëti non vocentur *Geſellen*, ſed *Knechte.* Noti enim ſunt *Schuh Knechte*, *Becker - Knechte*, *Fleiſcher-Knechte*, *Mühl-Knappen*, ceteri.

§. VII.

Enimuero a ſaeculo XI. alia coepit eſſe rerum facies. Nam quum ab eo tempore plures vrbes opibus commerciiſque florerent, & comitum, ſcultetorum, aduocatorumque, quibus ab initio ſuberant, imperium ſenſim excuterent: coeperunt primo collegia ſenatoria, conſules, magiſtratuſque, Italorum exemplo, conſtituere: deinde opificum celebriorum collegia, eorumdem aemulatione, erigere, ac denique pleriſque locis ingenuos, ſeu patricios, ſenatu eiicere, plebique vindicare vrbanas reſpublicas. Omnia haec ex annalibus demonſtrare operae fuerit pretium.

Mutatio a ſaeculo XI. facta.

§. VIII.

Et primo quidem conſulum & ſenatorum, non niſi a ſaeculo X. fieri mentionem, certiſſimum eſt. Auctor quidem eſt ALCVINVS apud CANISIVM, Carolum M. Aquiſgranum Romae ad exemplum inſtituiſſe, *foroque*, SENATV, *arce, theatro, atriis & aeterni regis templo, thermis inſuper vel balneis ornaſſe.* Sed id quidem ſingulare, nec in exemplum tractum fuit. Idem dicendum de Salſa, vel Seltia, Alſatiae oppido, vbi ODILO CLVNIACENSIS (f) ab Adelheide Ottonis M. vidua, *vrbem factam*, ait, *ſub* LIBERTATE ROMANA. Nam in quonam conſtiterit illa Romana libertas, parum conſtat. Aſt a ſaeculo XI. frequentiſſima conſulum & ſenatorum occurrunt veſtigia. Bremenſes iam ſaeculo XII. ineunte, paruiſſe proconſulibus & conſulibus, didici ex diplomate Henrici V. Imp. (g), quamuis id non vbique genuinum videatur, maxime

Vrbes pleraeque conſules & ſenatum, exemplo Italorum, ſibi conſtituerunt.

(e) Piſtor. *Script rer. Germ. Tom.* II. *pag.* 655.

(f) Odilo *Vit.* Adelheidis *lib.* I. *cap. VII. p.* 265. *apud* Leibnit. *Tom.* I.

(g) *Adſertio Libertat. Bremenſ. p.* 357.

maxime quum in illo & ſtatuae Rolandi fiat mentio. Certioris fidei eſt diploma Philippi Regis, Spirenſibus conceſſum (h), ex quo patet, iam tempore Henrici V. Imp., cuius ille diploma confirmat, Spirae floruiſſe collegium ſenatorium, vel, vti tum loquebantur, *ordinem proconſulum & conſulum.* Ceterum hoc inſtitutum ſenſim imitatae ſunt vrbes aliae, poſt alias. Bernatenſibus Fridericus II. Imp. poteſtatem feciſſe dicitur, ſenatum, ſuo arbitrio, conſtituendi (i). Erfurti anno CIↃ CCLI. ſenatum coire coepiſſe, ex monimentis tradit GVDENVS (k). Eodem circiter tempore a Conrado, vltimo Sueuorum duce, ciues Auguſtanos ſe ſuaque in libertatem vindicaſſe, ex eoque tempore ipſos ſibi ex ſuis municipibus ingenuis proprium ſenatum elegiſſe, perhibent (l). Quin anno demum CIↃCCCXLVI. Vlmenſes conſules ſibi ac tribunos plebis conſtituere coepiſſe, relatum legimus (m). Quum ergo ſaeculo X. Italicas ciuitates primum collegia ſenatoria inſtituere, iisque, veterum Romanorum exemplo, conſules praeficere coeperint, vti recte animaduertit CAROLVS SIGONIVS (n): non abs re inde collegit BEATVS RHENANVS (o), hoc inſtitutum ſenſim etiam Germanicas ciuitates eſſe imitatas. Vnde hodie vix eſt Germaniae oppidum, in quo non conſules & ſenatores, vel, vt medio aeuo vocabantur, *proconſules & conſules* olim e nobilioribus ciuitatum familiis, hodie plerumque ex promiſcua plebe lecti, ſenatum vel conſilium publicum conſtituant.

§. IX.

Inde natae ſunt tribus vel collegia. Quum ſemel Italos imitari coepiſſent Germani: nihil erat facilius, quam vt & collegia opificum, eorumdem exemplo, in vrbibus paſſim erigerent. Idque eo facilius fieri poterat, poſtquam pleraeque vrbes, opibus auctae, ciues non niſi liberos & a ſeruitutis nexu ſolutos adoptarent. Nam quum antea, vti ſupra obſeruauimus, non niſi ſeruilis & libertinae conditionis homines in vrbibus artibus opificiisque vacarent: poſteriore aeuo ſuppetunt exempla, quod integrae ciuitates manumiſſae & libertate plena frui iuſſae ſunt, ceu docet exemplum Brunſuicenſum, ab Ottone

(h) Lehm. *Chron. Spir. lib. IV. cap. XI. p.* 302.
(i) Cruſ. *Ann. Part.* III. *lib.* I. *p.* 12.
(k) Guden. *Hiſt. Erfurt. lib.* I. *p.* 12.
(l) Cruſ. *Annal. Sueu. Part.* III. *lib.* II. *cap. XVII.*
(m) Id. *ad h. ann.*
(n) Sigon. *de regno Ital. lib. XVII. ad ann.* IↃCCCCLXXIII.
(o) B. Rhenan. *libr.* III. *rer. Germ. p.* 101. Lehm. *Chron. Spir. lib. IV. cap. III. & XI.*

Digitized by Google

tone Duce manumiſſorum, apud MEIBOMIVM (p). Ex eo ergo tempore inualuit paroemia: *Keine Henne fliegt über die Mauer*, id eſt, ſeruilis conditionis hominibus non patet acceſſus in ciuitates, adeoque nec ad opificia admittuntur. De quo veteri ſcito pluribus egit HERTIVS (q). Vt vero ſeruilis & obnoxiae conditionis homines eo facilius excluderentur vrbibus: non ſolum codicillos, ingenuitatis teſtes, (*Geburths-Brieffe*,) exigere a ciuibus nouis coeperunt, verum etiam ipſi opifices ſenſim in collegia & corpora coaluerunt, vt, qui artem facerent in vrbe, an ſerui etiam eo iure abuterentur, eo facilius cognoſcerent. Dicta ſunt ea collegia medio aeuo: *gildae*, *vniones*, *Einungen*, *Innungen*, *Zünffte*, *Aemter*, &, ſi annalibus credendum, illa iam a ſaeculo XII. in Germania fuerunt frequentiſſima. In chronico Magdeburgico apud MEIBOMIVM (r), ad annum circiter CIↃCLIII. relatum legimus, *Wichmannum archiepiſcopum feciſſe primo* VNIONES *inſtitorum pannicidarum.* Sed plura eum archiepiſcopum inſtituiſſe collegia, vel ex codice diplomatum Vindebonenſi, ab illuſtri huius academiae cancellario edito (s), adparet, vbi collegio ſutorum priuilegium impertitur. Wichmanni exemplo Ludolphus Archiepiſcopus anno CIↃCXCV, teſte CHRONICO MAGDEBVRGICO (t), *fecit in eadem ciuitate* VNIONEM CLYPEATORVM, *quae dicitur: die Schilder-Innunge.* Circa eadem tempora etiam Goſlariae (u), Herbipoli (x), Audomaropoli (y), Brunſuigae (z), alibique paſſim variae commemorantur tribus, varia artificum opificumque collegia. Vt adeo ea, hoc potiſſimum tempore, Germanis innotuiſſe, admodum fiat veroſimile; quum contra in Italiae ciuitatibus multo ante in viridi fuerint obſeruantia.

§. X.

Imperatores & principes his collegiis ma-

Et huius nouae originis inde quoque argumentum petere licebit, quod principes, ipſique Imperatores circa haec tempora nihil reliqui fecerint, vt noua iſta collegia, tamquam hetaerias, monarchico ſtatui perquam inimicas, ſupprimerent. Sic anno CIↃCC Fri-

(p) Meibom. *Script. rer. Germ. Tom.* III. *pag.* 205.

(q) Hertius *Paroem. iur. lib.* II. *c.*XI.

(r) Meibom. *Script. rer. Germ. Tom.* II. *pag.* 329.

(s) Ill. a Ludewig *Reliqu. MSC. Tom.* II. *pag.* 389.

(t) Meibom. *Script. rer. Germ. Tom.* II. *pag.* 329.

(u) B. Heineccii *Antiqu. Goſl. lib.* II. *pag.* 219.

(x) Friſ. *Chron. Wirzb. pag.* 557. 570. 585. *ſeqq.*

(y) Car. du Freſne *Gloſſar. Lat. voce*: *GILDA Tom.* II. *p.* 622.

(z) Gobelin. Perſon. *Coſmodr. aet.* VI. *cap.* LXVII. *pag.* 282. Leibnit. *Script. rer. Brunſu. Tom.* II. *pag.* 61.

xime aduerſabantur. Fridericus II. Imp. tribus iſtas ſuppreſſas voluit Goſlariae, ſanxitque, *vt nulla eſſet* CONIVRATIO, nec promiſſio, *vel ſocietas, quae Teutonice dicatur: Eyninghe, vel ghilde, niſi ſolum monetariorum, ea de cauſſa, vt cauerent de falſis monetis* (a). Paullo poſt anno CIↃ CCXXXI. Henricus VII. rex in comitiis Wormatienſibus tot principum querelis, de collegiorum iſtorum inſolentia, fatigatum ſe vidit, vt ſingulari diplomate omnia vbique collegia & corpora opificum aboleret (b). Sed dici non poteſt, quot inde turbae enatae ſint, maxime poſtquam fatale iſtud interregnum paullo poſt ciuitatibus potentioribus omnem laxauerat licentiam. Quantum enim laborabant principes & ſenatores, vt ne in vrbibus eſſent collegia, tantum obnitebantur plebeii, manibuſque pedibuſque obnixe omnia faciebant, vt illa reſtituerent. Sic Herbipoli, non niſi multo ſanguine fuſo, res tranſacta eſt. Epiſcopus iuſſu Henrici VII. ea collegia ſuppreſſerat: ciues, inuito epiſcopo, illa reſtituerant (c): nato inde bello ciuili Bertholdus II. Epiſcopus illa quidem rata habuit anno CIↃCCLXXIX. (d): ſed paullo poſt denuo edicto ſuſtulit (e). Inde recrudueré tumultus ciuiles, finiendi demum anno CIↃ CCLXXXIV., quo Mangoldus Epiſcopus illas tribus plane egit in exſilium (f), interiecto tempore denuo renaturas. Eadem fabula paene in vniuerſa Germania acta. Sane & Goſlariae, durante interregno, ea res ſenatum populumque in mutua odia adegit, illo, ex Friderici edicto, collegiis obnitente, hoc illa vrgente tanto importunius. Et vicit demum plebs circa annum CIↃ CCXC., quo Rudolphus I. Rex Germ. ea ſollemni diplomate rata habuit, quod Frater Praeſidis eruditiſſimus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, integrum e ſcriniis publicis extulit (g). Ita factum eſt, vt plebs vrbana collegia paſſim tueretur, idque exemplum deinde ſequerentur aliae ciuitates, donec demum oppida etiam tantum non omnia tribus huiuſmodi, principum indulgentia, impetrarent.

§. XI.

Effectus harum tribuum fuere variae ur- Non potuit non inde ſequi magna malorum ilias. Quum enim ad haec vſque tempora ſoli ingenui, qui ſe poſtea patricios vocare coeperunt, ciuitatibus patriis praefuiſſent, plebs, quae in collegia coaluerat, iam ſumma ope nitebatur, vt ſenatum opprimeret;

(a) B. Heinecc. *Antiqu. Goſl. lib.* II. *pag.* 219.
(b) Friſ. *Chron. Wirzb. p.* 557.
(c) *Ibid. p.* 570.
(d) Idem *p.* 585.
(e) Idem *p.* 586.
(f) Idem *p.* 596.
(g) B. Heinecc. *Antiqu. Goſl. lib.* III. *pag.* 306.

Digitized by Google

ret, ſibique viam in curiam vi ac ferro expediret. Hinc tribus quauis occaſione dabant turbas, modo rationes ſibi reddi iubentes, modo ſenatores primarios repetundarum poſtulantes. Inter hos fluctus ciuiles modo tribuum anteſignanos, modo ſenatores honeſtiſſimos capitis damnatos, vel electos ciuitatibus legimus, prout aut ſenatus aut plebeii potentia antecellerent. Prioris tragoediae exemplum Brunſuicum vidit circa annum cIↃ CCXX., de quo SCHIPHOVERVS (h) & GOBELINVS PERSONA (i): *In Brunſvvick decem* MAGISTRI GILDONVM *a conſulibus ſuſpenſi ſunt, & vndecimus decollatus, ſed duodecimus in peregrinatione exſiſtens euaſit, & hoc fuit initium multorum malorum ibidem.* Simile, quod Magdeburgi contigit, ita relatum in chronico veteri apud MEIBOMIVM (k): *Vſque ad iſta tempora*, (ſaeculi puta XIII. exitum,) *ſcabini fuerunt in conſilio ciuitatis, a quo ex tunc fuere excluſi, & ortae ſunt multae diſſenſiones inter conſules &* MAGISTROS VNIONVM *& ſcabinos.* Et paucis interiectis (l): *Circa idem tempus*, (annum cIↃ CCCI.) *in ciuitate Magdeburg cremati fuerunt* MAGISTRI VNIONVM *in foro, propter proditionem iis impoſitam.* Poſterioris vero generis exemplum Lubeca experta eſt, quod fuſe, verſibus tamen parum politis, deſcripſit HENRICVS AQVILONIPOLENSIS (m). Ita ergo factum eſt, vt in pleriſque Germaniae vrbibus populare regimen inualeſceret, & plebs, oppreſſis vel in ordinem coactis patriciis, in ordinem ſenatorium paſſim irrueret. Quo ordine, quibuſque de cauſſis id Spirae, Tiguri, Moguntiae contigerit, luculenter memoriae prodidit LEHMANNVS (n). Coloniae & Aquiſgrani anno cIↃ CCCLVIII. & anno cIↃCCCLXXII.; nec non Tremoniae anno cIↃCCCC. eumdem in modum ſcenam inſtruxere plebeii, ceu e CHRONICO COLONIENSI & POTGIESERO (o) diſcimus. Ita vbique fere primas in ciuitatibus tenuere plebeii, poſtquam ſemel in vulgus manauit arcanum, poſſe etiam e collegiis plebem ad ſenatoriam dignitatem adſpirare. Et ita factum, vt in pleriſque ciuitatibus plebs in ſenatu dominetur, nullumque prodeat SC., niſi illud ratum eſſe iuſſerint tribuni plebis, *die Gilden*, *Gemeinheits-Meiſtere*, *Viertheils-Meiſtere*, *Freunde von Gilden und Gemeinen.* *hae in ciuitatibus.*

 §. XII.

(h) Schiphou. *Chron. Schaumb. p.* 514.
(i) Gobelin. *Coſmodr. Aet.* VI. *cap.* LXVII. *p.* 282.
(k) *Chron. Magdeb. apud* Meibom. *Tom.* II. *p.* 333.
(l) *Ibid. p.* 334.
(m) Henr. Aquilonip. *de primord. vrb. Lubec. lib.* II. *cap.* XV. *p.* 617. *apud* Meibom.
(n) *Chron. Colon. ad ann.* cIↃCCCLXVIII. *&* cIↃCCCLXXII.
[o] Potgieſſer. *de ſtatu & cond. hom. propr. pag.* 59.

§. XII.

Origo litterarum natalitiarum.

Nec potuere non inde naſci variae conſuetudines, quae etiamnum tantum non vbique obtinent. Sic quum opificia hoc modo oppidanis fierent propria, homines vero ſeruituti obnoxii in oppida & ciuitates non admitterentur, vti ſupra §. IX. demonſtratum: factum inde, vt nemo ad addiſcendum opificium adpellere poſſet animum, niſi qui ingenuos natales, teſtimonio a magiſtratu loci impetrato, demonſtraſſet (p): nemini vero in collegia pateret aditus, niſi qui offerre poſſet teſtimonium, artem vel opificium ſe rite addidiciſſe, *den Lehr-Brieff* (q). Et hoc iure etiamnum vtimur tanto magis, quo minus iura Germaniae permittunt, vt ſeruilis conditionis homines in ciuitates admiſſi dominis ſubtrahantur. Vnde & nata paroemia: *Die Aemter und Zünffte müſſen ſo reine ſeyn, als vvenn ſie eine Taube geleſen hätte* (r).

§. XIII.

Cur ſpurii non admittantur?

Quum porro collegia ac tribus pleriſque locis eo iure gauderent, vti ex iis ſenatores ipſique conſules cooptarentur: non abs re viſum, vt & ſpurios, qui vetere iure Germanico infames habebantur (s), omneſque, quibus ſalua non eſſet exiſtimatio, excluderentur. Vnde frequentiſſima in Codicillis ingenuitatis formula: *daſs ſie echt und recht gebohren*, item, *daſs die Eltern mit fliegenden Haaren zu Kirchen und Straſſen gegangen.* Neque tamen vbique id obtinuit, & quemadmodum iam olim ſaeculo XIII. LEGIBVS MVNICIPALIBVS BRVNSVICENSIBVS (t) cautum eſt: *Ein unecht Sone, de ſeck vvol handelt, mach vvol Ghilde vvinnen:* ita dubium non eſt, quin princeps, a quo hodie collegiorum dependet conſtitutio, hanc conſuetudinem abolere poſſit. Quia vero id eſt difficillimum propter exteros, qui eiuſmodi tironem manumiſſum non admittere, neque cum eo collaborantes tolerare ſolent: cautius agunt, qui per reſcriptum principis, vel comitis palatini, vel vtriuſque tollendam hanc natalium maculam curant.

§. XIV.

Cur quorumdam opificum filiis ne-

Ex eadem ratione tam ambitioſe labem omnem a collegiis ſuis abeſſe voluerunt contribules, vt & quorumdam opificum filios adſpernarentur, neque eos iurium ſuorum redderent participes. Praeci-

[p] Wehner. *Obſ. Pract. Voce: Zunffi.*

[q] Ruland. *de Commiſſ.* Part. I. *lib.* IV. *cap. VI.*

[r] Hert. *Paroem. iur. lib. I. par. XIV. pag.* 417.

(s) *Ius Prou. Sax. lib. I. art.* XXXVII.

(t) *Leg. Brunſu. Part.* II. *art. XXVII.* *apud* Leibnit. *Script. rer. Brunſu.* Tom. III. *p.* 438.

Digitized by Google

Praecipue haec inuidia excluſit liberos textorum, tonſorum, opilionum, molitorum, publicanorum, tibicinum, buccinatorum, balneatorum, donec, ſublata hac abſona conſuetudine, iis legibus imperii publicis (u) proſpiceretur. Cauſſam tanti contemtus alii aliam comminiſcuntur: ſed plerumque parum ſufficientem. Non omnes hi opifices in re vili ac abiecta verſantur, non omnes fundunt ſanguinem, non omnes furti aliuſque criminis ſuſpecti ſunt. Genuinam ergo rationem eam fuiſſe ſuſpicor, quod haec opificia olim ſuis collegiis non gauderent, ſed vnuſquiſque, cui eſſet artis fiducia, ea licite exerceret. Ergo & in pagis quilibet tale ſibi vitae genus eligere ſuo arbitrio, ſeque ad eius, qui in ea profeſſione exercitatus erat, diſciplinam adplicare iure poterat. Quum ergo inde ſequeretur, vt, qui haec opificia exercerent, non omnes eſſent, ingenui; merito eorum filios adſpernari ſibi viſi ſunt tribules in vrbibus. Quin ſi NOLDIO (x), VBALDO (y), FRIZIO (z), credimus, eamdem olim ſtatus controuerſiam mouerunt pictoribus, numulariis, coquis, lanionibus, piſtoribus, fabris, carpentariis, librariis, ſartoribus, nautis, fullonibus, aurigis, baiulis: cuius rei non alia excogitari poterit ratio, quam quod ſynonyma Germanis haberentur *ehrliche Handvvercke*, & *zünfftige Handvverck*, filiique eorum opificum, qui in collegia vel corpora non coaluerant, ob originem ſuſpecti viderentur.

§. XV.

Ex hac ergo collegiorum apud Germanos origine facile patet, quomodo de iure eorum ſit pronunciandum. Si quaeras, ex quo iure eorum controuerſiae ſint definiendae? reſpondebo, eſſe vnicuique collegio ſua priuilegia, eſſe ſua ſtatuta, quae ipſi contribules ſibi condere poſſunt de rebus, quae ad vtilitatem collegii pertinent (a), *Innungs-Artickel*, quae valent tamquam pactiones, nec, iure communi, indigent confirmatione principum (b), quum princeps probans collegium, eo ipſo illi conceſſiſſe facultatem ſtatuta condendi cenſeatur (c). Moribus tamen confirmatio principis vel magiſtratus tantum non vbique exigitur (d),

 quum

(u) *Receſſ. imp. Aug. an.* CIↃIↃXLVIII. *Tit. von Handvvercks-Söhnen.* §. 1. *Reform. Polit. anni* CIↃIↃLXXVII. *Tit.* XXXVIII. §. 1.

(x) Nold. *de ſtatu nobilit. ciu. cap.* XVII. *theſ.* LXII.

(y) Vbald. *de nobilit. axiom.* LVI.

(z) Friz. *de nobil. theſ.* 30.

(a) *L. vlt. D. de colleg. & corp.*

(b) Hilliger *ad* Donell. *Lib.* XVII. *Cap.* IX. *not. o.*

(c) Beſold. *Polit. Lib.* II. *Cap.* XII. *theſ.* XXVI.

(d) Carpzou. *Reſp. lib. I. reſp.* XLVIII. *n.* XII. Wehneri *Obſeru. Pract. voce: Zunfft.* Mev. *ad ius Lubecenſe Lib.* IV. *Tit.* XIII. *art.* III. *n.* XXXVII.

quum alias facile poſſit contingere, vt collegia vel ius publicum pactionibus ſuis imminuere conentur, vel iuriſdictionem ſibi adrogent, vel conſuetudines varias abſonas, & reipublicae detrimento futuras inuehant. Ex his ergo pactionibus, a principe vel magiſtratu confirmatis, primo omnium diiudicandum, ſi quid vel inter contribules, vel inter diuerſa collegia inciderit controuerſiae. His deficientibus, merito ſtatuta vrbium, leges prouinciales & receſſus imperii adhibentur in conſilium. Denique, vbi nec hae leges rem conficiunt, ius Romanum hic in ſubſidium conſuli poſſe, haut abnuimus. Nam quum ex iis, quae ſub initium huius capitis explicauimus, pateat, collegia Germanos accepiſſe ab Italis, & hos a Romanis: ſtatim etiam iura pleraque & conſuetudines ſimul recepiſſe videntur, veluti quod ſuos ſibi conſtituant primicerios, *Ober-Meiſtere*, *Ober-Aelteſten*, *Innungs-Meiſtere*, quod in commune conferant pecuniam, quod communi arca gaudeant, quod olim ſtatis temporibus certa ſacra obierint, templa ſibi propria condiderint, (quale etiamnum Helmſtadii ſuperſtes, ſutoribus quondam proprium,) quod nonnumquam epularentur, & quae ſunt huius generis alia. Quum ergo tanta ſit collegiorum Germanicorum & Romanorum ſimilitudo, nihil ſane prohibet, quo minus ius Romanum hic adhibeatur in ſubſidium, ex eoque definiantur quaeſtiones, ſtatutis collegiorum, vel legibus Germaniae nondum deciſae.

§. XVI.

Collegia apud nos vel licita, vel illicita.

Quo praemiſſo fundamento, facile de iuribus circa collegia reſpondere licebit. Apud nos quoque non ſecus, ac apud Romanos, collegia in licita & illicita diuiduntur. Et illa quidem cenſentur licita, quae a ſummo imperante conceduntur firmanturque priuilegiis; haec, quae his deſtituuntur. Regalibus maioribus hanc poteſtatem accenſent plerique (e), neminique eam facultatem competere aiunt, niſi qui ſuperioritate gaudeat territoriali (f). Non deſunt tamen exempla, quod & Landſaſſiis, ipſiſque magiſtratibus municipalibus haec cura demandata eſt, tamquam pars eius adminiſtrationis, quae ad decus & vtilitatem vrbium pertinet, & vulgo vocatur: *die Policey* (g).

§. XVII.

(e) Beſold. *diſſ. de regal. cap. VII. theſ.* 1. Limn. *Iur. Publ. lib. IV. cap. VIII. n. CCXCVIII.*

(f) Hert. *de ſuperior. terr.* §. *XVII.*

(g) Meu. *ad Ius Lubec. lib. IV. Tit. XIII. art. III. n.* 6.

§. XVII.

Ex eodem iure receptum eſt, vt apud nos quoque collegia gaudeant iure ſibi eligendi primicerios, *Ober-Meiſtere*, *Ober-Aelteſten*, *Innungs-Meiſtere*. Item, quod collegiis eſſe poſſint bona & res communes. Hinc ſingulis trimeſtribus aliquid conferunt (h), hinc arcam communem, aedes communes, vtenſilia communia, ſigilla, aliaque huius generis habere & poſſunt & ſolent (i). Poſſunt heredes inſtitui (k), poſteaquam vetus illud ius, cuius VLPIANVS (l) meminit, iam pridem apud ipſos Romanos obſoleuerat. Non vero omnibus in vniuerſum collegiis tributum cenſetur ius ſuccedendi ab inteſtato (m), quin puto nullis, quia diſpoſitio illa (n) priuilegium continet, Romanis quibuſdam collegiis, ob ſingularem reipublicae vtilitatem, conceſſum. Haec bona iuſte adquiſita ſuo arbitrio adminiſtrant collegae, nec magis princeps, vti recte a STRAVCHIO obſeruatum (o), ordinarie a collegiis exigere poteſt accepti expenſique rationes, quam a quolibet priuato. Quia tamen intereſt reipublicae, ne quis male re ſua vtatur (p), & ſaepe in re communi minus frugales eſſe ſolent adminiſtratores, quam in propria: plerumque fieri ſolet, vt a magiſtratu quidam delegentur, qui conuentibus interſint, rationes inſpiciant, eaſque diſpungant (q), ſi quid ea de re incidat controuerſiae. *Collegiorum adminiſtratio & res communes.*

§. XIIX.

Ex eodem iure Romano receptum, quod collegia gaudent iure vniuerſitatum. Hinc non cenſentur mori, ſi vel omnes ſint mutati collegae, vel pars remaneat (r), immo ſi vel unus viuit ſuperſtes, in illum omne ius collegii recidit (s). Hinc etiam litigant per actores vel ſyndicos, vel a lege conſtitutos, veluti quum maior natu, ex ſtatutis, lites collegii peragere aut ſuſcipere tenetur (t), vel mandato vniuerſi collegii eiuſue maioris partis *Collegia gaudent iuribus vniuerſitatum.*

(h) L. 1. §. 1. D. *quod cuiuſcumque vniu. nomine.*

(i) L. 1. *pr.* & L. 3. *pr.* D. *de colleg. & corp.*

(k) L. 8. C. *de hered. inſtit.*

(l) Vlpian. *Fragm. Tit.* XXII. §. V. & *ibi* Schulting.

(m) Hillig. *ad* Donell. *lib.* IX. *cap.* I. *Lit.* I. Brunnemann. *ad tit. Cod. de hered. decurion.*

(n) L. 1. C. *de hered. decur.*

(o) Strauch. *de colleg. opif.* §. XXXII.

(p) §. 2. *Inſtit. de his, qui ſunt ſui vel al. iur.*

(q) Knipſchild. *de iur. & priuil. ciu. imper. lib.* V. *cap.* II. *n.* LXXX.

(r) L. 7. §. 2. D. *quod cuiuſque vniu. nom.*

(s) Carpz. *Part.* II. *Conſtit.* VI. *Def.* XVII. *n.* IV.

(t) Weſemb. *parat.* D. *tit. quod cuiuſque vniu. nomine* §. IV.

partis (u). Habent porro collegia ſuos ſcribas, miniſtros, nuncios, libros communes, veluti matriculas, rationes, ſtatuta, qui libri pro publicis inſtrumentis haberi ſolent, teſtibus BESOLDO (x), WEHNERO (y), RVTG. RVLANDO (z), STRAVCHIO (a), adeoque plene probare dicuntur. Ex eadem ratione conſequitur, vt & ſtatuta condere poſſint per modum pactionum, de rebus ad artem & collegium pertinentibus, dummodo nihil minuant de iure ciuili, & rata habeantur a ſuperiore, quod iure Romano, quia hoc pactiones huiuſmodi lege generali confirmabat (b), non erat neceſſarium. Statuta iſta obligant eos, qui ſunt iurium collegii participes, nec tertio poſſunt opponi (c). Quin & iudex iis tenetur ſtare (d), niſi conſuetudines vel rectae rationi aduerſas, vel publicis imperii noſtri legibus proſcriptas adprobent, quales ſunt: excluſio filiorum textorum, tonſorum, opilionum, molitorum, publicanorum, tibicinum, tubicinum, balneatorum (e), epulae aduenis dari ſolitae (f), excluſio eorum, qui cum carnifice biberunt (g), vel ab alio adfecti ſunt iniuriis (h), baptiſmus boëtorum (i), de certo victu quotidiano, boëtis praebendo, conuentio (k), pactiones, ad monopolium in republica ſtabiliendum comparatae (l), prohibitio, ne quis opificum id, quod vnus coepit, perficiat (m), ne quis rem minoris vendat (n), ne exteri opifices nundinis publicis res ſuas venum exponant (o), de mutilandis eorum membris, qui extra collegium opificium exercent (p), & quae ſunt huius generis alia. Quum porro vniuerſitas

(u) L. 3. D. *quod cuiuſque vniv. nomine.*

(x) Beſold. *lib. I. Polit. cap.* XII. §. *XXVIII.*

(y) Wehner. *in obſerv. pract. voce: Bücher, n. XIV.*

(z) Ruland. *de Commiſſ. Part. II. lib. V. cap. X.*

(a) Strauchius *ibid.*

(b) L. *vlt. D. de coll. & corp.* L. 2. §. *vlt. C. de conſt. pec.*

(c) Carpz. *P. II. Conſtit. VI. Defin. IX. n. IV.*

(d) Knipſch. *de iure & priuil. ciu. imperial, lib. V. cap.* II. §. XXIV.

(e) *Ordin. Polit. anni* CIↃIↃLXXVII. *Tit. XXXIIX.* §. 1.

(f) *Rec. imp. anni* CIↃIↃXXX. *Tit.* XXXIX. §. 1. *& Reform. Polit. anni* CIↃIↃLXXVII. *Tit.* XXXIIX. §. 11.

(g) Richt. *Part.* II. *Deciſ.* IIX. *nu.* XXIIX. Hahn. *ad* Weſemb. *tit. de his, qui not. infam.*

(h) *Ordinat. Polit. an.*CIↃIↃLXXVII. *Tit.* XXXIIX. §. *IV.*

(i) Strauch. *ibid.* §. LIIX.

(k) *Ord. Polit. anni* CIↃIↃLXXVII. *Tit.* XXXIIX. §. *VI.*

(l) L. *vn. C. de monop.*

(m) Moller. *Semeſtr. lib.* II. *cap. XV.*

(n) *Reform. Polit. Aug. de anno* CIↃIↃXLIIX. *Tit.* XXXVI. *& Francof.* CIↃIↃLXXII. *Tit. XXXVII.*

(o) Strauch. *de colleg. opif.* §.*LXVII.*

(p) Beier. *Poſit. iur. Germ. lib. I. cap. XV.* §. LXVI.

Digitized by Google

ſitas ſine aliqua coercitione, ſaltim conuentionali, conſiſtere vix poſſit, haec etiam collegiis aliquatenus conceditur, dummodo in iuriſdictionem non euadat (q), vel in alios, extra collegium, veluti vxores liberoſque collegarum, non exerceatur (r).

§. XIX.

Contractus & delicta collegiorum.

Quum vero vniuerſitates & contrahere poſſint & delinquere; quippe quae moraliter vnam repraeſentant perſonam: facile patet, quidquid de vniuerſitatum contractibus & delictis iura noſtra ſanciunt, id ad collegiorum conuentiones & maleficia iure poſſe adplicari. Collegia ergo contrahendo & alios ſibi obligant, & aliis obligantur. Poſſunt ergo pecuniae collegii aliis recte collocari, ſed non niſi ſub pignoribus & hypothecis idoneis (s); poſſunt etiam conueniri ex mutuo, nec ipſis prodeſt exceptio, pecuniam in rem collegii verſam haut eſſe, ſi omnes collegae conuocati ſeſe obligarunt, vel mandatum ſpeciale, mutuum ſumendi, dedere adminiſtratoribus (t). Alias, ſi ſoli adminiſtratores, vel generali exhibito mandato, vel imprudentibus reliquis mutuam accepere pecuniam, exceptio haec collegiis omnino prodeſt (u). Ex eodem fundamento reſtituuntur in integrum, quia vniuerſitates minorum iure vtuntur, ſemper quippe ſub adminiſtratorum cura conſtitutae atque permanentes (x). Tenentur quoque collegia, tamquam vniuerſitates, ex delictis (y), non tamen a ſingulis collegis, ſed ab omnibus, communicato conſilio, & veluti ex compacto commiſſis (z). Hinc modo mulcta illis irrogatur, modo bona publicantur, modo quaedam ipſis adimuntur priuilegia, modo ipſa collegia diſſoluuntur, opificii exercitio promiſcue permiſſo (a). Si poenam capitalem vel extremum ſupplicium mereatur maleficium, non omnes, ſed ſceleris auctores ac participes puniuntur, niſi illud per conſpirationem commiſſum eſſe adpareat (b).

§. XX.

Collegiorum diſſolutio & ſeparatio.

Denique expediti iuris eſt, collegia, vt alias vniuerſitates, diſſolui poſſe. Id vero fit vel morte omnium collegarum, vel renunciatione, vel reuocatione ſuperioris ob delictum, vel vrgentem

(q) Carpzou. *Part.* II. *Conſtit.* *VI.* *Defin.* *IX.* *n.* *VI.*

(r) *Reform. Polit. anni* cIↄIↄXLIIX. *tit.* *XXXVII.* §. *IV.*

(s) L. 33. §. 1. *D. de vſuc.*

(t) Hartm. Piſt. *lib.* I. *qu.* *XXXVII.* *n.* *IV.*

(u) L. 27. *D. de reb. cred.*

(x) L. 3. C. *de iur. reip.* Berlich. *Deciſ.* *CCCI.* *n.* 11.

(y) L. 9. §. 1. *D. quod met. cauſſ.*

(z) *Cap. Dilectus* 30. *X. de Simon.*

(a) Strauch. *ibid.* §. *CXIIX.*

(b) *Arg. conſt. criminal. art.* *CXLVIII.*

tem reipublicae vtilitatem (c). De renunciatione dubitatum memini. Quum enim certi opifices tria collegia in territorio conſtituiſſent, eiſque ſe plures extra territorium adiunxiſſent, ex his vero quidam, creſcente opificum numero, domini conſenſu, ſingulare molirentur collegium inſtituere, putarunt ſe collegae iure prohibendi gaudere, maxime quum inter ſe iam pridem pactionem iniiſſent tria iſta collegia, nullum alterius collegas admiſſurum, ſed ex quibus vrbibus opifices ſe iam antiquitus ad vnum ex his collegiis adplicuiſſent, ex iis reliqua nullum reciperent in collegium. Sed conſultus ea de re illuſtris ICtorum Hallenſium ordo collegii partem, inuitis ceteris, collegio renunciare, & vel ad aliud tranſire, vel in nouum coire poſſe, reſpondit, partim, quia inter collegas ſit quaedam veluti ſocietas, cui renunciare vnuſquiſque queat (d), partim, quod in collegio profiteri nomen, ſit res merae facultatis, ex qua praeſcriptio nulla naſcatur, niſi haec initium capiat ab actu prohibitionis, & alter per tempus legitimum adquieuerit (e). Quod ad pactum inter collegia iſta tria initum attinet, illi vel ideo nullum ineſſe pondus videbatur, quod illud ad res inter alios actas pertineret, neque adeo, praeter ipſos paciſcentes, quemquam obligare poſſet (f).

§. XXI.

Concluſio exercitationis.

Sed quum ad ſingula progredi, eaque accuratius omnia expendere, nec temporis ratio, nec chartae, huic exercitationi deſtinatae modus permittere videatur; tanto libentius hic ſubſiſtimus, quanto minus nobis propoſitum fuit, minima quaeuis conſectari, & a STRAVCHIO, FRITSCHIO, BEIERO, aliiſque occupata repetere. Sufficit enim, nos haec iura reuocaſſe ad fundamenta ſua, e quibus vnuſquiſque de iis ipſe reſpondere facile queat. Ceterum in portum delati, votivam Deo tabulam ſuſpendimus, eique gratias, quas mens concipit, maximas iure meritoque agimus.

DE

(c) Beier. *de colleg. opif. cap. XII.* §. *XVI.* Strauchius §. *CXXXIIX.*

(d) *L. 65. §. 3. D. pro ſoc.*

(e) *L. 3. C. in quibus cauſſis teſſ. long. temp. praeſcr.*

(f) *L. 3. pr. D. de tranſact.*

DE IVRISPRVDENTIA VETERVM ROM. FORMVLARIA, RITIBVSQVE, QVIBVS NEGOTIA CIVILIA EXPLICABANT, SOLLEMNIBVS, ORATIO, ſeu *EXERCITATIO X.*

§. I.

Vonam vero legum Romanorum fato fieri dicam; HONORATISSIMI AVDITORES, vt, quo magis earum cauſſas atque origines condit, notitiaeque mortalium ſubducit vetuſtas, eo maiorem illae ſaeculi noſtri reprehenſionem incurrant, & non a pinguioribus tantum ingeniis atque imperita multitudine, ſed viris etiam doctiſſimis, alto ſupercilio deſpiciantur? Alioquin ſane in rebus antiquis tam fere praecipiti ac peruerſo iudicio vtuntur homines, vt, neſcio quo innato pleriſque malignitatis vitio, vetera illis ſemper in laude; praeſentia in faſtidio ſint: & quemadmodum olim vino Opimiano ipſa magis centum annorum aetas & teſtae fuligo, quam eximia quaedam ſaporis praeſtantia, conciliabant pretium, ita permulti vetuſta gentium inſtituta, etiam ſibi parum perſpecta, vel ideo, quia vetuſta ſunt, incredibili veneratione proſequantur. Aſt veteres illae Romanorum leges, quibus nihil vmquam ſcriptum eſt ſapientius, quas olim cordatiores omnibus omnium philoſophorum bibliothecis anteponebant, ac quas inſtituti Quirites reliquas gentes non dicam armis, ſed grauitate, conſtantia, magnitudine animi, fide, omnique genere virtutum ſuperarunt: illae, inquam, leges Romanorum veteres, perinde ac ſi Platonicis eſſent frigidiores, multis nouaturiente ho-

ſaeculo in tantum ſordent, vt parum abſit, quin omnem, quae in illis interpretandis collocatur, induſtriam inanem atque infructuoſam eſſe reipublicae, exiſtiment.

§. II.

Quotuſquiſque hodie eſt, AVDITORES, quin ſibi ipſi videatur hebes ac ſtupidus, niſi quid reprehenderet in ſapientiſſima illa Romanorum legiſlatione? Quotuſquiſque non famae ac celebritati ſuae metuit, niſi iuriſprudentiae Romanae laudibus, quas paene vniuerſus terrarum orbis agnouit, declamatiunculis leuiſſimis detraheret? Ita vbique vapulant Quirites, & inuicti olim armis, hodie procaci lingua ac ſtilo tam impune laceſſuntur, vt, qui eorum inſtituta paullo petulantius exagitant, non ſe malignitatis vitio obſtringere, ſed obſequi ſaeculo, & ſermonem publici ſaporis habere videantur.

§. III.

Equidem neceſſe non eſt, a me commemorari ſigillatim, quid delicatiores iſti in ipſis duodecim tabulis, quid in iure, quod ex prudentum interpretatione deſcendit, ciuili, quid denique in ampliſſima illa & Iuſtiniani auſpiciis adornata iuris vniuerſi digeſtione faſtidiant. Longa enim ea iniuria eſt, & cui propulſandae capaciores mihi clepſydras depoſcerem. Compendii potius faciam orationem, AVDITORES HONORATISSIMI, & ne vobis, diuinarum rerum, cultiſſima oratione explicatarum, dulcedine iam exſatiatis, nauſeam excitare velle videar: ſolius IVRISPRVDENTIAE veterum Romanorum FORMVLARIAE, RITVVMque, quibus negotia ciuilia explicabant, SOLLEMNIVM defenſionem in praeſenti ſuſcipiam, & quantum in me eſt, efficere conabor, vt quas verborum conceptiones & ſollemnitates permulti, tamquam nundinationem rabularum, & quoddam verborum aucupium, ad euertendas plebeiorum fortunas comparatum, exſibilant, eas vos a viris prudentiſſimis, ſapiente conſilio, magnoque reipublicae bono, inuentas atque excogitatas eſſe intelligatis. Tametſi enim is ego non ſim, qui vetuſta omnia ſaeculi bonis anteponenda, ac conſecranda veluti exiſtimet, neque mihi vnquam adeo conſenuiſſe videatur natura, vt in fingendis perpoliendiſque veterum ingeniis vires omnes detriuerit, nihilque amplius eximium, & ſuis abſolutum numeris producat: neque tamen iuſtas Romanorum laudes ita ego cum ſaeculi noſtri infamia coniunctas eſſe arbitror, vt nefas ſit eius cauſſae ſuſcipere patrocinium, de qua genti prudentiſſimae diem calumnioſe dicit iniqua virtutum aeſtimatrix, poſteritas.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Quamobrem quin vos, ornandis litteris prouehendaeque iuriſprudentiae nati, REIPVBLICAE atque ACADEMIAE PROCERES, mihi, de iuris Romani antiquioris praeſtantia dicturo, non aures modo, ſed & mentes attentas beneuole ſitis commodaturi, eo minus dubito, quo aequius Romanae virtuti ſtatuiſtis pretium, dum ſincero, nulliſque laciniis deformato Romanorum iuri receptum in prouincia atque illuſtri hac academia veſtra dediſtis tutiſſimum. Quod vt faciatis, non, quod de prolixa voluntate, ac beneuolentia veſtra dubitem, ſed quia mos eſt ita rogandi, vehementer etiam atque etiam rogo.

§. V.

Neminem ego, AVDITORES HONORATISSIMI, tam hoſpitem arbitror in iuriſprudentia atque hiſtoriarum monimentis, vt non animaduerterit identidem, gentem, a qua iura veluti per manus tradita accepimus, togatam non modo iuſtitiae atque aequitatis, ſed rituum ac formularum ſollemnium fuiſſe ſtudioſiſſimam. Nullum enim erat negotiorum genus, neque publicis, neque priuatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi ſecum agerent quid, neque ſi cum aliis contraherent, quod non ritu ſollemni, adhibitiſque verbis conceptiſſimis, explicandum arbitrarentur. Primum in ipſa adminiſtranda republica, cuius rationes ius publicum complectebatur, quid, quaeſo, a Romanis, niſi more maiorum, iiſque verbis ac ritibus, ex quibus ſtatim eluceret reipublicae maieſtas, peractum eſt? Sane quod prudentiae artibuſque regnatricibus Muciani attribuit Cornelius Tacitus, OMNIVM, QVAE DICERET ATQVE AGERET, ARTE QVADAM OSTENTATOREM eum fuiſſe: id ille cum priſcis, qui rempublicam conſtituerant, Romanis commune habuiſſe videtur, qui maieſtatem arte quadam oſtentantes, nihil publicae rei, niſi rite ac cum adparatu ſuſcipi atque explicari voluerant. Habendus erat ſenatus: habebatur ſollemniter. rogandae ſententiae: rogabantur ſollemniter. ſenatuſconſultum ſcribendum: ſcribebatur ſollemniter. Nihil horum ratum erat aut firmum, niſi rite capta fuiſſent auſpicia, niſi conſul in ſenaculo, diis dicato, praemiſſa ſollemni precatione: QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIX, FORTVNATVM, AC SALVTARE SIT, ad frequentem ſenatum de republica retuliſſet: niſi idem rogatis, dictis, pronunciatis patrum & conſcriptorum ſententiis, ante ſolis occaſum proloquutus eſſet formulam: QVI HAEC SENTITIS, IN HANC PARTEM, QVI ALIA OMNIA, IN ILLAM PARTEM ITE, QVA SENTITIS: niſi denique dinu-

meratis ſententiis, dimiſſoque e formula ſenatu, in eam ſententiam, cui pars maior viſa erat adſentiri, factum eſſet ſenatuſconſultum, eique ſcribendo deferendoque in aerarium principes aliquot in republica viri adfuiſſent.

§. VI.

Quum itaque, quando in ſenatu verba de republica fiebant; tot ritibus eſſet defungendum: quantae molis fuiſſe exiſtimatis, AVDITORES HONORATISSIMI, habere comitia, illumque arbitrum fortunarum, auctorem legum, omniumque honorum ac dignitatum diſpenſatorem populum in ſuffragia mittere? Tunc vero communis non ſolum magiſtratuum, verum etiam ſacerdotum, pontificum, augurum, haec erat ſollicitudo, ne quid contra morem maiorum, contra decus ac maieſtatem reipublicae, contra auſpicia denique atque auitam religionem ſuſciperetur. Quamobrem hinc alii ſeruabant de caelo, ſi forte ſiniſtrum Iouis fulmen conſilia publica turbaret: illinc alii adſtabant ſitellae, & centuriarum vel tribuum ſortitionem praeſentes moderabantur, ne qua earum dolo malo potius, quam fortuna iudice, praerogatiua exiret: iſthinc magiſtratus, cui patres eam prouinciam decreuerant, ſollemne illud carmen: VELITIS, IVBEATIS, QVIRITES, e ſublimi recitabat, adiiciebatque formulam: ITE IN SVFFRAGIA, BENE IVVANTIBVS DIS, ET QVAE PATRES CENSVERVNT, VOS IVBETE. Nihil iam dicam de diſceſſione in centurias vel tribus, nihil de more tranſeundi per pontes, & vindices libertatis tabellas in ciſtam coniiciendi, nihil de diremtione ſuffragiorum, & miſſione populi, quae omnia magno cum caerimoniarum adparatu, atque ex formula fieri oportebat. Fingite iam, AVDITORES, exſonuiſſe tonitru, vel augurem dirum omen obnunciaſſe, vel denique aut fato quodam, aut magiſtratuum incuria quidquam ex maiorum inſtitutis fuiſſe praetermiſſum: vidiſſetis profecto illico diffluere populum, comitiaque, tanquam inauſpicata, ac perniciosa reipublicae, re infecta dirimi. Nam ſi, comitiis etiam pridem habitis, percrebeſceret fama, eo tempore, quo cum populo agebatur, quemdam e populo correptum morbo Herculeo concidiſſe, vel quidquam actum eſſe contra auſpicia: adeo nihil actum videbatur Romanis, vt ſaepenumero conſules praeclari ac exempli recti domi militiaeque, tantum quod vitio creati dicerentur, ſeſe magiſtratu vel vltro vel inuiti abdicarent. Dies me deficeret, HON. AVDITORES, ſi, quanta Romanis in ſacris publicis ac priuatis fuerit caerimoniarum ac verborum religio, copioſius explicare inſtituerem. Sed quid opus eſt verbis de re nemini veſtrum incomperta?

perta? Quis Romanos, qui omnia ad rempublicam referebant, in imbuenda religionibus ciuitate caerimoniarum adparatum, qui maxime deſcendere ad animos, & ad rudem multitudinem Deorum metu continendam efficaciſſimus eſſe ſolet, praetermiſiſſe crediderit? Quis ſibi perſuaſerit, eos in ſacris faciundis a ritibus formuliſque abſtinuiſſe, a quibus ne ſagati quidem, & dum ſub pellibus excubabant pro republica, abſtinuerunt? Profecto non viſi ſibi eſſent Romani arma pia iuſtaque ſumſiſſe, niſi pater patratus, ſacerdotio ac verbenis ſacroſanctus, ad hoſtium fines res repetitum iuiſſet, ſpeque fruſtratus, ſollemni facta exſecratione, haſtaque ferrata vel ſanguinea praeuſta in fines infeſtos emiſſa, bellum in hoſtes cum horrore effudiſſet. Nec viſa ſibi eſſet Romana pubes bonis militare auſpiciis, niſi, habito ſollemniter delectu, in conſulis verba rite ac religioſe iuraſſet. In ipſo porro bello adminiſtrando, non ſine decoro ritu conceptiſque verbis vel aquilae conuelli efferrique, vel conclamari vaſa, vel ſigna excubandi dari, vel denique milites aut oratione inflammari ad virtutem, aut redeuntes e praelio collaudari, ornari donis, increpari, ignominiaque notari ſolebant. Omitto hoſtes in deditionem acceptos & ſub iugum miſſos, icta cum ſociis foedera, eos, qui vel hoſtem per fas & fidem deceperant, a patre patrato deditos, decretas ob bene geſtam rempublicam ſupplicationes, ouationes, triumphos, quorum nihil apud Romanos ſine anxia quadam rituum verborumque obſervatione poterat explicari. Quare aut magnopere fallor, aut expreſſiſſimam Romae imaginem vrbe extulerunt Pyrrhi Epirotae caduceatores, qui interrogati a rege, quid de hoſtium ſede ſentirent? vrbem ſibi TEMPLVM viſam eſſe profitebantur, vel ideo, opinor, quod in iſto imperii domicilio non minus, quam in celeberrimo aliquo Deorum delubro, omnia ex formula rituque ac adparatu ſplendidiſſimo peragi animaduertiſſent.

§. VII.

Quam late in rebus priuatis ac domeſticis patuerit illa ſollemnitatum verborumque religio, vel ex eo intelligimus, AVDITORES, quod ipſe CICERO, cui ceteroquin & fumus Romae igne alieno luculentior videbatur, exagitare non dubitet iureconſultos, vtpote qui IN OMNI IVRE CIVILI, RELICTA AEQVITATE, VERBA TANTVM RETINVISSENT. Et ſane, quid aequius exiſtimes, quam ſeruo ad conſequendam libertatem ſolam domini ſufficere beneuolentiam? Aſt non ſufficere videbatur Romanis. Quando, impacto colapho, vindicta contigerat caput, quando, circumacto in gyrum homine, dominus recitauerat formulam: HVNC EGO HOMI-

HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO: quando denique magiſtratus, apud quem erat legis actio, liberum addixerat hominem, tum vero illico, ipſoque illius turbinis momento, exibat Marcus, qui Dama paullo ante fuerat, mendax, vappa, lippus, non treſſis agaſo. Quid aequius credideris, quam licere patrifamilias ſine verborum ſollemnitatumque ambagibus liberos vel e ſacris poteſtateque ſua dimittere, vel in alterius transſcribere familiam? Nec licuit tamen apud Romanos. Niſi enim quinque ciues interfuiſſent ſpectaculo, niſi anteſtatus praeſentium auriculas traxiſſet, niſi, qui emtoris perſonam induerat, libram aeneam numo aliquoties percuſſiſſet, addidiſſetque formulam: HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO, ISQVE MIHI EMTVS EST HOC AERE HAC AENEAQVE LIBRA: poſtremo niſi ludicrae aliquot interceſſiſſent manumiſſiones, tamtumdem actum videbatur, ac ſi actum eſſet nihil. Tanta ſcilicet Romae erat vis vindictae, tanta conceptorum verborum efficientia, vt, quemadmodum Circe virgula verbiſque Theſſalis homines conuertiſſe fingitur, ſed fingitur tantum: ita Romani vindicta formuliſque ſuis ſeruos in homines liberos, liberos in patresfamilias, hos in liberos atque heredes ſuos repente atque e veſtigio commutarent.

§. VIII.

Aequiſſimum porro dixeris, pro iure legitimo haberi ratumque eſſe oportere ſupremum ſani hominis iudicium. Quae enim ſanctior poteſt excogitari benefaciendi voluntas, quam vel cogitantium de morte, vel exigua in ſpe trahentium animam? Quodnam dignius obſequio noſtro iudicium eſt, quam quum, remotis vtilitatibus, ſolum animo honeſtum obuerſatur, quum mors omnem ſpem recipiendi beneficii intercludit, & incorruptum iudicem mittit ad ferendam ſententiam? Et tamen in alia omnia ibant Romani, qui tot ſollemnitatibus ac formulis vltimum iſtum vitae humanae actum implicauerant, vt data opera, ſi non plauſum, at riſum in re ſeria excitare voluiſſe viderentur. Denuo ad hunc mimum euocandi erant quinque ciues Romani, libripens, anteſtatus & fictitius familiae emtor. Deinde, prolatis ceris, quae ſupremum teſtatoris iudicium complectebantur, opus videbatur ſollemni illo carmine: HAEC VTI IN HIS CERIS SCRIPTA SVNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR, ITAQVE VOS, QVIRITES, TESTIMONIVM PRAEBITOTE. Si quid horum teſtator, aut pertaeſus miſerae ac ſuperſtitioſae diligentiae, aut ſenectutis morbiue vitio obliuioſus omiſiſſet: non videbatur voluiſſe, quod voluerat enixe, tantaque contentione animi, qua velle ſolent, qui velle in poſterum nequeunt.

Iam

Iam adituro hereditatem quanta ſollicitudine regenda erat lingua, ne praecurreret mentem, aut formula caderet in recitandis verbis cretionis? Quanta verborum rituumque religio obſeruanda, quoties noua nupta conueniebat in manum, & deducta domum, aqua & igne accipiebatur? Quot caerimoniis defungendum, ſi quis eamdem, vbi iam amor refrixerat, a ſe vellet ſegregatam? Quamuis paene quotidiana Romae eſſent matrimoniorum diſcidia, feminaeque etiam illuſtres annos non tam conſulum, quam maritorum, numero computarent: nemo tamen priſcis temporibus iure repudiatam credidiſſet vxorem, niſi vel triſtiſſimum illud diffarreationis ſacrificium interceſſiſſet, vel remancipatio facta fuiſſet ſollemniter, vel denique dicta cauſſa, ademtis clauibus, teſtibuſque aduocatis, libertus miſerae mulieri occentaſſet illaetabile iſtud carmen: RES TVAS TIBI HABETO. Quid dicam de reliquis negotiis priuatis? quid de contractibus? quid de ſanctiſſimo illo, quod proxime legum ac poenarum metum ciuitates regit, iureiurando? quibus omnibus Romani, perinde ac ſi nuda fides parum religionis mortalibus incuteret, formam ac ſollemnitatem aliquam, tamquam ſplendidiorem veſtem, circumdederant? Hinc nunciaturi nouum opus, lapillum iactabant: interrupturi vſucapionem, ſurculum defringebant ex arbore: vadimonium promittentes manus tollebant: daturi vel ſuſcepturi mandatum, porrigebant dextram: pignus conſtituturi, eamdem in pugnum comprimebant. Denique in iure ceſſionum, venditionum ſub haſta, ſtipulationum, cautionum, acceptilationum tam ſcrupuloſe concipiendae erant formulae, vt is labor & eminentiſſima Mucii Scaeuolae, Aquilii Galli, aliorumque ſummorum virorum ingenia fatigaret, nullaque re magis obnoxiam ſibi plebem haberent principes ciuitatis, quam quod confluenti ad ſe ac limina ſummo mane obſidenti clientium turbae formulas iſtas, e ſolio domeſtico, tamquam oraculo e tripode redderent.

§. IX.

Nouus iam ac potentiſſimus campus, in quo ſe explicaret oratio, mihi in forum prodeunti aperiretur, AVDITORES, niſi promiſſae breuitatis fides, quanto omnia tranſcurſu dicenda ſint, identidem admoneret. Quid enim in forenſi illo ſtrepitu actum, niſi ſollemniter? quid vel a litigantibus, vel a Praetore dictum, niſi ex formula? Primo omnium, quia ne temporum quidem oratio olim peruulgata erat: dies, quibus lege agere fas eſſet, a pontificibus, tamquam a Chaldaeis, petendi erant. Deinde adeundus aliquis ex iis, qui vrbanam illam militiam reſpondendi, ſcribendi, cauendi, plenam ſollicitudinis, ac ſtomachi ſequebantur, vt, qua potiſſimum actione pulſare aduerſa-

rium, qua exceptione alterius ictum declinare, qua ſponſione alterum prouocare expediat, ediceret. Denique vbi intra teli iactum ventum danda quam maxime erat opera, vt miniſtratum a iureconſultis telum non modo maxima vi, ſed etiam ex artis formula, in iugulum aduerſarii defigeretur. Nam ſiue actor in ius vocaret reum, ſiue in iure ederet actionem, ſiue is, unde petebatur, exceptione ſe defenderet, ſiue vterque conteſtaretur litem: id omne fieri oportebat ſollemniter, verbiſque, quae vel album praetoris, vel fori diſciplina ſufficiebat, conceptiſſimis, & cum tanta recitandis circumſpectione, vt, qui formula ceciderat, ipſa cauſſa cecidiſſe videretur. Quanta cura, vt alia omittam, vindiciae poſtulabantur? Intenderat actor: FVNDVS, QVI EST IN AGRO, QVI SABINVS VOCATVR, EVM EGO EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO, INDE EGO TE EX IVRE MANVS CONSERTVM VOCO. Is profecto, vnde petebatur, nihil egiſſet, niſi tam loquaciter litigioſo, vti eleganter CICERO vocat, reddidiſſet carmen ſollemne: VNDE TV ME EX IVRE MANVS CONSERTVM VOCASTI, INDE IBI EGO TE REVOCO. Quid interea Praetor? Ne pulcrum ſe ac beatum putaret, atque aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur: ei quoque carmen compoſitum fuerat, cum ceteris rebus lepidum, tum vero in illo: SVIS VTRISQVE SVPERSTITIBVS, PRAESENTIBVS, ISTAM VIAM DICO. INITE VIAM. Hinc litigantes, ſapiente, qui praeſto erat, duce, ludicrum iter faciebant per forum, quaſi ituri in rem praeſentem, & paullo poſt, audita e tribunali voce: REDITE VIAM, eodem duce redibant. Hoc vero confecto itinere, conſertiſque in ſpeciem manibus, tum demum praetor, ab vtro litigantium rem poſſideri aequius videretur, pro tribunali non ſine formula decernebat. Tantae molis erat, AVDITORES HONORATISSIMI, vindicias dare: tam operoſum, poſſidenti ſeruare poſſeſſionem, & exſequi edictum: QVI NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO POSSIDET, EI VINDICIAS DABO. Vt paucis me expediam, Romani magiſtratus, ſiue darent, dicerent, addicerent: ſiue lictorem lege agere, manus iniicere, expedire ſecures, & ſupplicium more maiorum ſumere iuberent, ſiue iudices vel recuperatores cauſſam cogrituros darent, ſemper erant ſui ſimiles, id eſt, rituum, quos a maioribus traditos acceperant, ſtudioſiſſimi, verbiſque ſollemnibus ac compoſitis, tamquam glebae, adſcripti.

§. X.

Animaduertiſſe vos arbitror, AVDITORES, veterem illam Romanorum iuriſprudentiam publicam aeque ac priuatam, totam propemodum fuiſſe formulariam, atque innumeris illigatam atque implicatam ſollemnitatibus. Id vero gentis prudentiſſimae inſtitutum dici non

non poteſt, quam pleriſque hoc tempore videatur ridiculum, quam nugatorium, atque indignum incredibili illa atque omnium laudibus concelebrata Romanorum grauitate. Quare vt tota res eo melius diiudicetur, operae pretium eſt, quaenam ſit iſtorum vetuſtatis contemtorum oratio, cognoſcere. Qui, quoniam hodie ſine hoc rituum ac formularum adparatu & rempublicam rite adminiſtrari, & conſilia ſalutaria capi, & bella cum hoſtium internecione confici, & negotia quaelibet in foro aeque ac intra priuatorum penates commode explicari vident, facile in eam opinionem prolabuntur, vt vniuerſum iſtud rituum myſterium, verborumque, quod vocant, aucupium ridiculum ac ſuperuacuum fuiſſe arbitrentur. Quid autem reipublicae interfuit, inquiunt, & patres conſcriptos, ſententiam dicturos, & magiſtratus, acturos cum populo, & ipſos, quibus maximam rerum molem permiſerant, belli duces, certis ritibus ac formulis adſtringi? Nam quibus artibus illa ſalutis publicae tutela, auctoritas puta imperantium, vere comparetur, facile eſt ad intelligendum. Seueritate moderata ita vitia coercere, vt poena ad paucos, metus ad omnes perueniat: conſtanter ſeruare reipublicae formam: magnitudinem imperii fide, iuſtitia, opibus, armiſque victricibus tueri: furores tribunicios & plebis procellas voce ac viribus ſuſtinere: ex arena denique capere conſilium, & in minima quaeuis rerum momenta, quae animos in ſpem aut metum impellunt, intentum eſſe: id vero eſt, quod & ciuibus, & ſociis, & ipſis denique hoſtibus venerabilem reddit reipublicae maieſtatem. Quibus omnibus quantum aduerſetur formularia illa ſuperſtitio, illi facile animaduertunt, qui, quam facile inter taediosiſſimas ſollemnitatum ac verborum moras ſeſe ſubducat rei bene gerendae occaſio, non ignorant. Quamobrem quemadmodum ipſi Romani, non eum quidem, qui ſexcentis ritibus & compoſitis ab Euandri matre carminibus deos euocarat, ſed qui, quid in fatis eſſet, ſine ambagibus vere coniecerat, vatem iudicabant optimum: ita & nobis, non qui ex formula, & quaſi ex magiſtri praeſcripto, adminiſtrant rempublicam, ſed qui vtrique ciuitatum fortunae conſilia prudenter attemperant, bene videntur de vniuerſo humano genere mereri. Quam ridiculum porro ac nugatorium videtur, contractus, aliaque quotidiana negotia, quin ipſam vrbanam illam ac forenſem militiam certis ritibus ac formulis adſtringere? Quaſi non ſit boni viri officium, & ſine iſtis liberare fidem, &, quae vel nutu pollicitus ſit, religioſe praeſtare. Quaſi non ſatis in ſe moleſta eſſet diſceptatio forenſis, niſi illis verborum ſollemnitatumque ineptiis fieret moleſtior, & litigantes in foro, tamquam in ſcena, mimum agere iuberentur. An vero minus ridiculum

Digitized by Google

culum videtur, rem ſeriam agentes anteſtato opponere auriculam; vel duce ſapiente, ludicrum iter per forum facere, quam ſciſſorem in coena Trimalcionis ita ad ſymphoniam lacerare obſonium, ac ſi Darius hydraule cantante pugnaret? Siccine tam vanum Romani iudicarunt votum Catonis, forum murice ſterni optantis, vt tot ritibus ac inanibus verborum conceptionibus lites traherent, occaſionemque ſuppeditarent cauſſidicis, illo conceſſo ſibi latrocinio, uti veterum non nemo vocat, imperitam multitudinem tanto diutius opprimendi? Quae enim alia patribus fuit omnia iſta excogitandi ratio, quam vt patricii, qui, teſte POMPONIO noſtro, in latenti retinebant horribile iſtud formularum ſecretum, vniuerſam plebem ſibi haberent obnoxiam, eorumque domus, ab omnibus, qui vel lege agere, vel contrahere, vel teſtamentum condere, vel paullo argutius litigare vellent, tamquam communia ciuitatis oracula, adirentur? Hinc ſane tam grauis principum ciuitatis virorum ira exarſit, quum Cn. Flauius cornicum oculos configere, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos cum toto illo formularum adparatu proponere non dubitaſſet. Hinc non minor inuidiae tempeſtas in Sex. Aelium Catum detonuit, noua iureconſultorum myſteria, poſt Flauianum iſtud ſacrilegium reperta, & occultis exſignata notis iterum enunciantem. Nihil enim patres, penes quos tam diu lucroſa iſtius inanis ſcientiae poſſeſſio fuerat, magis in furorem ac rabiem egit, quam quod illorum duumuirorum opera effectum eſſet, ne ipſi, vti olim, rebus omnibus ciuium intereſſent. Id vero tunc momordit homines: id illis bilem in ipſas nares exciuit, quod euulgato illo ſecreto, non amplius turba conſultantium limina ſua inſideret, nec ciues tam frequentes, vt antea, confluerent ad penates ſuos, formulas inde, tamquam ſortes e Phoebi cortina, petituri. Verum quid opus eſt verbis, quum fraus pelluceat, eamque ex ipſis Romanis viri maximi ac prudentiſſimi iam pridem deprehenderint? Cui enim magis credendum, quam ipſi TVLLIO, qui totum illud formularum peculium rem paruam eſſe dicit, prope in ſingulis litteris & verborum interpunctionibus occupatam, fucatam ineptiis, prudentiae omnis inanem, fraudis autem & ſtultitiae pleniſſimam. Quibus magis adſentiendum, quam Conſtantino Magno, Theodoſio, & ſacratiſſimo illi IVSTINIANO, qui antiquas fabulas, & ſcrupuloſam verborum obſeruationem, aucupatione verborum inſidiantem, graui oratione inſectantur, quin legibus prudenter ſcriptis ex republica, ex foro, ex priuatorum domibus, ipſaque hominum memoria proſcripſerint? Eat iam aliquis, perfricet frontem, & verboſam illam prudentiae ſimulationem non dicemus laude, ſed patrocinio dignam iudicet,

iudicet, quam & viri prudentiſſimi florente republica riſerunt, & meliore ſaeculo maximi principes exploſerunt, perpetuiſque, quibus digna erat, tenebris damnarunt.

§. XI.

Talis fere eſt, AVDITORES HONORATISSIMI, eorum, qui formulariam illam Romanorum iuriſprudentiam rident atque exagitant, oratio. Quibus profecto nimium ſplenis oportet ſupereſſe, dum ſtatim ſoluuntur in riſum, vbi quid ea ſollemnitate, cuius ipſi rationes ſciunt cum ignariſſimis, vident explicari. Qui, ſi cogitarent, quemadmodum Alcibiadis Sileni clauſi ridiculam & monſtroſam prae ſe tuliſſe ſpeciem; aperti ſtatim ſacrum ac diuinum quid oſtendiſſe dicantur: ita pleraque veterum inſtituta primo adſpectu ridicula atque inania adparere; conſiderata paullo accuratius, ac veluti recluſa prudentiam admirabilem demonſtrare, magis fortaſſe riſui in re ſeria temperarent. Quam difficile vero illi cohibebunt riſum, ſi ipſos Ebraeos, diuinitus inſtitutos, vel ſeruorum, qui ſe in perpetuum dominis addixerant, auriculas clauo poſti adfixiſſe, vel eius, qui adfinis nuptias adſpernabatur, calceum pede detractum retro proieciſſe, vel denique in libellis repudii ſcribendis, omnibuſque paene non dicam ſacris, ſed ciuilibus negotiis, certas verborum formulas religioſiſſime ſeruaſſe audiuerint? Quam aegre tenebunt riſum, quando ipſos Germanos, ferocem ac bellicoſum populum, reges ac duces, concuſſis frameis electos impoſitoſque ſcuto circumtuliſſe, vxores coemtione imaginaria quaeſiuiſſe, adoptaſſe per capillorum inciſionem, res per feſtucam manu emiſſam e ſuo in aliorum dominium transſcripſiſſe, iudiciaque cum magno formularum adparatu auſpicatos eſſe, intellexerint? Quicumque enim iſtud Romanorum inſtitutum, tamquam ridiculum traducunt, facere nullo modo poſſunt, quin de diuina & ſpectata rebus in omnibus Ebraeorum ac maiorum noſtrorum grauitate ac ſapientia non nihil eadem temeritate detrahant. Quantum autem in eo fallantur, & quam admirabilis veterum prudentia in illa rituum ac verborum religione, tamquam in exterſiſſimo quodam ſpeculo, reluceat, ex iis, quae dicturus ſum, facile intelligetis.

§. XII.

Nam primum omnium, ſi hoc illis concederemus, poſſe rempublicam & ſine adſcititio iſto formularum ſplendore cum laude adminiſtrari: non ex eo tamen efficeretur, quod iſti volunt, inane ac ludicrum fuiſſe totum illud ſollemnitatis ſtudium, neque alio, quam ad decipiendam plebem, pertinuiſſe. Neque enim, quod hodie, hominibus magis principatui & ſtrictiori, quae vbique fere terrarum

 inualuit;

inualuit, imperandi rationi adſuetis fieri poteſt, id & olim potuit, quum turbae illi humili, quae nouarum rerum auida ad Romuli aſylum perfugerat, reges & magiſtratus precario fere imperarent. Ita profecto natura comparatum eſt, AVDITORES, vt homines, qui coaluerunt in ciuitatem, animo tamen plerumque ſint a republica alieniſſimo. Nam quum bonum ciuem ita praecultum atque inſtitutum eſſe oporteat, vt iuſſis imperantium pareat promte, vt ad vtilitatem publicam omnes actiones omniaque conſilia ſua referat, vt denique nihil ſibi bonum atque vtile eſſe ſtatuat, niſi idem bonum ac ſalutare ſit vniuerſae reipublicae: natura contra effraeni homines plerique adeo ad omnem licentiam feruntur, vt, ſi omnia agere ſuo arbitrio, ſi fraena impune mordere, ſuiſque velificari commodis poſſint, tum demum ſibi verae libertatis dulcedinem percipere videantur. Ita vero natura formatum vulgus, cui, VT CORNELIVS TACITVS ait, priuata tantum ſtimulatio, & vile decus publicum eſt, quomodo aequo animo ferret iugum, niſi quaedam aduerſus rempublicam pietas ac veneratio arte in iis excitaretur? Et id quidem Romanorum erat conſilium, quum domi ac foris omnia negotia publica decoro ritu verbiſque ad maieſtatem compoſitis, explicanda iudicarent, vt multitudo, quae non delectu aut ſapientia, ſed impetu & temeritate ducitur, hac oculis offuſa caeremoniarum religione ad concipiendam animo reipublicae maieſtatem adduceretur. Quod quam feliciter ſint conſequuti, res ipſa deinde docuit. Saepe enim plebem, tribuniciis furiis agitatam, ſaepe maximos exercitus, quos nec pudor, nec metus ſuppliciorum, nec dicendi vis ac copia in officio continuerat, poſtea vel faſcium aut aquilarum conſpectus, vel ſupremum iſtud in re trepida ſenatuſconſultum: DARENT OPERAM COSS. NE QVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPERET, vel ſollemne carmen: I LICTOR, COLLIGA MANVS, tamquam fulmen aliquod perterruit. Quare tantum abeſt, vt ad inanem quamdam iactationem comparatum fuerit illud rituum ac formularum inuentum, vt prudentiae in eo eluceat artificium, quod dictis factiſque in gerenda republica, ſplendorem ac decus quoddam conciliat. Cuius rei exemplum ipſa natura praebet, quae ſuas dotes ſuaque opera partim nude, & quantum opus eſt, explicat, partim ſplendore quodam circumdata eleganter, & prout decet, oſtentat. Perinde regia iſta ac ſublimis, quae in republica adminiſtranda verſatur, prudentia quaſdam actiones ſuas ritibus ac verborum conceptionibus auguſtiores reddere conatur, & tanto id quidem magis, quia naturae opera vltro & ſua ſponte vel ipſum naturae nomen commendat; prudentia quadam arte

ac

Digitized by Google

ac diſciplina, vt actiones ſuas ciuibus probet, & a vulgi malignitate vindicet, videtur indigere. Quamuis itaque, qui haec omnia rident, dum ſeueritatem, prudentiam, iuſtitiam, eloquentiam, conſilii promtitudinem viam ad veram auctoritatem ac maieſtatem imperii emunire contendunt, libentibus id nobis atque adprobantibus faciant, neque nos cuiquam concedamus, vt illa imperandi praeſidia pluris quam nos feciſſe, aut ea laude maiore digna exiſtimaſſe videatur: neſcio tamen, cur his omnibus aduerſari putent formularum ac rituum obſeruationem, & cur illa rei bene gerendae occaſionem intercipi, ſibi perſuadeant. Quaſi nulla harum virtutum eminuerint Romani veteres, aut formularum & ſollemnitatum ſtudium iſtis, ad hanc laudem contendentibus impedimento fuerit. Quaſi, dum ſollemnes quaedam formulae in ſenatu, aut comitiis recitabantur, interea proceſſiſſet annus, & Hannibali occaſio data fuiſſet, epulandi in Capitolio.

§. XIII.

Sed id nimirum illis quam maxime videtur ridiculum, quod contractus, aliaque negotia ciuilia, tot formulis ac ſollemnitatibus adſtricta fuerint a Romanis. Enimuero, quod illis perridiculum eſt ac nugatorium: id nobis ſapiente conſilio inſtituiſſe videntur mortalium cordatiſſimi. Eo enim prudenter conſequebantur, vt nec ſempiternis litibus tam neceſſaria ciuitatibus animorum ac voluntatum coniunctio diſtraheretur, nec multitudine legum, tamquam mole, obrueretur reſpublica.

§. XIV.

Quantum ciuitatum interſit, vt litibus fomenta, quoad eius fieri poſſit, omnia ſubtrahantur, nemo, ciuili illa ſapientia vel mediocriter imbutus, negabit. Lites enim, vbi ita ſenſim gliſcunt in republica, vt nec tribunalia illis componendis ſufficiant, primo domos, hinc gentes & familias, ac poſtremo ipſos ordines diſſociare, ac in factiones reip. pernicioſiſſimas diſtrahere ſolent. Iam vero cogitate vobiſcum, AVDITORES HONORATISSIMI, an non vberrimus litium prouentus iis ex negotiis, quae vel ex unius vel duorum voluntate ac conſenſione capiunt ſubſtantiam, ſuccreſcat? Quum enim animi conſilium neque oculis, neque vllo alio ſenſu percipiatur: facile ii, quibus plus vafritiei, quam fidei, eſt, perplexantur, & ingenioſa improbitate, quod geſtum eſt, peruertunt. Quid pactorum & contractuum religione ſanctius? Et tamen alteruter paciſcentium ſaepenumero negat, ſibi vmquam negotium tam ſollemne explicandi fuiſſe conſilium. Siccine, inquit, alter fructum dolo ſuo capiet? An a me iure petet, quod ego

Digitized by Google

ego per iocum & animi cauſſa, vt fieri ſolet, ſpopondi? Ergone homini liberali in poſterum non licebit iocari, quin iocus in contractum tranſeat? Itaque maleferiatis hominibus, vt conqueritur apud comicum ſenex, pactum non pactum eſt, non pactum autem pactum, quod alteri lubet. Quid ſupremis hominum iudiciis venerabilius? quidque aequius, quam vt exitum habeat eorum voluntas, qui velle amplius non poſſunt? Et tamen eodem obtentu, quod vel ob dementiam teſtari non potuerint, vel ex animi ſententia noluerint, multorum olim teſtamenta impugnata ac peruerſa eſſe, nemo ignorat. Idemque in donationibus, ſponſalibus, aliiſque pactionibus contigit ſaepiſſime. Nullum enim eſt tam graue ſanctumque inter homines negotium, quod non conuellere conſueuerit innata illa generi humano perfidia. Quid hic Romani? Sollemniter illi haec omnia explicari volebant, ne quis ea ſerio atque ex animi ſententia acta eſſe negaret, eaque exceptione friuola Praetori faceſſeret negotium. Non itaque Romani, qui fidem in negotiorum contractibus ſanxerant, non putabant impium, ſi quis datam fidem non ſeruaſſet, aut rem fidei ſuae a moriente commiſſam non praeſtitiſſet: neque tamen actionem dabant, ſi quid ſollemnitatum in huiuſmodi negotiis fuiſſet praetermiſſum. At ſi conditurus teſtamentum, teſtes, libripendem, anteſtatum adhibuerat, & per omnia mancipationis ac nuncupationis ritum ac formulam obſeruauerat: ſi in ſtipulationibus, cautionibus, acceptilationibus, nouationibus alter alteri interroganti congrue atque ex formula reſponderat: nihil profecto cauſſae eſſe videbatur, cur quis ſerio vel teſtamentum conditum, vel contractum initum fuiſſe negaret, aut cur praetor eum litem ex lite ſerere, & fora ac baſilicas inani clamore implere pateretur.

§. XV.

Accedit & altera non minus grauis atque idonea ratio, quae Romanis ad excogitandos tot ritus ac formulas, quibus negotia ciuilia a ciuibus explicarentur, incitamento fuiſſe videtur. Exiſtimabant enim, id quod res eſt, reſpublicas non eas quidem, in quibus quotidie gliſcat legum multitudo, ſed quae quam pauciſſimis & ſapienter inuentis maiorum inſtitutis regantur, dici poſſe beatiſſimas. Praeclare iam a PLATONE obſeruatum eſt, quanto pluribus legum praeceptis ciues adſtringantur, tanto vberiorem eſſe ſolere vitiorum prouentum: ſicuti latiſſime ibi euagari ſoleat vis morbi, vbi medicis iuſto pluribus facultas detur artem ſalutarem faciendi. Et quid, quaeſo, aliud innumerabili aliarum ſuper aliis cumulatarum legum multitudine efficitur, quam vt ci-

ves

ues ius, quo reguntur, ex poenis, pretioſiſſima certe diſciplina addiſcant? Quid aliud ea efficitur, quam vt & innocentiſſimu quiſque incidat in leges, tamquam in laqueos; & ipſa iuriſprudentia vniuerſa ſibi fiat diſſimilis, captioſa, incerta, ambigua. Quid ergo Romani? Eiurato regum nomine, quum leges, id eſt animam, deeſſe reipublicae animaduerterent: breui illo duodecim tabularum ambitu vniuerſum ius ita complectebantur, vt carmen illud patrium ipſi pueri in ſcholis facile infigerent memoriae, & idem tamen fons eſſet vniuerſi publici priuatique iuris. Ne autem pro cultiſſimo illo iuriſprudentiae hortulo horrida legum ſilua paullatim ſuccreſceret: non ſtatim, ſi quando nouum incideret negotium, diſtribuebant tabellas, & centurias tribuſue in ſuffragia mittebant, nouaſque leges ferebant ad populum, ſed ex ipſis decemuiralibus tabulis modum rationemque illud explicandi prudenter comminiſcebantur. Hinc quum nihil a decemuiris de adoptione atque emancipatione liberorum cautum eſſet: an ideo ſtatim edixerunt comitia, in quibus, quid ea de re vellent iuberentque Quirites, dinumeratis ſuffragiis, explorarent? Minime vero. Quum enim intelligerent, licere patri per duodecim tabulas ter venumdare filios, eaque, quae in mancipio eſſent, nexu vel ſollemni mancipationis ritu in alterius dominium transſcribi poſſe: callide profecto ſtatuebant, filium ter in ſpeciem venditum, datumque mancipio, & rite in adoptionem alteri dari, &, ſi tertium acceſſiſſet manumiſſio, e ſacris paternis exire poſſe. Paterfamilias vti legaſſet de re ſua, ita ius fore, edixerant decemuiri: neque tamen iidem rationem ac modum conficiendi teſtamenta oſtenderant. Quid ergo Romani? An ideo ſtatim tribuum colligebant ſuffragia? Minime vero. Quum enim leges de inteſtatorum ſucceſſione priuatorum voluntate non refigi, neque adeo ſupremis ſingulorum iudiciis infringi mutarique poſſe viderentur: callide fingere maluerunt, familiam, tamquam rem mancipi, inter viuos per aes & libram transferri in familiae emtorem, ſub lege tamen ſecreta, quam in ceris obſignatis expreſſam eſſe, teſtator praeſentes ſollemni nuncupationis carmine monebat. Quid dicam de nuptiis? Quum de earum ritu nihil in duodecim tabulis cautum legerent, & vxorem tamen, tamquam filiamfamilias & heredem ſuam, ſecundum ius patrium in maritorum manu & mancipio futuram eſſe, haut ignorarent: non abſurde ſibi colligere videbantur, praeter confarreationis ritum, qui ad ſacra gentilia ac domeſtica pertinebat, feminam & coemtione, & vſucapione annua fieri matremfamilias, eamque coniun-

ctionem cum remancipatione tum vſurpatione recte diſſolui ac diſtrahi poſſe. Ita fere omnes actiones legis atque actus legitimi e ſagaci veterum iureconſultorum ingenio promanarunt. Quemadmodum enim ſollertes atque elegantiae ſtudioſi patresfamilias hortos bene cultos, & directis in quincuncem arborum ordinibus amoenos, quam arbuſtorum ſquallore opacos, habere malunt: ita illi viri prudentiſſimi magis e republica fore iudicabant, vnicuique duodecim tabularum legi plura interpretamenta ac formulas ſollemnes, quaſi per inſitionem, adiici, quam in immenſum excreſcere legum ciuilium multitudinem.

§. XVI.

Denique ne in foro quidem ac intra tribunalia inanis ac ſuperuacua erat illa rituum ac verborum religio, quam profecto non ideo admiſerant Romani, vt traherent lites, aut in re ſeria magno conatu maximas nugas agerent: ſed partim vt lites inter ciues eo citius terminarentur, partim ne quid vetuſti moris temere viderentur abolere. Saepe hodie ita inſtituuntur actiones, vt iudex e longa, quam libelli loco accipit, fabula, quale negotium inter litigantes interceſſerit, quid ab actore intendatur, quidque ab eo potiſſimum probandum ſit, vix perſpiciat. Hinc nihil frequentius exceptionibus, quibus ab inepto, obſcuro, aut incerto libello nomen inditum eſt. Hinc tot opus eſt iudicis decretis atque interloquutionibus, antequam ad ipſam litis conteſtationem, id eſt, intra teli iactum perueniatur. At enim his omnibus aequo animo ſuperſedebant Romani. Quid enim facilius, quam audire breuiſſimam actionis formulam: AIO, TE MIHI MVTVI NOMINE CENTVM DARE OPORTERE? Quid facilius, quam audire excipientem reum: ET EGO NEGO, NISI QVOD IAM SOLVTI SVNT. Quid facilius, quam operam dare actori, breuiter replicandi: EGO VERO TE SOLVISSE NEGO, NISI QVOD IN ALIAM CAVSSAM SOLVISTI? Quid procliuius denique, quam & reo ſe dare, hac ſe tuenti duplicatione: ET EGO ME IN EAMDEM CAVSSAM SOLVISSE AIO. Vnius horae labor erat, ſtatum totius cauſſae peruidere, & iudicem dare cum formula: SI PARET, L. TITIVM L. SEIO CENTVM DARE OPORTERE, NISI IN EAMDEM CAVSSAM SOLVTVM ERIT, TV ILLVM IN CENTVM CONDEMNA. Iam vero ad probationem res redierat, qua intra paucos dies peracta, lis ſententia finiebatur, exiguo temporis, multoque minore facultatum diſpendio. Non itaque rituum ac formularum hoc vitium fuit, quod homines inter lites conſeneſcerent, & dum ius ſuum in foro perſequebantur, arbores, alteri ſaeculo profuturas, ſerere viderentur. Neque illa

ſunt

ſunt fomenta litium, ob quae Cato forum murice ſtratum voluit. Tum demum infinitae fieri coeperunt lites, quum innumeris principum conſtitutionibus iuris antiqui fundamenta ſubuerterentur, quum pro vetere iuriſprudentia horrida quaedam legum nouarum ſilua ſuccreſceret, quum denique ipſi Romani pontifices, quorum ex legibus hodierna litigandi ratio ac diſciplina forenſis paene tota profluxit, adſcititia ſpecie ſanctitatis ac iuſtitiae illudere generi humano, atque oracula ſua orbi pro legibus obtrudere coepiſſent. Eos autem, qui iuriſprudentiae formulariae hanc famam per orbem litterarium differunt, magnopere ſua opinione falli, vel id vnum argumento eſt, quod nuſquam diſceptationes forenſes minus diuturnae fuerunt, quam vbi omnia in iudiciis ſollemniter atque ex formula & dici & fieri oportuit.

§. XVII.

At enim, fluctuante inter partes & plebem republica, optimates iſto formularum adparatu ad opprimendos ciues abuſi ſunt. Quid tum vero? Vtrum, ſi id factum eſſe fateamur, formularum id vitium fuiſſe, fatendum erit, an ipſorum hominum? Semper ea fabula acta eſt inter mortales, vt qui forenſem illam militiam ſequerentur, iuriſque, quo ciues regantur & ad agendum, & ad reſpondendum & ad cauendum aliis eſſent peritiores, imperitam multitudinem hac arte ad auctoritatem ſuam traducerent. Neque noſtris temporibus, quamuis illa verborum religio iam pridem euiluerit, in mundo eſſe deſiit rabularum natio, cui iuriſperitia pro hamo eſt, quo miſerae plebis opes ac fortunas intercipiat. Quis vero tam iniquus eſt rerum aeſtimator, vt arti tribuat, quod hominum vitium eſt, & ideo iuriſprudentiam, quanta quanta eſt, ad euertendas ciuium fortunas comparatam eſſe contendat? Fuerint patres aduerſus plebem iniqui, fuerint dominandi cupidi, & hoc formularum inuentum ad ſubiiciendam ſibi multitudinem adhibuerint: at non diutius illis iſthoc conſilium proceſſit, quam donec Cn. Flauius & Sex. Aelius, plebicolae, & omnis aurae popularis captatores, totum iſtud myſterium enunciaſſent. Et quid prohibuit, quo minus vel ſaltim ex eo tempore proſcriberetur iſta formularum ac ſollemnitatum religio, ſi ciues, diuulgato ſecreto, non niſi inanem ſtrepitum, aut quoddam verborum aucupium in ea deprehenderint? Qui ipſi decemuirorum legiſlationi, ne quid indignum Romanorum grauitate ac foro occurreret, lege Aebutia in quibuſdam capitibus derogare non dubitarunt: cur in ciuitate eſſe paſſi ſint formulas & ſollemnitates, numquam populi ſuffragiis iuſſas, numquam firmatas iureiurando, &c, quod caput rei

 eſt,

eſt, in ſe inanes, ludicras, & ad decipiendam plebem vnice comparatas?

§. XVIII.

An tales, inquiunt, CICERONI viſae ſunt, viro in tantum laudando, in quantum diuina propemodum eloquentia cum ſumma prudentia ac iudicii acie coniuncta poteſt intelligi. Quaſi vero a more ac conſuetudine ſummi illius viri alienum ſit, rem vnamquamque, de qua dicendum erat, modo euehendo in caelum, modo eiuſdem laudes, ſi res poſtularet, conterendo, ſibi eloquentiae famam eblandiri. Idem profecto ille CICERO, qui in oratione pro Muraena Seru. Sulpitii merita, ipſamque iuriſprudentiam non ſine bile deprimit, alio loco & illum togatae militiae anteſignanum, & artem, qua enituit, tam magnifica oratione collaudat, vt ea in re, ingenium efficere quid poſſit, experiri voluiſſe videatur. Denique nec Conſtantini, Theodoſii & Iuſtiniani iudicia multum reformidamus. Formularum ſuperſtitionem illi inſectantur; fateor: eaſdem inſidiarum plenas ac aucupia veluti eſſe iudicant; nec id nego. Quin vt eo ſim liberalior, etiam hoc adiungo, nec imprudenter eos nec iniuſte egiſſe, dum illam verborum rituumque obſeruationem nouis legibus ac conſtitutionibus ſuſtulerunt. Neque tamen inde conſequi arbitramur, vt inuentum illud abſurdum aut ridiculum fuerit. Quam multa veterum inſtituta ſuſtulit iuriſprudentia illa media, quam edictum perpetuum inuexit? Quam multa legibus, plebiſcitis, SCtis, ipſoque illo edicto perpetuo ſtabilita, imperatores, qui Antoninos ſequuti ſunt, conſtitutionibus ſuis mutarunt? Nonne iſti, vt TERTVLLIANVS ait, illam veterem & ſqualentem legum ſiluam, quae a temporibus L. Cornelii Sullae potiſſimum ſuccreuerat, nouis reſcriptorum & edictorum ſecuribus quotidie caedebant? Et tamen nemo tam iniquus eſt rerum aeſtimator, vt illa omnia, quae principes conſtitutionibus ſuis vel nouarunt vel plane ſuſtulerunt, abſurda, nugatoria, ridicula fuiſſe arbitretur. Quemadmodum videlicet non eadem veſtimenta, quamuis pulcherrima in ſe, & auro purpuraque fulgentia, omnem aetatem ornant: ita nec omnia inſtituta omneſque leges omnibus reipubl. temporibus aut cuique ſtatui conueniunt.

§. XIX.

Quod recte & ſapienter prouiſum libera republica, non ideo vtilitatem adferre potuit, poſtquam Auguſtus omnia diſcordia ciuili feſſa nomine principis ſub imperium accepit. In primis illa, quae iuſtam & conſultiſſimam rationem habere videbantur, quum

intra pomoeria fere ſtaret ciuitatis Romanae honor, tum quoque pulcra ac decora erant, quum ciuitas iiſdem fere terminis, quibus terrarum orbis, poſt illam Antonini Caracallae conſtitutionem finiretur. Eſt ea popularis imperii natura, vt in minimis quoque rebus antiquae conſuetudinis momenta ſeruanda videantur: nec abs re Alcibiades apud THVCYDIDEM iudicat, tutiſſime agere ciues, qui praeſentibus contenti legibus ac moribus, quantumuis deterioribus, nihil temere in inſtitutis patriis reipublicae adminiſtratione mutare ſuſtineant. Hinc tot fictionibus opus erat libera republica, totque formulis ac ritibus, quibus noua iura e vetuſtioribus, veluti riuulos ex fonte ſuo, deriuarent. Iis autem opus non erat amplius, quum pacis intereſſet, omnem poteſtatem in principem conferri, neque diſcordantis reipublicae aliud videretur eſſe remedium, quam ſi ab vno regeretur. Tunc vero facilius & minore cum periculo figuntur & refiguntur leges: tunc non opus eſt comitiis, in quibus leges populi ſubmittantur ſuffragiis: tunc nihil eſt, quamobrem fictionibus, formulis, ritibus indulgeatur, quum pro conſultiſſima ratione legis ſit non iniqua principis voluntas. Aequo ergo animo hac iuriſprudentia formularia carebant tempora Conſtantini, Theodoſii, Iuſtiniani, qua non facile caruiſſent Romuli nepotes, qui liberam viderant rempublicam. Neque ideo ridiculum ac Romanorum grauitate indignum iudicandum eſt, quod extremis temporibus, quum iam paene conſenuiſſet reſpublica, non amplius videbatur neceſſarium.

§. XX.

Multa dicenda ſupererant, AVDITORES HONORATISSIMI, niſi veſtra abuti patientia, piaculum videretur. Quare iam id ago, quod vel maxime a me exigit huius diei ſollemnitas, cuiuſque potiſſimum cauſſa in hunc ambonem adſcendi. Enimuero, dum me huic orationis parti accingo, neſcio qui fiat, vt, quae ſingula mei ordinis hominibus, nouum auſpicaturis munus, ſollicitudinem quamdam iniicere ſolent, ea ſe mihi hodierno die obiiciant vniuerſa. Siue enim celeberrimam, ex qua diſceſſi, academiam, ſiue hanc illuſtrem, in quam me contuli, honeſtioris doctrinae officinam intueor: fieri profecto non poteſt, quin commouear aliquantulum, & veluti conturbari mihi fatear conſiliorum rationes. Hala diſceſſi, AVDITORES, quae iam inde ab academiae ſuae incunabilis orbem litterarium vniuerſum & ſplendore nominis, & admiratione compleuit: quam tot doctrinae lumina docendo ſcribendoque adſidue illuſtrant, quo denique, tamquam ad celeberrimum ſapientiae mercatum frequentes vndique confluunt erectioris indolis iu-

uenes, petituri inde melioris atque incorruptioris doctrinae exemplum. Huius ego almae matris an vnquam ſine deſiderio quodam reminiſcar? An non ſubinde eo ſubtriſtis reflectam oculos, vbi & fortunarum ſedem primum reperi, & publicis priuatiſque beneficiis dignitatem meam ſaepius memini amplificatam? Fuerunt mihi ibi collegae, qui meam induſtriam, & bene de re litteraria & iuriſprudentia merendi ſtudium mirifice probarunt: fuere amici, qui mea cauſſa voluerunt omnia, meque non ſine doloris ac deſiderii ſignificatione ex amplexibus ſuis dimiſerunt: fuerunt auditores ſeduli, meique amantiſſimi, qui frequentes domum meam confluebant, tamque honorifice me proſequebantur abeuntem, vt viderer mihi eo die fructum anteactae vitae capere vberrimum. Quapropter ſi Athenas iſtas Halenſes mihi non minus dixero iucundas fuiſſe, quam illas Atticas T. Pomponio, quem prae Athenarum ſuauitate ipſius Romae obliuio quodammodo ceperat: neminem quidem veſtrum id miraturum arbitror, AVDITORES. Auget ſollicitudinem celeberrimae huius academiae conſpectus, quamuis in ſe multo iucundiſſimus. Demandatum mihi hic eſſe intelligo Antecesſoris munus: habeo rationem, quid praepotentium Ordinum decreto acceperim: video, & in me conuerſos eſſe omnium oculos, idque a me iure exigi, vt iuriſprudentiam non vulgari via, ſed accuratiſſima ratione tradam, nihilque faciam reliqui, quod ad tuendam amplificandamque huius illuſtris academiae dignitatem quoquo modo pertinere videatur. Quae omnia quantae molis ſint, quamque modicas vires ad id efficiendum mihi ſuffecerit natura, nemo me ipſo intelligit accuratius. Quare quemadmodum Themiſtocli, capeſſenti rempublicam, Miltiadis trophaea ſomnum excuſſiſſe dicuntur: ita mihi ab eo tempore, quo mihi hanc dignitatem decretam eſſe intellexi, dies noctesque obuerſantur WISSENBACHIORVM, HVBERORVM, NOODIORVM, ECKIORVM, SCHVLTINGIORVM, WESTENBERGIORVM merita. Haec me excitant adſidue: haec, quid a me exſpectetur, identidem admonent: haec & aliquando exterrent, ſatis animaduertentem, in hoc ſtadio tot illuſtria ingenia non dicam exaequare paſſibus, ſed vel pone ſubſequi, & eorum veſtigia legere, multo eſſe difficillimum. Quae quum ita ſint, paullo commotior quidem ſuſcipio hoc munus, quod mihi veſtra, patriae atque academiae Patres, auctoritas impoſuit: ſed ſuſcipio tamen, illudque cum tanto maiore fiducia ſubeo, quo luculentius ex hoc rerum euentu plane inexſpectato auguror, Dei immortalis id eſſe conſilium, qui & olim ſemper rebus meis adfuit, & me nihil tale cogitantem, iamque ac-

cinctum

cinctum itineri Francofurtano, quo me potentiſſimus Pruſſiae Rex honeſtiſſima propoſita conditione, ad docendam iuriſprudentiam euocauerat, in hanc prouinciam pertraxit. Vnde & certiſſimam ſpem concipio, eius benignitatem nec hic ſincero meo publicae vtilitatis ſtudio vmquam defuturam.

§. XXI.

Vobis autem, patriae atque academiae Patres, qui me huc amplíſſima & ſplendidiore, quam vlli a multo tempore oblatam ferunt, conditione propoſita, huc tam benigne euocaſtis, tantum me debere profiteor, vt ſi me totum vobis manciparem, viderer tamen mihi vix minimam officii mei partem adſequutus. Vos enim me, nulli veſtrum cognitum, clementer & conſentiente ſuffragio exciuiſtis: vos me aduenientem mirifica ac paene inuſitata excepiſtis humanitate: vos nihil, quod ad me ornandum recreandumque ex itinere moleſtiſſimo pertinere videbatur, praetermiſiſtis. Quae omnia tanti mihi ſunt, viri illuſtres atque ampliſſimi, vt id vnum mihi dolendum videatur, effeciſſe vos hac beneficentia veſtra, vt ingrato mihi viuendum moriendumque videatur. Interea haec ſumma benignitas veſtra incitamento mihi erit perpetuo, nullum vt defugiam laborem, nullas vt mihi vigilias moleſtas exiſtimem, quibus celeberrimo atque illuſtri huic Friſiae Lyceo vtilitatem aliquam adferri poſſe intelligam. Adlaturum autem me aliquam confido, ſi vos, exoptatiſſimi Collegae, quibuſcum diuinum numen me iam arctius coniunxit, veſtro me ſubleuabitis conſilio, veſtro incitabitis exemplo, veſtro denique amore, cuius iam tot experimenta dediſtis, me porro recreabitis. Vos itaque rogo & per communis academiae ſalutem obteſtor, vt me lubentes in collegium veſtrum recipiatis, eoque complectamini amore, quo vos ego complector vniuerſos. Numquam in me vel fidem, vel, quae ab amico proficiſci poſſunt, officia, vel, qui a collega, amorem deſiderabitis. Quemadmodum enim te, vir magnifice, qui iam ad academiae noſtrae clauum ſedes, iam pridem abſens abſentem ob diffuſiſſimam eruditionem ita admiratus ſum, vt nihil iucundius mihi per omnem vitam futurum ſit, quam ſi, vt olim Iunium, iuris & hiſtoriarum peritiſſimum, a Caii Gracchi amicitia, Gracchianum adpellatum eſſe, Plinius obſeruat, ſic mihi a tui amore HEMSTERHVYSIANI cognomen obtingeret: ita & vos omnes, coniunctiſſimi collegae, quos mihi iampridem doctrina ac celebritas veſtra venerabiles reddidit, maximi faciam, & feram in oculis, quauis re facilius me a vobis ſuperari paſſurus, quam amore atque obſeruantia. Decem illos, quos Halae exegi, annos

mul-

nunquam me cum vllo collegarum in gratiam redire memini: ita colui omnes atque obſeruaui, vt plerique me non ſine deſiderio quodam ex amplexibus ſuis dimiſerint. Talem me hic quoque futurum, porrecta hac dextra, & candore vere Germanico, vobis polliceor, ſpondeoque, vti formula veteri vtar, VTI INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, numquam me commiſſurum, vt inter nos vlla ſit, niſi honeſta atque vtilis huic academiae aemulatio.

§. XXII.

Denique ad te mea ſe oratio conuertit, ſpes futurae aetatis, flos litteratiſſimae lectiſſimaeque iuuentutis, cuius ego conſpectu iucundiſſimo mirifice me recreari ſentio. Veſtra res agitur, o mei: vobis & ſeritur, vt ille ait, & metitur: vobis hoc atque omne militabitur bellum, cuius cauſſa hodie veluti ſacramentum dixi. Videbitis me quotidie & ducis & commilitonis munere fungi, nulloſque veſtri cauſſa labores ac lucubrationes defugere, quibus & viam vobis ad ciuilem illam ſapientiam emuniam, & exemplo meo ad intenſiorem diligentiam excitem. Vos mihi hanc vicem reddite, vt ametis veſtri amantiſſimum, ſtudioque & attentione veſtra me viciſſim reddatis alacriorem. Cogitate quaeſo, paucos eſſe, quos in academiis tranſigitis, annos, & ab illis tamen omnem vobis ſpem ſuſpenſam eſſe futurae felicitatis. Ponite vobis ob oculos meſſem, quae imminet, vberrimam, eamque ſudore veſtro digniſſimam eſſe credite. Rationem inite, quam praeclara illa ſint, quibus vos deſtinarunt lacrymoſa parentum vota, quidque a vobis patria, cui nati eſtis, iure quodam ſuo exſpectet. Sic enimuero ſperamus, numquam vos e ſcholis noſtris exituros, niſi doctiores, & ſolidiore iuriſprudentiae cognitione bona fide imbutos. Sic confidimus fore, vt e noſtra veſtraque diligentia vtilitas ad hanc rempublicam redundet vberrima. Sic denique certo nobis pollicemur, illuſtrem hanc Franequeranam, tot celeberrimorum doctorum meritis, meaque qualicumque opera, priſtinum ſeruaturam ſplendorem, nouiſque amplificatam auctibus perennaturam, palladium Friſiae, decus Belgii, orbis litterarii ornamentum.

D I X I.

DE

DE VITIIS NEGOTIATIONIS COLLYBISTICAE VEL CAMBIALIS.

EXERCITATIO XI.

CAP. I.

DE NATVRA ET INDOLE NEGOTIATIONIS COLLYBISTICAE VEL CAMBIALIS.

SVMMARIA.

§. I. Inſtituti ratio. §. II. Romani Argentarii & menſarii non fuere ſimiles collybiſtis hodiernis. §. III. Nec tamen permutatio pecuniae localis veteribus fuit ignota. §. IV. Ea an fuerit cambium locale. §. V. Vera cambiorum origo. §. VI. Quid cambiare & cambium. §. VII. Huc non pertinet cambium minutum, ſed locale. §. VIII. In eo quatuor perſonae concurrunt. §. IX. Poſſunt tamen & plures eſſe. §. X. Et pauciores. §. XI. Vnde differentia inter cambia propria & traſſatum. §. XII. Qualem contractum cambiantes ineant. §. XIII. Cambia nec pacta nuda ſunt nec legitima. §. XIV. Nec contractus innominati. §. XV. Nec emtio venditio, locatio conductio, ſtipulatio, mandatum. §. XVI. Multi contractus ad conuentiones iuris ciuilis referri nequeunt. §. XVII. Cambia proxime accedunt ad obligationem literalem. §. XVIII. Refelluntur argumenta contraria, Primum. §. XIX. Secundum. §. XX. Tertium & quartum. §. XXI. Quintum. Negotium cambiale proprie inter duas perſonas vertitur, reliquae vi mandati accedunt. §. XXII. Litterarum cambialium forma. §. XXIII. An & valutae facienda ſit mentio. §. XXIV. Cambii definitio.

§. I.

Inſtituti ratio.

CUM omnem, quae de re aliqua ſuſcipitur, diſputationem a definitione potiſſimum proficiſci oportet: tum nobis imprimis, quibus de negotiationis collybiſticae, vel cambialis vitiis diſſerere animus eſt, id negotii datum credimus, vt quaedam de ipſa huius negotiationis natura atque indole praemittamus. Quemadmodum enim curua eſt linea, quae a recta deuiat: ita in negotiis moralibus ac ciuilibus id vitioſum habetur, quod ab eorum natura atque indole diſcedit. Et quemadmodum curuitas non intelligitur, niſi ab iis, qui veram recti ideam animo conceperunt: ita nec vitia negotiationis cambialis vel collybiſticae quiſquam percipiet, niſi eius naturam &, vt ita dicam, rectitudinem probe perſpexerit. Nec vereor admodum, ne Iliada poſt tot Homeros ſcribere videar. Quamuis enim hoc negotium quotidie fatiget iudices, & tot exſtent de cambiis ICtorum volumina, tot libelli & diſſertationes, vt id argumentum iam pridem nouitatis gratiam videatur exuiſſe: tamen, quum nec vberrimum poſt hanc meſſem defuturum videatur ſpicilegium, non abs re erit, & noſtram de tota re audire ſententiam. Ea ſi forte ab aliorum ſenſu in quibuſdam diſcrepet, vel eo nomine merebitur veniam, quod ſi vſquam, certe in rebus, iure communi haud definitis, verum atque aequiſſimum eſſe debeat illud Labeonis noſtri: *Suum quemque iudicium habere.* SVET. *Auguſt. Cap.* LIV.

§. II.

Romani Argentarii & menſarii non fuere ſimiles collybiſtis hodiernis.

Non autem iam vacat operoſius inquirere in huius negotiationis originem. Quamuis enim alii Belgis, alii Iudaeis, alii Longobardis eius inuentae gloriam vindicent: neſcio tamen, an vllum exſtet certum earum ſententiarum argumentum. Dicam tamen paucis, quod ſentio. Iam Romanis non ignotos fuiſſe *argentarios* & *trapezitas*, vel ex iure noſtro ſatis adparet. *L.* 4. *L.* 5. *L.* 6. *L.* 8. *L.* 9. *L.* 10. *ff. de edendo.* De eorum autem negotiatione quum erudite egerint Cuiacius *Obſeru. Lib.* x. *cap.* 14. & CLAVD. SALMAS. *de Vſur. cap.* XVII. *p.* 499. tantum tamen abeſt, vt ſimile quid inter veterem illam & hodiernam negotiationem collybiſticam reperiamus, vt potius ex Ciceronis *Orat. pro Flacco cap.* XIX. *L.* 24. *§.* 2. *ff. de reb. aut. iud. poſſ. L.* 18. *ff. de hered. pet.* & *l.* 88. *ff. de ſolut.* adpareat, argentariorum officium potiſſimum in pecunia ſua & aliena foenori locanda, rationibus conficiendis, pecunia traiectitia ſuo periculo credenda, item in auctionibus, conſtituendo,

do, ſimilibuſque conſtitiſſe. Equidem ſaepe permutabant pecuniam, & inde fit, vt & κόλλυβοι frequenter occurrat apud veteres & ἀργυρίου ἀλλαγὴ apud IVL. POLL. *in Onomaſt.* VII. 30. ſed eam vere veteres intelligunt pecuniae permutationem, quae fit apud menſam in continenti per varias numorum ſpecies, quamque hodie Doctores *cambium reale* ſeu *manuale* vocare ſolent. Vnde eſt, quod vocentur ἀργυροπρᾶται *Nov.* CXXXVI. ἀργυραμοιβοὶ a SVIDA in hac voce, *argenti* diſtractores *L.* 27. *C. de pign. L. pen. fin. C. de conſt. pec.* argenti venditores *L.* 12. *C. de cohor. tal.* Ex quo facile patet, ea veterum loca non pertinere ad cambia *localia*, *mercantilia*, ſeu *traiectitia*, quibus pecuniam vno loco numeratam alio loco & ab alio ſoluturos nos promittimus: quae tamen ſola cambiorum nomen proprie ferunt, adeoque etiam praecipue ſunt diſſertationis noſtrae argumentum.

§. III.

Permutatio pecuniae localis veteribus non fuit ignota.

Nihil itaque illam veterum artem collybiſticam ad hodiernam negotiationem cambialem facere, inter omnes conſtat, idque etiam, qua fuit ingenii perſpicacia, probe animaduertit maximum olim huius Academiae decus atque ornamentum VLR. HVBER. *Prael. ad Pandect. lib.* XVII. *tit.* I. §. 12. Enimuero is & locale vel traiectitium cambium non ignotum Romanis fuiſſe inter primos obſeruauit. Et ſane CICERO *ad Atticum lib.* XII. *ep.* 24. de filio Athenis ſtudiorum cauſſa commorante: *De Cicerone*, inquit, *tempus eſſe iam videtur. Sed quaero, quod illi opus erit Athenis, permutarine poſſit, an ipſi ferendum ſit?* Quaerit itaque ex Attico Cicero, filiusne pecuniam ipſe ſecum Athenas ferre debeat, an occaſio ſit permutandi videlicet, vt quam ipſe Romae ſoluerit, ab alio filio Athenis reddatur? Similis eſt locus *Lib. XV. Ep.* 15. *Cicero ſcripſit ad Tironem, ſibi poſt Kal. Aprilis (ſic enim annuum tempus confici) nihil datum eſſe. Quare velim cures, vt* PERMVTETVR *Athenis, quod ſit in annuum ſumtum: ei ſcilicet Eros numerabit. Eius rei cauſſa Tironem miſi. Curabis igitur, & ad me, ſi quid tibi de eo videbitur, ſcribes.* Volebat nimirum Cicero Pater Romae ſoluere, quod filio per permutationem Athenis redderetur. Adeoque nihil verius eſt, quam quod laudatiſſimo viro viſum, eſſe hoc ipſum praeſentis inſtituti cambium, quod dicitur, adeoque iam Romanis illud non ignotum fuiſſe.

§. IV.

Ea an fuerit cambium locale?

Sed quamuis id extra omnem dubitationis aleam poſitum videatur, Romanos iam hoc modo permutaſſe pecuniam, adeoque manifeſto allucinetur SCHILTERVS *Exercit.* XXXII. §. 9. qui Roma-

nis minus cognitum fuiſſe putat hoc permutationis genus, quia monetae Romanorum per vniuerſum orbem Romanum aeque valuerint, & maior, quam apud nos, fuerit viarum publicarum ſecuritas: pleraque tamen, quae hodie ingrediuntur negotiationis collybiſticae eſſentiam, iis incomperta fuiſſe, ſatis adparet. Hodie enim is contractus litteris, quas cambiales vocant, perficitur, ex quibus rite & ex formula praeſcriptis naſcitur non ſolum obligatio ſtrictiſſima, verum etiam actio reliquis omnibus rigidior & tam promta cum exſequutione coniuncta, vt litteris agnitis, vel vt loquuntur Pragmatici, recognitis nec exceptioni non numeratae pecuniae locus ſit, nec alii altioris indaginis ſubterfugio, ſed reus ſtatim in cuſtodiam mittatur, donec ſoluerit. In his potiſſimum hodie cambialis negotiationis commodum conſiſtit, & in his contractus ille abit a reliquis. Quum vero nihil tale, quod ſciam, Romanis fuerit notum: permutaſſe quidem illos pecuniam & eo ſenſu locale cambium iniiſſe non inficior, ſed ita tamen, vt illa permutatio cum cambiis hodiernis vix ſit comparanda. Id quod iam vidit Illuſtris Iudicii Aulici Caeſarei Conſiliarius BERGER *Supplem. Elect. proceſſ. Execut. th. 1. poſit. 7. p. 3.*

§. V.

Vera cambiorum origo.

Quae quum ita ſint, vero ſimillimum eſt, Romanos, Graecos & poſtea Venetos aliosque populos maritimos hoc compendio iam olim vſos in traiiciendis transſcribendisque pecuniis: ſed paullatim tamen Longobardos, qui tum in primis in exteris prouinciis negotiabantur, formam huic negotiationi dediſſe, quae paullatim inter mercatores vſu recepta publicis legibus demum probari, & , vt fit, vbique fere terrarum ob inſignem vtilitatem in vſum recipi coepit. Saltim Longobardicum hoc eſſe inuentum vel ipſa vocabula in hoc negotio ſollemnia ac veluti legitima ſatis euincunt, qualia ſunt *traſſa, valuta, indoſſamentum, aduiſo, conto, ſcontro, reſcontro, giro, diſconto, a lettera viſta, a vſo, doppio vſo, per honore di lettera, largetta, ſtretezza* & ſimilia, quae omnia tranſalpinam originem redolere, nemo non intelligit. Et inde eſt, quod, quum ne Carolus quidem du Freſne in diffuſo illo *mediae Latinitatis Gloſſario* ex nullo Europaeo ſcriptore de litteris cambialibus teſtimonium protulerit: earum tamen exempla iam ſaeculo XIV. in Lombardia exſtent. SCtum enim Venetum eius aeui de cambiis ſeruauit NIC. de PASSERIBVS *de ſcriptur. primat. lib. III. de litt. Camb.* §. *XVI.* & ipſarum litterarum huiusmodi exemplum eo ſaeculo habet BALDVS *Conſil. Volum. 1. Conſ.* 348.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Sed de his pauca quam incerta dicere malui. Potius de inueſtiganda cambii definitione ſollicitos nos eſſe oportebit, ex qua deinde eo facilius de eius natura iudicium facere licebit. *Cambire, Cambiare* & *Campſare* iam veteribus fuit permutare. In mundo nobis ſunt Ennii, Columellae, Siculi Flacci, Apuleii Priſciani, Chariſii aliorumque teſtimonia, quibus id demonſtrare liceret, niſi iam GER. IO. VOSSIVS *de Vitiis Serm. lib.* I. *cap.* 18. ALCIAT. *Parerg. lib.* I. *cap.* 45. CAROL. DV FRESNE *in Gloſſ. Med. & inf. Lat. Tom.* I. *p.* 693. *ſequ.* aliique otium nobis feciſſent. Inde medio aeuo nota vocabula *praecambiare*, *cambiator*, *ſcambiator*, *cambitio*, *camptio*, *cambitor*, *cambitus*, *cambium*, *camium*, *ſcamium*, *eſcambium*, *eſcambiator*, *ſcambiaria* vel *ſcampſaria charta*, *concambium*, & alia cumplura, de quibus prolixe laudatus Car. du Freſne. Quemadmodum vero omnis agrorum rerumque permutatio tunc cambii nomine veniebat, eoque ſenſu & in conſuetudinibus feudalibus. I. *F.* 4. §. 2. I. *F.* 22. §. 5. *F.* I. *nec non* in Iure Canonico *C.* 6. *X. d. except.* hoc vocabulum vſurpatur: ita praecipue permutatio pecuniae dici coepit *cambium*, adeo vt, ſi a Germanis & Belgis diſceſſeris, ea denominatio paene ad omnes gentes tranſierit. Sane a *Cambium* eſt Hiſpanorum & Italorum *Cambio*, Gallorum *Change*, Anglorum *Exchange*, adeoque non minus haec vocabula innuunt, permutationem pecuniae fieri, quam Germanorum *Wechſel* vel Belgarum *Wiſſel*.

Quid cambiare & cambium.

§. VII.

Permutatio autem pecuniae, vt §. II. diximus, dupliciter poteſt fieri. Aut enim diuerſae numorum ſpecies permutantur, e. g. numi aurei & argentei, aut permutatio ita fit, vt pro accepta pecunia idem in genere alio loco ſoluatur. Prioris permutationem vel ἀργυρίου ἀλλαγὴν iam a veteribus menſariis, trapezitis, numulariis frequentiſſime factam fuiſſe vidimus? Et ſane artem huius generis collybiſticam exercuiſſe videntur οἱ κολλυβισταὶ καὶ κερματισταὶ, quos euerſis menſis Templo Hieroſolymitano eiecit Seruator *Matth.* XXI. 12. *Marc.* XI. 15. *Io.* II. 14. quippe ſiclos ſanctuarii numis vſualibus permutantes. Poſterius autem cambium veteribus quidem non plane ignotum, ſed hodierno tamen diſſimile fuiſſe diximus. Illud *minutum* ſeu *manuale*, hoc *locale* vocari obſeruauimus. vid. HEIDIG. *cap.* I. *p.* 2. GRYPHIANDER *Oecon. Leg. lib.* I. *cap.* 26. *n.* 37. Sed quum de illo agere iam non ſit animus: in huius tantum naturam erit inquirendum.

Huc non pertinet cambium minutum, ſed locale.

§. VIII.

Verum cambium locale negotium eſt, quod inter quatuor per-

In p

quatuor perſonae concurrunt. ſonas geritur. Eſt enim, qui pecuniam in loco contractus alteri numerat, ea lege, vt idem in genere alteri certo loco ſoluatur, iſque *numerans*, & inter mercatores *der Herr des Wechſels Stat. Hamb. art.* 11. *der Geber des Geldes Ordin. camb. Pruſſ. art.* 3. *der Ausgeber des Wechſels &c.* Quemadmodum autem nihil intereſt, an remittens pecuniam vere numerarit, an alio modo ſatisfecerit, vel hic eius fidem ſequutus ſit, itaque obſeruandum, id, quo ipſi ſatisfactum, ratione finis vocari *remiſſam* vel *remeſſa*, quia in alium locum remittendum, RAPH. de TVRRI. *de Camb. Diſp.* 1. *qu.* 1. *n.* 35. 3. 6. quia ſimul ea ſumma alteri ſatisfactum, *valutam.* Vnde formulae cambiales: valuta *von ihm empfangen*, valuta *oder den Werth verſtanden, den Werth allhier vergnügt &c.* SAVARY *Mercat. perſ. Part.* 1. *cap.* 20. *p.* 152. STYPMAN. *Iur. Marit. & naut. Part.* IV. *cap.* 8. §. 58. *ſequ.* Eſt deinde in hac negotiatione, qui pecuniam a remittente numeratam ea lege accipit, vt data teſſera collybiſtica ſe illam alio loco, & ab alio ſoluturum, recipiat. Is inter collybiſtas TRASSANS dicitur, item *trahens, der Traſſirer, oder Wechſler* & in *Ordinat. camb. nou. Hamb. art.* X. & XI. *der Geber des Wechſel-Brieſes.* Quemadmodum vero ratione remittentis pecunia numerata *remiſſae* vel *valutae* nomine venit, ita ratione traſſantis adpellatur *Traſſa* vel *Tratta.* SAM. STRYK. *de camb. litt. accept. cap.* 11. §. 3. Quum vero *traſſans* litteras cambiales dare ſoleat: is, qui illas accipit, alio loco offerendas, vocatur PRAESENTANS, item *exactor, der procurant, Ordre-Haber, Inhaber des Wechſels.* Vid. *Ordinat. noua Hamb. art.* XIV. Denique is, qui mandato traſſantis alibi ſoluit, eoque fine teſſeram cambialem ſibi oblatam acceptat, ideo vocatur ACCEPTANS *der Bezogene, der Betrockene, der* Traſſat, vel, vt in *Ord. nou. camb. Hamb.* eſt, *der Bezahler.*

§. IX.

Poſſunt tamen & plures eſſe. Has quatuor perſonas natura huius negotii requirit. Poſſe tamen & plures & pauciores eſſe, res ipſa docet. Quum enim ſaepe *praeſentans* cambium alii cedat, vel ſaltim alium ſubſtituat, qui ſuo nomine exigat pecuniam, iam accedet quinta perſona. Ea ceſſio vel mandatum vocatur *indoſſamentum*, veluti *epiſtographum*, quia dorſo teſſerae collybiſticae inſcribi ſolet. Vnde iam in medii aeui monimentis verba *indoſſare* & *redorſare* hoc ſenſu occurrere obſeruat CAR. du FRESNE *Gloſſ. med. & inf. lat. T.* II. *p.* 54. ac vocabuli vim parum adſequuntur, qui illud latine vertunt *inductionem.* Indoſſatarius ille fit dominus cambialis ſchedulae, ſi indoſſamentum fiat formula: *für mich* an Scaptium, valuta *von demſelben:* procurator autem, ſi ita fuerit ſcriptum: *für mich* an Scaptium, *ſoll mir validiren.*

Digitized by Google

ren. Priore caſu ſi *indoſſatus* iterum indoſſet, id eſt, ſibi ceſſas literas alii iterum cedat, facile fieri poteſt, vt ſexta, imo & plures perſonae interueniant, adeoque per multorum manus ambulet cambium, id quod proprie vocant *giro*, quamuis aliquando omne indoſſamentum ita adpelletur. Koenigk *ad Ord. camb. Lipſ.* §. XI. PET. MVLLER ad STRVV. *Synt. Iur. Ciuil. Exerc.* XXV. *th.* 43. *not.* 8. *n.* 10. Aliquando praeter quatuor illas perſonas, & aliae ſubſcribunt cambio alieno, quae tunc fideiuſſiſſe intelliguntur pro traſſante, & aeque ac traſſans obligantur ad carceres. *capit. camb. Bonon. cap.* XV. *Veſunt. cap.* XVII. *Ius camp. Guelpherb. art.* II. Id quod collybiſtae vocant *auallum.* SAVARY *Negot. perf. Part.* I. *Lib.* 3. *cap.* 8.

§. X.

Vti vero plures interuenire poſſunt perſonae: ita & ad pauciores rem redire poſſe, eo minus dubitandum, quo magis conſtat, frequenter vnum hominem duas perſonas ſuſtinere. *L.* 12. *ff. de legat.* I. Sane ſi fingas, me Amſtelodamo Hamburgum profecturum mercatori Amſtelodamenſi ſoluere trecentos, ab eoque accipere teſſeram collybiſticam, Hamburgenſi mercatori offerendam: tunc ego & remittentis & praeſentantis perſonam ſuſtinebo, adeoque inter tres homines geretur negotium. Si fingas porro, mercatorem Amſtelodamenſem & Hamburgi tabernam habere, mihique eo proficiſcenti dare litteras cambiales, inſtitori ſuo offerendas: iam inter duos vere geritur negotium, quum mercator Amſtelodamenſis & traſſet & a ſe ipſo ſoluat, ego & remittentis & praeſentantis perſonam ſuſtineam. Vid. STYPMANN. *Iur. Marit. & naut. Part.* IV. *cap.* 8. §. 25. *ſeq.* DV PVY *de Art. litt. camb. cap.* IV. §. 19. 20. *Et pauciores.*

§. XI.

Et ex eo eſt, quod praeter *traſſata* cambia & alia inuenta ſunt, quae vocant *propria*, *eigene Wechſel*, non quaſi κυρίως & in ſenſu proprio cambiorum nomen mereantur, ſed quod hic inter duas perſonas geratur negotium, & debitor ipſe traſſare & acceptare fingatur, adeoque ad *propriam perſonam*, vt loquuntur, litteras dirigat. Vnde non errant, qui haec cambia alio ſenſu *impropria* vocanda arbitrantur. Boenigke *Digeſt. in Ord. nat. redact. Lib.* IV. *tit.* 29. *n.* 9. Ratione enim materiae non ſunt cambia, quum pecunia alio loco ab alia perſona non reddatur, ſed vera chirographa, forma ac ſpecie cambiorum palliata. Vnde & in *Iur. camb. Auſtr. art.* 47. & 54. *cambia formalia formige Wechſel* & ab aliis palliata adpellantur. Et videntur ſane haec cambia ſenſim nata ex *cambiis ſiccis.* Quum enim omne vſurarium lucrum a Pontifice damnaretur: reperti ſunt ingenioſi ad fulmen illud auerruncandum homines, *Vnde differentia inter cambia propria & traſſatum.*

ogle

homines, qui a debitore exigerent teſſeras collybiſticas, ita in ſpeciem conceptas, ac ſi alio loco ſoluenda eſſet pecunia, quum tamen vere redderetur in loco contractus, & vſurae tunc more cambiali accenſerentur ſorti, vel *prouiſionis*, *l'agio*, aliudque honeſtum nomen induerent. RAPH. de TVRRI *de camb. Diſp.* I. *qu.* 29. *num.* 13. 14. MARQVARD. *de Iure Mercat. Lib.* II. *cap.* 12. *num.* 27. Quum autem ſenſim euiluiſſet illa de prauitate vſuraria ſententia: non opus amplius videbatur illa fictione, nec prae ſe ferebant contrahentes, pecuniam alio loco ſolutum iri, ſed debitor ingenue confitebatur, ſe ſoluturum certo die, quia valutam rite acceperit. Et ſic nata ſunt cambia propria, de quibus iam agimus. Non otioſa videtur haec obſeruatio, ex qua iam facile reddideris rationem, cur hodienum in his cambiis vſurae ſorti adgregentur, nec ſcribi ſoleat: *Auf dieſen meinen* ſola *Wechſel-brief zahle ich die ſumma von* 100 *Thaler nebſt landüblichen zinſen*: ſed: *Auf dieſen Wechſel-Brief zahle ich die ſumma von Thaler* 105. Nec minus ex eadem cambiorum origine manifeſtum eſt, cur ea non admittantur vbique, ſed quibuſdam legibus publicis proſcribantur, quippe cambiis illis ſiccis ſuccenturiata. *Ius camb. Auſtr. art.* 54. *Ordinat. Mercat. Ludouici* XIV. *Reg. Franc. tit.* V. *art.* 27. *Codex Leg. Dan. Lib. V. cap.* 14. §. 19. *Ius camb. Pruſſ. art.* 34. Sicubi tamen huiuſmodi ſanctiones non exſtant: ibi iiſdem priuilegiis frui cambia propria & traſſata, ipſa docet experientia.

§. XII.

Qualem contractum cambiantes ineant.

Hactenus de perſonis, quae in negotiatione collybiſtica occurrunt. Proximum eſt, vt quale ſit hoc negotium, quod inter eas intercedit, paullo accuratius inueſtigemus. Qui omnia, etiam noua & Romanis incognita, ad iuris ciuilis normam exigunt, acriter diſputant, ad quod conuentionis genus referenda ſit pactio illa collybiſtica? Et ſane quum in iure ciuili non habeat proprium explicationis locum, vix vllum eſt conuentionis genus, ad quod non a quibuſdam referatur. Aliis pactum nudum eſt, aliis legitimum; aliis contractus innominatus do vt des, vel do vt facias; aliis mutuum, aliis ſtipulatio, aliis mandatum habetur. Quorum omnium ita comparata ſententia eſt, vt iis adſtipulari vereantur, quicumque eam negotiationem adhibita in conſilium ratione paullo accuratius expendunt. Vid. SCHILTER. *Exerc.* XXXII. §. 10. Excellent. D. BOEHMER *Introd. ad Ius Pandect. Lib.* XIX. *tit.* XIV. §. 7.

§. XIII.

Digitized by Google

§. XIII.

Cambia nec pacta nuda ſunt nec legitima.

Primo ſane non video, quid cauſſae ſit, vt vel pactis nudis vel legitimis accenſeantur conuentiones cambiales. Id diſcrimen iam pridem otioſum fuit in foris Europae vniuerſae, nec vmquam accepimus Romani iuris principium; pacta nuda non producere actionem, ſed legitima & adiecta in continenti contractibus bonae fidei. Romana haec ſunt, nec ad gentes originis Germanicae pertinent, quibus ſemper in deliciis fuit paroemia iuris: *ein Wort, ein Wort: ein Mann, ein Mann*, HERT. *Paroem. Iur. Lib.* I. *par.* 8. quaeque iam olim vere gloriabantur, *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe.* TACIT. *Annal. Lib.* XIII. *cap.* 54. Cur itaque pactum *nudum* vocemus cambium, quum nulla nobis ſint *legitima*? Et cur *legitimum*, quum *nuda* non habeamus, quae effectu a legitimis differant? Accedit, quod in negotio cambiali plus ſit quam nuda promiſſio. Quis enim neſcit, manus mercatorum hic plerumque eſſe oculatas? Quis ignorat, non temere ad traſſandum quemquam induci, niſi vel numerata ſibi pecunia, vel alio modo ſatisfactum fuerit. (§. VIII.) Pactum autem eſſe conuentionem ſine nomine & cauſſa, & hinc in nudis placiti vel conuentionis finibus conſiſtere, nec dupondii ignorant. *L.* 7. §. 1. 2. 4. *ff. de pact. l.* 27. *C. de locat.*

§. XIV.

Nec contractuum innominati.

Non minus rationem fugere exiſtimo illos, qui ad contractum quemdam innominatum accedere exiſtimant cambia. Quamuis enim eam ſententiam tueantur MARQVARD. *de Iur. Mercat. Lib.* III. *cap.* II. *n.* 48. SAM. STRYK. *de caut. contr. Sect.* III. *cap.* 5. §. 7. aliique viri erudititſſimi: non auſim tamen ego conuentionem cambialem vel ad contractum *do vt des*, vel ad contractum *do vt facias* referre: Non ad illum, quia permutatio proprie eſt ſpecierum, *L.* 5. §. 1. 2. *ff. de praeſcr. verb.* in hoc autem negotio vtrimque pecunia vertitur. VLR. HVBER. *Praelect. ad Pand. Lib.* XVII. *tit.* I. §. 12. Nec ad hunc, quia qui ſe promittit effecturum, vt ſoluatur, plus promittit, quam quod obligatio faciendi complectitur. FRANK. *Inſtit. Iur. camb. Lib.* I. *Sect.* I. *tit.* 4. §. 11. Accedit, quod, quum contractuum innominatorum ea ſit indoles, vt eum, qui ex ſua parte contractui ſatisfecit, poenitere poſſit, adeoque ei a contractu reſilire liceat, quamdiu alter non praeſtitit, quod promiſerat: *L.* 3. §. 1. 2. & 3. *L.* 5. *pr. ff. de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſequ.* id ſecus ſe habeat in cambiis. Quamuis enim remittentem ante ſolutionem ab acceptante factam poeniteat, & hinc is per litteras acceptantem ſoluere prohibeat: nihilominus tamen ſolutionem iu-

re exigit praeſentans, niſi tantum procuratoris vice fungatur. *Ordinat. camb. Pruſſ. art.* XXVI. *Ord. camb. Hamb. art.* XI. *Ord. camb. Dantiſc. art.* XXV. HEYDIGER. *Introd. ad Ius camb. cap.* XIV. *p.* 136.

§. XV.

Nec emptio venditio, locatio conductio, ſtipulatio, mandatum.

Denique nec ex contractibus nominatis quiſquam eſt, qui cambiali conuentioni per omnia ſimilis videatur. Non emtionem venditionem hic deprehendimus, quia pecunia non emimus pecuniam, niſi ea quodammodo rei fungibilis naturam exuerit, quale quid in numiſmatibus vetuſtis obſeruamus. Nec magis locationem adpellare licebit conuentionem, vbi non de vſu rei vel operis praeſtandis, ſed de pecunia alibi ſoluenda agitur. Stipulationem qui ſibi reperiſſe videntur, eos oſtendere oportebit, vbi terrarum iſtud ius vigeat, vt nullum ſit cambium ſine interrogatione & reſponſione congrua, quibus ſtipulatio vere abſoluitur. *L.* 5. §. 1. *ff. pr. Inſt. de V. O. L.* 1. §. 7. *de O. & A.* Et qui fit quaeſo, vt cambia in emporiis contrahantur interuentu proxenetarum, cum verborum obligatio non niſi inter praeſentes & loquentes contrahantur? *L.* 1. §. 1. 2. *ff. de V. O.* Specioſiſſima veroque ſimillima quidem eſt eorum ſententia, qui mandatum merum in cambio ſibi perſuadent reperiſſe. Sane enim Titius mandat Maeuio, vt Iauoleno alio loco ſolui iubeat 500. Maeuius porro mandat Sempronio, vt Iauoleno ſoluat. Titius mandat Iauoleno, vt ſolutionem hanc exigat. Adeoque mandatum hic vbique pellucere videtur. HEYDIGER. *cap.* 11. *p.* 12. LVBBEN. *de camb. theſ.* 12. 13. Sed quod adfine & ſimile videtur, id non ſtatim idem eſt. Sane quum mandatum ſolo conſenſu contrahentium capiat ſubſtantiam, hic exigitur valuta, adeoque pecuniae numeratio; exiguntur litterae cambiales, quas ad naturam huius negotiationis pertinere, paullo poſt demonſtrabimus. Accedit, quod, quum mandatum contrahentium morte exſpiret: *L.* 27. §. 3. *L.* 57. *ff. mand.* id in cambiis aliter ſeſe habeat, & heres traſſantis promiſſum nihilominus praeſtare debeat. HEYDIG. *cap.* VIII. *p.* 81. SAM. STRYK. *Diſſ. de Accept. Litter. camb. cap.* IV. *n.* 40. 41. Nec minus hic conſiderandum, quod, quum ex mandato vna actio directa, altera contraria ad indemnitatem naſcatur: *L.* 3. §. 1. *L.* 12. §. 7. 9. *l.* 19. *eod.* ex cambiali tamen negotio meras actiones directas oriri, iam ab aliis ſit obſeruatum, niſi quod contrariam mandati concedere ſoleant acceptanti, qui iam ſoluit, aduerſus traſſantem, ad repetendum id, quod vi mandati expenderit. STRYK. *de Action. caute inueſtig. Sect.* 1. *memb.* 7. §. 18. 19. 20. *p.* 148.

§. XVI.

§. XVI.

Multi contractus ad conuentiones iuris ciuilis referri nequeunt.

Non iam in alias inquiram ſententias, ita quippe comparatas, vt veluti ſua mole ruant. Potius dicam paucis, quid ſentiam. Oleum & operam perdere illos exiſtimo, qui omnia negotia hodie in vita ciuili obuia ad Iuris Romani principia exigunt. Multa quaelibet gens a maioribus veluti per manus tradita accepit: multa vſu & neceſſitatibus exigentibus a poſteris inuenta ſunt, de quibus Romani ne per ſomnium quidem cogitarunt. Tales ſunt contractus *feudales*, *cenſuales*, *adſecurationum*, *vitalitii*, *ſocidae*, *lotariae*, & ſexcenti alii, de quibus conſulto Papiniano, ſi reuiuiſceret, fatendum foret, ſibi iam de nouo ius eſſe addiſcendum. Otioſe itaque quaerunt, ad quod contractuum Romanorum genus huiuſmodi negotia referenda ſint, quum & Romanis ignota fuerint, nec ad iuris ciuilis principia ſint attemperata. GER. GOTTL. TIT. *Iur. Priu. lib.* IV. *cap.* 14. §. 1. 16. *p.* 522. 526. Talis itaque contractus & cambialis eſt, quem SHILTERVS *l. c.* & STYPMANNVS *Iur. Marit. Part.* IV. *cap.* 8. §. 42. ad nullum contractuum Iuris Ciuilis genus referri poſſe fatentur.

§. XVII.

Cambia proxime accedunt ad obligationem litteralem.

Si tamen quis ſcire cupiat, cui contractui ille accedat quam proxime: adfirmare non dubito, eum eſſe litteralem, non quidem illum Romanum, a Iuſtiniano inuentum, ſed ſingularem, & qui moribus praeter ius ciuile inualuit. Id paucis demonſtrare iuuabit. Quemadmodum contractus veri & nominati re iniri dicuntur, qui rei traditione; verbis, qui verborum ſollemnitate; conſenſu, qui ſolo in idem placitum conſenſu ſubſtantiam capiunt: ita litteralis dicitur contractus, qui litteris perficitur, ita vt nec obligatio prius, nec actio vel condictio ex chirographo naſcatur, quam datis litteris. Iis enim conſcriptis & alteri traditis ſtatim alteri actio competit, non ob numeratam pecuniam, ſed ob datas litteras. Vnde nec quaeritur, an, qui ſcripſit litteras, debeat, ſed an ſcripſerit litteras. *§. vn. Inſtit. h. t.* Poteſt quidem reus intra biennium vti exceptione non numeratae pecuniae, eiuſque tunc id priuilegium eſt, vt onus probandi in actorem deuoluat: *L.* 3. *C. de non num. pec.* ſed ipſo tamen iure ex ſolis litteris obligatus eſt reus. Alioquin enim non opus eſſet exceptione, iure ciuili tum demum opponenda, quando actio ſummo iure competit. *L.* 10. *C. pr. Inſt. de except.* Iam haec omnia cambio quadrare, nemo non intelligit. Non prius cambium dicitur contractum, quam datis litteris cambialibus. Iis acceptis, ſtatim naſcitur obligatio ad promiſſam pecuniam a tertio ſoluendam. Si ſolutio facta non fuerit, actio

inſtituitur, & quidem non ex eo fundamento, quod traſſanti numerata ſit pecunia, adeoque vere debeat, ſed quod cambium dederit. Hinc etiam in proceſſu vel lite cambiali non operoſe quaeritur, an debeat reus, ſed an cambium ſcripſerit dederitque? Quin adeo in his litteris omne agendi fundamentum conſiſtit, vt nec exceptio N. N. P. nec vlla alia admittatur, niſi in continenti demonſtretur. LVDOV. *Proceſſ. Camb. cap.* IV. Quis itaque negauerit, ex ſolis litteris naſci obligationem, adeoque cambium vere eſſe contractum litteralem? quamuis non omnia hic obſeruentur ad amuſſim, quae Iuſtinianum de contractu litterali ſanxiſſe nouimus, quippe ad naturalia magis quam ad eſſentiam huius contractus pertinentia. Sunt & alia, quae hanc ſententiam noſtram mirifice confirmant, ex quibus vel vnum videbimus. Notum eſt, teſſera cambiali per indoſſamentum in alium tranſlata, licet indoſſanti iam ſolutum ſit, & traſſatus ab illo acceperit inſtrumentum, quod vocant *einen Mortifications-Schein:* indoſſatus tamen indoſſatario nihilo minus ſoluere teneatur. Dominus de BERGER *Elect. proceſſ. exſequut.* §. LIII. Haec ſane obligatio non aliunde quam ex litteris oritur. Quod probe obſeruans TITIVS *Iur. Priuat. lib.* X. *cap.* 5. §. 53. *Ratio*, inquit, *harum aſſertionum ex eo repetenda videtur, quod ius cambiale ex litteris dependeat.* Cui & celeberrimus ICtus, Dominus BÖHMERVS, *Expoſ. de Action. Sect.* II. *cap.* IX. §. 16. *In ſcriptis*, inquit, *neceſſario hic contractus eſt ineundus, & EX SCRIPTVRA vis obligandi naſcitur, adeoque; ſi verum fateri liceat, ad* CONTRACTVS LITTERALES *hoc negotium referri poſſet.*

§. XVIII.

Refelluntur argumenta contraria. Primum.

Sunt equidem, qui ſcriptura hic contrahi negant; ſed argumentis, ſi quid video, non admodum firmis ſubnixi, & fluctus fere mouentes in ſimpulo. Primo enim aiunt, ſcripturam magis ad naturalia, quam ad eſſentiam cambii, pertinere, & ſi aliunde probari poſſit, partes conſenſiſſe, nihil eſſe cauſſae, quare obligatio non contrahatur, & detur actio. SCACC. §. I. *quaeſt.* 5. *num.* 10. RHETIVS *de Verſur. cap.* I. *Theſ.* 10. BOENIGK. *Digeſt. lib.* IV. *cap.* 29. *n.* 9. & alii. Enimuero, quamuis fateamur, & ſine litteris hoc modo contrahi poſſe, nec negemus, ex ſolo huiuſmodi promiſſo, *bey Kaufmanns-Parole*, naſci obligationem: illa tamen obligatio non eſt cambialis, ſed eius generis, quod ex omnibus conuentionibus & pactis oritur. Actio autem cambialis, *die Wechſel-Klage*, tum demum competit, ſi litterae cambiales vel teſſerae collybiſticae producantur in foro. Tunc demum parata eſt exſequutio illa promtiſſima, & arreſtum, quod vocant perſonale, quibus cam-

Digitized by Google

cambiales lites a reliquis ſeiunguntur. WILLENBERG. *de Except. dol. mal. in camb. ceſſant.* §. XVI.

§. XIX.

Deinde aiunt, ſi vel maxime litterae interueniant, non tamen abſciſſe requiri ſchedulam collybiſticam, *ein Wechſel-Brief*, ſed ſufficere etiam ſimplex chirographum, vel nudam adſignationem. FRANCK. *Inſtit. Camb. lib.* I. *Sect.* I. *tit.* 3. §. 14. *p.* 59. Sed nec id euincit, cambialem obligationem non litteris iniri. Praeterquam enim quod & chirographum in litteris exiſtat: ipſe quoque vir doctus agnoſcit, non promtiorem ex chirographo vel adſignatione naſci exactionem, quam ex aliis inſtrumentis, quae guarentigiata vocant pragmatici. Atqui ſi haec vera ſunt, vti ſunt veriſſima: quam clariſſime ſane patet, ex quocumque chirographo vel adſignatione actionem quidem dari, ſed non cambialem, adeoque hanc ex ſolis litteris cambialibus naſci, & hinc rectiſſime hunc contractum dici litteralem. *Secundum.*

§. XX.

FRANC. STYPMANNVS *in Iure Marit. Part.* IV. *cap.* 8. §. 40. *ſequ.* ideo ſcriptura cambia contrahi negat, *quod non ſoluat, qui ſcripſit, & quia ſcriptum, ſed alius, ad quem ſcriptum, & quod pecunia numerata ſit.* Sed neutrum horum verum arbitror. Non ſoluit equidem, qui ſcripſit cambium, actu phyſico: ſed quum, quod quis per alium facit, id ipſe feciſſe videatur, nemo negauerit, cum in ſenſu iuridico vere ſoluiſſe, qui ab alio ſoluit L. 56. L. 87. *ff. de ſolut.* Soluit ſane per procuratorem, id eſt, per traſſatum, cui ſolutionem mandauit. Et ſi hic non acceptat vel non ſoluit, interpoſita proteſtatione ipſe traſſans, qui cambium ſcripſit, ex cambio conuenitur & ſoluere cogitur. Nec magis deinde verum eſt, *ideo ſolui, quod pecunia numerata ſit.* Id enim ſi verum eſſet, nulla eſſet ratio, cur in cambiali proceſſu non admitttatur exceptio non numeratae pecuniae. Cur enim ſoluere cogar, quod me accepiſſe nego, ſi ideo ad ſolutionem obligor, quia accepi? Enimuero ita non ratiocinantur iudices. Solue, inquiunt, quia ſcripſiſti, te ſoluere velle, ſolue, quia agnouiſti, has litteras a te ſcriptas eſſe, ſolue, quia in iſtis faſſus es, te debere. Tuam ſtoliditatem accuſa, ſi pecunia non numerata teſſeram cambialem dediſti. Omnia itaque redeunt ad litteras. Ex his ſolis omnis obligatio cambialis, ex his ſolis actio illa tam rigida naſcitur: illae ſolae exceptiones omnes paullo altioris indaginis ipſamque exceptionem non numeratae pecuniae excludunt: *Tertium & quartum.*

manifeſto indicio, totum contractum litteralem eſſe, & vnico hoc niti obligationis fundamento.

§. XXI.

Quintum. Negotium cambiale proprie inter duas perſonas vertitur, reliquae vi mandati accedunt.

Neque nobis aduerſantur quatuor illae perſonae, inter quas cambiale negotium verſari ſupra diximus. Quamuis enim alioquin contractus litteralis inter duas perſonas ſubſiſtat: quo minus tamen in cambio quatuor occurrant, nihil prohibet. In tota enim hac negotiatione contractus principalis a minus principali accurate eſt ſeparandus. Ille inter remittentem & traſſantem initur, eumque litteralem eſſe, iam ſatis demonſtrauimus. Reliquae perſonae accedunt tamquam priorum mandatarii. Inter priores contractus perficitur: poſteriores accedunt ad eiuſdem conſummationem, vti recte obſeruauit vir doctiſſimus A. A. PAGENSTECHERVS *Admonit. ad Pand. Part.* III. §. 133. *p.* 366. Traſſans mandat acceptanti, vt ſoluat. Remittens mandat praeſentanti, vt pecuniam pro ſe accipiat. Et hinc inter remittentem & acceptantem nihil intercedit negotii; acceptans non obligatur niſi ex acceptatione, qua ſe mandatum & veluti traſſantis perſonam ſuſcipere, declaret. Ergo vi mandati tunc tenetur ad ſolutionem; aliquando & tamquam negotiorum geſtor, ſi cambium ad ſe non directum *per honore di lettera* acceptarit. Ita & praeſentans remittentis procurator eſt, ſiue in rem ſuam, ſi ipſi ſumma ceſſa ſit, ſiue in rem alienam, ſi in remittentis gratiam exigere iuſſus ſit. Quum itaque hae perſonae ſint acceſſoriae negotii, inter remittentem & traſſantem contracti, id vero ex ſolis litteris cambialibus oriatur: non ſane videtur dubitandum, quin tota illa negotiatio ad contractus litterales quam commodiſſime referatur.

§. XXII.

Litterarum cambialium forma.

Quemadmodum autem litteris ſubſtantiam capit hic contractus: ita eas etiam verbis ſemel vſu receptis conſcriptas eſſe decet. Formulae vbique occurrunt, vnde iis immorari nolumus. Id vero obſeruare viſum eſt, quaedam in iis eſſe ſuperuacua, veluti inuocationem nominis diuini, *Adio, Laus Deo*, repetitionem promiſſi in cambiis propriis, *leiſte gute Zahlung nach Wechſel-Styl, und nehme Gott zu hülfe*, valedictionem, *Gott zu Gnaden empfohlen*; quaedam neceſſaria, ita vt omitti non poſſint nec debeant. Sic e. g. omnino mentio facienda cambii, ſiue explicite: *ich zahle auf dieſen meinen Wechſelbrief*, ſiue implicite: *ich zahle auf dieſen meinen ſola, prima, ſecunda*. Omnino exprimendum, quae prima, ſecunda, tertia ſit teſſera, ſi priores datae: *der Herr zahle auf dieſen meinen* ſecunda *Wechſelbrief*, vvann prima *noch nicht bezahlt*: Memoranda

randa eſt neceſſario ſumma ſoluenda, dies ſolutionis, genus pecuniae. Denique res ipſa docet, nec ſubſcriptionem nominis, nec notationem diei & conſulem abeſſe debere. FRANK. *Inſtit. Iur. camb. Lib.* 1. *ſect.* 1. *tit.* 8. *Ordinat. camb. Elect. March. art.* 1.

§. XXIII.

Sed quaeritur, an & *valutae* facienda ſit mentio? Nos ita cenſemus. Acceptatis iam litteris nihil intereſt, valutae meminerit traſſans nec ne. Soluere enim tenetur traſſatus, non quia traſſanti numerata eſt pecunia, ſed quia acceptauit cambium, (§. XX.) adeoque haec exceptio futura eſſet de iure tertii. ZANGER *de except. cap.* XIV. *n.* 54. FRANCK. *Inſt. Iur. camb. cap.* 8. §. 9. LVDOVIC. *Proceſſ. camb. cap.* II. §. 6. At nondum acceptatis litteris omnino diſpiciendum, quid ſingulorum locorum legibus cautum. Sunt, quae valutam exprimi iubent, eamque tam neceſſario requirunt, vt alias inde non dent actionem illam rigidam cambialem. *Capit. Veſunt. cap.* XIV. *Ordinat. Mercat. Ludouici* XIV. *Reg. Franc. tit.* V. *art.* 1. *Cod. Leg. Dan. Lib.* V. *cap.* 14. *art.* 8. & 19. *Ordin. camb. March. Magdeb. Guelpherb. Halberſt. art.* 1. *Ius camb. Auſtr. art.* 11. Aliis locis non adeo neceſſaria iudicatur, veluti *in Ord. camb. Lipſ.* §. 3. & *Brunſu. art.* 28. Tutius tamen eſt, & iis locis facere mentionem *valutae*, vbi illam non neceſſariam iudicant leges publicae, quia alias oppoſita non numeratae pecuniae exceptione reus omnino audiendus eſſet, modo probationem in ſe ſuſcipere vellet. LVDOV. *Proceſſ. camb. cap.* XI. §. 29. Vnde eam ſemper vtiliter exprimi, recte monuit Illuſtris Iudicii Aulici Caeſarei Conſiliarius de BERGER *Suppl. Elect. Proceſſ. Exſec. th.* 1. *poſ.* 28. *p.* 11.

An & valutae facienda ſit mentio.

§. XXIV.

Quae quum ita ſint, definitionem cambii localis & vere talis facili negotio reperiemus. Eſt enim cambium, vti hactenus demonſtratum, contractus litteralis, quo is, qui litteras cambiales dedit, certam pecuniae ſummam, a remittente acceptam, & in litteris expreſſam, praeſentanti alio loco & ab alio ſoluere obligatur. Multa addi hic poſſent de variis cambiorum generibus, de eorumdem praeſentatione & acceptatione, denique de effectu cambiorum & rigido illo agendi modo, qui in cambiis obtinet. Verum quum hic non inſtitutiones iuris cambialis meditemur, ſed tantum quaedam de negotiationis collybiſticae natura praemittere decreuerimus: potius ad poſterius diſſertationis noſtrae caput progredimur, daturi operam, vt, quae vitia in hac negotiatione vitanda ſint, breuiter, at ſolide tamen, commonſtremus.

Cambii definitio.

CAP. II.

Digitized by Google

Cap. II.

DE CAMBIORVM VITIIS.

SVMMARIA.

§. *I. Vitium quid ſit? §. II. Eſt vel grauius vel leuius. §. III. Vel proprium vel commune. §. IV. Alia cambia ipſo iure tolluntur, alia per modum exceptionis. §. V. Vnde haec vitia? §. VI. Vitia ex perſonae conditione orta. §. VII. An minorennes cambiare poſſint? §. VIII. An feminae? §. IX. An filii familias? §. X. Vitia litterarum cambialium, ſi falſatae. §. XI. Si & cambium & ſubſcriptio falſa. §. XII. Si cambium ſubpoſititium, ſubſcriptio autem recte ſe habeat. §. XIII. An tunc locus ſit iuratae diffeſſioni? §. XIV. Quid ſi in ſubſtantialibus aliquid mutatum? §. XV. Quid ſi falſum arguatur in die ſolutionis? §. XVI. Quid ſi in accidentalibus? §. XVII. Quis damnum ex falſo cambio ferat? §. XVIII. Vitium cambii ob correalem obligationem. §. XIX. Vitium ex forma litterarum cambialium. §. XX. An indoſſari adſignatio & inde actio cambialis inſtitui poſſit? §. XXI. Vitioſum cambium, in quo cambii non ſit mentio. §. XXII. An & illud, in quo valutae mentio non facta? §. XXIII. Quo caſu inutile fiat teſſera amiſſa cambium? §. XXIV. Item omiſſa proteſtatione. §. XXV. Quid ſi proteſtatio culpa mandatarii vel notarii omiſſa? §. XXVI. An omne cambium poſſit indoſſari? §. XXVII. Vitioſum indoſſamentum in bianco. §. XXVIII. An Iudaeus Chriſtiano cedere poſſit indoſſamentum? §. XXIX. Quoties indoſſare liceat? §. XXX. Indoſſamentum a decoctore factum vitioſum. §. XXXI. An Hamburgi vitioſum indoſſamentum inſcio debitore factum? §. XXXII. Vitia cambiorum extrinſecus orta, veluti ex moratorio. §. XXXIII. Ex ceſſione bonorum & concurſu. In qua claſſe creditores cambiales? §. XXXIV. Quaedam leges creditores cambiales chirographariis praeferunt. §. XXXV. Praeſcriptio quomodo vitiet cambium? §. XXXVI. Concluſio diſſertationis noſtrae.*

§. I.

Digitized by Google

§. I.

PErſpecta cambiorum natura, non erit difficile, & vitia negotiationis collybiſticae intelligere. Quo vocabulo hic denotamus, quicquid negotiationem hanc infirmat, eique efficientiam ſuam detrahit. Quamuis enim proprie vitium ſit prauus animi habitus, qui verae virtuti & perpetuae illi ac conſtanti bene agendi voluntati opponitur: non tamen nouum eſt in iure noſtro, vt id vocabulum & ad *corpus* & ad *negotia ciuilia* referatur. Sane in Edicto Aedilitio vitium accipitur pro morbo *L.* 1. *§.* 7. *ff. de Edict. Aedilit.* quamuis ab accuratioribus ita diſcernatur a morbo, vt hic ſit temporalis corporis imbecillitas; vitium autem perpetuum corporis impedimentum. *L.* 101. *§.* 2. *ff. de V. S.* & ibi IO. GOEDD. in *Commentario* luculentiſſimo *p.* 775. GELL. *Noct. Att. Lib.* IV. *cap.* 2. Quemadmodum vero perſonis vel animi vel corporis vitia tribuuntur: ita & rebus, tum phyſicis, tum moralibus. Sic res furtiuae & vi poſſeſſae, quia vſucapione adquiri nequeunt, *vitioſae* dicuntur. *L.* 4. §. 6. *L.* 33. *pr.* §. 2. *ff.* §. 2. *Inſt. de vſucap.* Regulae iuris dicuntur *vitiari*, quum perdunt officium ſuum. *L.* 1. *ff. de R. I.* Scripturae quoque certis caſibus feruntur *vitiari L.* 94. *ff. eod.* itemque actus legitimi, quibus & *vitium adferri* legimus. *L.* 77. *ff. eod.* Quin omnia, quae nullius momenti ſunt, *vitioſa* vocantur in *L.* 29. *L.* 201. *ff. eod.* quae & inutilia adpellantur, *L.* 201. *cod. rubr. Inſt. de inutil. ſtipul.* & alibi paſſim. Et hoc quidem poſtremo ſenſu & nos hic vocabulo vtimur, vt vitium cambii nobis ſit, quidquid negotium collybiſticum reddit inutile, eique vim atque efficientiam penitus vel ex parte detrahit. *Vitium quid ſit?*

§. II.

Ex qua definitione ſimul patet, duorum generum eſſe haec cambiorum vitia. Aut enim ſunt *grauiora*, & veluti morbi ſontici, quia ita perimunt omnem obligationem, vt nulla inde actio, nulla exſequutio ſuperſit, veluti ſi praeſcriptione plane exſpirent. Aut non quidem per omnia obligationem, ſed tamen cambialem actionem exſtinguunt. Quae vitia merito *leuiora* adpellamus. Luculentum eius rei exemplum ſuppeditant *Leges cambiales Marchicae art.* 18. & *Magdeburgicae art.* 24. quibus cautum, vt cambia propria anno a die ſolutionis (*von dem Verfall-Tag*) circumacto, non retineant vim cambii, ſed chirographi vulgaris: elapſo ſeptennio plane omni obligatione & virtute priuentur (*ſolche veraltete Wechſelbriefe ſollen alsdann nicht vveiter exigibel ſeyn.*) Ex iis itaque iuribus ſeptennis praeſcriptio graue adfert vitium, annalis *Eſt vel grauius vel leuius.*

leuius & quodammodo ſanabile, quia ſaltim non omnis ex eiuſmodi cambio actio exſtinguitur. Non incommode etiam vitia quaedam ex *iure*, quaedam ex *facto* oriri dixeris. Nam vel ideo reus non ſoluit, quia nullius momenti eſt cambium, e. g. ſi praeſcriptione elanguit, vel, quia cogi ad ſolutionem nequit, quantumuis cambium ſit perfectiſſimum. e. g. ſi bonis lapſus fuga ſibi conſulat. Priori caſu ius actorem deſtituit, poſteriore impedimentum ex facto oritur.

§. III.

Vel proprium vel commune.

Deinde quum cambialis negotiatio multa cum aliis contractibus communia, quaedam etiam propria habeat: fieri ſane non poteſt, quin & cambiorum vitia in *communia* & *propria* diuidantur; quorum illa praeter cambium omnes conuentiones, haec ſolum contractum collybiſticum adficiunt. Sic ſane nullum eſt dubium, quin cambia ab infante, furioſo, mente capto data nullius momenti ſint. At idem aliis quoque pactis & contractibus omnibus accidit. *L. 40. ff. de R. I. L. 70. §. 4. ff. de fideiuſſ. L. 18. C. de iure delib.* Vnde facile patet, *commune* hoc eſſe vitium contractibus omnibus. At quando leges quaedam cambiales virtutem cambialem detrahunt teſſeris collybiſticis mulierum, quae mercaturam non exercent: LVDOV. *Proc. Camb. cap.* 1. §. 8. *ſequ. & Differt.* ſingul. *de muliere cambiante*, vel miniſtrorum Eccleſiae, *Mandat. Reg. Polon. anno* 1711. *apud Koenigkium*, vel denique ruſticorum & ciuium ex plebe vltima: *Reſcript. Friderici Duc. Saxo-Goth. anno* 1687. *apud eundem Koenigk. p.* 248. vitia haec ſint negotiationi collybiſticae *propria*, quum alias obligare ſe poſſint hae perſonae omnes, ſeque obligare ſoleant quotidie. *L. 6. C. de reuoc. don.*

§. IV.

Alia cambia ipſo iure tolluntur, alia per modum exceptionis.

Quemadmodum porro aliae etiam obligationes vel *ipſo iure tolluntur*, vel *per modum exceptionis:* VINN. *ad tit. Inſtit. Quib. mod. toll. oblig.* ita idem contingit cambiis. Sunt vitia, quae *ipſo iure* omnem eorum obligationem perimunt v. g. ſi ſumma in cambio non ſit expreſſa, ſi ſubſcriptio deſit, ſi traſſantem eo tempore impuberem, furioſum vel mente captum fuiſſe conſtet. Contra ſi recte ſe habeant omnia, & tamen dolus malus traſſantis, ſolutio, compenſatio in continenti poſſint demonſtrari: exceptionibus his cambium vitiabitur. Quo & reſtitutionem minorum referes. Eam enim nec in negotio collybiſtico denegare ſolent iura minoribus, ſi laeſio probetur. MEV. *ad Ius Lubec. lib.* III. *tit.* 6. *art.* 21. *n.* 26. REMER. *de ver. obligat. valore. Sect.* II. *cap.* 13. §. 14. niſi mercaturam exerceant. His enim ſolis omnem ſpem reſtitutionis intercludunt iura

iura cambialia pleraque, modo vel annum aetatis vigeſimum ſuperarint. *Ord. Merc. Ludouici* XIV. *Reg. Franc. Tit.* I. *art.* 6. *Ius Camb. Halberſt. & Magdeburg. art.* 5. vel vigeſimum primum, ſecundum. *Guelpherb. art.* 5. *Brandeb. art.* 5. Quamuis aliae leges nullum plane annum definiant. *Ius Camb. Lipſ.* §. 2. *Dantiſcan. art.* 39.

§. V.

Denique vt aliae aliorum morborum cauſſae ſunt: ita & vitiorum cambialis negotiationis non omnium eadem origo eſt. Commodiſſime tamen ea vitia vel ex *perſonis* contrahentibus, vel ex *litteris* cambialibus, vel ex earum *praeſentatione* & *ceſſione* ſeu *indoſſamento*, vel denique *extrinſecus* ex aliis cauſſis emergentibus deriuantur. De quibus ſingulis pauca monere iuuabit. *Vnde haec vitia?*

§. VI.

Quod ad *perſonas* attinet, earum conditio non raro hanc negotiationem vitiare videtur. Quum enim cambium ſit contractus, & quidem talis, qui ad litteralem proxime accedit, nullum quidem dubium eſt, quin eadem hic valeant, quae de reliquis conuentionibus iura ſanciunt, adeoque, quiſquis poteſt acquirere, is & cambio ſibi alium iure obſtringat, & quicunque ſe valide obligat, is & cambium dare, eoque ſe aliis obſtringere poſſit. FRANCK. *Inſtit. Iur. Camb. L.* I. *Sect.* II. *tit.* 9. §. 3. 4. Attamen praeter illas perſonas, quas paciſci poſſe vel non poſſe ex iure notum eſt, veluti furioſos, mente captos, infantes, prodigos, infantiae & pubertati proximos, aliae quoque ſunt, quas leges vel patiuntur cambiare vel prohibent, quarumque cambia vel grauiore vel leuiore vitio laborare nouimus. *Vitia ex perſonae conditione orta.*

§. VII.

Primo enim nullum eſt dubium, quin minorennes, qui ſine curatore contrahunt, ſaltim ſecundum mores vbique receptos ciuiliter hodie haud obligentur, quamuis obligari omnino videantur iure Romano. *L.* 101. 141. §. 2. *ff. de V. O.* HVBER. *Praelect. ad Inſt. de inutil. ſtip.* §. 11. *ſequ.* Quid vero de cambiis? an & illa vitioſa ſunt, ſi a minore vel traſſantur vel acceptantur? Non hic per omnia conſpirant diuerſarum prouinciarum leges. Irrita huiuſmodi cambia eſſe iubet *Ius Cambiale Guelpherb. art.* 5. & *Ordin. Camb. Hamburg. art.* 49. Id quod ideo procul dubio ita prouiſum in patria hac mea ſuauiſſima, quia ibi anno decimo octauo elapſo maiorennes cenſentur adoleſcentes, *Stat. Hamb. Part.* I. *tit.* 8. *art.* I. & *tit.* 9. *art.* I. ante quod tempus non temere mercaturam quis ſuis auſpiciis exercere ſolet. Alibi fere diſtinguitur, mercaturam *An minorennes cambiare poſſint?*

exerceant minores, nec ne. Priore caſu alibi perinde eſſe cenſetur, cuiuſcumque aetatis ſint, qui negotiantur. Omnes enim promiſcue rigori legum cambialium ſubiicit *Ius Cam. Lipſ.* §. 2. *Dantiſcanum art.* 39. *Pruſſ. art.* 35. *Wratislau. nou. art.* 1. *Auſtriac. art.* 7. At aliis locis paullo benignius agitur cum minoribus etiam negotiantibus. Sane in Marchia Brandenburgica & Ducatu Magdeburgenſi ius commune & in cambiis ſeruatur, adeoque illis ſine curatorum conſenſu ſe valide non obligant minores. Id unum ſingulare eſt, quod ibi paullo citius maiorennes cenſeantur mercatores cambiantes, in Marchia nimirum anno XXI. in Ducatu Magdeburgico anno XX. elapſo. *Ius camb. March. art.* 6. *Magdeb. art.* 5. Vbi nihil ſimile cautum: procul dubio ſeruandum erit ius commune, quod minoribus, quocunque modo laeſis, dat in integrum reſtitutionem, adeoque cambia minorum infirmat ac reſcindit.

§. VIII.

An feminae? Idem fere de feminis dicendum, quarum cambia facile vitioſa redduntur, & magnum detrimentum adferunt, ſi promiſcue ab illis accipiantur. Diſtinguendum nimirum eſt, vtrum ſe primario obliget femina, an pro alio intercedat. v. g. cambium ab alio traſſatum acceptando, mariti cambio ſubſcribendo. Vtroque caſu denuo intereſt, mercatrix ſit femina, an alterius conditionis. Si mercatrix ſit, nullum eſt dubium, quin rigor is cambialis locum habeat, ſiue ſe primario obligauerit, ſiue interceſſerit pro alio. Nam quod ad prius attinet, omnia iura cambialia mercatricem cambiare permittunt. *Ius Camb. Lipſ.* §. 2. *Ius camb. Auſtr. art.* 7. *Wratislau. art.* 2. adeo, vt nonnullis locis ſufficere credatur, ſi vxor mariti negotiationi praeſit, quamuis ſuis auſpiciis mercaturam non exerceat. *Ordin. camb. Numburg. Pruſſ.* §. 35. *Dantiſc.* §. 38. Nec de poſteriore poteſt dubitari, quum vbique vigeat ea conſuetudo, vt mulieres mercatrices vti non poſſint beneficio SC. Velleiani, in rebus ad mercaturam ſpectantibus, HERING. *de fideiuſſ. cap.* VII. *n.* 406. MEV. *ad ius Lub. lib.* I. *tit.* X. *art.* I. *n.* 76. STRYK. *Vſ. Mod. Digeſt. lib.* XVI. *tit.* I. §. 6. GROENEW. *ad pr.* C. *de SC. Vell.* quamuis in Friſia, vbi purum ius Romanum in foro regnat, aliter ſe rem habere doceat ICtus celeberrimus VLR. HVBER. *Prael. ad Pand. tit. de SC. Vellei.* §. 13. At ſi mercaturam non exerceat femina: dupliciter contingere poteſt, vt eius cambium ſit vitioſum & inutile. Primum, ſi femina intercedat pro aliis, cambium acceptet, mariti cambio ſubſcribat. LVDOV. *Diſſ. de mul. camb.* §. 14. RIVIN. *Enunc. tit.* I. *L.* 16. *p.* 149. 150. deinde ſi leges prouinciales vel ſtatutariae mulieres perpetuae curatelae ſubiiciant, & cambium ſine curato-

rum

by Google

rum ſubſcriptione & conſenſu datum ſit. Quemadmodum enim priore caſu in promtu feminae erit exceptio SC. Velleiani & *Authenticae ſi qua mulier C. de SC. Vellei.* niſi his iuribus ea, qua par eſt, ſolemnitate renunciarit: KOENIGK. *ad Ord. camb. Lipſ.* §. 2. *not.* 2. ita poſteriore cambium nullius erit momenti. LVDOV. *dicta diſſert.* §. 16. & 24. *Ius camb. Numb. apud Koenigk. p.* 243. Paucae enim ſunt leges cambiales, quae promiſcue omnes mulieres rigori iuris Cambialis ſubiiciunt, veluti *Brunſuicenſes art.* 16. olim etiam *Marchicae & Magdeburgicae*, quas tamen nouis reſcriptis mutatas eſſe docet B. LVDOV. *Proc. camb. cap.* 1. §. 10. 11.

§. IX.

Praeterea etiam cambium a filiofamilias traſſatum vel acceptatum vitioſum habetur: ſi ſiccum adpareat, id eſt, ſi re ipſa ſit cambium proprium, & tantum traſſati ſpeciem prae ſe ferat. Adeoque multo magis vitioſum erit ipſum cambium proprium, quod illo pallio veſtitum non eſt. Vti enim prius vitium non ſemper incurrit in oculos, ſed altioris indaginis habetur: ita poſterius manifeſtum eſt, & ex ipſis litteris collybiſticis ſtatim pateſcit. Quis vero dubitet, quin ſit mutuum palliatum, ſi filiusfamilias proprio cambio ſe obſtrinxerit? BERGER *Suppl. Proceſſ. Execut. ad theſ.* 50. §. 12. VOIGT. *de Camb. theſ.* 5. Quis dubitet, quin ita fraus facta SCto Macedoniano, eaque exceptio obfutura ſit creditori, ex cambio agenti. *L.* 3. §. 3. *ff. L.* 7. §. 3. *ff. de SCt. Maced.* REMER. *de ver. obligat. valor. ſect.* 11. *cap.* 13. §. 18. Sane id adeo verum eſt in Saxonia, vt ibi ne iuratum quidem cambium ſubſiſtat, quo ſe filiusfamilias obſtrinxit. BENED. HIER. DICEL. *de Camb. traſſatis* §. 6. Attamen quum & iure communi SCti Macedoniani exceptio ceſſet, ſi pater ſciuerit, filium negotiari, vel id ei permiſerit, vel non nominatim prohibuerit. *L.* 7. §. 11. *ff. de SCt. Maced.* pleriſque fere cambialibus legibus cautum eſt, vt iſti exceptioni locus tantum ſit aduerſus cambia filiorumfamilias, qui mercaturam non exercent. Mercatores enim etiam in patria poteſtate conſtitutos ex cambiis ſuis, ſiue traſſatis, ſiue propriis, omnino obligari, fere vbique creditur. *Ius camb. Dantiſc. art.* 39. *Marchic. art.* 6. *Magd. art.* 6. *An filii familias?*

§. X.

Vitia haec, de quibus diximus, ex perſonarum qualitate reſultant. Non pauciora ex ipſis litteris naſcuntur, ſi ſtilo, quem vocant, cambiali repugnent, vel aliud quid iis accidat, quod doli ſuſpicionem haud leuem iniiciat. Vt ab hoc poſtremo vitio ordiamur, illud in iure vocatur *falſum*, cuius tot ſunt ſpecies, vt vel *Vitia litterarum cambialium, ſi falſatae.*

 earum

earum numerum inire videatur difficillimum. Quum enim ingenioſa eſſe ſoleat improbitas in eludendis legibus: quotidie fere noua ſe offerunt *εὑρήματα*, callide excogitata; ſed tanto digniora poenis, quanto ſunt ingenioſius reperta. Nos tamen ea ita partimur, quod aliquando totum cambium falſum ſit & ſuppoſititium, aliquando ſubſcriptio recte ſe habeat, teſſera autem collybiſtica [illegible] vitio laboret, aliquando aliquid vel additum vel eraſum dicatur. Omnia haec vitia ſunt, & quidem ſontica ac grauiſſima, ſed tamen non omnia eiuſdem effectus habentur.

§. XI.

Si & cambium & ſubſcriptio falſa.

Aliquando totum cambium ſuppoſititium & falſum eſſe dicitur, quod potiſſimum contingit, ſi falſarius alienam manum mentitur, & ſic cambium ſupponit alteri, qui de eo numquam vel per ſomnium cogitauit. Nullum eſſe huiuſmodi inſtrumentum nemo negauerit. *L.* 20. *C. de fid. inſtr. Nou.* LXXIII. *cap.* 7. At quum haec fraus plerumque non pelluceat, adeoque hoc vitium non ſemper ſit viſibile, ſed altioris indaginis: quaeritur, an ſtatim is, qui negat, ſe hoc cambium ſcripſiſſe vel dediſſe, ad iuratam diffeſſionem admittendus ſit? Idque ſine dubio adfirmandum. Primo enim id commune habent proceſſus exſequutiuus & cambialis, vt reus aut recognoſcere teneatur inſtrumentum totum, aut diffeſſione iurata elidere. Eaque electio ipſi adimi nequit, quando totum inſtrumentum falſum eſſe contendit. Deinde nec comparationi litterarum hic locus eſt, vbi fatetur reus litteras ſuis eſſe ſimillimas, ſed ſuas tamen eſſe negat, quia id remedium tamquam altioris indaginis pertinet ad proceſſum ordinarium, & tum demum habet locum, ſi inſtrumenta producantur, ad probationem vel reprobationem, non, ſi exſequutiue agatur. Suendendorff. *ad Fibig. p.* 739. *n.* 362. Adeoque nullius momenti erit huiuſmodi cambium, ſi iuret reus, *daſs er es vveder ſelbſt geſchrieben, oder unterſchrieben, (vel acceptiret) noch durch andere ſchreiben oder unterſchreiben (acceptiren) laſſen, er ſey auch die darinnen enthaltene* Poſt Imploranten *nicht ſchuldig.*

§. XII.

Si cambium ſuppoſititium, ſubſcriptio autem recte ſe habeat.

Paullo durior eſt rei conditio, ſi fateatur, ſuam eſſe ſuſcriptionem, cambium autem ab aliena manu ſe inſcio chartae illitum eſſe. Cuius rei triſtia exſtant exempla. Retulit mihi ICtus eximius, Iudaeum produxiſſe cambium, cuius ſubſcriptionem ſuam eſſe diffiteri non potuerit mercator, qui tamen ſtatim ex lineis chartae inductis oſtenderit, chartam hanc ſe abſente ex libro ſuo mercatorio, cuius primae paginae nomen ſuum inſcripſerit, eſſe euulſam

& a Iudaeo callide huic negotio adhibitam. Saepe etiam accidit, vt charta pura (*ein Blanquet*) nomine alicuius ſignetur, eaque aliis deſtinata vſibus, deinde improbus homo abutatur ad cambium alteri ſupponendum; maxime ſi non adſcriptum ſit, cui vſui inſeruire debeat charta. e. g. *Blanquet zur Vollmacht für Herrn* Maeuium *in meiner vor den Hamburgiſchen Gerichten obſchvvebenden Sache.* Huiuſmodi quoque cambium nullius momenti eſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt: ſed non aeque expeditum, an & hic, vt ſuperiore caſu, reus promiſcue ad iuratam diffeſſionem admittatur?

§. XIII.

An reo locus ſit iuratae diffeſſioni?

Mihi omnino diſtinguendum videtur, vtrum nullum ſit reo, niſi in negatione ſua, praeſidium, an in praeſenti indicium aliquod falſi adſit, quod non iniuſtam ſuſpicionem poſſit excitare; qualia plura recenſet EVERAD. *de fide inſtrum. cap.* V. *n.* 54. *ſequ.* RVLAND. *de Commiſſar. Part.* II. *Lib.* 5. *cap.* 29. MASCARD. *de Probat. Concl.* 257. Si prius: abſonum eſſet, admittere reum ad iuſiurandum, quum ita nihil procliuius futurum eſſet hominibus improbis, quam ſubſcriptionem ſuam agnoſcere, inſtrumenta negare, & creditori verba pro nummis dare. LVDOV. *Proc. camb. cap.* IX. §. 5. *ſeq.* Quod & tunc dicendum, vbi quidem ſuſpicionem falſi iniicit reus, eiuſue fundamentum adfert probabile, nec tamen id in continenti poſſit demonſtrare. Hinc quum mercatori ex cambio Hamburgi die 7. Dec. ſcripto agenti a reo obuerteretur exceptio falſi, eiuſque fundamentum in eo poneretur, quod eo die Hamburgi non fuerit, idem refert Dn. LVDOVICI *cap.* IX. §. 7. latam eſſe ſententiam a Scabinis Lipſienſibus, *cambium habendum pro recognito, & ſummam* 365 *imperialium ſoluendam cum expenſis, exceptionem autem reiiciendam eſſe in reconuentionem.* Cuius ſententiae non alia erat ratio quam quod fundamentum iſtud ſeu indicium falſi non ſtatim incurreret in oculos, ſed altioris indaginis videretur. Contra quum W. I. contra F. B. ageret, & ex cambio exigeret 561 imperiales, reus autem obiiceret, litteras iſtas cambiales ſe inſcio eſſe inſcriptas chartae purae (*einem Blanquet*) alii negotio deſtinatae, idque in continenti ex eo demonſtraret, quod ſigillum impreſſum eſſet, quum id cambiis imprimi non ſoleat. itemque quod ſcribae ſuo huiuſmodi chartam puram alii negotio deſtinatam tunc temporis dederit: pronunciatum ab iiſdem Scabinis, *a reo aut agnoſcendum documentum, aut iurata diffeſſione elidendum eſſe.* Idem *ibid.* §. 6.

§. XIV.

§. XIV.

Quid ſi in ſubſtantialibus aliquid mutatum?

Quoties aliquid additum aut eraſum eſſe dicitur, denuo diſpici ſolet, primum, an id in oculos quodammodo incurrat, adeoque in continenti poſſit demonſtrari, nec ne; deinde, vtrum in ſubſtantialibus, an in accidentalibus aliquid mutatum videatur. Ad ſubſtantiam imprimis ſumma vel pecuniae debitae quantitas pertinet, quae ideo a cautioribus & cifris & litteris exprimi ſolet, vt eo minus falſariorum artificio locus ſit. Et tamen aliquando illa ſumma mutatur, maxime ſi notata tantum, non perſcripta ſit. Tunc quidem, ſi res quodammodo incurrit in oculos, vitioſum omnino cenſetur cambium, nec prius ex eo agi poteſt, quam iſta falſi ſuſpicio fuerit eliſa. Falſi conuicto actore, reus procul dubio ne iurato quidem diffitetur cambium, ſed pure abſoluitur merito. Exemplum eius rei luculentum eſt apud virum doctiſſimum Q. Sept. Florentem Riuinum *Specim. Except. forenſ. cap. vlt. n.* 4. Ancilla quaedam producebat cambium, ex eoque petebat 500 imperiales. Rei opponebant exceptionem falſi, quia ad oculum pateret, expreſſam initio fuiſſe ſummam 50 imperialium, poſtea autem additam nullam, atramento paullo nigriore. Quin oſtendebant, duas nullas quodammodo eſſe delineatas, quamuis altera imperfecta ſit, adeoque aeque facile ex falſo hoc inſtrumento 5000 quam 500 poſſe peti. Denique addebant, ne veroſimile quidem fieri, ancillam domino tantam ſummam credere potuiſſe. Quum itaque priora indicia in oculos quodammodo incurrerent, pronunciatum a Scabinis Lipſienſibus, *quod contra D. S. V. actricem inquirendum ſit de falſo, & interea proceſſus cambialis interquieſcere debeat.* Male quidem eo tempore reis ceſſit illa inquiſitio, actrice demum ad iusiurandum purgatorium admiſſa. Si tamen vel confeſſa vel conuicta fuiſſet, procul dubio abſoluendi fuiſſent rei.

§. XV.

Quid ſi falſum arguatur in die ſolutionis?

Quid vero, ſi falſum non occurrat in loco ſuſpecto, ſed in aliis cambii partibus? Tunc nullam eſſe huius exceptionis efficaciam omnes fatentur. FARINAC. *Part.* VI. *Quaeſt.* 153. *n.* 5. 36. 51. 71. MEV. *Conſil.* 72. *n.* 6. 4. Quod tamen cum grano ſalis videtur accipiendum. Si enim durior ea deprauatione fiat rei conditio: nullum eſt dubium, quin idem obtineat, quod ſuperiore paragrapho diximus. Sic e. g. ſi ad oculum pateat, in cambio ſcriptum fuiſſe: *den* 12. Maii 1727. *zahle auf dieſen meinen Sola Wechſel-Brief die Summa von* 2000 *Gulden*, & poſtea numerum anni ita mutatum: *den* 12. Maii 1726. *zahle* &c., magnum reo praeiudicium adfertur,

Digitized by Google

fertur, quum, antequam dies venit, conueniatur. Itaque exiſtimauerim, aeque hoc caſu locum fore inquiſitioni de falſo, quieſcente interim actione cambiali. Quamuis enim in loco minus ſuſpecto mutatio facta dicatur: tamen iam ſuperiori capite oſtendimus, diem ſolutionis omnino ad ſubſtantiam cambii pertinere.

§. XVI.

Quid ſi falſum arguatur in accidentalibus?

Aliud dicendum, ſi in ſolis accidentalibus cambii partibus falſum occurrat, & reus inde nihil capiat detrimenti. Tunc enim reus condemnari ſolet, quia nec cambium a ſe datum negat, nec debitum inficiatur: contra actorem tamen merito decernitur inquiſitio de falſo. Elegans hanc in rem praeiudicium mecum communicauit ICtus eximius. Iudaeo Halberſtadienſi a viro quodam illuſtri traditae fuerant litterae cambiales ſuper 275 imperialibus. Eae in numero ſingulari conceptae fuerant: *den ..... zahle ich auf dieſen meinen Sola Wechſel-Brief die Summa von Reichs-Thaler* 275. Iis autem praeter debitorem principalem ſubſcripſerat C. C. E. quam ſubſcriptionem iure cambiali loco *aualli* vel fideiuſſionis eſſe, ſupra iam monuimus. Iudaeus autem pro *Ich* reſcripſerat *Wir*, pro *mein*, *unſer*, & in fine addiderat verba: *Vnd vvollen vvir in ſolidum dazu beyderſeits verpflichtet ſeyn.* Debitore principali bonis lapſo, cambium per notarium offerebatur fideiuſſori C. C. E. qui reſpondit, paratam quidem iam & ſepoſitam fuiſſe pecuniam Iudaeo deſtinatam, ſed quum videat, litteras doloſe eſſe deprauatas: ſe ad ſolutionem haud obſtrictum ſibi videri. Cauſſa in iudicium deducta, abſoluebatur C. C. E. reus, quia falſum tam erat manifeſtum, vt in oculos incurreret. Iudaeus nullitatis arguebat ſententiam, actiſque ad Ordinem ICtorum Halenſium transmiſſis ſequuta eſt ſententia nomine Regis potentiſſimi concepta: *Nunmehro aus den Acten ſoviel zu befinden, daſs Implorat die Wechſel-Schuld der 275. Reichsthaler Einvvendens ungeachtet zu bezahlen ſchuldig. So viel aber das angegebene falſum betrift; Würde Implorat ſchvveren, daſs in dem Wechſel-Brief die Weränderung der Worte, Ich und Mein, ohn ſein Wiſſen vvürcklich geſchehen, und die am Ende befindliche clauſul eigenmächtiger Weiſe dazu geſchrieben vvorden: ſo iſt alsdenn unſerm Fiſco vvegen des begangenen falſi ſeine zuſtehende iura vvieder den Iuden zu beobachten nochmals billig aufzugeben. V. R. W.* Rationes dubitandi & decidendi, a nobis latinitate donatae, tales erant. Quamuis Imploratus ideo, quod cambium in pluribus paſſibus mutatum ipſaque clauſula, *Vnd vvollen vvir in ſolidum dazu beyderſeits verpflichtet ſeyn*, ſe inſcio inſerta ſit, exiſtimet, ſe ob *L. 2. 4. ff. de*

prob. neque ad recognoſcendum documentum falſum & adulteratum, neque ad ſoluendos 275. imperiales obſtrictum eſſe; quamuis etiam Iudaeus, ſe conſcio vel occaſionem dante, hanc mutationem eſſe factam conſtanter neget, & vrgeat contra, eam a famulo ſuo Aaron Samſon ex imprudentia magis, quam doloſe, factam oportere, & hinc ob nudam praeſumtionem ſine liquida probatione indicium falſi nullum adeſſe, ob quod a Procuratore fiſci adcuſari poſſit per *L.* 14. *C. de falſ.*: Attamen quia Imploratus, quod cambium hoc ante hanc mutationem Iudaeo datum ſubſcriptione ſua firmarit, inficiari non poteſt: huiuſmodi ſubſcriptio autem cambii alieni ſecundum iura collybiſtica inuoluat auallum, vi cuius ſubſcribens ſe cambii poſſeſſori legitimo ad ſolutionem iure cambiali exigendam obligat, reſeruato ſibi aduerſus debitorem principalem regreſſu. LVDOVICI *Proc. camb. p.* 123. *&* 151. & *Diſput. de mul. camb. §.* 29. Quia etiam idem imploratus *fol. Act.* 4. dum Notario dixit, paratam iam fuiſſe pecuniam Iudaeo deſtinatam, veritatem huius debiti cambialis non obſcure agnouit. Quo caſu ſane iniquum eſſet, ob mutationem in cambio factam, & quam non factam eſſe, reipublicae magis quam priuati intereſt, ſummam debitam ſoluere detrectari. Quia denique, quod ad falſum attinet, Iudaei negationi ſoli non multum tribuendum, idque in ſe poena digniſſimum & a Procuratore Fiſci omnino vindicandum videtur, maxime ſi in poſterum cauſſa cognita pateſcat, eum, qui cambium mutauit, clauſula ſub finem adſuta intendiſſe, vt C. C. E. loco fideiuſſoris fieret correus, eique regreſſus aduerſus debitorem principalem intercluderetur, ad quam inquiſitionem tamen fiſcalem nondum in promtu eſſe indicium legitimum; niſi Imploratus adſerta ſua iureiurando firmaret: non potuimus non, prout ſententia prae ſe fert, iudicare.

§. XVII.

Quis damnum ex falſo cambio ferat?

Ita falſum vitiat vel non vitiat cambium, ſi quaeſtio incidit, ſumma ſoluenda ſit nec ne? At quum quatuor perſonae ordinarie intercedant in cambio traſſato: alia inde naſcitur quaeſtio, quis damnum inde emergens ferat? Sic poteſt ſane contingere, vt Titius Maeuio debeat mille, & Iauolenus falſarius offerat Titio cambium, quod Maeuii nomen praefert, quoque Maeuius iuſſiſſe fingitur, vt mille ſoluantur Iauoleno. Cui quaeſo nummi pereunt? Cui, niſi domino? qualis hic fingitur Maeuius, ſimul ac Titius bona fide ſoluit. Hinc ſoluens abſoluendus procul dubio, ſiue falſarius totas litteras collybiſticas praeter ſubſcriptionem confixerit, ſiue verarum poſſeſſionem nactus ſe pro praeſentante geſſerit, modo

do a ſoluente abſit omnis fraudis ſuſpicio, vel culpa plene vacet, neque vllius argui poſſit negligentiae. *L.* 13. *C. mand.* Ita iudicatum refert SCACC. *de Commerc. & Camb.* §. 11. *Gloſſ.* 5. *n.* 342. quocum iungi poſſunt SPERAND. *Negot. & Campſ. Induſtr. p.* 11. REMER. *de ver. obligat. val. ſect.* 11. *cap.* 13. §. 68. MEV. *Decif. Part.* V. *Dec.* 175. *n.* 6. Idem dicendum, ſi genuinas litteras deperditas falſarius inuenerit, & ſe pro praeſentante in cambio geſſerit, ſi & hoc caſu ſoluenti nulla culpa poteſt imputari. FLECK. *Bibl. Iur. Ciu. cap.* 14. *lib. III. Tit.* 5. *n.* 25. quamuis hic non tam in litteris, quam in perſona falſum reperiatur. Haec de eo caſu, vbi ſubſcriptio vera Maeuii adeſt, vel verum cambium ab eo datum in falſarii manus incidit. Quod ſi contra falſarius traſſanti plane ſubiecerit cambium, vel eius nomen finxerit: acceptans ſuo periculo ſoluit, nec aduerſus traſſantem, ſed aduerſus falſarium habet regreſſum. HEYDIG. *cap.* 14. *p.* 127. Nec intereſſe videtur, falſum ſit apertum, & in oculos incurrat, an artificioſius & parum manifeſtum. Nulla enim ratio eſt, cur vel remittens vel traſſans damnum ferat, quum neuter cum ſoluente contraxerit, neque vmquam eum ſoluere iuſſerit. *L.* 34. §. 4. *ff. de ſolut.*

§. XVIII.

Aliquando porro vitioſa fiunt cambia, quibus correalis obligatio introducitur, ſi correi non omnes ſubſcripſerint, & alia perſona acceſſerit, quae non eo animo ſubſcripſit, vt obligaretur, ſed vt ſatisfaceret officio. Dubitatio tunc naſci ſolet, an id vitium ſit ita comparatum, vt auertat cambii recognitionem? Denuo reſpondendum, huic exceptioni in proceſſu cambiali locum non eſſe, niſi vel in oculos incurrat vitium, vel reus praeſumtione haud leui adiuuetur. Eidem, quem paullo ante laudaui, viro doctiſſimo acceptum fero caſum, ex quo, quid mulieris poſſit calliditas, intelligitur. Mulier quaedam ſatis, vt tum videbatur, opulenta, A. E. K. a D. S. aliquot millia mutua acceperat, & pacta fuerat cum creditore, ſe & cambium proprium daturam, & a duobus filiis maiorennibus I. V. K. & A. K. impetraturam, vt tanquam correi ſe obligarent. Concipiebatur itaque cambium nomine trium correorum: *Künfftig-zahlen vvir drey vor einen, und einer vor drey, und alſo in ſolidum die Summa:* ſubſcribebat filius natu maior I. V. K. quum autem, vt ſupra diximus, in ducatu Magdeburgico mulier, quae non exercet mercaturam, curatorem adhibere teneatur: mittebat litteras ad curatorem ſuum N. S. qui & ipſe ſubſcribebat hac formula: N. S. *curatorio nomine der Fr. A. E. B. vervvittvveter K.* Eo facto cambium tradebatur D. S., cuius filiam filius natu minor

Vitium cambii ob correalem obligationem.

 nor

Digitized by Google

nor A. K. paullo poſt vxorem ducebat. Tantum vero abeſt, vt & is ſubſcriberet, vt potius D. S. cambium hoc indoſſaret, & poſt ea tota illa familia debitrix bonis laberetur. Indoſſatarius itaque actione cambiali pulſabat Curatorem S. tamquam correum, qui ab incluto ICtorum Halenſium Ordine petebat conſilium, an exceptione tutus ſit aduerſus indoſſatarium? Et ſane ſi dicendum, quod res eſt, vix dubitandum videtur, quin ad recognoſcendum condemnari potuerit reus. Cambium enim diſerte mentionem faciebat trium correorum: tres autem ſubſcripſerant, A. E. K. I. V. K. N. S. Deinde quamuis N. S. adſcripſiſſet, ſe ſubſcribere curatorio nomine *der Frau A. E. K.* nihil tamen noui videbatur, eumdem & tamquam curatorem, & tamquam correum ſubſcribere. Denique exceptio rei in eo conſiſtebat, quod tertii correi ſubſcriptio dolo vel matris vel creditoris D. S. tamquam ſoceri eius, fuerit omiſſa. Sed hoc non conſtabat ex cambio, adeoque altioris indaginis videbatur. At non leues tamen doli erant praeſumtiones. N. S. enim ſubſcripſerat curatorio nomine, idque expreſſe adiecerat nomini ſuo: correalis autem obligatio non praeſumitur, ſi alia obſtet praeſumtio fortior. Deinde acceptatio facta erat his verbis: *An uns* A. E. K. & I. V. K. Curator autem cambium non ſimul acceptauerat, ex eoque videbatur manifeſtiſſimum, illum non tamquam correum, ſed ex officio tamquam curatorem ſubſcripſiſſe. FRANK. *Inſt. Iur. Camb. lib.* II. *Sect.* IV. *tit.* 4. §. 4. BERGER. *Elect. Diſcept. for. Tom.* I. *p.* 801. Denique illum Ordinem conſultiſſimum non parum mouebant praeſumtiones, contra D. S. tertii correi ſocerum, ipſamque eius matrem A. E. K. militantes, cui ex re lautiſſima intra breue tempus nec res nec fides ſupererat. Et hinc non dubitauit tum pro Curatore reſpondere. Quem vero euentum res habuerit, neſcio: niſi quod & indoſſatarius poſtea idem fatum expertus & bonis fere lapſus, paullo ſegnius rem dicatur vſiſſe.

§. XIX.

Vitium ex forma litterarum cambialium.

Quae hactenus exſequuti ſumus, vitia fere ad falſi crimen vel ſtellionatum referas. Sunt tamen & alia, quae ex ipſa litterarum formula & conceptione reſultant. Sane aliquando creditor vel indoſſatarius exiſtimat, ſibi in manu eſſe cambium, quum non niſi aſſignationem poſſideat. Eius vero natura a cambio quam diuerſiſſima eſt, quum in eo tantum conſiſtat, vt vnus mandet duobus, alteri, vt ſuo nomine ſoluat, alteri, vt ab hoc accipiat. *L.* 27. §. 2. *ff. de legat.* 3. STENGER. *de Aſſignat. mercat.* §. 1. Vnde primus, qui mandat, vocatur *adſignans*, *der Adſignant*, *der Ausgeber*. STENGER. *ibid.*

Digitized by Google

ibid. p. 3. alter, qui pecuniam accipit, *Adſignatarius, der Innhaber.* STRYK. *Diſſert. de iure adſignat. inter mercat. in Vſu Digeſt. tit. de hered. vel act. vend.* §. 29. & is denique, qui ſoluit, *adſignatus* vocari ſolet. *Ord. Camb. Dantiſc. art.* 1. Ea vero tota a cambio differt. Nec enim adſignatio adſignantem liberat, quamuis ab adſignatario acceptata. FRANCK. *Inſt. Iur. Camb. lib.* 1. *Sect.* III. *tit.* 9. §. 9. & ſemel facta poteſt reuocari, niſi adſignatarius adſignantis creditor ſit. STRYK. *l. c.* §. 51. nec denique rigori actionis cambialis ſubiecta eſt, nec aliis cambii effectibus gaudet.

§. XX.

Belliſſimam ſpeciem idem, quem ſaepe laudaui, vir doctus mihi ſubminiſtrauit. Mercator in Luſatia G. Q. alteri C. B. litteras dederat, quibus D. Q. mercatorem Vratislauienſem juſſerat ſoluere. Hae tales erant: *An indoſſari adſignatio & inde actio cambialis inſtitui poſſit?*

Zvvey Monath nach dato geliebe Herr D. Q. in Breslau gegen dieſe meine adſignation ohne acceptation an Herrn C. B. oder Ordre Reichsthaler 800 *zu bezahlen. Es ſoll mich validiren. Lôbau, den* 18. *Mart.* 1719.

rthlr. 800 *in* 7 *&* 17. x

G. Q.

Paullo poſt C. B. adſignatario bonis lapſo, adſignans adſignatum D. Q. per litteras ſoluere vetuerat. Decoctor tamen C. B. interea hanc adſignationem *indoſſauerat in bianco.* Vnde I. G. v. W. tanquam indoſſatarius, illam veluti cambium Adſignato obtulit, & repulſam paſſus proteſtationem interpoſuit, ac denique actionem cambialem aduerſus Adſignantem G. Q. inſtituit. Quaerebatur, an locus eſſet actioni cambiali, & an excluſis exceptionibus, litis ingreſſum impedientibus, reus ad recognoſcendam illam chartam eſſet obſtrictus? Idque rationibus ſolidiſſimis ſuffultus negabat inclutus ICtorum Hal. Ordo, quorum reſponſum operae pretium fuerit integrum inſerere: *Ob nun vvohl* 1, *die Rechte vermògen, daſs bey contracten die in loco contractus übliche Rechte zu beobachten, vvelches allhier aus dem fundament, quod ibi quis contraxiſſe videatur, vbi ſolutio facienda,*

L. 21. *ff. de O. & A.*

Colleg. Arg. ad tit. ff. de iud. n. 2. 31.

die Stad Breſlau zu ſeyn ſcheinet, als vvoſelbſt die aſſignirten 800 *Reichsthaler vermôge der ausgeſtellten aſſignation bezahlet vverden ſollen. Vnd aber* 2, *daſige Wechſel-Ordnung de anno* 1716. *art.* 37. *aus-*

drucklich diſponiret, daſs vvegen ausgeſtellter aſſignationen bey nicht erfolgter zahlung nach Wechſel-Gebrauch verfahren vverden ſolle. Hiernechſt auch 3, in ſolchen fällen durchgehends gevvöhnlich und der praxi gemäs iſt, daſs der Innhaber eines auf ihn indoſſirten Wechſelbriefes, vvann derſelbe vvegen nicht erfolgter zahlung proteſtiret vvorden, ſeinen regreſs nicht allein an den Indoſſanten, ſondern auch an den Ausgeber nehmen, und inſonderheit in dem Fall, da iener nicht mehr ſoluendo, ſich ſogleich an dieſen halten könne.

Ord. Camb. Wratisl. art. 2. 3.

KOENIGK. *Ammerck. zur Leipz. Wechſel. Ordn.* §. 19. *n.* 2.

Welches allhier üm ſo vielmehr ſcheinet ſtatt zu finden, da 4, die richtige Bezahlung der valuta durch die clauſul: Es ſoll mich validiren, in der aſſignation ſelbſt ſcheinet zugeſtanden zu vverden. Zudem auch 5, die aſſignation nicht nur an C. B. ſondern auch an deſſen ordre gerichtet iſt, und daher ienem freygeſtanden, dieſelbe vveiter zu indoſſiren, mithin deren Eigenthum an einem andern zu übertragen.

Savary Parfait négotiant. P. 1. *L.* 3. *C.* 5. *p.* 123. 181.

Welches Indoſſement ſo dann die Wirckung hat, daſs Indoſſatarius ſich ſchlechterdings an den Ausgeber halten kan, und auf die exceptiones, die dem Indoſſaten im Wege ſtehen möchten, insbeſondre except. non num. pec. vel acceptae valutae ſich gar nicht einlaſſen darf.

Leipz. H. G. O. tit. XI. §. *allermaſſen.*

HOEKNER *de indoſſam. litt. camb. cap.* IV. §. 4. 5.

Wie dann auch 6, Imploranten nicht ſcheinet im Wege zu ſtehen: daſs B. die aſſignation nur in bianco indoſſiret, und die Ausfüllung derſelben erſt nach geſchehener praeſentation hinzugethan: allermaſſen dieſes dem Wechſel-Gebrauch nach von dem Innhaber eines Wechſels allerdings geſchehen kann.

BERG. *Elect. Diſcept. for. Part.* II. *Suppl. p.* 356. TIT. *Iur. Priu. Lib. X. cap.* V. §. 46. 49. LVDOV. *Proc. camb. cap.* IV. §. 26. 88.

So gar, daſs ſolche Ausfüllung auch nach geſchehenem proteſt, vſque ad motam litem annoch ſtatt findet.

BERG. *Oecon. Iur. p.* 741. *n.* 3. KOENIGK. *Anmerck. ad Ius camb. Lipſ. art.* XI. *n.* 6.

Daher es dann faſt daſs Anſehen gevvinnen möchte, daſs Implorant ist

in ſeiner Intention genugſam gegründet, und alſo nach Wechſel-Recht, oder doch vvenigſtens executive zu klagen vvol befugt gevveſen.

Dennoch aber und dievveil 1, *eine aſſignation, dergleichen Q. auſgeſtellet, kein Wechſel iſt, und daher aus ſelbiger nach Wechſel-Recht nicht geklagt vverden kan.*

Edict. El. Sax. de anno 1699. *n.* 3. 4.

Hiernechſt auch 2, *das Rechs des Indoſſements bey bloſſen aſſignationen nicht ſtatt findet,*

HOEKNER *de litt. camb. indoſſam. cap.* I. §. 7.

immaſſen ein aſſignatarius als ein bloſſer Gevollmächtiger des aſſignanten anzuſehen, auf vvelchen per nudum mandatum kein Wechſel transferiret vverden kan.

COCCEI. *de Aſſignat.* §. 10.

Dannenhero auch einem aſſignanten allezeit frey ſtehet, die ausgeſtellte aſſignation nach Gefallen zu vviederruffen.

STENGER. *de Aſſign. merc.* §. 42. KOENIGK. *l. c. ad* §. 25. *n.* I.

Woraus dann folget, daſs, da ſolches im gegenvvärtigen Fall von Q. geſchehen, die gantze aſſignation dadurch gäntzlich erloſchen. Zudem 3, *ex documento quaeſt. auch nicht einmal executive geklagt vverden kan, ehe und bevor ietziger Implorant ſich ad cauſam legitimiret, und die von B. an ihn geſchehene ceſſion und deren Richtigkeit, vvie auch die vom cedente ſovvol als ceſſionario geleiſtete valuta ervvieſen.*

LVDOV. *de legit. ad cauſ.* §. 14. 19.

Endlich auch 4, *die obangeführten rationes dubitandi von keiner Erheblichkeit ſeyn: immaſſen, ſoviel die erſte anbetrifft, dasjenige, vvas de loco contractus conſumti angeführet vvorden, nur von demjenigen Fall zu verſtehen, da de obligatione acceptantis die Frage iſt, als in deſſen regard der Contractus eigentlich in loco ſolutionis geſchloſſen vvird. Dahingegen, ſoviel die obligation des Ausgebers betrifft, nicht der locus deſtinatae ſolutionis, ſondern locus initae conventionis pro loco contractus zu achten.*

SCACC. *de Commerc. & camb.* §. 1I. *gloſſ.* 5. *n.* 212. SPRENG. *Wechſel practic.* §. XI. RAPH. *de Turre de camb. Diſp.* 1. *qu.* 12. *n.* 9.

Woraus ſich dann 5, *von ſelbſten ergiebet, daſs die Breſslauiſche Wechſel-Ordnung vvorauf Implorant ſeine intention fundiren vvill, hieher keines vveges gehoere, vveiln ſie zu Loebau nicht recipiret, auch auf gegenvvärtigen caſum nicht einmal applicable iſt, angeſehen darinnen nur denenjenigen die privilegia zugeſtanden vverden, vvelche vvürcklich acceptiret vvorden.*

Ist

Ius camb. Wratiſl. art. 37. verbis : Erfolget die acceptation, ſo erlangen ſelbe dadurch die qualitaet eines Wechſel-briefes.

ſolches aber von Q. aſſignation nicht geſaget vverden kan, als vvelche vveder acceptiret vvorden, noch die qualitaet eines Wechſels per acceptationem erlangen koennen, immaſſen der Aſſignant ohnzvveiffel eben darum die clauſul: ohne acceptation miteingerücket, damit dieſes ſein mandat nicht per acceptationem als ein Wechſel angeſehen vverden moechte: Aus vvelchem 6, ferner flieſſet, daſs der vermeinte Indoſſatarius v. W. vveder ſeinen regreſſ an den Aſſignanten nehmen, noch 7; ſolche aſſignation nach Art eines Wechſel-briefes mit proteſt zurück ſenden, oder aus ſelbiger gegen den Aſſignanten nach Wechſel-ſtil klagen koennen. Auſſerdem 8, die beygefügte clauſel: Es ſoll mir validiren, die von B. geleiſtete valuta keinesvveges bevveiſet, ſondern nur ſo viel ſaget, daſs die von dem Aſſignato an B. geſchehene Auszahlung auf des Aſſignantis Rechnung als gezahlt paſſiren ſolle. Dahero ſolche Worte nur auf das, vvas zvviſchen dem Aſſignanten und Aſſignato vorgehet, ihr Abſehen haben, den Aſſignatarium aber ſo gar nicht angehen.

TIT. *Iur. Priuat. Lib.* X. *C.* 5. §. 45.

daſs ſie vielmehr bey Abfaſſung und erfolgten Indoſſament eines Wechſels nach der ſonſt einſtimmigen Meinung der Wechſel-ſcribenten vor ein zeichen der nicht geleiſteten valuta anzuſehen ſind.

SAVARY *Parf. Negot. C.* IV. *p.* 112. ZIPFEL. *de Teſſer. collyb. ſect.* VI. §. 17. KOENIGK. *de litt. camb. praeſent.* §. 10. *n.* 12.

Zudem 9, B. als ein bloſſer Aſſignatarius kein Recht per indoſſamentum auf einen andern transferiren koennen, immaſſen er nicht nur ſchon fallit gevveſen, ſondern auch ohnedem das Recht zu indoſſiren, vvie oben ſub n. 2. ervvieſen vvorden, bloſſen Aſſignatariis nicht zukommen kan. Endlich 10, das erfolgte indoſſement, vvenn es auch ſonſt in allen ſeine Richtigkeit hatte, ſchon darum gantz unkraſſtig ſeyn vvürde, vveil es in bianco geſchehen, und nach Ausvveiſung des proteſts allererſt nachher von Implorantem extendiret vvorden, vvelches nach den vornehmſten Wechſel-Ordnungen für unzulaſsig

Brandenb. O. C. art. 13. *Guelph. art.* 43. *Magdeb. & Halberſt. art.* 26. *Brunſu. art.* 20. *Dant. Sc. art.* 27. *Lipſ. art.* 11.

und ad legitimationem ad cauſſam unzulanglich erachtet vvird. Eiuſmodi enim inductionum magnus abuſus eſſe poteſt, vt ſcilicet praeter intentionem cedentis alterius nomen deinde in illo albo ſpatio exprimatur, cui tamen principalis ius cedere noluit. Quare ſi quis litteras cum ſolo nomine cedentis in dorſo producit, eae ad legitimationem ad cauſſam non ſufficiunt.

LVDOV.

LVDOV. *de legit. ad cauſ. §. 34.* ***Als halten vvir davor, daſs Implorant gegen Imploraten vveder nach Wechſel-Recht noch executive zu klagen befugt, und daher Implorat von der Klage, immaſſen ſie angebracht, zu entbinden, jener aber in expenſas zu urtheilen und mit ſeiner etvvan habenden praetenſion allenfalls ad proceſſum ordinarium zu vervveiſen. V. R. W.*** Tam facile itaque incautos decipit formula adſignationis, vt quum teſſeram collybiſticam accipere ſe putent, nubem pro Iunone amplectantur.

§. XXI.

Par ratio eſt omnium chartarum, quae quamuis formam cambiorum prae ſe ferant, cambii tamen nec explicitam, nec implicitam faciant mentionem. Vitioſae enim illae ſunt eatenus, vt non ſufficiant inſtituendae actioni cambiali, ſed adſignationum tantum habeant effectum, vel chirographi, ex quo exſequutiue tantum agi poſſit. Hinc *in Leg. Dan. lib.* V. *cap.* XIV. *art.* 8. diſerte cauetur: *es ſolle ausdrücklich darinnen bekannt werden, daſs es ein Wechſel-Brief ſey.* Et quamuis id alii non putent neceſſarium, veluti B. STRYK. *de Accept. litt. camb. cap.* III. §. 9. TITIVS *Iur. Priuat. lib.* X. *cap.* 5. §. 21. & alii: res ipſa tamen docet, ſi nulla plane fiat cambii mentio, e. g. *der Herr zahle an Meuium die Summa von* 1000. *Reichsthaler*, rem altioris fore indaginis, cambium hoc ſit, an adſignatio, adeoque cambiali rigori locum non futurum, quia proceſſus cambialis ea eſt natura & indoles, vt omnia, quae actor in libello adfirmat, ex ipſis litteris cambialibus ſtatim clara ſint & liquida. Vnde cambii mentionem vel explicitam: *der Herr zahle auf dieſen meinen Wechſel-Brief*, vel implicitam: *der Herr zahle auf dieſe ſecunda, vvann prima noch nicht bezahlet.* recte requirunt Illuſtris a BERGER. *Elect. Diſcept. for. p.* 706. *Suppl. Tom.* I. *p.* 48. 52. *ſeq. Suppl. ad Elect. Proceſſ. Exſequut. theſ.* L. *poſ.* 24. *p.* 9. WERNH. *comp. Iur. lib.* IV. *tit.* 29. §. 2. RIVIN. *Enunc. Iur. ad Proc. Ord. Sax. tit.* XXV. *Enunc.* XXII. FRANCK. *Inſtit. Iur. Camb. lib.* I. *ſect.* I. *tit.* VI. §. 7. 8. D. KOENIGK. *ad Ius Camb. Lipſ.* §. 3. *annot.* I. *p.* 6. vbi & praeiudicio duplici eam ſententiam confirmat.

Vitioſum cambium, in quo cambii non fit mentio.

§. XXII.

Quantae vtilitatis ſit haec obſeruatio, vel inde patet, quod contingere poſſit, vt aliquando omiſſa cambii mentione ne exſequutiue quidem ex charta huiuſmodi agi poſſit. Si enim expreſſum eſt, eam eſſe cambialem vel collybiſticam, parum refert, valuta expreſſa ſit nec ne, quia cambialis actionis tantus eſt rigor, vt locum plane nullum relinquat exceptioni non numeratae pecuniae.

An & illud, in quo valutae mentio non facta?

ZANGER. *de Except. Part.* II. *cap.* XIV. *n.* 54. LVDOV. *Proc. camb. cap.* II. §. 6. KOENIGK. *ad Ius Camb. Lipſ.* §. III. *annot.* 2. *p.* 7. Id quod etiam celebriores leges cambiales agnoſcunt, veluti *Lipſienſ. art.* 3. *March. & Magdeb. art.* 1. *Brunſu. art.* 28. *Auguſt. art.* 7. *Francof. art.* 15. *Dantiſc. art.* 16. *Colon.* §. 4. Et ſi vel maxime valutam leges deſiderant, quod quaſdam facere *cap.* I. §. 22. monuimus: tamen nec vitiatur proceſſus cambialis, poſt acceptationem factam, nec ante eam vlterius, quam vt reus audiendus ſit, ſi pecuniam ſibi haud numeratam eſſe, in continenti probare queat. At vbi omiſſum eſt cambii vocabulum, adeoque chirographi naturam induunt chartae: non facta valutae mentione ne exſequutiuo quidem proceſſui erit locus, quippe qui ex iis demum naſcitur inſtrumentis, in quibus cauſſa debendi ſpecialis expreſſa eſt. Siquidem inſtrumentum alias non probat, ſed aliunde ſumenda erit probatio. *L.* 25. §. 4. *ff. de prob. Meu.* 2. *Deciſ.* 22.

§. XXIII.

Quo caſu inutile fiat teſſera amiſſa cambium?

Vitioſae porro aliquando fiunt teſſerae collybiſticae, in ſe ſatis perfectae, ſi vel *praeſentatio* non rite ac more inter mercatores recepto fiat, vel *proteſtatio* omittatur, vel ſane, quod ad priorem caſum attinet, contingat, vt cambium vnicum (*ein ſola Wechſel-Brief*) pereat, adeoque iuſto tempore nequeat offerri, antequam autem aliud a traſſante adueniat, traſſatus bonis labatur. Sane tunc inutilis erit noua illa teſſera cambialis, quia nec quiſquam eſt, qui eam acceptare teneatur, nec aduerſus traſſantem datur regreſſus. MARPERG. *Deſcr. mund. cap.* X. *pag.* 23. 24. MARTA *Digeſt. nouiſſ. tit. Epiſtola cap.* XVII. Quamuis enim ſola amiſſio teſſerae contractum inter traſſantem & remittentem haud exſtinguat: SIG. SCACC. *de Commerc. & camb.* §. II. *gloſſ.* 5. *n.* 347. *ſequ.* SPRENG. *Pract. camb.* §. XIII. §. 90. (quicquid occlamet cum aliis MARQVARD. *de Iure Mercat. lib.* II. *tit.* 12. *n.* 63.) & hinc praeſtita cautione non modo traſſans nouam teſſeram dare, ſed & traſſatus, ſi ſemel acceptauerit, pecuniam exſoluere debeat: *Ius Camb. Lipſ.* §. 33. *March. art.* 29. *Magdeburg. art.* 25. *Dantiſc. art.* 27. FRANCK. *Inſt. Iur. camb. lib.* II. *Sect.* III. *tit.* 4. §. 4. *ſeqq.* nihil tamen cauſae eſt, cur traſſans maneat obſtrictus, ſi inter moras praeſentantis traſſatus bonis labatur, nec aequum iudicatur, traſſantem ferre debere damnum, quod alter ſua culpa ſentit. Deinde quamuis paullo ante dictum ſit, contractum inter remittentem & traſſantem amiſſa teſſera non infirmari: tamen & hoc caſu non ſemper obtinebit rigor cambialis. Quid, ſi enim traſſans neget, ſe valutam accepiſſe? quid, ſi inficietur, huiuſmodi contractum initum eſſe? Tunc ſane

Digitized by Google

ſane remittens agere non poterit cambialiter, ac ne exſequutiue quidem. Nec enim teſſera adeſt, quam recognoſcat traſſans, & tota narratio libelli facta complectetur altioris indaginis, adeoque eo ipſo vitiabitur contractus cambialis, eatenus, vt ordinario proceſſu agere teneatur remittens. Quod ipſum quoque eo caſu continget, ſi poſt acceptationem perierit teſſera, & traſſatus ſe acceptaſſe neget. Vnde in legibus cambialibus non abs re dicitur, quod amiſſa teſſera rigor cambialis praeſtita cautione tunc demum locum habeat aduerſus acceptantem: *Wann ein acceptirter Wechſel-Brief verlohren wird, und der debitor Schuld geſtändig iſt.* Videantur *Ius Camb. Lipſ.* §. 33. & reliquae leges cambiales paullo ante citatae, quibus addenda *Ord. Camb. Hamb. nou. art.* 42. vbi ita ponitur: *Wann ein acceptirter Wechſel-Brief verlohren wird, und der acceptant der Schuld geſtändig oder uberwieſen iſt* (quod fieri non poteſt niſi proceſſu ordinario) *bleibet gegen denſelben das Wechſel-Recht in vollen Würden*, id eſt, ſi proceſſu ordinario alter conuictus ſit, quod cambiale debitum contraxerit, tunc aduerſus illum exſequutio ſecundum ius cambiale fieri poterit.

§. XXIV.

Multo magis vitiatur cambium omiſſa proteſtatione, eo quippe fine interponi ſolita, vt, qui ſpe ſolutionis excidit, iura ſibi omnia aduerſus traſſantem & reliquos obligatos integra ſeruet. Ea vero opus eſt, ſiue teſſeram acceptare recuſet traſſatus, ſiue facta acceptatione plane non ſoluat, ſiue ſolutionem iuſto diutius protrahat, fitque adhibito notario cum duobus teſtibus, quocumque tempore, & a Notario in inſtrumenti ſollemnis formam redacta ſtatim remittenda traſſanti, FRANCK. *Inſt. Iur. Camb. lib.* I. *ſect.* IV. *tit.* I. *ſequ.* Siue itaque proteſtationem quis plane omittat, ſiue traſſantem vel auctorem ſuum ea de re non reddat certiorem, ſiue inſtrumentum proteſtationis haud tranſmittat; regreſſum amittet, adeoque inutile fiet cambium, SIGISM. SCACC. *de Commerc. & camb.* §. II. *gloſſ.* 5. *quaeſt.* 10. *n.* 325. FRANCK. *l. c. tit.* I. §. 25. niſi eo caſu, quo traſſatus, facta acceptatione, non ſoluit, & ob iſtam moram interpoſita non eſt proteſtatio. Quamuis enim tunc de damno inde emergente traſſans non teneatur ob proteſtationem omiſſam: acceptantis tamen obligatio adhuc ſalua eſt, adeoque praeſentans aduerſus illum adhuc cambialiter agere ſuumque, ſi ſoluendo ſit, conſequi poterit. CARPZOV. *Diſp. de Camb.* §. 54. *Item omiſſa proteſtatione.*

§. XXV.

Ob omiſſam vel non ita interpoſitam proteſtationem cambium & tunc vitium capit, ſi non culpa praeſentantis, ſed vel mandata- *Quid ſi proteſtatio*

 rii,

culpa mandatarii vel notarii omiſſa?

rii, vel ipſius notarii non rite facta ſit. Non magis enim regreſſum tunc habet aduerſus auctorem ſuum, vel aduerſus traſſantem, quam ſi ipſe negligentiae poſſet coargui. Quemadmodum enim vel iure communi procurator officio ſuo minus recte functus negligentia ſua domino nocet: *L.* 10. *C. de procur.* ita id multo magis obtinebit in negotio cambiali, vbi omnia veluti ad vivum reſecantur, & ſaepe vel in hora magnum periculum vertitur. Nec tamen in vniuerſum inutile erit hoc cambium, quum & aduerſus mandantem, cuius negligentia hoc accidit, regreſſum habeat, *Ius Camb. Wratislau. art.* 9. *Guelpherb. art.* 38. LESER. *Reſol. dub. camb.* & aduerſus ipſum Notarium, tam male functum officio ſuo. Eſt enim id generatim expreſſum in Maximiliani I. Aug. *Notariat-Ordnung anno* 1512. *art.* 3. verbis: *Als lieb ihnen ſey (zuſamt dem, daſs ſie Wiederunge der Schaden und Intereſſe denen, ſo durch ſie verſaumet oder verführet werden, zu thun ſchuldig ſind,) unſere ſchwere Vngnad, Straf und Buſs zu vermeiden.*

§. XXVI.

An omne cambium poſſit indoſſari?

Saepe & indoſſamentum vitioſum eſt. Indoſſamentum modo eſſe ceſſionem cambii, modo nudum mandatum, iam ſupra *cap.* I. *§.* IX. monuimus. De hoc iam aliquid vlterius monere nihil attinet. Illa fieri ordinarie poteſt ab omnibus, ad quos cambium pertinet, ſiue in teſſera haec verba occurrant; *An Titium oder deſſen* ordre vel commiſſi ſiue non occurrant. Quamuis enim id neget D. KOENIGK. *Annot. ad Ius camb. Lipſ. §.* XI. nulla tamen videtur obſtare ratio, quo minus, quod meum eſt, alii cedere queam. LVDOVIC. *Proc. camb. cap.* IV. *§.* 23. *cap.* IX. *§.* 7. nec ſane intereſt traſſati, mihi, an indoſſatario ſoluat. LVDOV. *l. c.* FRANCK. *Lib.* I. *Sect.* II. *tit.* 5. *§.* 8. At aliud tamen in Gallia receptum, adeoque vitioſum ibi erit indoſſamentum, ſi in teſſera verba illa: *oder deſſen Ordre deſiderentur. Ord. Mercat. Ludou.* XIV. *tit.* V. *art.* 30. Nec magis illud ex quorumdam locorum legibus valet, ſi indoſſamentum vel ceſſio fiat in alium locum, quam qui in cambio expreſſus eſt. *Ord. camb. Lipſ. §.* 30. Imo Bulſani & in Italia plane euanidum & inutile habetur quodcumque indoſſamentum. *Ord. camb. Bulſan. art.* 8. DV PVY *de art. litt. camb. cap.* XIII. *§.* 7. *edit. Lat.* Quibus caſibus facile quidem, ſed tamen non vbique, vitiatur indoſſamentum.

§. XXVII.

Vitioſum indoſſamentum in bianco.

Vbi huius generis non exſtant ſanctiones, dubium equidem non eſt, quin indoſſamento locus ſit: at fieri tamen poteſt, vt vitietur, ſi fiat in *bianco*, id eſt, relicto ſpatio, cui indoſſamentum deinde

deinde inſcribatur, pro lubitu poſſeſſoris: cuius rei exemplum iam ſupra §. XIX. vidimus. Eiuſmodi enim indoſſamentum fieri prohibent *Ius camb. Lipſ.* §. XI. *Marcb. art.* 30. *Pruſſ. art.* 25. *Magdeburg. art.* 26. *Auguſt. art.* 11. *Dantiſc. art.* 27. ob innumeras, quae hic latitare ſolent, fraudes. Non ergo cambialis actionis rigor locum habet aduerſus eum, cui ſolutio mandatur, quamuis facta ſit acceptatio, niſi ipſe *indoſſans* ante ſolutionem illud ſpatium expleuerit. LVDOV. *Proc. camb. cap.* IV. §. 25. TITIVS *Iur. Priu. Lib.* X. *cap.* V. §. 46. 49. Indoſſantem dico id explere debere. Quum enim fraudis euitandae cauſſa *indoſſatio in bianco* prohibita ſit: quid quaeſo id ad euitandas fraudes faceret, ſi ipſe poſſeſſor manu ſua ſpatium expleret, teſſeramque ſibi ceſſam, & valutam a ſe numeratam eſſe, fateretur? An ſic certior erit indoſſatus, quam pridem, quum ei indoſſatarius teſſeram cum *indoſſamento in bianco* offerret? Vnde omnino ſuffragandum hic videtur ſententiae Dni LVDOV. *l. c. p.* 77. Nec obuerti nobis poterit praxis quotidiana procuratorum iudicialium, qui miſſas ſibi pro mandato chartas puras (*blanquets*) ipſi explere ſolent, eo effectu, vt eiuſdem habeantur virtutis, ac ſi ab ipſo mandante fuerint conſcriptae. SVENDEND. *ad Fibig. p.* 225. *ſequ.* Multum enim intereſt inter mandatum procuratorium & teſſeram collybiſticam. Illud dari ſolet cum ſubſcriptione: *Blanquet zur gerichtlichen Vollmacht an Herrn Titium in meiner vor den Stadt-Gerichten zu H. gegen M. obſchwebenden Rechts-Sache*, adeoque ſtatim patet, cui data ſit haec charta, quidque ipſi ſit inſcribendum, nec facile abuti ea poterit procurator, quum certae formulae & clauſulae mandatorum iudicialium in pleriſque locis receptae ſint, quibus & hunc procuratorem vti oportet. At indoſſamentum litterarum cambialium *in bianco* fit ſola ſubſcriptione nominis, ex qua, nec cui indoſſatum ſit, nec an valutam acceperit indoſſans, adparet. Vnde merito explenda eſt ab ipſo indoſſante. *Ius camb. Brunſu. art.* 43. niſi indoſſatarius alio modo perſonam ſuam legitimare, vel cautione praeſtita ſecurum praeſtare poſſit indoſſatum. Et ita reſpondit Collegium mercat. *Lipſ. d.* 18. *Iul.* 1694. *apud* KOENIGK. *in Parere* 13. *p.* 651.

§. XXVIII.

Quaeſtio porro hic oritur, an & Chriſtianus & Iudaeus ſibi inuicem cambia cedere poſſint? Sane omnes huiuſmodi ceſſiones in Germania lege publica prohibentur in *Rec. Imp. a.* 1551. §. 79. *& in Ord. Polit.* 1577. *tit.* XX. §. 4. Vtroque enim loco cautum, vt actio a Iudaeo ceſſa Chriſtiano nullius ſit effectus. Enimuero ſi & a receſſibus Imperii ob contrariam, quae inualuit, conſuetudinem *An Iudaeus Chriſtiano cedere poſſit indoſſamentum?*

nem impune receditur: *L.* 32. *§.* 1. *ff. de Legib.* §. 11. *Inſt. de I. N. G. & C.* nullum eſt dubium, quin vbique lex illa exoleuerit. Nam experientia, rerum magiſtra, docemur, Iudaeos vti alia inſtrumenta, ita & cambia in media Germania vbique impune cedere Chriſtianis. Nec exempla deſunt, quod debitor ceſſus, oppoſita licet illa exceptione, nihilominus ad ſolutionem condemnatus ſit. Vid. Illuſtr. a BERGER *Oecon. Iur. Lib.* III. *cap.* V. *theſ.* 4. *p.* 64. Sane cum H. P. mercator Iudaeo dediſſet cambium, hic vero illud per ſollemnem indoſſationem ceſſiſſet M. & ſociis, mercatoribus Chriſtianis, H. P. conuentus & hac & aliis exceptionibus ſe tuebatur. Nihilominus in Iudicio inferiore Hamburgi d. 7. Maii 1721. condemnatus eſt ad ſolutionem praeſtandam. Interponebatur appellatio, in qua inſtantia prior ſententia a Senatu Ampliſſimo pure confirmabatur. d. 3. Octob. 1721. Denique reo Reuiſionis beneficio vſo, actiſque more maiorum ad Ordinem ICtorum exterorum tranſmiſſis, iternm ſequuta eſt ſententia confirmatoria, reuſque in expenſas condemnatus eſt. Ratio ad hanc exceptionem pertinens ita ſe habet: *Ob er nun vvohl, betreffende die materialia, loco grauaminum anführet, ---- daſs Appellaten auch ſo gar vvieder den klaren Reichs-Abſchied de anno* 1577. *tit.* 20. *§. Es ſoll auch ſich actionem contra Chriſtianum a Iudaeo cediren laſſen: ---- dennoch aber und dievveil ---- der angeführte Reichs-Abſchied bey Wechſel-Indoſſements nicht beobachtet vvird, ſondern ein Iude einen von einem Chriſten ausgegebenen Wechſel einem andern Chriſten der allgemeinem Wechſel-vſance nach gar vohl cediren kan.* BERG. *Oecon. Iur. Lib.* 3. *c.* 5. *th.* 5. *p.* 643. *Welches auch die Hamb. Wechſ-Ordnung, indem ſie die Iuden denen Chriſten parificiret, tacite einräumet. Ius camb. Hamb. art.* 13. *Als iſt man nach Inhalt des Urtheils allenthalben zu erkennen bevvogen vvorden.* Imo illi ipſi Doctores, qui iſtius Receſſus vſum aliquem supereſſe contendunt, varia tamen comminiſcuntur, quibus ille eludatur facillime. Alii enim eum de Iudaeis interpretantur, qui publica auctoritate non tolerantur. B. STRYK. *Annot. ad Lauterb. tit. de hered. & act. vend. p.* 327. Alii tantum eas ceſſiones prohiberi cenſent, quae velandae vſurariae prauitatis cauſſa fiunt. *Carpzou. Part.* II. *Conſt.* XXX. *Def.* 45. *& Reſp. Lib.* V. *reſp.* 38. RICHTER *Deciſ. Part.* I. *Deciſ.* 36. *n.* 12. TIT. *Iur. Priu. Lib.* IV. *cap.* 4. §. 5. *p.* 460. rectius ſane ſibi conſulturi, ſi ſine ambagibus legem illam ab vſu receſſiſſe, contrariaque conſuetudine iam pridem exoleuiſſe, faterentur. Vnde hodie non temere verendum, ne indoſſamentum a Iudaeo factum in Germania vitioſum iudicetur, quum in cambiis iiſdem iuribus perfruantur Iudaei,

ac

ac Chriſtiani, niſi quod illi pecuniam ſolutam ad exactorem perferre; hi eam domi ſuae exſoluere iubentur. *Ius camb. Auguſt. art.* 34. *Brunſu. art.* 25. *Francof. art. vlt. Halberſt. & Magdeb. art.* 30. *Wratislau.* §. 11.

§. XXIX.

Facilius contingit; vt vitioſum fiat indoſſamentum, ſi nimis ſaepe repetatur. Quemadmodum enim §. XXV. diximus, indoſſationem quibuſdam locis plane non admitti: ita alibi admittitur quidem, ſed non niſi ſemel, veluti Noribergae. *Iure enim cambiali iſtius vrbis art.* 10. cautum eſt, vt cambia ſaepius, quam ſemel, girata nec a mercatoribus pro cambiis habeantur, nec acceptentur, nec ſumma ex iis exigatur, nec interpoſita proteſtatione remittantur, vel inſtrumentum proteſtationis a notario ſuper iis conficiatur. Paullo benignius eſt *ius camb. Guelpherbit. art.* 42. quod plures quidem girationes vel plura indoſſamenta, ſed non tamen vltra quartum admittit, additque: *da es vber daſs vierdtemahl geſchehe, ſoll derſelbe nicht acceptiret, noch dagegen einige proteſtation verſtattet vverden.* Reliquae leges Cambiales quidem de abuſu harum girationum conqueruntur, optandumque eſſe fatentur, eas ob inſignem abuſum (de quo Phoonſen *Stil. camb. Amſt. cap.* XXXII. *poſ.* 27. & *cap.* XXXVII. *poſ.* 13.) vbique prohiberi; conſuetudini tamen & moribus id tribuunt, vt eas in infinitum permittant. *Ord. camb. Lipſ.* §. XI. *March. art.* 30. *Magdeb. art.* 39. *Auguſt.* XI. *Francofurt.* §. XI. *Dantiſc. art.* 27.

Quibus indoſſare liceat?

§. XXX.

Nec minus vitio inſanabili laborat indoſſamentum factum ab eo, qui iam foro boniſque ceſſit. Quemadmodum enim is nulla de re ſua valide diſponit, *L.* 6. §. 7. *ff. quae in fraud. cred.* adeoque nec alium liberat, nec alii recte ſoluit: *l.* 14. *§.* 1. *ff. de ſolut.* ita nec cambium recte vel traſſat, vel acceptat, vel indoſſat. Sperand. *Negotiat. & campſ. induſtr. p.* 81. Id quod etiam vrgeri vidimus ab Ampliſſimo ICtorum Halenſium Ordine in *Reſponſ. §.* XIX. *adducti ratione decidendi nona.* Imo tantum abeſt, vt liceat decoctori indoſſare, vt potius quaedam leges Cambiales, veluti *Lugdunenſes art.* 13. etiam ea omnia indoſſamenta irrita eſſe iubeant, quae intra decem proximos ante fugam dies ab eo facta ſunt, imo quaecumque intra hoc ſpatium perfecit decoctor, excepta ſcontratione. Nullius igitur momenti erit cambium, ſaltim poſt fugam ab obaerato indoſſatum, quum poſſeſſor nec ex indoſſamento huiuſmodi agere, nec regreſſum ſperare poſſit, vel aduerſus indoſſantem, quem bonis omnibus euolutum fuga in neſcio quem terra-

Indoſſamentum a decoctore factum vitioſum.

rum

rum angulum abſtulit, vel aduerſus curatorem bonorum, qui potius cambium illud tamquam in fraudem creditorum alienatum, reuocandum eſſe cenſebit, ſi ſapit.

§. XXXI.

An Hamburgi vitioſum indoſſamentum inſcio debitore factum?

An indoſſamentum Hamburgi fieri poſſit inſcio indoſſato, quaeſtio videtur dubia, quam iam nobis excutiendam ſumemus. Quamuis enim iure communi ceſſio nominis etiam ignorante vel inuito debitore ceſſo fieri poſſit, *L. 1. de nouat. & deleg.* & ea etiam in re delegatio a ceſſione differat: *d. L. 1. C. eod.* aliud tamen cautum videri poſſet iure ſtatutario Hamburgenſi *Part. 1. tit.* XII. §. 3. *Es ſoll aber bey ſolcher ceſſion und Vbertragung der Debitor allewege von demjenigen, welcher die Handſchriſſt annimt, gefraget werden, ob er einige Einrede gegen die Handſchriſſt habe.* Sed vere nihil noui ſanciunt ſtatuti huius auctores, ſed, vti recte vir doctus in notis MS. ad ſtatutum Hamburgenſe monuit, *hic verſus tantum cautionis & maioris ſecuritatis cauſſa additus eſt.* Non enim nulla iudicatur ceſſio inſcio debitore facta: ſed tantum additur: *In Verbleibung deſſen, werden dem Debitori alle ſeine rechtmäſſige exceptiones zur Zeit der Bezahlung vorbehalten.* At iuris communis eſt, ceſſionario obſtare exceptiones in rem omnes, quae cedenti opponi potuiſſent. IO. a SANDE *de Action. ceſſ. cap. XIII.* Ex quo facile patet, etiam ad cambia hoc ſtatutum non pertinere, quum & de chirographis tantum loquatur, & in cambio indoſſanti etiam non obſtent aliae exceptiones, quam quae in continenti liquidae fieri poſſint. Hinc quum H. P., de quo §. XXVII., etiam hac exceptione vſus eſſet; ICti Halenſes in rationibus decidendi eam ita exploſerunt: *Ob vvohl - - - - andern theils appellate beſage der Hamb. Stadt-Rechte P. 1. tit. 12. art. 3. verbunden geweſen, bey ceſſion und Vbertragung dieſer obligation debitorem vorher, ob er gegen dieſelbe einige Einrede habe, zu befragen: - - - - dennoch aber und dieweil - - - - die angeführte diſpoſitio iuris ſtatutarii Hamb. von Vbertragung der obligationen nur von Handſchriſten redet, und auf die Wechſel, welche unter Kaufleuten frey indoſſiret werden, nicht zu appliciren iſt, &c.*

§. XXXII.

Vitia cambiorum extrinſecus orta, veluti ex moratorio.

Reliquum eſt, vt & illa cambiorum vitia expendamus; quae extrinſecus & non ex ipſis litteris emergunt. Quo potiſſimum referimus moratoria, ceſſionem bonorum, & praeſcriptionem. Induciae moratoriae quid ſint, ſatis ex ipſis iuris compendiis patet. Iis vero impetratis nullum eſt dubium, quin & cambialis ille rigor aduerſus debitorem interquieſcat, locuſque ſit exceptioni

tioni indulti moratorii LVDOV. *Proc. Camb. cap. X. §. 8.* Quum enim eo fine indulgeri ſoleat, vt debitor, fortunae iniuriis ad rem paullo anguſtiorem redactus, interim veluti reſpiret & res ſuas conſtabiliat: nemo non videt, hanc rationem & ad debita cambialia pertinere. Vitioſum itaque hoc caſu cambium fieri poterit, non modo, quatenus per tot annos nullam producit actionem, verum etiam ob imminens fugae vel decoctionis periculum. Raro enim obaerati intra hoc ſpatium ad meliorem fortunam adſpirant, ſed plerumque conuaſatis fortunarum ſuarum reliquiis ſub finem induciarum in pedes ſe coniiciunt, vel certe bonis cedentes inanes creditoribus pleriſque actiones relinquunt. Quae quum ita ſint, paucae quaedam leges ita conſulunt creditoribus cambialibus, vt vel moratorium obaeratis denegent, niſi edito inuentario bonorum & citatis creditoribus, *Ius Camb. March. §. 43. Magd. §. 38. Kön. Preuſ. Reglement von Verbeſſerung des Iuſtitz-Weſens §. 17.* vel illi omnem virtutem adimant aduerſus debita cambialia. *Cod. Leg. Dan. lib. V. cap. 14. §. 25. & Norueg. lib. V. cap. XIII. art. 24.*

§. XXXIII.

Ex ceſſione bonorum & concurſu. In qua claſſe creditores cambiales.

Deinde, promtam illam exſequutionem amittunt cambia, ſi debitor bonis ceſſerit, vel illo inuito fiat concurſus creditorum. Quamuis enim priori caſu beneficium ceſſionis bonorum, imo & competentiae & ſolutionis particularis denegari ſoleat, ſi debitum ſit cambiale: *Ius Camb. Halberſt. & Magdeb. art. 38.* D. BARTH. *Hodeg. forenſ. cap. III. §. 28. pag. 660.* inanis tamen erit actio aduerſus debitorem, bonis omnibus euolutum, niſi forte dulce ſit creditori, debitorem carceris ſqualore macerare, eiuſque miſeria nonnumquam oculos paſcere loco ſolutionis. At poſteriore caſu vix ſupereſt ſpes vel ſolutionis vel vindictae, ſi, quod plerumque fit, debitorem communem fuga abſtulerit. Aduerſus enim curatorem bonorum fruſtra aget cambialiter: & ſi res ad protopraxian creditorum peruenit, poſſeſſor cambii non pinguiore gaudebit priuilegio, quam nudi chirographarii. *Ius Camb. Halberſt. art. 33. Magdeb. art. eod.* TITIVS *Iur. priuat. lib. X. cap. 10. §. 40.* LVDOV. *Proc. Camb. cap. XVI. §. 5.* adeoque his ſimul ſatisfiet pro rata in claſſe vltima, ad quam raro quidpiam ex debitoris bonis ſolet peruenire. Quod adeo verum eſt, vt ſecundum *Iura Camb. Magdeb. & Halberſt. art. 33.* nec non *Marchic. art. 37.* ne tunc quidem inter hypothecarios collocentur, ſi litteris cambialibus clauſula inſerta ſit: *bey Verpfändung meines Vermögens*, quippe quam hae leges nullius momenti eſſe iubent;

quamuis alioquin extra has prouincias valeat haec conſtitutio pignoris vel hypothecae, modo in Saxonia & vicinis regionibus quoad immobilia accedat confirmatio iudicialis. LVDOV. *Proceſſ. Camb. cap. XVI. §. 6.* STRYK. *Vſ. Hod. Pand. tit. qui potiores in pign. §. 3.*

§. XXXIV.

Quaedam leges creditores cambiales chirographariis praeferunt.

Quum vero id damnum mercatores etiam induſtrii ſine culpa ferre teneantur: non ſane iniquae ſunt leges, quae creditoribus cambialibus ius tacitae hypothecae indulgent. Mediolani ſane & Auenione hoc priuilegium conceſſum eſſe collybiſtis obſeruat NIC. de PASSERIBVS *de ſcript. priuat. lib. III. de litt. camb. quaeſt.* 11. *n.* 7. 8. Simile quid in Gallia obtinet, vbi cambia a proxenetis ſubſcripta a die exactionis; non ſubſcripta a tempore recognitionis hoc priuilegio gaudent. SAVARY *Part.* I. *lib. III. cap.* 7. *pag.* 247. In Ducatu Brunſuicenſi ac Regno Sueciae cambiale debitum omnibus hypothecis generalibus praefertur, & proxime ab hypothecis ſpecialibus, iudicialibus & debitoribus priuilegiatis collocatur, *Ius Camb. Guelpherb. art.* 55. *Suecic. art.* 26. Hypothecis omnibus poſtponunt & debitis chirographariis praeferunt cambia *Ius Camb. Pruſſ. art.* 33. *Wratisl. nou. art.* 35. *March. art.* 37. Sed haec, tamquam iura ſingularia & priuilegia, magis ad exceptionem, quam ad regulam pertinent, adeoque moto iam concurſu cambia virtutem ſuam ordinarie amittunt, & in chirographos degenerant, niſi forte quis ipſum debitorem fugitiuum perſequatur.

§. XXXV.

Praeſcriptio quomodo vitiet cambium?

Praeſcriptionem denique vt omnes alias obligationes, ita & cambialem perimere, nemo dubitauerit. Vitioſum itaque habebitur cambium, cuius virtus praeſcriptione ita elanguit, vt nec actionem producat, nec ad compenſationem proſit. Currere autem incipit praeſcriptio a die ſolutionis vel a prorogationis termino, & ordinarie longiſſimo tempore finitur. *L.* 3. *C. de praeſcr.* 30. *vel* 40. *ann.* MEV. *Conſil. poſtum. cap.* I. *n.* 18. LVDOV. *Proc. camb. cap. XI. §.* 2. 3. Sed id ius admodum reſtringunt leges cambiales. Lugduni enim elapſo anno inter ciues, circumacto triennio inter exteros cambia exſpirant, eatenus, vt ſolutio iam facta eſſe praeſumatur. *Ord. Camb. Lugd. art.* 10. In reliqua Gallia quinquennii lapſu tunc demum cambialis actio exſtinguitur, quando debitor iureiurando hanc praeſumtionem factae ſolutionis confirmet. FRANCK. *Inſtit. Iur. Camb. lib. II. Sect. IV. tit.* 3. §. 6. In Dania litterae cambiales omnes vicennii lapſu irritae fiunt. *Cod. Leg. Dan.*

Dan. lib. V. cap. XIV. art. 4. Norueg. lib. V. cap. XIII. art. 2. In Electoratu Brandenburgico cambia propria decennio; in Ducatu Magdeb. & principatu Halberſtadienſi ſeptennio, *Ius Camb. March. art. 28. Magdeb. & Halberſt. art. 24.* alibi anno vno, ſex hebdomadibus & tribus diebus cambia; traſſata poſt quatuor hebdomadas exſpirant. *Ius Camb. Lipſ. §. 32. Dantiſc. art. 36. Guelpherb. art. 45.* Effectus vero breuioris huius praeſcriptionis non eſt idem. Aliquando enim cambialis tantum rigor ceſſat, & tunc adhuc locus eſt proceſſui exſequutiuo. Aliquando & hic tollitur, & tunc proceſſus ordinarius ſupereſt. Aliquando & hoc praeſcriptione ſublato nihil iuris remanet. Singula iam exſequi non vacat, nec neceſſarium videtur. Praeterquam enim, quod ſcriptio mea in maiorem molem iam excreuerit, quam initio animo praeceperam, otium nobis hic fecerunt GOTTFRIED GVIL. KVSTENERVS in erudita diſſertatione *de menſtrua & annua praeſcriptione litterarum cambialium.* D. LVDOVICI *in Proc. Camb. cap. XI. §. 7. ſeqq.* & vir meliore fortuna digniſſimus, D. IO. CHRIST. FRANCK. *in Inſt. Iur. Camb. lib. II. Sect. IV. tit. III.*

§. XXXVI.

Nos vero iam portui proximi vela contrahimus, & id ſub finem precamur, ne lector cultiori latinitati adſuetus nobis ſuccenſeat, de re ad mercaturam potiſſimum pertinente vocibus mercatorum vſis. Quemadmodum enim barbariem non adfectauimus: ita nec abſtinendum cenſuimus a vocabulis in hac negotiatione iam ſemel receptis. Non magis enim intelligerent ii, quorum maxime intereſt haec legere, ſi vocabula collybiſtica alia ac puriora conquiſiuiſſemus, quam nunc fortaſſe nos intelligent, qui his ſacris non ſunt initiati. Deo autem, qui ſtudiis noſtris hucuſque adfuit clementiſſime, gratias, quas mens concipit, maximas agimus, eique nos noſtraque omnia pie conſecramus. *Concluſio diſſertationis noſtrae.*

DE ORIGINE TESTAMENTI-FACTIONIS,

ET RITV TESTANDI ANTIQVO.

EXERCITATIO XII.

AD LEG. CXX. DIG. DE VERB. SIGN.

SVMMARIA.

§. I. *Inſtituti ratio.* §. II. *Lex* CXX. *ff. de V. S. einſque variae lectiones.* §. III. *Inſcriptio legis. Q. Mucii iuris peritia: Balduini Iuriſprudentia Muciana laudata.* §. IV. *Mucii libri* XVIII. *iuris ciuilis. An iidem cum libro* ὅρων. *Quid iuriſconſultis ſit* ὅρος, *definitio; quid regulariter definire? Liber* ὅρων *videtur epitome iſtorum librorum* XVIII. *Titulis Graecis delectati ICti recentiores.* §. V. *Mucii libros commentariis illuſtrauit Ser. Sulpicius, ſed Mucio parum aequus. Laelii Felicis libri ad Mucium a Gellio laudati. Aetas huius ſcriptoris. Modeſtini libri ad Mucium.* §. VI. *Sex. Pomponii libri* XXXIX. *ad Mucium. Quo ordine in iis explicarit materias iuris? Idem ordo a Sabino, Caſſio, Vrſeio Feroce obſeruatus.* §. VII. *Libro* V. *Pomponius de legatis egit. Ioannis Goeddei de occaſione legis noſtrae ſententia.* §. VIII. *Genuina ſpecies, ad quam illa referenda.* §. IX. *Maximum interpretationis iuridicae myſterium. Iac. Gothofredus laudatus. Legis noſtrae partitio.* §. X. *Lex* XII. *Tabularum de teſtamentifactione.* §. XI. *Legare veteribus fuit νομοθετεῖν. Vnde legatus dictus? Varro notatus.* §. XII. *Teſtamenta veterum erant leges.* §. XIII. *Quae domi in comitiis calatis condebantur, erant νόμοι ἔγγραφοι. Quae comitia calata? Ritus teſtandi in comitiis.* §. XIV. *Teſtamenta in procinctu erant νόμοι ἄγραφοι.* §. XV. *Cur ea tacitis ſuffragiis probarit populus? Milites in procinctu erant in cinctu Gabino. Habitus hic eorum erat, qui ſe pro exercitu & republica deuouebant. Deuouentium ſe vltima volun-*

luntas pro lege erat. Locus inſignis Liuii explicatus. §. XVI. *Cur teſtamenta apud Romanos per modum legis condita? Legibus de ſucceſſione inteſtatorum non niſi noua lege poterat derogari. Cur non permiſſa pacta ſucceſſoria?* §. XVII. *Noua teſtandi ratio per decemuiros inuenta. Per eam teſtamenti factio eſſe coepit priuati arbitrii.* §. XVIII. *Quid in lege iſta ſit* PATERFAMILIAS? §. XIX. *Quid* FAMILIA, PECVNIA, TVTELA? §. XX. *Cur additum* SVAE REI? *An rei tutor detur?* §. XXI. *Ritus teſtandi poſt* XII. *tabulas per aes & libram. A quo inuentus?* §. XXII. *Pleraque iura noua teſtamentorum ex principiis antiquis fluunt.* §. XXIII. *Vnde haec teſtandi ratio? Ius teſtandi iam ante Romam conditam in Italia viguit. Noua tamen teſtandi ratio ex iure Attico; ritus ex interpretatione prudentum ſunt.* §. XXIV. *Ex lege* XII. *tabularum latiſſima poteſtas, heredem inſtituendi.* LEGATARIVS HERES *in marmore apud Reineſium.* §. XXV. *Ex eadem lege fluit ius legata dandi. Legata cur dari oportuerit verbis ciuilibus?* §. XXVI. *Ex eadem eſt ius dandi libertates.* §. XXVII. *Nec non ius dandi tutores.* §. XXVIII. *Sed ius inſtituendi heredes coanguſtatum variis legibus & prudentum interpretatione.* §. XXIX. *Itemque ius legata dandi.* §. XXX. *Item ius dandi libertates.* §. XXXI. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

TEſtamenti factio qualis olim apud Romanos obtinuerit; a quibus profecta initiis, in tot rituum ac ſollemnitatum ambages inciderit, quas denique paullatim ſubierit mutationes, non modo perelegans, verum etiam ad exſoluendos varios iuriſprudentiae nodos vtiliſſima inſpectio eſt. Quamuis enim paullo aliter rationes ineat Theophilus in §. 1. *Inſt. de teſt. ordin.* iſque nos ſuo periculo credere iubeat, τὴν τῶν πάλαι πολιτευομένων ἄγνοιαν οὐδένα φέρειν κίνδυνον, *eorum, quae olim in vſu fuerint, ignorantiam nullo cum periculo coniunctam eſſe:* iis tamen, quibus maſcula illa ac ſolida iuriſprudentia curae cordique eſt, potior merito eſſe debet Iuſtiniani auctoritas, qui tractatum de teſtamentis auſpicatus, *nihil antiquitatis penitus ignorari* oportere, prudenter monuit. Quapropter auctore tam magno facile tuebor diligentiam, quam enucleandae celeberrimae LEGI CXX. D. DE VERB. SIGN. inueſtigandaeque teſtamenti factionis origini ac naturae impendere conſtitui, neque vereor, ne mihi de rebus antiquis differenti iudicium iſtud horribile de termino moto immineat. Eluctati enim iampridem ſumus ex illa Bartoliſtarum barbarie, quae ſplendido iuriſperitiae nomine incautos fefellit, nec quiſquam hodie vitio *Inſtituti ratio.*

vertet iuueni, quod res antiquas rimatur, ſine quarum intelligentia iura noua a nemine, vt opinor, accurate poſſint explicari.

§. II.

Lex cxx. ff. de V. S. euſque variae lectiones.

Vt autem ab ouo ordiamur: LEX illa CXX. D. DE VERB. SIGN. quam illuſtrare decreuimus, Florentiae ita legitur: POMPONIVS *libro quinto ad Quintum Mucium. Verbis legis* XII. *Tabularum* VTI LEGASSIT SVAE REI, ITA IVS ESTO, *latiſſima poteſtas tributa videtur & heredis inſtituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque conſtituendi. Sed id interpretatione coanguſtatum eſt vel legum, vel auctoritate iura conſtituentium.* Ita, inquam, Florentinus habet: nec aliter reliquae, quas conſului, editiones, niſi quod in quibusdam verba legis XII. tabularum paullo plenius leguntur: VTI QVISQVE LEGASSIT, & pro: *heredis inſtituendi* in aliis occurrit: *heredes inſtituendi:* Sed haec leuiuſcula ſunt, vbi in pari ſenſu Florentina facile vincit. Maioris momenti ſunt, quae ad poſtſema verba obſeruamus. Ea enim adfecta, & quodammodo turbata eſſe, non modo illud *vel* loco ſatis incommodo poſitum, ſed & res ipſa docet. Quis enim non videt, legibus tribui, quod iureconſultorum; iureconſultis, quod legum eſt? Hinc Hugo a Porta edidit: *ſed vel interpretatione coanguſtatum eſt legum, vel auctoritate iura conſtituentium*: Iulius autem Pacius inter variantes lectiones, margini editionis Atrebatenſis CIƆ IƆ LXXX. & hanc adſcripſit: *Sed id vel auctoritate legum coanguſtatum eſt, vel interpretatione iura conſtituentium.* Quam ſane lectionem & veram reique conuenientiorem cenſerem, & ipſi Florentinae anteferre haud dubitarem, ſi, ex quo fonte illa promanarit, cuiuſue codicis auctoritate nitatur, paullo diligentius notaſſet Pacius.

§. III.

Inſcriptio legis. Q. Mucii iuris peritia: Balduini Iuriſprudentia Muciana laudata.

Quod itaque primum ad inſcriptionem, ab interprete iuris numquam profecto negligendam, attinet, illa docemur, fragmentum hoc a Pandectarum compilatoribus decerptum eſſe ex POMPONII *libro quinto ad Quintum Mucium.* Quamobrem operae pretium fuerit, de libris Mucii, & Pomponii ad illos commentariis quaedam haut tralatitia praemittere, vt, quid illo libro V. explicarit Pomponius, & ad quam ſpeciem pulcherrima lex noſtra pertineat, paullo accuratius intelligamus. Intelligendus hic eſt Q. MVCIVS SCAEVOLA, non ille, qui Auguris cognomine in Annalibus celebratur, & qui ſaepe cum noſtro perperam confundi ſolet, ſed Publii Mucii, Pontificis Max. filius, qui omnibus perfunctus honoribus, in quibus fere M. Licinium Craſſum collegam habuit, prouincia

Aſiana

Digitized by Google

Aſiana pro Conſule ſanctiſſime adminiſtrata, in ſacerdotio paterno conſenuit, ac poſtremo a Damaſippo quodam, iuſſu C. Marii filii in ipſa curia Hoſtilia caeſus occubuit anno V. C. IↃCLXXII. Sed haec quidem iam alii accuratius exſequuti ſunt, & in his quoque Io. Bertrand. *de Iuriſperit.* I. 8. Bern. Rutil. *Vit. ICt. cap.* 27. & Guil. Grot. *de Vit. ICt.* I. 8. Ad nos iam magis pertinet ſumma, quae in eo fuit, iuriſperitia, gentile Scaeuolarum bonum. Ea enim ita eniuit, vt non modo maiores ſuos, verum etiam ſe ipſum ſuperare videretur: vocatus ideo a Velleio Paterculo II. 26. *Diuini humanique iuris auctor celeberrimus*, a Cicerone autem *de orat.* I. 39. *homo & diſciplina iuris eruditiſſimus, & ingenio prudentiaque acutiſſimus, & oratione maxime limatus & ſubtilis:* immo *iuriſperitorum eloquentiſſimus, eloquentium iuris peritiſſimus.* Sane inter maximos viros, qui libera rep. ius ciuile conſtituerunt, inprimis eminuit Q. Mucius, tantaque auctoritate floruit, vt quum veterum iſtorum luminibus magnopere offecerint ICti, qui ab Hadriani temporibus vixerunt, Muciana tamen haut pauca etiamnum in iure noſtro celebrentur. Nam praeter varia eius, quae ſuperſunt, teſtimonia, praeter celeberrimam illam, quam excogitauit, cautionem Mucianam, de qua *l.* 7. *pr. l.* 77. §. I. *ff. de cond. & demonſt.* praeter ſingulares, quas adoptauerat, opiniones, tot locis perhonorifica eius mentio fit, vt viro eximio, Franc. Balduino, *Iuriſprudentiam Mucianam* adornanti non defuerit occaſio, de rebus grauiſſimis vtiliſſimiſque erudite diſſerendi.

§. IV.

Nimirum Q. Mucius non modo ciuibus ſuis ac clientibus tam diligenter de iure reſpondebat, vt eius domus, veluti totius ciuitatis oraculum; in eius infirmiſſima valetudine adfectaque iam aetate maxima quotidie frequentia ciuium, ac ſummorum hominum ſplendore celebraretur, Cic. *de Orat. lib.* I. *cap.* 45. ſed & erectioris indolis adoleſcentes, in quorum numero & Cicero erat, ſtudioſos audiendi eadem opera docebat. Cic. *Brut. cap.* 89. Quin & in id dabat operam, vt relictis ingenii monimentis poſteritati pro virili conſuleret. Pomponius enim *primum illum* ait *ius ciuile conſtituiſſe* GENERATIM, *illud in libros* XVIII. *redigendo l.* 2. §. 41. *ff. de Orig. iur.* Reliquit ergo libros XVIII. quos exemplo patris IVS CIVILE inſcripſit: nec in numero errare exiſtimo Pomponium, quum librum Mucii ſecundum laudet. Vlpianus *l.* 55. *pr. ff. de legat.* 3. *l.* 3. *pr. ff. de penu. leg. l.* 27. *pr. ff. de aur. arg. mund.* librum decimum quartum Paullus *l.* 30. *ff. pro ſocio* librum ſextum decimum Gellius *Noct. Att. lib.* VII. *cap.* 15. At quo iure primum illum ius ciuile

Mucii libri XVIII. iuris ciuilis. An iidem cum libro ὅρων. Quid iuriſconſultis ſit ὅρος, definitio, quid regulariter definire? Liber ὅρων videtur e numero iſtorum librorum.

XVIII. *Titulis Graecis delectati ICti recentiores.*

ciuile conſtituiſſe dicere potuit Pomponius, quum paullo ante §. 39. Triumuiros illos *P. Mucium*, *Brutum* & *Manilium ius ciuile fundaſſe* faſſus eſſet? Potuit omnino vtrumque recte dici. Quamuis enim P. Mucius, Brutus & Manilius iam pridem *ius ciuile fundaſſent*, id eſt, fundamenta eius per definitiones & partitiones tradidiſſent: primus tamen Q. Mucius illud GENERATIM *conſtituit*, id eſt per axiomata regulaſque generales propoſuit, ceu recte atque acute haec verba interpretatur IAC. GOTHOFREDVS *in Comment. ad Regul. iur. p.* 313. Enimuero, dum idem vir inſignis libros iſtos XVIII. a Pomponio memoratos confundit cum eiuſdem Mucii *libro* ΟΡΩΝ, ex quo quatuor fragmenta, reliquis omnibus antiquiora, in Pandectis noſtris ſuperſunt *l.* 8. *ff. de aqua quot. & aeſt. l.* 64. *ff. de adq. rer. dom. l.* 241. *ff. de V. S. l.* 73. *ff. de R. I.* facile patet, eum opinione ſua falli. Index enim Florentinus laudat *Q. Mucii* ΟΡΩΝ βιβλίον ἕν, id eſt *librum vnum*: & in quatuor iſtis, quae indicaui, fragmentis ſemper vocatur *liber* ΟΡΩΝ *ſingularis*, quum contra iſtud iuris ciuilis corpus in duodeuiginti libros fuerit diuiſum. Ceterum verum eſt omnino, quod idem vir doctus ſuſpicatur, hunc quoque librum ΟΡΩΝ non niſi regulas iuris complexum eiuſdemque cum libris ſuperioribus argumenti fuiſſe. Id enim vel ipſa libri inſcriptio ſatis demonſtrat, ὅροι enim, ſeu *definitionis* ICtis veteribus nihil aliud erant, quam regulae iuris, ſeu breuiora ac generalia iuris recepti enunciata. Hinc Vlpianus regulam Q. Mucii noſtri, quae in *l.* 73. *ff. de R. I.* ſupereſt, vocat DEFINITIONEM *l.* 1. §. 5. *ff. quod vi aut clam.* Et alibi memorantur DEFINITIONES IVRIS, id eſt, regulae iuris *l.* 4. *C. in quib. cauſſ. ceſſ. long. temp. & l.* 202. *ff. de R. I.* (vbi in Baſilicis & apud Harmenop. v. 2. definitio vertitur νομικὸς κανὼν) *veteres regulae*, & ANTIQVAE DEFINITIONES, *l.* 4. *C. de Verb. ſign.* REGVLARITER DEFINITA. *l.* 9. *de hered. petit. l.* 25. §. 5. *ff. de vſufr.* & huius generis alia. Ex his ergo ſatis patet, Q. Mucium in libello etiam ΟΡΩΝ non niſi generales regulas propoſuiſſe. Enimuero quum non fiat veroſimile, Q. Mucium, occupatiſſimum virum, actum agere voluiſſe, praetereaque huius libri ὅρων nec Pomponius, cui Q. Mucii ſcripta notiſſima fuiſſe oportet, nec Gellius, nec quiſquam alius ante Tribonianum meminerit, ac denique Graecus titulus illud recentius aeuum redoleat, quo ICtorum Hadriano poſteriorum libelli Graecis ἑρμηνευτικῶν, εἰκοσῶν, Ἀστυνομικῶν, Δωδεκαδέλτου, ἐπιτομῶν titulis ſuperbiebant: non abs re ſuſpicari mihi videor, idem accidiſſe Q. Mucio, quod Alfeno Varo & Antiſtio Labeoni accidiſſe nouimus, vt grande illud iuris ciuilis opus a iureconſulto

quo-

Digitized by Google

quodam ſequioris aeui in compendium redigeretur, idque ſolum compendium ad Iuſtiniani aetatem perueniret.

§. V.

Mucii libros commentariis illuſtrauit Ser. Sulpicius, ſed Mucio parum aequus. Laelii Felicis libri ad Mucium a Gellio laudati. Aetas huius ſcriptoris. Modeſtini libri ad Mucium.

Haec de Q. Mucii libris, quibus quantum pretii ſtatuerint veteres, vel inde colligi poſſe videtur, quod eminentiſſima ingenia in illuſtrandis iſtis induſtriam ſuam exercuerint. Non multo poſt acerbum iſtud Scaeuolae fatum prodierunt SER. SVLPICII Q. F. RVFI *Notata Muciana* aliquoties memorata in iure noſtro, veluti in *l. 30. ff. pro ſoc. §. 2. Inſt. de ſociet. l. 3. §. 6. ff. de pen. leg. l. 25. §. 1. ff. de V. S.* Sed neſcio an ſatis honorifica Mucio fuerit ea Sulpicii opera. Quemadmodum enim a Mucio viuo Sulpicium ferunt obiurgatum, *quod, quum patricius eſſet, & nobilis, & cauſſas oraret, ius tamen, in quo verſabatur, ignoraret: l. 2. §. 43. ff. de Orig. Iur.* ita Mucium mortuum adeo ſemper obiurgauit ac erroris coarguit Sulpicius, vt totum iſtum commentarium REPREHENSA SCAEVOLAE CAPITA adpellare non dubitet Gellius *Noct. Att. lib.* IV. *cap.* I. Notauit etiam ad Q. Mucii libros LAELIVS FELIX, quem ſub Hadriano floruiſſe, ex *l. 3. ff. ſi pars heredit. pet.* adparet. Ex eius enim libro I. ad Mucium quaedam ad iura comitiorum pertinentia decerpſit Gellius *Noct. Att. lib.* XV. *cap.* 27. nec minus HERENNII MODESTINI vaſtum ſatis opus exſtitiſſe oportet ad Q. Mucium, quia eius librum XIV. & XXXI. laudari animaduertimus *l. 53. & l. 54. ff. de A. R. D.* quibus locis pro Pomponii Modeſtini nomen irrepſiſſe, nulla idonea ratione ductus ſuſpicatur vir ſummus, Ant. Auguſtinus *de Nom. propr. in Pand. cap.* I. *p.* 206.

§. VI.

Sex. Pomponii libri XXXIX. ad Mucium. Quo ordine in iis explicarit materias iuris? Idem ordo a Sabino, Caſſio, Vrſeio Feroce obſeruatus.

Aſt reliquis omnibus, quos iuriſprudentia Muciana exercuit, palmam praeripuiſſe videtur SEX. POMPONIVS, iureconſultorum ſub Antoninis celeberrimus. In Indice enim Florentino recenſentur Πομπωνίου *ad* Quintum Mucium *βιβλία τριάκοντα ἐννέα.* Nec male auctorem iſtius indicis numerum librorum iniiſſe, res ipſa docet. Ex omnibus enim iſtius operis libris, praeterquam ex decimo nono, viceſimo nono & trigeſimo quarto, fragmenta quamplurima in Pandectis noſtris exſtant, ex quibus inter ſe comparatis ad oculum poteſt demonſtrari, Pomponium in iſto commentario primum *de teſtamentifactione*, deinde *de legatis*, tum *de poteſtate patria & dominica*, hinc porro *rebus creditis*, *de nuptiis & iure dotium*, *de tutelis*, *de delictis*, *de adquirendo dominio*, *de donationibus*, *de obligationibus contrahendis ſoluendiſque*, *de interdictis* ac poſtremo *de iure publico* egiſſe. Quem ordinem quum etiam in libris Sabini, Caſſii & Vrſeii Ferocis obſeruatum eſſe animaduerterit

Iac. Gothofredus *in Serie librorum Sabinianorum* : veroſimillimum profecto videtur, eo primum vſum eſſe Q. Mucium Scaeuolam; poſtea methodum hanc & Sabino aliiſque ICtis placuiſſe, magis, quod tanto auctore, quam quod concinnitate ſua ſe commendaret.

§. VII.

Libro v. Pomponius de legatis egit. Ioannis Goeddei de occaſione legis noſtrae ſententia.

Et ex hoc POMPONII opere lex noſtra, vt ex eius inſcriptione diſcimus, decerpra eſt, & quidem ex *libro* v. quo eum materiam de legatis expoſuiſſe recte obſeruauit vir doctus, Ioann. Goeddaeus *Comment. ad tit. de Verb. Sign. pag.* 841. idque docent omnia reliqua iſtius libri fragmenta, quae tamquam fractae tabulae commune iſtud naufragium euaſerunt, vt puta *l.* 22. *ff. de vſu & habit. l.* 50. *ff. de condict. indeb. l.* 65. *ff. de iur. dot. l.* 51. *ff. de don. int. vir. & vx. l.* 10. *ff. de aur. arg. mund. l.* 12. *ff. quando dies leg. ced. l.* 3. *ff. de V. O. & l.* 38. *ff. de ſtipul. ſeru.* Enimuero genuinam legis noſtrae ſpeciem non adeo feliciter eruiſſe videtur vir diligentiſſimus. Diſputaſſe ibi exiſtimat Pomponium, cur, quum olim vocabuli LEGARE tam late patuerit ſignificatio, vt & inſtituentes heredem legare dicerentur; poſtea tamen ea tantum, quae ex hereditate delibata titulo ſingulari ac verbis ciuilibus relinquuntur, LEGATORVM nomine venire coeperint? Reſpondiſſe vero Pomponium, latiſſimam illam verbi ſignificationem *vel interpretatione, vel auctoritate legum iuraque conſtituentium*, id eſt, ceu ipſe interpretatur, Principum & Senatus fuiſſe coanguſtatam. Sed fallor ego, aut rem acu non tetigit Goeddaeus. Neque enim Pomponius de latiſſima ſignificatione vocis LEGARE agit, ſed de latiſſima teſtandi poteſtate, ciuibus, lege illa decemuirali conceſſa. Itaque nec verbi notionem, ſed teſtandi facultatem paullatim coanguſtatam eſſe docet. Et quis leges ferri dixerit de verborum ſignificatione? Quiſue tantam ICtis auctoritatem attribuat, vt vocabulis nouam notionem vel ciuitatem dare poſſint, quam vel Caeſarem dare poſſe, recte negabat Marcellus apud Dionem Caſſium *Hiſt. Lib.* LIX. Pendere haec profecto ſolent non ab auctoritate legum, nec ab interpretatione prudentum, ſed ab vſu,

Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Quare hic quidem mihi non ſatisfacit Goeddaei acumen, adeoque id relictum video diligentiae meae, vt comparatis coniunctiſque inter ſe fragmentis omnibus, aliam ac genuinam ſpeciem inueſtigare coner.

§. VIII.

Genuina

Plures libros doctrinae de legatis dederat Pomponius, quartum nempe

nempe & ſequentes vſque ad nonum. Quinto ſpeciatim diſpexerat, quaſnam res ſupremo iudicio per vindicationem legare liceat teſtatori? Ad eam enim quaeſtionem manifeſto pertinent leges omnes, quas ex Pomponii libro v. ſuperſtites eſſe, ſuperiore paragrapho diximus. Primo enim docuerat, ea quoque legari poſſe, quae per ſeruos adquiſierimus, praeterquam ſi ſibi quid fieri, ſeruus noſter ſtipulatus ſit, e. g. operas a liberto praeſtandas. Eam enim ſtipulationem inutilem fore, oſtendit *l.* 38. *ff. de ſtipul. ſeru.* Deinde quum rerum legatarum dominium ſtatim a morte teſtatoris ad legatarium deuoluatur, dubitatio incidere poterat, an iſta proprietas ab vſufructu, vſu, habitatione ſeparari poſſit? id vero fieri poſſe oſtendit *l.* 22. *ff. de vſu & habit.* ſententiamque hanc illuſtrauit exemplo ſeruitutum praedialium, quas inter viuos per ſtipulationes conſtitui poſſe, nemo dubitet. *l.* 3. *ff. de V. O.* Hinc porro de filiofamilias incidit quaeſtio, an, quae per illum adquiſiuerimus, legare poſſimus? Reſpondit, poſſe, modo nobis adquiſita ſint, non ergo penes patrem manere, quae filio relicta ſint, *quum annorum quatuordecim* eſſet factus, filiuſque intra pubertatis annos deceſſerit. Eſſe enim hoc legatum conditionale, quod patri adquiri non potuerit, die eius nondum cedente. *l.* 22. *ff. quando dies leg. ced.* Aliud tamen ſtatuendum monuit, ſi forte heres huiuſmodi legatum, quamuis indebitum, ſciens ſoluerit: tunc enim legatum adquiri patri, ab eoque de eo diſponi poſſe, quia quod quis ſciens indebitum dederit, repetere non poſſit. *l.* 50. *ff. de condict. indeb.* Denique praecipua ſupererat quaeſtio, an teſtator de rebus vxori datis, veluti de auro, argento, mundo diſponere poſſit? Id quoque affirmauit, docuitque, & vxori has res vtiliter legari, *l.* 10. *ff. de aur. arg. mund.* & aliis. Immo & fructus dotis ita pertinere ad maritum monuit, vt de iis pleno iure diſponere poſſit, praeterquam ſi ſeruo dotali aliquid vel hereditate vel legato obuenerit, quod teſtator noluerit ad maritum pertinere. Id enim ſoluto matrimonio reſtituendum eſſe, tradit *l.* 65. *ff. de iure dot.* Denique haec tam vera eſſe addidit, vt ſi maritus de rebus vxoris diſpoſuerit, & haec res ſuas eſſe contendat, exceptio haec, pro eo, ac decet, probanda ſit, quia, quoties in controuerſiam veniat, vnde quid ad mulierem peruenerit? & verius & honeſtius exiſtimetur, a viro, aut qui in poteſtate eius eſſet, ad eam perueniſſe. *l.* 51. *ff. de don. int. vir. & vx.* Omnia itaque per vindicationem legari poſſe docuit, quae teſtatoris eſſent, ſiue a ſeruis, ſiue a filiiſfam. ſiue ab vxore ad eum perueniſſent. Per has perſonas enim omnes tempore Mucii adquirebat paterfamilias, & expediti iuris

ſpecies, ad quam illa referenda.

videbatur, per vindicationem legari poſſe res omnes, quae vtroque tempore, mortis, & quando teſtamentum fiebat, ex iure Quiritium teſtatoris fuerint, praeterquam ſi pondere, menſura & numero contineantur, quae vel mortis tempore ex iure Quiritium fuiſſe teſtatoris, ſufficiebat. Vlpian. *Fragm. tit.* XXIV. §. 7. Quum vero tempore Pomponii in multis res aliter ſe haberet, & non tantum filiifamilias peculium caſtrenſe & quaſi caſtrenſe ſeparatum a rationibus paternis haberent, verum etiam vxores tunc rarius in manum conuenirent, multaſque opes pleno iure poſſiderent: ratio huius mutationis omnino erat reddenda. Hinc addit: *Verbis* quidem *legis* XII. *tabularum*: VTI LEGASSIT REI SVAE ITA IVS ESTO, *latiſſimam poteſtatem tributam videri, & heredis inſtituendi, & legata, & libertates dandi, tutelas quoque conſtituendi: ſed hoc omne vel auctoritate legum vel interpretatione iura conſtituentium* eſſe *coanguſtatum.*

§. IX.

Maximum interpretationis iuridicae myſterium. Iac. Gothofredus laudatus. Legis noſtrae partitio.

Habes iam veram ac genuinam ſpeciem, ad quam lex noſtra pertinet. Quam quum ſolius ope inſcriptionis erutam videas: vel hoc exemplo diſces, quantum momenti in comparatione ac coniunctione legum poſitum ſit, & quam vere in *praefatione incomparabilis Commentarii ad Reg. Iur.* ſcripſerit Gothofredus: *vbi ipſa verba ſpeciem non aperte ſignificent, ibi eam tum ordinis in titulo ſeruati ſubſidio, tum inſcriptionis cuiuſque legis argumento, coniunctis ſeu conglutinatis in id, compactiſque ac coaſſatis omnibus vel pleriſque, quae ex eodem libro ſuperſunt, ceu Vibii membris diſiectis fragmentis, eſſe eruendam; eiuſque arcani ſeu myſterii ignaros prorſus iuxta ac imperitiſſimos Graecos interpretes, & ante Accurſium Latinos, ſpecies perabſurdas ac ridiculas pleraſque protuliſſe.* Sed reperta iam ſpecie, legi ipſi enucleandae accingimur, cuius tria praecipue capita accuratius nobis erunt expendenda. Diſpiciemus enim primum, qualis fuerit illa lex XII. tabularum, cuius non niſi particulam quamdam hic dedit Pomponius? Deinde quam lata ea lege poteſtas patribusfamilias data ſit, inueſtigabimus. Denique quibus legibus, quaque interpretatione latiſſima illa poteſtas coanguſtata, & arctioribus limitibus circumſcripta ſit, eadem cura expendemus. Iis enim probe perſpectis, nihil quidem, quod ad pulcherrimae legis intelligentiam pertineat, deſiderari poſſe arbitramur.

§. X.

Lex XII. Tabula-

Legis XII. Tabularum, cuius hic ICtus meminit, variae paſſim exſtant particulae, ex quibus inter ſe coniunctis non adeo difficile erit,

Digitized by Google

erit, legem ipſam ſuae integritati reſtituere. Pomponius in nucleum eam compingit: VTI LEGASSIT SVAE REI ITA IVS ESTO: nec aliter Iuſtinianus, niſi quod *in principio Inſt. de Leg. Falc.* ſenſus ſupplendi cauſa adiecit: VTI QVISQVE LEGASSIT, in Nouella autem XXII. cap. 2. inſeruit verba: DE RE SVA. Aſt ex Vlpiani *Fragm. tit.* XI. §. 14. diſcimus, ita non ſcripſiſſe Decemuiros, ſed SVPER PECVNIA TVTELAVE SVAE REI, vel, vti apud Paullum *l.* 53. *ff. de V. S.* Florentiae ἀρχαϊκῶς legitur: SVPER PECVNIAE TVTELAEVE SVAE REI, poſito caſu ſecundo pro ſexto, vti *in marmore Gruteriano p.* CXLIII. 2. CVM FERARVM LIBYCARVM. Denique & vocabulum PATERFAMILIAS & alterum FAMILIAE in iſta lege exſtitiſſe, ex Ciceronis *de Inu.* II. 50. & Auctoris ad Herenn. I. 13. adparet. Et ex his diſperſis Hippolyti membris, vt fit, varie admodum legem conſtruunt eruditi. Hadr. Turnebus Aduerſ. XI. II. & Dionyſ. Lambin. ad Cic. *de Inuent.* II. 50. eam talem fuiſſe opinantur: *Paterfamilias vti legaſſit ſuae rei familiae, tutelae pecuniaeue ſuae, ita ius eſto.* Iacob. Cuiacius ad Vlpian. *Fragm. Tit.* II. §. 40. quem & Iac. Gothofred. in XII. Tab. Tabula V. ſequitur, haut paullo veroſimilius eam ita reſtituunt: *Paterfamilias vti legaſſit ſuper pecuniae tutelaeue ſuae rei, ita ius eſto.* Ab eorum ſententia non adeo alienus eſt V. C. Ger. Noodt *obſeruat. lib.* II. *cap.* 19. niſi quod ipſi parum ſe probant illa, *ſuper pecuniae tutelaeue ſuae rei*, pro quibus ſuo periculo reſcribi iubet: *ſuper pecunia ſua.* Quid ergo in tanto ſententiarum diuortio ſequamur? Quid vero? niſi quod in veterum teſtimoniis praeſidium reperit? Ea autem ſi ſequamur, talem fuiſſe oportet legem illam Decemuiralem celeberrimam: PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER FAMILIAE, PECVNIAE TVTELAEVE SVAE REI, ITA IVS ESTO.

rum de teſtamentifactione.

§. XI.

Nemo non videt, primum ac praecipuum, quod hic oculos ſtatim ferit, eſſe verbum LEGASSIT. Illud enim in hac lege XII. tabularum eſt ἐμφατικώτατον, & ita comparatum, vt eo ſolo latiſſima illa de rebus ſuis diſponendi poteſtas ciuibus Romanis data videatur. Eſt enim LEGARE vere vocabulum legislatorium, quod veteribus idem eſt ac *mandare*, *iubere*, *praecipere* & quidem LEGIS MODO, ceu recte rem explicat Vlpian. *Fragm. tit.* XXIV. §. I. & Eutych. *de diſc. coniug.* II. Hinc *legati* dicebantur a *legando*, quia cum mandatis mittuntur, non quia publice leguntur, ceu Varroni de *Lingu. Lat.* IV. 16. *n.* 7. viſum eſt, quem vel primae ſyllabae quantitas in viam reducere potuiſſet. Hinc Plauto *Caſin.* I. v. 12. *legare* eſt mandare ſeruo:

Legare veteribus fuit νομοθετεῖν. Vnde legatus dictus? Varro notatus.

Quin potius, quod LEGATVM *eſt tibi negotium,*
Id curas, atque vrbanis rebus te abſtines?

Hinc porro qui lege a populo vel principe lata ciuitate exeſſe iubentur, dicuntur RELEGATI. Hinc denique eſt, quod voluntatem vltimam νόμον vocat Priſcus *in Excerpt. de legat. p.* 62. teſtamentum autem condere Io. Chryſoſtomo *ad Act. Apoſt. Homil.* 1. *p.* 615. ſit νομοθετεῖν, *legem ferre.* Quemadmodum & Iuſtinianus noſter loquitur *Nov.* XXII. *cap.* 2. vbi de libertate teſtandi loquutus: Νομοθέτω, μὲν, inquit, ἕκαστος ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ τὰ εἰκότα καὶ ἔστω νόμος ἡ τούτου βουλή. *Diſponat vnus quiſque ſuper ſuis, vt dignum eſt, & ſit lex eius voluntas.* Quae poſtrema loca iam V. C. Ant. Schultingius *Iuriſp. vet. Anteiuſt. p.* 599. obſeruauit. Ex quibus omnibus ſane conſequitur, vt LEGARE in XII. tabulis ſit legem dicere rebus ſuis & ea quidem auctoritate dicere, vt quemadmodum *in publicis nihil eſt lege grauius*, ita *in priuatis firmiſſimum ſit teſtamentum.* Cic. *Philipp.* II. 12.

§. XII.

Teſtamenta veterum erant leges.

Tanta nimirum ciuium Romanorum domi ſuae erat maieſtas, vt quidquid vel incolumes, vel animam exigua cum ſpe trahentes agerent, quidquid vellent, iuberent, praeciperent, id omne pro lege & iure legitimo non modo intra iſtud regnum domeſticum, verum etiam in vniuerſa ciuitate haberetur. Quoad viuebant, iure ſummo atque ἀνυπευθύνως praeerant familiae. Liberos aeque ac ſeruos, prout collubitum eſſet, vendebant, emancipabant, noxae vel in adoptionem dabant. Vxores, quae in manum conuenerant, habebant in mancipio, per eaſque non minus ac per liberos omnia adquirebant, &, ſi tres aduenilſent rugae, paucis ſane verbis eam ſarcinulas colligere, reſque ſuas ſibi habere iubebant. Denique, ſi vel vxores, vel liberi, vel ſerui extra officium vixiſſent, non opus erat iudice: ipſi damnabant, & ſupplicium, quod meruiſſent, pro eo, quo pollebant, iure vitae ac necis, irrogabant. Sic vxori exſilium, filio gladius, ſeruo crux in mundo erat, ſimulac Minos iſte vrnam moueret. Tantus erat ciuis Romanus, dum domi imperabat. Quid ſi iam extrema imminerent? quid ſi ſibi vaſa conclamanda intelligeret? Ne tunc quidem eius maieſtati quidquam detractum volebant leges. Quemadmodum antea omnia manu rexerat: ita iam leges ferebat, prout viſum eſſet. Si ſeruos inuideret heredi, ſiue honorificum ſibi fore iudicaret, magnum pileatorum nebulonum agmen lecticam ſuam ad rogum proſequi, eos liberos eſſe iubebat. Filiis filiabuſque, quantum vellet, relinquebat, iiſdem tutores dabat, pupillariter ſubſtituebat. An & exheredare eos poterat vel prae-

praeterire? Quidni vero? quum & occidere poſſet? inquit Paullus *l.* 11. *in fin. de lib. & poſtum. her. inſt.* Denique nec quiſquam legislatori illi intercedebat, ſi hereditatem ita exhauriret legatis, vt praeter inane heredis nomen, & obligationem exſoluendi aes alienum nihil ad heredem perueniret. Sic quamcumque legem ferebat heredi, ſic ſtabat pro ratione voluntas, & legislatorium iſtud: HERES MEVS DAMNAS ESTO. Vnde haec omnia? Ex lege noſtra decemuirali, quae ciuibus leges de rebus ſuis ferre permiſerat. Sic ſi Staberius apud Horat. *Serm.* II. 3. v. 83. ſummam ſepulcro incidere iuſſerat heredes,

Ni ſic feciſſent, gladiatorum dare centum
Damnarat populo paria, atque epulum arbitrio Arri, &
Frumenti quantum metit Africa:

pro iure legitimo erat hominis iſtius inepte ſtulti voluntas, quia in Δωδεκαδέλτῳ erat: PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER FAMILIAE PECVNIAE TVTELAEVE SVAE REI, ITA IVS ESTO.

§. XIII.

Dixi, ex lege hac decemuirali legislatoriam hanc ciuium Romanorum poteſtatem eſſe profectam. Ante hanc enim leges quidem erant teſtamenta, ſed populi ſuffragiis firmatae. Teſtamenta temporibus antiquiſſimis duorum generum in vſu fuiſſe, aliaque in pace & otio in comitiis calatis condi ſolita, alia in procinctu tempore belli, vel ex §. 1. *Inſt. de teſt. ordin.* etiam illi ſciunt, qui nihil ſciunt aliud. Iam prius teſtamenti genus veras ac proprias leges fuiſſe, nemo negauerit. Quid fuerint comitia calata, iam Laelius Felix apud Gell. *Noct. Att. lib.* XV. *cap.* 27. ex Labeone docuit, nimirum *quae pro collegio pontificum habebantur, aut Regis aut flaminum inaugurandorum cauſſa, quorum alia curiata fuerint, alia centuriata. Curiata*, addit, *per lictorem curiatim calata ſeu conuocata; centuriata per cornicinem: & in iiſdem comitiis, quae calata adpellari dixerit, & teſtamenta fieri* conſueuiſſe. Haec Laelius Felix, & quidem ex Labeone, quem Antiquitatum callentiſſimum fuiſſe alibi docet Gell. *Noct. Att. lib.* XIII. *cap.* 12. Fuerunt itaque haec comitia omnium auſpicatiſſima, quippe creandorum pontificum, inaugurandorum regum & ſacerdotum, legumque de rebus ſacris perferendarum cauſſa calata. Ex quo ſimul licebit reddere rationem, cur in iiſdem & teſtamenta conderentur? Nam & haec ad ſacra & religionem pertinere videbantur, ob ſacra priuata, quae cum pecunia ad heredes tranſibant. Ergo procul dubio hic omnia facta, quae in arrogationibus peracta nouimus, quae & ipſae lege curiata fiebant,

Quae domi in comitiis calatis condebantur, erant νομογραφοι. Quae comitia calata? Ritus teſtandi in comitiis.

Digitized by Google

fiebant, quia *adoptionem hereditas nominis*, *pecuniae*, *ſacrorum*, teſte Cicerone *pro domo cap.* XIII. ſequebatur. Quemadmodum itaque in arrogationibus notio erat pontificum, an forte ſacra gentilia interitura ſint, & an per ius pontificium tranſire poſſint ad arrogatum? Cic. *pro domo cap.* XIII. ita nullum eſt dubium, quin eadem in teſtamentis fuerint obſeruata. Vid. Vinn. ad §. I. *Inſt. de teſt. ord.* Quemadmodum deinde in arrogatione eum, qui arrogandus erat, auctorem fieri oportebat: Cic. *pro domo cap.* XXIX. ita nec dubitandum videtur, quin & hic interrogari oportuerit heredem, velletne heres eſſe familiae, pecuniae, ſacrorum teſtatoris? Denique ſicuti in arrogatione magiſtratus ſollemni formula rogabat populum, VELITNE IVBEATNE? iſque deinde curiatim ſuffragia ferebat: Gell. *Noct. Att. lib.* V. *cap.* 19. ita idem dubio omni procul obſeruatum in condendis teſtamentis. Ex quibus omnibus conſequitur, vt vetera illa & ante XII. tabulas condita teſtamenta verae fuerint leges curiatae, adeoque publicae, ſecus ac teſtamenta, quae poſt illam decemuirorum legiſlationem, priuata cuiuſque teſtatoris auctoritate voluntateque ſuſtinebantur.

§. XIV.

Teſtamenta in procinctu erant νόμοι ἄγραφοι.

Sed id quidem facile perſuaſerim cuiuis, prioris generis teſtamenta leges veras ac publicas fuiſſe. Non aeque credibile quibuſdam videbitur, & alterum genus, quod Tribonianus ſatis incommode *procinctum* vocat, publicis legibus eſſe annumerandum. Quid enim commune cum lege habet nuncupatio heredis a milite in procinctu conſtituto, & iam in hoſtem ituro, conuocatis quibuſdam commilitonibus, facta? Nonne & tunc pro lege erat militis voluntas, ad quam confirmandam nec curiae nec tribus in ſuffragia mittebantur? Sed ſalua res eſt. Non ferebant iuris veteris principia, ceu paullo poſt demonſtrabimus, vt quis priuato arbitrio de rebus ſuis diſponeret per modum teſtamenti. Et hinc fieri non poterat, vt ſupremum militis iudicium ratum eſſet, niſi illud populus probaret. Quod vero populus ſupremum iubebat, id lex erat. Quemadmodum itaque ius conſtat aut ex ſcripto aut ſine ſcripto, vt apud Graecos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι: *l.* 6. §. I. *ff. de iuſt. & iure*, ita & antiquorum iſtorum teſtamentorum alia, puta in comitiis calatis condita, erant νόμοι ἔγγραφοι, alia, in procinctu facta, νόμοι ἄγραφοι. Illa expreſſis, haec tacitis populi ſuffragiis rata eſſe iubebantur. Illa proprie leges, haec conſuetudines vocari poterant, quae pro legibus non immerito cuſtodiuntur. Quum enim ipſae leges nulla alia ex cauſſa ciues tenerent, quam quod iudi-

iudicio populi receptae eſſent: merito & ea, quae ſine vllo ſcripto populus probabat, tenebant omnes. Nam quid intereraт, ſuffragio populus voluntatem ſuam declararet, an rebus ipſis & factis? *l.* 32. §. 1. *ff. de legib.* Obſeruaſſe id videtur Plutarchus *in Coriolano p.* 198. dum eam teſtamentifactionem *morem* vel *conſuetudinem*, id eſt νόμον ἄγραφον vocat. ἦν δὲ τότε, inquit, τοῖς Ῥωμαίοις ἔθος, εἰς τάξιν καθισαμένοις, καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον ἅμα καὶ διαθήκας ἀγράφους γίνεσθαι τελῶν ἢ πεττάρων (ita enim reſcribendum videtur pro τελῶν καὶ πετ̃άρων) ἐπακουόντων ὀνομάζοντες τὸν κληρονόμον. MOS *erat Romanis, vt in acie conſtituti, & iam manum inſerentes clypeis, togamque praecingentes, heredem tribus quatuorue audientibus nuncuparent.* Mori hoc tribuit, vt intelligamus, his teſtamentis in procinctu factis non quidem curiarum expreſſa ſuffragia, ſed tacitam populi voluntatem adſtitiſſe. Non itaque rata erant militum teſtamenta, quia ita vellent, quemadmodum poſtea iis hoc priuilegium principum conſtitutionibus attributum eſt, (ita enim omni tempore hoc modo teſtari potuiſſent milites, quum tamen non niſi extremo imminente periculo id iiſdem concederetur, Plutarch. *in Coriolan. pag.* 198. Vellei. Pat. *lib.* II. *cap.* 5. *Cic. de orat. lib.* I. *cap.* 53.) ſed quod in procinctu, vel, vt in veteri gloſſa legimus, ENDO PROCINCTV heredem nuncupaſſent, eamque nuncupationem tacitis ſuffragiis populus ſoleret adprobare.

§. XV.

Haec autem, vt rectius intelligantur, noſtrum erit, oſtendere paullo accuratius, qualia fuerint illa teſtamenta *endo pro cinctu* facta, & quid cauſſae fuerit, quamobrem illud ſupremum militum iudicium tacite probarit populus. Recte Theophilus §. I. *Inſt. de teſt. ord.* a certo militum habitu id teſtamentum nomen reperiſſe obſeruat. τὸ ὄνομα, inquit, δεξάμενον ἐκ τοῦ σχήματος, ὅπερ ἔχοντες διετίθεντο, *nomen ab habitu, in quo teſtamenta faciebant, ſortitum eſt.* Hinc Feſtus in voce *Procincta: Procincta autem claſſis ideo dicitur, quod togis incincti ad pugnam ire ſoliti fuerint. Vnde & teſtamenta* IN PROCINCTV *fieri dicuntur.* At quid eſt Feſto togis incingi? Hic vero obſeruandum, Romanos non niſi auſpicato olim adminiſtraſſe bella. Cic. *de Nat. Deor. lib.* II. *cap.* 3. *de Diuinat. lib.* II. *cap.* 36. Et hinc non modo exercitus aduerſus hoſtem proficiſcebantur, verum etiam pontifices, immo & augures, atque haruſpices, Liv. *lib.* VIII. *cap.* 9. *& lib.* X. *cap.* 28. ne quid, quod ad auſpicia pertinere videbatur, omitteretur. Auſpiciorum illorum cauſſa etiam cinctum Gabinum ſumebant milites, ſi quando res

Cur ea tacitis ſuffragiis probarit populus? Milites in procinctu erant in cinctu Gabino. Habitus hic eorum erat, qui ſe pro exercitu & republica deuouebant. Deuouentium ſe

vltima voluntas pro lege erat. Locus inſignis Liuii explicatus.

res in ſummo periculo eſſent, & ipſi tamquam ad certiſſimam mortem ire viderentur. Et in iſto cinctu Gabino conſtituti, heredes nuncupabant. Teſtis eius rei locupletiſſimus eſt Seruius, qui ad illa Virgilii *Aen. lib.* VII. *v.* 612.

Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Inſignis reſerat ſtridentia limina conſul.

haec notat: GABINVS CINCTVS *eſt toga, ſic in tergum reiecta, vt ima eius lacinia a tergo reuocata hominem cingat. Hoc autem veſtimenti genere veteres Latini, quum necdum arma haberent, praecinctis togis bellabant; vnde etiam milites* IN PROCINCTV *eſſe dicuntur.* In confeſſo itaque eſt, habitum hunc fuiſſe ipſum cinctum Gabinum, adeoque rem parum accurate intelligere, qui a cingulo vel gladio accincto huius teſtamenti vocabulum arceſſunt. Iam autem porro tenendum, milites eos, qui cinctum Gabinum ſumebant, ab Imperatore Diis Manibus pro exercitu fuiſſe deuotos. *Licebat* enim *Conſuli, dictatorique & praetori, quum legiones hoſtium deuouerent, non vtique ſe, ſed quem vellent, ex legione Romana ſcripta ciuem deuouere,* inquit Liv. *lib.* VIII. *cap.* 10. Qui autem capita ſua ipſi deuouerent, eos habitum vel cinctum Gabinum ſumſiſſe, multis teſtimoniis conſtat. De P. Decio Mure patre Liuius *lib.* VIII. *cap.* 9. memoriae prodidit, eum ſe deuoturum *togam praetextam ſumere, & velato capite manu ſubter togam ad mentum exſerta telo pedibus ſubiecto inſiſtere iuſſum* eſſe a pontifice maximo. Hunc autem cinctum Gabinum fuiſſe, ipſe Liuius teſtatur, dum non modo paullo poſt ſubiungit: *Ipſe incinctus cinctu Gabino, armatus in equum inſiluit, ac ſe in medios hoſtes immiſit:* verum etiam *libro X. cap.* VII. obſeruat, P. Decium Murem filium legem Ogulniam grauiſſima oratione ſuadentem, *retuliſſe parentis ſui ſpeciem, qualem eum multi, qui in concione eſſent, viderint, incinctum Gabino cultu, ſuper telum ſtantem, quo ſe habitu pro populo & legionibus deuouiſſet.* Eodem *libro X. cap.* 28. refert Liuius, Decium filium *deuotum eſſe eadem precatione, eodemque habitu, quo pater P. Decius ad Veſerim bello Latino ſe iuſſerit deuoueri.* Quare dubitari non poteſt, quin ii demum milites in procinctu eſſe dicerentur, qui pro legionibus in re trepida eſſent deuoti. Iis autem praeſtructis, iam in procliui erit rationem reddere, cur populus militum, heredes in procinctu nuncupantium, teſtamenta rata habuerit tacito ſuffragio. Quidquid enim agebant deuoti, priuſquam ſe in hoſtem immiſiſſent, perinde ratum erat, ac ſi populus iſtud per curias centuriaſue iuſſiſſet. Exemplum huius rei inſigne eſt apud Liuium *lib. X. cap.* 29. vbi Decium deuotum *lictores Liuio*

pontifici

Digitized by Google

pontifici maximo dediſſe, eumque Propraetorem eſſe iuſſiſſe, legimus. Id ſane nec Conſulis erat, nec totius excercitus, lictores dare, iubere Propraetorem eſſe, bellum cum imperio, quod lege tantum curiata deferebatur, adminiſtrare: & nouimus, in L. Marcio, quamuis exercitu Hiſpanico re deſperata ſeruato, quamuis rebus magnifice & feliciter geſtis, titulum tamen Propraetoris ab exercitu illi delatum non tuliſſe Romanos, *rem mali exempli*, exiſtimantes, *imperatores legi ab exercitu, & ſollemne auſpicatorum comitiorum in caſtra & prouincias transferri.* Liv. *lib.* XXVI. *cap.* II. Et tamen, Propraeturam Liuii pontificis, nec Praetura nec vllo magiſtratu tunc fungentis, ratam tacite habebat populus, nec indignabatur, eum priuatum cum lictoribus fuiſſe apud exercitum, non aliam ob cauſſam, quam quod iſtud imperium ei contuliſſet conſul, pro legionibus ſollemni ritu deuotus. Nec aliam ob cauſſam rata eſſe volebat populus teſtamenta in procinctu facta, quam quia a deuotis eſſent condita, quorum vltimae voluntati refragari, inauſpicatum malique ominis videbatur. Quare iam facile intelligimus, cur tam rara fuerint teſtamenta in procinctu condita. Rarius enim, & non niſi in extremo rerum diſcrimine milites deuouebantur, & in hoſtes ſe immittere iubebantur. Plutarch. *in Coriol. p.* 198. Vellei. *lib.* II. *cap.* V. Nec minus iam in aprico eſt, cur Cic. *de Nat. Deor. lib.* II. *cap.* III. ſcribat, ex eo tempore *in procinctu teſtamenta periiſſe, ex quo maximae reip. partes, in his bella, quibus reip. ſalus contineatur, nullis auſpiciis adminiſtrari coeperint.* Ex quo enim auſpicia perierant, nec deuotioni iſti locus erat, adeoque nec teſtamenta amplius fiebant in procinctu vel cinctu Gabino, ſed iure ordinario, quo alii ciues ſolebant heredes ſcribere vel nuncupare, ceu exempla apud Iul. Caeſ. *de Bell. Gall. lib.* I. *cap.* XXXIX. & Florum *lib.* III. *cap.* X. ſatis luculenter docent.

§. XVI.

Cur teſtamenta apud Romanos per modum legis condita? Legibus de ſucceſſione inteſtatorum non niſi noua lege,

Satis hactenus, opinor, demonſtratum eſt, teſtamenta Romanorum ante legem iſtam decemuiralem veras fuiſſe leges populi, nec priuata teſtatorum voluntate, ſed auctoritate publica, ſubſtitiſſe. Quum autem aliquoties dicere me meminerim, non potuiſſe ex veteris iuris principiis rem aliter ſe habere: eius quoque rei ratio iam erit reddenda, inueſtigandumque, cur non niſi lege publica hereditas potuerit in alium quemcumque transferri? Sunt, qui & hic ad ſacra priuata Romanorum confugiunt, eaque ſine populi ſuffragiis in alium transferri haut potuiſſe, arbitrantur. At haec ſimiliaque antiquiſſimis temporibus non populi iuſſu, ſed

poterat derogari. Cur non permiſſa pacta ſucceſſoria?

ſed auctoritate Pontificum explicari ſolebant ante legem Papiriam; qua primum eiuſmodi rerum cura ad populum tranſlata eſt, ceu erudite docet Nic. Gruch. *de Comit. Rom. lib.* III. *cap.* II. Non magis itaque in teſtamentifactione curiarum ſuffragiis opus fuiſſet, quam in confarreatione, (in qua ſola pontificum auctoritas ſufficere videbatur,) ſi de ſacris tantum in alium transferendis actum fuiſſet. Alia itaque ratione opus eſt, quam ipſa iuris noſtri principia ſuppeditare videntur. Exſtabant iam inde ab ineunte republica leges de ſucceſſione inteſtatorum, quae proximos agnatos ac gentiles ad hereditatem vocabant. Quemadmodum vero nihil tam naturale eſt, quam eo genere quodque diſſolui, quo colligatum eſt: *l.* 35. *ff. de Reg. iur. l.* 100. *l.* 155. *ff. eod.* ita recte inde colligebant Romani, leges non poſſe niſi noua lege vel tolli, vel immutari. Hinc vocabula legitima ABROGARE, DEROGARE, OBROGARE, SVRROGARE, ab Vlpiano *Fragm. Tit.* I. §. 3. Neque enim vel euertere vel mutare legem fas erat, niſi per rogationem, quia eadem rogatione perlata fuerat. Hoc vero poſito, conſequens erat, vt priuatorum cautio legum auctoritate non cenſeretur, *l. vlt. ff. de ſuis & legit. hered.* adeoque nec vltimo cuiuſquam ciuis iudicio, nec pactis ſucceſſoriis, transferri poſſet hereditas, niſi curiarum ſuffragiis id ratum haberet populus. Vere enim ad rem & appoſite Papinianus: *ius publicum*, inquit, *priuatorum pactis mutari non poteſt. l.* 38. *ff. de pact.* Habes rationem, cur patrifamilias ante legem XII. tabularum fas haut fuerit, vel legare ſuper familia, pecuniaue ſuae rei, vel pactis bona ſua in alterum transferre, quam eleganter & verbis breuiſſimis explicat Belgii noſtri Papinianus, Corn. van Bynkersh. *Obſ. lib.* II. *cap.* II. *p.* 113. *Lex igitur praeſcripſit ſuccedendi formam, &, quae eius poteſtas eſt, etiam teſtamentifactionem permiſit, ſed haut aliter quam LEGE quoque, vt ſic lex in cauſſa inteſtati abrogaretur alia lege in cauſſa teſtati. Quare ad excludendos proximos, qui LEGE vocabantur, Romae teſtamenta, vt LEGES quaelibet, apud Populum Romanum, calatis comitiis condebantur.*

§. XVII.

Noua teſtandi ratio per decemuiros inventa. Per eam teſtamentifactio eſſe

Enimuero rem omnem, non tamen ipſa haec iuris principia immutarunt Decemuiri, lege, quam ſupra vidimus, propoſita: PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER FAMILIAE, PECVNIAE, TVTELAEVE SVAE REI, ITA IVS ESTO. Ex eo enim non amplius populus leges de ſucceſſione ferebat, ſed ipſe, vt ſupra diximus, paterfamilias. Quum itaque olim curiarum ſuffragiis heres inſtitueretur: iam priuata teſtatoris voluntate vel νομοθετῶς inſtitue-

Digitized by

ſtituebatur. Parum ergo intererat, placeretne populo, quem quis heredem inſtituerat, an diſpliceret, dumne per leges capere prohiberetur. Paterfamilias enim, vti legabat, ita ius erat. Nec minus ab eo tempore repetenda facultas mutandi teſtamenta pro arbitrio. Sane quum vix veroſimile ſit, olim heredem curiarum ſuffragiis inſtitutum, ambulatoria teſtatoris voluntate legitima hereditate priuari potuiſſe: poſtea ſemper creditum eſt, poſteriore teſtamento rite condito prius rumpi, *l.* 1. *l.* 2. *ff. de iniuſt. rupt. irr. teſt.* adeo vt nec obſtet clauſula priori teſtamento inſerta, qua ſe teſtator illa mutandi facultate diſerte abdicauit: *l.* 6. §. 2. *ff. de iur. codicill.* quum ſemper ea voluntas rata eſſe cenſeatur, quae eſt nouiſſima. *l.* 4. *ff. de adim. leg.* Vnde omnia haec? Ex illa decemuirali legiſlatione, quae patrifamilias conceſſerat LEGARE ſuper rebus ſuis, id eſt patrimonio ſuo legem quamcumque dicere. Non autem ambigitur τὰς μεταγενεστέρας διατάξεις ἰσχυροτέρας εἶναι τῶν πρὸ αὐτῶν, *conſtitutiones* vel leges *tempore poſteriores potiores eſſe his, quae ipſas praeceſſerint*, inquit Modeſtinus *l. vlt. ff. de conſt. princ.* Quamobrem, quemadmodum poſtea lege regia populus in principem omne ſuum imperium & poteſtatem contuliſſe perhibetur, adeo, vt quidquid illi placeret, legis haberet vigorem: §. 6. *Inſt. de I. N. G. & C. l.* 1. *pr. ff. de conſt. princip.* ita vere dici poteſt, lege illa decemuirali: VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO, populum omnem facultatem ſuam νομοθετικὴν de ſucceſſione teſtamentaria in quemlibet patrem familias transſcripſiſſe. *…ccepit priuati arbitrii.*

§. XVIII.

Attamen non promiſcue omnibus eam facultatem conceſſerunt decemuiri: ſed PATRIBVS FAMILIAS. Ii prout legabant, ita ius erat. Iam quidem iure noſtro ita receptum eſt, vt *paterfamilias* dicatur, quicumque in domo dominium habet, quamuis nec liberos habeat, & adhuc infra pubertatem ſit: *l.* 14. *ff. de his qui ſui vel al. iur. l.* 195. §. 11. *ff. de V. S.* aſt Decemuiri paullo aliter accepiſſe videntur vocabulum, & eum demum vocaſſe patremfamilias, qui iuſtae aetatis eſſet, reſque ſuas ipſe adminiſtraret. Vnde ex ipſa hac lege eſt, quod teſtamentum condere non poſſunt ſerui, *l.* 19. *ff. qui teſt. fac. poſſ.* peregrini, quibuſue aqua & igni interdictum, *l.* 8. §. 1. 11. *ff. eod. l.* 1. §. 11. *ff. de legat.* III. filiifamilias *l.* 6. *l. pen. eod.* adeo vt hi nihilo magis iure teſtentur, ſi id pater eis permitteret *pr. Inſt. quib. non eſt perm.* omnes enim hi decemuirali ſenſu non ſunt patresfamilias, quibus ſolis libera teſtamentifactio lege hac conceſſa eſt. Quin ex eadem ratione nec mulieres olim erant teſtabiles, quamuis poſtea id iis conceſſum ſit, *Quid in lege iſta ſit* PATERFAMILIAS?

Digitized by Google

vt ſi in manum non conueniſſent, auctore tutore heredes, quos vellent, inſtituerent. Vlp. *Fragm. Tit.* xx. §. xv. Cic. *pro A. Caecin. cap.* 6. Prohibentur etiam impuberes, *l.* 5. *ff. qui teſt. fac. poſſ.* prodigi, quibus bonis interdictum, *l.* 18. *pr. ff. eod.* multoque magis furioſi & mente capti, *l.* 17. *ff. eod.* quae omnia, quum per interpretationem prudentum inducta eſſe videantur: facile patet, eo ſenſu, quem paullo ante deſcripſimus, vocabulum patrisfamilias ab ICtis fuiſſe intellectum.

§. XIX.

Quid FAMILIA, PECVNIA, TVTELA?

Porro lex eadem conceſſerat patribusfamilias, vt legarent ſuper FAMILIA, PECVNIA TVTELAVE. Familia quotuplici ſenſu in iure noſtro accipiatur, erudite docuit Vlpianus *l.* 195. *ff. de V. S.* Hic in res deducitur, & non ſolum omnes res, omnes opes, omnia bona, quae defunctus habuit, denotat, vti id exponit doctiſſimus Goeddaeus *Comment. ad d. l.* 195. §. 1. *ff. de V. S. p.* 1070. (Nam id omne iam ſub pecuniae vocabulo latitat, cuius ſignificatio ad omnia refertur, quae in patrimonio ſunt, *l.* 5. *pr. ff. de V: S.*) ſed potiſſimum totum teſtatoris ius, in quod heres ſuccedit, maxime etiam ſacra, quorum heres fiebat particeps. Hinc quum M. Anneius a M. Corſeolano naturali patre praeteritus teſtamentum paternum reſcindi peteret: *aliquantulum*, teſte Val. Max. VII. 7. 2. *adiuuabat heredes, quod M. Anneius in Suſenatis* FAMILIAM *&* SACRA *tranſierat:* id eſt, putabant inſtituti heredes, Corſeolanum ſummo iure, praeterito filio naturali, inſtituere potuiſſe extraneos, quia filius in alienam familiam & ſacra per adoptionem tranſiiſſet, adeoque interfuerit teſtatoris, ſacra ſuae gentis non interire, ſed vna cum familia ad heredes deuolui. Addiderunt autem Decemuiri, patremfamilias etiam legare poſſe ſuper PECVNIA, id eſt, vti iam antea expoſui, ſuper patrimonio ſuo. *Quidquid enim homines poſſident in terra, quorum domini ſunt, pecunia vocatur, ſeruus ſit, vas, ager, arbor, pecus: quidquid horum eſt, pecunia vocatur.* Ita recte & plane ex arte noſtra ſcribit Auguſtin. *de diſcipl. Chriſt. cap.* VI. *p.* 585. *Tomo* VI. *Op.* Adiecerunt autem PECVNIAM Decemuiri, vt ſcirent ciues, non modo fas eſſe ſibi, heredum inſtitutione familiam, ſacra atque vniuerſum ius ad alios transferre, ſed & quocumque modo de *pecunia* ſua diſponere, veluti donando, legata relinquendo, heredemue ad id, quod ſibi collibitum eſſet, damnando. Denique & TVTELAE faciunt mentionem, non ſane ſine conſultiſſima ratione. Quum enim & vxores filii filiaequefamilias ad familiam pertinerent, & in teſtatoris mancipio eſſent: facile exiſtimari potuiſſet, eas etiam per-

ſonas

Digitized by Google

ſonas vel heredibus relinqui, vel aliis legari poſſe, maxime quum eae & occidi, & per ceſſionem venditionemque inter viuos in alios transferri poſſent, ceu vel exemplis Catonis, vxorem ſuam Q. Hortenſio, & Claudii, Liuiam ſuam etiam praegnantem Auguſto cedentis, iam ab aliis eſt demonſtratum. Vid. V. A. Zach. Huber. *Diſſ. Philol. iurid. Part.* II. *p.* 149. *&* 153. *ſequ.* Ne itaque & facultatem legandi huiusmodi perſonas conceſſam ſibi exiſtimarent patresfamilias: monendum videbatur, de tutela tantum earum legari poſſe, non de ipſis perſonis, quamuis in poteſtate patrisfamilias conſtitutis.

§. XX.

Cur additum SVAE REI*? An rei tutor detur?*

Sic pleraque legis decemviralis verba expoſuimus, nec quidquam ſupereſt, quam vt de illa adiectione *ſuper tutela* SVAE REI quaedam addamus. Ea enim tam obſcura pleriſque videntur, vt ne genuina quidem eſſe cenſeant. Sane vir immortaliter de iurisprudentia noſtra meritus, Ger. Noodt *Obſ. lib.* II. *cap.* 19. vt iam ſupra occupaui, vel ideo haec verba genuina eſſe negat, quod tutor non rei, ſed perſonae vel capiti libero dari ſoleat, & hinc reſcribendum eſſe cenſet: SVPER TVTELA SVA, eo ſenſu, vt *tutela ſua* ſit tutela eius, qui teſtatori ſuus heres, quique pro eadem cum ipſo perſona ſit. At haec, quantumuis acuta ſint, tamen, quod pace tantorum Manium dixerim, non videntur ſatis iuſtam cauſſam emendationi praebere, quum ea verba & apud Vlpianum *Fragm. Tit.* XI. §. 14. & apud Pomponium noſtrum in *lege* CXX. *ff. de V. S.* & apud Iuſtinianum *pr. Inſt. de L. Falcid. &* *Nou.* XXXII. *cap.* 2. reperiantur. Nam primo verum quidem eſt, tutorem non rei, ſed perſonae, dari, *§.* I. *Inſt. qui teſt. tut. dar. poſſ.* *l.* 14. *ff. de teſt. tut.* & quidem capiti libero *l.* I. *ff. de tut.* Sed eo ſane tempore, quo paterfamilias tutorem teſtamento dat, liberi non ſunt capita libera, ſed in poteſtate patria conſtituti, & liberi ſui, quibus ſolis ex lege noſtra decemuirali tutores dari poſſunt. *l.* I. *pr. ff. de teſt. tut.* Liberi autem, in poteſtate patria conſtituti, erant quidem perſonae ratione aliorum hominum: ratione patris autem RES MANCIPI. Nam praeterquam quod ritu mancipationis a patre vendebantur, Cai. *Inſt. lib.* I. *tit.* VI. *§.* 3. qui in ſolas res mancipi cadebat: iiſque furto ſurreptis pater furti, non ſecus ac ſi res ſibi ſurrepta eſſet, agebat: *l.* 14. *§.* 13. *l.* 38. *pr. ff. de furt.* liberi etiam rei vindicatione directa peti poterant ex iure Quiritium. *l.* I. *§.* 2. *ff. de Rei Vind.* Ex quibus omnibus rectiſſime colligit vir ampliſſimus Corn. van Bynkerſh. *de reb. Mancip. cap.* V. *pag.* 116. & *de Iure occid. lib. cap.* I. *pag.* 145. liberos iure antiquiſſimo res

man-

mancipi, ipſamque patriam poteſtatem verum dominium Quiritarium fuiſſe. Iam nihil eſt in lege noſtra difficile, nihil quod lectorem morari poſſit. Pater enim familias dum tutorem teſtamento dabat, recte legare dicebatur *ſuper tutela* SVAE REI, quia tempore teſtamenti facti liberi inter res teſtatoris erant. Tutela tamen ipſa ex eo demum tempore ſeſe exſerebat, quo pater ad *patres* abierat, quia tunc demum ex rebus fiebant perſonae ſui iuris & capita libera.

§. XXI.

Ritus teſtandi poſt XII. tabulas per aes & libram, a quo inuentus?

Sed haec quidem de ipſa lege XII. Tabularum, conceſſaque per illam latiſſima teſtandi facultate. Quin poſt hanc legem antiqua iſta in comitiis calatis teſtandi ratio ſtatim euanuerit, non eſt quod dubitemus. Quis enim fuiſſet tam ſtolidus, vt faciliore reperto teſtandi modo taedioſo illo vti, & populi, quam ſuo arbitrio, legem rebus ſuis dicere mallet? Quare & nullum in annalibus exſtat conditi in comitiis calatis teſtamenti exemplum, quum tamen paullo diutius, & ſaltim ad annum V. C. DCXIV. in vſu fuerint teſtamenta in procinctu facta. Ad id enim tempus referendum exemplum, quod ſupra ex Vellei. Pater. *lib.* II. *cap.* 5. adduximus. Exiſtimauit quidem ingens quondam Friſiae noſtrae ornamentum Viglius Zuichem. *in comm. ad* X. *Titulos Inſt. de teſt. pag.* 17. non plane ſublatum eſſe hunc teſtandi ritum, ſed hodienum obtinere, & tantum mutatum eſſe, vulgata lege regia, qua teſtamentum coram principe factum eiuſdem eſſe vigoris coeperit, ac ſi coram populo factum fuiſſet. Sed haec admodum diluta videntur. Teſtamentum enim coram principe factum ratum eſt, non quod lege regia populus omnem ei & in eum poteſtatem contulit, ſed quod fide publica ſuſtinetur. Vnde & iudici oblatum citra alias ſollemnitates valet, quum tamen in iudicem poteſtatem legiſlatoriam populus numquam contulerit. *l.* 19. C. *de Teſtam.* Maneat itaque fixum & firmum, a tempore XII. Tabularum nullum amplius exſtare teſtamenti in comitiis calatis conditi exemplum. Quum vero iam alio teſtandi ritu opus eſſet, neque eum definiuiſſent decemuiri: nihil reliquum videbatur, quam vt eum vel Pontifices, vel ICti, qui tum teſte Pomponio *l.* 2. *§.* 6. *ff. de Orig. Iur.* legis actiones componebant, ex ipſis legum iſtarum principiis definirent. Finxerunt hi itaque, hereditatem eſſe rem mancipi, ideo forſan, quod illa in nullius niſi ciuis Romani dominium transſcribi poſſet. Quumque, vti ex Feſto in voce *nuncupata* conſtat, in iiſdem XII. Tabulis cautum fuiſſet: QVI NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO, itemque:

Digitized by Google

que: QVI SE SINIT TESTARIER, LIBRI PENSVE FVERIT, NI TESTIMONIVM FARIATVR, IMPROBVS INTESTABILISQVE ESTO: Gell. *Noct. Att. lib.* XV. *cap.* 13. non exiſtimarunt, commodiorem excogitari poſſe ritum teſtandi, quam per nexum & mancipium, ſeu, quod perinde eſt, per aes & libram, ſeu mancipationem, qua omnium rerum mancipi dominium ſolebat transferri. Boëth. *lib.* III. *ad Topic. Cic.* Adeſſe itaque iubebantur quinque teſtes puberes & ciues Romani, quibuſcum eſſet teſtamentifactio. Adhibendus & LIBRIPENS, more maiorum libram aeneam manu geſtans, ac praeterea, vt ex Clement. Alex. *Strom.* V. *p.* 574. colligimus, ANTESTATVS. Denique praecipue opus erat *familiae pecuniaeque emtore*, qualem in teſtamento Auguſti fuiſſe nouimus Domitium. Suet. *Neron. cap.* 4. Hic, quum heredis perſonam referret, in ſpeciem emebat hereditatem vel familiam, eamque mancipio accipiens addebat verba ſollemnia: HANC EGO FAMILIAM PECVNIAMQVE EX IVRE QVIRITIVM MEAM ESSE AIO, EAQVE MIHI EMTA EST HOC AERE, HAC AENEAQVE LIBRA, eaque proloquutus, aere percutiebat libram, indeque aes dabat ei, a quo mancipio acceperat. Haec in omnibus mancipationibus fieri oportuiſſe, ex egregio Caii noſtri fragmento apud Boëthium diſcimus. Et ſane his ambagibus opus in teſtamento erat. Quum enim, vt ſupra docuimus, leges de cauſſa inteſtati priuata teſtatoris voluntate tolli non poſſent: fingendum omnino erat, familiam inter viuos per aes & libram transferri, non per vltimam voluntatem, ceu acute iterum vidit laudatiſſimus vir, Corn. van Bynkersh. *Obſeru. lib.* II. *cap.* 2. *p.* 113. At ne ſic quidem res in vado eſſe videbatur. Ita enim vere fiebat alienatio, dominiumque iuris Quiritium irreuocabile in familiae emtorem tranſire oportebat, quem tamen plerumque heredem eſſe nolebat teſtator. Itaque primo huic actui, quem *familiae mancipationem* appellat Vlpianus *Fragm. Tit.* XX. §. 9. ex conſilio ICtorum alter accedebat, puta *nuncupatio teſtamenti.* Fingebatur enim, venditam quidem eſſe hereditatem, ſed certis legibus, quas in tabulis teſtamenti ſcripſiſſet teſtator, eaſque leges ratas eſſe debere ob legem XII. Tabularum paullo ante laudatam: *Vti lingua nuncupaſſit, ita ius eſto.* Hinc iam teſtator, tabulas teſtamenti tenens, vtebatur verbis ſollemnibus: HAEC, VTI IN HIS TABVLIS CERISVE SCRIPTA SVNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR, ITAQVE VOS QVIRITES, TESTIMONIVM PERHIBETOTE. Vlpian. *Fragm. tit.* XX. §. IX. Iſidor. *Orig. lib.* V. *cap.* 24. Eo facto Anteſtatus aures teſtium attrectabat, eoſque rei geſtae iubebat eſſe memores. Vnde recte a Cle-

mente Alex. *Strom.* v. *p.* 574. (cuius tempore nondum exoleuerant teſtamenta per aes & libram facta,) in veterum teſtamentifactione obſeruauit *ζυγὰ, καὶ ἀσσάρια, καρπισμούς τε καὶ ἰτὰς τῶν ὤτων ἐπιψαύσεις, libras, aſſes, mancipationes & aurium attrectationes*, vti iam vidit vir eximius, Schulting. *Iuriſp. vet. anteiuſt. p.* 629.

§. XXII.

Pleraque iura noua teſtamentorum ex principiis antiquis fluunt.

Satis diu hunc teſtandi ritum viguiſſe, non modo ex Suetonii variis locis, ſed & vel maxime ex Vlpian. *Fragm. tit.* xx. §. 2. ſatis conſtat. De ſua enim aetate, quae in tempora Seueri & ſucceſſorum incidit, ibi ita loquitur: *Illis duobus teſtamentis* (in comitiis calatis & in procinctu) *abolitis, hodie ſolum in vſu eſt, quod per aes & libram fit, id eſt, per mancipationem imaginariam.* Solum, inquit, hoc teſtamentum ſuo tempore in vſu fuiſſe, quum tamen multis ſaeculis ante in viridi obſeruantia eſſent Praetoria teſtamenta, in quibus ex edicto praetorio praeter ſeptem teſtium ſigna nihil requirebatur. Non nouum enim eſſe hoc Praetorium edictum, ſed ſatis antiquum, & libera adhuc republica notiſſimum, ex Ciceronis *libro* I. *in Verr. cap.* 45. patet. Refert ibi, iam Verrem, Praetorem vrbanum, huiusmodi edictum propoſuiſſe: SI DE HEREDITATE AMBIGATVR, ET TABVLAE TESTAMENTI NON MINVS MVLTIS SIGNIS, QVAM E LEGE OPORTEAT, AD ME PROFERENTVR, SECVNDVM TABVLAS TESTAMENTI POSSESSIONEM HEREDITATIS DABO. Et tamen, ne quis Verrem huius edicti auctorem putaret, ſtatim ſubiicit Cicero: *Hoc translatitium eſt*, id eſt, hoc edictum non nouum, ſed ex anteriorum Praetorum edictis in illud Verrinum translatum eſt. Id enim vocari ſolitum eſſe *edictum translatitium*, ex Cic. *Epiſt. ad fam. lib.* III. *Epiſt.* 8. & *ad Att. lib.* VI. *Epiſt.* 21. & *lib.* VI. *Ep.* I. patet. Quum itaque ſatis antiquum fuerit praetorium iſtud teſtamentum, *ad quod*, teſte Iuſtiniano, *nulla emancipatio deſiderabatur, ſed ſeptem teſtium ſigna ſufficiebant*: §. 2. *Inſt. de teſt. ord.* qua fronte Vlpianus ſolum teſtamentum per aes & libram ſua aetate obtinuiſſe, adfirmare potuit? Sed ſalva omnino res eſt. Teſtamentum eſt vocabulum iuris ciuilis, & eiusmodi *νομοθεσία*, ex qua hereditas defertur. §. *vlt. Inſt. per quas perſ. nob. adqu.* Teſtamentum autem per aes & libram, abolitis reliquis, ſolum ad ius ciuile referebatur, §. 2. *Inſt. de teſt. ordin.* non illud praetorium, ex quo non hereditas, ſed bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas dabatur. *l.* 7. *l.* 9. *ff. de bon. poſſ. ſec. tab.* Itaque ſolum illud legitimum teſtamentum in vſu fuit tempore Vlpiani, immo & multo poſt eius aetatem ſeparatae

man-

manſerunt rationes teſtamenti ciuilis & praetorii vſque ad tempora Theodoſii iunioris, quibus primum contigiſſe, vt in vnam conſonantiam ius ciuile & praetorium iungeretur, non ſine adparatu docet Iac. Gothofred. *ad l. 1. C. Theod. de teſtament. & codicill. lib.* IV. *Tit.* 4. *Tom.* 1. *pag.* 334. *ſequ.* Quamuis autem ex eo tempore noua illa teſtandi ratio inualuerit, quae in libris Iuſtinianeis deſcribitur: nihil tamen fere eſt in hodierna teſtandi ratione, cuius origo non ex antiqua, quam hactenus deſcripſimus, teſtandi ratione ſit repetenda. Sic requiritur & hodie, vt vno eodemque tempore eodemque contextu teſtamenta condantur: *l.* 21. *C. de teſtament. l.* 21. *§. vlt. ff. qui teſt. fac. poſ.* non alia de cauſſa, quam quod & olim, comitiis vel diri ominis obnunciatione vel alia re triſti turbatis, nihil actum cenſebatur. Adeſſe iubentur ſeptem teſtes, vt ſint, qui quinque illos teſtes in mancipatione adhibitos, cum libripende & anteſtato, repraeſentent. Teſtes non omnes admittebantur, ſed ii, quibuscum erat teſtamentifactio. §. 6. *Inſt. de teſt. ord.* Res ipſa autem docet, omnes illos excludi, quibuſcum non erat communio comitiorum. Vnde mulieres, quamuis & teſtari poſſint & heredes inſtitui, in teſtium tamen numero eſſe prohibentur. *l.* 20. §. 6. *ff. qui teſt. fac. §.* 6. *Inſt. de teſt. ordin.* Rogari porro oportebat teſtes, *l.* 21. *§. pen. ff. eod.* vt ne vmbra & ſimulacrum aliquod deeſſet antiquae rogationis: VELITIS IVBEATIS QVIRITES. Haec omnia ex antiqua teſtandi ratione retinuerant Romani, veterum rituum tenaciſſimi. Haec ex comitiis calatis in teſtamentifactionem per aes & libram tranſtulerant. Haec demum in ipſam nouam teſtandi rationem, quam conſtitutiones principum inuexerunt, tranſierant, vt adeo nihil in hodierna teſtamentifactione nouum ſit, praeter teſtium ſubſcriptionem & ſigna, quorum illam ex conſtitutionibus, haec ex Praetoris edicto eſſe, ipſe Imperator obſeruat *§.* 3. *Inſt. de teſt. ordin.*

§. XXIII.

Ex his autem, quae diximus, facile definiri poteſt genuina teſtamentifactionis origo, quam alii a Numa, alii ex iure Attico, alii ab ipſis Romanis repetunt. Noſtrum quidem iam non eſt, tantas componere lites, neque id pateretur chartae, quam huic exercitationi deſtinauimus, anguſtia: nec veremur tamen adfirmare, res plerumque diuerſiſſimas a viris doctis miſceri, atque inde euenire, vt omnibus fere eorum ſententiis & veri quid inſit, & falſi quamplurimum. Sane, ſi ex me quaeras, an ipſa teſtamentifactio ab Athenienſibus ad Romanos migrarit? non id modo negabo, ſed ne iis quidem ſuffragabor, qui eam a Numa repetunt. Antequam do

Vnde haec teſtandi ratio? Ius teſtandi iam ante Romam conditam in Italia viguit. Noua tamen teſtandi ra-

nio ex iure Attico, ritus ex interpretatione prudentium ſunt.

de adoptando iure Attico cogitaſſent Romani, teſtamenta in procinctu facta eſſe iam ſupra ex Plutarchi *Coriolan. p.* 198. demonſtrauimus. Ante haec tempora ſub Anco Marcio Laurentiam meretricem a Tartutio heredem factam refert Plutarchus *Quaeſt. Rom.* XXXV. *& in vita Romuli*, vbi de viro ait, τελευτῶν ἀπέλιπε κληρονόμον, *moriens heredem reliquit*, quod ſane, quum Laurentiam agnatam fuiſſe non liqueat, non poteſt, niſi de ſucceſſione teſtamentaria, explicari. Auctorem porro habemus Liuium *lib.* 1. *cap.* 46. ipſum Ancum Marcium Regem Romanorum filiis L. Tarquinium Priſcum tutorem dediſſe: quod, ignota adhuc tutela datiua, teſtamento factum oportuit: Veroſimillimum itaque eſt, ab ipſis vrbis incunabulis teſtamentifactionem Romae valuiſſe. Idque inde colligo, quod ea in Latio aeque ac reliqua Italia tum circa tempora vrbis conditae, tum ante eius natales in vſu fuerit. Nam Damaretum Corinthium, qui *domo* profugus Tarquiniis conſederat, Lucumone inſtituto omnium bonorum herede, *immemorem in teſtamento nepotis diſceſſiſſe*, refert Liuius *lib.* 1. *cap.* 34. Quod quum vel ſub Numa, vel ſub Tullo Hoſtilio contigiſſe oportuerit, argumento eſt, jam eo tempore in Hetruria teſtamenta fieri conſueuiſſe. Idem auctor grauiſſimus *lib.* 1. *cap.* 3. memoriae prodidit, Procam, Albanorum regem, Numitori, *qui ſtirpis maximus fuerit, regnum vetuſtum Silviae gentis legaſſe.* Quum itaque temporibus Romuli in Latio aeque ac Hetruria iam nota eſſet teſtamentifactio: quid eſt, quod eam ex iure Attico vel a Numa repetere velimus? Quis dubitauerit, quin Romulus potius iura illa Albana, tamquam e maiori patria, Romam in nouam coloniam tranſtulerit: Sin quis autem porro ex me quaeſiuerit, vnde illa teſtandi ratio, quam Decemuiri XII. Tabulis inuexerunt, orta ſit? non poſſum, quin iis adiiciam calculum, qui illam Atticae originis eſſe arbitrantur. Non ignorabant quidem Romani ante Decemuiros teſtamentifactionem: ſed id principium ignorabant: VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO. Id autem dubio omni procul Athenis attulerant tresuiri, quos Romani legum deſcribendarum cauſſa in Graeciam miſerant. In vniuerſa enim Graecia exſtabant leges, ἐξεῖναι τὰ ἑαυτοῦ διατίθεσθαι ἁπλῶς, ὅπως ἄν τις ἐθέλῃ τὸ παράπαν, *vt ius ſit vnicuique, de rebus ſuis, prout collibitum eſſet, legare.* Plato *de legib.* XI. *p.* 679. idemque & Athenis ex legibus Solonis obtinuiſſe nouimus. Quum enim antea nefas Athenis haberetur, teſtamentis conditis ſpem agnatorum interuertere: Solon, teſte Plutarcho *in Solon. p.* 90. liberum fecit, ᾧ βούλεταί τις, εἰ μὴ παῖδες εἶεν αὐτῷ, δοῦναι τὰ αὐτοῦ, *non*

exſtan-

exſtantibus liberis, cui viſum eſſet, ſua dandi legandique; Quod & Demoſthenes *Orat.* II. *in Steph. p.* 983. confirmat. Habes hic illud ipſum principium: VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO. Et quamuis Solon varios caſus excepiſſet, veluti ſi quis liberos germanos maſculos haberet, ſi emotae mentis eſſet, aut ſenectute, morbo vel veneficio praepeditus, aut muliebribus blanditiis inſtinctus, aut denique neceſſitate vel vinculis circumuentus, ceu ex loco eodem Demoſthenis intelligimus: multas tamen ex his exceptionibus negligendas putabant decemuiri, partim quod, teſte Dionyſ. Hal. *lib.* II. *p.* 96. liberi Romae adductius regerentur, quam Athenis, partim, quod maiorem libertatem mereri videretur ciuis Romanus, quam ſcurra vel nauta Atticus. Denique ſi quaeſtio ſit, vnde ritus teſtandi per aes & libram promanarit? extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur, eum non ex ipſis XII tabulis eſſe, ceu ex male intellectis Feſti & Gellii locis ſibi perſuaſerunt viri eximii, & in his Franc. Balduin. *ad* XII. *Tab. cap.* XXIX. *p.* 118. ſed ex ingenio vel Pontificum, vel ICtorum; qui ex XII. tabulis legis actiones compoſuerunt, ceu iam ſupra ſuo loco obſeruauimus.

§. XXIV.

Ex lege XII. tabularum latiſſima poteſtas, heredem inſtituendi. LEGATARIVS HERES in marmore apud Reineſium.

Sic demum ſatisfeciſſe videmur primae tractationis noſtrae parti, id eſt, expoſitioni legis Decemuiralis: VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO. Proximum eſt, vt quid ex hac lege conſequatur, eadem diligentia, ſed breuius tamen, tradamus. Ait Pomponius noſter: *Verbis his legis* XII. *tab. latiſſima poteſtas tributa videtur, & heredis inſtituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque conſtituendi.* Quod ad heredis inſtitutionem attinet, ea omnino ex hac ipſa lege fluit. Quamuis enim non *inſtituendi heredis*, ſed *legandi* tantum poteſtas tribui videatur ciuibus: omnino tamen lex Decemuiralis vel maxime etiam pertinet ad heredis inſtitutionem, *quae caput & fundamentum intelligitur totius teſtamenti.* §. 34. *Inſt. de legat.* Nam primo permittit patrifamilias legare etiam de FAMILIA, quod ad legata non pertinere poteſt. Deinde LEGARE, vt ſupra expoſuimus, eſt νομοθετεῖν *legem dicere rebus ſuis.* Lex autem ferri non poteſt, niſi ſint, quibus parendi neceſſitas incumbat, quales ſunt heredes inſtituti, ſimul ac vel adeundo, vel pro herede gerendo hereditatem adquiſiuerunt. Hinc *legare* veteribus dicebantur, non modo qui aliquid titulo ſingulari relinquebant, ſed & qui heredem inſtituebant. Locum Liuii *lib.* I. *cap.* 3. vbi *Procus Numitori, ſtirpis maximo, regnum legaſſe* dicitur, paullo ante vidimus. Id vero non de legato, ſed heredis inſtitutione eſſe

intelligendnm, recte iam alii obſeruarunt. Neſcio, an huc etiam pertineat marmor Romanum apud Reineſ. *Inſcript. Claſſ.* VIII. 82. cui, quod a Reineſio ipſo illuſtratum non eſt, non nihil lucis adfundere iuuabit. Eſt illud tale:

D. M.
AVREL. MVCIANVS
VETER. EX N. SING. AVG.
N. VIX. ANN. XXXXV.
DOMO. THRACIA.
IVL. VALENS. LEG. HERES.
AMICO. ET. MVNICIPI.
OPTIM. B. M. F. C.

Poſitum hoc monimentum AVRELIO MVCIANO, (cuius & alioquin mentio fit in marmore apud Grut. p. MLXIX. 9.) VETER*ano* EX *Numero* SING*ularium* AVG*uſti Noſtri*, vti hic titulus & in alio marmore Grut. p. DXVIII. 7. occurrit. *Fieri* autem illud amico & municipi optimo & bene merenti *Curauerat* IVL. VALENS, & quidem, quod ad nos maxime pertinet, LEG*atarius* HERES. Ita enim litteras recte illas interpretatur in his litteris verſatiſſimus, Thom. Reineſ. *in Indice vocabulorum rariorum & ſignificationum inuſitatiorum.* Quid vero eſt *legatarius heres?* Sane ſi cui vniuerſarum rerum vel hereditatis portio legatur, is in arte noſtra non *legatarius heres* dicitur, ſed *partiarius legatarius* de quo *l.* 76. §. 2. *l.* 8. *§. vlt. de legat.* 2. §. 5. *Inſt. de fideic. hered.* Cic. *pro Caecin. cap.* IV. & V. *de legibus lib.* II. *cap.* 20. In re porro certa inſtitutus, ſi coheredem non habet, non legatarius eſt, ſed heres ex aſſe: *l.* 1. *§.* 4. *ff. de hered. inſt.* ſin coheredem habet, legatarius eſt, non heres. *l.* 13. *C. eod.* Poteſt quidem & praelegatum accipere heres: ſed & tunc *legatarius & heres* diceretur, non *legatarius heres*, quo ſe nomine hic adpellat Iulius Valens. Vnde fere adducor, vt haec tanquam *συνώνυμα* iungi credam, quia iure veteri LEGARE erat etiam heredem inſtituere. Recte itaque & is, qui in vniuerſum ius teſtatoris ſucceſſerat, *legatarius* dici poterat, ſed vt a reliquis, qui aliquid titulo ſingulari ex teſtamento acceperint, diſcerneretur, *legatarius heres*. Si autem legis decemuiralis, ad quam nunc veluti e diuerticulo redimus, ita intelligenda ſunt verba: facile profecto patet, *latiſſimam heredes inſtituendi poteſtatem* illis tribui patribus familias. Hinc poterant Romani veteri iure heredes inſtituere omnes, ſiue liberi eſſent, ſiue ſerui, & hi ſiue proprii ſiue alieni, *leg.* 3. *pr. ff. de her. inſt.* ſiue ſui, ſiue extranei,

&

Digitized by Google

& hos quidem ſuis etiam excluſis. *l.* 11. *ff. de lib. & poſt.* Cic. *de orat. lib.* 1. *cap.* 38. Poterant inſtituere, quotcumque vellent, *§.* 4. *Inſt. de her. inſt.* & quoto gradu vellent, *l.* 1. *pr. ff. de vulg. & pup. ſubſtit.* Vnde & ſubſtitutio pupillaris, quam viri docti negant ex XII. tabulis eſſe, aeque ac vulgaris ex hac lege noſtra fluit. Dum enim paterfamilias filio impuberi ſubſtituebat, legabat de familia pecuniaque ſuae rei, eouſque donec ipſe filius teſtamentum condere per aetatem poſſet, quemadmodum in idem tempus ei tutorem quoque dabat. Nec eſt, quod quis nobis obuertat *legem* 2. *pr. ff. de vulg. & pup. ſuſt.* vbi moribus tribuitur pupillaris ſubſtitutio. Nam & in XII. Tabulas migraſſe πάντας τοὺς πατρίους ἐθισμοὺς vel ἀγράφους ἐθισμοὺς, *omnes mores patrios & non ſcriptos*, teſtis eſt locupletiſſimus Dionyſ. Halic. *lib.* 11. *p.* 96. & *lib.* x. *p.* 676. Denique ex eadem lege poteſtas fiebat patrifamilias inſtituendi heredes vel ex aſſe, vel ex quantacumque parte, vel pure, vel ſub conditione. In diem duntaxat fieri non poterat inſtitutio, quia iiſdem XII. Tabulis cautum fuerat: *Aſt ſi inteſtato moritur, cui ſuus heres nec eſcit, agnatus proximus familiam habeto. Si agnatus nec eſcit, gentilis familiam heres nanciſcitor. Pariat. LL. Moſ. & Rom. tit. vlt. §.* IV. Inde enim colligebant veteres, tum demum admitti heredes legitimos, ſi quis INTESTATVS moriatur, adeoque *neminem pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere*, *l.* 7. *de R. I.* vel heredem in diem inſtituere poſſe. *l.* 88. *ff. de her. inſt.* Quare iam in oculos incurrit ratio iſtius celeberrimi axiomatis, in quam tam operoſe, nec tamen felici ſemper ſucceſſu inquirunt viri docti.

§. XXV.

Ex eadem lege fluit ius legata dandi. Legata cur dari oportuerit verbis ciuilibus?

Non modo autem heredes inſtituendi latiſſima poteſtas hac lege decemuirali tributa eſt patrifamilias, verum etiam, quod proxime addit Pomponius, LEGATA *dandi*. Fas enim illi erat, non tantum de *familia legare*, quod paullo ante ad heredis inſtitutionem pertinere diximus, ſed & *de pecunia*, id eſt, de vniuerſo patrimonio. Legabat autem de pecunia ſua vel ita, vt rerum quarumdam dominium ſtatim a morte ſua ad legatarios tranſire iuberet, quod erat legatum *vindicationis*, vel vt legiſlatoris inſtar damnaret heredem ad dandum faciendumque, quod legatum *damnationis* dicebatur, vel vt vnum ex coheredibus aliquid tamquam legatum praecipere iuberet, quale legatum *per praeceptionem* vocabatur, vel vt denique heredi hanc legem diceret, vt ſineret legatarium ſumere: vnde legatum tunc dicebatur *ſinendi modo* relictum. Vlpian. *Fragm. tit.* XXIV. *§.* 2. *ſequ.* Cai. *Inſt. lib.* II. *tit.* 7. *princ.*

princ. §. 2. Inſt. de legat. Quodcumque autem onus imponeret heredi, quantamcumque hereditatis partem legatis exhauriret, quibuſcumque vteretur formulis, perinde erat, modo legaret verbis *ciuilibus*, Vlpian. *Fragm. tit.* XXV. *§.* I. Ciuilia autem verba erant, quibus ciuitas vtebatur in ferendis legibus. Quemadmodum itaque populus leges non ferebat Graece, ſed latine: ita nec legatum Graeca aliaue lingua ſcriptum valebat. Vlpian. *ib. §. 9.* Quae enim ſunt iuris ciuilis, Latine, quae iuris gentium, qualibet lingua poterant explicari. *l.* 8. *§. fin. ff. de accept.* Deinde quia populus leges ferens non rogat, ſed imperat, & *legatum* relinquendum erat *legis modo, id eſt, imperatiue*, Vlpian. Fragm. *tit.* XXIV. *§.* 10. quia alias non videbatur legatum, ſed fideicommiſſum, quod nullo iuris vinculo, ſed tantum pudore heredis, continebatur. *§.* I. *Inſt: de fideic. her.* His obſeruatis iam facile patet, quam lata data fuerit priuato iſti legiſlatori legandi facultas. Recte & vtiliter dabat, legabat res iam exſtantes & futuras, corporales & incorporales, proprias & alienas, res & facta. Recte legabat pure, ſub conditione, in diem, ſub modo, cauſſa, demonſtratione, adeo vt nec falſa cauſa, nec demonſtratio, nec conditio impoſſibilis legatum perimeret. Ratio non longe arceſſenda. Vti enim legiſlatoris non eſt rationes reddere, ſed imperare, & ideo Senecae iudicio nihil abſurdius eſt lege cum prologo: ita nec teſtatoris erat, rationes reddere ſui legati. Stabat pro ratione voluntas, nec tam lata poteſtas ferendi leges data erat Athenis Soloni, Spartae Lycurgo, Romae decemuiris, quam patrifamilias domi cuique ſuae. Huic enim non opus erat curiarum ſuffragiis, ſed ſufficiebat lex: VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO.

§. XXVI.

Ex eadem eſt ius dandi libertates.

Eadem vero lege & LIBERTATES DANDI *latiſſimam poteſtatem* patrifamilias *tributam* eſſe, ait Pomponius. Serui enim erant res mancipi, Vlpian. *Fragm. Tit.* XIX. *§.* I. in quas omne ius ſibi conceſſum eſſe ſciebant Romani. De ſeruis itaque diſponentes, *legabant de pecunia ſua*, & quemadmodum eos aliis poterant legare, donare, vſumfructum, vſum, operas eorum aliis relinquere: ita & nihil impediebat, quo minus eoſdem vel pure, vel ſub conditione, vel ex die liberos eſſe iuberent. Nec intererat, quot & quos hoc inaeſtimabili beneficio afficere vellent, antequam Auguſtus legibus Aelia Sentia & Fuſia Caninia *manumittendi modum terminaret.* Suet. *in vit. Aug. cap.* XL. Hinc Dionyſ. Halic. *Antiq. Rom. lib.* IV. *p.* 238. noſſe ſe, ait, qui tota ſeruitia teſtamento libera eſſe iuſſerint, tantum vt benignitatis laudem ferrent

rent poſt mortem, & in funeris elatione magna pileatorum frequentia lecticam eorum proſequeretur, in qua pompa eſſe audiuerit, *ἐκ τῶν δεσμωτηρίων ἐξεληλυθότας, κακούργους ἀρτίως, μυρίων ἄξια διαπεπραγμένους θανάτων*, *recens dimiſſos ex carcere, maleficos, mille ſupplicia meritos.* Iam quamuis dedecori atque oneri ciuitati eſſet haec colluuies, quamuis impuram iſtam pileatorum turbam boni omnes cum indignatione, & ſtomacho adſpicerent: nefas tamen videbatur, iſtorum furciferorum libertati intercedere. Periculum enim erat, ne quid deminueretur de maieſtate domeſtica patrisfamilias, cui ſemel hanc facultatem νομοθετικὴν indulſerant decemuiri: VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO.

§. XXVII.

Denique eadem lege & TVTELAS *conſtituendi* poteſtatem latiſſimam tributam eſſe patribusfamilias, Pomponius obſeruat. Nam *legare* iis licebat etiam SVPER TVTELA SVAE REI. Iam quidem & ſerui erant res defuncti, ſed in iis tutela locum non habebat, quippe vis & poteſtas in capite libero. *l.* 1. *ff. de tut.* Contra liberi quidem, vti dixi, rebus mancipi accenſebantur, mortuo tamen parente, capita fiebant libera, & hinc omnino patri facultas erat legandi ſuper tutela eorum, ſi eius eſſent aetatis, vt ſe ſponte tueri haut poſſent. Et ſane latior ea in re poteſtas erat huius regis domeſtici, quam praetoris, aut praeſidis, aliorumue magiſtratuum, qui ex lege Attilia vel Iulia & Titia tutores dabant. Hi enim nec minores, nec furioſos dare poterant; ille poterat. *l.* 10. *§.* 3. *ff. de teſt. tut. §.* 2. *Inſt. eod.* His non licebat, niſi pure tutorem conſtituere: *l.* 6. *§.* 1. *ff. de tut. l.* 77. *de R. I.* ille etiam ſub conditione, & ex die vel in diem dabat, *l.* 8. *§.* 2. *ff. de teſt. tut.* adeo, vt, antequam leges pubertatis annos finiiſſent, in arbitrio patrisfamilias fuiſſe videatur, teſtamento ſtatuere, quamdiu filium impuberem haberi vellet. Sane in *lege* 101. *§.* 2. *ff. de cond. & demonſt.* habetur fideicommiſſum ea conditione relictum tutori, *ſi tutelam in annum octauum decimum geſſerit.* Et quamuis Vlpianus cenſeat, fideicommiſſi huius conditionem non deficere, ſi tutor, curatoribus conſtitutis, tutela ſe abdicaſſet: facile tamen patet, id iuſtam quidem cauſſam habuiſſe tempore Vlpiani, non autem iis temporibus, quibus nondum certus finitus erat pubertatis terminus. Et inde, ceu iam Merill. *Obſ. lib.* v. *cap.* 16. vidit, illuſtrari poteſt locus ille Pauli Apoſtoli difficillimus, quo contra iuris hodierni principia pupillum dicit *ὑπὸ ἐπιτρόπους εἶναι καὶ οἰκονόμους ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρὸς*, *ſub tutoribus & curatoribus eſſe, vſque ad tempus a patre praefinitum. Gal. cap.* IV. *comm.* 2.

Nec non ius dandi tutores.

Praeterea paterfamilias tutorem dare poterat etiam vxori, quae in manum conuenerat. Quum enim & haec in manu & mancipio mariti, & filiaefamilias ac heredis ſuae loco eſſet: Gell. *Noct. Att. lib.* XVIII. *cap.* 6. conſequens ſane videbatur, vt hic tutorem eidem teſtamento dare poſſet, quantaecumque eſſet aetatis, ſiquidem perpetuam fuiſſe mulierum tutelam, inter omnes conſtat. Et id luculenter demonſtratur teſtimonio Liuii *lib.* XXXIX. *cap.* 19. vbi Hiſpalae Fecenniae SCto data dicitur *gentis emtio &* TVTORIS OPTIO, *quaſi ei vir teſtamento dediſſet.* En denuo facultatem vere νομοθετικὴν, natam ex illo carmine decemuirorum ſollemni: VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO.

§. XXVIII.

Sed ius inſtituendi heredes coanguſtatum variis legibus & prudentium interpretatione.

Sed vt denique ad poſtremam legis noſtrae particulam prouehamur, in ea Pomponius obſeruat, *id* omne *coanguſtatum eſſe vel auctoritate legum vel interpretatione iura conſtituentium.* Vti enim rerum omnium, ita & legum quaedam ſunt viciſſitudines. Quum enim eas reipublicae ſtatui attemperari oporteat: fieri non poteſt, quin in rerumpublicarum conuerſionibus leges quoque mutentur aliamque plane faciem paullatim induant. Stetit itaque regnum iſtud ciuium Romanorum domeſticum, quoad ſtetit libertas: hac oppreſſa & illud ſenſim euerſum eſt, ſiquidem tanta priuatorum poteſtas non expedit principatui, cuius ratio non conſtat, niſi ab vno omnia regantur. Hinc illud: VTI LEGASSIT maximum deliquium ab Auguſti temporibus paſſum eſt, partim latis nouis legibus, partim interpretatione eorum, quibus principes facultatem dederant de iure reſpondendi, quorumque opera vel maxime vtebantur ad veteres leges nouo ciuitatis ſtatui attemperandas. Primo, quod ad heredum inſtitutionem attinet, interpretatione inualuit, vt teſtamenta condere non poſſent ſurdi & muti, niſi id beneficium a principe obtinuiſſent, *l.* 6. *§.* 1. *l.* 7. *§.* 1. *ff. qui teſt. fac. poſſ.* quia his natura ipſa denegaſſe videbatur facultatem pronunciandi ſollemnem teſtamenti nuncupationem: HAEC VTI IN HIS CERIS SCRIPTA SVNT, &c. illi autem audire non poterant verba, quae familiae & pecuniae emtor ex formula proferebat. Hinc mutata poſtea teſtandi ratione, conditionem hanc illis remiſit Iuſtinianus. *l.* 10. C. *qui teſtam.* Non magis leges & conſtitutiones principum teſtari patiebantur damnatos ob carmen famoſum, *l.* 18. *§.* 1. *l.* 26. *ff. qui teſt. fac.* inceſtis nuptiis pollutos, *l.* 6. C. *de inceſt. nupt.* haereticos. *l.* 3. C. *de haeret.* Multum quoque poteſtati iſti latiſſimae heredis inſtituendi derogatum eſt per regulam, quae paullatim interpretatione & conſtitutionibus firmata eſt, liberos omnes

ſuos

ſiue ſuos, ſiue emancipatos, aut inſtituendos, aut nominatim & ex iuſta cauſſa exheredandos eſſe, *l.* 4. *C. de lib. praet.* §. 5. *Inſt. de exh. lib.* Multum eidem deceſſit per querelam inofficioſi, qua omnia teſtamenta, non ex officio pietatis facta, reſcinduntur. Multum denique per tot leges, quibus certis perſonis hereditatem relinqui prohibitum, de poteſtate iſta deminutum eſt. Sic nulla pars hereditatis relinqui poteſt filiis perduellium, apoſtatis, haereticis, Iudaeis, & per legem Iuliam & Papiam innuptis, orbis, non niſi dimidia. Vlpian. *Fragm. tit.* XVII. §. 1. & *tit.* XXII. §. 3. Sozom. *Hiſt. Eccl.* 1. 9. quamuis poſtremas prohibitiones a Conſtantino M. & Iuſtiniano ſublatas conſtet. *l. vn. C. Theod. de infirm. poen. coel. l.* 2. *C. de iure lib.* Omitto iam legem Voconiam, quae feminas hereditates capiendi iure excluſit, Dio Caſſ. *lib.* LVI. *p.* 662. quamuis & haec ſatis mature opulentia ciuitatis iterum euerſa ſit. Gell. *Noct. Att. lib.* XX. *cap.* I. Omitto legem Iuliam de viceſimis hereditatum, qua factum, vt viceſima ſemper pars hereditatis teſtatorum periret, dum a fiſco occupabatur. Dio Caſſ. *lib.* LV. *p.* 563. Omitto alias leges & conſtitutiones, legi illi: VTI LEGASSIT ITA IVS ESTO inimiciſſimas, quarum vel numerum inire modum opuſculi excederet.

§. XXIX.

Itemque ius legata dandi.

Non minus legata dandi poteſtas coanguſtata eſt legibus & interpretatione iura conſtituentium. Quam multa enim legata iure noſtro pro non ſcriptis habentur! quam multa indignis a fiſco eripiuntur! quam multum illi poteſtati legandi derogarunt leges Furia & Voconia, *pr. Inſt. ad leg. Falc.* &, quae etiamnum in vſu eſt, Falcidia! qua ſane non amplius fas eſt teſtatori vltra dodrantem hereditatis legatis & fideicommiſſis exhaurire. Praecipue inimica legatis erat lex Iulia caducaria, quae bona caduca, vacantia, ereptitia, quaſi caduca repererat, quorum magna pars, legatariis deſtinata, in fiſcum principis influebat, antequam eam legem odioſiſſimam aboleret Iuſtinianus in celeberrima illa *l. vn. C. de caduc. toll.* Profecto & iis aliisque iuribus nouis maxime coanguſtata eſt illa tam ampla legata dandi poteſtas.

§. XXX.

Item ius dandi libertatem.

Recte etiam de libertatis dandae poteſtate id adfirmare potuit Pomponius, quum eius temporibus adhuc vigerent leges Aelia Sentia, Fuſia Caninia, Iunia Norbana, quibus poteſtas manumittendi maxime coercebatur. Non amplius per has leges fas erat ad iuſtam libertatem teſtamento perducendi ſeruos litteratos, furciferos, tortos, vinctos, vel alio ſupplicii genere adfectos, quos

lex Aelia Sentia ad dedititiorum conditionem depreſſerat. Non amplius licebat teſtatori ſeruitia integra vel vltra certum modum libertate donare, nec in fraudem creditorum manumittere, vrbemque impuris pileis implere, antequam Iuſtinianus legibus iſtis, vel ſublatis, vel reſtrictis fraenos de nouo illi licentiae laxaſſet. Denique & tutores dandi poteſtatem latiſſimam quodammodo coanguſtarunt leges ac conſuetudines nouae, quae, abolita paullatim in manum conuentione, vxores poteſtate mariti exemerunt, quamuis alioquin nullum horum iurium integrius ad extrema reip. Romanae tempora perueniſſe videatur, quam tutela teſtamentaria, in qua fere ſola illud ius antiquum ſeruant libri noſtri: VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO.

§. XXXI.

Concluſio Diſſertationis.

Sufficiant haec de lege pulcherrima, quam ita enucleaſſe mihi videor, vt fructum aliquem huius diligentiae mihi liceat ad conſcientiam meam referre. Quaedam hic habes, ab aliis non obſeruata, aliqua etiam, quae occaſionem ſuppeditare poſſint vberiori meditationi. Qualiacumque vero ſint, Lector, ea tu tantiſper aequi bonique, quaeſo, conſule, dum prodeant meliora.

COROLLARIA.

1. *Aeſtimatio rei debitae, quae vel non reperitur, vel poſt moram debitoris deterior eſt facta in* ſtricti iuris Iudiciis *ad litem conteſtatam: in* Bonae Fidei Iudiciis *ad rem iudicatam referri debet.* l. 3. §. 2. ff. commod.
2. *Quae tamen duo tempora, litis rei conteſtatae* in ſtricti iuris: *iudicandae* in B. F. Iudiciis, *nequaquam praeſtituta cenſeri debent, vt puncta temporis, & quaſi nulla anterioris temporis habeatur ratio; ſed potius vt termini*, ad quos *vſque creſcentis forte aeſtimationis ratio haberi debeat, & vltra quos ſi vel maxime creſcat, huius tamen incrementi amplius haberi nequeat ratio. Terminus autem*, a quo *incipit & in dies creſcere poteſt aeſtimatio* ex mora, *ſeu tempus illud quo ſoluere, ſeu rem praeſtare debuit debitor; ſiue ea ſit* ex re, *ſeu lapſu diei, qua ſolui deberet, adpoſitae: ſiue* ex perſona, *quae per interpellationem inducitur legitimo modo ac tempore factam.*
3. *Concludere itaque non dubito, condemnandum eſſe eum in eam aeſtimationem, quae a momento morae inchoatae in B. F. iudiciis, vſque*

Digitized by Google

vſque ad rem iudicandam: in ſtricti iuris; vſque ad litem conteſtatam, toto eo tempore, fuit vmquam maxima.

4. *Nihil nos in contrarium mouentibus* lege 3. §. 3. de act. emt. l. 22. de reb. cred. l. 59. & 60. de Verb. Obl. l. 22. de O. & A. l. 3. §. 2. Comm. *aliiſque.*

5. *Bonae Fidei poſſeſſor omnes fructus tam naturales quam induſtriales indiſtincte percipiendo facit ſuos.*

6. *Veſtimentorum quotidianorum, non verum, ſed quaſi eſſe vſumfructum dicimus.*

7. *Immerito pugna inter* l. 32. §. 1. de Seru. praed. Vrban. *& legem* 18. quemadm. Seru. amitt. *ſtatuitur.*

8. *Vſufructuarius in iure cedendo ſuum vſumfructum extraneo, nihil agit.* §. 3. Inſt. de vſufr. *Eoque non obſtante, eum amittit.*

9. *Si filiusfam. heres inſtitutus, hereditatem repudiet, non pater eius, ſed qui vulgariter ſubſtitutus eſt filio, erit admittendus.*

10. *Pater nec filio emancipato nec mater vlli vmquam filio ſubſtituere poteſt pupillariter.*

11. *Aſt Pater filio exheredato, quippe qui adhuc ſuus eſt, recte poteſt pupillariter ſubſtituere.*

12. *Pupillaris ſubſtitutio requirit, eum, cui fit, duplici tempore fuiſſe in poteſtate teſtatoris: teſtamenti nempe & mortis, non etiam intermedio.*

13. *Vltra tempus pubertatis a pagano facta pupillaris ſubſtitutio adeo pubertate exſpirat, vt ne quidem valeat iure fideicommiſſi.*

14. *Creditori inuito non recte per partes ſoluitur.*

15. *Vaſallus Dominum ſuum, contra omnes perſonas adiuuare tenetur, PATRE, Dominoque excepto antiquiore.*

16. *Siue ipſi conſtat iuſta de cauſſa bellum moueri a Domino ſuo: ſiue de iuſtitia cauſſae dubitat.*

17. *Contra vero de eiuſdem iniuſtitia, a parte Domini plane certus & perſuaſus ad ſolam tenetur defenſionem; & ad offendendum alium, ſi vult.*

18. αὐτοχειρίαν *iure Romano, praeterquam ſi cum alterius iniuria fiat, illicitam nuſquam legimus.*

DE P. IVVENTIO CELSO,
IVRISCONSVLTO EXIMIO, SVIQVE SAECVLI ORNAMENTO.

EXERCITATIO XIII.

Quod veterum non nemo (a) praeclare ac ſapienter monuit, ſeligendum cuilibet eſſe exemplum aliquod illuſtre ac laudabile, in quod inſpiciat, quod miretur, ad quod denique ſe, quoad eius fieri poteſt, totum effingat ac componat: id & mihi, tertium iam auſpicaturo docendi munus, ſtudioſe faciendum eſſe exiſtimaui. Eo conſilio P. IVVENTIVM CELSVM, virum ſapientiſſimum, & ICtorum, qui Traiani ſaeculum ornarunt, facile principem, tametſi leui penicillo deſcriptum, conſpectui publico exponere decreui, idque non modo mei cauſſa, vt habeam, cuius ad exemplum, quantum virtus ac religio patitur, me ſub muneris auſpicia exigam, ſed & potiſſimum in gratiam generoſae lectiſſimaeque iuuentutis, cui me ſtudiaque mea omnia conſecraui, cuiuſque vel maxime intereſt, vt in ſummorum virorum ſtudia atque actiones, tamquam in exterſum aliquod ſpeculum, inſpiciat, eorumque excitata exemplo, ad eamdem veram laudem, ad quam illos perueniſſe animaduertit, pleno gradu, ſummaque animi contentione enitatur.

Accedit & alia ratio, quae ad hanc operam ICto excellentiſſimo nauandam me non modo incitauit, ſed & facile perpulit. Eius enim Manibus fatum tam triſte atque illaetabile incubuit, vt haut ſciam, an aureo illo iuriſprudentiae ſaeculo immortalitatem nominis & magis meruerit quiſquam, & minus conſequutus ſit, quam Celſus noſter, cuius ipſum prope genuinum nomen ex homi-

(a) *Senec. Epiſt. XI.*

Digitized by Google

hominum memoria iam pridem euanuiſſet, niſi illud in celeberrimo SCo, quod eo conſule prodiit (b), & in ipſis marmoribus (c) integrum atque incorruptum exſtaret. Spartianus ſane (d), ſcriptor haut proletarius, illum perperam IVLIVM CELSVM; alii plerique, Plinii (e) & codicis Florentini (f) ſcripturam imitati, pro IVVENTIO IVBENTIVM adpellitant (ff). Sed quemadmodum priorem naeuum iam Iſ. Caſaubonus ſagaci ingenio notauit abſterſitque: ita permutatione litterarum B. & V. nihil fuit medio aeuo frequentius, in eaque tantum ſibi indulſerunt librarii & lapicidae ſemigraeculi, vt non magis mirandi videantur IVBENTII, quam *Balerii*, *Bari*, *Bibiani*, *Birginii*, *Bictorini*, *Bincentii*, *Iaboleni*, *Libii*, *Seberi*, & ſexcenta huius generis, quae in priſcis monimentis vtramque paginam faciunt (g). Non itaque a *iubendo*, ſed, vt recte coniecit Sigonius (h), a iuuentute nomen tulerunt Iuuentii, idque luculenter confirmat huius gentis denarius apud Hub. Golzium (i), in quo & veram ſcribendi rationem, & Iuuentae Deae ſimulacrum, ad oſtendendam nominis originem ſculptum, obſeruamus.

Si, quemadmodum auro a vena, ita magnis ingeniis a natalium fortuna quaedam commendatio accederet: vere profecto poſſemus adfirmare, libera adhuc rep. gentes non adeo multas Romae floruiſſe, quae vel antiquitate generis, vel maiorum gloria, cum Iuuentia vlla ex parte ſint comparandae. Haec enim, tametſi plebeia (k), & Tuſculo (l), municipio celebri potius, quam magno, oriunda, tam celeriter tamen Romae ad honores ampliſſimos adſpirauit, vt non modo primo Vrbi Aediles curules dederit (m), verum etiam quam plurimos viros conſulares, praetorios, aedili-

(b) L. 21. §. *6. ff. de heredit. petit.*

(c) Gruter. *Inſcript. p. DCLVII.* 1.

(d) Ael. Spartian. Vit. Hadrian. *Cap. XVIII.*

(e) Plin. *lib. VI. epiſt. V.*

(f) L. 7. § 1. *ff. de oper. lib.* Addantur *l.* 10. C. *qui teſt. fac. poſſ.* & L. *vlt.* C. *de ſeru. reip. man.*

(ff) Briſſon. [illegible] n. 8.

(g) Reineſ. *ad Inſcript. Claſſ. I.* 10. p. 24. V. A. Henr. Brenkm. *Adpend. Faſt. Conſul. Reland.* p. 850.

(h) Sigon. *de Nom. propr. Rom.* p. m. 1427.

(i) Golz. *Faſt. Magiſtrat. & triumph. pag. CXXXIV.*

(k) Cic. *pro Planc. cap. XXIV.*

(l) Id. *ibid. cap. VIII.*

(m) Ipſe ſuae genti hoc decus vindicat M. Iuuentius Laterenſis apud Ciceronem *pro Planc. cap. XXIV.* Quod ſi verum eſt, (Cicero enim, *ſe*, *non abhorrentem a ſtudio antiquitatis, id tum primum audiuiſſe*, ait,) circa annum ab V. C. CCCXC. factum oportuit, quo teſte Liu. *lib. VII. cap. I.* primum *verecundia impoſita Senatui, ex patribus iubendi Aediles Curules creari, conuentumque, vt alternis annis ex plebe fierent.* Atqui non niſi XXV. annis ante Tuſculani iura ciuitatis impetrauerant,

ſeu

aedilitios, inter fumoſas per atria ceras numerarit (n), ipſeque M. Iuuentius Laterenſis, tam illuſtri cretus ſanguine, quum repulſam in petitione aedilitatis paſſus eſſet, *neſcire ſe*, conqueſtus ſit, *quid* IMAGINIBVS *ſuis, quid patri, ornatiſſimo atque optimo viro, reſponſurus ſit mortuo* (o). Enimuero quum tot propriis ornamentis

ceu idem refert Liu. *lib. VI. cap. XXVI. & XXXII.* Neque hic admodum mouemur auctoritate Ciceronis, in agenda Plancii cauſſa adiectui, vt fit, indulgentis. Iuuentio enim magis comperta eſſe potuerunt gentis ſuæ decora ex commentariis, quos ſingulae gentes de maioribus ſuis accurate perſcriptos domi ſeruabant. Vid. Gell. *Noct. Att. lib. X. cap. XIII.* Ez. Spanh. *de Vſu & Praeſt. Num. Tom. II. p. 3.*

(n) Quum nec Fulu. Vrſinus, nec Ant. Auguſtinus, nec Vaillantius, nec quiſquam, quod ſciam, alius accurate de hac gente egerint: ſtemmatis a me compoſiti partem ex Aduerſariis huc transferre non pigebit:

T. IVVENTIVS THALNA, Trib. Mil. in bello Inſubrico occubuit anno V. C. DLV. Liu. XXX. 22.

T. IVVENTIVS THALNA, Praetor anno DLVIII. Liu. XXXIV, 43.

L. IVVENTIVS THALNA, Quaeſtor anno DLX. Legatus Calpurnii in Hiſp. anno DLXVII. Liu. XXXIX. 31.

M. IVVENTIVS T. F. T. N. THALNA, Coſ. anno DXC. in magiſtratu prae laetitia deceſſit. Plin. Hiſt. Nat. VII. 54. Val. Max. IX. 12.

T. IVVENTIVS. T. F. T. N. in Apuliam miſſus anno V. C. DLXXX. Liu. XLII. 27.

P. IVVENTIVS. L. F. T. N. THALNA Praetor, caeſus in Macedonia cum exercitu, anno V. C. DCV. Flor. II. 14.

M. IVVENTIVS THALNA, Quaeſtor an. V. C. DCXXXVIII. Trib. pl. an. DCXLIII. Pigh.

T. IVVENTIVS, ICtus & Orator circa ann. V. C. DLVI. Cic. in Brut. cap. XLIII.

M. IVVENTIVS Laterenſis, Quaeſtor anno DCLXV. Pigh.

T. IVVENTIVS ICtus, cuius meminit Pomponius *l.* 2. §. 42. *de O. I.*

M. IVVENTIVS M. F. LATERENSIS, Quaeſtor anno DCXC. Tribunatum pl. adſpernatus, ne in leges Caeſaris jurare cogeretur, Cic. ad Attic. II. 18. repulſam in Aedilitate paſſus an. DCXCIX. Cic. pro Planc. Praetor anno DCCII. Cic. ad Fam. VIII. 8. Denique Legatus Lepidi, quum huius coniunctionem cum Antonio impedire non poſſet, ſuo ipſe gladio incubuit, anno V.C.DCCXX. Vellei. Paterc. II. 63. Celebrantur & alii Iuuentii, veluti *M. Iuuentius Pedo,* Senator, laudatus a Cic. pro Cluent. c. XXVIII. Sed hunc aliosque ſtemmati innectere non licuit. Libera itaque rep. tres fuere Iuuentiae gentis familiae, cognominibus THALNARVM, LATERENSIVM & PEDONVM diſcretae.

(o) Cic. pro Planc. cap. XXI.

tis abundet noſter, nihil vt opus ſit, aliena ad eum laudandum conquirere: addemus vnum, quod obſeruatione haut indignum iudicamus, Iuuentios etiam libera republica iuriſprudentiam, tamquam gentile bonum, in poſſeſſione ſua magna cum cura retinuiſſe, praeſtantiſſimoſque ſaepe iuriſconſultos, & veluti oracula quaedam, dediſſe reipublicae (p).

Ex hac gente tam nobili, tamque illuſtri, prodiit CELSVS noſter, patre vſus eiuſdem, vt opinor, praenominis, P. IVVENTIO CELSO (q), cuius cum multae fuerunt virtutes, multa, quibus ſua aetate prae aliis exſplenduit, ornamenta, tum in illis hoc maximum, quod genti ſuae, Romae paullatim deflorescenti (r), & in variis per orbem Romanum municipiis, tamquam in exſilio, latitanti (s), priſtinum ſplendorem ac veluti vitam primus reſtitue-

(p) Tales ſunt *T. Iuuentius*, cui Cic. in Brut. c. XLVIII. *magnam iuris ciuilis intelligentiam* tribuit: C. *Iuuentius*, Q. Mucii auditor apud Pomp. *l.* 2. §. 41. *ff. de Orig. iur.* ac denique M. Iuuentius Laterenſis, qui dum apud Cic. pro Planc. c. XXV. ex aemulo quaerit, *an vmquam caſtra viderit? an diſertus ſit? an iuriſconſultus?* non obſcure innuit, a ſe illum hiſce artibus longe ſuperari.

(q) Quamuis enim in iure non aliter, quam CELSVS PATER adpelletur: *l.* 2. §. *vlt. ff. de orig. iur. l.* 6. *ff. de contrah. emt. l.* 30. §. 1. *ff. de adquir. rer. dom.* illo tamen *διακριτικῷ* non fuiſſet opus, ſi praenominibus diſtingui potuiſſent aut cognominibus. Ita enim facile diſcernuntur *Sex.* & *P. Aelii*, *P.* & *Q. Mucii*, *Maſſurius* & *Caelius Sabini*, *Aufidii*, *Tucca* & *Namuſa*. At quoties cognomines ſunt pater & filius, eos huiusmodi *διακριτικῷ* diſcerni animaduertimus. Hinc memorantur *Catones*, Pater & Filius, *l.* 2. §. 38. *de orig. iur. Antiſtii Labeones*, itemque *Neruae* Pater & Filius, *l.* 2. §. *vlt. eod.* quos omnes eodem vſos eſſe praenomine, aliunde conſtat.

(r) Non caret omine, quod M. Iuuentius Laterenſis oppreſſae patriae ſanguine ſuo parentauerat, quaſi non deceret Iuuentios libertati ſuperſtites viuere. Saltim ex eo tempore pauci ex hac gente Romae in celebritate verſati ſunt. Meminit *Iuuentii* cuiusdam Catullus, quem Carm. XXI. *pofcillum Iuuentiorum, non horum modo, ſed quot aut fuerunt, aut poſthac aliis erunt in annis*, vocat: at ex Carm. XLV. & XCV. facile patet, eum gentis ſuae dedecus & nefandae Veneris mancipium fuiſſe. Vixere tamen ſub Imperatoribus in vrbe IVVENTIA RESTITVTA, P. Statilii Felicis vxor, Grut. p. *DCCXCVI.* 2. IVVENTIA EVTYCHIA, T. Statilii Valentis coniux, Grut. p. *DCXII.* IVVENTIVS CHARITO, Grut. p. *CCXLI.* ac denique M. IVVENTIVS, M. F. GAL. RADIVS, Trib. Mil. Leg. XXV. Cyrenaicae, cujus eiusque heredum Q. IVVENTII M. F. GAL. VIRI & SEX. IVVENTII M. F. IVVENTII M. F. VIRVSIANI, Equitis Rom. meminit lapis apud Marqu. Gudium in noua Inſcriptionum Sylloge, mox proditura in lucem pag. *CXXVIII.* 9.

(s) Floruere enim *Brixiae*, Grut. Inſcr. p. *CXCII.* 2. p. *CCCCLIX.* 6. *Comis*, Reineſ. Inſcr. Claſſ. *I.* 296. *Aſculi.* Id. ibid. Claſſ. I. 287. *Placentiae*, Grut. p. *CCCCLIV.* 7. *Oſtiae*, Grut. p. *MCXVI.* 10. *Capuae*, Reineſ. Claſſ. I. 64. *Veronae*, Grut. p. *XLI.* 3. p. *DCCLXVI.* *Nemauſi* in Gallia, Grut. p. *CCCCXCVI.*

perturbatione, qualis ſub Nerone & Domitiano fuit, mereri honores, quam iis fungi maluiſſe, pulcrum in primis atque honorificum exiſtimans, colere iuriſprudentiam, reſpondere de iure, magiſtratibus conſilio, clientibus voce adeſſe, denique erectioris indolis adoleſcentes in ſpem meliorum temporum inſtituendo, ſerere arbores, alteri ſeculo profuturas. Quin licet reſpondendo docendoque non famam tantum immortalem ſibi quaeſiuerit, ſed & plura reliquerit viua ac ſpirantia ingenii ſui monimenta, diſcipulos puta doctiſſimos, inter quos & Iuuentius filius & Neratius Priſcus eminebant (y): tamen ne libros quidem vllos reliquiſſe videtur (z), ſiue negotiali vita impeditus, ſiue tempora metuens, virtuti inimica, quibus periculo non carebat, indulgere calamo, ſcribendiſque libris ingenii ac doctrinae famam aucupari.

Tali parente natus P. IVVENTIVS noſter, circa annum ab V. C. DCCCXX. (a), ſaltim non multo ſerius, in lucem prodiit, iſthac natalium fortuna & eam lucratus felicitatem, vt & exemplo tanti patris & conſilio ad magna quaeuis incitaretur. Hinc adoleſcens per omnes artes, quibus ea aetas ad humanitatem imbui ſolebat, viuidam indolem circumtulit, ingeniumque ad ſumma quaeuis natum ita perpoliuit atque excoluit, vt nullum litterarum

Vuu 2 praeſi-

ſuli in conſilio eſſet, annos tantum XXX. habuit, illo tempore iam prouectioris aetatis fuit, quam quae Praeturae conueniat. Praeterea quae Plinius ibi de Iuuentio Praetore refert, magis conueniunt iuueni, ambitionis oeſtro percito, & in iracundiam facile incaleſcenti. Quare hac praetura non patrem ſed filium functum eſſe, ipſa temporum ratio euincit.

(y) *l.* 2. §. *vlt. ff. de orig. iur.*

(z) Aliquoties Celſi patris ſententiae laudantur, non modo a filio, *l.* 20. *l.* 29. *ff. de legat.* 2. verum etiam a Neratio Priſco, *l.* 38. *ff. mand.* & Vlpiano, *l.* 3. §. 7. *ff. de condict. cauſſ. dat.* ſed id fit his formulis: *A patre ſic accepi: Pater meus referebat: Et Ariſtoni & Celſo patri placuit: Celſus refert, patrem ſuum, Celſum, exiſtimaſſe.* Qualibus verbis locus eſſe non poteſt, quando ex libris alicuius teſtimonia proferuntur.

(a) Rationes ita ſubducimus. Certum eſt, Iuuentii noſtri praeturam incidere in aetatem Plinii, qui eius meminit *Lib. VI. Epiſt. V.* Iuuentiumque Praetorem tum cum Licio Nepote grauiter altercatum refert de ſententia, quam hic in cauſſa Pomponii Rufi Vareni, repetundarum a Bithynis poſtulati, dixerat. Ea cauſſa in Senatu acta eſt ineunte anno *V. C. DCCCLIV.* ſiquidem Man. Acilium Rufum, Coſ. deſignatum tum primum ſententiam dixiſſe, ex eiuſdem Plin. *Lib. V. Epiſt. XX.* patet. Iam quum idem *Lib. VII. Epiſt. XVI.* teſtis ſit locupletiſſimus, leges annarias tunc adhuc religioſe obſeruatas eſſe, & aliunde conſtet, annum praeturae legitimum tunc fuiſſe aetatis trigeſimum quartum, niſi forte anni aliquot vel principis beneficio vel ex lege Iulia & Papia Poppaea remitterentur: *l.* 2. *ff. de minor.* natalem Iuuentii incidiſſe oportuit in annum circiter *DCCCXX.* Quae quum vulgo parum obſeruentur: non ſane mirum eſt, Celſos patrem & filium, quin & nepotem, turpiter plerumque confundi a ſcriptoribus ceteroquin doctiſſimis.

praeſidium ſibi deeſſe pateretur. Fragmenta ſane eius omnia, quae in Digeſtis ſuperſunt, ſtilo tam elegante, tamque terſo ac caſtigato ſcripta ſunt, vt Laur. Valla & Floridus, qui in exagitanda veterum ICtorum Latinitate, id eſt, in muſtaceo laureolam quaeſiuerunt, parum vel nihil omnino, quod iuſta reprehenſione dignum videatur, in Celſi ſtilo notauerint (b). Deinde in iiſdem fragmentis quaedam ſatis expreſſa Graecae eruditionis veſtigia occurrunt (c): inprimis autem Stoicam illam ac ſeueriorem ſapientiam, quae ICtis praecipue ad palatum erat, tot eius ſententiae redolent (d), vt ſatis adpareat, illum non illotis manibus ſacra noſtra attigiſſe, ſed, quo rite initiatus in interiores artis noſtrae receſſus penetraret, totum ſe dediſſe iis litteris, ſine quibus vix quiſquam ICti nomen ſine dedecore atque opprobrio ſuſtinuit. Et eius quidem diligentiae fructum paullo poſt capiebat vberrimum, quum animum ad iuriſprudentiam adplicuiſſet. Sectatus enim patrem (e), &, ceu nonnulli exiſtimant, T. Ariſtonem (f), non modo

(b) Notant quidem phraſin: *Adponere auctoritatem*, *l. 189. ff. de reg. iur.* itemque vocabulum *oſſuarium. l. 2. ff. de ſepulcr. viol.* Sed priorem non magis abſurdam eſſe, quam illam: *Interponere auctoritatem*; poſterius autem in pluribus marmoribus apud Gruterum, Reineſium, Sponium reperire praeſidium, erudite ſuo more oſtendit V. C. Car. Andr. Duker. *de Latin. Vet. ICt. p.* 423.

(c) *l. 3. ff. de Condict. tritic. l. 7. ff. de ſupell. leg.*

(d) Quemadmodum nemo hodie ignorat, ICtos veteres & maxime Proculeianos, philoſophiam Stoicam reliquis ſectis antepoſuiſſe: Merill. *Obſ. lib. I. cap. XX.* ita vbique porticum Zenonis redolent Celſi fragmenta. Sic quum Stoici omnia fluere, perpetuoque decurrere & mutari, exiſtimarent, quam doctrinam & Heraclitum, Thaletem, Pythagoram, Platonem amplexos eſſe, ex Ariſtot. *Metaph. lib. I. cap. VI.* Sex. *Empir. Hypot. lib. III. cap. XV.* & Stobaei *lib. I. Eclog. cap. XIV.* patet: ſubtilem hanc philoſophiam & Celſus manifeſto ſequitur in *l. 26. §. 12. ff. de condict. indeb.* Deinde, quae Iuuentius *l. 7. ff. de ſupell. leg.* de voce & de *ἀνάρθρῳ φωνῇ* philoſophatur, Stoica eſſe, plane non dubitabit, quicumque cum illis contenderit locum Diogenis Laert. *Lib. VII. ſegm.* 57. Verba porro Celſi *l. 17. ff. de legib.* ex Zenonis libris deprompta eſſe, iam Merill. *Obſ. Lib. I. cap. XXVI.* obſeruauit. Similem procul dubio auctorem habuit Celſus, quando, teſte Iuſtiniano *l. 10. C. qui teſt. fac. poſſ. neminem tam ſurdum eſſe*, contendit, *qui penitus non audiat, ſi quis ſupra cerebrum illius loquatur.* De quo *σημαντικῇ φωνῇ* quum iam alii diſputarint, ego iam nihil addo. Vid. Menagii Amoenit. Iur. *cap.* XXVII. *p.* 155. *ſequ.*

(e) Ab eo ſe doctrinas ſuas accepiſſe, ipſe fatetur Iuuentius *l. 20. ff. de legat.* 3.

(f) Ariſto enim Celſo reſcripſiſſe dicitur, *l. 29. §. 1. de ſtatu lib.* Et ſane praeclarae Ariſtonis virtutes, celebratae a Plin. *lib. VIII. Epiſt. XIV.* adoleſcentem mira diſcendi cupiditate flagrantem facile ſubigere potuerunt, vt & ab eo, quamuis Sabiniano, proficere vellet: ſed vereor tamen, vt id ex *d. l. 29.* recte

Digitized by Google

modo tam diu diſcebat, donec eum, quantum proficeret, non poeniteret, ſed & veteres libros, qui ad illuſtrandam iuriſprudentiam facere videbantur, diurna nocturnaque verſabat manu (g), illaque incredibili diligentia efficiebat, vt ad ſummam, quam ingenium humanum capit, iuris dicundi facultatem breui eniteretur. Sane adhuc tum adoleſcens, vltra aetatem, ac propemodum ante pilos ſapiebat, iiſque iam annis praecoci ingenio fretus, de iure reſpondebat, quibus alii plerique vix inter dupondios locum inueniunt (h). Ceterum quemadmodum in philoſophia Stoicos, ita in iuriſprudentia Proculeianos ac Pegaſianos ſequebatur (i), quorum ſcholae illum poſt patrem praefuiſſe, ex Pomponii loco colligimus. Neque tamen tam ſeruili erat ingenio, vt Proculo, tamquam claudus pilae, inhaereret, omniaque eius bona, mala, vera, falſa perinde probaret: ſed prudente vſus ἐκλογῇ, nec aduerſae parti manus dare (k), nec propria ipſe vineta caedere dubitabat (l), quotieſcumque id veritas ac iuſtitia exigere viderentur.

 Forma-

recte probetur. Idem enim Ariſto reſcripſit Neratio, *l.* 19. §. 2. *ff. locat.* & Saluio Iuliano *l.* 6. *ff. de legat. praeſt.* Videntur ſane ICti συγχρονοι de ambiguis iuris quaeſtionibus inter ſe ſaepe per epiſtolas diſceptaſſe, nec inde ſtatim ſequitur, vt, qui alteri reſpondit, ipſi aliquando praeceptoris loco fuerit.

(g) Citantur ab eo auctores praeſtantiſſimi, veluti Sex. Aelius, *l.* 38. *ff. de act. emt.* Brutus *l.* 13. *pr. ff. de in diem addict.* Cafcellius *l.* 158. *ff. de verb. ſign.* Cato, *l.* 98. *ff. eod.* Liuius Druſus, *l.* 38. *ff. de act. emt.* Q. Antiſtius Labeo, *l.* 43. *ff. de legat.* 3. *l.* 59. *ff. de hered. inſt. l.* 7. *ff. de ſupell. leg.* Q. Mucius Scaeuola, *l.* 48. *ff. mand. l.* 59. *ff. de contr. emt. l.* 13. *ff. de in diem addict. l.* 98. *ff. de verb. ſign.* Neratius Priſcus, *l.* 12. *ff. quemadm. ſeru. amitt.* Nerua, *l.* 32. *ff. depoſ.* Proclus, *l.* 38. *ff. de act. emt.* Sabinus, *l.* 12. *ff. quemadm. ſeru. amitt.* Ser. Sulpicius, *l.* 7. *ff. de ſupell. leg.* C. Trebatius Teſta, *l.* 59. *ff. de hered. inſt.* Tubero, *l.* 5. §. 1. *ff. de pecul.* & M. Tull. Cicero *l.* 96. *ff. de V. S.*

(h) Ita intelligendus locus Paulli *l.* 61. §. 3. *ff. de verb. oblig.* vbi *Celſum adoleſcentem ſcribere*, ait, moram poſſe purgari: Nec adoleſcens hic pro filio ponitur, ceu viſum Iano Vinc. Grauinae *de Ortu & progr. iur. ciu.* §. *LXXIX.*

(i) Hinc paſſim in Celſi fragmentis defendi videas Labeonem, Neruam, Proculum, paſſim refelli Sabinum, veluti *l.* 8. §. 2. *ff. de in ius voc.* & Iulianum, a quo eum frequenter diſſentire, iam Cuiac. *Obſ. Lib. VIII. Cap. XXXV. & lib. XXVII. cap. XII.* monuit. Plerumque etiam in ſoluendis quaeſtionibus difficilioribus Proculeianis ſuffragatur. Exempla belliſſima habes in *l.* 26. §. *vlt. ff. de condict. indeb. l.* 75. *ff. pro ſoc. l.* 7. *pr. ff. commod. l.* 14. §. 10. *ff. de furt.*

(k) Hinc aliquando cum Sabino ſentit, veluti *l.* 65. §. 3. *ff. de legat.* 3. *l.* 6. *ff. de condict. ob turp. cauſſ.* aliquando cum Caſſio. *l.* 1. *ff. de flumin.*

(l) Sic Atiliani Labeonis ſententiam deſerit. *l.* 25. *pr. ff. de furt.* a Nerua diſſentit *l.* 29. *ff. de euict.* Et, vbi a patris doctrina modeſte diſcedit, *l.* 3. §. 6. *ff. de condict. cauſſ. dat.* vt ſatis adpareat,

Formatus hunc in modum Iuuentius noſter, id iam agebat, vt & maſculae illi ac pulcherrimae philoſophiae, quae in rebus agendis adminiſtrandaque republica verſatur, totum ſe dederet. Hinc prima facturus militiae palatinae ſtipendia, non modo in foro, tanquam praeſtantiſſima ingeniorum palaeſtra, adſidue verſabatur, ſed & nihil faciebat reliqui, vt reſpondendo de iure tum de civibus, tum de magiſtratibus, bene mereretur (m). Militia iſta forenſis dici non poteſt, quanto tunc adiumento fuerit hominibus, ad maiora nitentibus. Quare & Celſus viam ad honores habuiſſet expeditiſſimam, ſi vel maxime aliam ſibi non muniuiſſet. Sed illi & aliud, memorabile potius, quam dignum aliqua laude, facinus ad ampliſſimas dignitates conſequendas profuit. Auctor enim eſt Dio Caſſius (n), Iuuentium Celſum una cum aliis quibuſdam viris illuſtribus aduerſus Domitianum, principem peſſimum, coniuraſſe, accuſatum autem, iamque in extremo conſtitutum periculo, callide petiiſſe, vt admitteretur ad principem, cui, facta ſibi cum adeundi copia, miris blanditiis perſuaſerit, ſe expertem eſſe eius criminis, liberaliterque pollicitus ſit, ſe ipſum indagaturum ſceleris ſocios, argumentaque coniurationis luculenta iudicibus ſuggeſturum. Addit Dio, Celſum, impetrata venia, rem omnem ad Domitiani caedem callide extraxiſſe, eaque arte ſe ſocioſque exemiſſe periculo. Quae ſi vera ſunt, plus quidem famae, quam gloriae, habent: at Celſo tamen procul dubio ad conſequendos honores maximo adiumento fuerunt. Earumdem enim partium, in eodemque conſenſionis globo, teſte Philoſtrato (o), erant Rufus Saluidienus, Orfitus, & Nerua ille, qui poſtea Domitiano in imperio eſt ſurrogatus. Hic, quum Celſi, iuuenis ferocis ac callidi, artibus & ſeruatus, & ab exſilio libera-

pareat, nihil eum veritate habuiſſe antiquius, atque ex iis ICtis ercifcundis fuiſſe, de quibus erudite diſſerit Merill. *Obſ. Lib. I. Cap. IV.*

(m) Reſpondit non modo priuatis, veluti Plotianae, *l.* 18. *ff. de iure codicill.* Aurelio Quieto, *l.* 16. *ff. mand.* Cornelio Felici, *l.* 58. *pr. ff. pro. ſoc.* Domitio Labeoni, (quem imperitiſſimum iuris hominem ICtis accenſere non dubitat Io. Bertrandus,) *l.* 27. *ff. qui teſt. fac. poſſ.* Trebelliano, *l.* 72. *ff. ad SC. Trebell.* Sexto, *l.* 7. §. 17. *ff. quib. ex cauſſ. in poſſ. eat.* verum etiam magiſtratibus, veluti Flauio Reſpecto praetori, *l.* 3. §. 1. *ff. de minor.* Ex quo patet, illum facultatem de iure reſpondendi beneficio principis accepiſſe. Tirocinia enim eius forenſia incidunt in tempora Domitiani, Neruae, Traiani; & primus Hadrianus omnibus promiſcue permiſit de iure reſpondere, quibus erat ſtudiorum fiducia. *l.* 2. §. 47. *ff. de orig. iur.*

(n) Dio Caſſ. *Lib. LXVII. p.* 765.

(o) Philoſtr. Vit. Apollon. Tyan. Lib. VII. Cap. III.

beratus eſſet, gratiam procul dubio illi retulit bona fide, & cum Traiano filio nihil, quod ad eum ornandum pertinere videbatur, praetermiſit. Non equidem dubium eſt, quin Celſus per omnes honorum gradus ad conſulatum adſcenderit: at vigintiuiratus tamen, Quaeſturae, Aedilitatis vel Tribunatus, quibus tum ante praeturam defungendum erat, nuſquam mentionem fieri obſeruamus. Contra praeturae eius meminit Plinius Secundus (p), eamque in annum ab V. C. DCCCLIV. incidiſſe, ſupra demonſtrauimus. Ex eo ſemel iterumque Conſul fuit, quamuis de priore eius conſulatu faſti taceant (q). At poſterioris meminerunt non modo marmora (r), verum etiam leges noſtrae, neque dubium eſt, quin is honor Iuuentii noſtri incidat in annum DCCCLXXXI. Collega ipſi fuit, ſi Caſſiodoro & Proſpero credimus, *Marcellinus*, ſi Idatio & auctori Chronici Alexandrini, *Marcellus*, ſi denique marmoribus, *Q. Iulius Balbus.* Sed litem hanc ſine pulueris iactu compoſuit Noriſius (s), docuitque, hunc Balbum etiam Marcelli cognomen tuliſſe. Exſtat SC. hoc anno factum, quod inte-

(p) Plin. Lib. VI. Epiſt. V. vbi Iuuentium Praetorem cum Licinio Nepote altercatum eſſe refert. Quum enim Bithyni Varenum accuſaſſent repetundarum: hic, vt ſibi defenſionis cauſſa teſtes euocare liceret, a Senatu petierat, idque, adiutus Plinii & Homulli eloquentia, ſuffragioque Cornelii Priſci, impetrauerat. Plin. lib. V. Epiſt. XX. Sequente ſeſſionum die de eo SCto differebat Licinius Nepos, ac ſi illud legibus aduerſaretur, monebatque, petendum eſſe a conſulibus, vt referrent de lege repetundarum, an placeat in futurum ad eam legem adiici, vt reis perinde, ac accuſatoribus, ius ſit teſtes euocare. Indignantibus quibusdam, Iuuentium Licinium, tamquam emendatorem Senatus vehementer increpuit. Reſpondit Nepos, rurſusque Celſus, quorum neuter ſibi a conuiciis temperauit, non ſine voluptate patrum conſcriptorum, quum Celſus Nepoti ex libello, & Celſo Nepos ex pugillaribus reſponderet. Huiuſmodi altercationes libera olim rep. in Senatu frequentiſſimas fuiſſe, obſervat Briſſon. *de Formul. lib. II. p.* 184. permittebantque eam etiam boni principes, ne Senatus populusque, hoc libertatis ſimulacro deluſus, ſeruire ſe putaret.

(q) Suffectus procul dubio conſul fuit Iuuentius, quum primum faſces teneret, adeoque non obſcura ratio eſt, cur nullum vſquam adpareat huius conſulatus veſtigium. Puto tamen illum incidere in annum DCCCL. collegamque Iuuentii tunc fuiſſe vel Afranium, vel ipſum Vlpium Traianum, Imperatorem. Nam primo hoc anno quadragenarius fuit Celſus, qui legitimus tunc annus erat conſulatus. Deinde eius anni initio conſules facti *Nerua IV. & Traianus II.* &, mortuo VI. Kal. Febr. Nerua, quis ei ſuffectus fuerit, non memoratur. Item a menſe Octobri ſuffectus legitur *Afranius Dexter*, quem vero collegam habuerit, non legimus. Sed haec quidem diuinatio eſt.

(r) Grut. *Inſcr. p. DLXXIII.* 2. *Onuphr. Panu. Faſt. p.* 221.

(s) Henr. Noriſ. *de Epoch. Syro-Maced. p.* 498.

integrum in pandectis ſupereſt (t), in quo tamen & conſules ſuffecti ſimul cum ordinariis memorantur (u). Id quod non raro factum eſſe, ex monimento apud Gruterum infra memorando (x) ſatis adparet. Eſt & alterum SC. eodem IVVENTIO CELSO ITERVM (y), ET NERATIO MARCELLO COSS. factum (z), quo lex Vectibulici (a), de iure ciuitatis cum ſeruis municipiorum manumiſſis communicando ad prouincias etiam porrecta eſt. Sed & hic perdifficilis oritur quaeſtio, quomodo Celſi collega dici poſſit Neratius Marcellus, qui ſub finem eius anni ſuffectus, Cn. Lollium Gallum collegam ſortitus eſt. Sed errorem hic admiſſum eſſe, plerique agnoſcunt, faciliſque fuit errandi occaſio, quum

(t) *L. 20. §. 6. ff. de hered. pet.* Sed vel librarium, Codicis Florentini auctorem, vel ipſum Tribonianum abbreuiationes in SCis ſollemnes non intellexiſſe, ſatis liquet. Emendauit illud Petr. Pithoeus Aduerſar. *lib. II. cap. XV.*

(u) Hub. Golzius in Faſtis monet, initio huius anni faſces tenuiſſe *Celſum iterum* & *Q. Iulium Balbum*, ex Kal. Martiis *T. Aufidium Frontonem & Aerium Seuerianum*, qui in *d. l. 20. §. 6.* memorantur, denique ex Kal. Nouemb. *C. Neratium Marcellum* & *Cn. Lollium Gallum.*

(x) Grut. *p. DCVII.* vbi ſimul memorantur *Antius Pollio & Opimianus Koſſ. ordinarii, Seuerus & Sabinianus Coſſ.*

(y) Ita legendum eſſe pro *item*, quod in vulgatis habetur, recte monet Ant. Auguſtin. *Emendat. lib. III. cap. IV.*

(z) *L. vlt. C. de ſeru. reip. manumitt.*

(a) At quaenam lex Vectibulici? Nulla ſane fuit gentium Romanarum, a qua lex id nomen ferre potuerit, nec quiſquam fere dubitat, quin vitioſa ſit ea denominatio. Licebit itaque in re difficili hariolari. Municipia olim ſeruos manumittere non poterant, quia manumiſſio, tamquam actio legis, per procuratores non poterat explicari. *l. 123. pr. ff. de Reg. iur. l. 3. C. de vindict. libert. & apud concil. manumiſſ.* Quos itaque ſeruitutis iugo eximebat reſpublica, ii ex lege Aelia Sentia in libertate quidem morabantur, nec tamen habebantur liberi. Quum autem poſtea ex lege Iunia Norbana omnes, qui iuſtam libertatem non fuerant conſequuti, Latini fierent: Vlpian. *Fragm. Tit. I. §. XII.* eiuſdem quoque iuris cenſebantur ſerui a republica manumiſſi. Id primum mutatum Lege hac Vectibulici, quae cum libertinis municipiorum iura ciuitatis communicauit. *l. vlt. C. de ſeru. reip. manum.* Quumque, quod in gratiam municipiorum ſancitum fuerat, non ſtatim ad prouinciales quoque ciuitates pertineret: ad eas quoque legem protulit SCum, de quo agimus. Ex eo palam eſt, legem Vectibulici conditam eſſe inter annum DCCLXXI. quo lex Iunia Norbana lata, & annum DCCCLXXXI. quo prodiit SC. Iuuentianum. Atqui quum anno V. C. DCCCLXIII. M. Vettius Ruſticus Bolanus Coſ. fuerit: Grut. *Inſcr. p. LXVI. 2. p. CXXVIII. 5. p. CLXIII. 7.* ab eo procul dubio lex dicenda eſt *Vettii Bolani.* Tamen, vt vera fatear, proprie non lex fuit, ſed SCum. Eo enim tempore leges non amplius ferebantur, nec raro SCa legum nomine veniunt. Exempla occurrunt paſſim, in primis apud Iul. Capitolin. in Vit. M. Anton. cap. IX. & Dionem Caſſ. *Lib. LXVIII. pag. 707.*

Digitized by Google

quum duo Marcelli eodem anno, at non iiſdem menſibus, conſules proceſſerint; quos & doctiſſimus quiſque facile confudiſſet (b). Haec quidem de Iuuentii praetura & conſulatibus; quibus quamuis eo tempore nihil eſſet honorificentius, Hadrianus tamen, acerrimus ingeniorum cenſor, tantis dignitatibus id adiecit incrementum, vt eum cum Saluio Iuliano & Neratio Priſco in conſilium ſuum & inter amicos adſciſceret (c), raro illis temporibus exemplo felicitatis, vt iuriſconſultus operam ac ſtudia ſimul principi, ſimul reip. probaret.

Quem viuendi finem habuerit Celſus, qui inter tot fortunae obſequia conſenuerat, non memorant annales, quamuis fere pro certo adfirmare liceat, eum non attigiſſe Antonini Pii imperium, ſed extremis Hadriani temporibus diem ſupremum obiiſſe (d). Ex quo porro colligimus, inſigne iſtud marmor Gruterianum, in quo libello cuidam ſubſcripſit IVVENTIVS CELSVS, PROMAGISTER, non ad Celſum noſtrum pertinere, ſed ad filium eius, quem ipſum quoque per veſtigia patris graſſatum, palatinis honoribus fulſiſſe, ex vno illo lapide diſcimus (e). Sed redimus ad Iuuentium noſtrum,

(b) Vere enim *Marcellus* Iuuentio collega fuit: non tamen *Neratius Marcellus*, qui extremo illo anno faſces tenuit, ſed *Q. Iulius Balbus*, cui & *Marcelli* cognomen fuiſſe, ex monimentis idoneis demonſtrauit Henr. Noriſ. Epoch. Syro-Maced. p. 458.

(c) Spartian. Vit. Hadr. cap. XVIII. Magna haec dignitas, inter principis amicos, & comites, id eſt, interioris admiſſionis adminiſtros, eſſe, quorum in numerum non temere alii, quam viri conſulares, recipiebantur, qualis Sentius Seuerus in marmore Mediolanenſi apud Salmaſium ad Spart. l. c.

C. SENTIO.
SEVERO
QVADRATO.
C. V. COS.
AMICO. ET. COM. AVG. N.

Habitus is honor ICtis etiam ſub Antonino Pio, Marco, & Alexandro, Auguſtis, ceu ex *l. 4. C. de contr. ſtipul.* Iul. Capit. Vit. Anton. Pii cap. XII. ac denique ex Lamprid. Vit. Alex. cap. XV. & XVI. diſcimus, quamuis in loco poſtremo manifeſtus ſit παραχρονισμὸς librarii, Celſum noſtrum Alexandri amicis ac conſiliariis accenſentis.

(d) Ex rationibus, noſtris conſul iterum fuit anno aetatis circiter LXI. Poſt haec Iulianus edidit libros Digeſtorum, & quidem ineunte principatu Antonini Pii, ceu ex *l. 6. §. 12. ff. de neg. geſt.* & *l. 18. ff. quod met. cauſ.* colligimus. Atqui in libro XXIX. illorum Digeſtorum Celſo noſtro his verbis teſtimonium denunciat: *Quod etiam Iuuentio Celſo apertiſſime placuit.* Quali ſane formula non vtuntur, qui viuum teſtem adpellant. Itaque, ineunte Antonini imperio, iam viuis procul dubio exceſſerat Iuuentius.

(e) Edidit hoc marmor poſt Mazochium, Apianum, Briſſonium, Rutilium, alioſque Grut. Inſcript. p. DCVII. In illo eſt libellus liberti Aug. principi oblatus, quo, vt ſibi reliquias coniugis & filii, ſarcophago fictili commendatas, in marmoreum inferre liceat, petit. Fi ſubſcri-

qui, ne quid ſibi deeſſet ad immortalitatem, etiam doctiſſimis operibus ſempiternam ſibi famam peperit, quamuis praeter fragmenta, quae in Pandectis & locis quibuſdam aliis ſuperſunt, nihil commune iſtud librorum iuridicorum naufragium euaſerit. Scripſerat EPISTOLAS (f), in quibus conſilia ac reſponſa tum magiſtratibus, tum priuatis data videtur collegiſſe, quamuis ex iis poſtea aliqua in Digeſta ſua retulerit (g). Scripſerat & QVAESTIONVM, id eſt, problematum iuris difficiliorum ac publice diſceptatorum, libros ſaltim XIX. (h) Reliquerat praeterea COMMENTARIOS, vel, vti ego inter-

ſubſcriptum:

FERETRVM. FIERI. PLACET. IVVENTIVS CELSVS. PROMAGISTER. SVBSCRIPSI. III. NON. NOVEMB. ANTIO. POLLIONE. ET. OPIMIANO. KOSS. ORDINARIIS. SEVERO. ET. SABINIANO COSS.

Hunc lapidem Guil. Grot. de vit. ICt. Lib. II. cap. III. & Menag. in Amoen. Iur. cap. XX. p. 98. ad Iuuentium ICtum, de quo nos hactenus egimus, referunt, quum tamen meliora edoceri potuiſſent a Io. Bertrando *Lib.* I. cap. X. Conſulatus enim Pollionis & Opimiani incidit in annum V. C. IↃcccccii. quo iam ad plures abiiſſe Celſum noſtrum, demonſtrauimus. Σύγχρονος Celſo noſtro fuit C. IVVENTIVS VERVS, qui & ipſe ad conſulatum peruenit, Grut. p. CXV. 1. quemque noſtri fratrem fuiſſe, admodum fit veroſimile. Quumque hunc Verum Saluii Iuliani genti adfinitate iunctum fuiſſe, praeclare ex marmoribus demonſtret Reineſ. Var. Lib. III. cap. II. p. 343. ſtemma tale inde emerget:

Salu. Iulianus ICtus

P. Iuuentius Celſus pater

⌐——————⌐

Q. Iuuentius Celſus filius | C. Iuuentius Vibius Verus Coſ. an. *DCCCLXXXVI.* = Filia Salu. Iul.

⌐———⌐ (under Q. Iuuentius Celſus filius)

P. Iuuentius Promagiſter.

Petronius = Didius Severus

⌐———⌐ (under C. Iuuentius Vibius Verus and Filia Salu. Iul.)

Vibia Saluia Vera Spart. Clara Aemilia

⌐——————⌐

Numius Albinus, Numia Vara, Coſ. an. *DCCCCXXXIX.* | Didius Proculus, = Didius Salu. Iulianus, Imp.

(f) Earum librum XI. citat Vlpianus *l.* 3. *ff. de minor.* Praeter illum Epiſtolas edidere C. Ateius Capito, Gell. *lib. XIII. cap. XII.* Antiſtius Labeo, *l.* 30. §. 1. *ff. de vſuc.* Proculus, Iauolenus, Neratius, Africanus. Iulianus, & Sex. Pomponius. Ceterum ICtos conſilia & reſponſa ſua colligere ſolitos, patet ex fragmentis Proculi *l.* 78. *ff. pro ſoc. l.* 47. *ff. de leg.* 2. *l.* 7. *de captiu. & poſtl. l.* 55. *ſequ. ff. de adqu. rer. dom. l.* 69. *de contr. emt.*

(g) Vid. *l.* 3. *ff. de minor.*

(h) Earum librum tantum XII. & XIX. ab Vlpiano laudari, notat Labitt. Indic. Pand. p. 77. Sed & librum I. citari obſeruaui in *l.* 1. *ff. de reb. cred.* quod argumento eſſe poteſt, Indicem Labitti poſt tot editiones nondum ſatis accuratum eſſe. Quid fuerint Quaeſtio-

nes

interpretor, breuiora iuris vniuerſi elementa, ac quoddam quaſi πρόχειρον τῶν νόμων (i). Aſt celeberrimum fuit opus DIGESTORVM, quo totam iuriſprudentiam, ſeruato Edicti ordine, libris XXXIX. complexus eſt, & quod ſolum temporibus Iuſtiniani videtur ſuperfuiſſe (k). Haec ſunt Celſi noſtri opera (l), quae ſaepenumero a Iuliano, Sex. Pomponio, L. Voluſio Maeciano, Aelio Marciano, Vlpiano, Paullo, ipſoque Iuſtiniano citantur, & ita quidem, vt vix adducant locum, quin vel laudent Celſi ſententiam, vel eam ſuo ſuffragio confirment (m). Ceterum in eius

Xxx 2 frag-

nes a ICtis oditae, quales & a Papiniano, Maeciano, Africano, Ceruidio Scaeuola, Tertulliano, Calliſtrato & Paullo ſcriptas nouimus, praeclare docuerunt Iac. Cuiac. in tract. ad Afric. & Eu. Otto in Papiniano Cap. XII. p. 234. quibus addo, Scaeuolam edidiſſe *librum Quaeſtionum publice tractatarum*, quae inſcriptio optime oſtendere videtur huiuſmodi librorum argumentum.

(i) Citatur liber Commentariorum ſeptimus ab Vlpiano, *l. 19. §. 6. ff. de aur. arg. mund.* quemadmodum & Caii noſtri Commentarii laudantur *l. 54. ff. de condit. & demonſtr.* Eorum argumentum eleganter exponit Iſidor. Hiſp. Orig. Lib. VI. Cap. VIII. *Commentaria dicta, quaſi cum mente. Sunt enim interpretationes, vt commenta iuris, commenta euangelii. Nam quidquid breuiter componitur, commentarium dicitur.*

(k) Ex eo ſolo fragmenta in pandectas retulit Tribonianus. Reliqui ergo libri tum non amplius reperti ſunt. Quin quum ante Iuſtinianum nec Theodoſius in *l. 1. C. Th. de reſp. prud.* nec Anianus in Interpretamentis Digeſtorum Celſi faciant mentionem: illa quoque procul dubio fuere inter *rariores antiquae ſapientiae libros, quorum quum multi eſſent & ipſis eruditiſſimis hominibus incogniti, copiam maxime Tribonianus, vir excellentiſſimus, praebuiſſe*, dicitur in *Conſt. tanta §. 17. de confirm. pand.* Ordo Edicti in his digeſtis obſeruatur a libro I. ad librum XXVII. Libro XXVIII. de legibus Cincia & Velleia, Libro XXIX. de Fuſia Caninia, Aelia Sentia, Iunia Norbana, Libris XXX. & ſex ſequentibus, quod & Iac. Gothofr. in Comment. ad Reg. Iur. p. 748. obſeruauit, de lege Iulia & Papia Poppaea; libro XXXVII. de legibus iudiciorum publicorum; libro XXXVIII. de ſtipulationibus & cautionibus; ac poſtremo libro XXXIX. de iure fiſci, re militari, aliiſque, quae ad ius publicum pertinent, tractauerat.

(l) Bern. Rutilius Vit. ICt. Cap. LVIII. & Io. Bertrandus Celſo etiam tribuunt INSTITVTIONVM *libros XX.* Vinc. Grauina §. XXXIX. addit libros aliquot de VSVCAPIONIBVS, quibus in libris crebram mentionem patris fieri, obſeruat. Sed vtriuſque operis nuſquam apud veteres fit mentio, & Celſus filius in toto Digeſtorum opere vix ſemel iterumque patris meminit.

(m) Hinc formulae: Eleganter Celſus ſcribit. *l. 1. ff. de inſt. & iur. l. 21. §. 11. ff. de recept. & arb. l. 1. §. 3. ff. de vſufr. accr. l. 18. §. 4. fam. erciſc.* non ineleganter, *l. 3. §. 8. de condict. cauſſ. dat.* recte, *l. 21. §. 11. de recept. l. 2. de condict. ind. l. 18. de her. pet. l. 15. §. 25. de damn. inf.* Eius ſententiam videri probabilem, *l. 1. §. 3. de flum.* rationalem *l. 2. §. 3. de iudic.* non inargutam. *l. 5. §. 1. ff. de vſufr. ear. rer.* veram, *l. 1. §. 3. ff. de exc. rei vend.* & paſſim veriorem, *l. 33. ff. ad SC. Treb.* veriſſimam, *l. 11. §. vlt. ff. de interrog. in iur. fac.* eam habere ratio-

fragmentis duo ſibi notare viſus eſt Guil. Grotius, alterum, *quod aequitatis obſeruantiſſimus*; alterum, *quod in deridendis aliorum opinionibus multus, & natura ſarcaſticus fuerit.* Sed vti prius illud Grotio facile largimur: ita vereor, vt poſterius in eius fragmentis quiſquam, adhibito quouis perſpicillo, deprehenſurus ſit, niſi forte tam ſeuerus, vt deriſorem dicat, quicumque veritatis ſtudio ductus, ab aliorum ſententia, ingenua libertate diſſentit (n).

Enimuero, ne in librum excreſcat diſſertatio, iam id agendum, cuius cauſſa hanc operam calamo indiximus. Quum enim poſt acerba virorum doctiſſimorum, HENR. BERN. REINOLDI & ARN. WESENFELDI, funera iuriſprudentiae ac philoſophiae publice docendae prouinciam mihi impoſuerit, eoque conſilio me ex illuſtri Franequerana longe clementiſſime euocarit REX PRVSSIAE POTENTISSIMVS, Dominus noſter & Nutritor Academiae longe munificentiſſimus: nihil ſupereſt, quam vt, dicta oratione ſollemni, auſpicium vtriuſque muneris more maiorum faciam. Fiet id futuro die IV. Nouembr. quo de IVRISCONSVLTIS SEMIDOCTIS diſſerere, eorumque vberrimum prouentum ex litterarum ac philoſophiae contemtu naſci, breui oratione demonſtrare decreuimus. Quem actum vt ſua praeſentia condecorare velint RECTOR MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMVS IMP. COMES, PERILLVSTRES BARONES, PROFESSORES EXCELLENTISSIMI, & quicumque Muſas amant, CIVES HOSPITESque generoſi ac doctiſſimi, ea, qua par eſt, humanitate, & opere, quantum poſſum, maximo exoratum venimus, daturi operam, ne officio noſtro, ſimili oblata occaſione, vmquam defuiſſe dicamur. P. P. in alma Viadrina A. D. II. Nov. CIↃIↃCC XXVII.

tionem. *l.* 19. §. 3. *de aur. arg. mund.* Eius ſententiam probandam, *l.* 13. *ff. de her. pet. l.* 2. *ff. de vſu & habit.* ei adquieſcendum, *l.* 17. §. 1. *ff. de op. libert.* eo iure vtendum. *l.* 23. *ff. de R. I.* Vnus Iulius Paullus, & ſemel quidem, monet, non amiſſum eſſe, quod Celſus ait. *L.* 98. §. 8. *ff. de ſolut.*

(n) *Miratur* aliquando Celſus, *hoc a nemine animaduerſum*, *l.* 13. *ff. de in diem add.* quorumdam etiam *ſententiam ſibi minus probari*, fatetur: *l.* 1. §. 1. *ff. ad municip.* ſed in his nihil σαρκασμῶν. Semel Vlpianus *l.* 10. *ff. de neg. geſt.* Celſum Proculi ſententiam *eleganter deriſiſſe* ait. Sed deridere eleganter ad χαριεντισμὸν pertinet. In primis Grotius profert acre Celſi reſponſum *l.* 27. *ff. qui teſt. fac. poſſ.* at ibi non alterius ſententiam, ſed ſtolidam Domitii Labeonis quæſtionem, ſibi propoſitam, deridet. Et ea ſane noſtris quoque hominibus tam ridicula videtur, ut paroemiae ICtorum: *quaeſtio Domitiana* originem dederit.

DE

DE

IVRISCONSVLTIS SEMIDOCTIS ORATIO INAVGVRALIS,

DICTA

FRANCOFVRTI AD VIADRVM

A. D. IV. NOV. MDCCXXVII.

EXERCITATIO XIV.

Quae res ad acuendum ingenium excitandamque dicendi facultatem duae plurimum poſſunt, AVDITORES HON. ab his ambabus hodierno die me non dicam mediocriter inſtructum, ſed penitus propemodum deſtitutum eſſe, ſatis animaduerto. Quum enim praeter ingenii vbertatem duo ſint maxime, quae dicendi magiſtri in oratore, eloquentiae famam anhelante, requirunt, animus ſerenus nulloque vehementiore adfectu perturbatus, & non intermiſſa dicendi conſuetudo atque exercitatio: ego me profecto & paullo commotiorem in hunc ſuperiorem locum conſcendiſſe fateor, & acriorem illum ad dicendum impetum, quo olim apud imperitiores in aliquam hominis non indiſerti opinionem veneram, iam pridem in me paene elanguiſſe, ſentio. Et animum quidem, quem iam totum in excogitandis rebus eſſe oportebat, quam maxime percellit, defixumque in ſe habet ſummi Numinis prouidentia, quae me & ante hos quatuor annos, paene inuitum, ac iam itineri Francofurtano accinctum, in Belgium extruſit, & nuper honeſtiſſima conditione ibi fruentem, omnique beneficiorum genere ab illuſtriſſimis Friſiae Ordinibus ornatum, praeter omnem ſpem atque exſpectationem patriae reſtituit. Quam quidem fatorum meorum ſeriem quanto contemplor accura-

curatius, (non potui autem in hunc locum conſcendens eam non accuratiſſime contemplari,) tanto me magis haerere, mirari, obſtupeſcere, & vix oculis meis fidem habere fateor. Deinde ab illo priſtino eloquentiae ſtudio, quo iuuenis magnopere delectabar, me non modo ipſa aetate, ſed & tetrico illo iuriſprudentiae ſtudio, cui me a tot annis totum dedidi, iam dudum abductum eſſe, vos ipſi facile intelligetis, AVDITORES, niſi forte homini, cum Accurſio ſimilibuſque ingeniis quotidie conflictanti, litteriſque illitteratiſſimis immerſo, elegantiae quidquam ſupereſſe potuiſſe, arbitremini. Enimuero quamtumuis verear, vt exſpectationi veſtrae ſatisfaciam: tamen quum hoc dicendi munus detrectare ſaluo officio ac more maiorum haut poſſim: pandam, quantum in me eſt, orationis vela, & de IVRISCONSVLTIS SEMIDOCTIS, cauſſiſque, cur tam pauci hodie ad ſolidiorem illam, qua veteres excelluerunt, iuriſprudentiae laudem perueniant, quaedam nec a perſona mea, nec ab hoc tempore aliena, in medium proferam. Intereſſe enim arbitror iuuentutis huius lectiſſimae, vt aliena fruatur inſania & veluti tot naufragia ex littore ſpectans ab aliis exemplum capiat, ſibi quod ex vſu ſit, tantoque prudentius aliorum exemplis monita rationes ſuas componat. Quas res vtiliſſimas, neque, vt ſpero, iniucundas breui oratione complectenti, vt mihi perexigui temporis audientiam haut denegetis, a vobis, AVDITORES, vehementer etiam atque etiam rogo atque contendo.

FL. THEODOSIVS, Auguſtus, in conſtitutione, quam de Codicis ſui auctoritate edidit, paucos raroſque ſemper conqueritur exſtitiſſe, qui plena iuris ciuilis ſcientia ditarentur, & in illo lucubrationum triſti pallore vix vnum aut alterum recepiſſe ſoliditatem perfectioris doctrinae. Quum in haec verba primum inciderem, AVDITORES, iure Theodoſius accuſare mihi videbatur temporum, in quae inciderat, infelicitatem. Nam iam tum effuſa in orbem Romanum barbaries omnem elegantiam omnemque litterarum ſplendorem ita exſtinguere coeperat, vt & tribunalibus tunc mera offunderetur caligo, & ipſa iuriſprudentia, quae olim Manlios, Scaeuolas, Seruios in ampliſſimum dignitatis gradum extulerat, ignobile libertinorum, quin ſeruorum artificium, putaretur. Quare adeo non mirabar, in proletaria illa turba pauciſſimos innotuiſſe optimo principi, qui maximam illam Papinianorum Vlpianorumque gloriam exaequarent, vt ſi plures exſtitiſſent, id multo magis viſum eſſet admiratione dignum. Enimuero paullo poſt, expenſis omnibus, quae ad rem facere videbantur, ſubductiſque

ctiſque rationibus, non multo infelicius fuiſſe intelligebam Theodoſii ſaeculum, quam illa anteriora, ſiquidem & Tullius, cuius aetate litterae omnes excelſiſſime florebant, de ICtorum tamen excellentiorum paucitate conqueritur. In libro enim de claris Oratoribus, vbi Ser. Sulpicii ſcientiam in iure mirifice collaudat, ad Brutum conuerſus: Sic enim Brute, inquit, exiſtimo, iuris ciuilis magnum vſum & apud Scaeuolam, & apud multos fuiſſe, artem in hoc vno Sulpicio. Quod ſi autem iam Ciceronis temporibus non adeo magnus fuit iuriſconſultorum egregiorum prouentus, & iam tum fora & ſubſellia occuparant homines ſemidocti, quando vrbs, rerum gentiumque domina, eruditiſſimis hominibus liberaliſſimiſque ſtudiis adfluebat, nitentibuſque ad maiora ingeniis ampliſſima praemia tum ad honores tum ad diuitias erant propoſita: cui quaeſo mirum videatur, Theodoſio, cuius temporibus omnium laudandarum artium ſtudia iam pridem oblanguerant, multo pauciores innotuiſſe, qui ſibi in hoc ampliſſimo ſtudio laudem aliquam eximiam pepererint? Incidebat deinde ſuſpicio, ipſam fortaſſis iuriſprudentiam ita eſſe comparatam, vt eam non niſi pauca atque eminentiora ingenia capiant, pleraque non niſi mediocrem eius cognitionem adſequantur. Sed quum olim a Traiani temporibus Iuliani, Marciani, Celſi, Papiniani, Vlpiani, Paulli aliaque illuſtria ingenia tanto numero illuxerint, quibus nihil in arte noſtra abditum, nihil imperuium fuit: vix fiebat veroſimile, naturam, veluti nimia illius aeui vbertate defatigatam, ita poſtea paullatim conſenuiſſe, vt homines noſtri reliquas quidem artes omnes non ſolum addiſcere, ſed & nouis acceſſionibus locupletare poſſint, in ſola autem iuriſprudentia ad veterum eruditionem adſpirare nequeant. Quare quemadmodum Moderatus Columella, ſcriptor de re ruſtica elegantiſſimus, eos grauiter reprehendit, qui culpantes agrorum infoecunditatem & coeli per multa iam tempora noxiam frugibus intemperiem, humi naturam ſterilitate, quaſi quodam morbo, adfectam exiſtimabant: ita nefas profecto eſt, opinari, eamdem naturam in fingendis ingeniis ita iam vires omnes conſumſiſſe, vt iam pridem nihil magnum amplius atque eximium producat. Non ſicuti corpora hominum decreuiſſe, terraque nunc malos homines ac puſillos educare creditur: ita ingeniorum minorem nunc, quam olim, vim ac perſpicaciam eſſe, credendum eſt. Sunt eruntque ingenia, dum erunt homines, eaque procul dubio veterum gloriam & exaequare & ſuperare poſſunt, modo cultura diligentiore perficiantur. Quae quum ita ſint, aliae, eaeque magis idoneae inueſtigandae erunt

ratio-

rationes, cur tam paucorum ICtorum excellentium lumine illuſtrentur ſaecula noſtra, ſemidocti contra & ſapientia ciuili vix leuiter tincti tantum non vbique in ſcholis ac foris dominentur. Quod antequam fiat, operam mihi dandam eſſe intelligo, AVDITORES, vt plebeiae huius turbae faciem paullo accuratius pernoſcatis. Nam illa perſpecta, tunc demum, quae triſtis atque inſalubris tempeſtas tantum horum hominum prouentum dederit, non admodum obſcurum fore, confido.

Equidem conſtare inter omnes arbitror, AVDITORES, maius, quam vulgo creditur, eſſe iuriſconſulti nomen, & quod vnum maximas doctrinae opes, atque inſignem rerum diuinarum humanarumque ſcientiam complectatur. Non iam dicam, quam vaſtum ac capax ingenium tot iura inter ſe diuerſiſſima, ciuilia, eccleſiaſtica, clientelaria, publica, priuata, Romana, patria, requirant. Ipſum enim ICti officium tam amplum eſt, tamque diffuſum, vt & diligentiſſimos homines, ac illi vni deditos, facile defatiget. Duabus videlicet partibus illud potiſſimum abſolui animaduertimus, vna, vt iura, quibus viuimus, quibus regimur, omnia accurate habeamus perſpecta, & ſi quid in illis abditum atque obſcurum occurrit, illud explanare interpretando & in clariſſima luce collocare nouerimus: altera, vt illas iuſtitiae atque aequitatis rationes negotiis humanis cauſſiſque in foro vitaque ciuili quotidie obuenientibus rite adplicare ſciamus. Si quis itaque eſt mortalium, qui vtramque illam facultatem ita coniunxerit, ut & interpretaturus leges, & cauſſas vel cogniturus, vel acturus, munere ſuo cum laude fungatur, eum demum praeclaro atque honorifico ICti nomine iudico eſſe digniſſimum. Quemadmodum enim illum non temere gratioſum medici nomen mereri dixeris, qui peruolutatis licet Hippocratis, Galeni, omniumque praeſtantiſſimorum doctorum voluminibus, lectulo tamen aegrotantis numquam adſtitit, ac proinde leuiſſimam quamlibet decumbentis febriculam expaueſcit; nec eum quoque id nomen tueri credideris, qui ſalutari ſcientia numquam initiatus, artem tamen facit, exhibitoque laſerpitio ſuo aegrotis omnibus ſalutem, ac tantum non luſcis nouum oculum pollicetur, tot quotidie miſeros referens in Libitinae rationes:

Quot Themiſon aegros auctumno occiderit vno:

Ita profecto nec quemquam ICti nomen ſine dedecore ſuſtinere arbitramur, qui non iuſti & aequi artem ita cum vſu coniunxit, vt par ſit in vtraque facultate. Quibus poſitis, (ſunt enim ita perſpicua, vt probationis non indigeant,) iam ſatis perſpicietis,

AVDI-

Digitized by Google

AVDITORES, quot ICti ſemidocti aetate noſtra ſubcreuerint. Quam multi hodie ſunt, qui de legum intelligentia parum ſolliciti tunc ſe putant, quod in arte noſtra ſummum eſt, conſequutos, quando multas leges vel minus intellectas, vel ad rem nihil facientes, quin & aliquando cauſſam, quam defendendam ſuſceperunt, iugulantes accumulare, & ad ſingula verba Bartoli, Baldi, Accurſii manes euocare didicerint? Quam multi ſoli critices ſtudio dediti, id vnice per omnem vitam agunt, vt leges figant refigantque, modo ſyllabam, numquam de republica male meritam, in exilium agentes, modo eiectam ab alio, ac veluti deportatam, reſtituentes in integrum, modo ſumto hypercriticorum ſupercilio, vbique ἀντινομίας conſectantes, ipſumque ius conſtitutum exagitantes tam petulanter, nihil vt propemodum relinquant integrum, intactum, illibatum? Interrogatus olim Pauſanias, cur nefas exiſtimetur Lacedaemone, vllam priſcarum legum refigere? Quoniam, inquit, legibus in homines, non hominibus in leges imperium eſt. At noſtris his temporibus eo res rediit, vt & priuati ſibi auctoritatem in leges arrogent, & vt acrius quiſque in iura inuehitur, ita ſibi doctior aliiſque prudentior videatur. Quam multi denique interpretandis quidem Romanorum legibus, erroribuſque, quibus ſemidocta doctorum turba ius noſtrum inquinauit, eluendis omnem impendunt induſtriam, ſed de huius ſcientiae vſu patriique iuris reliquiis tam parum ſolliciti ſunt, vt ſi quis eos in forum perduxerit, credituri ſint, ſe pedem in alio terrarum orbe poſuiſſe? Veniam, quaeſo, date, AVDITORES, de his omnibus noſtram promentibus ſententiam.

Primi generis ſtudium dici non poteſt, quam ſit inane, ac prope ridiculum. Quid enim aliud eſt legum plurimarum minus intellectarum notitia, quam quoddam iuriſprudentiae cadauer, vita ac ratione deſtitutum? Quid magis ridiculum, quam auicularum imitari induſtriam, & quaedam legum verba panis lucrandi cauſſa ediſcere, nec earum tamen tenere vim ac poteſtatem? Nonne his iure occinas illa Perſii leuiter immutata:

Quis expediuit pſittacis ſuum χαῖρε,
Picaſque docuit verba noſtra conari?
Magiſter artis, ingeniique largitor,
Venter, negatas artifex ſequi voces.
Quod ſi doloſi ſpes refulſerit numi,
Coruus, peritus iuris, Vlpianeas
Tentabit expedire voce rubricas.

Alter eorum labor, qui caſtigandis emendandiſque legibus be-

ne de iuriſprudentia mereri conantur, & neceſſarius eſt inprimis; nec vmquam, ſi brutus abſit vrendi ſecandique impetus, ſua laude defraudandus. Sed qui eo ſolo iuriſprudentiae ambitum circumſcribunt: nae iſtos ego Penelopes procis ſimillimos eſſe dixerim, qui repudiati a domina, vota ſua mittebant in crucem, & in ancillarum amplexus turpiter ruebant. Artem enim criticam cum aliis diſciplinis, tum & iuriſprudentiae ancillari, nemo temere ibit inficias. Richardus Simonius, audacis at peracuti ingenii homo, ſuauiter alicubi ridet eos, qui neglectis ſcientiis ipſis, in ſola arte critica conſeneſcunt. Eſſe hanc fatetur clauem, qua maximi ſapientiae theſauri, in veterum reconditi lucubrationibus, recludantur. Ludibrium tamen debituros ait cordatioribus, quicumque in limanda perpoliendaque claue aliqua omnem aetatem contriuerint, neque iſtam vmquam ad recludendas depromendaſque illas diuitias adhibuerint. Sapienter, ſi vmquam, & Ioue aequo iudicauit vir acutiſſimus. Quid enim aliud faciunt, qui leges planiores redditurі, emendationes acute excogitant, nec vmquam tamen legum ac iuris ſcientiam, ad cuius theſauros ſibi aliiſque viam expedire conantur, animo comprehendunt, quam vt in polienda claue conſeneſcant? Quo vero iure eos iuſtitiae ſacerdotes, veraeque illius ac maſculae philoſophiae, quam ICti profitentur, ſtudioſos dixeris, qui non aequi bonique notitiam profitentur, non iuſtum ab iniuſto, licitum ab illicito ſecernunt, non denique vllam partem officii, quo iuriſconſultus fungitur, vmquam attingunt, ſed in aucupandis litterarum ſyllabarumque varietatibus verſantur, parum memores eorum, quae Plinium Secundum docuit Euphrates, philoſophus eximius, eſſe hanc philoſophiae & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere iuſtitiam, quaeque ipſi diſcamus doceamuſque, in vſu habere.

Quid dicam de illis, qui in venandis antinomiis ac Triboniani emblematibus omnem ciuilem ſapientiam poſitam eſſe exiſtimant? Eſt ſane, vbi in operoſa illa iuris compilatione peccauit Tribonianus, idque tantum abeſt, vt mirer, vt, ſi nihil homo peccaſſet, id multo magis videretur mirandum. Sed plura eius peccata nonnulli fingunt, quam reperiunt. Si qui enim in verba quaedam paullo obſcuriora incidunt, ſi iura aliqua, ſibi minus perſpecta, interpretari iubentur, ſi denique parum ſibi conſtare exiſtimant veteres; ſtatim expediri iubent virgas, quibus vapulet Tribonianus miſerrimus. Et tamen quemadmodum vetula illa apud Senecam, quae, vt fit, luminibus male vtebatur, feneſtris

neſtris exiguis & aedibus parum luminoſis ridiculo errore ſuccenſebat, ita multi, qui in Tribonianum ſaeuiunt, non animaduertunt, non illius culpam eſſe, ſed ſuam, & pleroſque, quos ſibi fingunt, Tribonianiſmos in fumum abituros, ſi quis paullo plus praeſidii litterarum ad iuriſprudentiam attulerit.

Eſt & tertium illorum ſemidoctorum genus, qui non niſi vetera ac Romana mirantur, Romana colunt, praeter Romana nihil laude induſtriaque ſua dignum exiſtimant, ſubinde ingeminantes illud Craſſi apud Ciceronem: incredibile eſſe, quam ſit omne ius ciuile, praeter Romanum, inconditum ac paene ridiculum. Praeclare conſtitutum eſt ius Romanum, fateor. Praeſtantiſſimas illud ſeruat prudentiae legiſlatoriae reliquias, nec id nego: quin & illud adiungo, videri in fatis eſſe, vt ſicut olim Romanorum arma, ita poſtremis hiſce ſaeculis leges eorum cultiſſimas Europae prouincias occupent, idque contingat, quod Roma diſcedens augurabatur Rutilius Numatianus:

Porrige victuras Romana in ſaecula leges,
Solaque fatales ne vereare colus.

At nemo tamen ignorat, eſſe & Germanicae originis gentibus ſua inſtituta, ſuas leges ac priſcas conſuetudines, quibus ſane non repudium miſerunt maiores noſtri, dum Romanas leges paullatim in ſcholas ipſaque fora admiſerunt. Has vero negligere, has exſibilare, his Romani pontificiique iuris pannos adſuere, & inde neſcio quam hybridam effingere iuriſprudentiam, quod plerique patrum memoria factitarunt, id non puto eſſe ICti ingenui, ſed ſemidocti ac in ipſa patria hoſpitis, quin, vt rectius dicam, coqui alicuius Plautini, iura diuerſa miſcentis, atque ita tamen ſibi placentis ferculo tam lepido, vt in eius odorem Iouem quotidie coenare, & ſi non coquat, incoenatum cubitum ire, exiſtimet. O praeclara vero ciuitatis oracula, quae quoties de iuribus nobilium & opificum, de cenſu emigrationis, de colonis & glebae adſcriptis, de coquendae cereuiſiae, exſtruendae molae ſimilibuſque iuribus conſuluntur, aut obmuteſcunt illico, aut ex titulis de equeſtri dignitate, de collegiis & corporibus, de publicanis & vectigalibus, de iure perſonarum & de ſeruitutibus ruſticorum atque vrbanorum praediorum, tamquam ex Apollinis antro, neſcio quem ſacroſanctae Themidis adflatum exſpectant!

Venio ad alteram e triuio turbam eorum, qui adſpernati accuratiorem iuris ſcientiam, quam ipſi theoriam vocant, iuriſprudentiam quamdam barbaram atque impolitam colunt, ſolum iactantes vſum forenſem, ad eumque omnes cogitationes omniaque ſtudia

referentes. Horum aliqui vix deguſtato quodam iuris compendio, tanto plus induſtriae impendunt notitiae formularum forenſium, eaque leuiter armati, comite Volkmanno ſuo, in forum prodeunt, beati ex ſua ſententia futuri, ſi ibi cauſſidici vel proclamatores & rabulae haut imae caueae audiant. Alii plane neglecta theoria, quam ipſi tamquam infamem foro exigendam cenſent, centena aliquot deciſionum, conſiliorum, obſeruationum forenſium, opinionum communium contra communes, cautelarum denique, quas vocant, ſaluberrimarum volumina aere non adeo magno conquirunt, & tunc demum ſibi ipſa iuriſprudentia prudentiores videntur, ſi inde aliquot caſuum myriadas aut edidicerint, aut certe retulerint in aduerſaria. Denique plerique horum hoc abſinthio ita veluti bonam mentem amittunt, vt quo quemque libellum ſordidiorem repererint, eo magis illo paſcantur, eaſque ſordes Accurſianas ſolas ad rem faciendam accumulandaſque opes, reliquas nugas, quae neſcio quid Cuiacianum prae ſe ferant, ad oblectandam egeſtatem comparatas eſſe exiſtiment.

Habetis, AVDITORES, Sardos venales, alios aliis nequiores. Sed horum omnium tam aperta ſtoliditas, tamque manifeſta malitia eſt, vt otio veſtro abuti nolim in horrida illorum imagine vobis ob oculos ſiſtenda. Valeat ergo caninum illud ſtudium, locupletiſſimum quemque allatrandi, valeat turpe, & conceſſum tamen intra moenia & in ipſo foro, latrocinium: Valeant rabulae, quos ne ſemidoctos quidem dixeris, quique, ſi forte in foro aliquamdiu tinniunt, verboſiſque ſtrophis ſibi aliquam facundiae aſtutiaeque famam adquirunt, demum vti ſutor ille medicus apud Phaedrum, fateri cogentur, ſe non vlla artis prudentia, ſed ſtupore vulgi, cauſſidicos factos eſſe tam nobiles. Potius itaque hoc agemus, cuius potiſſimum cauſſa haec diſſeruimus, vt, quid demum haec tropica inſtituerit, quaeque tempeſtas tantam fundo noſtro calamitatem intulerit, eodem candore expediamus. Cauſſae eius ſterilitatis & variae ſunt, & grauiſſimae. Magnam eius partem ipſis vulgo doctoribus tribuunt. Quomodo enim alios doceas, quod ipſe non didiceris? Et quis credat, ex Forcatuli ſchola Cuiacios prodituros? At de his iam non dicam, quum de tanta re pauca dicere, aut ſatyram non ſcribere ſit difficillimum. Potius inexplebilis illa habendi cupiditas, quae plurimorum animos veluti peſtilenti quodam ſidere adflauit, ſtudiis noſtris incredibile detrimentum intulit. Quum enim plerique liberos ſuos quam primum in foro & republica verſantes maximaſque accumulantes diuitias videre geſtiant; eos ſtatim ad rem ipſam, vti loquuntur,

tur;

Digitized by Google

tur, adgredi, & ad imbibenda tantum pragmaticorum praecepta & neſcio quas practicas practicatas animum adpellere iubent. Hinc

Poſt finem auctumni media de nocte ſupinum
Clamoſus iuuenem pater excitat: accipe ceras,
Scribe, puer, vigila, cauſſas age, perlege rubras
Maiorum leges.

His vocibus adſueti adoleſcentes, eo demum prolabuntur, vt ſe conſenuiſſe putent in academiis, ſi integrum non dicam quinquennium, ſed biennium aut triennium in iis exegerint. Olim, qui ad ciuilis ſapientiae adſpirabant laudem, iuuenes, decurſo artium liberalium ſtadio, non modo audiebant iuriſconſultos, & numquam ab eorum latere per multos annos diſcedebant, verum etiam, quaeſitis ſcientiae pulcherrimae opibus vſum atque exercitationem diuturnam adiungebant. Ex quo tam pertinaci ſtudio an aliud potuit, quam magnum atque admirabile quid efflorеſcere? Res enim alias omnes auro argentoque, ſolam eruditionem veram ac ſolidam tempore ac diligentia parari, vere ac ſapienter Metrocles monuit. At hodie ita ſpes ſuas praecipitant iuuenes, adeoque ſeuera lege proficere nolunt, vt, quod iam ſua aetate elegantiſſimus Merillius conqueſtus eſt, vix numeris inſerti, vix ſigna venerati, vix ingreſſi principia, caſtra noſtra deſerant illico, & miſſionem, nondum poſito tirocinio, poſtulent. Multa, mihi credite, ſunt, per quae generoſam circumferre indolem oportet iuuenes, antequam ciuilis ſapientiae ſacris initientur. Comparanda illis eſt accuratior latinae graecaeque linguae notitia: haut leuiter deguſtandae elegantiores litterae: eundum per omnis aeui omniumque temporum, ac patriae inprimis annales, & quidquid ad priuata publicaque maiorum inſtituta pertinet, animo inſigendum; danda praeterea opera, vt auctore Iuſtiniano nihil antiquitatis penitus ignorent. Diſcendum porro, quomodo inuenienda eruendaque ſit veritas, & quibus ex fontibus ad omnem interpretationem incredibilis illa argumentorum copia emanet. Penitus imbibendum, quidquid philoſophi de virtute inſtituendaque vitae ratione praecipiunt. Indaganda illa lex ſempiterna atque immutabilis, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum e natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus. Denique illa regnatrix prudentia, inſtituendaeque & conſeruandae ciuitatis ratio in ſuccum & ſanguinem vertenda eſt. Haec vero, haec, AVDITORES, ſunt illa praeclara meditamenta, quibus ICti veteres praeluſerunt inſigni illi atque inuſitatae doctrinae, quam in illorum fragmentis omnis poſteritas admiratur. Haec ſtudia olim Romano

no orbi Sulpicios, Mucios, Caſſios, Iulianos, Papinianos, Vlpianos; haec poſteriori aeuo Alciatos, Cuiacios, Merillios dederunt. Quantam ſibi gloriam pepererit Antiſtius Labeo, neminem veſtrum ignorare opinor. Vultis dicam, AVDITORES, quid ei ad obtinendum illum in iure ciuili principatum profuerit? Dicam, & quidem, praeunte Gellio, hanc eius laudem maximam fuiſſe cenſente, quod, licet iuris ciuilis diſciplinam principali exercuerit ſtudio, conſulentibus de iure publice reſponderit, ceterarum tamen bonarum artium expers eſſe noluerit, ſed in grammaticam ac dialecticam litteraſque elegantiores penetrarit altius, quod percalluerit latinarum vocum origines, eaque ſcientia praecipue vſus ſit ad laqueos iuris pleroſque enodandos, quod denique nihil ratum penſumque habuerit, niſi quod ſanctum eſſe in Romanis antiquitatibus legiſſet. Id ſi quis ſtudioſorum iuris hodie fecerit, nonne

-- - *Labeone inſanior inter*
Sanos dicetur?

Non minus M. Cicero miratur Ser. Sulpicium, quocum ipſe omnes ex omni aetate, qui Romae intelligentiam iuris habuerint, ſi vnum in locum conferantur, non fore comparandos, iudicat. Et tamen, eodem iudice Cicerone, numquam id effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam praeterea didiciſſet artem, quae docet rem vniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera & falſa iudicarentur, & quae, quibus poſitis, eſſent, quaeque non eſſent conſequentia. Ita veteres componebant ſtudiorum rationes, eademque via deinde Cuiacius aliique accuratiores ICti ad immortalitatem nominis enitebantur. Quam vero ab hoc ſtudio non gradu, ſed praecipiti curſu, deſcitum ſit, res ipſa docet, AVDITORES. Quam multi redamare coeperunt infelicem barbariem, cuius e tenebris iuri ciuili tanta caligo offuſa eſt? Quotuſquiſque hodie cultioribus litteris vel tantillum temporis impendit? Quam pauci prodeunt libri iuridici, qui non merum rus oleant, omniaque tam arido dicendi genere, tamque ſine vllo ordine proferant, vt eorum auctores, tamquam ſepiae, ſua ſponte caliginem effudiſſe videantur, ne quis eorum ſtupiditatem in apricum protrahat? Quis porro hiſtoriarum antiquitatumque ſtudio vel tunc aliquantulum vacat, quando aliud agere non licet, vel ſi quando pluuius incidit dies? Annon ſunt, qui id ſibi propemodum dedecori fore metuant, ſi ſe vel vllam philoſophiae partem attigiſſe fateantur? Equidem non plane explodendum cenſeo illud Neopt-

ptole-

ptolemi, apud Ennium, philoſophandum eſſe, ſed paucis, nam omnino non placere. Quin facile largior, eum, qui ad iuriſprudentiam animum adpulit, recte atque ordine facturum, ſi, quemadmodum apud Homerum Vlyſſes in illo diuturno errore ſaepe Ithacam verſus reflexit oculos, ſic & ipſe per litteras elegantiores & ſapientiae diſciplinas ita peregrinetur, vt omnia referat ad iuriſprudentiam, eamque ſibi veluti patriam eſſe ſtatuat. Sed quod plerique hodie has artes amoeniores & philoſophiae praecepta, quaſi Syrtes & ſcopulos, praeternauigant, id vero turpe atque indigniſſimum videtur temporum noſtrorum felicitate. Si de quopiam horum percuncteris, an vmquam melioris aeui auctores attigerit? negabit ingenue, ſe enim relicta aliis diffuſae lectionis gloria ſolius iuriſprudentiae laude contentum fore dicet. Quid? veteres annales quam diligenter ac ſtudioſe luſtrauerit? Aliquem ſe fortaſſe Caeſarum indicem aliquando introſpexiſſe reſpondebit, ſed aliud agentem, ac veluti finium regundorum iudicium metuentem, ſi alienam iſtam glebam araſſet. Nimirum igitur in addiſcendis philoſophorum praeceptis tanto plus olei operaeque inſumſiſti? Immo, inquit, etiam ſpinoſiſſimas illas quaeſtiones ſemper a me alienas putaui, qui me vitae, non ſcholae, diſcere debere iudicabam. Certe igitur, quum tamquam ille Graeculus ſophiſta numquam extra patriam pedem extuleris, domi rerum tuarum tanto eris peritior, comparandiſque inter ſe legibus, conferendis interpretibus Graecis, denique aeternis Cuiacii, Pithoeorum, Cironii ſimiliumque operibus diurna nocturnaque manu verſandis tanto plus ſtudii impendiſti? Quos tu mihi, inquit, Graecos interpretes, quos Pithoeos, quos Cironios nominas? Quaſi ego in Graeco aliquo foro verſari, aut theoreticorum turbare circulos vmquam decreuerim. Alios a doctoribus meis commendari memini, triturae forenſi, id eſt, pani lucrando accommodatiſſimos, primum e veteribus Accurſium, Iaſonem, Iſerniam, Matthaeum de Afflictis, &, qui mihi merum nectar ſpirare videtur, Caepollam, e nouis autem Pantſchmannum, Nebelgreum, & alios, quorum aliquot centurias in muſeo meo eleganter diſpoſui. His ego delector, ad haec oracula, ſi quando caſum in terminis terminantibus anxie quaero, non ſine certa ſpe confugio, his numquam impalleſco, quin inde & doctior diſcedam & prudentior. Salue igitur, vir bone, cum tuo Iſernia & Caepolla, fruere per me iſto nectare, labris tuis digniſſimo, &, ſi me audis, aliquid ellebori addere memento, iubeaſque te operiri: beatus eris, ſi conſudaueris.

Sed

Sed neſcio, *Auditores*, quomodo ad haec delapſa ſit oratio mea. Dum ſaeculi malis indoleo, dum reipublicae litterariae cladem deploro, fere ad meridiem vergit dies, mihique metuendum eſt, ne vos pranſuros verbis exſatiare velle videar. Ceterum, quae dixi, eo pertinent vniuerſa, vt generoſa haec iuuentus, quid ſuarum partium ſit, aſſidue cogitet, atque ita ſe comparet, vt non inter ſemidoctos, non inter vultures iſtos togatos, qui in foro lanienam exercent, non denique inter otioſos, ſyllabiſque inhaerentes iuriſconſultos profiteatur nomen, ſed ad veram ſapientiam ciuilem, cuius pulcherrimam ſpectauimus imaginem, alacriter enitatur. Hoc conſilio iura docentur in academiis: eodem elegantiores litterae diuinarumque ac humanarum rerum ſcientia inculcantur: nec ob aliam cauſſam tot viri, omni eruditionis laude fulgentes, in hoc illuſtri bonae mentis domicilio viuunt, quam ne cuiquam aliquid ad comparandam veram doctrinam deeſſe poſſit. Quorum collegio quum poſt acerba virorum doctiſſimorum, HENR. BERN. REINOLDI & ARN. WESENFELDI funera me quoque intereſſe voluerit REX noſter longe clementiſſimus; primum Deo, rerum arbitro, qui mihi poſt varias tempeſtates hunc etiam portum oſtendit, deinde REGI auguſtiſſimo, qui tam illuſtre munificentiae ſuae exemplum in me exſtare voluit, gratias, quas mens concipere poteſt, ago habeoque maximas, atque immortales, nihilque mihi prius, nihil antiquius fore polliceor, quam vt muneris vtriuſque partes pro virili exſequar. Quemadmodum autem haec cogitanti terrorem incutit virorum doctiſſimorum, qui a renatis litteris has cathedras illuſtrarunt, memoria, quorumque merita me vlla ex parte adſequuturum vix ſperare patitur ingenii mei tenuitas: ita quam maxime me conſolatur non modo hic conſeſſus veſter, exoptatiſſimi coniunctiſſimique collegae, quos mihi exemplo, conſilio, ope profuturos plane confido, verum etiam veſter, o flos eruditae iuuentutis, conſpectus multo iucundiſſimus. Vos enim non ea mente huc acceſſiſſe arbitror, vt praeſtantiſſimam aetatis partem, a quo totius ſpes vitae dependet, otio perdatis, nec vt plus vini, quam olei conſumendo, magno malo veſtro inanes ab hoc ſapientiae mercatu domum reuertamini, ſed vt lacrymoſis parentum votis ſatisfaciatis ex aſſe, atque hinc aliquando diſcedatis, vera ſapientia ac doctrina eximii, qui ciuitates ac reſpublicas conſilio regere, iudiciis tueri, legibus emendare, innocentes denique, de vita, fama ac fortunis periclitantes, prudentia, voce ac calamo iuuare poſſitis. Hoc agite, o mei, hoc vobis primum, hoc ſit antiquiſſimum, hic labor, haec quies,

in

Digitized by Google

in his vigilias, in his noctes reponite. Sane, quod ad me attinet, ego me vobis, hoc acturis, ducem, aut, ſi mauultis, comitem ac commilitonem fore polliceor. Experimentum capite, cariſſimae animae, intelligetis profecto, niſi me vita deſtituat, non eſſe futurum, vt vel vos datae mihi operae, vel me laboris, veſtri cauſſa ſuſcepti, vmquam in poſterum poeniteat.

DE MERCATORVM, QUI FORO CESSERUNT, RATIONIBUS ET CODICIBUS.

EXERCITATIO XV.

Σύνοψις.

§. I. Mercaturam multi e republica excluſerunt. §. II. Eam reipublicae prodeſſe, probatur. §. III. Et ad exempla argumentaque contraria reſpondetur. §. IV. Hinc negotiantes eorumque commercia multis priuilegiis ornari coeperunt a legiſlatoribus. §. V. Quibus tamen indigni ſunt decoctores, dolo malo foro cedentes. §. VI. Inter haec priuilegia mercatorum etiam eſt illud de fide, eorum rationibus & codicibus habenda, de qua ex inſtituto agendum. Diſſertationis partitio. §. VII. Originem huius priuilegii plerique non iuri Rom. ſed conſuetudini, tribuunt. §. IIX. 1. Quia ſcripturae priuatae non creditur pro ſcribente, ſed contra eumdem. §. IX. 2. Quia mercator non poteſt eſſe teſtis in propria cauſſa. §. X. Quia nec inſtrumento a notario, vel a fiſco ſcripto, creditur, ſi pro notario & fiſco inde argumentum ducendum eſt. §. XI. Et tamen hoc priuilegium a Gloſſatoribus eſt excogitatum, nec iuri Rom. plane aduerſatur. §. XII. Veterrimo iure credebatur mercatorum codicibus, ſi libri creditorum cum libris debitorum conſpirarent, in expenſilatione. §. XIII. Si a menſa numeratum, fides habebatur argentarii rationibus. Quid ſit SCRI-

BERE & RESCRIBERE PECVNIAM? §. *XIV. Libris argentariorum etiam iure Iuſtinianeo fides habita. An officium argentariorum fuerit publicum?* §. *XV. Reliquis mercatorum libris credebatur in connexis. Expoſita L. 26.* §. *2. ff. de depoſ.* §. *XVI. Gloſſatores libris mercatorum vim probandi tribuiſſe, demonſtratur.* §. *XVII. Inde hoc priuilegium manauit in varia ſtatuta Italica, ſaeculo XIII. & ſequentibus condita.* §. *XVIII. Itali mercatores illis ſaeculis fere vbique negotiabantur, & ſecum etiam hoc priuilegium inferebant in alias terras, & maxime in Germaniam.* §. *XIX. Quales eſſe oporteat libros mercatorum, ſi probare debeant?* §. *XX. Non creditur libro decoctoris malitioſi.* §. *XXI. Creditur tamen eius codicibus, qui a fortuna exagitatus foro ceſſit, niſi paupertas eum ad fraudes pellexerit.* §. *XXII. Creditur etiam codici decoctoris malitioſi contra ſcribentem, niſi aliquid in praeiudicium aliorum inſcripſerit.* §. *XXIII. Aliquando codici decoctoris aliquid fidei & pro ſcribente prolato accedit, ſi alia adminicula ſuffragentur.* §. *XXIV. Illuſtratur hoc ſpecie inſigni.* §. *XXV. XXVI. An decoctor eiuſque creditores vel curator bonorum ex libris agentes admittendi ſint ad cautionem iuratoriam, & reum cautione de iudicatum ſolui onerare poſſint?* §. *XXVII. Decoctoris codex ordinarie edendus eſt in loco, vbi negotiatus eſt.* §. *XXVIII. Aliquando in loco, vbi agitur, quod inſigni ſpecie illuſtratur.* §. *XXIX. Libri decoctorum, quamuis iis ſuffragentur alia adminicula, admittunt probationem contrarii.* §. *XXX. An ex libro parum rite & ex arte ſcripto probari poſſit, aliquem malitioſe decoxiſſe?* §. *XXXI. An liber Iudaei aequiparandus ſit libro decoctoris?* §. *XXXII. An eadem etiam adplicanda ſint libris opificum?* §. *XXXIII. Concluſio exercitationis.*

§. I.

Mercaturam multi e republica exciſerunt.

MErcaturam, quam alii ad locupletanda ciuitatum aeraria inprimis comparatam eſſe arbitrantur, quidam legiſlatores olim tamquam luxuriae parentem, virtutis expultricem, & corruptricem bonarum mentium, e rebuspublicis ſuis proſcribere non dubitarunt. Hebraei enim, quorum rempublicam ipſe Deus optimus maximus inſtitutis ſapientiſſimis temperauerat, nec terram maritimam colebant, (quem ciuitatis ſitum & PLATO (a) reli-

(a) Plato *de Legib. L. IV.*

reliquis antehabuit,) nec vllis gaudebant negotiationibus, nec earum cauſſa cum exteris conſuetudinem inibant, diuinitus edocti, innocentem magis viuendi rationem eſſe, paterna rura bobus exercere ſuis, liberos ad virtutem accurate inſtituere, leges denique diuinas diurna nocturnaque manu verſare, ad earumque normam omnes actiones perpetuo componere (b). Simile quid Lycurgo in mentem veniſſe, vel id argumento eſt, quod, quamdiu diligentior legum illius cuſtodia manſit, nec mercatorem, nec rhetorem, nec hariolum, nec circulatorem, nec ſuperuacuae ſuppellectilis opificem Spartae viſum eſſe, PLVTARCHVS (c) ſcribit. Addere poſſem Zaleucum, virum ſapientiſſimum, quem Locrenſibus eiuſdem generis legem tuliſſe, HERACLIDES (d) memoriae prodidit: commemorare item Romulum, qui, teſte DIONYSIO HALICARNASSENSI (e), mercaturam aeque, ac opificia ſeruis ac peregrinis exercenda tradidit, ciuibuſque non niſi duo ſtudia reliquit, *τὸν πολεμικὸν, καὶ τὸν γεωργικὸν βίον*, *rem militarem & vitam ruſticam:* laudare denique maiores noſtros, inter quos Sueui, ceu refert IVL. CAESAR (f), aditum quidem ad ſe mercatoribus dabant, *ſed magis vt haberent, quae bello ceperant, quibus venderent, quam quo vllam rem ad ſe importari deſiderarent*; Neruii autem (g) nec mercatores ad ſe excurrere, *nec quidquam vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri patiebantur, quod his rebus relangueſcere animos, ac remitti, exiſtimarent.* Ita plures gentes ſuſpectam habebant mercaturam, quacum auaritiam, magnificentiam, atque inexplebiles cupiditates rerum omnium importari, exemplo Graeciae, a Phoeniciis mercatoribus corruptae, demonſtrat CICERO apud NONIVM (h). Vbi autem a frugalitate ad luxuriam, a vetere diſciplina ad licentiam, ab armis ad voluptates tranſcurritur, ibi nec ipſa Salus, ſi vellet, populum ſaluaret. Ilicet, actum eſt!

§. II.

Mercaturam reipublicae prodeſſe, probatur.

Enimuero, haec, quamtumuis ſpecioſa ſint, non tamen quemquam mouebunt, ſanioribus ciuilis prudentiae principiis imbutum. Luxuriam, auaritiam aliaſque cupiditates inuehere aiunt mercaturam. At non mercaturae id vitium eſt, sed hominum, fortunam,

(b) Ioſeph. *adv. Apion. Gramm. Lib. I. Segm. XII. p. 443. Tom. II.*

(c) Plutarch. *in Vit. Lycurgi.*

(d) Heraclid. *de Politiis p. 533.*

(e) Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. II. p. 38.*

(f) Caeſar *de Bello Gallico Lib. IV. Cap. II.*

(g) Idem *Lib. II. Cap. IV.*

(h) Non. *de Propr. Serm. Cap. V. Segm. XXXV.*

ternam, vt ſit, parum reuerenter habentium. Quid ſuperfuturum in ciuitate eſſet, ſi nihil, quo abutitur, quodque in perniciem ſuam vertit hominum improbitas, chupereſſe pateremur? Atqui eadem mercatura efficit, vt iis, quae vſquam terrarum nata ſunt, communiter fruamur, vt ciuitates, quibus ob ſterilitatem agri omniumque fere rerum inopiam pereundum eſſet, rebus neceſſariis aeque ac ad vitae ſuauitatem ac elegantiam pertinentibus abundent, vt denique non modo ciues, ſed & aerarium ipſum, opibus ac pecunia cumulentur. Non ergo id agendum eſt, vt commercia veluti in exilium agantur, atque ita neruus incidatur reipublicae; ſed vt prudenter excogitatis legibus ita temperentur, ne, illis florentibus, luxuria gliſcat in reipublicae perniciem. Ita vero ſublato rei praeclarae abuſu, fieri profecto non poterit, quin admirabilem eius vtilitatem non magis magiſque quotidie perſpiciamus.

§. III.

Ad exempla argumentaque contraria reſpondetur.

Nec vereor, ne quem tot legiſlatorum gentiumque nomina terreant. Probauerit PLATO ſitum ciuitatum a mari paullo remotiorem: at non ideo improbauit mercaturae ſtudium, quod ipſe alibi (i) tam magnifice collaudauit, vt dignum eum locum habuerit CALLISTRATVS noſter, quem *legi* 2. *ff. de nundin.* totum inſereret. Cur a vicinarum gentium conſuetudine ſegregatos Hebraeos voluerit ſummum Numen, nemo ignorat, cui notum eſt gentis ingenium, ad vicinarum gentium ſuperſtitionem impietatemque olim quam maxime procliue. Neque tamen ideo Deo diſplicuiſſe credimus ſolertiam Salomonis, naues onerarias inſtruentis, ac, negotiatione Ophiritica prudenter inſtituta, auro argentoque implentis Hieroſolyma (k). Spartam ac Locros nobis non magis in exemplum proponimus, quam Romanos. Quemadmodum enim Locrenſium reſpublica nec felicitate, nec magnitudine diuturnitateque imperii, alias ciuitates ad imitandas eorum Leges prouocat, Romuli autem inſtitutum, ceu recte IO. HENR. BOECLERVS (l) obſeruauit, *praeſentior rerum in maius prouectarum vſus mature correxit*: ita ſuo demum malo experti ſunt Lacedaemonii, quam parum ſine pecunia efficiant exercitus, etiam copioſiſſimi. Licet enim virtute ac militari diſciplina inter Graecos vni omnium maxime florerent: inopia tamen coacti, modo Perſis

(i) Plato *de Republ. Lib.* II.

(k) 1. *Reg. IX.* 26. *ſequ.* 2. *Chron.* I. 15. II. 17. *ſeq.*

(l) Boeclerus *in diſſ. de Roma ſub ſept. Regib. p.* 475.

ſis aduerſus communem patriam ſtipendia faciebant (m), modo latrociniis magis, quam iuſtis bellis, praedandi captabant occaſionem (n). Ad ſimilem latrocinandi inuadendique aliena libidinem & Germanos adegit inopia (o), rectius omnino conſulturos rebus ſuis, ſi lucrum honeſtum, quale ex negotiatione terraeque cultura prouenit, infelici praedandi ſtudio praetuliſſent.

§. IV.

Negotiantes eorumque commercia multis priuilegiis ornari coeperunt a legislatoribus.

Tantum itaque abeſt, vt mercatura eam notam mereatur, quam illi veterum quorumdam diſciplina iuſto rigidior inuſſit, vt praecipuis ciuitatum praeſidiis adnumeranda, & vel maxime e republica eſſe videatur, ciues variis priuilegiis ac beneficiis ad negotiandum inuitari. Eſt ita natura comparatum, vt plerique tenuem quaeſtum, at ſecurum, maximo cuilibet & periculoſo lucro praeferant, vt recte ceciniſſe videatur HORATIVS (p):

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura ſui.

Aſt, vbi priuilegiis propoſitiſque praemiis ad maiora audenda inuitatur mercator, tunc demum ancipitem quaeſtum imminentibus capiti ac fortunae periculis anteponit, &

- - *Mox reficit rates*
Quaſſas, indocilis pauperiem pati.

Propterea iam olim XENOPHON (q) auctor erat Athenienſibus; προεδρίαις τιμᾶσθαι ἐμπόρους καὶ ναυκλήρους, καὶ ἐπὶ ξενίᾳ γ' ἔστιν ὅτε καλεῖσθαι, οἳ ἂν δοκῶσιν ἀξιολόγοις καὶ πλοίοις καὶ ἐμπορεύμασιν ὠφελεῖν τὴν πόλιν. *Vt mercatores & naucleros loco magis honorato in conſeſſibus ornarent, atque illos etiam ad hoſpitii neceſſitudinem inuitarent, qui nauibus & mercibus egregiis ciuitati prodeſſe viderentur.* Quin ipſe IVSTINIANVS (r), vbi militare vetat mercatores, eos *vtiles eſſe omnibus contractibus*, praefatur. Hinc itaque tot iura mercatorum ſingularia, quorum tanta multitudo eſt, vt iuſtis non modo libellis, ſed & voluminibus, materiam ſuffecerint viris doctiſſimis, BENEV. STRACCHAE, IO. MARQVARDO, IO. GE. SIMONI, BARTH. LEONARDO SCHWENDENDOERFFERO aliiſque pluribus, quorum opera ſatis nota omnium fere ICtorum manibus teruntur.

(m) Thucydid. *Lib. VIII. p.* 561.

(n) Corn. Nep. *in Ageſil. cap. VII.*

(o) Caeſ. *de Bello Gall. Lib. VI. cap. XXIII.* Tacit. *de moribus Germ. cap. XIV.*

(p) Horat. *lib.* I. *Carm. Od. I. v.* 15. *ſequ.*

(q) Xenoph. *de rat. redit. ſeu de prouent. cap.* III. §. *IV. p.* 255. *Tom. V. edit.* Oxon.

(r) *l. un.* C. *negot. ne milit. lib. XII.*

§. V.

His tamen indigni ſunt decoctores, dolo malo foro cedentes.

Enimuero quanto plus fauoris merentur mercatores, quos vitae honeſtas, diligentia, ac intemerata fides commendat: tanto vehementiore odio digni ſunt decoctores, qui, vbi creditores turpiter emunxerunt pecunia, foro cedunt, rebuſque conuaſatis, locum quaerunt, vbi vel genio alieno ſumtu indulgeant, vel extra teli iactum conſtituti, creditores ad iniquiſſimam transactionem compellant. Quemadmodum enim hos ne flebili quidem illo ceſſionis bonorum adiutorio & miſerabili auxilio, quod obaeratis, caſu vel fortunae iniuriis ad paupertatem redactis, conceſſum eſt, dignos exiſtimant leges earumque interpretes (s): ita multo minus digni iudicabuntur beneficiis ac priuilegiis mercatorum reliquis, maxime quum ei ordini dedecori ſint, fidem publicam, qua praecipue ſtare commercia videntur, minuant, & ea plerumque perfrictae frontis animique improbi ac fraudulenti ſpecimina edant, propter quae non modo beneficiis indigni, ſed & furum inſtar ſupplicio adficiendi videntur legiſlatoribus ſapientiſſimis. Ita ſane cautum eſt tum IMPERII RECESSIBVS (t), quos vocant, tum Edictis, quae potentiſſimus Pruſſorum Rex iſti hominum generi oppoſuit, grauiſſimis (u), quibus & aliorum Imperii Ordinum leges paſſim adſtipulantur (x).

§. VI.

Inter privilegia mercatorum etiam eſt illud de fide, eorum rationibus & codicibus habenda, de qua ex inſtituto agendum. Diſſertationis partitio.

Quum itaque inter praecipua, quibus mercatores gaudent, priuilegia, & hoc non poſtremum ſit, quod eorum tabulis & codicibus rite confectis pro ſcribentibus etiam vis ſemiplenae probationis attribui ſolet: bella ſane & in foro haud infrequens quaeſtio eſt, an & quatenus eadem praerogatiua & eorum rationibus, qui foro ceſſerunt, concedenda ſit, ſiue illae pro ſcribentibus, ſiue contra eoſdem producantur? Id vero nos non rectius ſperamus exſequuturos, quam ſi re ab ouo, quod aiunt, repetita, primum in cauſſas huius iuris ſingularis inquiramus, atque inde certa principia, ex quibus de priuilegii iſtius indole iudicari poſſit, deriuemus, & ex illis demum varias, quae in foro ſubinde agitantur, quaeſtiones explicemus paullo diligentius.

§. VII.

(s) *l. 63. §. 7. ff. pro ſoc.*

(t) *Ordin. Polit. de anno MDXLVIII. & MDLXXVII. tit. von verdorbenen Kaufleuten.*

(u) *Edict. wider die muthwilligen Banquerouttirer, und deſſen Erläuterung.*

(x) *Mandat der vereinigten Hanſee-Städte de anno 1620. ap. Marquard. in Adpend. p. 718.*

§. VII.

Originem privilegii ſupradicti plerique non iuri Rom. ſed conſuetudini, tribuunt.

Equidem, quod ad priuilegii iſtius originem attinet, inter omnes fere iuriſconſultos conſtare animaduerto, illam non ex iure communi Romano, quod in foro paullatim adoptauimus, ſed ex vetere quadam multiſque gentibus communi conſuetudine eſſe repetendam. Ita ſane, ne gregariorum turmas conſcribamus, cenſent viri doctiſſimi, ANDR. GAILIVS (y), DIOD. TVLDENVS (z), IO. MARQVARDVS (a), GE. ADAMVS STRVVIVS (b), VLR. HVBERVS (c), & alii eiuſdem famae ac celebritatis quam plurimi, qui tantam conſuetudini vim ac poteſtatem aduerſus ius commune tribuere, eo ſibi minus religioni ducunt, quo magis iuri conſentaneum eſt, conſuetudine & ciues (d), & iudices (e), non minus, quam legibus & iure ſcripto obligari, eamque non modo optimam legum interpretem eſſe (f), ſed & iuri communi derogare, quin illud plane tollere poſſe (g). Quod quum in vniuerſum dubio careat, etiam circa probationem tanto certius eſt, quanto clarius conſuetudine loci inſtrumentum aliquod authenticum fieri poſſe, ſtatuit INNOCENTIVS Papa III. *in c. 9. x. de fide inſtr.*

§. VIII.

Scripturae priuatae non creditur pro ſcribente, ſed contra eundem.

Et ſane negari non poteſt, ius iſtud ſingulare, quod circa mercatorum codices obſeruamus, a iuris Romani principiis videri alieniſſimum. Secundum haec enim priuatorum ſcripturis contra ſcribentes creditur (h), quia quemadmodum confeſſus quodammodo ſua ſententia damnatur (i): ita &, qui ſe ex certa cauſſa debere, ſuo chirographo confeſſus eſt, merito pro debitore habetur, dummodo vel ipſe cautionem tamquam a ſe ſcriptam in iure agnouerit, vel de ſcribente ſiue aliorum teſtimonio, ſiue inſtituta litterarum comparatione conſtet (k). At vero pro ſcribente productum inſtrumentum loco probationis admittere, abſonum atque

(y) Gail. *lib.* III. *Obſ. cap. XX.*

(z) Tulden. *ad tit.* C. *de fid. inſtrum. n.* 5.

(a) Marquard. *de iure Mercat. lib.* III. *cap. IX.* §. *XVII.*

(b) Struv. *Exerc. XXVIII.* §. *XXV.*

(c) Huber. *Praelect. ad ff. lib. XXII. Tit. IV.* §. *XIX.*

(d) *l.* 31. §. 20. *ff. de Aedil. edict. l.* 6. *ff. de euict.*

(e) *pr. Inſt. de off. iudic. Auth. iubemus* C. *de iudic.*

(f) *l.* 37. *ff. de leg. SCt. & long. conſuet.*

(g) *l.* 32. §. 1. *ff. eod.* §. 11. *Inſt. de iur. nat. gent. & ciu.*

(h) *l.* 25. §. *vlt. ff. de probat.*

(i) *l.* 19. *ff. de confeſſ.*

(k) *l.* 20. C. *de fid. inſtr. Nouell.* LXXIII. *cap. VII.*

Digitized by

atque indignum Romanorum prudentia videbatur (l), niſi illa ſcriptura vel aliis argumentis admodum euidentibus firmetur (m), vel iam ab aduerſario pro ſe producta, ac pro vera agnita ſit. Quemadmodum enim teſtes, quibus ipſe vſus eſt, in alia cauſſa aduerſus ſe productos repudiare nemo poteſt (n): ita non ferendus eſſet, qui reiicere auderet alterius ſcripturam, qua ipſe pro ſe aliquando fuerat vſus. Ita recte iuris noſtri auctores praecipui, & in his celeberrimus VLR. HVBERVS (o) colligunt, vt non fuerit, cur diſſentiendum ſibi putarit ANT. MATTHAEI (p). Aliis caſibus a iuris ratione alienum, exemploque pernicioſum eſt, ſcripturam ſcribenti ad probationem prodeſſe, quum ita improbiſſimo cuiuis in procliui futurum ſit, debitorem ſibi pro lubitu propria adnotatione conſtituere (q).

§. IX.

Mercator non poteſt eſſe teſtis in propria cauſſa.

Deinde ordinarie ſcripturae priuatae non plus credendum eſſe, quam viuae ſcribentis voci, facile patet. Quid enim intereſt, quaeſo, ore quis adfirmet, ſibi deberi, an litteris? At enim quis mercatori, quantumuis incorruptae exploratae que fidei crederet, ſe ad teſtimonium in ſua cauſſa dicendum offerenti, quum *omnibus in re propria dicendi teſtimonii facultatem iura ſubmouerint*, teſtibus VALENTE, GRATIANO & VALENTINIANO, Auguſtis (r)? Cur ergo eidem magis crederetur, producenti tabulas, a ſe ipſo domi ſuo arbitratu & remotis arbitris conſcriptas? ſane id argumentum tanti viſum eſt quam plurimis, vt non modo HVGO DONELLVS (s) & IO. WISSENBACHIVS (t) receptam de codicibus mercatorum doctrinam pro mercatorum vel pragmaticorum errore venditare, ſed & ſupremae quaedam curiae aduerſus vulgarem doctrinam pronunciare non dubitarint. Saltim eiuſmodi praeiudicium, quod vocant, ex DOMINICI TREVISANI *deciſionibus* (v) eruit NIC. DE PASSERIBVS (x): nec defutura fortaſſis eſſent alia, ſi nunc per tot Deciſionum atque Rerum iudicatarum volumina graſſari aut vacaret, aut lubido eſſet.

§. X.

(l) *l. 5. C. de probat.*
(m) *l. 6. C. de probat.*
(n) *l. 17. C. de teſtib.*
(o) Huber. *Praelect. ad Pand. ibid.* §. XVIII.
(p) Ant. Matth. *de iudic. Diſp. IX. theſ. VI.*
(q) *d. l. 6. C. de prob.*
(r) *l. 10. C. de teſtib.*
(s) Donell. *Comment. ad l. 6. C. de probat. p.* 153.
(t) Wiſſenb. *ad l. 5. ſequ. C. de probat. p.* 238.
(v) Treuiſan. *lib. I. Deciſ. XVI.*
(x) Nic. de Paſſerib. *de Script. priu. lib. IV. cap.* XXI. §. XI.

§. X.

Denique ſi ab eo, quod maius eſt, ad minus argumentum ducendum, denuo elangueſcet vis omnis priuilegii, quod mercatorum codicibus a tot ſaeculis eſt vindicatum, nec ſecundum eos litem dabunt, quicumque nullam aliam boni aequique normam, quam ius Romanum, agnoſcunt. *Ne fiſcum quidem*, qui tot priuilegiis ad adquirendum conſeruandumque comparatis munitus eſt, *ex ſuis ſubnotationibus debiti probationem praebere poſſe*, praeclare ac ſapienter reſcripſit GALLIENVS Imperator (y). An vero plus mercatoribus iura indulgerent, quam fiſco principis, quem hac quidem in re iure communi vti voluerunt? Deinde cur mercatori, priuatim aliquid in codicem rationum referenti, plus fidei habeatur, quam tabellioni, qui quamuis iuratus officio publico fungatur, tamen ſi quid ex tabulis vel codicillis a ſe ſcriptis peteret, adeo non videretur audiendus, vt potius poenam legis Corneliae de falſis ſubiturus eſſet (z)? Quod argumentum tam graue viſum eſt BARTOLO (a), vt non modo mercatorum, ſed ipſorum argentariorum tabulis, pro ſcribentibus in foro productis, fidem abrogare non dubitarit.

Inſtrumento a notario, vel a fiſco ſcripto, non creditur, ſi pro notario & fiſco inde argumentum ducendum eſt.

§. XI.

Tam multa igitur, tamque grauia argumenta facile perſuaſerunt viris doctiſſimis, vt ius iſtud, quo mercatorum codices ſemiplene probare creduntur, in iuriſprudentia Romana nullum plane praeſidium reperire, ſed per conſuetudinem paullatim inualuiſſe, crederent (b). Et tamen, ſi dicendum, quod res eſt, antiquiſſimis temporibus Romani, mercatorum tabulis & codicibus non modo ſemiplenam ſed integram fidem habuerunt: & poſtea felice errore contigit, vt antiquum illud ius, ex interpretatione legum Romanarum quodammodo renatum, per vniuerſam fere Europam vna cum ipſis commerciis propagaretur. Id quod, quomodo, & qua occaſione factum ſit, exponere operae omnino pretium fuerit, maxime quum eam rem ab aliis occupatam eſſe, non animaduertamus.

Hoc privilegium a Gloſſatoribus eſt excogitatum, nec iuri Rom. plane adverſatur.

§. XII.

Qui Romae olim negotiabantur, vel commerciorum cauſſa per prouincias commeabant, id ſibi praecipue negotii exiſtimabant datum, vt accepta expenſaque ex arca diligenter in rationes referrent.

Veterrimo iure credebatur mercatorum.

(y) *l. 7. C. de probat.*

(z) *l. 10. pr. l. 15. pr. ff. ad L. Corn. de falſ.*

(a) Bartol. *ad l. 9. §. 2. ff. de edend. n. 11.*

(b) Ant. Matth. *Fundam. Iur. Diſp. XVII. §. IV.*

codicibus, ſi libri creditorum cum libris debitorum conſpirarent, in expenſilatione.

rent. Illis autem rationum codicibus productis, rei geſtae ſeriem iudici probare poterant, dum ita comparatae eſſent rationes, vt & nulla fraudis ſuſpicione laborarent, & codex ipſe a codice debitoris non diſcreparet. Solebat enim creditor, pecuniam, nomen debitoris, cauſſam debendi, reliquaſque circumſtantias, praeſente debitore, in tabulas rationum referre, idemque, praeſente creditore, faciebat debitor, iique codices inter ſe comparati, ſi inter ſe ſimiles reperiebantur, plenam faciebant fidem. Rem omnem accuratius explicarunt CL. SALMASIVS (c), BARN. BRISSONIVS (d) & alii. Nos quaedam veterum teſtimonia audiemus. GELLIVS (e), referens, quae, ſe iudice, acta ſint in cauſſa pecuniaria: *Petebatur apud me*, inquit, *pecunia; quae dicebatur data numerataque. Sed qui petebat, neque tabulis, neque teſtibus id factum docebat.* Et paucis interiectis: *Is unde petebatur cum ſuis multis patronis clamitabat, probari apud me debere pecuniam datam conſuetis modis*, EXPENSILATIONE, *menſae rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obſignatione, teſtium interceſſione.* Hic inter modos probandi debitum conſuetos a GELLIO refertur *expenſilatio.* Haec autem, teſte ASCONIO PAEDIANO (f), nihil aliud erat, quam ſcriptura, qua notas in tabulis, te pecuniam dediſſe. Et eam ſcripturam tunc probaſſe omnino, ſi ei debitoris rationes reſponderent, vel CICERO (g) docet, dum Q. Roſcium aduerſus C. Fannium defendens, ſaepiſſime ad illius tabulas prouocat. *Quod ſi ille*, inquit, *ſuas proferet tabulas, proferet ſuas quoque Roſcius: erit in illius tabulis hoc nomen: at in huius non erit.* Et paullo poſt: *Si tabulas C. Fannius accepti & expenſi profert ſuas, in ſuam rem, ſuo arbitratu ſcriptas, quo minus ſecundum illum iudicetis, non recuſo.* Fidem ergo codici Fannii non abrogat Cicero, modo ille proferatur, & addit quidem, ſe id non facere iure compulſum, ſed *copia & facultate cauſſae confiſum*, at non eo hoc dicit, ac ſi alias creditoris tabulae non probarent, ſed quod, vti paullo ante diximus, non ſolis crederetur, verum conſpirantibus cum codice debitoris. Hinc alio loco idem CICERO (h): *Suum codicem*, puta ſolum, *teſtis loco recitare, arrogantia eſt: ſuarum praeſcriptionum & liturarum aduerſaria (die Glitter oder Klatte,) proferre,* non

(c) Salmaſ. de *Mod. Vſurar. cap.* XI. *p.* 473. *ſequ.*

(d) Briſſon. *de Form. pop. Rom. ſolemn. lib. VI. p.* 536. *ſequ.*

(e) Gell. *lib. XIV. Noct. Att. cap.* II.

(f) Aſcon. Paedian. *ad Ciceron. Verrin. I. cap. XXX.*

(g) Cicero *pro Q. Roſc. cap.* I.

(h) Cic. *pro Q. Roſc. cap.* II.

Digitized by Google

non amentia eſt? & in oratione aduerſus Verrem (i): *Homo ſtultiſſime & amentiſſime, tabulas quum conficeres, ſatis te elapſurum omni ſuſpicione arbitrabare, ſi quibus pecuniam credebas, iis expenſum non ferres, neque in tuas tabulas vllum nomen referres, quum tot tibi nominibus acceptum Curtii referrent? quid proderat tibi, te expenſum illis non tuliſſe? an tuis* SOLIS *tabulis te cauſſam dicturum exiſtimaſti?* Ita iam olim tabulis mercatorum credebatur, dum rite conſcriptae, in eaſque accepta expenſaque diligenter relata eſſent, & iis ſuffragarentur rationes debitoris.

§. XIII.

Si a menſa numeratum, fides habebatur argentarii rationibus. Quid ſit SCRIBERE *&* RESCRIBERE PECVNIAM?

Enim vero hac probatione tum demum opus videbatur, ſi quis ex arca numeraſſet expendiſſetque pecuniam. Si quis enim a menſario vel argentario numerauerat: praecipua probatio ex rationibus argentarii petebatur, cuius ad officium pertinebat, ſingulorum rationes conficere (k). Qui ergo tunc a menſario numerabat, pecuniam dicebatur SCRIBERE, qui reddebat ſibi numeratam, eamdem RESCRIBERE dicebatur, ceu multis veterum teſtimoniis oſtendit RICH. BENTLEIVS (l). Et ea ſcriptura argentarii, vel, vti paullo ante a GELLIO (m) nominabatur, eae *menſae rationes* prolatae editaeque ab argentario, plenam fidem faciebant, quod non videretur veroſimile, argentarium in alterius gratiam falſi quidpiam in tabulas referre voluiſſe, quum eius negotiatio publicam cauſſam habere crederetur (n). Et huc pertinent illa CICERONIS (o): *Solent fere dicere, qui per tabulas hominis honeſti,* (id eſt argentarii) *pecuniam expenſam tulerunt: egone talem virum corrumpere potui, vt mei cauſſa falſum in codicem referret?*

§. XIV.

Libris argentariorum etiam iure Iuſtinianeo fides habita. An officium ar-

Ita iure vetuſto ſe res habebat. Iure Iuſtinianeo non minus fidei tributum codicibus argentariorum, quorum negotiationem, quemadmodum paullo ante diximus, publicam cauſſam habere, creditum. Quamuis enim negotiatio illa, ſi recte ponas calculum, nec munus, nec officium publicum eſſet, quandoquidem & ſeruus menſam argentariam exercere non prohibebatur (p): publicam tamen cauſſam habere videbatur, non quod publice, vel a po-

(i) Idem *in Ver.* I. *cap.* XXXIX.
(k) *l.* 4. §. I. *l.* 10. §. 1. *ff. de edend.*
(l) Bentlei. *ad Horat. lib.* II. *Epiſt.* I. *v.* 105. *p.* 628.
(m) Gell. *Noct. Att. lib.* XIV. *cap.* II.
(n) *d. l.* 10. §. 1. *ff. de edend.*
(o) Cic. *pro Q. Roſc. cap.* I.
(p) *l.* 4. §. 3. *ff. de edend.*

gentariorum fuerit publicum?

a populo eligerentur argentarii, quam ACCVRSII (q) ſententiam ſolide profligauit GVIDO PANCIROLVS (r), ſed quod publica auctoritate pecunias foenori darent, auctiones facerent, pro aliis numerarent, ſoluerent, conſtituerent, pecuniam traiectitiam ſuo periculo crederent, de iiſque rebus omnibus rationes conficerent quam accuratiſſime, quemadmodum illud argentariorum officium ex CICERONIS (s), aliorumque veterum teſtimoniis accuratius deſcripſerunt CVIACIVS (t), SALMASIVS (u), PANCIROLVS (x), & BRISSONIVS (y), qui Romanos ea in re Graecorum, & Athenienſium maxime, induſtriam imitatos eſſe, ex elegantiſſimo loco DEMOSTHENIS (z) obſeruat. Propter hanc itaque publicam menſae argentariae cauſſam, quemadmodum iam a NIC. DE PASSERIBVS (a) & MATTH. WESENBECIO (b) obſeruatum eſt, tabulis rationibuſque argentariorum id tribuebant Romani, vt ſiue pro illis, ſiue contra eoſdem, proferrentur, plene probarent. Hinc CAIVS (c) noſter: *Argentarius*, inquit, *rationes edere iubetur, nec intereſt, cum* IPSO *agatur, an cum tertio.* Fruſtra autem eum cogeret Praetor edere rationes etiam contra tertium, niſi illi tertio fides libri nocere poſſet (d). Quin tantum abeſt, vt argentariorum codicibus fidem negent iura, vt idem priuilegium etiam ad *numularios*, id eſt, argentariorum miniſtros, vel paruos argentarios (e), prolatum ſit, quia, teſte PAVLLO (f), *& ipſi, ſicut argentarii, rationes conficiunt, accipiunt pecuniam, & erogant per partes: quarum* PROBATIO *ſcriptura codicibuſque eorum maxime continetur, & frequentiſſime ad* FIDEM *eorum decurritur.*

§. XV.

Reliquis mercatorum libris credebatur in connexis.

Quod autem ad reliquos mercatores attinet, quorum negotiatio publicam cauſſam habere non videbatur, ſequiore aeuo ab vſu quidem receſſerat illa codicum comparatio, quam olim Romae obtinuiſſe, paullo ante (§. XII.) obſeruauimus: ſi tamen proferrentur eorum ſcripturae ac rationes, in quibus accepta expenſaque

(q) Accurſ. *ad l. 9. §. 2. ff. de edend.*

(r) Pancirol. *Var. Lect. lib.* I. *cap.* XXXII. *p.* 51.

(s) Cicero *pro Flacco cap.* XIX.

(t) Cuiac. *lib. X. Obſ. cap.* XIV.

(u) Salmaſius *de Mod. Vſurar. cap. XVI. p.* 721.

(x) Pancirol. *ibid.*

(y) Briſſon. *de Verb. ſignif. voce argentarius.*

(z) Demoſth. *adverſ. Timon. p.* 1074.

(a) Nic. de Paſſerib. *de Script. priu. lib. IV. cap. XIV. n. 17. ſequ.*

(b) Weſenb. *Paratit. tit. de fide inſtrum.* 6.

(c) *l.* 10. *pr. ff. de edend.*

(d) Roeſener *de Libris Mercat. cap. XV. §. XV.*

(e) Cuiac. *lib. X. Obſ. cap.* 14.

(f) *l. 9. §. 2. ff. de edend.*

Digitized by Google

que accurata diligentia notata deprehendebantur, eae profecto non parum ponderis videbantur habere. Nam etiam pro mercatore probabant, ſi ita iudici videretur, id eſt, vti nos hodie loquimur, ſemiplenae ſaltim vim probationis habebant, ſi index iis fidem tribuendam exiſtimaret. Praeclarus eam in rem exſtat locus PAVLLI *ex libro IV. Reſponſorum* (g), quem ICtus eximius, ANDR. FACHINAEVS (h), obſeruauit: *Titius Semproniis ſalutem. Habere me a vobis auri pondo plus minus decem, & diſcos duos, ſaccum ſignatum: ex quibus debetis mihi decem, quos apud Titium depoſuiſtis: item, quos Trophimati, decem: item ex rationibus patris veſtri decem, & quod excurrit.* Nihil hoc aliud eſt, quam ratio breuior, ex codice rationum decerpta, (*ein* Conto current,) qua mercator, quid acceperit, quidque ſibi debeatur a Semproniis, (*das* credit *und* debet,) more illorum temporum breuiter notarat. Quaerebatur ex PAVLLO, *an ex huiuſmodi ſcriptura aliqua obligatio nata ſit, ſcilicet quod ad ſolam pecuniae cauſſam attineret?* Non poterat id adfirmare ICtus, non ignarus, ſuis temporibus *litterarum obligationem nominibus fieri*, (i) quae plane aliud quid fuiſſe, quam eiuſmodi epiſtolam, ex CAIO (k) & THEOPHILO (l) iam pridem docuit Dominus Praeſes (m). Itaque reſpondit, *ex epiſtola, de qua quaeritur, obligationem quidem nullam ratam videri: ſed probationem depoſitarum rerum impleri poſſe.* Nec ſane de eo dubitari poterat, quia ſcripturam etiam priuatam contra ſcribentem probare, inter omnes conſtabat (n). At magis ambigua videbatur quaeſtio, an & debitum ex illa creditoris ſchedula recte probetur? quam in rem addit PAVLLVS: *An autem is quoque, qui deberi ſibi cauit in eadem epiſtola decem, probare poſſit hoc, quod ſcripſit,* IVDICEM AESTIMATVRVM. Non ergo negat, inſtrumento illi pro ſcribente aliquam fidem adhiberi poſſe, ſi circumſtantiae, a iudice aeſtimandae, addicant, e. g. ſi epiſtola illa conſpiret cum codice rationum, ſi eius auctor ſit vir integrae atque intemeratae fidei, ſi ex ipſo libro eius diligentia eluceat, & quae ſunt huius generis alia, quae ſuggerit MENOCHIVS (o).

Expoſita L. 26. §. 2. ff. de depoſ.

 §. XVI.

(g) *l. 26. §. 2. ff. depoſ.*
(h) Fachin. *Controu. Iur. lib.* XI. *cap.* XXXIII.
(i) §. *vn. Inſt. de litt. oblig.*
(k) Cai. *Inſt. lib. II. Tit. IX. §. 12.*
(l) Theoph. *in Paraph. §. vn. Inſt. de litt. oblig.*
(m) *in Antiqu. Rom. lib.* III. *Tit.* XXII.
(n) *l. 25. §. vlt. ff. de probat.*
(o) Menoch. *de Arbitr. Iud. qu. caſu* XCIII.

Digitized

Gloſſatores libris mercatorum vim probandi tribuiſſe, demonſtratur.

§. XVI.

Ex hoc itaque loco, ſimilibuſque quibuſdam, gloſſatores collegerunt, *librum pro ſcribente probare in connexis*, id eſt, ſi codex expenſa & accepta contineat, & haec ſe recte habere dicantur, fidem etiam habendam eſſe ratione illorum. Ita BARTOLVS (p) & BALDVS (q), quorum ſententiam & alii plerique adoptarunt. Iidem autem gloſſatores exinde porro intulerunt, pro codicibus mercatorum, ſi rite conſcripti ſint, non leuem militare praeſumtionem, & ſi a ſcribentibus in ſupplementum iuretur, plenae vim probationis eos merito obtinere. Sane hanc ſententiam ante ſaeculum XIII. quo ACCVRSIVS gloſſas conſuit, defenderunt doctores quidam, quorum argumenta ipſe adducit refellitque ACCVRSIVS (qq). Eamdem ſaeculo XIV. ſuam fecere BARTOLVS (r), ſequente BALDVS (s), PETRVS DE FERRARIIS (t) & alii, quos ipſos quoque ſuos auctores ſequutos eſſe, nulli dubitamus, adeo vt ſtatim, renaſcente iam in Italia iure Romano, haec ſententia per cathedras audita, tantoque facilius a pleriſque adprobata videatur, quanto aequior credita, ac iuris rationibus conuenientior. Sane *quum mercatores*, vti eleganter REIN. BACHOVIVS (u) ſcribit, *quibuſuis mercium ſuarum emtoribus ſine chirographo fidem habere ſoleant, tanto aequius eſt, ex aduerſo quoque plus fidei illorum litteris adſcribi.* Accedit, quod mercaturam non promiſcue omnes exercere ſoleant, ſed ii demum, qui editis intra annos tirocinii diligentiae ac fidei argumentis, in collegium mercatorum ſollemniter fuerunt adoptati. Vnde denuo colligi poſſe videbatur, mercatorum etiam negotiationem publicam quodammodo cauſſam continere, adeoque non eſſe iniquum, vt, quemadmodum argentariorum codicibus iure Romano fides omnino habenda eſſet, ita mercatorum tabulis rite confectis ſemiplenae ſaltim probationis vis tribueretur, ſcribentibuſque, illas pro ſe allegantibus, copia fieret in ſupplementum iurandi.

Inde hoc priuilegium manauit in

§. XVII.

Quum autem iiſdem temporibus, quibus iuris Romani ſtudium Bononiae aliiſque locis feruebat, ciuitates Italicae pleraeque ſibi noua ſtatuta conderent, & in illo terrarum tractu maritima aeque ac

[p] Bartol. *ad* L. *quaedam.* §. *nummularios ff. de edendo.*

[q] Bald. *in* L. *rationes* C. *de probat.*

[qq] *Gloſſ. ad l.* 9. §. *nummularios ff. de edendo.*

[r] Bartol. *ad l. admonendi* 31. *ff. de iureiur.*

[s] Bald. *ad eand. l. admonendi.*

[t] Ferrar. *in Pract. aur. pag.* 186. *num.* 6.

[u] Bachou. *ad* Treutl. *Vol. II. Diſp. IV. th. II. lit. B.*

Digitized by Google

ac vulgaris negotiatio tum vel maxime floreret: nullum fere ſtatutum reperias, in quo non occurrant huiuſmodi priuilegii veſtigia. Exſtant STATVTA VENETA, quae, vti rubrica docet (uu), *in vnum redacta & de nouo edita fuerunt tempore illuſtris Domini, Iacobi Theopuli, inclyti Ducis Venetorum, currente anno dominicae incarnationis MCCLII. die VI. exeunte menſe Septembris, indictione prima,* quaeque ſtanno nitidiſſimo impreſſa ſunt Venetiis a Bernardino Benalio eiuſque ſocio anno MDXXV. menſe Iulio. In eorum praefatione, vel prologo ſecundo, agitur de praeſumtionibus & quatuor earum generibus, explicaturque, quid ſit praeſumtio *iuris & de iure*, praeſumtio *violenta*, *probabilis* & *temeraria*. De probabili autem ibidem ita diſſeritur: *Tertia praeſumtio eſt probabilis, & iſta non probat plene, ſed mouere debet iudicem, ad dandum ſacramentum honeſtiori parti. Vt ſi inueniatur ſcriptum in libro alicuius, quod alteri tantum dedit, vel quod ab altero tantum recepit, tunc ſcilicet iudices dabunt ſacramentum, vt ſupra diximus.* Anno erae Chriſtianae MCCCCLXVI. die XVII. Aug. nouum ea de re SC. factum, quod in iiſdem STATVTIS VENETIS (x) ita ſe habet: *Auferenda ſunt omnia illa inboneſta media, quibus cives & ſubditi noſtri defraudantur. Et quia libris apothecariorum huius noſtrae ciuitatis omnis diuturni temporis fides praeſtari ſolebat: quo iniquo medio fuere complures, qui multas pecunias amiſerunt. Vadit pars, quod libri draperiorum, tellarolorum, chiodarolorum, & quorumcumque aliorum apothecariorum huius noſtrae ciuitatis fides de cetero adhiberi nequeat, niſi a quinquennio infra, nec in aliquo iudicatu vel officio noſtro, elapſo ipſo tempore, authenticari. Quod temporis ſpatium vnicuique conuenientiſſimum eſt petere poſſe, quod habere debet.* Quinquennali itaque praeſcriptione elidi Veneti iuſſerunt probationem ex libris mercatorum illorum, quos nominatim recenſent, petendam: nec tamen id maiorum gentium mercatoribus fraudi eſſe voluerunt, de quibus in iiſdem STATVTIS ſtatim additur: *Exceptuatis tamen libris ordinariis, quibus, non obſtante probatione aliqua in contrarium, ſicut primum, fides adhibeatur, vt iuſtitiae vſuique noſtrorum ciuium pariter ſit proſpectum.* Similia ſtatuta ſunt Bononiae (y), Florentiae (z), Patauii (a), Romae (b), quin

varia ſtatuta Italica, ſaeculo XIII. & ſequentibus condita.

[uu] *Gloſſ. ad d. l. 9. §. nummularios ff. de edend.*

[x] *Conſulta ex authenticis, Statutis Venetis adnexa cap. XXIV. f.* CXCIII.

[y] Imola *in c. 2. X. de fid. inſtrum.*

[z] Caſtrenſ. *in d. l. admonendi.* Rol. a Valle *Vol. III. Conſil. XCII. n.* 5.

[a] *Statuta Patau. fol.* 100.

[b] Marqu. *de iur. Mercat. lib. III. cap. IX.* §. 23.

quin in vniuerſa Italia (c), vbi libris mercatorum vel abſolute, vel ad certam ſummam creditur, vel, iis prolatis, iuſiurandum ſuppletorium defertur.

§. XVIII.

Itali mercatores illis ſaeculis fere vbique negotiabantur, & ſecum etiam hoc priuilegium inferebant in alias terras, & maxime in Germaniam.

Iam vero non difficile erit oſtendere, qua via eadem de mercatorum codicibus doctrina ſe per Germaniam, quin vniuerſam fere Europam, diffuderit. Medio enim aeuo nulla fere gens negotiandi cauſſa frequentius per vicina regna & prouincias diſcurrebat, quam Itali, idque adeo verum eſt, vt vir doctiſſimus, HERM. CONRINGIVS (d), vſque ad annum milleſimum centeſimum paucas merces peregrinas, & vix aliunde, quam ex Italia, in Germaniam exportatas fateatur, Oceano omni Normannorum piratica infeſto, & Germanicis nauibus paene imperuio. Et quamuis poſtea maris Balthici accolae mare tentarent, & ciuitates celebriores, inito foedere Hanſeatico, inſignes ſibi opes commerciis adquirerent: intra halecum tamen, ſalſamentorum aliarumque mercium ſeptentrionalium diſtractionem ſtetit haec negotiatio, ea, quae Oriens, Aegyptus & Africa ſuppeditant, Italis large aduehentibus. Vagabantur illi ſub nomine LOMBARDORVM, itemque CAORCINORVM, per Galliam, Germaniam, Belgium, & non ſolum merces orientales venum exponebant, ſed & pecunias credebant ſub pignoribus, ceu paſſim adhuc docent domus publicae, in quibus, depoſitis pignoribus, pecuniae creduntur, quaeque ab origine ſua etiamnum vocantur *Lombards-Häuſer*. Quamuis vero pleriſque locis celebrioribus priuilegiis luculentis ornarentur, ceu docet exemplum, a CAR. DV FRESNE (e) ex veteri Regeſto erutum, quin alicubi ſuis conſulibus, quos vocant, parerent, veluti Montepeſſuli & Nemauſi: euileſcere tamen paullatim coepit iſtud hominum genus ob vſurariam, quam exercebat, prauitatem, adeo vt & ſynodalibus decretis (f), & edictis principum (g) paſſim proſcriberetur, Iudaeiſque aequipararentur *Lombardi* & *Coarcini*, qui a celebri gente Florentina *Corſinorum* nomen inuenerant (h). Et ſic profecto non mirandum, vna cum Lombardis etiam priuilegium illud mercatorum in Germaniam penetraſſe, maxime, quum paullatim ICti, qui Bononiae & Pata-

(c) Turret. *Conſil. XLVII. n. VII.*

(d) Conring. *de Vrbib. Ger.* §. *LXXXV.*

(e) Car. du Freſne *in Gloſſar. Lat. Tom. II. Part. II. pag.* 237.

(f) *Concil. Senonenſe ann. MCCLXIX. Can. II.*

(g) Car. du Freſne *ibid. pag.* 238. & *Tom. I. pag.* 855. *ſequ.* Math. Pariſ. *ad ann. MCCLXXV. MCCXL.* Aub. Mir. *lib. I. Dipl. Belg. cap. LXXXIV.*

(h) Car. du Freſne *ibid. Tom. I. pag.* 856.

Digitized by Google

uii prima iuris ſtipendia fecerant, curias ac fora, quin & academias Germaniae, occuparent, & hinc, quae in Italia didicerant, in vſum apud Germanos deducere omni ſtudio animique contentione niterentur.

§. XIX.

Quales eſſe oporteat libros mercatorum, ſi probare debeant?

Et ex his quidem iam procliue eſt iudicare, quae requirant iura, ſi quis eo priuilegio vti velit. Quum enim mercatorum bono inuentum ſit hoc priuilegium, & eorum quidem, qui fidei ac diligentiae ſpecimina ediderint: (§. XVI.) conſequens eſt, I. vt, ſi cui mercaturam faciendi ius non eſt, ei id priuilegium non profit (i). Maioris, an minoris momenti ſit negotiatio, parum refert, modo quis merces venales habere, aliiſque ſine chirographo credere ſoleat. (§. XVI.) Ab ipſo mercatore vt conſcriptus ſit codex, exigere videntur ROL. a VALLE (k) & ANDR. GAILIVS (l), etiam ad IVSTINIANI quoddam reſcriptum (m) prouocantes. Sed quemadmodum in illa *l. 13. C. de non num. pecun.* nihil, quod quidem ad rem pertineat, continetur, & quod quis per alium facit, illud ipſe feciſſe videtur: ita non abs re plerique eamdem codici mercatoris fidem tribuendam eſſe exiſtimant, ſiue ipſe eum adornarit, ſiue eius nomine alius: modo eum manu perſonae, cui tale negotium delegari ſolet, veluti inſtitoris, vel librarii, (*des Buchhalters*) ſcriptum eſſe conſtet (n). Quo caſu tamen id obſeruant accuratiores, vt librario priore mortuo, vel officio decedente, codex non continuetur, ſed a ſucceſſore nouus inchoetur, ne vnus idemque codex diuerſas manus prodat (nn). Deinde ex eodem colligimus, II. librum vel codicem, quem mercator profert, nulla falſitatis ſuſpicione laborare, adeoque illum compactum, tituloque ac praefatione notatum (o), folia numerata (oo), nihilque in eo eraſum, euulſum, deletum, ſuperſcriptum eſſe (p) oportere. Quod adeo verum eſt, vt ſi forte librarius aliquid humani paſſus ſit, tamen ea, quae perperam ſcripſit, nec delere, nec inducere, ſed errorem notare, & rem

(i) Menoch. *lib. I. Conſil. XXXIX. n. 14.* Gail. *lib. II. Obſ. XX. num. 17.* Textor. *Diſſ. de fide libri mercat. mortui §. IV.*

(k) Rol. a Valle *Conſil.* XCII. *n. 6.*

(l) Gail. *lib. II. Obſ. XX.*

(m) *l. 13. C. de non num. pecun.*

(n) Stracch. *de Mercat. P. II. n. 65.* Carpzou. *Part. I. cap. XVII. def. XXXV. num. 9.*

(nn) Textor. *Diſſ. ead. ibid.*

(o) Roeſner. *de Libris Mercat. cap. VII. n. 2. ſequ.*

(oo) Munnoz de Eſcobar. *de Ration. cap. X. §. XLII.*

(p) *c. 5. X. de crim. falſ. c. 6. X. de fid. inſtr.*

rem de nouo ſubiicere, vel e regione, non autem in margine, adſcribere ſoleat (q). Quum porro eius priuilegii cauſſa non poſtrema ſit, quod mercatores ſine chirographo credere ſoleant, (§. XVI.) & liber ex communi ICtorum ſententia tantum in connexis pro ſcribente probet: (§. XV.) id quoque III. vel maxime vrgent ICti, vt liber contineat data & accepta cum ſingularum partitarum, quas vocant, die & conſule (r), & quidem ſine abbreuiationibus & ſiglis vulgo incognitis (s), quippe quae plerumque cum ambiguitate quadam coniunctae ſunt. Praeterea ex eodem per ſe patet, IV. non niſi ea, quae ad mercaturam pertinent, in codicem illum referenda (t), & V. cauſſas & genera obligationum rite exprimenda (u), & denique VI. ipſum codicem cum aduerſariis ſeu diario, ex quo partitae in codicem primarium referri ſolent, accurate conuenire debere (x). Quamuis enim ſolis aduerſariis ea fides non habeatur (y), quam codicibus ipſis attribui diximus: merito tamen horum quoque fides vacillat, ſi, quae in codice leguntur, ab iis, quae in aduerſariis ſcripta reperias, omnino diſcrepent. Haec ſunt ſex illa requiſita, quae vbi adſunt, priuilegio iſti locus eſſe creditur. Ea quamuis alii ad duodecim (z), alii ad tredecim (a), alii ad plura vſque adaugeant: quaedam tamen ex his ad ſex illa, quae a nobis explicata ſunt, commode referri poſſe, quaedam plane falſa eſſe, facile vnuſquiſque animaduertet. Sane quemadmodum iam paullo ante vidimus, requiſitum ſecundum, quod MARQVARDVS (b) recenſet, puta, vt ipſemet mercator codicem ſua manu ſcripſerit, nec in iure, nec in praxi, praeſidium reperire: ita, quae idem (c) aliique (d) exigunt, vt mercator veritatem ſcribere conſueuerit, vt liber aliquid contineat contra mercatorem, vt quae inſcripta ſunt, ex circumſtantiis veroſimilia iudicentur, manifeſto ad requiſita noſtra primum & tertium pertinent, eoque percommode referuntur. Quod & de reliquis verum eſſe, vnuſquiſque facile deprehendet.

§. XX.

(q) Textor. *Diſſ. citat.* §. *IV.*

(r) *l.* 11. §. 2. *ff. de edend.* Menius *ad Ius Lub. P. V. Tit. VI. a. IV. n.* 24.

(s) Conr. Rittersh. *Comm. ad Nouell. P. VI. cap. II. n.* 7.

(t) Munnoz de Eſcob. *ibid. cap. XI. num.* 27.

(u) *l.* 25. §. 5. *ff. de probat.* Carpzou. *lib. III. Reſp. LVIII. n.* 10.

(x) Munnoz de Eſcobar. *ibid. cap. X. num.* 36.

(y) Marquard. *de Iure Mercat. lib.* III. *cap. IX.* §. 43.

(z) Idem *lib.* III. *cap.* IX. §. 28. *ſequ.*

(a) Textor. *Diſſ. alleg.* §. IV. V.

(b) Marqu. *ibid.* §. XXIX.

(c) Idem *ibid.* XXXI. XXXIII. XXXIV.

(d) Textor. *ibid.* §. IV. V.

§. XX.

Non creditur libro decoctoris mautioſi.

Fuſius haec exſequuti ſumus, quam pleriſque videbitur neceſſarium. Sed quum multum noſtra referat, iuriſprudentiam ita habere in numerato, vt ea, quae inculcamus, vniuerſa ex ſuis principiis deriuare, haec autem ex origine ac cauſſis ſingulorum iurium inueſtigare norimus: non piguit nos, rem ab aliis neglectam paullo accuratius explicare. Iam ergo facile patet, quid ad ſingulas quaeſtiones, quae de decoctorum & foro cedentium codicibus, habendaque illis fide, paſſim mouentur, & quarum palmarias tantum delibare nunc iuuat, reſpondendum ſit. In vniuerſum enim nullam codici fidem habendam eſſe, cuius auctor dolo malo foro cedens, creditorum ſpem turpiter deſtituit, tam eſt manifeſtum, vt prolixiore probatione ſuperſedere poſſe videamur. Quis enim credat ſcripturae hominis, quem vel ſcelerum maximorum ſibi conſcium fuga in neſcio quas latebras & aſyla abſtulit, vel carcer digno tanta turpidine ſupplicio adficiendum adſeruat? qui honeſto mercatorum collegio ſe ipſe exemit, & ita ſimul bonis, ſimul bonae fidei decoxit, vt furi aequiparandus videatur legiſlatoribus? (§. V.) Quis integritatem illam vitae atque exiſtimationis, quam in mercatore deſiderauimus, (§. XIX. 1.) in decoctore doloſo, id eſt, in homine, flagitiis omnibus cooperto, quaereret? Et hinc eſt, quod praecipui iuris auctores, qui in hac palaeſtra exercuerunt ingenium, veluti MASCARDVS (e), MENOCHIVS (f), MARQVARDVS (g), TEXTOR (h), ROESNERVS (i) omnem horum codicibus fidem abrogare non dubitant, eamque ſententiam ſuam praeiudicio non vno confirmant. Accedit, quod, quum mercator honeſtae vitae atque integrae exiſtimationis codice ſuo ſemiplene probet, minus quam ſemiplenam, vel, vt rectius dicam, nullam plane probationem emergere oporteat ex ſcriptura hominis nullius fidei, quem iura ſemper mentiri praeſumunt (k), adeoque decoctor ad iusiurandum ſuppletorium numquam admitti poſſit. Et hinc quum nuper mercatoris, qui foro ceſſerat, vxor dotem & illata repeteret, & ad codicem mariti, in quem illa pecunia relata erat, prouocaret: in prima quidem inſtantia iudicatum fuerat, vxorem illata eatenus probaſſe, vt ad iusiurandum ſuppletorium admittenda ſit:

 cauſſa

(e) Maſcard. *de Probat. Concluſ.* DCCCCLXXV. *n.* 30.

(f) Menoch. *Conſil.* XL. *n.* 29.

(g) Marq. *lib. IV. cap. IX. n.* 28.

(h) Textor. *Diſſ. cit.* §. XXIII.

(i) Roeſner. *de libr. Mercat. cap. XIV.* §. *XXVI.*

(k) Idem *ibid.* §. XV.

cauſſa autem ad ſupremam Ducatus M. curiam deuoluta, pronunciatum, eam ad iusiurandum admittendam non eſſe, inter chirographarios tamen eius interea mortuae liberis locum fore. Quod poſtremum ideo adiectum, quia Curator bonorum libro illo decoctoris aliquando pro ſe vſus fuerat. (§. VIII.) Denique quum interpoſita leuteratione acta ad Ordinem iuridicum huius Academiae mitterentur: is poſteriorem ſententiam confirmandam cenſuit, non ſolum, quod codici mercatoris etiam integrae exiſtimationis non creditur, niſi in rebus ad mercaturam pertinentibus; (§. XIX. 4.) ſed & ob alteram rationem: *Dievveil aber donnoch bekanten Rechtens, daſs der erfüllungs-Eyd zum vvenigſten einen halben Bevveiſs ſupponire, und aber eines Falliten Handels Buch, vvann es zumahl mit dergleichen Fehlern, als* Art. Reprob. 59. ſeqq. fol. 295. ſeqq. Act. primae Inſtantiae *angemercket vvorden, behaffiet iſt, gar nichts bevveiſet.* Maſcard. de prob. Concl. 975. n. 30. concl. 976. Menochius de praeſumt. Lib. III. praeſ. 63. n. 1. *als iſt man, vvie im Vrtbel enthalten, zu erkennen bevvogen vvorden.*

§. XXI.

Creditur tamen ejus codicibus, qui a fortuna exagitatus foro ceſſit, niſi paupertas eum ad fraudes pellexerit.

Sed, quemadmodum haec iuſtam cauſſam habere videntur in decoctoribus, qui dolo malo furioſum rerum ſuarum exitum fecerunt, bonaque abliguriuerunt nequiſſime: ita facile patet, eos, qui fortunae temporumque iniuriis bonis lapſi ſunt, melioris omnino conditionis eſſe oportere. Recte itaque monuit MEVIVS (l), ſi de eorum, qui bonis lapſi ſunt, codicibus agatur, de illorum fide ſtatuendum eſſe ex vita ante acta. Si enim antea vir honeſtus ac integrae fidei fuiſſe probetur, caſum & fortunam aduerſam ſuperuenientem non tollere fidem, quam eius ſcriptura antea mereri viſa ſit. Quemadmodum enim, VLPIANO iudice (m), tutor, *quamuis pauper ſit, fidelis tamen & diligens, remouendus non eſt, quaſi ſuſpectus:* ita miſerum & iniquum eſſet, abrogare fidem mercatori honeſto & diligenti, cuius induſtriam fortuna deſtituit, quemque rerum ſuarum ſatagentem aliena potius malitia, vel inclementia fati, quam ſocordia propria, ad inopiam detruſit. Et ita in curia Ianuenſium pronunciatum eſſe, conſtat (n). In primis mercatoris, ſine ſua culpa bonis lapſi, codici haud parum ponderis accedit, ſi ab inſtitore vel librario fide digno rite conſcriptus eſt, quippe cuius iuriiurando ſuppletorio tunc eo facilius creditur,

(l) Mev. *ad Ius Lub. lib. V. Tit.* VII. *art.* V. *&* *Tit.* VI. *art.* IV.

(m) *l. 8. ff. de ſuſpect. tut.*

(n) *Rota Gen. Deciſ. X. n.* 13.

Digitized by Google

creditur, quo minus ipſi vel ſeritur vel metitur (o). Quin ſi eum vel maxime ſua manu ſcripſerit mercator: non tamen ob eam rem fides eius vacillabit, modo codex talis ſit, qualem eum eſſe debere, ſupra oſtendimus. Multos enim ad mendicitatem redactos ſimiles reperias illi pauperi apud EVRIPIDEM (p), de ſe glorianti:

- - καὶ γὰρ εἰ πένης ἔφυν,
οὔτοι τό γ᾽ ἦθος δυσγενὲς παρέξομαι
- - Quamuis enim pauper ſim:
Non tamen malos mores praeſtabo.

Attamen, ſi ex ipſo codice adpareat, mercatorem, vbi res ſuas retro labi ac fatiſcere animaduertit, accepta parum diligenter in libros retuliſſe, ſed in ſuos vſus ſepoſuiſſe, aliis, qui non ſoluerunt, acceptum tuliſſe, quaedam in rem ſuam falſo inſcripſiſſe, malumque patrem familias, vt paucis dicamus, agere coepiſſe: nihil procul dubio tribuetur eius codici, quem ipſe, mutatis cum fortuna moribus, ſua culpa quam maxime ſuſpectum reddidit. Quamuis enim paupertati cum virtute bene conueniat: repentina tamen fortunae mutatio, & imminens homini rei lautae adſueto

Magnum, pauperies, opprobrium iubet
Quiduis aut facere, aut pati,
Virtutiſque viam deſerere arduae,

ceu iam pridem recte obſeruauit HORATIVS (q). Sane quum & mercatoris, bonis non lapſi, codici non credatur, ſi vlla falſitatis ſuſpicione laborat: (§. XIX.) quanto minus credendum erit ſcripturae hominis, boni illius quidem, ſed quem paupertate a virtutis tramite abductum eſſe, ex ipſo libro vbique pellucet? Hinc quum mercator, qui tamen bonis non fuerat lapſus, ex alterius fortunis euerſi bonis ſummam haud leuem peteret, & nec chirographum, nec alia inſtrumenta, ſed litteras quaſdam priuatas, proferret: curator bonorum, librum actoris producendum eſſe, vrgebat. Creditor aliquoties in iudicio faſſus erat, ſe haec in librum ſuum non retuliſſe, ſed cum debitore bona fide egiſſe, modo ei pecunias credendo, modo earum partem recipiendo. Reiecta probatione, mercator ad ſuperius iudicium G. adpellauit, ac demum obtinuit, vt ad probationem admitteretur, eique ſimul liceret librum ſeu codicem ſuum eam in rem producere. Re vlterius

[o] Roeſner. *ibid. cap. XIV.* §. 24.
[p] Euripid. *in Electr. v. 362. ſequ.*
[q] Horat. *lib.* III. *Od.* XXIV. *v.* 42.

terius ventilata, & actis ad Ordinem iuridicum in hac Academia tranſmiſſis, pronunciatum: *Numehro aus den Acten ſo viel zu befinden, daſs Implorant, zur Production ſeines Handels-Buchs und übrigen Documenten, geſtalten Sachen nach nicht zuzulaſſen*, additis rationibus: *Dievveil die von Imploranten geſuchte Reſtitutio in integrum vergeblich ſeyn, und zu nichts anders, als zu noch mehrerer Verlängerung dieſes in das 16te Iahr daurenden Concurs-proceſſes dienen vvürde, anervvogen eines theils die documenta ſub A. B. C. D. No. Act. 415. deren Implorant bey ſeiner Beſcheinigung ſich zu bedienen vermeinet, ſchon zuvor von ihm produciret, aber iedesmahl als unſtatthafft und irrelevant vervvorffen vvorden, andern theils derſelbe No. Act. 259. „ Daſs er von Liquidato vveder Obli- „ gationes, noch Wechſel-Brieffe in Händen habe, ingleichen No. Act. „ 560. Daſs, da der Debitor bald Geld geliehen und dafür Bücher „ verſetzt, bald aber darauf vvieder bezahlt, und das verſetzte Vn- „ terpfand vvieder abgefordert, er darüber keine Regiſter oder Buch „ gehalten, noch allemahl angeſchrieben, und daher auch nicht mehr „ vviſſen, vielvveniger beſchvvehren könne, vvas vor Bücher bey „ ihm verſetzt, und vvie viel vom Gelde er darauff erhalten, aus- „ drücklich declariret. Wannenhero nicht abzuſehen, vvie nunmehro derſelbe ſich auff ſein Handels-Buch beruffen möge, da ſeinem Geſtändnis nach vorhin darinnen nichts geſtanden, folglich vvieder daſſelbe, daſs es erſt nach der Zeit beſchrieben vvorden, eine ſtarcke Vermuthung entſtehet, vvelche durch das bloſſe Vorgeben, daſs der Advocatus cauſſae ſolche Declaration ohne Imploranten Wiſſen und Willen ad Acta gegeben, ſich um ſo viel ſchvverlicher elidiren läſst, ie vveniger derſelbe, ſolche Schrifften eigenhandig unterſchrieben zu haben ableugnen kan. Alſs iſt, vvie in Vrtheil enthalten, erkant vvorden.* Quod ſi ergo ne mercatoris quidem integrae exiſtimationis codici creditur, ſi iuſta ſuboriatur ſuſpicio, eum aliquid illi poſtea in rem ſuam inſcripſiſſe: quanto minus fidei habebitur rationibus eius, qui fortunis euolutus, & imminentem rebus ſuis ruinam praeſagiens, iuſtam codicis non rite conſcripti ſuſpicionem praebuit?

§. XXII.

Creditur etiam codici decoctoris malitioſi contra ſcribentem, Ad eos vt redeamus, qui doloſe foro cedunt, horum libris, vti diximus, plane nulla fides habenda, ſi ab ipſis in ſuam rem proferuntur. Quid vero, ſi creditores illius inde agere velint? Tunc vel agunt aduerſus ipſum obaeratum, qui foro ceſſit, vel aduerſus tertium, quem maſſae illi communi, ex qua creditoribus ſatis fieri debet, obligatum eſſe, contendunt. Primo caſu dubium non eſt, quin

Digitized by

niſi aliquid in praeiudicium aliorum inſcripſerit.

quin plene probet liber, etiam decoctoris, modo de obligatione ipſius decoctoris agatur. Quamuis enim is ob turpitudinem ſuam fidem omnem amiſerit: verendum tamen non eſt, ne quid codici inſcribat, quo ipſe magis oneretur. Hinc codex huiuſmodi, vti aliae ſcripturae priuatae, contra ſcribentem plene probat (r). (§. VIII.) Sed non probabit tamen etiam contra decoctorem, ſi quid, quod ſe oneret, in reliquorum creditorum praeiudicium, vel ſi res ad mercaturam plane non pertinentes, inſcripſerit, e. g. ſi dotem tantam ſe ab vxore accepiſſe notarit, ſi a parentibus, amicis, aliiſque ſibi numeratum ſolutumue eſſe fateatur, quod numeratum ſolutumue eſſe, tam liquido non conſtat. Quum enim confeſſio nocere quidem debeat confitenti, non autem tertio (s), & hinc ne apocha quidem mariti (t), quantumuis iureiurando firmata (u), probari conſtet illationem dotis, quia iuſiurandum, tamquam acceſſorium obligationis, naturam actus ſui ſequitur (x), & hinc inter alios praeſtitum, tertio nec prodeſſe, nec nocere debet (y): quo iure, quaeſo, exigeret decoctor, vt ſibi ſuo arbitratu & in rem ſuam ſe debitorem conſtituenti, & tale quid referenti in codicem, in fraudem reliquorum creditorum ſides habeatur? cui, quaeſo, ignotum eſt perfidi illius diſpenſatoris, a Seruatore in exemplum calliditatis adducti (z), artificium, quo vſus in eo futurae inopiae alleuamentum quaeſiuit, quod debitorem pro centum quinquaginta ſcribere iuberet: Δέξαι σου τὸ γράμμα, καὶ καθίσας ταχέως γράψον πεντήκοντα. *Sume tibi chirographum tuum, & adſidens, extemplo ſcribe quinquaginta.* An non & decoctores perfidos iiſdem *filiis ſaeculi*, ceu Seruator vocat, accenſeas, qui, vbi res ad reſtim redit, iniuſtiſſimam verſuram facere, & cum aliorum detrimento alios locupletare non dubitabunt, ſi ſibi, ad mendicitatem redactis, apud hos perfugium fore ſperauerint?

§. XXIII.

Aliquando codici decoctoris aliquid fidei & pro

At maior dubitandi ratio eſt, ſi quaeramus, an creditores ex codice decoctoris aduerſus tertium agere, & inde debitum probare poſſint? Quod merito videtur negandum. Primo enim creditoribus non plus fidei haberi poteſt circa ſcripturam, a decoctore factam,

[r] *l.* 25. §. *vlt. ff. de probat.*

[s] *l.* 4. *pr. ff. de interr. in iure fac. l.* 11. §. 2. 3. *ff. eod.*

[t] Coler. *de proceſſ. exſequut.* P. III. *cap.* I. *n.* 110. *ſequ.*

[u] Coler. *ibid. n.* 115. Greuen. *lib.* II. *Concl.* LXXXI. Ludouici *Diſſ. de probat. illat. dot.* §. XII.

[x] Puſend. *de Iure Nat. & Gent. lib.* IV. *cap.* II. §. 6. 11.

[y] *l.* 1. *pr. ff. ſi mul. ventr. nom. cap.* 19. X. *de iureiur.*

[z] *Luc.* XVI. 34.

ſcribente prolato accedit, ſi alia adminicula ſuffragentur.

ctam, quam ipſi decoctori, cui, codicem in ſuam rem proferenti, non credi paullo ante monuimus. (§. XX.) Si ergo fides non habetur libro, a decoctore producto, cur ideo habeatur, quod tertius eum produxerit, quum de perfidia ſcribentis ſatis conſtet? Accedit, quod nec integrae famae mercatoris liber, a tertio contra tertium productus, aliquid probet, niſi tale quid ei inſcriptum, quod directe actum cum praeſente & conſentiente, ceu poſt multas doctorum variationes, quas MASCARDVS (a) refert, vbique fere obtinuit (b). Qua fronte vero creditores plus fidei attribui poſtularent libro eius, qui dolo malo foro ceſſit, quam alterius integrae fidei atque exiſtimationis? Denique multo periculoſius exemploque pernicioſius eſſet, codici decoctoris, a creditoribus prolato, fidem aliquam haberi, quam ſi eum ipſe decoctor in foro produceret; ſiquidem huic, quippe rei geſtae conſcio, deferri poſſet iusiurandum ſuppletorium, quod ſine periculo deferri nequit creditoribus, rerum omnium ignaris, & de credulitate facile Iouem lapidem iuraturis, ſi eo ſacramento damnum imminens auertere poſſent: Atqui ad iusiurandum ſuppletorium de credulitate regulariter neminem (c), nec in caſibus exceptis vllum alium temere, quam heredem, admittendum eſſe, recte iuris interpretes celeberrimi (d) monent.

§. XXIV.

Illuſtratur hoc ſpecie inſigni.

Neque tamen negandum eſt, librum, etiam a decoctore rite & ordine ſcriptum, quamuis ſemiplene non probet, aliquam ſaltim praebere praeſumtionem, ſi creditores eum aduerſus tertium proferant. Vnde aliis accedentibus adminiculis (e), omnino audiendi ſunt creditores, admittendique ad probationem debiti, quod illi codici, nulla alia falſi ſuſpicione laboranti, (§. XIX. 12.) rite inſcriptum eſt. Priuatae enim ſcripturae, veluti apochae, rationes, chirographa, pro ſcribente quidem non faciunt fidem, adeoque multo minus tertio, qui eius nomine, vel tamquam ſucceſſor ſcribentis, acturus eſt, prosunt: aliis tamen ſuffragantibus adminiculis, quandoque ſemiplenam ptobationem, aliquando praeſumtionem faciunt (f), quae, ſi ad ſuppletorium non ſufficit, vel id ſaltim

[a] Maſcard. *de Probat. Concl.* DCCCCLXXVII.

[b] Ruland. *de Commiſſ. P.* II. *lib.* V. *cap.* XIII. *extrem.* Scacc. *de Iudic. cauſſ. ciuil. lib.* II. *cap.* XI. *n.* 203. Marquard. *de Iur. Merc. lib.* III. *cap.* IX. Roeſner. *de Libris Merc. cap.* XII. §. LXI. *ſequ.*

[c] arg. *l.* 31. *ff. de iureiur.*

[d] Wernh. *Select. Obſ. Forenſ. P.* IV. *Obſ.* CLI. *n.* 624.

[e] *l.* 5. *C. de probat.*

[f] Couarruu. *Pract. Quaeſt. cap.* XXII. *nu.* VIII. Wameſ. *Conſ.* LVI. *cent.* 1. Diod. Tulden. *Comm. ad Cod. tit. de prob.* §. V.

Digitized by Google

tim efficere poteſt, vt alteri parti purgatorium deferatur, toties quippe locum habiturum, quoties aduerſus aliquem fortiores praeſumtiones militant, vt, non niſi iis eliſis, ad cauſſae deciſionem deueniri poſſit (g).

§. XXV.

An decoctor eiuſque creditores vel curator bonorum ex libris agentes admittendi ſint ad cautionem iuratoriam, & reum cautione deiudicatum ſolui onerare poſſint!

Illuſtrari hoc poteſt ſpecie notabili, quam Dn. Praeſes menſe Febr. cIↃIↃccXXIII. Ordini Iuriſconſultorum Hallenſium oblatam, memorat. Titius mercator Belga cum ſociis negotiationem trapeziticam diutius fecerat, ſed demum foro ceſſerat, non ſine maximo creditorum detrimento. Sempronius, Mercator in celebri Germaniae emporio, antequam de iſtius ſocietatis conditione & imminente negotiationi ruina certior factus eſſet, aliquammultas teſſeras collybiſticas ad Titium direxerat, quas quum oblatas Titius & ſocii acceptaſſent, neque tamen praeſentantibus ſoluiſſent: actionem aduerſus illos inſtituere, & magnam ſummam pecuniae petere decreuerat. Sed demum intellecto bonorum ſtatu, impenſis parcere, & damnum illud aequo animo ferre, quam in extraneo foro inanem actionem non ſine ingenti ſumtu perſequi maluit, maxime quum Titius & ſocii per Deum rogarent, ne adflictis adderetur adflictio. Demum illi decoctores, miſſis blanditiis, quibus antea Germanum trapezitam deliniuerant, vrgenti ſolutionem, minas repoſuerunt, cauſſati, ſibi a Germano illo aliquot centena millia florenorum deberi: quin & actionem cum curatore bonorum aduerſus illum in eius domicilii foro inſtituerunt, prouocantes ad codicem ſuum, ex quo adpariturum ſit iudici, ſe ingentem iſtam ſummam pecuniae pro mercatore Germano ſoluiſſe variis perſonis, quas ille teſſeris collybiſticis, ad ſe directis, inſtruxerit. Multa erant, quae opponebat Germanus. Vrgebat, ſibi cautionem pro reconuentione, damno & expenſis praeſtandam. Opponebat exceptionem falſi, neque fidem aliquam habendam putabat codici decoctorum, qui id, quod ipſi teſſerarum poſſeſſoribus non ſoluerint, ſibi, tamquam traſſanti, imputauerint, (*ſie hätten obgedachte, von einem dritten in ſeinem faueur gezogene, una von ihnen,* (Titio und Comp.) *a conto ſothanen dritten acceptirte, aber zu ſeiner Zeit nicht bezahlte Wechſel-Brieffe in ſein debet geſetzet.*) Adferebat etiam, ſibi a viris fide dignis relatum, codices illos Titii & ſociorum antea ad colophonem perductos fuiſſe, in iiſque tunc de hoc credito nihil lectum, *es hätten Titius und Comp. bey ihrem falliment ihre Bücher völlig beygeſchrieben gehabt, von dieſer ihrer anmaſslichen Forderung aber vvare damahlen darinnen nichts*

[g] *l. 31. ff. de iureiur.*

zu finden gevveſen, folglich dieſelbe nachhero erſt eingeſchrieben vvorden. Quod inſigne falſi veſtigium ſe, producto codice, ad oculum demonſtraturum, confidebat. Nihilominus tamen, quum codici aliqua ſuffragari adminicula viderentur, veluti quod conſtaret, Germanum ſaepe cum illa ſocietate mercatoria negotiatum, *(daſs ſie mit einander ſtarcke Wechſel und andre Handlung getrieben,)* teſſeraſque collybiſticas a Titio & ſociis acceptatas eſſe, nec tam liquidum eſſet, hos, prout decet, non ſoluiſſe, *daſs die acceptirten Wechſel nicht bezahlet vvaeren:* non ſolum admiſſa actio, ſed etiam Sempronius ad cautionem iudicatum ſolui praeſtandam adactus eſt, actoribus iureiurando tantum cauentibus. Pronunciatum enim in iudicio illius emporii fuerat, *daſs Klaegere zu Leiſtung iuratoriſcher cautiõn zu laſſen, Beklagte aber zur* cautione omnium bonorum cum iuratoria *anzuhalten, nicht vveniger Klaegere mit Uberbringung der Bücher des* Titii *und* Comp. ad locum iudicii *billig zu verſchonen, und Beklagte ſelbige zu Amſterdam auf der Klaegere Koſten ſelbſt, oder durch einen Bevollmaechtigten Anvvald zu inſpiciren, ſchuldig.* Quae dura interloquutio ſecutura fortaſſis non fuiſſet, niſi ſociis illis Belgis, eorumque codici, variae praeſumtiones ſuffragari viſae eſſent.

§. XXVI.

Decoctoris codex ordinarie edendus eſt in loco, vbi negotiatus eſt.

Specie hac Collegio oblata, varia erant, quae in quaeſtionem veniebant, veluti, an actores ad cautionem iuratoriam admitti potuerint? an reus, tamquam bonorum immobilium poſſeſſor, onerari debuerit cautione iudicatum ſolui? poſtremo, an idem reus iure adigendus fuerit ad iter in locum, vbi codex actorum reperiebatur, ſuſcipiendum? Circa primam quaeſtionem facile tranſigebatur. Conſentientibus enim ſuffragiis exiſtimabatur, illam cautionem iuratoriam non ſufficere, primum, quia in cauſſis eiuſmodi arduis, & quae criminalibus aequiparandae videntur pragmaticis, iuratoria cautio non temere admitti ſoleat (h), & iudex eam iuſto facilius admittens, litem ſuam facere videatur (i): deinde quod actoribus extra imperium degentibus cautionem realem iniungat ipſa ORDINATIO CAMERALIS (k): tum porro, quod curator bonorum agat, tamquam procurator vel Titii & ſociorum, vel creditorum eius: procurator autem iureiurando cauere non poſſit (l): ac poſtremo, quod iuratoria cautio, ſi vel maxime in iure

[h] Harpr. *de Caut.iurat.* LIX. Cothm. *Vol.* I. *Reſp.* XVIII.
[i] Cothm. *ibid.*
[k] *Ordin. Cam. Part.* III. *Tit.* LVIII. §. *vlt.*
[l] Harpr. *ibidem* §. XXXI. Beincaſ. *de Priuil. paup. ſpec.* VII. n. XX.

Digitized by Google

iure praeſidium reperiat, (vere enim poſſeſſores tantum rerum immobilium olim ita cauiſſe ex *l.* 26. §. 6. *C. de epiſc. aud. l. vlt.* §. 1. C. *de ſport. l. vlt. C. de princ. agent. in reb.* poſt CVIACIVM (m), GER. NOODT (n) & ANT. SCHVLTINGIVS (o) obſeruarunt,) non praeſtanda tamen ſit a decoctoribus, aliiſque parum integrae exiſtimationis hominibus, ſed a viris illuſtribus, quibus ipſa dignitas fidem auctoritatemque conciliat (p). At quod ad alteram quaeſtionem attinet, vel ideo reo ſuccurri non poſſe videbatur, quia, quamuis poſſeſſores rerum immobilium ſuae promiſſioni committant iura Romana (q), tamen REFORMATIONE FRANCOFVRTENSI (r) cautum eſſet, *daſs, vvann der Kläger von dem Antvvorter* cautionem de iudicio ſiſti & iudicatum ſolui *begehrte, dieſer ſolche ebenfalls zu leiſten verbunden ſeyn ſolte.* Sed quia tamen ille Reformationis paragraphus ſe refert ad §. 1. vbi actori, rerum immobilium poſſeſſori, gratia fit cautionis, per fideiuſſores vel pignora praeſtandae, idem ius etiam reo indulgendum videbatur, cuius fauorabiliores eſſe ſolent partes, quam actoris (s), ac proinde eum hac cautione liberandum eſſe crediderunt.

§. XXVII.

At difficillima erat quaeſtio, quo loco codices, ad quos actores prouocauerant, producendi inſpiciendique eſſent? Nemo ignorat, quid de argentariorum rationibus ſcripſerit VLPIANVS (t). *Ibi quis compellitur edere, vbi argentariam exercuit, & hoc eſt conſtitutum. Quod ſi inſtrumentum argentariae in alia prouincia habeat, in alia adminiſtrauerit: ibi puto cogendum edere, vbi argentariam exercuit, hoc enim primum deliquit, quod alio inſtrumentum tranſtulit. Quod ſi in alio loco argentariam exercet, alibi autem ad editionem compelletur, minime hoc facere cogitur, niſi deſcriptum velis, vbi de ea re agitur, eum tibi dari, tuis videlicet ſumtibus.* Quibus PAVLLVS (u) addit, *ſpatium etiam argentario ad perferendas eas rationes deſcriptas dandum eſſe.* Haec ſane quum Doctores, & in his RVTG. RVLANDVS (x), & SOCINVS (y) ad ipſos merca-

 tores

[m] Cuiac. *lib.* XII. *Obſ.* XXII.

[n] Noodt *ad Pand.* p. 59.

[o] Schulting. *in ἐγὸρ. Pand. tit. qui ſatisd. cog.* §. IV.

[p] *l.* 17. C. *de dignitat.*

[q] *l.* 15. *pr. ff. qui ſatisd. cog.* §. 2. *Inſt. de ſatisd.*

[r] *Reform. Francof. Part.* I. *Tit.* XVI. §. *vlt.*

[s] *l.* 125. *ff.* de *Reg. iur.*

(t) *l.* 4. *& vlt. ff. de de edend.*

(u) *l.* 5. *ff. eod.*

(x) Ruland. *de Commiſſ. Part.* II. *lib.* V. *cap.* XXIV. *n.* 32.

(y) Socin. *Conſil.* CXLIX. *n.* 4.

tores proferant, quamuis hi iam mercaturam facere deſierint (z); ſimulque ſtatuant, iudicem eo caſu, ſi forte autographum oculis luſtrandum videatur, vel aliquos ad locum, vbi liber iſte ſit, mittere, vel iudicem rei ſitae requirere debere, vt codicem inſpiciat, deſcriptamque eam partem ſecum communicet: recte iudicatum eſſe videri poterat, trapezitam illum Germanum vel ipſum ſumtibus actorum in Belgium proficiſci debere, vel alios eo mittere, qui librum inſpicerent, maxime quum creditorum A. intereſſet, librum tanto periculo non exponi, neque iſti in lite, quae ex eorum concurſu ibi nata erat, carere eo poſſent.

§. XXVIII.

Aliquando in loco, vbi agitur, quod inſigni ſpecie illuſtratur.

At quantumuis haec ſpecioſa eſſent, iiſque procul dubio permotus eſſet iudex, vt paullo ante relatam interloquutionem daret: aliud tamen tum viſum eſt Dominis, quorum rationes audire operae pretium eſt: *Dievveil aber dennoch 1. im gegenvvärtigen Fall nicht allein Beklagter* (Sempronius) *die edition der Bücher fordert, von vvelchem caſu der angeführte l. 4. ff. de edend. redet, ſondern vielmehr die curatores maſſae ſelbſt aus Titii und Comp. Büchern klagen, und mithin dieſelben zum Grunde ihrer Anforderung ſetzen, ſolchen falls aber alle Rechte vermögen, daſs ſie dieſelben originaliter produciren, und Beklagten ad recognoſcendum vorlegen müſſen. Welches denn 2. ordentlich umb deſvvillen* in foro, vbi actio mota eſt, *geſchehen muſs, vveil eines theils dieſe* productio *eine* ſpecies probationis *iſt, und dieſer* actus propter iudicem, cui probatio fieri debet, *vorgenommen vvird, l. 12. ff. de prob. & 5. C. de teſt. andern theils aber 3. der Richter, ob etvvas dadurch bevvieſen ſey, oder nicht, vrtheilen und erkennen muſs, vvelches aber, dafern die inſpectio nicht in iudicio geſchiehet, ebenfals nicht geſchehen kan. Wie denn auch 4. es allhier auf eine* quaeſtionem de falſo *ankommt, und Beklagter, daſs die Bücher verfalſchet ſeyn, aus den originalien ſo fort darzuthun vermeinet, vvelches abermahl nicht anders, als* per inſpectionem in loco iudicii & inſtitutam litterarum comparationem *geſchehen kan. Im übrigen 5. die angeführtes* rationes dubitandi *alle von keiner Erheblichkeit ſind, immaſſen das angeführte* priuilegium ex *l. 4. ff. de edend. eines theils nur den Kauffleuten, vvelche entvveder noch handeln, oder die Handelung aufgegeben, und zvvar um des vvillen zukömt, vveil dieſelbe ihre Bücher nie entrathen können, und der Verluſt derſelben ihnen unſchätzbar und irreparable ſeyn vvürde, vvelche raiſon*

(z) *Marqu. de Iure Merc. lib.* III. *cap.* X. §. XXIX.

Digitized by Google

ſon aber vveder auf Titium und Compagn. die einen Banquerout gemacht, und alſo der Priuilegien der Kauffleute nicht fähig ſind, MARQV. *de Iure Merc. Libr. IV. cap. 9. tot. noch auf die Curatores maſſae, als vvelche vveder als Kauffleute, noch als ſucceſſores mercatoris klagen, ſich appliciren läſſet,* per *l. 9. §. 1. ff. de edendo ibi:* quia iuris ſucceſſor his verbis ſignificatur: *andern theils aber beſagtes priuilegium ohndem in vielen, ia den meiſten Handels-Gerichten nicht mehr in obſeruanz iſt, und nicht nur zu Lübeck die Bücher auf der Gerichts-Stube abſolute produciret vverden müſſen,* MARQV. *l. 3. c. 10. §. 29. ſondern auch zu Franckfurt ſelbſt, vvie das in der* ſpecie facti allegirte praeiudicium *vom 4. Iul. 1722. ausvveiſet, das gegentheil in obſeruanz iſt, und auch ausvvärtigen Kauffleuten, ihre Bücher zu Franckf. zu ediren,* per ſententiam *auferlegt zu vverden pfleget. Uber dem 6. der vorgeſchlagene Weg, iemanden nach A. zu ſchicken, oder den Magiſtrat daſelbſt zu requiriren, in gegenvvärtiger Sache, da es auf ein falſum, und die* comparationem litterarum *ankommen ſoll, den Ausſchlag nicht geben vvürde, indem alhier nicht die Frage iſt, ob die vvider* Sempronium formirte praetenſiones *in* Titii *Büchern ſtehen? ſondern, ob dieſe poſten vorhin darinnen geſtanden, oder erſt nachher, da ſchon das Falliment ausgebrochen, eingeſchrieben vvorden? vvelches aber durch den vorgeſchlagenen Weg nicht ſo leicht, als vvann die Bücher* in loco iudicii produciret, *und eingeſehen vverden, ans licht zu bringen ſeyn möchte. Daher auch 7. die dritte ratio dubitandi, die einen gevveſenen Kaufmann, der zu handeln aufgehöret, und nicht einen Falliten, oder deſſen* Curatores bonorum, praeſupponiret, *alhie* inapplicabel, *und, 8. ſo viel die vierdte betrifft, beklagter, deſſen partes doch iedes mahl fauorabiliores ſeyn ſolten, übel dran ſeyn vvürde, vvann er, da die Kläger bevveiſen ſolten, eine Reiſe über 50. Meilen, und zvvar auſſer Reichs thun, und darüber ſeine importante Hadlungzu Hauſe verſaumen müſte, da doch ordentlich der Kläger* paratus ad probationem in iudicio *erſcheinen, oder, da er dieſes nicht kan, nach dem bekandten Sprüchvvort:* Non ius tibi, ſed probatio defuit, *ervvarten muſs, daſs der Beklagte abſoluiret vverde. Welchem nach es 9. vvenig darauf ankommt, daſs Klaegere die Reiſe-Koſten herzuſchieſſen ſchuldig erkannt vvorden, immaſſen vielmehr retorquendo gefolgert vverden könte, daſs, da Beklagter, der doch zu ervveiſen nicht ſchuldig, die erforderte Koſten zu tragen ſich erbietet, Klaegere dieſen tranſport zu vervveigern üm ſo vielvveniger befugt ſeyn, ievveniger 10. die vor ſie in der letzten* ratione dubitandi *angeführte Urſache, daſs*

nemlich die zu A. concurrirende Creditores dabey ein intereſſe hätten, von einiger Wichtigkeit iſt, angeſehen die Bücher ihnen nicht entzogen, ſondern nur auf einige Zeit nach Franckfurt tranſportiret vverden ſollen, und ihnen allezeit frey bleibet, cautionem de reſtituendo *zu fordern, überdem der Creditorum ſelbſt eigenes intereſſe hierunter verſiret, angeſehen, vvann daraus des Klägers Anfoderung ervveiſslich, und das angegebene* falſum *unerfindlich iſt, der Maſſae dadurch ein conſiderables quantum zuvvachſen und folglich ihnen ſolches mit zu gute kommen vvird. &c. Als ſind vvir der Rechtlichen Meinung, daſs Klaegere Titii und Comp. Bücher nebſt andern ſcripturen zu Franckf. auf Beklagtens Vnkoſten zu produciren ſchuldig, dieſem aber deshalb eine vveite Reiſe auſſer Reichs zu thun, und die Bücher zu A. zu inſpiciren, oder einen Bevollmächtigten dahin zu ſenden, keinesvveges anzumuthen ſey. V. R. W.*

§. XXIX.

Libri decoctorum, quamuis iis ſuffragentur alia adminicula, admittunt probationem contrarii.

Quamuis autem ex hac ſpecie adpareat, libris eorum, qui foro ceſſerunt, aliquando ponderis quidquam accedere, ſi illis alia adminicula ſuffragentur: iiſdem tamen pondus omne rurſus decedit, ſi contrarium, veluti falſum, rite probari poſſit. (§. XIX. 2.) Quum enim ne pro iis quidem codicibus, quos mercator integrae famae atque exiſtimationis ſcripſit, praeſumtio iuris & de iure militet, omneſque reliquae praeſumtiones probationem admittant contrarii (a): dubitari profecto non poteſt, quin omnis illa fides decollet, ſimulac demonſtrari poſſit, aliquid falſi eſſe admiſſum in eiuſmodi codicibus, vel quae iis inſcripta ſunt, ita non geſta eſſe: vt nimium ex mea ſententia mercatoribus indulſerint STRACCHA (b), qui, contra libros mercatorum non admitti probationem in contrarium, contendit, nec non VIVIVS (c), qui tales libros quodammodo pro ſententia haberi, ſuaque fide in rem iudicatam tranſire, ſcribit. Quomodo enim libri mercatorum excluderent probationem in contrarium, quum ne plene quidem illi probent, ſed iureiurando ſuppletorio firmandi ſint? Rectius itaque accuratiuſque philoſophantur, qui huiuſmodi libros ad proceſſum exſequutiuum quadrare negant, eorumque recognitionem quidem recte peti, proceſſum tamen non alium, quam ſummarium, in ſpecie talem, locum inuenire, ac proinde omnes exceptiones, licet altioris indaginis videantur, admittendas eſſe, docent

(a) *l. 3. l. 9. l. 12. ff. de prob. & praeſumt.*

(b) Stracch. *quomodo in cauſſ. merc. proc. n.* XXXV.

(c) Viuius *Deciſ.* CCCCLV. *n.* 111.

docent (d). Quam in ſententiam ordinem ICtorum Wittenbergenſium pronunciaſſe, refert celeberrimus WERNHERVS (e), *Dievveil Beklagter das producirte Handels-Buch recognoſciret, ſo hat es noch zur Zeit dabey ſein Bevvenden, und iſt derſelbe zuförderſt die vorgeſchützen Exceptiones in Sächſl. Friſt, Klägers Gegenbeſcheinung und anderer Nothdurfft in ebenmäſſiger Sächſl. Friſt vorbehältlich, beyzubringen ſchuldig, ferner darauf zu beſchehen, vvas Recht iſt, V. R. W.* Quod ſi autem ne integrae quidem exiſtimationis mercatori ita abſolute creditur, vt omnis excludatur exceptio contrarii, qui fieri poſſet, vt nefas ſit, ſuſcipere probationem contrarii, ſi mercator foro ceſſit, adeoque exiſtimationem ſuam ac fidem omnem cum re perdidit?

§. XXX.

An ex libro parum rite & ex arte ſcripto probari poſſit, aliquem malitioſe decoxiſſe?

Bella quoque quaeſtio eſt, an ex ſolo libro, perperam & parum ex arte conſcripto, probari poſſit, alterum dolo malo decoxiſſe? Id omnino videtur adfirmandum, ſi quis diffuſae negotiationi deditus, vel expenſa acceptaque plane non refert in rationes, vel id tam male facit, vt codex iſte nihil praeter inſignem rerum omnium confuſionem indicet. Vnde in EDICTO REGIO aduerſus decoctores (f) & illi pro decoctoribus malitioſis habentur, indignique beneficiis iuris iudicantur, *vvelche in Iahres-Friſt vor dem Verfall keine Balance gezogen.* At non ideo ſtatim pro doloſo decoctore habendus, qui mediocrem exercens negotiationem, & arti conficiendi codices non adſuetus, libros modo ordinario, & inter maiorum gentium mercatores recepto, non conſcribit, nec tamen in eo negligens reperitur, vt accepta & expenſa quam ſimpliciſſimo modo in rationes referat. Quamuis enim his libris, ſi admodum confuſe ſcripti ſint, non credatur: (§. XIX.) non tamen ideo decoctor malitioſus putandus, quod artem conficiendi rationes non ſatis imbiberit, nec inſtitorem illis conficiendis idoneum, (*einen Buchhalter*) mercede conducere potuerit. Et hinc; quum aromatum venditor in oppido mediocri diuturno morbo oppreſſus, obiiſſet, & non modo creditores quidam concurrerent, verum etiam vidua dotem & illata repeteret: Curator bonorum hanc dotis priuilegio vel ideo excidiſſe arbitrabatur, quod vxoribus malitioſorum decoctorum illud denegaſſet lex recentiſſima, *das erleuterte und geſchärffte Banquerontier-Edict Ihro Kön. Mai. in Preuſſ.* Non conſtabat de fraude mercatoris. Saltim is foro

(d) Riuin. *ad Ord. Proc. Sax. Enunc. X.*
(e) Wernh. *Obſ. For. Part. IV. Obſ.* CCVI. *pag.* 535.
(f) *Edict. Pot. Reg. Pruſſ. de anno* MDCCXV. *art.* XIII.

foro non ceſſerat, neque exſtabant argumenta vlla doli, quo creditores circumuenerit. Id vnum vrgebat curator, qui ſimul contradictoris vicibus fungebatur, defuncti librum, quem ideo Actis adiungi petierat, ſatis negligenter & confuſe ſcriptum videri. Et tamen, quum non alia eſſent fraudis indicia, & praeterea ex actis conſtaret, mortuum illum diuturno morbo laboraſſe, ac ita tenuioribus fortunis facile euolutum eſſe, ordo ICtorum Francofurtenſium vxorem ſuo iure non priuandam, nec mortuum ob ſolius libri defectus pro decoctore malitioſo habendum eſſe, iudicauit.

§. XXXI.

An liber Iudaei aequiparandus ſit libro decoctoris?

Magis ardua quaeſtio eſt, vtrum & conſcriptis a Iudaeo codicibus eadem tribuenda ſit fides & auctoritas, ac libris aliorum mercatorum, an illi decoctorum rationibus aequiparandi ſint? Equidem ſi res ex ſanae rationis principiis eſſet diiudicanda, nullum eſſet dubium, quin Iudaei mercatores, ſi honeſtae vitae ac intemeratae exiſtimationis ſint, eodem cum Chriſtianis iure frui debeant, modo libri eorum ita comparati ſint, quales eos eſſe oportere diximus. (§. XIX.) Quemadmodum enim Chriſtiana religio, quam profitemur, non efficit ſemper, vt qui Chriſto nomen dediſſe videri volunt, dignam tam ſancta profeſſione vitam agant: ita plane non ſequitur, vt aliquem ideo improbum, mendacem, perfidum, omnibuſque contaminatum vitiis exiſtimemus, quia Iudaeorum ſacris ab infantia adſueuerit. Nec obſtat, Iudaeos codices ſuos litteris & dialecto ſibi propriis conſcribere, adeoque recognoſci non poſſe ab aliis videri. Adhiberi enim ſolet interpres illius dialecti peritus, qui locum ad rem pertinentem luſtret, & deſcriptum inde conficiat. Id apographum deinde agnoſci deberet ab eo, contra quem codex a Iudaeo profertur (g). Sed ſunt tamen omnino iuris ciuilis principia, quae tam generalem deciſionem ferre non videntur. Iudaeum Iudaeo codicem ſuum recte opponere, eoque recognito, ad iusiurandum ſuppletorium admitti poſſe, nemo dubitat (gg). At Iudaeos contra Chriſtianum admitti ad iurandum, iure ciuili aeque (h), ac canonico (i), prohibitum eſt. Quam vtriuſque iuris diſpoſitionem tantum abeſt, vt vel receptam non eſſe, vel conſuetudine aut lege contraria obumbratam, poſſimus exiſtimare, ceu MYNSINGERVS

(g) Martini *ad Proceſſ. Sax. Tit. XXV.* §. II. *n.* 38. Carpzou. *Part. II. Dec.* CCXXXIV.

(gg) *l.* 12. C. *de haeret.*

(h) *l.* 21. C. *ibid. l. vlt. C. de Iudaeis.*

(i) *Can.* 24. *cauſſ.* 2. *qu.* 7.

RVS (k) & HARTM. HARTMANNI (l) cenſent; vt viridem eius obſeruantiam docuerint HARPRECHTVS (m), BERGERVS (n), WERNHERVS (o), & alii (p). Et quamuis ratio, qua nonnulli vtuntur, quod Iudaei leuis notae macula laborent, hodie non amplius publici ſaporis ſit, & leges illae in vniuerſum neſcio quod heterodoxorum odium ſapere quibuſdam videantur, ac proinde Iudaeos a Principe ciuitate donatos, *die Schutz-Iuden*, hoc priuilegio perfrui debere, haud pauci cenſeant (q): nobis tamen religio ſemper fuit, iuris conſtituti cenſores ſine ſuffragio populi agere. Nec odio religionis id ſemper tribuendum, quod princeps iura ſingularia ac priuilegia cum omnibus, religionem dominantem haud profeſſis, non omnino communicet, quum ne Chriſtiani quidem omnes iiſdem in republica priuilegiis beneficiiſque perfrui ſoleant. Et ita ab ampliſſimo Francofurtenſium ICtorum ordine anno MDCCIV. in cauſa Iacob Leuin, *Schutz-Iuden zu Halle contra Hier. Karmhöffern* pronunciatum eſſe, teſtis eſt celeberrimus, quem paullo ante laudauimus, WERNHERVS (r). Nec tamen dubitandum, quin, ſi libro Iudaei aliae praeſumtiones vel adminicula ſuffragentur, ille ceteris paribus ad iusiurandum ſuppletorium recte admittatur, quia iniquum eſſet, pro Chriſtiano pronunciare, quia Chriſtianus ſit, quum Iudaeo, ceteroquin viro bono, parum ac prope nihil ad plenam probationem deſit (s). Et ita Halenſibus ICtis anno MDCCIII. viſum eſſe, eorum reſponſum apud illuſtrem BOEHMERVM (t), collegam Dni Praeſidis olim coniunctiſſimum, oſtendit.

§. XXXII.

Quaeri denique ſolet, an, quae de libris mercatorum dicta ſunt, etiam ad opificum rationes & ephemerides proferenda ſint? Et ſane quum id priuilegium proprie ad mercatores pertineat: (§. XIX.) non video, quomodo alienam poſſeſſionem inuade- *An eadem etiam adplicanda ſint libris opificum?*

(k) Mynſing. *Cent. V. Obſ.* VI.

(l) Hartm. Hartmanni *Tit.* XXIV. *Obſ.* VI.

(m) Harprecht. *Conſult.* XI. *n.* 16. *ſequ.*

(n) Berger. *Elect. Diſcept. For. Tit.* XXII. pag. 721.

(o) Wernh. *Obſ. For. Part.* 1. *Obſ.* CXCIII *pag.* 335.

(p) Roeſner. *de Libris Merc. cap.* XV. §. LXXVIII. Berlich. *lib.* I. *Concl.* LIV. *n.* XXXVII.

(q) Brunnem. *ad l.* 1. *ſequ.* C. *de Iudaeis.* Riuinus *ad Ord. Proc. Sax. Tit.* XVIII. *Enunc.* X.

(r) Wernh. *ibid. n.* 7.

(s) Menoch. *de Arbitr. Iud. Quaeſt. lib.* II. *cap.* CXC. Berlich. *Part.* I. *Concl.* LIV. *n.* LXVII.

(t) Boehmer. *Iur. Eccl. Proteſt. lib.* II. *Tit.* XX. §. IX. *pag.* 1251. *Tom.* I.

re poſſint opifices, qui nec negotiari dicuntur, nec libros tam accurate conficere ſolent, vt requiſita omnia habeant? (§. XIX.) Et ita iudicatum reperio apud ROESNERVM (u). At ſunt tamen, qui opificibus etiam credendum exiſtimant, ſi accepta expenſaque in rationes referant accurate, quia & hi ſine chirographo credere ſoleant (x). (§. XVI.) Nobis diſtinguendum videtur, vtrum opifices ſimul merces ſuas venum exponant publice, & tamquam mercatores credere ſoleant aliis, quod facere ſolent aurifices, textores, fabri aerarii & ferrarii, & alii, an tantum res a ſe elaboratas graeca fide aliis addicant, veluti ſartores, ſutores & ſimiles. Illorum codicibus, modo requiſita praecipua habeant, credendum omnino arbitramur, credique iubent STATVTA HAMBVRGENSIA (y): reliquorum rationes vix ſemiplenam probationem efficere putamus, adeoque ordinaria via probabunt opifices, quod ſibi ab aliis deberi contendunt.

§. XXXIII.

Concluſio exercitationis. At videmus, iam pridem procedere tot plagellas, quot exercitationi huic deſtinaueramus academicae. Plures ſupererant quaeſtiones pulcherrimae, quas expendere conſilium erat, ſi plura caperet extemporalis ſcriptio, neque feſtinare nos iuberent cauſſae quam plurimae. Iis itaque, quae iam addenda erant, alii occaſioni reſeruatis, hic demum reſpicimus portum, & Deo Soſpitatori vota, quae poſſumus, ſoluimus flagrantiſſima.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I.

AB adgreſſore impetitus, ad fugam non obligatur.

II.

Litteratos expellere poſſe opifices, artem cum ſtrepitu facientes, ex *l. vn. C. de ſtud. lib. vrb. Rom. lib. XI.* fruſtra probant.

III.

Seruitutes praediorum ruſticorum in ſolo; vrbanorum in ſuperficie conſiſtere, ex *l. 3. ff. de ſeruit.* non adparet.

IV.

Stipulationem non ſemper produxiſſe condictionem certi vel ex ſtipulatu,

(u) Roeſner. *ibid. cap.* IV. §. XXVII.

(x) Ludouici *Doctr. Pand. lib. XXII. Tit.* IV. §. IX.

(y) *Statuta Hamb. Part. I. Tit. XXX. art. VI.*

ſtipulatu; exemplo ſponſaliorum conſtat. Vid. *l.* 1. *C. de ſponſal. l.* 2. *C. de repud.*

V.

Secundum iuris Romani principia bene haec conſiſtunt: minoribus XXV. annis rei ſuae adminiſtrationem non committi; quamuis bene rem ſuam gerentibus: *l.* 1. §. *vlt. ff. de min.* & inuitos adoleſcentes non accipere curatores. §. 2. *Inſt. de curat.*

VI.

Iusiurandum ſuppletorium magis Gloſſatorum interpretationi, quam legibus Rom. deberi, non abs re ſtatuerunt Duarenus, Donellus, Ant. Matthaei, Huberus, Noodtius.

VII.

Ne in contractibus innominatis quidem hodie locus eſſe poteſt poenitentiae.

DE VSVFRVCTV MATERNO IVRIS GERM. ET MAXIME HAMBURG.

EXERCITATIO XVI.

Σύνοψις.

§. *I. Inſtituti ratio.* §. *II. Partitio diſſertationis.* §. *III. Qualis ſit vſusfructus maternus, de quo agitur? Verba ſtatuti Hamburgenſis.* §. *IV. Iure Romano vetere ne paternus quidem vſusfructus notus erat.* §. *V. Quomodo ille ſenſim inualuerit in bonis liberorum aduentitiis?* §. *VI. Nec non in bonis emancipatorum pro parte dimidia?* §. *VII. Matri nulla iure ciuili in liberos poteſtas, adeoque nec vtroque caſu vſusfructus legitimus competit.* §.

VIII. Ne in bonis quidem liberorum illegitimorum, quod contra illuſtrem Lynkerum oſtenditur. §. *IX. Conſtituitur tamen matri vſusfructus lege ciuili, ſi viro ex Authentica praeterea C. vnde vir & vx. ſuccedit.* §. *X. Nec non in portione, quae occaſione prioris matrimonii ad illam peruenit, ſi iterum nubere conſtituit.* §. *XI. An etiam vſumfructum teſtamento relictum amittat ob ſecundas nuptias?* §. *XII. An vſusfructus maternus ex Auth. praeterea adhuc in vſu ſit?* §. *XIII. An vſusfructus, in pœnam ſecundarum nuptiarum conſtitutus, in Germania receptus?* §. *XIV. Vſusfructus maternus iuris Germanici quomodo ab eo, qui ex iure Rom. deſcendit, differat?* §. *XV. Eum origine Germanicum eſſe, demonſtratur ex iure Wiſigothico.* §. *XVI. Et Burgundico.* §. *XVII. Item ex lege Baiuuariorum.* §. *XVIII. Obtinet hic vſusfructus maternus in Gallia, Belgio, Suecia.* §. *XIX. In Sueuia, & Franconia.* §. *XX. Coloniae, Bremae, in ciuitate & tractu Mindenſi, in Weſtphalia reliqua, Suſati, Lubecae, Luneburgi & in Pruſſia.* §. *XXI. Olim & in Saxonia electorali.* §. *XXII. Carpzouii & Richteri de hac re controuerſia.* §. *XXIII. Soluuntur Carpzouii argumenta.* §. *XXIV. In reliqua Saxonia paſſim eius vſusfructus veſtigia occurrunt.* §. *XXV. Fundamentum huius vſusfructus an quaerendum in tutela materna? an in praemio educationis? an in ſola communione bonorum?* §. *XXVI. Verum eius fundamentum eſt materna poteſtas in liberos, & , quae inde fluit, arctiſſima inter coniuges communio.* §. *XXVII. Haec & mortuo alterutro coniuge continuatur.* §. *XXVIII. Mater vſufructuaria debet tempore mortis mariti in iuſto matrimonio vixiſſe.* §. *XXIX. Superſtites debent eſſe liberi legitimi. Quid ſi tales non exſtent?* §. *XXX. Quid ſi exſtent, ſed iam ſeparati?* §. *XXXI. Non vtitur fruitur mater, niſi ſit frugi.* §. *XXXII. Fructus vero percipit iure vſufructuario.* §. *XXXIII. Et quidem omnes, nec ſolum alimenta.* §. *XXXIV. Hinc tenetur ad conficiendum inuentarium.* §. *XXXV. An in eo & reliqua liberorum bona aduentitia recenſenda ſint?* §. *XXXVI. An mater & cautionem vſufructuariam praeſtet? An poſſit alienare?* §. *XXXVII. An rationes reddat?* §. *XXXVIII. An aes alienum ſoluat?* §. *XXXIX. Tenetur alere & educare liberos. Eoſdemque elocare.* §. *XL. Finitur vſusfructus hic morte, & abuſu.* §. *XLI. Itemque ſeparatione liberorum vel voluntaria, vel neceſſaria ob ſecundas nuptias.* §. *XLII. Quomodo tunc fiat bonorum diuiſio?* §. *XLIII. Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Digitized by Google

§. I.

INſtituenti mihi de VSVFRVCTV MATERNO, cum alibi paſſim in Germania, tum & Hamburgi, iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus recepto, paullo accuratius diſſerere, ſeuerior iſta cogitatio, in pulcherrimo argumento vnice aliquamdiu defixa, peropportune in memoriam reuocauit, quod grauiter ſapienterque ſuo more monuit iureconſultus eximius, CASP. ZIEGLERVS (a), dum in doctores ſui aeui, ſoli iuri Romano, tamquam glebae, adſcriptos inuectus: *Ni fallor*, inquit, *ſaeculi noſtri haec labes eſt, quod in academiis ad leges Romanas ita adſueſieri cogantur iuuenes, vt in omni controuerſia, etiam vbi inter ſummos principes lis vertitur, non aliunde deciſionem petendam credere oporteat, quam ex iure Romanorum, & legibus, iſti vni reipublicae accommodatis. Fac mihi iam talem reip. admoueri, & de lege condenda deliberationem inſtitui: ſubnixo ille animo leges, quas didicit, ad nauſeam euomet, & Romanorum inſtituta, vt τεμένων ἱερῶν obſeruabit, nec admittet, legem nouam aliter ſcribi. Sic igitur v. g. effectus omnes* PATRIAE POTESTATIS, *moribus Romanis introductae*, MATRI *denegabit, quia ſcilicet matrem liberos in poteſtate habere noluit reſpublica Romana. At vero non amplius inter Romanos ſcribere oportuit legem, ſed inter eos populos, qui ductum naturae ſequuti, vtrique parenti eamdem deferunt poteſtatem, idem imperium, niſi quod in contentione imperiorum primas deferunt patri.* Qua viri cordatiſſimi admonitione nihil eſſe arbitramur verius, nihil vtilius. Quamuis enim iis, qui prima iuriſprudentiae tirocinia in academiis ponunt, in eo vel maxime videatur elaborandum, vt iuris communis praecepta omnia, quoad eius fieri poteſt, quam accuratiſſime percepta habeant: non tamen ideo ius patrium in rerum futilium, aut, vt IVSTINIANI (b) verbis vtamur, in *antiquatum fabularum* numero habendum, altoque deſpiciendum eſt ſupercilio. Multae enim paſſim non modo in foris, ſed & in legibus ac ſtatutis Germanorum, ſuperſunt iuris antiqui Germanici reliquiae (c), nec iura Romana, ex quo ſe in Germaniam penetrarunt, ita vmquam offecerunt iuris Germanici lumi-

Inſtituti ratio.

(a) Ziegler. *in praefat. Notar. & Animadu. ad Hug. Grot. Ius belli & pacis.*

(b) §. 3. *prooem. Inſtit.*

(c) Hert. *de Conſultat. leg. & iudic. in ſpecial. imper. Rom. Germ. rebusp. §. XV. pag.* 432. Schilter. *Exerc. II. §. XIV. & Exerc. XII. §. XI.*

luminibus, nihil vt vſquam priſci ac ſinceri moris amplius occurrere exiſtimandum ſit. Eſt, vbi maiorum inſtituta incorrupta ſeruantur. Eſt, vbi naturalem rationem Quiritium ſubtilitatibus & rubricae Maſurii praeferimus, neque vlla fere prouincia aut ciuitas Romanorum legibus tam obnoxia, ac, vt ita dicamus, in prouinciae formam redacta eſt, vt iuri patrio plane dederit repudium, nec vlla eius vſquam adpareant veſtigia. Haec inſtitutorum patriorum λείψανα quicumque negligunt, contemnunt, & ſine periculo ignorari autumant, nae illi non ſolum in patria hoſpites, ſed & obiurgatione illa, qua Q. Mucius Scaeuola Ser. Sulpicium, teſte SEX. POMPONIO (d), a puluere ac radio ad ſublimiora ciuilis ſapientiae ſtudia excitauit, videntur digniſſimi. Quid enim turpius eſſe dixeris homini Germano, & reip. deſtinato, & fortaſſis cauſſas acturo, quam *ius, in quo verſandum ſit, ignorare*?

§. II.

Partitio diſſertationis.

Ne igitur, quod plerumque fieri animaduertimus, in explicando hoc iuris Germanici capite, diuerſa miſcentes iura, neſcio quid inſulſi atque inſipidi lectori adponere velle videamur: rationes noſtras ita componemus, vt *primum*, qualis ſit ille vſusfructus maternus, & an in iure etiam Romano reperiat praeſidium, *deinde*, quae eiuſdem vera origo & cauſſa ſit, ac *denique*, quid circa illum ſecundum iura patria, ac Hamburgenſia maxime, iuſtum ſit, diſtincte explicemus. Quemadmodum enim diuerſi Romanis Germaniſque fuerunt reipublicae fines, diuerſae ciuitatum formae, diuerſiſſima denique vtriuſque populi ingenia: ita fieri non potuit, quin diuerſa plane principia habuerint ob oculos, ad quae leges ſuas atque inſtituta attemperarint. Quum vero, quae ex principiis diſcrepantibus proficiſcuntur, ſe inuicem non explicent, adeoque ratio procul dubio fugiat omnes, qui ob iuris pontificii auctoritatem (e) cum HARTM. PISTORIS (f), AND. GAILIO (g), BEN. CARPZOVIO (h), aliiſque ſuperiorum ſaeculorum doctoribus, ſtatuta Germanorum ex iure communi non modo interpretanda, ſed coercenda etiam ac reſtringenda eſſe, contendunt (i): faciendum nobis putauimus, vt comparato inter ſe iure

(d) L. 2. §. 43. *ff. de orig. iur.*
(e) *Cap.* 3. *X. de verb. ſignif.*
(f) Hartm. Piſtor. *Part. I. Quaeſt. XVI. n.* 13. & 15.
(g) Gail. *lib.* I. *Obſ. L. n.* VIII.
(h) Carpzou. *Part. III. Conſt. XX. Def. X. n.* 5. *ſequ.*
(i) Hartm. Piſtor. *Part. I. Quaeſt. XXXI. n.* 29. Conrad. Sincer. *vel* Kulpiſ. *in Diſſert. Epiſtol. de Germ. leg. orig. & auctorit.* §. *LI. LII. & LIII.*

Digitized by Google

iure Romano ac Germanico, rem omnem non ex peregrinis, ſed domeſticis principiis explicaremus. Faxit Deus feliciter!

§. III.

Qualis ſit vſusfructus maternus, de quo agitur?

Vt itaque ab ouo ordiamur, inter omnes putamus conſtare; in multis Germaniae prouinciis ac ciuitatibus inoleuiſſe conſuetudinem, non modo tacito ciuium conſenſu inuectam, verum etiam legum ſtatutorumque auctoritate firmatam, vt, ſi patri humani quid acciderit, mater ſuperſtes bona a defuncto relicta aeque ac ſua adminiſtret, liberos communes inde alat, adultos, prout familiae dignitas ac conditio exigere videtur, elocet, nec tamen ad erciſcundam familiam reddendaſque rationes obſtricta ſit, quamdiu in alterius viri torum non conceſſerit. Et hic ipſe eſt vſusfructus ille maternus, de quo acturi ſumus, quemque fortaſſis luculentius deſcribere non poſſemus, quam verbis STATVTI HAMBVRGENSIS (k), vel ideo hic omnino non praetermittendis, quod in eorum interpretatione in primis exercere induſtriam conſtituimus. Ita autem ſeſe habet illa ſanctio: *Wann auch der Mann Todes verfahren, und ſeine Ehefrau ſamt einem oder mehr Kindern, ſo ſie von ihm getragen, nachlaſſen vvürde, ſo lange dieſelbe bleibet unverehlichet, und vvohl Haus hält, iſt ſie nicht ſchuldig mit ihren Kindern zu theilen. Iedoch iſt ſie denſelben nothvvendige* alimenta, *ſo vvohl auch, vvann es die Zeit und ihre Iahre erfordern, ein billiges Heurath-Gut und Ausſteuer, Geſtalt und Gelegenheit der Güter nach, zu geben verpflichtet.* Qualia quum paullo ante (l) etiam de patre iiſdem propemodum verbis ſancita legamus: facile adparet, ciues meos parem ea in re vtriuſque parentis conditionem eſſe voluiſſe, conceſſo quippe alterutri ſuperſtiti bonorum omnium vſufructu, modo eſſet frugi, viduitatemque ſecundis praeferre nuptiis ſtatuiſſet.

Verba ſtatuti Hamburgenſis.

§. IV.

Iure Romano vetere ne paternus quidem vſusfructus notus erat.

Iam vſumfructum maternum talem, qualem eum ſuperiore paragrapho deſcripſimus, iure Romano incognitum eſſe, facile vnuſquiſque intelligit, ſiquidem ne paternus quidem in bonis liberorum aduentitiis iure antiquo obtinebat. Romulus initio reip. liberos ita ſubiecerat poteſtati patris, vt huic ius vitae & necis in eos eſſet (m), omniaque ei indiſtincte a liberis adquirerentur.

(k) *Statut. Hamb. Part. III. Tit. III. art. V.*

(l) *Ibid. art. III.*

(m) Dionyſ. Halic. *Antiqu. Rom. lib. II. cap. XXVII. ſequ.*

tur (n). Ea *lex regia* (o), pulſis regibus, cum aliis *moribus* patriis (p) in duodecim tabulas migrauit (q), & patribus integra atque illibata manſit, quamdiu ſua reipublicae conſtitit libertas. Itaque non multo melior erat liberorum, quam ſeruorum, conditio, nec inconcinne, quod ad ius vetus attinet, ſcribebat LACTANTIVS (r): *Idem* SERVVS *eſt, qui & filius: idem* DOMINVS, *qui & pater.* Quibus ſimilia ſunt, quae apud M. SENECAM (s), SERVIVM, Virgilii Scholiaſten (t), & praecipue apud LIBANIVM (u) & SEX. EMPIRICVM (x) leguntur, quorum ille patres κυρίους τῶν παίδων, οὐχ ἧττον, ἢ τῶν οἰκετῶν, *dominos liberorum non minus, quam ſeruorum* eſſe; hic autem τὸν Ῥωμαίων νομοθέτην τοὺς παῖδας ὑποχειρίους καὶ δούλους τῶν πατέρων κελεῦσαι εἶναι, *Romanorum legiſlatores liberos patribus obnoxios, ac ſeruorum loco eſſe iuſſiſſe*, ſcribit. Nimirum liberi, iure iſto vetere, vti recte vidit CVIACIVS (y), erant *in proprietate*, vel vti V. A. CORN. VAN BYNKERSHOEK (z) demonſtrauit, in *dominio Quiritario* patris (a), aeque ac ſerui. Quemadmodum ergo hi THEOPHILO (b) ἀπρόσωποι; & CASSIODORO (c) *perſonam legibus non habere* dicuntur: ita idem dicendum videbatur de liberis (d), qui tantum abeſt, vt ratione patris perſonae haberentur, vt vel ob hanc ipſam cauſſam in negotiis priuatis vna cum patre perſona eſſe cenſerentur, ex notiſſimis iuriſprudentiae noſtrae principiis (e). Ex eo autem conſequebatur, vt patri vſusfructus in bonis liberorum nullus competere poſſet. Vſusfructus enim eſt ius vtendi fruendi *rebus alienis.* Quidquid vero erat in liberorum peculio, ratione patris non erat res aliena, quoniam filius cum patre vna perſona cenſebatur. Vnde nec vſufructu in eo gaudebat, ſed proprietate ac dominio. Quare, durante poteſtate patria, patri τὰ χρήματα καὶ τὰ σώματα τῶν παίδων,

(n) §. 1. *Inſt. per quas perſ. cuiq. adqu.*

(o) *Collat. Moſ. & Rom. leg. tit.* IV. §. VIII.

(p) *l. 8. ff. de his, qui ſui vel al iur. ſunt.*

(q) Dionyſ. Halic. *ibid.* Iac. Gothofred. *ad* XII. *Tab. p.* 101.

(r) Lactant. *Diu. Inſtit. lib.* IV. *cap.* III. *comm.* 17.]

(s) Seneca *Controu.* III. 9.

(t) Seru. *ad Virgil. Aen. lib.* XI. *v.* 143.

(u) Liban. *Delamat.* XVII.

(x) Sex. Empir. *Pyrrhon. Hypot. lib.* III.

(y) Cuiac. *Paratitl. Cod. lib.* VIII. *Tit.* XLVII.

(z) Corn. van Bynkersh. *de Iure occidendi lib. p.* 145.

(a) *l.* 1. §. 2. *ff. de rei vindic.*

(b) Theoph. *Paraphr. princ. Inſt. de ſtipul. ſeru.*

(c) Caſſiod. *Var. lib. VI. cap.* VIII.

(d) Merill. *Obſeru. lib.* III. *cap.* IV.

(e) *l.* 130. *ff. de verb. oblig. l. vlt. C. de impub. & al. ſubſtitut.*

παίδων, ὅτι βούλονται διατιθέναι, τοῖς πατράσιν ἀποδίδωσιν ὁ νόμος, *& pecunias & corpora liberorum ad eorum arbitrium tradiderat lex* Romuli (f), adeo vt apud ARRIANVM (g) id vel maxime ad officium filiifamilias pertinere dicat EPICTETVS: πάντα αὐτοῦ ἡγεῖσθαι τοῦ πατρὸς, *omnia quae habet, patris eſſe putare.*

§. V.

At, quemadmodum, mutata republica, multa ſimul iuris antiqui capita mutari coeperunt: ita & patris adquaeſtui ac vniuerſae *maieſtati patriae*, vti a VALERIO MAXIMO (h) & QVINCTILIANO (i) adpellatur, nimium quantum derogarunt Principes, inuento primum peculio caſtrenſi, ac denique quaſi caſtrenſi, cuius vtriuſque hiſtoriam eleganter expoſuit M. AVREL. GALVANVS (k). Vtrumque enim peculium tam a rationibus paternis ſeiunctum eſſe iuſſerant, vt filius in illis pro patrefamilias haberetur, libereque de iis inter viuos mortiſque cauſſa diſponeret (l). Haec omnia iam ſaeculo Chriſtiano primo & ſequente ita obſeruata eſſe, ex IVVENALE (m) ipſoque VLPIANO (n) ſatis conſtat, vt fruſtra ſint, qui peculii quaſi caſtrenſis originem ad THEODOSIVM IVNIOREM referunt. Iam igitur rerum a liberis adquiſitarum aliquae quidem exemtae erant patris dominio: nec tamen quiſquam adhuc ſomniauerat de vſufructu paterno, quamuis iam pridem peculium paganum in profectitium & aduentitium diuidi coepiſſe, recte obſeruarint GER. NOODT (o), & M. AVR. GALVANVS (p). ἀσύστατα enim ac contradictoria videbantur, filiumfamilias in peculio aduentitio pro patrefamilias non haberi, & patrem tamen eo peculio vti frui, tamquam re aliena. At quantumuis hic vſusfructus iuris antiqui principiis aduerſaretur: primus tamen illum in bonis maternis inuexit CONSTANTINVS MAGNVS (q). Deinde GRATIANVS, THEODOSIVS & VALENTINIANVS AAA. (r)

Quomodo ille ſenſim inualuerit in bonis liberorum aduentitiis?

(f) Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. lib.* VIII.

(g) Arrian. *Diſſert. Epictet. lib.* II. *cap.* X.

(h) Valer. Max. *lib.* VII. *cap.* VII. §. 5.

(i) Quinctilian. *Declam.* CCCLXXV.

(k) Galuan. *de vſufruct. cap.* VII. §. VIII. *ſequ. p.* 56.

(l) *Princ. inſt. per quas perſ. cuiqu. adquiritur.*

(m) Iuuenal. *Sat.* XVI. *v.* 52. *ſequ.*

(n) *l.* 3. §. 5. *ff. de bon. poſſeſſ. l.* 1. §. 15. *ff. de collat. bon. l.* 1. §. 6. *ad SC. Trebell. l.* 7. §. *vlt. ff. de donat.*

(o) Noodt *de Vſufructu lib.* II. *cap.* IV. *p.* 451. *Tomo* I. *Op.*

(p) Galuan. *de vſufr. cap.* VII. §. X. *p.* 57.

(q) L. 1. C. *de bon. mat. l.* 1. C. *Theod.*

(r) L. 6. & 7. C. *Theod.* & *l.* 2. C. *eod.*

eiuſdem iuris eſſe voluerunt reliqua materni generis bona, nec non lucra nuptialia (s). Tum porro LEO & ANTHEMIVS AA. (t) ſanctionem illam ad lucra ſponſalitia; ac IVSTINIANVS (u) denique ad vniuerſa liberorum bona, quae non a patre, ſed aliunde ad eos peruenerint, porrexerunt, ita, vt in his omnibus patri tantum vſusfructus, liberis proprietas concederetur, niſi certis quibuſdam caſibus, quos doctores ad peculium aduentitium irregulare vel extraordinarium referunt, in quibus plena eſt penes liberos proprietas aeque, ac in caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi peculio, niſi quod in illis pro patribusfamilias non habentur, adeoque nec teſtamentum iure condunt (x).

§. VI.

Nec non in bonis emancipatorum pro parte dimidia?

Ex quo ſemel a vetere illa iuris regula diſceſſum, alter etiam auditus eſt vſusfructus, quem leges patri in bonis liberorum emancipatorum conſtituebant. Iure enim vetere, dimiſſo ex poteſtate filio, pater totum iſtud peculium, ſibi iam tum adquiſitum retinebat (y), nec quidquam perueniebat ad filium, niſi quod ei pater vltro donabat (z). At inualeſcente paullatim vſufructu in bonis liberorum aduentitiis, id abſurdum naſcebatur, vt patri in bonis liberorum, ſoluta poteſtate, plus iuris eſſet, quam ea adhuc durante. Quum enim ante emancipationem bonis aduentitiis tantum vti frui poſſet, poſt eamdem ea ſibi vniuerſa iure proprietatis vindicabat. Quod animaduertens CONSTANTINVS M. (a) propoſito edicto ſanxit, vt pater emancipans filium tertia bonorum aduentitiorum parte, tamquam praemio emancipationis ſibi retenta, dodrantem emancipato daret. Quamuis vero ita quodammodo emollitus putaretur iuris antiqui rigor: tamen & haec trientis bonorum iactura paullo iniquior viſa eſt IVSTINIANO (b), qui lege illa CONSTANTINI, vt iam ANT. CONTIVS (c) obſeruauit, mire interpolata, patri emancipanti loco proprietatis in triente, vſumfructum ſemiſſis conſtituit, ad dies vitae percipiendum, niſi illud legis beneficium vltro ac ſpeciatim repudiaſſet. Et talis eſt iure Romano vſusfructus paternus, cuius rationem ac indolem vel ideo hic paullo plenius exponere viſum eſt, quod eam vulgo ſatis perfunctorie

(s) *l. vn. C. Theod. de bon. quae filiisf.* *l.* 1. *C. de bon. quae lib.*

(t) L. 5. C. *eod.*

(u) L. 6. *C. de bon. quae lib. &* §. 1. *Inſt. per quas perſ. cuiq. adquir.*

(x) Galuan. *ibid.* C. IX. §. IX. *p.* 78.

(y) L. 1. *pr. ff. quand. de pecul. act. annal.*

(z) L. 31. §. 2. *ff. de donat.*

(a) L. 1. *l.* 2. C. *Theod. de bon. matern.*

(b) Ant. Cont. *Var. Lect. lib.* I. *cap.* IX.

(c) *l.* 6. §. 3. *C. de bon. quae lib.* §. 3. *Inſt. per quas perſ. cuiqu. adquir.*

Digitized by Google

rie tum in ſcholis iuridicis, tum in compendiis ac ſyſtematibus iuriſprudentiae tradi, animaduertimus.

§. VII.

Matrinulla iure ciuili in liberos poteſtas, adeoque nec vtroque caſu vſusfructus legitimus competit.

Iam facile eſt ad exiſtimandum, haec omnia nihil attinuiſſe ad matrem, neque ei ſecundum ius Romanum vllum vſumfructum competere potuiſſe in bonis liberorum aduentitiis. Pater enim illo gaudebat vi patriae poteſtatis, eaque finita, vel ipſa priſtini illius imperii memoria ius illi quoddam in liberorum bonis dare videbatur. At mater, quantumuis iure gentium parem in liberos poteſtatem habeat cum patre, niſi quod huic in contentione imperiorum primas concedere ipſa recta ratio videatur (d): apud Romanos tamen nullum plane in liberos exercebat imperium, quippe quod ſoli patri leges detulerant. Hinc *pietatem* quidem *aequam, paremque venerationem vtrique parenti, quantumuis inaequalis eſſet eorum poteſtas*, praeſtari iubebant Romani (e): at poteſtas non cadebat in matrem, quia haec iure veteri, vti GELLIVS (f) & VLPIANVS (g) obſeruant, ſimul ac conuenerat in manum, ipſa in poteſtatem viri redigebatur, eique filiae familias, ſuaeque heredis loco erat; iuris autem expeditiſſimi videbatur, eum, qui in poteſtate eſt, alium in poteſtate habere non poſſe (h). Quum itaque liberi, quod ad matrem attinet, ſint ſui iuris, nec exoleſcente licet in manum conuentione, matrem in ſocietatem imperii paterni vmquam admiſerint Romani: conſequens ſane erat, vt nec liberi ratione illius peculium habere intelligerentur, nec mater quidquam ſibi in eo lucri iure vindicaret. Quin tantum abeſt, vt viuis liberis materno iure quidquam in eorum bonis adquirerent, vt, ne mortuis quidem illis, lex vel Praetor eas ad luctuoſam liberorum hereditatem vocaret ante sc. TERTVLLIANVM (i), nec ante sc. ORPHITIANVM liberi matri ſuccederent (k), niſi certis quibuſdam caſibus, quos ex interiore iuriſprudentia erudite ſuo more explicauit V. C. ANT. SCHVLTINGIVS (l).

§. VIII.

Ne in bonis qui-

Moueri ſolet quaeſtio, an non matri ſaltim in bonis ſobolis vulgo

(d) Grot. *de iure belli & pac. lib.* II. *cap.* V. *n.* 1.

(e) L. 4. *ff. de curat. furioſ. l.* 1. *§.* 1. *ff. de obſequ. par. & patron.*

(f) Gell. *lib.* XVIII. *cap.* VI.

(g) *Pariat. leg. Moſ. & Rom. tit.* XVI. Vlp. *Fragm. tit.* XXII. §. XVI.

(h) L. 21. *pr. ff. ad leg. Iul. de adult.*

(i) *pr. Inſt. de SC. Tertull.* Vlp. *Fragm. Tit.* XXVI. §. VIII.

(k) Idem *ibid.* §. VII. *pr. Inſt. de SC. Orphit.*

(l) Ant. Schulting. *Iuriſpr. vet. ant. Iuſtinian. p.* 668.

dem liberorum illegitimorum, quod contra illuſtrem Lynkerum oſtenditur.

go quaeſitae vſusfructus competat? Eam adfirmat, ſed ſubtimide tamen, vir illuſtris, NIC. LIB. BARO DE LYNKER (m), qui, quum adhuc Ienenſem academiam doctrina ſua illuſtraret, *de matris poteſtate in liberos* ſingularem diſſertationem edidit, ita tamen conſcriptam, vt nullam paene rationem habuerit iuris Germanici. In illa diſſertatione ad hanc quaeſtionem delatus: *Hoc*, inquit, *de iure naturali, quin & de* IVRE CIVILI, *(quanquam hoc ſolum, in quantum ad onera educationis opus eſt,) adſirmandum videtur.* Sed cur id adfirmandum videretur, quum nec vſusfructus in bonis aduentitiis ex iure naturali proficiſcatur, nec vlla lex eum matri ſpurii addicat? *Quia*, inquit, *haec mater filium alere & educare cogitur, aequum eſt, vt inde ei onera & labores reſarciantur:* quam aequitatem deinde demonſtrat ex *l.* 10. *ff. de diuerſ. reg. iur.* Atqui vſusfructus legitimi in bonis liberorum aduentitiis fundamentum non ſane eſt onus educationis atque alimentorum: (ita enim & mater liberorum legitimorum, quin & auus maternus nepotum bonis vti frui deberent, ſi forte ob patris matriſue mortem in eos hoc alendi onus deuolueretur,) (n) ſed patria poteſtas. Diſerte enim ait IVSTINIANVS (o): *Eorum vſusfructus apud patrem vel auum, vel proauum*, QVORVM IN SACRIS SIT CONSTITVTVS, *permaneat.* In *ſacris* autem eſſe, eſt in poteſtate eſſe (p), quemadmodum *a ſacris paternis abſolui remittive* idem ac emancipari (q), *in familiam & ſacra tranſire* idem ac adoptari (r). Semper ergo μέθεξις illa ſacrorum inuoluebat poteſtatem, & talem quidem, quae in matrem non cadebat. Nec mouemur ergo argumento ex *l.* 10. *ff. de diu. reg. iur.* petito. Quamuis enim quodammodo *ſecundum naturam ſit, commoda cuiuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda*; recte tamen iureconſultus eximius, IAC. GOTHOFREDVS (s) monuit, in vnitis & connexis obtinere hanc regulam, veluti in contractibus (t), tutelis (u), rerum adquiſitionibus (x), cauſſis teſtamen-

(m) Lyncker *Diſſ. de matr. poteſt. in lib. XV. p.* 19.

(n) L. 5. §. 4. 5. *ff. de agnoſc. & alend. lib.*

(o) L. 6. *pr. C. de bon. quae lib.*

(p) L. *vlt. C. de inoff. teſt. l. vlt. C. de curat. fur. l. vlt. C. de SC. Tertull. l.* 2. *C. de ſuis & legit. Add.* Briſſon. *de verb. ſignif. lib.* XVII. *pag.* 1814.

(q) *l.* 1. §. *vlt. ff. de ann. except. l.* 32. *C. de fideic. l.* 11. *C. de collat.*

(r) Valer. Max. *lib.* VII. *cap.* VII.

(s) Iac. Gothofr. *in Comment. ad l.* 10. *D. de reg. iur. p.* 60.

(t) §. 3. *Inſt. de emt. l.* 7. *ff. de peric. & comm. rei vend.* L. 1. *C. eod. l.* 29. §. 1. *ff. pro ſoc.*

(u) *l.* 73. *pr. ff. de reg. iur.*

(x) §. 4. *Inſt. de rer. diuiſ. l.* 1. *ff. de aqu. & aqu. pluu. l.* 2. *C. de alim.*

Digitized by

ſtamentariis & ſucceſſionibus (y), & ſimilibus, non in iis, quae ex diuerſo plane fonte promanant, veluti in noſtra ſpecie, vbi onus alendi ſpurios ex ipſo iure naturali, vſusfructus legitimus in liberorum bonis ex iure ciuili Romanorum proficiſcitur. Sed demum ipſe vir illuſtris fatetur, matrem quidem ſpurios in poteſtate habere, at poteſtatem illam analogam tantum nec plenam eſſe, quod iam initio iſtius diſſertationis (z) argumento non vno adſtruxerat. At rectius dixiſſet, iure ciuili poteſtatem illam plane nullam eſſe. Tametſi enim CELSVS (a) *vulgo quaeſitum matrem ſequi*, & VLPIANVS (b) hanc plane *legem naturae eſſe* dicat: poteſtatem tamen matri in ſpurios numquam tribuunt leges, vt adeo recte obſeruatum ſit a GABR. PALAEOTO (c), ſpurios nullius familiae eſſe cenſendos: non patris, quod ab eo alieni habeantur (d), nec matris, quia ea familiae ſuae caput ſit & finis (e), adeoque neminem in familia ſua, nedum in poteſtate habere poſſit.

§. IX.

Conſtituitur tamen matri vſusfructus lege ciuili, ſi viro ex Authentica praeterea C. vnde vir & vx. ſuccedit.

Enimuero, quamuis eo iure, quo pater, vſumfructum in peculio liberorum mater non haberet: erant tamen duo alii caſus, quibus ex alia plane ratione matrem vti frui quibuſdam liberorum bonis volebant legislatores. Primo enim a IVSTINIANO (f) cautum eſt, vt, ſi coniux ſuperſtes inopia laboret, defunctus autem opulentior fuerit, ille, concurrentibus tribus vel paucioribus heredibus, quartam; ſin plures exſtent heredes, virilem portionem caperet, idque iure proprietatis, ſi extranei; iure vſufructuario autem, ſi liberi hereditatem ſortirentur. Atque ita contingere omnino poteſt, vt mater vſufructu in quadam bonorum parte, quod ad proprietatem ad liberos pertinentium, ex lege gaudeat. Id cur a IVSTINIANO inuentum ſit, non adeo obſcurum videtur. Coniugibus enim ſuperſtitibus nec anteriores leges, nec praetor ita conſuluerant, quemadmodum id requirere videbatur neceſſitudo, quae inter tori ſocios intercedit, arctiſſima. Equidem ex legibus antiquis vir vxoris bona omnia dotis nomine accipiebat, teſte CICERONE (g). Nec hereditatis a marito relictae exſors eſſe poterat

 vxor,

(y) L. 1. *ff. de bon. poſſeſſ. l.* 15. *ff. de collat.*

(z) Lynker. *Diſſert. ead.* §. *V. p.* 6.

(a) L. 19. *ff. de ſtatu hom.*

(b) *L.* 24. *ff. eod.*

(c) Gabr. Palaeot. *de Nothis ſpuriiſque fil. cap.* LIX. §. *V. p.* 304.

(d) *L.* 23. *ff. de ſtatu hom.*

(e) L. 195. §. *vlt. ff. de verb. ſign. & ibi* Io. Goedd. *in Comment. p.* 1131. *ſequ.*

(f) *Nov. CXVII. cap. V. Auth. praeterea C. vnde vir & vx.*

(g) Cic. *Topic. ad Trebat. cap.* IV.

vxor, quae, vti iam ſupra vidimus, inter heredes ſuos, tanquam filiafamilias, cenſebatur (h). At vtrique iuri tunc demum erat locus, quando vxor in manum conuenerat. Tunc enim erat κοινωνὸς ἁπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν, *particeps omnium bonorum ſacrorumque*, vti loquitur DIONYSIVS (i). Exoleſcente itaque paullatim in manum conuentione, nulla amplius prodita erat coniugum inter ſe ſucceſſio. Eius enim fundamentum non aliud erat, quam ius familiae, & illa veluti συνδεσποτεία, quae ſuis heredibus primum, ac deinde agnatis, competere videbatur (k). Et quamuis praetor poſt legitimos etiam cognatos ad bonorum poſſeſſionem vocaret: nec id tamen vtilitatem aliquam adferebat vxori, quae marito ne adfinitatis quidem, nedum cognationis, vinculo iungitur (l). Idem praetor & coniugibus profuturus, iis poſt liberos, legitimos, cognatos, familiam patroni, patronum patronamue aut eorum liberos ſexto gradu bonorum poſſeſſionem promiſerat edicto VNDE VIR ET VXOR, modo inter eos matrimonium legitimum tempore mortis conſtitiſſet (m). Aſt quam raro, quaeſo, contigiſſe credibile eſt, vt illi omnes, quibus coniuges poſtpoſuerat praetor, vel non exſiſterent, vel bonorum poſſeſſionem, edicto ſibi tam benigne oblatam, agnoſcere nollent? Hinc melius viro & vxori proſpecturus IVSTINIANVS coniugem egenum tunc quoque ad praemortui ſucceſſionem pro parte admiſit, quando alii heredes legitimi aderant, ita tamen, vt ſi liberi concurrerent, coniux, vſufructu contentus, proprietatem illis interuertere nullo modo poſſet.

§. X.

Nec non in portione, quae occaſione prioris matrimonii ad illam peruenit, ſi iterum nubere conſtituit.

Prius, de quo hactenus actum, vſusfructus materni genus ex commiſeratione quadam proficiſcitur: ſequitur iam alterum, quod leges non tamquam inſigne aliquod beneficium, ſed tamquam poenam ſecundarum nuptiarum vtrique coniugi conſtituerunt. Quum enim plerumque tunc eueniat, quod ſcribit AMBROSIVS (n), *vt, mutato concubitu, parentes a ſobole deprauentur, & praeferant liberos poſterioris copulae, prioris autem negligant*; hinc gentibus pleriſque, adeoque & Romanis odio dignae videbantur ſecundae nuptiae. Sicuti ergo Graeci celebrabant ἄνδρας κουριδίους (o), vel παρθενικοὺς,

(h) Vlpian. *Fragm. Tit.* XXII. §. XVI.

(i) Dionyſ. Halic. *lib.* II. *Antiqu. Rom. p.* 95.

(k) Corn. van Bynkerſh. *Obſ. lib.* II. *cap.* I.

(l) *L.* 4. §. 3. *ff. de grad. & cogn. l.* 5. *C. de her. inſt.*

(m) Vlpian. *Fragm. Tit.* XXVIII. §. VII. iuncto §. 3. *Inſt. de bon. poſſeſſ.*

(n) Ambroſ. *in Hexaëm. VI.*

(o) Gruter. *Inſcr. p. MCXLVI.* 7. Coint. *Paralip. Homeri v.* 155.

θενικὸς, quo vocabulo & LXX. Scripturae interpretes vſos reperio (p); eodemque exemplo Romani ſummis laudibus proſequebantur MARITOS PRIMIGENIOS (q), VIRGINIOS (r), quin & VXORES VIRGINIAS (s), quae vſurpare poterant verba Didonis apud VIRGILIVM (t):

Ille meos, primus qui me ſibi iunxit, amores
Abſtulit. Ille habeat ſecum, ſeruetque ſepulcro:

ita odio exiſtimabant digniſſimos, qui taedas ferales in amiſſi coniugis rogo accenderent, & ad ſecunda vota inaupiſcato proruerent. Inprimis vero viduas alterius viri thalamum conſcendentes omnes auerſabantur (u), de iiſque ſaepiſſime vſurpabant illud EVRIPIDIS (uu):

Ἀπέπτυσ' αὐτὴν, ἥτις ἄνδρα τὸν πάρος
Καινοῖσι λέκτροις ἀποβαλοῦσ' ἄλλον φιλεῖ.

Ego autem abominor eam, quae, priorem virum
Quum amiſerit, nouis connubiis alium amat.

Quum ergo antiquiſſima illa de ſecundis nuptiis opinio, inualeſcente in orbe Romano Chriſtiana religione, etiam theologorum, quos patres vocamus, animis penitus inſediſſet, ceu, ſuo more, praeclare demonſtrauit vir clariſſimus, mihique ob ſingularia, quibus hoſpitem atque auditorem in illuſtri Groeningana ornauit, beneficia numquam ſine laude ac iucunda priſtini conuictus recordatione nominandus, IOANNES BARBEYRACIVS (xx); non mirum profecto eſt, etiam principes Chriſtianos, his principiis imbutos, parum fauiſſe ſecundis nuptiis, deque iis coërcendis, aut conſeruando ſaltim liberis prioris matrimonii peculio patrimonioue, ſerio cogitaſſe. Hinc primum THEODOSIVS M. (x) ac deinde HONORIVS ac THEODOSIVS iunior (y) lege edictali ſanxerunt, vt mater, quae a liberis nupſerit, in bonis a priore marito, vel vno filiorum filiarumue ex priore matrimonio acceptis, amiſſa proprietate, tantum

(p) *Ioel. I. 8.*

(q) Reyneſ. *Inſcript. Claſſ. XIV. 3.*

(r) Grut. *ibid. p. MCXLIII. 3. & p. MLX. 4.*

(s) Gruter. *ibid. p. DCCCCXXII. 8. p. DCCCXIX. 7. p. DCCCXXXVI. 2.*

(t) Virgil. *Aeneid. Lib. IV. v. 28. & ſequ.*

(u) Vid. Reyneſ. *Comment. ad Inſcript. Claſſ. XIV. 73. p. 742.*

(uu) Euripid. *in Troad. v. 662. ſequ.*

(xx) Jean Barbeyrac, *dans le traité de la morale des Péres, Chap. IV. §. VIII. ſequ. p. 30. ſequ.*

(x) *L. 2. C. Theod. de ſecund. nupt. lib.* III. *Tit.* VIII. *l. 3. C. Iuſtin. eod.*

(y) *L. 3. C. Theod. eod.*

tantum vſumfructum retineret, ita tamen, vt illi eſſet optio, cuinam ex prioris matrimonii liberis proprietatem relictam vellet. Ex ipſis illis legibus, quas integriores nobis exhibet CODEX THEODOSIANVS, adparet, hoc edictum ad ſolas matres, iterum nubentes, pertinuiſſe. Quamuis enim THEODOSIVS M. patres etiam admonuiſſet, vt liberis, quibus nouercam inducturi ſint, ſubſtantiam maternam integram atque illibatam ſeruarent: lege tamen eos ad hoc obſtringere religioni ſibi ducebat, melius, vt opinor, ſperans de pietate paterna, quam vt metueret, ne & patres male conſulturi ſint liberis ex priore ſuſceptis matrimonio. At multa in his mutata ſunt legibus recentioribus. Primo enim optionem illam matribus ademerunt MAIORIANVS (z), deinde SEVERVS (a), ac denique IVSTINIANVS (b). Hinc porro eam aui conſtitutionem, quam ad matres duntaxat pertinuiſſe diximus, ad patres etiam, nouercam liberis inducentes, produxit THEODOSIVS IVNIOR (c), experientia procul dubio edoctus, veriſſimum eſſe, quod olim ſcripſit CAIVS (d): patres quoque, *nouercalibus delinimentis inſtigationibuſque corruptos, maligne ſaepenumero circa ſanguinem ſuum inferre iudicium.* Et hic quidem alter caſus eſt, quo matri vſumfructum aliquem ius Romanum conſtituerat, quod non tam in eius gratiam, quam ex ſecundarum nuptiarum odio factum eſſe, facile vnuſquiſque intelligit.

§. XI.

An etiam vſumfructum teſtamento relictum amittat ob ſecundas nuptias?

Ex his vero, quae modo diximus, adparet, matrem proprietate ac dominio rerum, occaſione prioris matrimonii acceptarum, excidiſſe, ſimul ac in alterius viri amplexus ruere non dubitauerit. Iam inde noua emergebat quaeſtio, an & tunc per ſecundas nuptias aliquid amittat mater, ſi a priore marito non proprietas, ſed vſusfructus certorum bonorum, ad eam peruenerit? Quum enim, ſublatis legibus decimariis, de quibus a nobis (e) accuratius actum, mariti vxoribus ſaepe legarent vſumfructum bonorum (f), praediorum (g), fundorum (h), domuum, omniumque rerum, quae in his eſſent, ſalinarum (i), villarum (k), veſtium, mundi mulie-

(z) *Nouell. Leon. & Maioriani Tit.* VIII. *p.* 36. Iac. Gothofred.

(a) *Nouell. Leon. & Seueri Tit. I. pag.* 87. *ibid.*

(b) *Nouell.* II. *cap.* I. *& Nouell.* XXII. *cap.* XXV.

(c) *Nouell. Theodoſ. Iun. Tit. VII. p.* 3.

(d) L. 4. *ff. de inoffic. teſt.*

(e) *Comment. ad Leg. Iul. & Pap. lib.* II. *cap.* XIV.

(f) L. 24. *ff. de vſu & vſufr. leg. l.* 37. *ff. eod. l.* 29. *ff. de vſufr.*

(g) *l.* 25. *ff. de vſu & vſufr. leg.*

(h) *l.* 31. *l.* 38. *ff. eod.*

(i) *l.* 32. §. 2. *ff. eod.*

(k) *l.* 35. *ff. eod.*

Digitized by Google

muliebris, lanae, lini (l), aliarumque rerum, idque vel pure, vel in diem, vel ſub conditione, ceu eius rei exempla prope innumera in ipſis pandectis noſtris exſtant: liberi, inexplebili cupiditate habendi etiam vſumfructum illum ſecundis nuptiis extingui oportere, contendebant. Et ARCADIVS quidem ac HONORIVS AA. (m) iſti liberorum intentioni eatenus ſuffragabantur, vt vſumfructum, teſtamento relictum, ob ſecundas nuptias perire, in rebus autem ante nuptias donatis eumdem illibatum manere iuberent. Enimuero & hoc diſcrimen recte ſuſtulit IVSTINIANVS (n), qui omnem vſumfructum, etiam teſtamento relictum, parenti binubo ſaluum eſſe debere, diſerte edixit.

§. XII.

An vſuſfructus maternus ex Auth. praeterea adhuc in vſu ſit?

Et talis quidem eſt vſusfructus ille legitimus, qui matribus iure ciuili Romano competere poteſt. Qui an & in Germania vbique receptus ſit, non immerito dubites. *Authenticam praeterea C. vnde vir & vx.* vel ideo non magni facere ſolent mulieres Germanae, quod vel communio bonorum inter coniuges obtinet, vel, vbi ab illa diſceſſum eſt, de lucro multo pinguiore viduis proſpexerunt leges ſtatutariae. Priore enim caſu coniugi ſuperſtiti ſemiſſis bonorum communium; immo & quibuſdam locis, liberis non exſtantibus, totus as debetur, idque ſibi volunt paroemiae iuris Germanici: *Leib an Leib, Gut an Gut* (o), *Hut bey Schleyer, Schleyer bey Hut* (p), [quod adagium re ipſa repraeſentaturi ſponſus & ſponſa, quibuſdam locis pileum velumque muliebre in ἱερολογίᾳ altari imponunt,] itemque: *Der lezte macht die Thür zu* (q). Poſteriore caſu ſaltim portio ſtatutaria viro & vxori conſtituta eſt, eaque debetur, ſiue egeſtate laboret ſuperſtes, ſiue abundet opibus. Quare authenticae illi non multum apud nos pretii ſtatuetur, niſi ſicubi ſtatutis coniugibus non ſatis proſpectum, aut ſicubi dubia admodum eſt ſtatuti interpretatio, quo caſu & WESENBECIVS (r), DAN. MOLLERVS (s), PHIL. RICHTERVS (t), HENR. HAHNIVS

(l) *l. 39. ff. eod.*

(m) *l. vn. C. Theod. & Iuſtin. ſi ſec. nupſ. mul.*

(n) *Nouell.* XXII. *cap.* XXXII.

(o) Hert. *Paroem. iur. Germ. lib.* I. *paroem. LXIX. p.* 522.

(p) D. Georg. Werner. *in Diſſert. inaug. de pactis dotal. ſub formula: Hut bey Schleyer, Schleyer bey Hut. Marp. MDCCXIV.*

(q) Hahn *ad* Weſenb. *Parat. lib. XXXVIII. tit. XI. n. III.*

(r) Weſenbec. *ibid.*

(s) Moller. *ad Part.* III. *Conſt. Sax. XX. n.* 26.

(t) Richter. *de Succeſſ. ab inteſt. Sect. IV. membr. IV.*

NIVS (u) aliique authenticam illam vſum aliquem habituram, exiſtimant.

§. XIII.

An vſusfructus, in poenam ſecundarum nuptiarum conſtitutus, in Germania receptus?

Nec alterius vſusfructus, quem in poenam ſecundarum nuptiarum conſtitutum diximus, vſus in Germania multo frequentior eſt. Quamuis enim in Germania quoque inuiſae quodammodo eſſent iteratae nuptiae, neque ibi, teſte TACITO (x), deeſſent ciuitates, *vbi virgines tantum nubebant, & cum ſpe votoque vxoris ſemel tranſigebatur:* quamuis deinde veteres gentium Germanicarum leges tantum non omnes viduas binubas lucris, e priore matrimonio ad eas profectis, ſpoliarent, ceu poſtea oſtendemus pluribus: fatentur tamen iureconſulti plerique, ius illud in Germania non frequentari (y), idque ſaltim iis locis veriſſimum exiſtimabitur, vbi parentes, ad ſecunda tranſituri vota, liberis prioris matrimonii, eorumue tutoribus, quos petere tenentur, ad edendum bonorum inuentarium obſtricti ſunt (z). Enimuero, quemadmodum numquam defuerunt, qui ſibi laudi ducerent, iuri Romano viam in forum quam latiſſimam munire: ita non mirum videbitur, de vſu huius authenticae teſtari viros grauiſſimos, SCIP. GENTILEM (a), CONR. RITTERSHVSIVM (b), OLDENDORPIVM (c), LYNKERVM (d), & alios. Saltim in Friſia (e), Bauaria (f), principatu Halberſtadienſi (g), Norimbergae (h), proprietatem ademtam eſſe coniugibus, ad ſecundas nuptias tranſeuntibus, virorum fide digniſſimorum teſtimonio ſatis conſtat. Nos ea in re ſuffragari non dubitauerimus ampliſſimo iuriſconſultorum Wittebergenſium ordini, apud WERNHERVM (i), virum illuſtrem, ita diſſerenti: *Alldieweilen ferner die in L. 6. C. de ſec. nupt. geordnete* poena ſecundarum nuptiarum *nach der bewährteſten Rechts-Lehrer Meinung in Teutſchland regulariter nicht üblich, demnach, wo die receptio angeregten L. 6. nicht*

(u) Hahn. *ibid.*
(x) Tacit. *de Morib. Germ. cap. XIX.*
(y) Stryk. *Vſ. modern. ff. tit. de hered. inſt.* §. III.
(z) Brunnem. *in Comm. ad L. vlt. C. de ſec. nupt.*
(a) Scip. Gentil. *de ſecund. nupt. cap. VIII.*
(b) Ritterſh. *Iur. Iuſtin. Part. IV. cap. IV.*
(c) Oldend. *Claſſ. V. Ad. V.*
(d) Lynker. *Analect. ad* Struu. *Exerc. XXIX. theſ.* LIII.
(e) Io. van Sande *lib.* II. *tit.* III. *def.* I. *& ſequ.* Huber. *Praelect. ad Pandect. in Append. tit. de nupt.* §. *VI. p.* 142.
(f) Balthaſ. *Reſol. Bau. XIII.*
(g) Illuſtr. a Coccei. *Iur. controu. lib. XXIII. tit. II. quaeſt. X. p.* 142.
(h) Rittershuſ. *Comment. ad Nouell. Part. IV. cap. V. n.* 12.
(i) Wernh. *Select. Obſeru. for. Vol. III. pag.* 771.

nicht in ſpecie dociret werden mag, darauf nicht erkannt zu werden pfleget: - - - ſo iſt man geſchehener maſſen zu erkennen bewogen worden.

§. XIV.

Vſusfructus maternus iuris Germanici quomodo ab eo, qui ex iure Rom. deſcendit, differat?

Hactenus de vſufructu materno, qualis iure Romano obtinuit, & quibuſdam locis etiamnum obtinet. Ab eo vero toto coelo differre illum iuris Germanici, qualem ſupra ex STATVTIS HAMBVRGENSIBVS deſcripſimus, ſatis, vti opinamur, perſpicuum eſt. Ex *Authentica praeterea C. vnde vir & vx.* mater non niſi indotata atque egena hunc vſumfructum capit: iure Germanico, etiamſi eius facultates ſint ampliſſimae. Illo iure tantum portione virili, vel quarta bonorum parte pro numero liberorum; hoc bonis omnibus hereditariis vtitur fruitur. Ille vſusfructus, conſcenſo alterius mariti toro, non exſpirat: hic exſpirat omnino, ceu verba SATVTI: *ſo lange dieſelbe bleibt unverehlichet*, perſpicue innuunt. Nec minus alter ille vſusfructus ex *L. 6. C. de ſecund. nupt.* a noſtro manifeſto diſcrepat. Ille enim in poenam, & ex odio ſecundarum nuptiarum; hic in matris fauorem, & quoddam viduitatis ſolatium, eſt conſtitutus. Ille initium capit; hic finitur atque exſpirat, ſimul ac mater, pertaeſa viduitatis, a liberis nubere decreuit. Ille tantum in bonis, quae occaſione prioris matrimonii ad matrem peruenerunt; hic in omnibus habet locum. Ille ſine onere eſt, nec tenetur mater liberos inde alere aut elocare, ſi ſe ipſi exhibere poſſint: hic cum officio alendi elocandique eſt coniunctus. Denique vtroque caſu, quo ius Romanum vſumfructum aliquem matri indulget, diuiſam iam inter coheredes hereditatem eſſe oportet: quum contra, quamdiu hic durat vſusfructus, iure Germanico inuectus, familiae erciſcundae iudicio non ſit locus. Ex quibus omnibus conſequitur, vt vſusfructus, quem ſupra deſcripſimus, origo non ex iure Romano, ſed Germanico, ſit repetendus, referenduſque inter reliquias inſtitutorum patriorum, quae ex communi illo iurium Germanicorum naufragio aegre ſeruatae ſunt aduerſus vim doctorum, vniuerſam iuriſprudentiam Germanicam Romanae ditioni ſubiicere a tot ſaeculis ſtrenue laborantium.

§. XV.

Eum origine Germanicum eſſe, demonſtra-

Quae huius vſusfructus origo vt extra omnem dubitationis aleam ponatur, operae pretium fuerit, per veteres LEGES ac recentiora STATVTA gentium origine Germanicarum paulliſper diuagari, ex iiſque demonſtrare, his tantum non omnibus hunc vſumfructum placuiſſe, & pleriſque etiamnum, inoleſcente licet iure Romano,

 place-

Digitized by Google

tur ex iure Wiſigothico. placere. Apud WISIGOTHOS liberi non modo in patris, ſed & matris, poteſtate eſſe credebantur, adeo, vt pupilli non modo vocarentur impuberes, patre orbi, ſed &, quibus nec mater ſuperſtes erat, quemadmodum & hodie Germanis in ore ſunt non ſolum *Vater-loſe*, ſed & *Mutter-loſe Wayſen*, quae loquutio Romanis procul dubio ridicula viſa fuiſſet. At in LEGE WISIGOTHICA (k) cautum legimus, *vt licet hactenus a patre tantum relicti paruuli filii* PVPILLI *nuncupati ſint, tamen, quia non minorem curam erga filiorum vtilitatem matrem conſtet frequenter impendere, ideoque ab vtroque parente, id eſt patre, vel matre, infra XXV. annos filii poſt mortem relicti* PVPILLI *poſthac nuncupentur.* Alterutro itaque parente mortuo, ſuperſtes liberos in poteſtate retinebat, &, quod ad bona a praemortuo relicta attinet, ſimul eorum legitimus erat tutor, donec aetatem legitimam annorum XXV. expleuiſſent. Eo enim pertinent duo alia loca LEGIS illius WISIGOTHICAE, quorum altero (l) ſancitum, *vt, patre mortuo, filii in* MATRIS POTESTATE *conſiſterent, & ſi, marito ſuperſtite, vxor forſitan moriatur, filii, qui ſint de eodem coniugio procreati, in* PATRIS POTESTATE *conſiſterent:* altero (m) vero, *vt, ſi patre mortuo, in minore aetate filii relinquerentur, mater eorum* TVTELAM, *ſi vellet, ſuſciperet, ſi tamen in viduitate permaneret.* Hactenus itaque par erat apud WISIGOTHOS vtriuſque coniugis conditio. In eo autem inter patrem matremque inſigne intercedebat diſcrimen, quod ille, mortua matre, res liberorum non modo adminiſtraret, verum etiam *fructus omnes cum filiis ſuis pro iure ſuo perciperet, & vna cum ipſis filiis ſuis communibus conſumeret impenſis* (n)*: mater autem, ſi in viduitate permaneret, aequalem inter filios ſuos, id eſt, qualem vnuſquiſque ex filiis ſuis,* VSVFRVCTVARIO IVRE *de facultate mariti haberet portionem, quam vſque ad tempus vitae poſſideret* (o). Ex quibus diſcimus, *primo* vti iure Hamburgico, ita & WISIGOTHICO, matrem liberos, mortuo patre, in poteſtate, &, ſi vellet, etiam in tutela habuiſſe: *deinde* eamdem percepiſſe vſumfructum, non quidem omnium bonorum, vti iure Hamburgico, ſed portionis virilis: tum *porro* vſumfructum illum morte demum finitum, modo a liberis non nupſiſſet: *contra* eumdem ſtatim exſpiraſſe, ſimul ac viduitati praetuliſſet ſecundas nuptias. *Praeterea* quemadmodum iure Hamburgico diſertis verbis requiritur, vt mater, eo grauiſura beneficio,

(k) *Lex Wiſigoth. lib. IV. Tit.* III. *Lege* I.

(l) *Ibid. Tit.* II. *leg.* XIII.

(m) *Ibid. Tit.* III. *leg. IV.*

(n) *Ibid. Tit.* II. *leg. XIII.*

(o) *Ibid. Tit. II. leg. XIV.*

Digitized by Google

neficio, frugalis ſit, & bona communia bene ac diligenter adminiſtret, *(daſs ſie wohl haus halte :)* ita idem exigere obſeruamus IVS WISIGOTHICVM verbis ſequentibus (p) : *Ceterum nec donare, nec vendere, nec vni ex filiis conferre praeſumat. Quod ſi eam portionem filii matrem euertere, ſeu per negligentium, ſiue per odium forte, perſpexerint : ad comitem ciuitatis, vel ad iudicem, referre non differant, vt matrem ſuam conteſtatione commoneant, ne res, quas vſufructuarias accepit, euertat. - - - Verum ſi ex ea vſufructuaria portione aliquid probetur euerſum : filiis poſt mortem matris de eius facultatibus ſarciatur.* Ex quibus verbis adparet, matrem, boni viri arbitratu non vtentem fruentem, vſufructu quidem non illico priuatam, ſed ad praeſtandum tamen omne damnum obſtrictam fuiſſe. *Denique* vti IVRE HAMBVRGICO paria vtriuſque parentis iura ſunt : ita & WISIGOTHICAE LEGES eadem per omnia de paterno maternoque vſufructu ſtatuunt, niſi quod ex his matri, vti diximus, portio tantum virilis iure vſufructuario ad dies vitae relinquebatur.

§. XVI.

Similia fere IVRE BVRGVNDIONVM obtinuiſſe, eorumdem leges antiquae docent, quibus itidem cautum (q), *vt, ſi mater nubere, electa caſtitate, diſtulerit, filii* CVM OMNI FACVLTATE *in eius ſolatio &* POTESTATE *conſiſterent.* Ergo Burgundionibus in eo conueniebat cum Wiſigothis, quod parem atque aequam poteſtatem vtrique parenti tribuebant : ſed in eo ab his diſcedebant quam maxime, quod matri ſimul omnes facultates credebant, iure vſufructuario procul dubio poſſidendas. Attamen diſtinguebant Burgundiones, primo vtrum liberi in ea matris poteſtate permanere, an ex ea diſcedere, ipſique rebus ſuis supereſſe mallent. Priore enim caſu, vti iam monuimus, vſufructu omnium facultatum gaudebat mater : poſteriore iterum permultum intererat, viduane permanere, an a liberis nubere decreuiſſet, ſiquidem illo caſu concurrens cum vno filio tertiam ; cum pluribus quartam bonorum partem iure vſufructuario ad dies vitae accipiebat : hoc vero exſors erat omnis ſubſtantiae a marito profectae, praeterquam dotis, ſibi more Germanico conſtitutae. Quae iam omnia ipſis legum verbis erunt probanda. *Filius* VNICVS, inquit GVNDEBALDVS (r), *defuncto patre, tertiam partem facultatis* MATRI *relinquat, ſi tamen alterum maritum non acceperit. Nam ſi ad* ALIAS NVPTIAS *tranſierit, omnia*

Et Burgundico.

Ffff 3

(p) *Ibid. Tit.* II. §. XIV.
(q) *Lex Burgund. Tit.* LIX.
(r) *Lex Burg. ibid. Tit.* LXII. §. I. & II.

nia perdat, DOTE *tamen ſua, quam a marito acceperat, quamdiu vixerit, vtatur, filio proprietate ſeruata.* Et paullo poſt (s): *Quaecumque ſane mulier, coniuge ſuo in fata conlapſo, ad ſecundi mariti vota non ierit, aut eius adulti iam filii* SECVM ESSE NOLVERINT, *hac ratione cum eis defuncti mariti* DIVIDAT *facultatem, vt ſi* VNVM *filium habuerit, praedictae ſubſtantiae* TERTIAM *conſequatur: ſin duo aut tres, aut quatuor, aut* PLVRES *erunt filii,* QVARTAM *accipiat portionem, quam tamen poſt obitum eius ad filios ipſius placuit remeare.* Inde ergo patet, iura illa Burgundionum Hamburgicis noſtris perquam ſimilia, ac propemodum gemina fuiſſe, niſi quod ad diuiſionem prouocare licuerit liberis Burgundionibus, ſimul ac iuſtam aetatem attigiſſent, & tunc vidua acceperit portionem ſtatutariam, ad dies vitae iure vſufructuario percipiendam, quum contra mater iure Hamburgico ad diuiſionem obſtricta non ſit, etiamſi filii ſint maiorennes, ſuaſque res ipſi adminiſtrare malint, aut filiae familia iam enupſerint, dum liberos alat, educet, & inituros matrimonium dote congrua, rebuſque neceſſariis, pro modo facultatum dignitateque familiae, inſtruat.

§. XVII.

Item ex lege Baiuuariorum.

Progredimur ad Boioarios, quorum in LEGE apud LINDENBROGIVM expreſſiſſima paſſim occurrunt priſcae ſimplicitatis Germanicae veſtigia. In illa (t) eadem fere ſanciuntur, quae paullo ante apud WISIGOTHOS obtinuiſſe obſeruauimus, adeo vt legiſlator iiſdem paene verbis vſus ſit, nec dubitare liceat, quin ius iſtud WISIGOTHICVM tunc ob oculos habuerit. Hoc enim LEGE BAIVVARIORVM eſſe antiquius, ex eo patet, quod haec demum ſaeculo ſexto a Theodorico, Francorum Rege, compilata ſit, quum illud iam circa annum erae Hiſpanicae DIV ab Eurico rege in litteras redactum eſſe, ex ISIDORO HISPALENSI (u) obſervent CONRINGIVS (x) & GER. ERN. DE FRANKENAW (y). In reliquis gentium Germanicarum legibus, quas HEROLDVS & LINDENBROGIVS ediderunt, nihil admodum, quod ad hunc vſumfructum pertineat, occurrere animaduertimus. Sunt enim illae maximam partem breues & abruptae, & praeter varias delictorum poenas parum, quod iuriſprudentiam Germanicam illuſtret, complectuntur. Fatemur tamen, in

LEGI-

(s) *Ibid. Tit.* LXXIV. §. II.

(t) *Lex Baiuu. Tit.* XIV. *Art.* VI. & VII. §. I. II. III.

(u) Iſid. Hiſp. *in Chron. Goth. ad eram DIV.*

(x) Conring. *de Orig. iur. Germ. cap.* III. *p.* 5.

(y) Franckenaw. *Sacr. Themid. Hiſpan. Arcan. Sect.* I. §. 5.

Digitized by Google

LEGIBVS RIPVARIA, SAXONICA & ALAMANNICA, quin & LANGOBARDICA, quaedam reperiri, quae, gentes illas ab hoc aliorum populorum inſtituto paullo alieniores fuiſſe, docent. Vnde excerpendis illis iam non immoramur.

§. XVIII.

Ceterum quam late olim patuerit ius iſtud Germanicum, vel inde patet, quod per magnam Galliae, Belgii & Germaniae partem etiamnum conſtanter obſeruatur. Quamuis enim apud Andes & Carnutenſes, teſte MORNACIO *(z)*, illum vſumfructum ignorent: eum tamen religioſe ſeruant Pariſienſes *(a)*, Aurelianenſes (b), quorum lex ceteris amplior praeter liberos & ceteros heredes includit, itemque Turonenſes *(c)*, Pictauienſes *(d)*, Burgundi *(e)*, quin Galli ceteri tantum non omnes, de quibus prolixe agit LVD. CHARONDAS (f). In Belgio, teſte PETRO PECKIO (g), Louanii per ſtatuta ciuitatis vxori defertur vſusfructus bonorum mariti, onere tamen alendi liberos grauatus. Idem Antuerpiae obtinere, ſiue liberi exſtent, ſiue ad alios heredes mariti defuncti bona peruenerint, ipſa eius vrbis STATVTA (h), & LAMB. GORIS (i), ICtus Geldrus, perſpicue docent. Hic & de patriae ſuae conſuetudine ita teſtatur (k): *Conſuetudinaria noſtra inter coniuges ſocietas largior multo eſt & efficacior, vtpote quae cum alterutrius vita finem non accipit, ſed in liberos vſque aut ceteros defuncti heredes cum ſuperſtite continuatur, niſi hic ſingula domus mortuariae, vt loquuntur, bona legitime atque ex moribus deſcripſerit, hoc eſt, confecto inuentario, ordine adnotauerit.* Et paullo poſt (l): *Si igitur ſuperſtes ad ſecunda vota tranſiens inuentarium, vt par eſt, conficere neglexerit, prioris matrimonii liberi priſtinam bonorum communionem cum eodem ſolum continuare cenſebuntur, nequaquam autem ſecundi coniugis ſocii eſſe intelligentur, adeoque partem facient in parte parentis ſuperſtitis, ſeruato ſemiſſe ei, quicum ſecundo contractum eſt.* Quo loco notandum, in Belgio, etiam confecto inuentario, finiri illum vſumfructum. Eo enim ſeparata intelligitur ſocietas deſinitque bonorum

Obtinet hic vſusfructus maternus in Gallia, Belgio, Suecia.

(z) Mornac. *ad l. 64. ff. pro ſoc.*
(a) Molin. *Conſuet. Pariſ. Art.* CCXL.
(b) *Conſuet. Aurel. Art. CCXVI.*
(c) *Conſuetud. Turon.* §. CCCLVIII.
(d) Lamb. Goriſ. *Prodrom. Aduerſ. iur. cap.* XXI. *n. 5. p.* 165.
(e) Chaſſan. *Conſu. Burg. Rubr.* IV. §. 2. *n.* 5.
(f) Charond. *Obſeru. Iur. Gall. verb. communauté p.* 111. *& ſequ.*
(g) Peck. *de Teſtam. coni. lib. V. cap. VI. n.* 2. *p.* 645.
(h) *Statut. Antu. Tit. XLI.* §. *XCIII.*
(i) Lamb. Goris *ibid. n.* 5.
(k) Idem *ibid. n.* 3.
(l) Idem *ibid. n.* 12. *p.* 169.

Digitized by Google

rum priſtina communio, quia eſt actus ſocietati contrarius, vti docent PYRRHVS ANGELBERMAEVS (m) & LVD. CHARONDAS (n). Denique in Sueciam vſque penetraſſe conſuetudinem illam veterem, vel ea demonſtrant, quae ea de re in IVRE PROVINCIALI SVECICO (o), quod IO. LOCCENIVS latine edidit, leguntur, quaeque hic breuitatis ſtudio exſcribere merito ſuperſedemus.

§. XIX.

In Sueuia, & Franconia.

Magis noſtra intereſt, redire in Germaniam, & an ibi extra Hamburgum ſimilis conſuetudo inoleuerit, diſquirere. In ſuperiore Germania ius hoc olim viguiſſe vel ex SPECVLO SVEVICO (p) conſtat, vbi cautum: *Stirbt einer Frauen ihr Mann, ſie bleibet in des Mannes Gut ungetheilet mit ihren Kindern.* Quum itaque ius iſtud prouinciale Alamannicum olim commune fuerit ſuperioris Germaniae prouinciis: non ſane mirum eſt, vſusfructus huius in Sueuia ac Franconia veſtigia paſſim ſupereſſe. Saltim de Hala Sueuorum, patria ſua, ex codice STATVTORVM MSC. refert illuſtris Academiae Hallenſis Cancellarius, IO. PETR. A LVDEWIG (q), olim coniugem ſuperſtitem in bonis mariti omnibus, praeterquam feudalibus, parentes, fratres & ſorores & reliquos defuncti cognatos excluſiſſe, poſtea autem obtinuiſſe, vt in bonis mariti ſuperſtes vxor habeat eouſque vſumfructum, (*den Beyſitz*) quo vſque non iuerit ad ſecunda vota, & tunc demum ad diuiſionem obſtricta ſit. In Ducatu Würtembergico hodie quidem res aliter ſe habet ob fucum iuris Romani, qui ſtatutis iſtis vbique haeret, olim tamen & ibi matrem viduam cum liberis non diuiſiſſe, recte collegeris ex IVRIS PROVINCIALIS WVRTENBERGICI (r) verbis: *Demnach des Erbrechts halben bisher viel Klage entſtanden, bevorab da die Eheleute einander ſuccediret, obgleich derſelben zuſammen gebrachtes Vermögen nicht gleich gevveſen, folglich entvveder der überlebende Ehegatte, oder die hinterlaſſene Kinder bevortheilet vverden müſſen &c.* Conſtantius ius hoc retinuerunt Francones. Vnde IVSTVS VERACIVS (s): *Mortuo itaque coniuge alterutro, ſuperſtes* DOMINIVM *conſequitur ſolitarie, neque demortuo eſt integrum, aliter diſponere in teſtamento, neque liberis vlla legitima, quam poſt exſpectare debent a ſuperſtite.* Vſusfructus videtur vocandus, quem minus proprie

(m) Pyrrh. Angelberm. *ad Conſu. Aurel. Tit. X. cap.* III.

(n) Lud. Charond. *ad Conſu. Pariſ. Art. CCXX. p.* 140.

(o) Io. Loccen. *Ius prou. Suec. tit.* II. *cap. XV.*

[p] *Spec. Sueu. cap. XXXIV.*

[q] Ludewig *Opuſc. Tom.* II. *p.* 1302.

[r] *Ius prou. Wurtenb. Part. IV. Tit.* I. *p.* 426.

[s] Iuſt. Verac. *Conſuet. Bamb. Part.* II. *quaeſt.* 1. & 2.

Digitized by

proprie VERACIVS adpellauit dominium, ſiquidem ſaluam procul dubio liberis eſſe oportet facultatum paternarum ſubſtantiam, alioquin exſortibus futuris hereditatis paternae, ſi forte mater prodiga contigerit. Nec in reliqua Franconia ſe rem aliter habere, ex IVRE DVCATVS FRANCONICI (t) & IVRE PROVINCIALI HENNEBERGICO (u), diſcimus. Pleriſque enim locis iſtius tractus arctiſſima inter coniuges eſt bonorum omnium communio, eiuſque praeter alios & is effectus eſt, vt liberi, mortuo parente, matre autem adhuc ſuperſtite, vel vice verſa, non ſuccedant, vti docent ABR. A WESEL (x) & SAM. STRYKIVS (y).

§. XX.

Coloniae, Bremae, in ciuitate & tractu Mindenſi, in Weſtphalia reliqua, Suſati, Lubecae, Luneburgi & in Pruſſia.

In inferiore Germania non minus frequens eſt illud matri Germanae competens beneficium. De ſtatuto huius generis Colonienſi teſtantur KOEPPENIVS (z). Idque in Codice illuſtris HOFFMANNI noſtri ita ſe habet: *Vort ſo vvann daſs Eheleute bey einander ſitzen in ehelichen ſtaat, und Kindere gevvinnen. Iſt dann Sache, daſs der Ehleute eines ableibich vvürde ohn Teſtament, Vermâchtnis oder Auftracht zu machen unter ihnen beyden: ſo ſoll der letzt Lebendige bleiben ſitzen geruiſt und geruhig in allen ihren Erben, Erbrenthen und Güdern, da ſie mit ge,amender Hand angeſchrieben ſtande, bevveglich, und unbevveglich, und ſeine Kindere darmit füglichen ſeyn, halten und fort ahnbeſtatten geiſtl. oder vveltlichen Standes, ſô als es den Freunden und den Magen bedunckt gerathen ſeyn.* De Bremenſi ex CODICE STATVTORVM MSC. (a) haec extulit illuſtris a LVDEWIG (b): *vvor tvvo Lüde toſammen koment, Mann und Frauvven in Echtſchup, und Kinder vvinnent, ſo vvelcke ôhre eher ſtervet, de beervet den andern. Stervt de Mann allererſt, und holt ſick die Fravve vvol und ehrlicken nach ôhres Mannes Dode: de Frauvve ſchall mit ôhren Kindern freylicken ſitten an Erve und in allen Güdern.* Mindae Weſtphalorum conſuetudinem ſimilem adlegat CRVSIVS (c). Nam & ibi coniux ſuperſtes bona communia adminiſtrat, liberoſque alit & elocat, donec vel ad ſecunda vota tranſeat, vel liberos a priore matrimo-

[t] *Landgerichts-Ordn. des Herzogth. Francken Part.* III. *tit. LXXXVIII. §.1*.

[u] *Ius Prou. Henneb. lib.* III. *tit. IV. cap. XII. XV.* Schilter. *Exerc. III.* §. *XI. pag.* 57.

[x] Weſel *de Connubial. bon. ſociet. tract.* I. *n.* 58. *& tract. II. cap. II. ſequ.*

[y] Stryk. *Diſſ. de Singular. Connub. iur. in Germ. cap.* II. §. *XVII. p.* 25.

[z] Koeppen. *lib. I. Obſ.* CXXIX. *n.* 20.

[a] *Statut. Brem. Tit. V. §. II.*

(b) Ludewig *ibid. p.* 1304. *& ſequ.*

(c) Cruſ. *ad Statut. Mind. Lib. II. Tit.* II. *Art. XVI. ſequ.*

nio ſuperſtites, data dimidia bonorum parte, a ſe ſeparet. Id quod & in principatu Mindenſi vniuerſo obſeruari, ex actis ſe didiciſſe, ait HERTIVS (d). Nec aliis moribus in reliqua fere Weſtphalia viuitur, ceu ex eius tractus variis ſtatutis demonſtrare in procliui eſſet, ſi iam excutere vacaret illuſtris HOFFMANNI noſtri bibliothecam, cuius in pluteis praeter alia egregia tantus reconditus eſt veterum ſtatutorum, manu exaratorum impreſſorumque, theſaurus, vt neſciam; an ſimilem vel vlla bibliotheca publica per Germaniam oſtentare poſſit. Iam adſcribere tantum iuuabit teſtimonium publicum Synedrii ac Senatus Neoburgenſis ad Viſurgim, quod protulit HVDALR. AB EYBEN (e) ex eoque HERTIVS (f): *Es vverden von der Mutter die Kinder erzogen, und zu dem, vvas einem ieden beliebig zu lernen, angehalten, mit Speiſe, Kleidung, und, vvann ſie ervvachſen, bey der Ausſteurung mit nothdürfftigen Kleidern, Leinen-Geräthlein und Bett-Gevvandten verſehen. Dahingegen behält die Mutter die völlige adminiſtration und Abnutzung der Güter. Solten aber die Vormünder vermercken, daſs die Mutter, oder derſelben Mann, die Güter ohne deren Conſens zu alieniren, oder ſonſten mit Schulden zu aggrauiren ſich unterſtünden, und vernehmen lieſſen: auf ſolchen Fall haben ſie ſich deroſelben anzumaſsen, und dieſelbe von einander zu ſetzen. Sonſt verbleibt es nach dieſer Stadt Gevvonheit, Längſt Leib, längſt Gut, es ſey dann, daſs etliche Voriahre bevvilliget, und in denen Ehe-notuln etvvas anders verſehen vväre.* Ex quo loco ſimul diſcimus, quid ſibi velit paroemia iuris: *Längſt Leib, längſt Gut*, quam recte ita interpretatur HERTIVS (g): *Superſtes coniux bonorum vſufructu gaudet.* Similis eſt SVSATENSIVM, &, qui ſibi eorum iura adoptarunt, LVBECENSIVM (h) ſanctio, niſi quod hic additur, vſum fructum illum finiri non modo ſecundis nuptiis, verum etiam ingreſſu in monaſterium, (*vvann ſie ſich in ein Cloſter oder Gottes-Hauſs einkauffen vvill.*) Sed quandoquidem ius ſtatutarium Lubecenſe in omnium manibus eſt: nos hic tantum e SVSATENSI (hh) quaedam adſcribemus: *Ein Mann oder Frau, vvelche Kinder haben, und nicht vvieder zur andern Ehe ſchreiten, bleibet in voller adminiſtration aller Güter, ohn Vnterſcheid, vvelchen dieſelbe*

(d) Hert. *paroem. iur. Germ. Lib. I. paroem. LXVIII.* §. 2.

(e) Eyben *Part. III. de Tutel. fem. Membr. V.* §. *VI.*

(f) Hert. *ibid.*

(g) Hert. *ibid.*

(h) *Ius Lubec. Part.* II. *tit. II. Art.* VIII.

(hh) Henr. Melch. Schütte *de Iure Suſat. eiuſque & iuris Guil. collat.* §. *X.*

Digitized by Google

be zukommen, und darf davon keine Rechnung thun, iedoch ſind ſie ſchuldig, die Kinder gebührlich daraus zu unterhalten, und denenſelben gebührende Ausſteuer davon zu geben. Nec Luneburgi aliam vigere conſuetudinem, auctor eſt HARTWIGVS DE DASSEL (i). Profert laudatiſſimus a LVDEWIG (k) etiam teſtimonium Senatus SVATENSIS, (niſi forte legendum ſit, vel SVSATENSIS, vel SVNDENSIS,) in quo anno MDCLXXI. conſuetudo iſtius vrbis ita deſcribitur: *So lange eine Frau in unverrücktem Wittwen-Stand ſich befindet, hat ſie die freye adminiſtration aller Güter und die Abnutzung, zumahlen unberechnet.* Quin & in Pruſſiam ius iſtud penetraſſe, argumento ſunt ea, quae in IVRE PROVINCIALI (l), & STATVTIS GEDANENSIBVS (m) hanc in rem praecipiuntur.

§. XXI.

Quum ergo ea in re ius SVEVICVM & LVBECENSE tam amice conſpirent: mirum ſane eſſet, ac veluti monſtro ſimile, ſi hic diuortium feciſſet IVS SAXONICVM, vnde & iſtud paullo accuratius expendere operae pretium fuerit. De illo iam WESENBECIVS (n): *Moribus*, inquit, SAXONVM, *etiam iure patrio matres adminiſtrant, & fructus lucrantur, donec liberi adoleſcant, & ab iis ſeparentur.* Quam theſin ſuam probat ex ipſo SPECVLATORE SAXONE (o), vt mirum non ſit, ei hac in re adſentitos eſſe iurisconſultos eximios, IAC. SCHVLTES (p), REIN. ROSAM (q), MATTHIAM BERLICHIVM (r) & alios. Sed quamuis iam ante WESENBECIVM eadem ſcripſiſſent GLOSSATOR SPECVLI SAX. LATINVS (s) & LVD. FACHSIVS (t), nec aliter olim pronunciaſſent collegia iureconſultorum Saxonica: Weſenbecio tamen indignatus BEN. CARPZOVIVS (u), perinde ac ſi ille primus mortalium id ſomnium ſomniaſſet, nihil fecit reliqui, vt eius argumenta profligaret. Nec ferre potuit vir ille, iuris Romani amantiſſimus, PHIL.

Olim & in Saxonia electorali.

Gggg 2 RICH-

(i) Hartw. de Daſſel. *Conſuet. Luneb. Art.* I. *p.* 149.

(k) Ludwig. *Opuſc. Tom.* II. *p.* 1160.

(l) *Ius prou. Pruſſ. lib.* II. *Tit.* VI. *Artic.* II. §. 6. *p.* 301.

(m) *Ius Stat.* Gedanenſ. *Part.* II. *cap.* V. *art.* IX.

(n) Weſenbec. *Paratitl. D. tit. de tutel. n.* 5.

(o) *Ius prou. Sax. lib.* I. *Art.* XI.

(p) Iac. Schultes *Quaeſt. pract.* XLVI. *n.* 21. *& in Addit. ad Mod. Piſt. Part.* 1. *quaeſt.* XXVII. *n.* 10.

(q) Roſa *in Addit. ad Moller. Part.* II. *Conſt.* XI. *n.* 11.

(r) Berlich. *Part.* II. *Concl.* XII. *n.* 11.

(s) *Gloſſa ad Ius prou. lib.* I. *Art.* XXIII.

(t) Fachſ. *Differ. Iur. Ciuil. & Sax. Part.* I. *Diff.* XVII.

(u) Carpzou. *Part.* II. *Conſt.* X. *Defin.* XIII. *n.* 2.

RICHTERVM (x), ICtum Ienenſem, Weſenbecii ſuſcipientem patrocinium, argumentaque Carpzouii modeſte examinantem, ſed ei operoſas vindicias oppoſuit in Reſponſis iuris electoralis (y). Nactus erat Carpzouius aduerſarium, iiſdem innutritum principiis. Ambo conuenerant,

Et cantare pares, & reſpondere parati:

nec deerat cauſſae RICHTERVS (z), ceu eius ſcripta vnumquemque conuincunt. Sed interea Scabini Lipſienſes partes CARPZOVII, ceu ipſe gloriatur, ſequi coeperant, adeoque facile fuit obtinere deciſionem electoralem (a), qua conſuetudini antiquae hac quidem in re repudium daretur. Et ita, mirantibus rerum peritioribus, (id ipſum enim eſt, quod tam ſalſe perſtringit loco ſupra recitato ZIEGLERVS,) iure ſuo exciderunt matres viduae in Saxonia electorali, annitente potiſſimum CARPZOVIO, cuius de triumpho iure repetas illud poëtae:

Victrix cauſſa Diis placuit, ſed victa Catoni.

§. XXII.

Carpzouii & Richteri de hac re controuerſia.

At quaenam illa ſunt argumenta tam luculenta CARPZOVII (b), quibus ille tamquam alter Pericles vniuerſam Saxoniam mouit? Primo negat, illum vſumfructum maternum in Saxonico iure praeſidium reperire, eiuſue volam veſtigiumque occurrere in textu, quem laudarit WESENBECIVS. Deinde eum vel ideo locum habere poſſe negat, quod fundamentum vſusfructus paterni ſit patria poteſtas, cuius matrem eſſe participem, neminem, niſi in iure hoſpitem, dicturum. Addit nonnulla de auctoritate opinionum communium, & doctorum, de conſuetudine atteſtantium, ſed quae parum aut nihil ad rem faciunt. Iam quid ad haec RICHTERVS (c)? Dubium eſſe, ait, quid ex textu IVRIS SAXONICI (d) probare voluerit WESENBECIVS, & an non eo demonſtrare voluerit duntaxat, matrem iure etiam Saxonico ad tutelam vocari. Deinde parum intereſſe, probetne aliquid iſte locus, nec ne. Ius enim Saxonicum auctoritatem ſuam habere ex obſeruantia, hanc autem in Saxonia olim conſtanter probaſſe vſumfructum maternum, ceu conſtet WESENBECII aliorumque ICtorum Saxonicorum teſtimoniis, quibus fidem derogare nefas videri. Quin ſi concedi

(x) Richt. *Diſſ. de vſufructu* §. *V.*

(y) Carpz. *Reſp. Iur. Elect. lib. VI. tit.* VII. *Reſp.* LXX.

(z) Richter. *Part. I. Deciſ.* XVIII. *n.* 11. *ſequ.*

(a) *Deciſ. Elect. Sax.* LXII.

(b) Carpzou. *Reſp. Iur. Elect. ibid.*

(c) Richter. *Part. I. Deciſ.* XVIII. *n.* 14. *ſequ.*

(d) *Ius prou. Sax. lib.* I. *Art.* XI.

Digitized by Google

di oporteat, WESENBECIVM theſin ſuam ex illo iuris Saxonici textu perperam probaſſe: piaculum tamen non futurum eſſe, excellentis cuiuſdam doctoris ſententiae adhaerere, licet ex alio principio, aliaque plane ratione. Praeterea vel maxime vrget, non conſequi omnino, vt, ſi mater exſors ſit patriae poteſtatis, ei nec vſusfructus in bonis liberorum a lege poſſit conſtitui: vnius rei plures eſſe poſſe cauſſas, multaque concedi matri ex alia ratione, quae patri ob poteſtatem in liberos attribuantur, veluti, vt conſenſum impertiatur liberis, inituris matrimonium; vt in ius vocari non poſſit, niſi impetrata a Praetore venia: vt liberis tutorem teſtamento dare poſſit, reliqua. Adhaec vix vmbram hodie ſupereſſe patriae poteſtatis, fateri FRANTZKIVM (e): & SCHNEIDEWINVM (f) oſtendiſſe, patrem, ſeparatis liberis, vſumfructum in peculio aduentitio amittere, quum tamen ſeparatione illa patria poteſtas finiri non videatur. Poſſe ergo & patri, durante poteſtate, vſumfructum negari, & matri, ea poteſtate in liberos deſtitutae, concedi, ob onus alendi educandique, vel alias rationes, quae in patrem non aeque cadant. Reliqua DECISIONIS illius RICHTERIANAE pars in vindicanda doctorum de conſuetudine & obſeruantia teſtantium auctoritate, colligendiſque ICtorum Ienenſium praeiudiciis verſatur, quibus omnibus iam non immoramur, id tantum in praeſenti monentes, nec CARPZOVIVM malam cauſſam admodum bene, nec RICHTERVM bonam ſatis feliciter defendiſſe.

§. XXIII.

Soluuntur Carpzouii argumenta.

Primo enim in vindicando IVRIS SAXONICI textu (g) WESENBECIVM manifeſto deſerit RICHTERVS, quum ille eum rectiſſime allegarit. Ait enim ibi REPKOVIVS: *Hält ein Vater ſeine Kinder in Vormundſchafft nach ihrer Mutter Tod, vvann ſie ſich darnach von ihm ſcheiden, er ſoll ihnen geben und laſſen alles ihr Mutter Gut, es ſey ihm dann von Vnglück und ohne ſeine Schuld abgegangen. Daſſelbige ſoll das Weib den Kindern auch thun, ob ihr Vater ſtirbt, und ein ieglich Mann, der der Kinder Vormund iſt.* Hic inter paternam maternamque tutelam nihil ſtatuitur diſcriminis, quumque in Saxonia expediti iuris ſit, patrem tutorem bonis liberorum aduentitiis vti frui: non male cum aliis doctoribus inde collegit WESENBECIVS, matrem etiam tutricem eodem iure gaudere, donec liberos a ſe ſepararit. Equidem paralogiſmum hic ſibi vi-

(e) Franzk. *Exerc.* II. *Quaeſt.* IV. *in fin.*

(f) Schneidew. *in Comment. ad tit. Inſt. de patr. poteſt. n.* 11.

(g) *Ius prou. Sax. lib.* I. *Art.* XI.

dere viſus eſt CARPZOVIVS, quia addatur: *und ein ieglich Mann, der der Kinder Vormund iſt.* Eodem enim argumento probari poſſe, vnumquemque tutorem, etiam extraneum, bonis pupilli vti frui debere: & inter omnes tamen conſtare, qui artem ratiocinandi bona fide imbiberint, nihil omnino probari argumento, quod nimium probet. Sed inciuile eſt, legem ita interpretari, vt rationem non habeas παραλληλισμοῦ & *coniunctorum origine & loco*, ceu ea vocauit HVGO GROTIVS (h). Sane cum textu noſtro coniungendus eſt alter, qui ita ſe habet (i): *Dem, ſo des Kindes Erbe iſt, ſoll ſein Vormund von Iahr zu Iahr des Kindes Gut berechnen. Wo aber der Vormund auch Erbe mit iſt*, (id quod de matre vel maxime verum eſt (k), *ſo darf er niemand des Kindes Gut berechnen.* Iam ergo concedimus, eadem, quae de patre dicuntur in textu IVRIS PROVINCIALIS *Lib. I. Art. XI.* non modo ad matrem, ſed & alios agnatos proximos pertinere, nec tamen ideo plus iuſto probare argumentum WESENBECII. Senſus enim totius loci, CARPZOVIO parum intellecti, hic eſt: Matre defuncta pater eſt ordinarius liberorum tutor in bonis maternis, eaque adminiſtrat, fructuſque inde omnes percipit, nec ad rationes obſtrictus eſt, ſed officio ſuo functus dicetur, ſi liberis a ſe ſeparandis ſaluam reddiderit ſubſtantiam, adeo vt nec damnum in ea praeſtare teneatur, niſi ſua culpa datum. Eadem matris iura ſunt, vbi pater deceſſerit, ſiquidem & ipſa fructus omnes tamquam tutrix, a natura ipſa conſtituta, eaque ἀνεκλόγιστος percipit, ſeparandiſque non niſi ſaluam reſtituit ſubſtantiam. Denique & eodem iure vtitur *ein ieglich Mann*, quilibet alius tutor, puta legitimus, ſeu agnatus, modo ſpes ei proxima ſit hereditatis. Ita &, quod ad alterum CARPZOVII argumentum attinet, ei profecto neruos omnes incidere potuiſſet RICHTERVS, ſi oſtendiſſet, iure Germanico matrem non minus, quam patrem in liberos poteſtatem exercuiſſe, eamque, mortuo alterutro parente, liberiſque adhuc impuberibus, tutelae nomine veniſſe, alioquin adminiſtrationem illam iure iſtius poteſtatis duraſſe quibuſdam locis, vſque dum liberi eſſent ſeparati, alibi, vti Hamburgi & in Weſtphalia, quamdiu vixerit, modo ad ſecundas nuptias non tranſierit. Sed haec exſpectanda non erant a iuriſconſulto temporibus illis, quibus floruere RICHTERVS & CARPZOVIVS. Nam & haec igno-

(h) Grot. *de Iure belli & pac. lib.* II. *cap.* XVI. §. VII.

(i) *Ius prou. Saxon. lib.* I. *Art.* XXIII.

(k) Stryk. *de Succeſſ. ab inteſtato Diſſert.* II. *cap.* I. §. III.

ignorare tum in laude ponebatur, & ſi quis auſus eſſet tam inaudita loqui, non defuturus profecto fuiſſet, qui hominem miſerum non mitius acciperet, quam TABOR nouatorem illum, bono publico natum, HERM. CONRINGIVM.

§. XXIV.

In reliqua Saxonia paſſim & ius uſusfructus veſtigia occurrunt.

Enimuero quamuis in Saxonia electorali vſumfructum illum obliterarit immoderatus iuris Romani amor: in aliis tamen prouinciis Saxonicis & vicinis diligentior manſit moris tam antiqui cuſtodia. Per vniuerſam enim Thuringiam vſumfructum matri viduae etiamnum concedi, docent RICHTERVS (l), STRVVIVS (m), SCHILTERVS (n), LYNKERVS (o) & alii. In eo tamen ibi diſceſſum a reliquorum Germanorum conſuetudine, quod vſusfructus iſte non durat ad dies vitae, ſed, vti RICHTERVS pronunciari ſolere ſcribit, *bis die Kinder zu ihren mündigen Iahren kommen, und nicht mehr von der Mutter ihren Vnterhalt erlangen:* id quod procul dubio ex ICtorum ingenio eſt. Sinceriorem enim atque incorruptiorem hanc conſuetudinem in ipſa Thuringia ſeruarunt Mulhuſini, vbi STATVTIS (p) cautum, *daſs das überbleibende Theil*, (pater vel mater,) *bleibe ein Herr aller Güter, vvelche ſie beyde nach der Einſeegnung oder Prieſterl. Trauung und beſchrittenem Ehebette mit einander zuſammengebracht, ervvorben, ererbet und beſeſſen haben. Vnd daſs die Kinder keine vvürckliche Anfoderung an ſolchen Gütern haben, ſo lange der überbleibende Vatter oder Mutter am Leben, und im Wittvvenſtande bleibet.* In principatu Anhaltino idem ius paſſim olim obſeruatum eſſe, vel ex verbis LEGVM PROVINCIALIVM ANHALTINARVM (q) colligas: *Wir befinden aus täglichen Klagen, daſs in unſern Landen viel vviedervvärtige Gevvonheiten enthalten, vvie die Erbſchafften pflegen genommen zu vverden, ſonderlich vvann ſich Todes-Falle zvviſchen Mann und Weib zutragen, daſs die Frauen, die überbleiben, vvieviel Kinder auch verhanden ſeyn mögen, oder vvie ſonſt ihre Habe ehedem beſchaffen gevveſen, an etlichen Orten die Güter alle, an etlichen die Helffte, nehmen.* Vbi illud: *die Güter alle nehmen* procul dubio intelligendum de vſufructu, quo ſuperſtes in bonis communibus ad dies vitae gaudebat, modo ad ſecunda vota non tran-

(l) Richter. *ibid. n.* 32.
(m) Struu. *Synt. Iur. Ciu. Exerc.* XII. §. V.
(n) Schilter. *Exerc.* III. §. XII.
(o) Lynker. *Diſſ. de matr. pot. in lib.* §. XV.
(p) *Statut. Mulhuſ. lib.* IV. *Art.* XX. §. I. *& ſequ.*
(q) *Fürſtl. Anhalt. Landes-Ordnung.* Tit. XLV.

tranſierit. Nam Serueſtae, vrbe iſtius tractus facile principe, ſtatutum huiuſmodi etiamnum obſeruari, KOEPPENIVS (r) teſtatur.

§. XXV.

Fundamentum huius vſusfructus an quaerendum in tutela materna? an in praemio educationis? an in ſola communione bonorum?

Quae hactenus ex tot variarum prouinciarum vrbiumque ſtatutis decerpſimus, ea neminem, vti opinor, dubitare patientur, quin vſusfructus ille maternus, qualis in STATVTO HAMBVRGICO deſcribitur, ex iure antiquo & genuino Germanorum deſcendat, & olim in vniuerſa Germania obtinuerit, priuſquam eum loco cedere coegit ius Romanum, & iuriſconſultorum, illi vnice innutritorum, auctoritas. Iam itaque diſpiciendum porro, quodnam ſit verum ac genuinum iſtius vſusfructus fundamentum. Qui illud in ſola tutela materna quaerunt, quod nonnullis facere videntur WESENBECIVS (rr) & BERLICHIVS (s), procul dubio falluntur? Quamuis enim ei ſententiae faueant, quae paullo ante ex iure WISIGOTHICO & SAXONICO vidimus: non tamen ex tutela ſola poteſt explicari vſusfructus, qui pleriſque locis non maiorennitate, ſed vel liberorum ſeparatione, vel ſecundis nuptiis, finitur, quin alibi ad mortem vſque parentis ſuperſtitis durat. Nec ſane ea mens fuit doctiſſimi WESENBECII, quippe qui diſerte addit, *matres* IVRE PATRIO *adminiſtrare*. Nec male. Parentis enim vtriuſque poteſtatem in liberos adhuc impuberes & minores Germanis vocari conſueuiſſe TVTELAM, patet ex loco elegantiſſimo, quem ex STATVTIS ILMENSIBVS anno MCCCL. conditis excerpſit SCHILTERVS (ſſ): *Wer eines Kauffmannes Son, des Formunde ſin Vater unde ſine Mutter ſind, leſset ſpelen, addir vveret, addir ſine Kleyder leſſet abezihen in ſynem Huſe, der ſol des Geldes ôme noch ſynen Erben nimmer gegeben. Vnde der vvirt ſal rümen, alzo lange, das her Gnade an Herren unde an Bürgern vindet.* Non magis expeditum eſt, quod RICHTERO (t), STRVVIO (u) & LYNKERO (x) in mentem venit, vſumfructum hunc matri deberi, tamquam praemium educationis ac ſollicitudinis. Quamuis enim ſpecioſa videri poſſit haec ratio in Thuringia, vbi, ceſſante alendi educandique officio, etiam vſusfructus ille exſpirat: ei tamen locus non erit Hamburgi, Suſati, Lubecae, ac ne Mulhuſi quidem, quia ibi vſusfructus ille non niſi cum vita matris vſufructuariae finitur.

(r) Koeppen. *lib.* I. *Obſ.* CXXIX. *n.* 10.

(rr) Weſenbec. *Paratitl.* *D. de tutel.* *num.* 5.

(s) Berlich. *Part.* II. *Concl.* XII. *n.* 11.

(ſſ) Schilter. *Exerc. ad Pand.* XXXVII. §. XLII. *not.* *a.* *p.* 610.

(t) Richt. *Part.* I. *Deciſ.* XVIII. *n.* 11. *ſequ.*

(u) Struu. *Exerc.* XII. §. *V.*

(x) Lynker. *Diſſertat. citat.* §. *XV.* *p.* 19. *& ſequ.*

Digitized by Google

finitur. Si dixeris, ipſam priſtinorum beneficiorum memoriam ibi hoc efficere, vt vſusfructus, etiam ceſſante educationis onere, indulgeatur: difficulter admodum reddes rationem, cur mater eo beneficio excidat, ſimul ac pertaeſa viduitatis, ad ſecunda vota tranſire decreuerit. An enim ideo minus obſtricti erunt liberi ad gratias matri honeſtae referendas, quia iure ſuo vſa iterum nupſit? LAMBERTVS GORIS (y) & DAV. MEVIVS (z) iſtum vſumfructum repetunt a communione illa bonorum vel κοινοπραξίᾳ, quae inter coniuges eſt. Sed nec id facile admiſerint in Thuringia, aliiſque quibuſdam locis, vbi ignoratur vniuerſalis illa inter coniuges bonorum ſocietas. Saltim inde colligent, non ſolam illam bonorum communionem eſſe cauſſam beneficii, quod coniugi ſuperſtiti, ſoluta per mortem ſocietate, competit.

§. XXVI.

Verum eius fundamentum eſt materna poteſtas in liberos, &, quae inde fluit, arctiſſima inter coniuges communio.

Nos itaque comparatis rebus omnibus, quae huc facere videntur, ſubductiſque rationibus, ſummam hanc facimus cogitationum noſtrarum, iure Germanico arctiſſimam inter coniuges fuiſſe ſocietatem, ex ea natam eſſe communem vtrique parenti poteſtatem in liberos, & ex aequa denique illa parentum poteſtate vſumfructum illum coniugis ſuperſtitis prono alueo fluxiſſe. Quae omnia, quum vulgo non ſatis comperta ſint, ordine probare iuuabit. Et communionem quidem illam bonorum inter coniuges iam alii ſatis ſuperque demonſtrarunt. Quum enim apud Germanos, Celtaſque omnes, mulieres, teſtibus VARRONE (a), DIODORO SICVLO (b), STRABONE (c) ipſoque TACITO (d), a viris non modo in ſocietatem lecti & dignitatis, ſed & laborum periculorumque adoptarentur, adeo, vt illae ne quidem extra bellorum caſus & pericula eſſent: recte inde collegerunt maiores, non ſolum bona omnia & onera, ſed & iura, inter coniuges communia eſſe oportere, adeoque & poteſtatem in communes liberos parem vtrique coniugi eſſe concedendam. Obſeruarunt id iam pridem ICti egregii, HVB. GIPHANIVS (e), GEORGIVS SCHVLZIVS (f), CASP. ZIEGLERVS (g), FELTMANNVS (h), THOMASIVS (i), &

(y) Lamb. Goris, *Prodr. Aduerſar. l. c.*

(z) Meu. *ad ius Lubecenſ. Part.* II. *Tit.* II. *Art.* VIII.

(a) Varro *de re ruſtica lib.* II. *cap.* X.

(b) Diodor. Sicul. *Biblioth. lib.* IV. *cap.* IV.

(c) Strabo *Geogr. libr.* III. *p.* 165.

(d) Tacit. *de Morib. Germ. cap.* XVIII.

(e) Hub. Giphan. *Comment. ad tit. Inſt. de patr. poteſt.*

(f) Schulz. *in Synopſi Inſt. eod. tit. lit. b.*

(g) Ziegler. *in praefat. ad Not. & Animadu. in Hug. Grot. de Iure bell. & pac.*

(h) Feltm. *Spicil. Inſt. Diſp. V. th.* XXI.

(i) Thomaſ *de vſu pract. doctr. Inſt. de patr. pot. cap.* II. §. X.

& alii, quorum ſententia priſcis Germanorum legibus ac monimentis, ipſiſque, qui quotidie oculis noſtris obuerſantur, moribus quam maxime conſentanea eſt. Primo enim leges veteres Germanorum matri diſerte tribuunt poteſtatem, & eamdem quidem, quae patri adſcribitur, ceu docent loca, quae ex lege WISIGOTHICA & BVRGVNDICA iam ſupra (§. XV. XVI.) protulimus. Deinde apud Germanos non ſolum noti ſunt *Vaterloſe*, ſed & *Mutterloſe Wayſen*, & tunc demum puer puellaue immaturae aetatis pro pupillo vel pupilla habetur, ſi vtrumque parentem amiſerit, quod itidem ſupra (§. XV.) lege WISIGOTHICA cautum eſſe diximus. Atqui abſurdum eſſet, ſibi concipere pupillum matre orbatum, ſi, vti iure Romano, ita Germanico, matri nihil in liberos poteſtatis fuiſſet. Accedit, quod matris non minus, quam patris conſenſum requirere tenerentur liberi in Germania, non ſolum in ſponſalibus & nuptiis, ſed & in alienationibus, donationibus aliiſque actibus, ex quibus detrimenti quidquam capere poſſent. Exſtat huius generis exemplum apud illuſtrem a LVDEWIG (k), qui in Reliquiis MSC. inter alia edidit diploma Burchardi, Comitis in Valkenſtein, quo anno MCCCXXX. eccleſiae Halberſtadienſi tradit caſtrum in Valkenſtein & caſtrum in Engerſleben, cum oppido & omnibus proprietatibus, *idque* CONSENSV MATRIS *ſuae, dominae Luitgardis, & aliorum, quorum* CONSENSVS *requirendus fuerat, ad id* SPECIALITER *accedente.* Similiter apud AVB. MIRAEVM (l) reperitur diploma Godofredi Bullonii, qui anno MXCIV. monaſterium S. Petri Bullonienſe praedio quodam locupletaturus, his verbis vtitur: *hanc meam intentionem quum retuliſſem* MATRI *meae*, IDAE, *praedicti ducis filiae, & fratribus meis,* BALDVINO *&* EVSTACHIO, *eorum deinde conſilio &* CONSENSV VOLVNTARIO *eccleſiam noſtram noſtri proprii & hereditarii iuris de Baſeio deſtinauimus & donauimus. - - Quod donum vt ratum & firmum eſſet, eamdem* MATREM *meam & fratres meos mecum Bulonium duxi, & in praeſentia optimatium meorum veſtituram praedictae eccleſiae in Baſeio* SIMVL *depoſuimus ſuper altare beati Petri.* Eodem modo, conſenſum maternum in alienationibus ſe adhibuiſſe, fatentur anno MXLIII. Wennemarus, dominus de Leliis (m), & anno MLXXIX. Waltherus Ribodimontanus (n). Quin tanta fuit matrum in liberos poteſtas, vt Giſla Gandauenſis,

(k) Ludevv. *Reliqu. MSC. Tom.* VII. *p.* 447.

(l) Aub. Miraeus *in Cod. Donat. piar. cap.* LXVI. *p.* 77. *edit. nou.*

(m) Miraeus *Dipl. Belg. lib.* I. *cap.* XXX. *p.* 150.

(n) Idem *ibid. cap.* XL. *p.* 163.

ſis, *ſecundum mundanae dignitatis gloriam*, vti ipſa ait (o), *liberis orta parentibus, & ſatis ingenua*, anno MCCC. ſe cum tota ſua ſobole tradiderit B. Gertrudi in ſeruitutem, quod & anno MCXXXIII. feciſſe animaduertimus Tungerloae Adelam, *nobilem matronam (p), ea conditione, vt omnes poſteri eius, qui de ſemine eius procrearentur, tam viri, quam feminae, ſingulis annis pro capitali cenſu vnum denarium Antuerpienſis monetae in natiuitate B. Mariae ſaepe dictae eccleſiae perſoluere deberent, & ſex in matrimonio contrahendo, & ſex in obitu eiuſdem monetae.* Quae omnia ſane ita comparata ſunt, vt ſine poteſtate matris in liberos intelligi vix poſſint.

§. XXVII.

Haec & mortuo alterutro coniuge continuatur.

Iam ergo ex ea poteſtate, quae non in iure vitae & necis, aut iure venundandi, nec in iure omnia indiſtincte per liberos adquirendi, ſed in iure educandi elocandique liberos, bonaque eorum liberrime & ſine onere rationum reddendarum adminiſtrandi conſtitiſſe videtur, recte colligebant Germani, mortuo patre matrem eam poteſtatem, (quam liberis impuberibus etiam *tutelam* adpellabant,) in ſolidum exercere, &, quamuis hi forte, quod ad perſonas attinet, nuptiis vel ſeparata oeconomia ea poteſtate materna exirent, matrem tamen obſtrictam non eſſe ad bona liberis reddenda, poteſtatemque ſibi in his competentem dimittendam, niſi per ſecundas nuptias ipſa in alienam familiam tranſiret. Hinc facile intelligimus, cur WESENBECIVS (q) matrem *patrio*, BERLICHIVS (r) *paterno iure* hunc vſumfructum capere ſcripſerint, & cur in ſtatutis MVLHVSINIS (s) ratio huius vſusfructus ex poteſtate illa materna diſerte reddatur, dum ibi legimus: *Kommen zvvo Perſonen ohne Kinder zuſammen in rechter Ehe, und erzeugen in derſelben Ehe Kinder mit einander: ſtirbt alsdann derſelben Eheleute eines, ſo behält das überbleibende die väterliche und mütterliche Gevvalt über die mit einander erzeugte Kinder, und bleibt ein Herr aller Güter. &c.* Quamobrem iſte vſusfructus Germanicus nihil aliud eſt, quam continuatio maternae poteſtatis atque cum ea coniunctae communionis bonorum, quippe quae morte vnius ſolui non videbatur, ſed ſeparatione demum

(o) Idem *Donat. Belg. lib.* I. *cap.* XVIII. *pag.* 348.

(p) Idem *Notit. Eccleſ. Belg. cap.* LXXIV. *p.* 686.

(q) Weſenbec. *l. c.*

(r) Berlich. *l. c.*

(s) *Statut. Mulhuſin. lib.* IV. *Art.* XX. §. I.

mum aut ſecundis nuptiis, ceu recte poſt LAMBERTVM GORISIVM (t) vidit MEVIVS (u).

§. XXVIII.

Mater vſufructuaria debet tempore mortis mariti in iuſto matrimonio vixiſſe.

Reliquum eſt, vt quid iuſtum ſit circa vſumfructum illum maternum, paullo accuratius explicemus. Quaeri autem occaſione STATVTI HAMBVRGENSIS poterit, quaenam matres hoc iure gaudeant? in quonam earum ius onuſque cum illo coniunctum conſiſtat? & quamdiu denique illud ſaluum habeant? Quae quidem ſuo ordine iam breuiter explicare iuuabit. Primo itaque ex ſtatuto noſtro facile patet, illas demum matres hoc vſufructu gaudere, quae ad mortem uſque maritorum cum hoc in iuſto matrimonio vixerunt. Id enim ſatis perſpicue docent verba: *vvann auch der Mann todes verfahren, und ſeine Ehefrau, ſamt einem oder mehr Kindern, ſo ſie von ihm getragen, nachgelaſſen vvürde.* Requirit itaque ſtatutum mortem mariti, ſuperſtitem coniugem, & liberos ex eo matrimonio natos. Quae quum ſine iuſto matrimonio non intelligantur (x), facile patet, eam diſpoſitionem iuris nec ad concubinas, nec ad vxores a marito diuertentes, vel ex iuſta cauſſa ſeparatas, pertinere. Idque & alia ſtatuta, ex quibus ſupra nonnulla decerpſimus, deſiderant. Colonienſe enim ſupponit, *das Eheleute bey einander ſitzen in ehelichen Staat*, Bremenſe, *dat tvvo Lüde toſamen kommen, Mann und Frauen in Echtſchup*, Mulhuſinum, *daſs zvvo Perſonen zuſammen kommen in rechter Ehe.* Omnia autem in eo conueniunt, maritum, conſtante matrimonio, deceſſiſſe. Eiuſque rei iuſtiſſima omnino cauſſa eſt. Quum enim hic vſusfructus ex matris poteſtate in liberos; haec ex communione illa ac ſocietate, quae inter coniuges Germanos intercedit, arctiſſima proficiſcatur: (§. XXVI.) conſequens eſt, vt vſusfructus iſte concipi non poſſit in bonis, a concubinario vel ſtupratore relictis. Nec enim liberi naturales & ſpurii iure noſtro patrem habere, nec inter parentes illorum vlla communio intercedere intelligitur. Hinc ſi quid poſſidet concubina vel ſtuprata, in eo plena proprietate gaudet, nec prius filius illegitimus ex eo quidquam ſibi iure vindicat, quam mortua matre, cui ab inteſtato omnino ſuccedit. Nec locus erit huic vſuifructui, matrimonio ante mariti obitum per diuortium ſoluto. Vti enim recte obſeruauit MEVIVS (z), ille vſusfructus inde eſt, quod

(t) Lamb. Goris, *Prodr. Aduerſ. cap.* XXI. §. III.

(u) Meu. *l. c.*

(x) §. *pen. Inſt. de nupt.*

(z) Meu. *ibid. n. 6. ſequ. p.* 379.

quod bonorum communio, natis & ſuperſtitibus ex connubio liberis, qui imaginem patris repraeſentant, ante diuiſionem continuatur, non ſecus, ac ſi maritus adhuc ſuperſtes eſſet. Iam, facto diuortio viuo adhuc marito, procul dubio ſoluta eſt illa ſocietas, & proinde inter viduam & liberos continuari non poteſt. Vnde eleganter, & plane ex principiis iuris Germanici, ſcribit GREGORIVS THOLOSANVS (a): *Etſi mariti corpus exſtinctum eſt, animorum tamen conſenſus remanet, & ſepulti mariti portio vidua cenſetur, quae memoriam priſtinae ſocietatis perpetuo retinet, & in ſepulcro veneratur, quamdiu foedus & vinculum cum eo diſrumpere non cupit.* Quemadmodum itaque ius Romanum viduam retinere patitur defuncti mariti forum & domicilium (b), dignitatem (c), priuilegia, iura ac immunitates (d), perinde ac ſi maritus adhuc in viuis eſſet: ita Germani hoc ad ipſa bona protulerunt, nec ad familiam erciſcundam eam adegerunt, quia illam κοινοπραξίαν etiam mortuo alterutro coniuge crediderunt continuari. Quo beneficio plane indignae cenſentur vxores perfidae, adeo vt iis praeter alimenta nihil attribuant leges Hamburgenſes (e).

§. XXIX.

Deinde & id STATVTVM exigit, vt ex marito & vidua ſuperſtites ſint liberi, ſiue vnus ſiue plures. Si enim orbus deceſſit maritus, nec pactis dotalibus aliud cautum reperitur, exſoluto ex bonis communibus aere alieno, ſemiſſem eorum, quae ſuperſunt, ſibi retinet vidua, altero ſemiſſe mariti proximis cognatis relicto, prout id ex bonorum communione fluit (f). Et ea quidem in re paullo deterior eſt vxorum Hamburgenſium, quam Lubecenſium, conditio, ſiquidem hae, non exſtantibus liberis, bona illata praecipiunt, & tunc demum quod reliquum eſt, aequa lance diuidunt cum mariti heredibus (g). Contra hoc caſu, ſalua obſignatione & deſcriptione inuentarii, per integrum annum viduae Hamburgenſi debentur habitatio atque alimenta vna cum famulitio ſuo, itemque veſtes lugubres, niſi vel pactis dotalibus, vel tranſactione, inter eam atque heredes inita, aliter conuenerit (h). Sunt qui eiuſmodi ſtatuta, quibus vxor repetitione illatorum pri-

Superſtites debent eſſe liberi legitimi. Quid ſi tales non exſtent?

(a) Greg. Tholoſan. *in Syntagm. Iur. lib.* IX. *cap. IV. n.* 12.
(b) *L. 9. C. de incol. l. 65. ff. de iudic.*
(d) *L. 2. C. de epiſc. & cleric. l. 3. pr. C. de priuil. ſcholar.*
(e) *Statut. Hamb. Part. III. Tit. III. Art. XI.*
(f) Idem *ibid. Art. VIII.*
(g) *Ius Lubec. Part. II. Tit. II. Art. XII.*
(h) *Stat. Hamb. ibid. Art. X.*

uatur, paullo iniquiora exiſtimant, vel ideo, quod, iudice POMPONIO (i), *dotis cauſſa ſemper & vbique praecipua eſt, & reip. intereſſe videtur, dotes mulieribus conſeruari, quum dotatas eſſe feminas ad ſobolem procreandam, replendamque liberis ciuitatem, maxime ſit neceſſarium.* Et hinc ſaepe in Scabinatu Lipſienſi quaeſitum meminit DANIEL MOLLERVS (k), valeatne huiuſmodi conſuetudo, an optio nihilominus relinquenda ſit mulieri, vel quotam bonorum mariti accipiendi, vel ea repudiata dotem illam repetendi? Enimuero quid prohibet, quo minus conſuetudo deroget iuri communi, & ratione naturali non ſubnixo, & ſaluis patriae moribus in ſubſidium duntaxat recepto? Eſt hoc vetus, at ineptum, praeiudicium, ſtatuta coercenda eſſe ex iure communi, quod ipſe MOLLERVS loco illo paullo ante laudato ſolide refellit. Ceterum, vt ad rem redeamus, ex iis, quae diximus, facile patet, eam demum viduam vſufructu illo gaudere, quae mater ſit, liberoſque e priore matrimonio habeat ſuperſtites, ſiquidem improlis partem bonorum communium non iure vſufructuario, ſed iure dominii capit, de eaque libere inter viuos mortiſque cauſſa diſponit.

§. XXX.

Quid ſi exſtent, ſed iam ſeparati?

Quid vero ſi exſtent quidem liberi, ſed quidam iam ſeparati ſint data bonorum portione? Tunc ſane notum ac prouocatum eſt, his nihil amplius ſpei ſupereſſe in hereditate paterna maternaue, ſi alii ſuperſint nondum ſeparati. In fauorem enim liberorum conſortium aliorumque ſemper fit ſeparatio, vnde & ipſa ſeparatione illi ſoli ad ſucceſſionem vocari intelliguntur (l). Quod & STATVTVM HAMBVRGENSE (m) ita confirmat: *Wann Kinder durch ihre Eltern mit gevviſſem Gute ausgeſteuret, und ſie ſambt zvveyen ihrer nächſten Freunden damit zur Zeit ihrer Ehelichung friedlich: können ſie ferner mit andern ihren Brüdern und Geſchvviſtern in Vater-oder Mütterlichen Gütern nicht erben; es ſey dann, daſs es anders verabſchiedet und beredet vvorden.* Itaque mater ſuperſtes tunc vſufructuaria eſt ratione liberorum nondum ſeparatorum, non ratione eorum, quibus iam certa bonorum pars rite ac more maiorum adſignata eſt. Quod & tunc obtinet, ſi, mortuo iam alterutro coniuge, ſuperſtes liberos a ſe ſeparet, tunc enim

(i) L. 1. *ff. ſolut. matr. dos quemadm. repet.*

(k) Moller. *Semeſtr. libr. II. cap. XLI.*

(l) Meu. *ad Ius Lubec. Part. II. Tit. II. Art.* XXXIII. *n.* 160.

(m) *Statut. Hamb. Part. III. Tit. III. Art. II.*

Digitized by Google

enim bona itidem iure proprietatis poſſidet, & ad ſecunda tranſiens vota, illa, excluſis ſeparatis, ad liberos ex poſteriore matrimonio naſcituros deuoluit, ceu STATVTO diſerte cautum eſt (n). Separationem enim ex ſtatuto aiunt vim renunciationis habere (o), & abdicationis, & e domo paterna propulſionis inſtar eſſe (p), quin liberos & parentes ipſo ſegregationis momento mori, cenſetur (q), quum paria ſint, filium non exſtare, & exſtare quidem, ſed ſuccedere non poſſe (r).

§. XXXI.

Non vtitur fructur mater, niſi ſit frugi.

Praeterea non promiſcue matrem ad hoc beneficium vocat IVS HAMBVRGENSE: ſed tum demum, ſi frugi eſt, & rem familiarem prudenter curat. Verbis enim vtitur: *So lange ſie vvohl Hauſs hält*, vt paullo ante de patre (s); *Bleibt der Mann Wittvver, und ſtehet ſeinen Dingen vvohl vor.* Itaque non credentur bona viduae laſciuae & prodigae, quae impenſarum nec finem nec modum facit, vel quae ob furorem, inſaniam, aut inſignem ſtupiditatem rebus ſupereſſe non poteſt. Quum enim procul omni dubio matri tam liberam adminiſtrationem ideo potiſſimum indulſerint Germani, quod de eius pietate ac diligentia ſpem maximam concepiſſent: conſequens ſane eſt, vt ſi ea ſpes decollet, viduaque, fruges tantum conſumere nata, genio indulgeat manifeſto, vel rei gerendae inepta ſit, etiam beneficio illi locus eſſe non poſſit. Huiuſmodi enim feminae mandes, quaeſo, ſi quid recte curatum velis. Quid vero ſi, quae initio, tamquam mater frugi, rei familiari praefuit, poſtea, tamquam Circeo epoto poculo, extemplo ſui diſſimilis facta, bona abligurire & res bene partas ſtolide diſſipare coeperit? Ne tunc quidem dubium eſt, quin vſumfructum illico finiri oporteat. Statutum enim ait, ei locum fore, *ſo lange dieſelbe vvohl Haus hält*, ex eoque conſequitur, vt ſi a priſtina frugalitate ad prodigalitatem ruat, beneficio illo merito excidat. Idque & MEVIVS (t) & MANZIVS (u) in caſu ſimili concedunt, quorum hic tunc vel ad familiam erciſcundam deueniri, vel curatorem, qui adminiſtret, conſtitui oportere tradit; ille autem prius facilius admiſſum iri ſcribit, idque non ſine ratione. Intereſt enim ipſorum libe-

(n) *Stat. Hamb. Part.* III. *Tit.* III. *Art.* VII.

(o) Goedd. *Conſil. Marpurg.* XXVI. *n.* 4. *&* *Conſ.* LXVII. *Vol. I.*

(p) Cothm. *Conſil.* XXV. *n.* 23. *Vol.* III.

(q) Hartm. Piſtor. *Conſil.* II. *n.* 24. *Vol.* II.

(r) *Gloſſa ad l.* 14. *ff. de inoff. teſt.*

(s) *Stat. Hamb. Part.* III. *tit.* III. *Art.* V.

(t) Meu. *ad Ius Lub. Part.* II. *tit.* II. *Art.* VIII. §. 85. *p.* 384.

(u) Caſp. Manz. *de Curator. n.* 172.

liberorum, exiſtimationi matris etiam improbae parci, nec ei inuri notam, liberis ipſis non minus, quam illi, dedecori futuram (x). Hoc caſu autem curatoris conſtitutio, quae alioquin in accuſatione ſuſpecti tutoris pro remedio ſeruandae famae habetur, magis omnino ſugillaret exiſtimationem matris, quam bonorum communium diuiſio, ac proinde haec illi merito erit praeferenda.

§. XXXII.

Fructus vero percipit iure vſusfructuario.

Denique ex ipſo ſtatuto liquet, vſumfructum non niſi matri viduae conſtitui: *ſo lange dieſelbe bleibt unvereblichet.* Sed quum de eo infra opportunior futura ſit dicendi occaſio: potius ad alterum, quod expenſuros nos diximus, caput, progredimur. Iam enim praecipue quaeritur, quo iure vidua in bonis communibus gaudeat, quibuſque cum oneribus coniunctum ſit iſtud beneficium? Vocauimus hoc ius VSVMFRVCTVM MATERNVM? Quamuis enim iſtud vocabulum in STATVTO NOSTRO non exprimatur, in aliis autem ſimilibus matri plane *dominium* attribuatur, veluti in Mulhuſino & in conſuetudinibus Bambergenſibus IVSTI VERACII, in aliis ſola *adminiſtratio* vel *poſſeſſio*, e. g. in IVRE PROVINCIALI SVEVICO, & aliis ſtatutis ſupra citatis: facile tamen patet, non alio nomine ius illud, quatenus in bonis mariti ſe exſerit, venire poſſe, quam vſusfructus. Nudam adminiſtrationem matri nemo attribuet, quia infra adparebit, eam ad rationes reddendas non eſſe obſtrictam. Nec dominium illi competere quiſquam adſeuerabit, quum bona ſint communia pro indiuiſo, adeoque mater liberos tamquam heredes patris a parte dominii excludere non poſſit. Accedit, quod, vti mox demonſtrabitur, mater bona iſta pro lubitu alienare aut diminuere nequeat, ſaluamque adeo praeſtare debeat eorum ſubſtantiam. Vnde ſane nihil aliud relinquitur, quam vſusfructus, quem matri etiam diſerte tribuunt non modo Thuringi, Weſtphali, aliique, quorum leges moreſque ſupra deſcripſimus, ſed & doctores tantum non omnes, qui de eiuſmodi ſtatutis egerunt, veluti RICHTERVS (y), COTHMANNVS (z), GORISIVS (a), MEVIVS (b) & alii. Quamuis fatendum ſit, apud Germanos vſumfructum veteri iure multo fuiſſe pinguiorem, quam apud Romanos, & hinc a SCHILTERO (c) & THOMASIO (d) rectius ad ſpecies

(x) *Arg. l. 9. ff. de ſuſpect. tut.*
(y) Richt. *Part.* I. *Dec.* XVIII.
(z) Cothm. *Vol.* II. *Conſil. XCV. n.* 35.
(a) Goris *Prodr. Aduerſar. cap.* XXI.
(b) Meu. *Part.* II. *Iur. Lub. tit.* II. *Art.* VIII. *n.* 25.
(c) Schilter *Exerc.* XVII. 19. 20.
(d) Thomaſ. *Not. ad Inſtit. tit. de vſufr. p.* 157.

cies dominii vtilis, quam ad ſeruitutes perſonales, referri, atque inde fortaſſis eſſe, quod IVSTVS VERACIVS & STATVTA MVLHVSINA ipſum dominium attribuunt matri viduae.

§. XXXIII.

Et quidem omnes, nec sol u menta.

Quaeſtionem hic mouent, vtrum omnes fructus ſuos faciat mater vſufructuaria, an tantum ſolummodo lucretur, quantum ad alimenta opus ei eſſe videatur? Refert ſane MEVIVS (e), poſterius argumentis quibuſdam adſtruere non neminem voluiſſe, quae paucis audire animus eſt. Primo, inquit, IVS LVBECENSE (f), noſtro fere ſimile, rationum reddendarum oneri ſubdit patrem ipſum, durante viduitate vſufructuarium, quod fieri non poſſet, ſi fructus omnes, ſicuti iure Romano, tamquam ſuos perciperet, quia de ſuis rationem nemo reddit (g). Deinde non praeſumitur, ſtatutum viduam ad aliam conditionem transferre voluiſſe, ac in qua, dum maritus vixit, fuit. Quo poſito, & mortuo marito praeter victum atque amictum nihil ſibi vindicabit ex bonis communibus. Accedit, quod GAILIVS (h), MENOCHIVS (i), MASCARDVS (k), SVRDVS (l), aliique doctores celeberrimi obſeruarunt, vſumfructum omnium bonorum, vxori teſtamento relictum, fauore liberorum reſtringi ad alimenta, non autem plenum vſumfructum, quo omnis vtilitas ad viduam transferatur, eo ipſo datum intelligi. Tum porro iure communi prohibitum nouimus, ne viduae vſusfructus bonorum omnium ita relinquatur, vt reliquum liberis nihil ſit, praeter proprietatem (m). Cui quum ſtatuto diſerte non ſit derogatum, nihil videtur obſtare, quo minus tam ſalubris ſanctio hodiernum obſeruetur (n). Praeterea, ſi vſusfructus formalis matri viduae concederetur: nudum liberis ſupereſſe videretur heredum nomen, nihilque vtilitatis, quod alioquin hoc vocabulo comprehenditur, ad eos pertineret. Denique, quod iniuſtiſſimum videbitur, hoc vſufructu integro ac formali maximum detrimentum inferretur legitimae liberorum portioni, quae tamen numquam cenſetur comprehenſa, dato vſufructu in bonis parentum, ſed ſemper excepta intelligitur, teſtibus GAILIO (o) & PEREGRINO (p).

(e) Meu. *ibid. n.* 26. *p.* 381.

(f) *Ius Lub. Part.* II. *Tit.* II. *Art.* XII.

(g) L. 21. C. *mandat.*

(h) Gail. *Obſ. lib.* II. *cap.* CXLIV. *n.* 2.

(i) Menoch. *lib. IV. praeſ.* CXXXIX. *n.* 4.

(k) Maſcard. *de Probat. Concl.* CXLIX. *n.* 18.

(l) Surd. *de Aliment. Tit.* II. *quaeſt.* XV. *n.* 12.

(m) *Nouell. XVIII. cap. III. verſ. prohibemus.*

(n) L. 27. C. *de teſtam.*

(o) Gail. *ibid. n.* 1.

(p) Peregrin. *de Fideicomm. Art.* XII. *n.* 39.

Haec ille ὁ δεῖνα, qui vſumfructum iſtum matris ſtatutarium profligare, eoque ipſo vel de iure ciuili Romano, vel de liberis bene mereri ſtuduit. Quemadmodum itaque iam MEVIVS (q) eius ſententiam ex iure ſtatutario Lubecenſi erudite refellit: ita illa non magis concinna eſt ſtatuto noſtro, in quo matri nihil iniungitur, quod liberis reddere ac praeſtare teneatur, praeter alimenta & dotem, vel ſubſidium maternum congruum. (*Alimenten und Ausſtattung.*) Atqui exceptionem firmare regulam in caſibus non exceptis, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt (r). Praeterea ſupra diximus, rationem huius beneficii eſſe communionem inter coniuges arctiſſimam, & maternam, quae inde prono veluti alueo fluit, poteſtatem. Quum itaque communio illa, etiam mortuo patre, continuari cenſeatur: conſequens ſane eſt, vt viduae vſufructuariae eadem indulta ſint ſtatuto, quae maritus ex iſtis rebus habiturus eſſet, ſi vxori fuiſſet ſuperſtes (s). Ei enim STATVTVM HAMBVRGENSE hac quidem in re per omnia aequare voluiſſe viduam, liquido adparebit, ſi articulum III. cum V. paullo accuratius contenderis. Ad argumenta illa ſuperiora iam a MEVIO (t) tam ſolide reſponſum eſt, vt actum agere & aliena expilare ſcrinia merito religioni nobis ducamus.

§. XXXIV.

Hinc tenetur ad conficiendum inuentarium.

Fructus itaque omnes ſuos facere matrem viduam, vbicumque ſimilia ſtatuta exſtant, conſtanter adfirmant PECKIVS (u), COTHMANNVS (x), ZOLNERVS (y). Nec aliud vſus quotidianus, optimus ſtatutorum interpres, docet, vt fruſtra ſint, qui ex iure ciuili ſubtiliſſime philoſophantur, ſiquidem hoc numquam nos Germani niſi in ſubſidium, & saluis moribus atque inſtitutis patriis, recepimus. At quaeritur, an ad omnia, quae vſufructuariis iniungunt leges, & mater vidua obſtricta ſit? Et primo quidem, quod de vſufructuariis tradunt doctores, eos ad conficiendum inuentarium teneri (z), ad matrem etiam procul dubio pertinet. Primo enim bona, quae adminiſtrat, non ſunt omnia in eius dominio, ſed pro indiuiſo etiam ad liberos pertinent. Exhibitio autem inuentarii

(q) Meuius *ibid. n.* 34. *ſequ.*

(r) L. 12. §. *vlt. ff. de inſtruct. & inſtr. leg.*

(s) Cothman. *Vol.* III. *Conſil.* XXXIX. *n.* 31.

(t) Meuius *ibid. n.* 40. *ſequ. p.* 381. *ſequ.*

(u) Peck. *de Teſtam. Coniug. lib. V. cap. VI. n.* 2.

(x) Cothm. *Vol.* III. *Conſ.* XXXIX. *n.* 55. *ſequ.*

(y) Zolner. *in ſubſcript. illius conſilii Cothmanniani.*

(z) Gail. *lib.* II. *Obſ.* CLXV. *n.* 10. Caualcan. *de Vſuſr. mul. relict. nu.* 142. *ſequ.*

Digitized by Google

tarii incumbere videtur omnibus, qui res alienas adminiſtrant, adeoque etiam vſufructuariis (a). Deinde idem probat STATVTVM HAMBVRGENSE (b), generatim ſanciens: *Ferners, da jemande auf ſeine Lebezeit der Beſitz oder genieſslicher Brauch aller oder etlicher Güter vermacht, ſoll derſelbe gleichfals von allen ſolchen ein Inuentarium aufrichten.* In eo tantum differt vſusfructus legato relictus ab hoc legitimo, quod hic non praeciſe inuentarium, a perſona iudiciali confectum, deſideratur. Nam quod poſtremum argumentum eſt, ex moribus Hamburgenſium mater iterum nuptura ad diuiſionem bonorum communium obſtringitur, eaque fieri non poteſt, niſi edito inuentario. Vnde denuo ius Hamburgenſe (c): *Vnd ſoll vorgedachte Theilung, vermöge des durch die Vormünder aufgerichteten Inuentarii, (vvelches die Wittvve mit ihrem leiblichen Eyde zu bekräfftigen, und, daſs ihres Wiſſens alle ihres ſeel. Ehemannes Verlaſſenſchafft damahls beſchrieben, zu betheuren ſoll ſchuldig ſeyn,) und der durch die Vormünder folgends gehaltener, und zur Zeit, vvann die Wittvve ſich andervveit zu verehlichen vorhabens, geſchloſſener Rechnung geſchehen und verrichtet vverden.* Nec nos mouet, quod patri, qui iure poteſtatis in liberos vtitur fruitur, inuentarii conficiendi neceſſitas remittitur (d). Inde enim nemo iuris Germanici paullo peritior colliget, matri huiusmodi poteſtatem non competere iure Germanico, (quod tamen & MEVIVS (e) perperam opinatur,) multo minus exiſtimabit, ob legem illam & matrem immunem eſſe debere a deſcriptione inuentarii. Iure enim HAMBVRGICO vti vtrique parenti eadem poteſtas, ita & idem conficiendi inuentarii onus incumbit. Quod enim paullo ante de matre ſancitum audiuimus: idem & de patre diſponitur (f) verbis: *oder vermittelſt eines leiblichen Eydes ein beſtandig Inuentarium aller ſeiner Güter übergeben, und ſeinen Kindern erſter Ehe den halben Theil --- verſprechen und geben ſoll.* Quamobrem ex illa obligatione ad conficiendum inuentarium non ſequitur, vt matrem exſortem exiſtimemus poteſtatis in liberos, quum eo argumento & patri poteſtas omnis in eosdem deneganda eſſet, ſed vt alterius plane generis eſſe dicamus poteſtatem, qua parentes Germani gaudent,

(a) Peck. *ibid. lib. V. cap.* XXIV. n. 3.

(b) *Statut. Hamb. Part. III. Tit. VII. Art. VII.*

(c) *Ibid. Tit.* III. *Art.* VI.

(d) L. *fin. C. de bon. quae lib.*

(e) Mevius *ibid. n.* 80. *p.* 384.

(f) *Stat. Hamb. Part.* III. *Tit.* III. *Art.* IV.

& ab illo dominio Quiritario in liberos, quod patribus Romanis indulſerat Romulus, diuerſiſſimam.

§. XXXV.

An in eo & reliqua liberorum bona aduentitia recenſenda ſint?

Quamuis vero ad conficiendum inuentarium procul dubio obſtricta ſit mater, fructus ex bonis communibus perceptura: facile tamen patet, in illud referenda non eſſe, niſi bona communia, quae tempore mortis exſtant, adeoque ſeparatas eſſe bonorum rationes, quae ad liberos non a parentibus, ſed ab extraneis, peruenerunt. Iubet enim STATVTVM matrem in inuentarium referre *alle ihres ſeeligen Ehemanns Verlaſſenſchafft* (g), nec quidquam de liberorum bonis aduentitiis praecipit. Deinde quamuis pater etiam portione liberorum ſeparatorum vtatur fruatur, donec illi annum duodeuiceſimum exegerint: tamen ibi diſerte excipiuntur bona, quae ad liberos illos aliunde deuenerunt, eoque pertinent verba (h): *Vnd hat der Vater in denen ſeinen Kindern zugetheilten Gütern die Abnutzungs-Gerechtigkeit. -- In den Gütern aber, vvelche den Kindern nach Abſterben ihrer Mutter von ihrem Groſs-Vater oder Groſs-Mutter, oder andern Vervvandten anerben, hat der Vater die genieſsliche Nutzung nicht, ſondern vvird dieſelbe den Kindern vorbehalten.* Vnde non abs re colligere nobis videmur, nec matrem vti frui illis liberorum bonis, maxime quum vſusfructus ille paternus cum eodem onere alendi educandique coniunctus ſit, & tamen patri in bonis illis nihil iuris concedatur. Accedit, quod eodem modo interpretari ſoleant IVS LVBECENSE, noſtro ſimillimum: vti apparet ex iis, quae ea de re diſſerit MEVIVS (i). Quare vix dubitare licet, ad ea bona vſumfructum maternum ſe non extendere, quum ad ea nec ſe extendat bonorum communio.

§. XXXVI.

An mater & cautionem vſufructuariam praeſtet? An poſſit alienare?

Deinde quum alioquin, qui re aliena vtuntur fruuntur, ad cautionem vſufructuariam obſtricti ſint, & hinc ſatisdare teneantur, ſe vſuros fruituros arbitratu boni viri (k), & quando vſusfructus finitus fuerit, reſtituturos, quod inde exſtabit (l): quaeſtio oritur, an non eadem cautio a matre praeſtanda ſit, quae vidua vſumfructum ex bonis communibus percipit? Tanto magis id videri poſſet adfirmandum, quanto certius conſtat, per IVSTINIANI

(g) *Statut. Hamb. ibid. Art. VI.*
(h) *ibid. Art. IV.*
(i) Meu. *ad Ius Lubec. Part.* II. *Tit.* II. *Art.* VIII. *in Addit. n.* 25. *pag.* 384.
(k) L. 1. §. 6. *ff. vſufr. quemad. cau.*
(l) L. 3. *pr.* & §. 1. *ff. eod.*

Digitized by Google

NI (m) conſtitutionem *ſolum patrem paterna reuerentia excuſari & a ratiociniis, & a cautionibus, & ab aliis omnibus, quae ab vſufructuariis extraneis leges exigunt.* Vnde & matri viduae, cui vſusfructus teſtamento eſt relictus, cautionem illam remittendam eſſe, negant iuriſconſulti eximii, GAILIVS (n) & PETR. PECKIVS (o), ſi vel maxime parens ei cautionis illius gratiam feciſſet. Enimuero haec omnia ita comparata ſunt, vt contrariae ſententiae ſuffragari non dubitemus, partim quod eiuſmodi cautionem nuſquam exigunt STATVTA HAMBVRGENSIA, partim quod vſusfructus ille maternus ex ipſa lege proficiſcitur, legitimus autem vſusfructus ab eo onere immunis eſſe ſolet: partim quod idem iure Lubecenſi, ſtatutis Hamburgenſibus hac in re admodum ſimili, obtinere, teſtatur DAV. MEVIVS (p). Neque obſtat, ſoli patri cautionis vſufructuariae gratiam fieri a IVSTINIANO. Praeterquam enim, quod ex iure illo deriuandum non ſit ius Germanicum, ipſe etiam textus ex *L. vlt. §. 4. C. de bon. quae lib.* matri Germanae manifeſto fauet. Quum etenim pater *a cautionibus paterna reuerentia excuſari* dicatur, & in Germania eadem matri poteſtas, eademque debeatur reuerentia: conſequens eſt, vt illam non minus immunem eſſe a cautione vſufructuaria eſſe oporteat, ac Romae patrem. Neque tamen inde conſequitur, vt mater, quia ſatiſdare non cogitur, aliquid ex bonis paternis alienare ac diſſipare poſſit in fraudem liberorum. Nam nec pater id poteſt iure Romano, niſi extrema vrgente neceſſitate (q), quum tamen eum liberis peculii aduentitii nomine non ſatiſdare, ſatis conſtet. Sane eam bona diſſipandi licentiam matri ademerunt STATVTA HAMBVRGENSIA, non modo dum conditionem adiiciunt vſuifructui (r): *vvann ſie vvohl Hauſs hâlt*, verum etiam dum alio loco exigunt, vt mater, ad ſecunda vota tranſitura, bona mariti omnia ſecundum inuentarium iureiurando firmandum manifeſtare cogatur (s). Vnde & IVRA LVBECENSIA id diſerte exprimunt (t): *Sie mag aber derſelben Güter keine vveder verkauffen, verſetzen noch vergeben, ohne der Erben Erlaubniſs, es vvâre dann, daſs ſie dieſelben bedürffte zu Vnterhaltung ihres Leibes, vvelches ſie zuvor eydlich erhalten muſs.* Ne quis rem in dubium vocare, aut exiſtimare poſſit, Hamburgi ea in re matri plus,

 quam

(m) L. *vlt.* §. 4. *C. de bon. quae liber.*
(n) Gail. *lib.* II. *Obſ.* CXLV. *n.* 16.
(o) Peck. *de Teſtam. Coni. lib. V. cap.* XXIV. *n.* 4.
(p) Mev. *ibid. n.* 82.
(q) L. *vlt.* §. 5. *C. de bon. quae lib.*
(r) *Stat. Hamb. Part.* III. *Tit.* III. *art.* X.
(s) *Ibid. art.* VI.
(t) *Ius Lub. Part.* II. *Tit.* II. *art.* 8.

quam alibi, indulgeri: rem omnem decidit RECESSVS (u) anno MDXXIX. inter ampliſſimum Senatum & ciues initus, & a LVNIGIO (uu) etiam editus. Eo enim cautum, primo, vt mater, liberis iam maiorennibus, nihil in bonis mutet, nihil donet, oppignoret vel vendat *ane Raht und Willen der Kinder und Dochter-Mann*, deinde, ne & vni ex liberis, ſine reliquorum liberorum & generorum conſenſu, prae reliquis plus donet vel adſignet, & ſi cui etiam cognatorum conſenſu plus, quam reliquis, attribuerit, reliquis aeſtimatio pro rata debeatur, niſi inter liberos aliter conuenerit. (*Dat ſchal den andern Kindern, vvor ydt anders nit vervvilkoret is, an Werth naegegeven vverden.*) Praeterea ibidem additur, matrem, quae aduerſus hanc communem ciuitatis ſponſionem quidquam admiſerit, vſufructu illo priuandam, (*ſo ſchall de Moder over die Güder darnamals nen Redent mer hebben,*) adſignandamque illi pro modo facultatum certa alimenta, (*na ôrer Gelegenheit eine temlicke Böringe*) reliqua vero bona a liberis maiorennibus & generis in poſterum adminiſtranda. Denique alienationes omnes, a matre in fraudem liberorum factae, in perpetuum nullae eſſe iubentur. *Wes ſe alſo verendert, vergeven, verpandet, edder verkofft heſſt, ſchall ock tho nenen Tyden ſtede ſyn.* Hactenus RECESSVS ille, ex quo patet, vti & frui matrem debere ſalua rerum ſubſtantia, nec immutare ei quidquam integrum eſſe in liberorum detrimentum, adeoque eam nec poſſeſſionem in vnum ex liberis in ceterorum praeiudicium transferre poſſe, recte ſtatuere COTHMANNVM (x).

§. XXXVII.

An rationes reddat?

Ex eodem patet, eam nec ad rationes reddendas obſtrictam eſſe. Quum enim iure vtendi fruendi, & quidem cum onere liberos alendi, educandi, elocandique iam adultos, gaudeat: ſufficere oportet liberis, ſi ipſam ſaluam habeant ſubſtantiam, nec vlla ratio eſt, cur fructus, quos percipiendo ſuos facit, in rationes referre cogatur. Statuta ſane Hamburgenſia has rationes nuſquam exigunt, eaſque & aliae leges remittunt, vti ſupra vidimus. Hinc, quum de rationibus a matre, ad ſecundas nuptias prouolante, edendis incideret quaeſtio, liberique vrgerent, adminiſtrationis & impendiorum notitiam ſibi omnino deberi ex articulo XXI. Iuris

(u) *Receſſ. ciu. de anno* MDXXIX. *art.* XXXIII.

(uu) Lunig. *Teutſch. Reichs-Archiv. Part. Spec. Cont.* IV. *p.* 372.

(x) Cothmann. *Vol.* II. *Conſil.* XCVI.

Digitized by Google

ris Lubecenſis Tit. II. Partis II. conſultus ea de re MEVIVS (xx) reſpondit, diſtinguendum eſſe inter res ipſas, quae poſſidentur a matre vidua, & inter earum fructus, nec non oeconomicam diſpoſitionem. Ratione rerum obnoxiam eſſe matrem vel ideo, quod ei interdicta ſit alienatio. At quod ad vſumfructum & oeconomiam attineat, nuſquam ius Lubecenſe illi iniungere rationes, adeoque omnia, quae eo pertinent, relinquere iuri communi, quod vſumfructum in bonis liberorum aduentitiis immunem eſſe iubeat a reddendis rationibus (y). Et quamuis ius Romanum id tantum de vſufructu patri debito praecipiat: idem tamen ſentiendum eſſe de matre, quoties ei non nudam adminiſtrationem, ſed vſumfructum adſignent leges (z). Quin ipſam rationem id ſuggerere, adfirmat. Poſtquam enim mater domina ſit fructuum, eoſque ſui arbitrii faciat, de ſuis illam ad rationes obſtrictam eſſe non poſſe. Nec iure Lubecenſi rem dubii quidquam habere, quandoquidem ex eo pater & mater qua vſumfructum aequiparentur, adeoque inde ſequatur, vt quemadmodum illi ex iure communi; ita huic ex ſtatutario immunitas a reddendis rationibus procul dubio competat. Hactenus MEVIVS, cuius rationes iuris etiam Hamburgici principiis quadrare, facile vnuſquiſque intelligit, vt adeo dubitari nequeat, quin ibi res ſeſe eodem modo habeat.

§. XXXVIII.

An aes alienum ſoluat?

At quaeritur porro, annon aes alienum, a mortuo marito contractum, diſſoluere teneatur mater vſufructuaria? Quod vel ideo negari nequit, quod communio illa bonorum, quae conſtante matrimonio inter coniuges fuit, eam etiam obſtringat ad diſpungenda nomina, quippe quae ipſa quoque ante diuiſionem communia intelliguntur. Praeclare hoc ex iure Hamburgico antiquo demonſtrat ciuis meus doctiſſimus, CONR. DIETERICVS VOLKMANN, I. V. D. in Diſſertatione, quam ſub praeſidio viri celeberrimi IVSTI HENNINGI BOEHMERI habuit (a), vſus quippe codice antiquo, lingua Saxonica ſcripto, & gloſſis ſatis notabilibus inſtructo, in quo multa eius generis habentur, quae poſtea quodammodo temperauit temporum recentiorum humanitas. Sic ſane communio illa aeris alieni ceſſat, facta diuiſione, nec coniux ſuperſtes obligatur

(xx) Meu. *ibid. Addit. ad. n.* 77. *pag.* 384.

(y) Petr. Frid. Mindan. *de Mandat. lib. II. cap.* XLIX. *n.* 3. *ſequ.*

(z) Decius *in Conſil.* CCCXLIX. *n.* 10.

(a) Volckmann. *Diſſ. de commun. aeris alieni inter coniug. Hamb.* §. XIX. *ſequ.*

tur, ſi liberi diuiſi poſtea aes alienum contraxerint (b); quamuis id ſciente matre factum dicatur (c). Si poſt diuiſionem emergat nomen, quod antea ignoratum eſt, pater quidem materue directe conueniri poteſt (d): neque tamen ei negari poteſt regreſſus aduerſus liberos ſeparatos (e), qui non datur, ſi doceri poteſt, nomen hoc tempore diuiſionis in computationem patrimonii veniſſe (f). Concurrentibus creditoribus, vidua ratione dotis & illatorum non modo aliis hypothecariis antiquioribus non praefertur, ſed & illata illa creditoribus manent obnoxia, nec quidquam STATVTO (g) excipitur, *als vvas ihr nach ihres Mannes Tode, oder auch nachdem derſelbe entvvichen, anſtirbt, deſſen hat ſie billig ſamt ihren Kindern zu genieſſen, und haben ihres Mannes Creditoren keine Forderung oder Zuſpruch daran, es ſey dann, daſs ſie ſich anderes verſchrieben.* Quod tamen omnino intelligendum de aere alieno, conſtante matrimonio contracto. Quod ſi enim viro iam aliquantum debenti nupſerit mulier: permultum intereſt, bona fide nupſerit, & inito demum matrimonio moles aeris alieni ita increuerit, vt bonis demum labatur maritus, an ſponſus diſſimulato aere alieno quantitatem aliquam ſubſtantiae ab aere alieno immunem profeſſus ſit. Priore enim caſu uxor viduaue abſciſſe tenetur, & ne illatorum quidem ſalua illi eſt repetitio. De poſteriore diſerte cauet STATVTVM (h): *Es ſollen der Iungfrauen oder Wittvven Güter, vor die Schuld, ſo vorhin gemacht, ſie haben in vvährender Ehe Kinder erzeugt oder nicht, keinesvveges gehalten oder verpflichtet ſeyn, und ſolle der Mann ſeiner Hausfrauen Haupt-Stul, ohne der Freunde Willen, zu beſchvveren nicht mächtig ſeyn.* Qua de re quum multae lites oriri ſoleant, de iis componendis vel maxime laboratum in iam laudata diſſertatione (i). Dura ergo ſatis ea in re eſt viduarum Hamburgenſium conditio, qua ſe eximere non poſſunt, niſi vel ceſſione bonorum, qualis deſcribitur in STATVTO noſtro (k), vel pactis dotalibus, quibus communionem illam bonorum aeriſque alieni euitari poſſe, nemo dubitat (l). Sed haec omnia

(b) Idem *ibid.* §. XXII.
(c) *Stat. Hamb. Part.* II. *tit.* VI. *art.* II.
(d) *L.* 13. *C. ſi cert. pet. & l.* 25. *C. de pact.*
(e) Volckm. *ibid.* §. XXIII.
(f) Idem *ibid.* §. XXVI.
(g) *Statut. Hamb. Part.* II. *Tit.* V. *art.* X. juncto *art.* XIII. & XIV.
(h) *Ibid. art.* XI.
(i) Volckmann. *ibid.* §. *XXIX.* & *ſequ.*
(k) *Stat. Hamb. Part.* II. *Tit.* XI. *Art.* XV.
(l) *Ibid. Artic. XI.*

Digitized by Google

omnia, vti diximus, a viro doctiſſimo tam ſolide explicata ſunt, vt plura addere idem futurum ſit, ac actum agere.

§. XXXIX.

Tenetur alere & educare liberos, eosquemque elocare.

Denique inter onera matris vſufructuariae etiam eſt obligatio liberos alendi, educandi, elocandique, quod non modo in STATVTO HAMBVRGENSI, ſed &, quae ſupra attulimus, Neoburgenſi, Suſatenſi, Colonienſi, & aliis ei imponitur. Sane id exigunt verba: *Iedoch iſt ſie denſelben nothvvendige alimenta, ſo vvohl auch, vvann es die Zeit und ihre Iahre erfordern, ein billiges Heurath-Gut und Ausſteuer, Geſtalt und Gelegenheit der Güter nach, zu geben verpflichtet.* Tenetur itaque mater liberos alere; idque adeo verum eſt, vt ſi id facere neglexerit, vſufructu excidat, & ad rationes reddendas procul dubio teneatur: maxime quum ne pater quidem vti frui poſſit peculio liberorum aduentitio, ſi alimenta iiſdem deneget, quod concepto a ICtis Ienenſibus reſponſo illuſtrat RICHTERVS (m). Debent praeterea alimenta aeque ac educatio ita comparata eſſe, vti familiae dignitas & vires patrimonii exigunt, adeoque, conquerentibus cognatis, nimis parce ac duriter haberi liberos, procul dubio partes interponet magiſtratus, iiſque alimenta decernet. Praeterea, quum alimenta, non quidem legato relicta (n), ſed ex officio a parentibus debita (o), etiam ſtudia ac diſciplinam complectantur; nullum eſt dubium, quin mater filios pro familiae dignitate facultatumque ratione, ac ſecundum ipſorum filiorum propenſionem, huic vel illi vitae generi, ſtudiis, artibus, opificiis adſuefacere, ſumtusque eam in rem ex bonis communibus ſuppeditare debeat. Quamuis enim hoc non exprimat ſtatutum, vbi de matre loquitur: paullo ante tamen patri iniungit, vt etiam ſeparatis liberis: quamdiu eorum bonis vtitur fruitur, id praeſtet officium, *er ſolle dagegen ſchuldig ſeyn, die Zeit liber ſeine Kinder nicht allein zu alimentiren, ſondern auch, da ſie tüchtig, zu denen ſtudien, Kauffmann-ſchafft oder Handvvercken auf ſeine Koſten zu halten* (p). Vnde iure colligere videmur, tanto magis id a matre deberi liberis non ſeparatis, quamdiu communia bona pro indiuiſo poſſidet, fructuſque omnes indiſtincte ſuos facit. In dotatione quoque & elocatione liberorum rationem habendam eſſe facultatum, verba ſtatuti: *Geſtalt und Gelegenheit der Güter nach*, ſatis clare indicant. Id vero vidua aeſtimat, adhibi-

(m) Richt. *lib.* I. *Deciſ.* XVIII. §. III. *deb. l. 6. §. 5. ff. de Carbon. edicto.*

(n) L. *6. ff. de alim. vel cibar. leg.*

(o) L. *4. ff. vbi pupill. educ. vel mor.*

(p) *Stat. Hamb. Part.* III. *Tit.* III. *art.* IV.

tis liberorum propinquis, aut ſi forte parum inter iſtos conueniat, magiſtratum hic quoque partes interponere debere, nemo facile dubitauerit (q). Quid vero ſi liberi a matrimonio abhorreant, & vitam monaſticam, qualis inter proteſtantes maxime ſequiori ſexui reſeruata eſt, malint eligere? Etiam eo caſu matrem teneri ad elocationem, nullum eſt dubium. Nam & virgini, ingreſſurae religionem, dos debetur, & quum ſine ea in monaſterium non pateat aditus, eam non minus neceſſariam eſſe ſtatuunt ICti, quam illam, quae nupturis datur (r). Neque eſt, quod cuiquam iniuſta aut ſimoniae adfinis videatur illa dotis a moniali exactio, quamuis ita viſum ſit ZEG. BERN. VAN ESPEN (s), quum nec χαρίσματα Spiritus Sancti veneant, nec alio nomine detur haec pecunia, quam vt monialis alimenta, quoad vixerit, ex monaſterii bonis accipiat. Quem contractum nihil iniqui aut abſurdi continere, iam ab aliis abunde eſt demonſtratum (t). Et hinc in STATVTO COLONIENSIVM, ſupra (§. XX.) adlato, diſerte exprimi animaduertimus, matrem etiam religionem ingreſſuris liberis dotem, aliaſue impenſas, praeſtare debere, verbis: *und ſeine Kindere damit abubeſtatten, geiſtl. oder vveltlichen Standes, ſo als es den Freunden, und den Magen beduncks gerathen ſeyn.*

§. XL.

Finitur vſusfructus hic morte, & abuſu.

Reliquum eſt, vt, quibus modis finiatur hic vſusfructus, diſpiciamus. Eorum primus eſt mors, quae omnia ſoluit. Quamuis enim in Thuringia aliiſque quibuſdam locis eo beneficio excidat mater, ſimulac liberi alimenta non amplius percipiunt (u): multo liberaliores tamen maiores noſtri vſumfructum illum ad diem vſque ſupremum durare voluerunt, modo viduitatem anteferre decreuerit ſecundis nuptiis, & rem familiarem ita curet, vti decet frugalem matrem familias. Has enim conditiones diſerte exprimit ſtatutum noſtrum. Si ergo vidua genio indulgeat, bonaque diſſipet, vel aes alienum ſine neceſſitate contrahat: procul dubio ceſſabit vſusfructus, ea de cauſſa illi a lege conceſſus, quod videretur liberis bene ac prudenter conſultura. Id quod & aliis legibus, ſupra citatis, cautum eſſe, animaduertimus, in primis LVBECENSIBVS (x), ad quae multa, quae huc pertinent, notauit MEVIVS. Id

(q) L. 5. *pr. ff. de agnoſc. al. lib.*

(r) Zoeſ. *ad Digeſt. lib.* XXXVII. *tit.* VII. *n. V.*

(s) Eſpen. *de Iure eccleſ. Part. I. tit.* XXVI. *cap.* I. *ſequ.*

(t) Fleiſcher. *Einleit. zum geiſtl. Recht. lib.* I. *cap.* XIX. §. XXII.

(u) Richter. *Part.* I. *Deciſ.* XVIII. *nu.* V. & *Vol.* I. *Part.* IV. *Conſil.* I. *n.* 23.

(x) *Ius Lubec. Part.* II. *Tit.* II. *Art.* VIII.

Id addere viſum eſt, iure Lubecenſi etiam ingreſſu matris in monaſterium hunc vſumfructum finiri. Illud enim diſerte diſponit: *Will ſich die (Frau) aber anderweit verehlichen, oder in ein Cloſter oder Gottes-Hauſs einkauffen, ſo muſs ſie mit den Kindern theilen.* Quamuis enim conditio nubendi alias per ingreſſum in religionem non dicatur exſiſtere (y), adeoque iterum nupta videri nequeat, quae ſe vitae illi ſolitariae addixit: certum tamen eſt, eam eatenus mortuam cenſeri, quatenus ingreſſa monaſterium, nec poſſidere amplius bona, nec eadem adminiſtrare, liberoſque alere ac educare poteſt: vt adeo hic opus non ſit doctrina ACCVRSII (z), religionem ingreſſos capitis deminutionem pati, ac ciuiliter mori, cenſentis.

§. XLI.

Itemque ſeparatione liberorum vel voluntaria, vel neceſſaria ob ſecundas nuptias.

Finitur deinde idem vſusfructus ſeparatione liberorum. Quum enim ſeparatis in paternis materniſque bonis nihil omnino iuris ſit (a), adeoque hi pro emancipatis, quin pro mortuis, habeantur (b): facile patet, peracta ea diuiſione, matrem portionem bonorum communium, ad ſe devolutam, non amplius iure vſusfructus, ſed proprietatis poſſidere. Perinde autem eſt, ſiue ſua ſponte liberos a ſe ſeparet, & ad erciſcundam prouocet familiam, eoque facto anteueniat diuiſionem neceſſariam, quod omnino ei licet (c): ſiue ad ſecundas nuptias tranſitura, id facere cogatur. Neque enim prius poteſt alterius viri torum conſcendere vidua, quam bona diuiſerit cum liberis. Idque volunt verba STATVTI (d): *Da aber die Wittwe ſich anderweit verekelichet, ſoll ſie vor dem Beylager mit ihren Kindern alle Güter theilen.* Quare melior eſt patris vidui conditio, cuius ſecundas nuptias non turbat omiſſa diuiſio bonorum, modo ea ſuſcipiatur intra menſem, (*innerhalb 4. Wochen nach dem ehelichen Beylager.*) (e) Quod ſi ergo ante nuptias mater confectum a tutoribus inuentarium iureiurando confirmet, & ſecundum illud bona omnia rite diuidat: vſusfructus ille exſpirat, & ipſa aeque, ac liberi, portiones ſuas iure dominii poſſidere incipit.

(y) *Nouell.* CXXIII. *cap.* XXXVII. Couarruu. *lib.* I. *Reſol.* XIX.

(z) Accurſ. *ad Nouell. V. cap. V.* Zoeſ. *ad Dig. lib.* IV. *tit.* V. *n.* 6.

(a) *Stat. Hamb. Part.* III. *Tit.* III. *art.* 2.

(b) Mev. *ad Ius Lub. Part.* II. *tit.* II. *art.* XXXIII. *n.* 128.

(c) Cothmann. *Conſil.* V. *n.* 134. & *ſequ. Vol.* I.

(d) *Stat. Hamb. Part.* III. *Tit.* III. *art.* VI.

(e) *Ibid. art.* IV.

§. XLII.

Quomodo tunc fiat bonorum diviſio?

Qualis ea ſit portio, viduae liberis tunc adſignanda, ignorare nos non patitur STATVTVM (f). Primo enim vidua praecipit ex bonis communibus optimum lectum, prout nuptiarum die ſtratus ornatuſque ſtetit, itemque veſtes, linum, lanam, quantum horum geſtauit aut intulit, ac praeterea ornamenta, (*ihre Leibes Zierung*,) veluti torques, annulos, cingula, omniaque huius generis, quibus conſtante matrimonio vti conſueuit, ſiue iſta a parentibus, ſiue a marito ante matrimonium, vel eo durante acceperit. Deinde reliqua bona partiuntur mater & liberi, & ita quidem, vt ſi duo pluresue ſint ſuperſtites, mater trientem, liberi dodrantem; ſin vnicus filius filiaue vnica viuat, mater ſemiſſem, alterumque filius vel filia capiat. Qua in re denuo melioris conditionis eſt pater, qui pluribus liberis ſemiſſem tantum, vnico filio vel filiae vnicae trientem bonorum communium adſignat, & praeterea portione illa liberorum vtitur fruitur vſque ad annum duodeuiceſimum (g).

§. XLIII.

Concluſio diſſertationis.

Sed veremur, ne calamo iuſto plus indulgentes, non diſſertationem ſcribere, ſed iuſtum commentarium inſtituere videamur. Solet enim ita euenire, vt in tanta materiae, nondum a quoquam ſatis explicatae, vbertate aliud ex alio incidat, atque ita praeter animi ſententiam diſſertationis modum excedamus. Quod ne fieret, telam abrumpendo breuitatis; quam illam longius pertexendo ingenii laudem conſectari maluimus. Hinc & de aequitate ſtatuti quidquam monere ſuperſedimus, partim quod ea res ad legiſlatoriam potius, quam conſultatoriam vel iudicialem, iuriſprudentiae partem pertinet, partim quod de ea dubitaturum neminem, exiſtimemus, qui ea, qua decet, pietate pretium ſtatuit beneficiis, a parentibus acceptis, & paullo accuratius meditatur illa PAVLLI Apoſtoli (h): ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις, τοῦτό ἐστι καλὸν καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *Gratias referre parentibus, id vero bonum atque acceptabile eſt coram Deo.* Et huic quidem rerum omnium parenti nos, actis gratiis, ſtudia noſtra in poſterum quoque vnice commendamus.

(f) *Ibid. d. art. VI.*
(g) *Ibid. d. §. IV.*
(h) 1. *Tim. V.* 4.

DE

Digitized by Google

DE LVBRICITATE IVRISIVRANDI SVPPLETORII.

EXERCITATIO XVII.

Σύνοψις.

§. I. Omnes gentes iusiurandum pro vinculo adſtringendae fidei habuerunt. §. II. Hinc eius vſus in foro frequentiſſimus. §. III. Iurisiurandi frequentia confeſſio perfidiae humanae eſt. §. IV. Vnde tot periuria? §. V. Inſtituti ratio, & partitio diſſertationis. §. VI. Differentia iurisiurandi voluntarii, neceſſarii, & iudicialis vulgo tradita. §. VII. De ea ἐπίκρισις. §. VIII. Quid iusiurandum ſuppletorium? & an illud ſecundum ius Rom. deferendum ſit, ſi ſemiplene probatum? Quod negatur. §. IX. Quia primo iura ignorant ſemiplenam probationem. §. X. Deinde quia vnum teſtem audiri vetant. §. XI. Tum quia, actore plene non probante, reus abſoluitur. §. XII. Reſpondetur aduerſae partis argumentis, & §. XIII. oſtenditur, in ſupplementum iurantem teſtem fieri in propria cauſſa. §. XIV. Immo de credulitate iurantem teſtari de re propria, quam ipſe ignorat. §. XV. Iusiurandum hoc fundamentum non reperit in legibus noſtris. §. XVI. veluti in L. 31. ff. de iureiur. §. XVII. Multo minus in L. 3. C. de reb. cred. §. XVIII. Denique vulgarem doctrinam de iureiurando ſuppletorio veterum praxi repugnare, oſtenditur exemplo, ex Gellii Noctibus Atticis depromto. §. XIX. An in conflictu probationum pro reo pronunciandum ſit? §. XX. Iusiurandum tamen ſuppletorium vſus adprobat. §. XXI. Illud caute deferendum. §. XXII. Requiritur primo probatio ſemiplena. Ergo teſtem de ipſa re depoſuiſſe oportet. §. XXIII. Nec in ipſo teſtimonio debet vitii quidquam eſſe. §. XXIV. Quid ſi per inſtrumentum ſemiplene probatum? §.

XXV. Deinde ſemiplenam probationem oportet eſſe profectam a teſte rei conſcio. An & de credulitate iurandum? §. XXVI. Tertio iurans debet eſſe vir integrae atque exploratae fidei. §. XXVII. Quarto cauſſa non debet reſpuere iusiurandum ſuppletorium. Quales ſint illae cauſſae? §. XXVIII. Quinto ſemiplena probatio non debet eſſe eliſa. §. XXIX. An & petendum ſemper ſit iusiurandum ſuppletorium? Concluſio diſſertationis.

§. I.

Omnes gentes iusiurandum pro vinculo adſtringendae fidei habuerunt.

QVamuis, vt eleganter philoſophatur CICERO (a), *homines hominum cauſſa ſint generati, vt ipſi inter ſe alii aliis proſint, & in hoc naturam ducem ſequantur, communes vtilitates in medium adſerant, & mutatione officiorum dando accipiendoque, tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuinciant hominum inter ſe ſocietatem:* tantum tamen abeſt, vt ad finem hunc pulcerrimum omnes cogitationes, omniaque conſilia ſua referant, vt, quae eſt ingenii humani prauitas, plane in contraria nitantur. Sane quum fundamentum iuſtitiae haut poſtremum ſit fides, id eſt, dictorum conuentorumque conſtantia & veritas: nihil frequentius accidere animaduertimus, quam vt alter alterius opibus, fortunis, exiſtimationi, quin ipſi vitae ac ſanguini, quibus nihil eſt homini carius, inſidias ſtruat, iiſque decoribus, quibus hominem reliquis animantibus praeſtare voluit benigniſſimum Numen, ad opprimendos euertendoſque homines turpiter abutatur. Hinc innumerae fraudes, machinationes, mendacia, ad decipiendos circumueniendoſque alios comparata, quibus excogitandis tam idonei ſunt homines, etiam ceteroquin ſtupidiſſimi, vt idem CICERO (b), *nullam eſſe*, conqueratur, *tam deteſtabilem peſtem, quae non homini ab homine naſcatur.* Quae quum ita ſint, cogitandum omnino fuit de mediis quibuſdam vel cautionibus, quibus, tamquam fraenis, cohiberetur hominum perfidia, eoque conſilio gentes fere omnes ad iurisiurandi religionem, tamquam ex compacto, confugerunt, vt, quos non ipſa ratio, & impreſſa omnium animis lex diuina, eos a fallendo deterreret reuerentia Numinis, praeſentia ſua omnia implentis, in ipſoſque penetrantis animorum receſſus, quod denique poſſit, quae velit, omnia, velit autem pro iuſtitia ſua perfidiam ſuique contemtum ſempiternis ſuppliciis vindicare.

(a) Cic. *de Off. libr.* I. *cap.* VII. (b) Cic. *ibid. libr.* II. *cap.* V.

Digitized by Google

dicare. Hinc Aegyptii, DIODORO SICVLO (c) teſte, iusiurandum vocabant *μεγίστην τὴν παρ' ἀνθρώποις πίστιν*, *maximam inter homines fidem*, & PHILO (d) *τὸ πίστεως βεβαιότατον σύμβολον*, *firmiſſimum fidei ſignum:* denique legati Romanorum ad Coſroem apud PROCOPIVM (e) *τῶν ἐν ἀνθρώποις ἁπάντων ὕστατόν τι καὶ ἰσχυρότατον τῆς εἰς ἀλλήλους πίστεώς τε καὶ ἀληθείας ἐνέχυρον*, *ſummum omniumque firmiſſimum mutuae inter homines fidei ac veritatis fundamentum.* Perſuadere enim nemo ſibi poteſt, ei vlla in re fidem tuto haberi, quem ne Numinis quidem reuerentia, certiſſimumque diuinae vindictae periculum a mendaciis abſterreat.

§. II.

Nulla itaque eſt vitae pars neque publicis, neque priuatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, in qua iurisiurandi vſus non ſit frequentiſſimus. At nuſquam tamen frequentior, quam in foro & iudiciis. Quotieſcumque enim nec teſtium, nec inſtrumentorum fide, nec aliis probationibus legitimis inſtrui poteſt iudicantium religio, toties vel litigantes, vel ipſe iudex, ad iusiurandum, tamquam ad ſacram anchoram, confugit. Hinc vti PAVLLO (f) Apoſtolo iusiurandum ideo eſt *πάσης ἀντιλογίας πέρας*, *omnis controuerſiae finis:* ita eiuſdem nominis iuriſconſultus iſtud adpellat *litium compendium* (g). Denique CAIVS noſter (h), *maximum expediendarum litium remedium in vſum veniſſe iurisiurandi religionem*, eleganter obſeruat. Ceterum hunc iuramentorum vſum non modo Hebraei, Graeci, Romani, ceteraeque gentes paullo humaniores probarunt, ſed & priſci Germani, qui alioquin, teſte VELLEIO PATERCVLO (i), *lites armis diſcernere, non iure terminare ſolebant.* Francis enim, aliiſque Germanicae originis gentibus eo ſanctius & liquidius videbatur iusiurandum, quo plures illud ſuis ſacramentis firmarent, quos illi vocabant CONSACRAMENTALES, CONIVRATORES, quin & aliquando COMPVRGATORES, eo, quod obiectum reo crimen vna cum eo ſacramentis ſuis eluerent. Qui mos tanti erat maioribus noſtris, vt ſaepenumero non modo *ſexta, ſeptimaque manu*, (quod poſtremum deferentes iusiurandum in legibus Germanicis dicuntur *einen beſiebnen* (k) ſed & *decima*, quin & *centeſima* aliquando iuratum lega-

Hinc eius vſus in foro frequentiſſimus.

(c) Diod. Sic. *libr.* I. *Biblioth. cap.* LXXVII.

(d) Philo *de Plantat. Noae. pag.* 225.

(e) Procop. *de Bello Perſico. lib.* II.

(f) *Hebr.* VI. 16.

(g) Paull. *Recept. Sent. libr.* II. *tit.* I. §. I.

(h) L. 1. *ff. de iureiur.*

(i) Vellei. Paterc. *libr.* II. *cap.* CXVIII.

(k) Thomaſ. *Diſſ. de occaſ. concept. & intent. Conſtit. Crim. Carolinae* §. XV.

legamus. Qua de re plura iam diſſeruerunt HIER. BIGNONIVS (l), IO. SCHILTERVS (m), & CAR. DV FRESNE (n), vt iam praetermittamus IVRIS FEVDALIS textus (o), in quibus expreſſiſſima notantur moris iſtius antiqui veſtigia, quoſque doctiſſimus harum conſuetudinum interpres, BITSCHIVS (p), praeclare, ſuo more, illuſtrauit. Quae ſane omnia ſatis, vt opinor, demonſtrant, nullum hominibus medium definiendarum litium viſum eſſe certius atque expeditius iureiurando, idque ideo, quod ſempiternae beatitudinis, cuius deſiderio omnes trahimur, neminem tam negligentem futurum crederent, vt Dei, ſeueriſſimi iudicis, vindictam in ſe verbis conceptiſſimis prouocare, quam veritatem profiteri malit.

§. III.

Iuriiurandi frequentia confeſſio perfidiae humanae eſt.

Enimuero quod de aliis cautionibus, quas in contrahendo adhibere ſolent homines, grauiter cenſuit SENECA (q), id & de iureiurando veriſſimum eſſe arbitramur, eſſe nimirum illud *turpem humano generi fraudis ac nequitiae confeſſionem.* Si omnibus pro eo, ac decet, ineſſet pudor ac iuſti honeſtique reuerentia: neminem profecto adigeremus in verba noſtra, ſed ſerio quid adfirmanti non minus fidem haberemus, quam tangenti aram, & per omnia ſacra deieranti. Vere enim ab AESCHYLO apud STOBAEVM dictum eſt:

'Ουκ ἀνδρὸς ὅρκοι πίστις ἀλλ' ὅρκων ἀνήρ.

Dat fidem vir iuriiurando, non iuſiurandum viro.

Iam quum nec exploratae fidei homini credamus, niſi Iouem lapidem iuranti, quin & ſic nobis vix ſatis cautum arbitremur, niſi & alia eaque euidentiſſima argumenta accedant: quid aliud quaeſo agimus, quam vt perfidiam humanam vltro agnoſcamus, hominique ab homine nihil omnino tuto credi, non ſine generis noſtri dedecore profiteamur?

§. IV.

Vnde tot periuria?

Sed vt turpem humano generi eſſe hanc fraudis ac nequitiae humanae confeſſionem fateamur: ingenua tamen eſt, atque ita comparata, vt eam ipſa veritas expreſſiſſe videatur. Res ipſa enim docet, ne iureiurando quidem obſtrictis tuto ſemper fidem haberi, nedum iniuratis, cauſſaſque eſſe quam plurimas, cur tam ſae-

pe

(l) Bignon. *ad Marculf. lib.* I. *cap.* XXXVIII.

(m) Schilter. *Exercit.* XXIII. §. VI.

(n) Carol. *du* Freſne *Gloſſar. med. & infim. latin. vocibus* iurare & iuramentum.

(o) *I. Feud.* 4. §. 2. *II. Feud.* 33. *in pr. II. Feud.* 41.

(p) Bitſch. *in Comment. ad II. Feud.* 32. *p.* 582.

(q) Seneca *de beneſ. libr.* III. *cap.* XV.

Digitized by Google

pe vacillet iuriſiurandi fides. Primo enim ſunt, qui Deum vel exſiſtere, vel, ſi exſiſtat, res humanas curare negant. Horum tu, quaeſo, iuriiurando aliquid committas, quod ſeruatum velis. Iurabunt enim per omnia ſacra, quae nulla eſſe exiſtimant.

Atque ideo intrepidi quaecumque altaria tangent,

vti iam vidit poeta φιλοσοφώτατος, & qui hunc locum praeclare perpoliuit, IVN. IVVENALIS (r). Deinde quamuis ita natura comparatum ſit, vt, qui quid impie ſcelerateque commiſerint, accuſatorem ac carnificem in ſe atrociſſimum perſentiſcant: menti tamen peccandi conſuetudo aliquando veluti callum obducit, omnemque ratiocinationem ſuffocat atque intercludit praerupta audacia ac temeritas, quae non procul ab inſania abhorret. Quam facile vero improbi iſti & κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν (s) vel mille ſe polluent periuriis, priuſquam vel minimo impietatis ſuae ſenſu adficiantur? Adhaec interna illa laniena, vel, vti APOSTOLVS (t) vocat, οἱ λογισμοὶ μεταξὺ ἀλλήλων κατηγοροῦντες, *illae accuſantes ſe inuicem cogitationes* tum demum ſe exſerere ſolent in improborum animis, quando iam in crimen prorupit audacia, factumque infectum fieri amplius non poteſt: Tunc demum ſua quemque fraus, ſuumque flagitium agitat, terretque quam maxime: Tunc demum animum excruciant aſſiduae illae ac domeſticae furiae, dieſque ac noctes malefactorum poenas a conſcelerato eiuſmodi homine repetunt. Antequam ergo oboriantur illi animi tumultus, iam admiſſum erit periurium, cauſſaque ſe cecidiſſe dolebit is, cui ſpes, de alterius religione concepta, tam turpiter impoſuerat. Sunt praeterea, quos ſumma atque infinita Dei miſericordia, qua vel maxime a peccando reuocari debebant, ad periuria exſtimulat. Ea enim & profligatae audaciae hominibus ſpem iniicit certiſſimam, Deum aut votis, donariis, precibus placatum iri, aut tardius exacturum poenas, aut leniori ſupplicio ſatisfieri ſibi paſſurum. Quae vno veluti faſciculo complexus IVVENALIS (u):

Eſt alius (inquit,) *metuens, ne crimen poena ſequatur,*
Hic putat, eſſe Deos, & peierat, atque ita ſecum:
Decernat, quodcumque volet, de corpore noſtro:
Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro:
Dummodo vel caecus teneam, quos abnego, numos.

(r) Iuuenal. *Satyr.* XIII. *v.* 86. *ſequ.*
(s) 1. *Tim.* IV. 2.
(t) *Rom.* II. 15.
(u) Iuuenal. *ibid. v.* 90. *& ſequ.*

& quibuſdam interiectis (x):

Vt ſi magna, tamen certe lenta ira Deorum eſt.
Si curant igitur cunctos punire nocentes;
Quando ad me venient? ſed & exorabile Numen
Fortaſſe experiar, ſolet his ignoſcere. Multi
Committunt eadem diuerſo crimina fato:
Ille crucem pretium ſceleris tulit; hic diadema.
Sic animum dirae trepidum formidine culpae
Confirmant.

Accedit, quod plurimos impotens regnandi cupiditas, alios inexplebilis opum ſitis, alios famae ac honoris ſtudium, alios infamiae metus in tranſuerſum rapit. Atqui primi generis homines ſibi cum Iulio Caeſare laudi ducent, *ius regnandi gratia violare* (y), vel cum Lyſandro, Lacone, apud PLVTARCHVM (z), τὺς παῖδας ἀστραγάλοις δεῖν ἐξαπατᾶν, τὺς δὲ ἄνδρας ὅρκοις, *pueros talis, viros ſacramentis fallere oportere*, contendent. Secundi generis Euclíones tamquam Labrax PLAVTINVS (a), *iusiurandum rei ſeruandae, non perdendae, conditum eſſe*, exiſtimabunt, neque Iouem iurare lapidem dubitabunt, ſi recitata tam breui formula, vel lucro inſigni potiri, vel imminens ollae ſuae periculum auertere poſſint. Potius tacite ſecum voluent illa IVVENALIS (b):

Et phthiſis, & vomicae putres, & dimidium crus
Sunt tanti? Pauper locupletem optare podagram
Ne dubitet Ladas, ſi non eget Anticyra, nec
Archigine. Quid enim velocis gloria plantae
Praeſtat, & eſuriens Piſaeae ramus oliuae?

Ita & qui ad honorem omnia referunt, peierare profecto malent, quam exiſtimationis adire periculum; ne quid dicam de periuriis amantium, quae fere in prouerbium abierunt. Nimirum in omnes improbos cadit periurii ſuſpicio, & *qui mentiri ſolet*, vt recte obſeruat CICERO (c), *peierare etiam conſueuit. Quem ego, vt mentiatur, inducere poſſum: vt peieret, exorare facile potero. Nam qui ſemel a veritate deflexit, hic non maiore religione ad periurium, quam ad mendacium, perduci conſueuit. Quis enim deprecatione Deorum, non conſcientiae fide, commouetur?* Tam multae variaeque ſunt, quae iurisiurandi fidem eleuant, cauſſae, vt omnino pertinere

(x) Idem *ibid. v.* 100. *& ſequ.*
(y) Sueton. *in Iul. Caeſ. cap. XXX.*
(z) Plutarch. *in Apophthegm. Lacon. Apophth. XCIV.*
(a) Plaut. *in Rudent. Act. V. Scen. III. v.* 18.
(b) Iuuen. *Ibid. v.* 95. *ſequ.*
(c) Cic. *pro Q. Roſc. Cap. XVI.*

Digitized by Google

nere videatur ad religionem iudicis, cauere, ne cauſſa temere litigantium linguae committatur, quamdiu vlla alia ſupereſt eam expediendi ratio.

§. V.

Inſtituti ratio, & partitio diſſertationis.

Enimuero cum omnium iuramentorum fluxa admodum fides eſt, tum eius vel maxime, quod ſemiplene, vt aiunt, probantibus a iudice defertur, eum in finem, vt quod probationi ad integritatem deeſt, religioſa illa adſeueratione ſua ſuppleant, & tunc ſuperiores ex foro diſcedant. Quum enim hic ſuo ſibi quisque teſtimonio ſuffragetur, nemo autem temere iudex ſatis aequus atque incorruptus eſſe ſoleat in cauſſa propria: facile profecto patet, rem periculoſae plenam aleae eſſe, exigere iusiurandum ſuppletorium. Accedit, quod, eo iureiurando in forum ſemel admiſſo, obſeruante HVGONE DONELLO (d), *magna feneſtra aperta eſt malis ac imperitis iudicibus, pro libidine pro hoc aut illo pronunciandi. Quidquid enim pro alterutro adlatum fuerit, ſemper iudici color paratus eſſe ſolet ad iusiurandum hoc illi deferendum, dum eum ſemiplene probaſſe cenſet, qui reuera nihil idoneum attulit, adeoque facile in ſpinoſa illa ac perplexa quaeſtione de ſemiplena probatione latebram ſententiae inuenit.* Quae quum ita ſint, de LVBRICITATE IVRISIVRANDI SVPPLETORII quaedam commentari in praeſenti animus eſt. Quandoquidem vero genuinum iuriſprudentiae cultorem nec τὴν θεωρίαν negligere, & ad vſum forenſem omnia referre decet: nos quoque, vtriusque habituri rationem, diſſertationem ita partiemur, vt primum, an hoc iusiurandum in iure ciuili praeſidium reperiat, deinde quum ei ſemel in foro locus ſit conceſſus, qua demum adhibita cautione a iudice deferri oporteat, paullo diligentius inquiramus. Faxit Deus feliciter!

§. VI.

Differentia iurisiurandi voluntarii, neceſſarii, & iudicialis vulgo tradita.

Quod ad prius tractationis noſtrae caput attinet, neminem, ſacris noſtris initiatum, arbitramur ignorare, in rubrica DIGESTORVM de iureiurando (e) tria eiuſdem genera recenſeri, VOLVNTARIVM puta, NECESSARIVM & IVDICIALE. Haec ita diſtinguunt GLOSSA (f), eamque ſequuti doctores, veluti ZASIVS (g), SCHNEIDEWINVS (h), WESENBECIVS (i), & plerique omnes, qui

 ſcri-

(d) Donell. *lib.* XXIV. *Comment. cap.* XIX. *n.* 41. *ſequ.*

(e) *lib.* XII. *Dig. tit.* II.

(f) Gloſſa *ad l.* 1. *ff. de iureiur.*

(g) Zaſius *ad rubr. Dig. de iureiur.*

(h) Schneidew. *ad §.* 11. *Inſt. de action. n.* 9. *ſequ.*

(i) Weſenb. *Paratitl. Dig. lib.* XII. *Tit.* II. *n.* 7. & 10.

ſcribendis commentariis componendiſque iuriſprudentiae ſyſtematibus animum adpulerunt, vt VOLVNTARIVM eſſe dicant, quod pars parti deferat extra iudicium per modum conuentionis: IVDICIALE, quod itidem pars parti deferat, ſed in foro, vnde & non niſi ab interloquente iudice probatum vel praeſtandum vel referendum ſit: NECESSARIVM denique, quod parti alterutri a iudice delatum neceſſario ſit praeſtandum, nec referri vmquam poſſit. Ex quibus porro definitionibus manifeſtam eſſe aiunt denominationem. *Voluntarium* enim dici, quia a mero partium arbitrio pendeat (k), quodque & ab eo, cui delatum, & cui relatum ſit, recuſetur liberrime (l), ſiquidem nemo ideo, quod oblatam ſibi iurandi conditionem adſpernatus ſit, pro confeſſo habeatur: *iudiciale*, quoniam non niſi in iudicio deferri, & iudice demum interloquente praeſtari referrique poſſit (m): *neceſſarium* denique, quia & exigente neceſſitate a iudice deferri (n), & ſemel delatum neceſſario praeſtari oporteat (o). Poſtremum porro iurisiurandi genus, quod NECESSARIVM vulgo adpellitant, alii in duas, alii in tres ſpecies diſtinguunt. SCHNEIDEWINVS (p) enim huc refert iusiurandum SVPPLETORIVM, PVRGATORIVM & IN LITEM, quum vltimam ſpeciem reliqui fere omittant. Illa enim omnia a iudice deferri cenſent, & *hoc* quidem ad aeſtimandam rem, de qua litigatur; *illud* ad elidendam, quam quis incurrit, ſuſpicionem; *illud* ad ſupplendam probationem ſaltim ſemiplenam, pro alterutro militantem. Ita fere rem explicari videas ab omnibus, qui doctrinam de iureiurando vel perfunctorie, vel ex inſtituto tradiderunt, vt ſuperuacuum futurum ſit, rem vulgo notam teſtimoniis firmare.

§. VII.

De ea i-wiuptas. Attamen ſi dicendum, quod res eſt, non tam expedita videtur haec doctrina, quam vulgo videtur. Quamuis enim inſcriptio tituli tria recenſeat iurisiurandi genera: agnoſcere tamen illa non videtur CAIVS (q), qui duobus contentus, *vel ex pactione ipſorum litigatorum vel ex auctoritate iudicis controuerſias decidi, docet.* Praeterea ipſae illae tres iurisiurandi ſpecies in toto illo titulo nuſquam perſpicue definiuntur, adeoque fieri non potuit, quin mirae naſcerentur prudentum noſtrorum diſſenſiones. Hinc

(k) L. 26. §. *ult. ff. de iureiur. l.* 1. C. *de reb. cred.*
(l) L. 17. *pr. ff. de iureiur.*
(m) L. 12. §. 1. C. *de reb. cred.*
(n) Bartol. *ad l.* 3. C. *eod.*
(o) *Cap. fin. X. de iureiur.*
(p) Schneidewin. *ibid. n.* 30.
(q) L. 1. *ff. de iureiur.*

Digitized by Google

Hinc STEPHANVS (r), interpres Baſilicῶν, eatenus quidem adſtipulatur latinis, quod *voluntarium* extra iudicium per modum conuentionis deferatur: in eo autem ab eorum ſententia diſcrepat, quod *neceſſarium* a partibus in iudicio deferri; *iudiciale* a iudice non rogato motu voluntatis proprio exigi contendat. Alioquin Graeci fere omnes (s) *voluntarium* vocant, quod pars parti, ſiue in iudicio, ſiue extra illud, defert: *neceſſarium* ἀντεπαγόμενον, ſeu quod deferenti refertur: ac denique *iudiciale*, quod iudex ab alterutro litigatorum exigit. IAC. CVIACIVS, in tanto ſententiarum diuortio vix habuit, vbi pedem figeret, iam quippe ſequutus latinos (t), iam in graecorum caſtra dilapſus (u), iam ad illos reuerſus poſtliminio (x), & hinc *transfugae* ac *refugae* nominibus parum honorificis traductus ab EM. MERILLIO (y). Interim graecorum ſententiae ſuffragantur iuriſconſulti praeſtantiſſimi. STEPHANO enim fauent MERILLIVS, & Belgarum plerique: alteram vero, quam ex ECLOGIS ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ protulimus, hypotheſin probant MARANVS (z) & NOODTIVS (a). Nec negari poteſt, eam eſſe reliquis veriſimiliorem. Nam etiam, quod in iudicio defertur, iusiurandum eatenus *voluntarium* eſt, quod & libere defertur, & neceſſario non ſuſcipitur, ſed referri poteſt (b). Contra ſemel relatum, quum neque recuſari, neque referri amplius poſſit (c), *neceſſarium* rectiſſime adpellatur. Et quis quaeſo negaverit, *iudiciale* merito dici, quod a iudice alterutri litigantium, cauſſa cognita, defertur in cauſſis dubiis (d)?

§. VIII.

Quid iusiurandum ſuppletorium? & an illud ſecundum ius Rom.

At haec quidem diſſenſio, vti ab AZONE (e) recte obſeruatum, non adeo magni momenti eſt, & magis ad vocabula, quam ad rem ipſam, pertinet. Magis ardua eſt quaeſtio, an, quod ſupra definitum eſt, iusiurandum SVPPLETORIVM iurisiurandi neceſſarii ſit ſpecies, & in vniuerſo iure ciuili praeſidium aliquod reperiat? Vulgo hoc videas adfirmari, & fortaſſe nefas plerique exiſtima-

(r) Stephanus *ad Baſilic. lib.* XXII. *Tit. V. leg.* 1.

(s) *Eclog. Baſilic. lib.* XXII. *Tit. V.* Attaliot. *in Synopſ. Tit.* XVIII.

(t) Cuiac. *ad Paull. Recept. Sent. lib. V. Tit.* XXXII.

(u) Idem *in Paratitl. Digeſt. de iureiur.*

(x) Idem *ad Paull. libr.* XVIII. *ad Edict. l.* 17. *ff. eod.*

(y) Merill. *Obſeru. libr.* III. *cap.* XIII.

(z) Maran. *in Paratitl. Dig. de iureiur. p.* 294.

(a) Ger. Noodt. *Comm. ad Pandect. p.* 279. *Tom.* II. *op.*

(b) L. 34. §. 7. *ff. de iureiur.*

(c) *d. l.* 34. §. 7. *eod.*

(d) L. 31. *ff. eod.*

(e) Azo *in Summa Cod. tit. de rebus cred. & iureiur.*

deferendum ſit, ſi ſemiplene probatum? Quod negatur.

bunt, dubitare de hypotheſi, quam, COSTALIO (f) & MERVLLA (g) teſtibus, omnes ſequuntur, cuique vſus forenſis vbique eam auctoritatem conciliauit, vt merito hodie pro exploratiſſimo iure habeatur. Et tamen repudium illi mittere non dubitarunt iure conſultorum principes, FR. DVARENVS (h), HVGO DONELLVS (i), ANT. FABER (k), EVER. BRONCHORSTIVS (l), MEIERVS (m), ANT. MATTHAEI (n), IO. WISSENBACHIVS (o), GER. NOODT (p) & alii, exiſtimantes, id quod res eſt, vſum illum forenſem e iure ciuili Iuſtinianeo non promanaſſe, nec iuriiurando, quod latini neceſſarium adpellitant, locum eſſe, ſi quando actor ſemiplene probarit, (quum tunc reum potius abſolui oporteat,) ſed quando talis ac tanta vtrimque probatio adlata ſit, qua par quodammodo fiat rei atque actoris cauſſa, & paullo momento huc illuc inclinet iudicis animus, neſcius, quid ex omnibus potiſſimum ſequendum ſit. Equidem ſatis acriter hanc ſententiam profligare conati ſunt viri docti quam plurimi, veluti ARN. VINNIVS (q), EMAN. GONZAL. TELLEZ (r), SAM. STRYKIVS (s), quin & VLR. HVBERVS (t), qui, quamuis tot virorum doctiſſimorum argumenta refellere ſuperſederit, faſſuſque ſit, in Friſia, vbi ſanctior iuris Romani, quam alibi, manet cuſtodia, rariſſime, & non niſi aegre ac luctantibus ſuffragiis hoc iuſiurandum deferri conſueuiſſe; vulgari tamen opinioni calculum adiicere mauult ob vſum forenſem ac quotidianum, de quo dubitare nemo mortalium poſſit. Enimuero quamuis nos a nouaturiendi pruritu quam alieniſſimos eſſe profiteamur: tamen, quum iam in θεωρίᾳ verſemur, diffiteri non poſſumus, firmiori talo ſtare nobis videri DVARENI ſententiam, quam vt vulgaribus iſtis exceptiunculis euertatur. Quod iam paucis demonſtrare iuuabit.

§. IX.

(f) Coſtal. *ad d. l. 31. ff. de iureiur.*

(g) Merulla *lib.* IV. *diſp. Sect.* IV. *tit.* XXIII. *cap.* I.

(h) Franc. Duaren. *lib.* II. *Anniu. Diſp. cap.* XXXIII. *& ad tit. de iurejur. cap.* VII.

(i) Donell. *Comm. Iur. Ciu. lib.* XXIV. *cap.* XI.

(k) Anton. Faber *Coniect. lib. XIX. cap.* I.

(l) Bronchorſt. *Cent.* II. *Adſert. XCIII.*

(m) Meierus *Colleg. Iur. Argent. tit. de probat. n.* 3.

(n) Ant. Matth. *de Iudic. Diſp. X. theſ. XXI. ſequ. & in Colleg. Pand. Diſp. XVIII.* §. *XIX.*

(o) Wiſſenbach. *Comm. ad Pand. Diſp. XXIV.* §. *XXIV.*

(p) Ger. Noodt. *Comm. ad Pand. lib.* XII. *Tit.* II. *p.* 287. *Tomo* II. *op.*

(q) Vinn. *Select. Quaeſt. lib.* I. *cap. XLIV.*

(r) Gonzall. Tellez. *Comm. ad cap.* 2. *X. de probat.* §. 7. *pag.* 338. *Tomo II.*

(s) Stryk. *Diſſ. de probat. ſemiplena cap.* I.

(t) Hubet. *Prael. tit. Dig. de iureiur.* §. XII. *& ſequ.*

Digitized by Google

§. IX.

Quia primo iura ignorant ſemiplenam probationem.

Primo itaque omnes, qui vulgarem ſententiam amplectuntur, id exigunt, vt is, qui in ſupplementum iurare iubetur, ſemiplene probarit. Pauci ſunt, qui cum HVBERO (u) ſemiplenam probationem ſufficere negant, aliaque praeterea deſiderant argumenta, quibus confertim cumulatis perſuaderi poſſit iudici, vt ad hoc iusiurandum confugiat. At vero ſemiplenam illam probationem ignorant iura noſtra, neque ei vllum effectum attribuunt in cauſſis ciuilibus, multoque minus in iudiciis publicis aliquis ob vnius teſtimonium diris quaeſtionibus ſubiici poteſt (x). Ignorare ius noſtrum diximus ſemiplenam illam probationem. Nuſquam enim eius vel vola vel veſtigium occurrit: & ACCVRSII argumentum, quod, quia detur plena probatio, ſemiplenam quoque dari oporteat, non magis ſtringit, quam quod detur etiam ſemiplenum teſtamentum, quia plenum ac perfectum detur, ad illudque ſufficere debeant teſtes quatuor, quia ad hoc ordinandum ſeptem requirantur. Vnde non mirum eſt, argumentum hoc deridiculo quodammodo habuiſſe CVIACIVM (y). Quod vero effectum ſemiplenae probationi nullum tribuat ius Romanum, clariſſime euincit illa CONSTANTINI M. (z) grauiſſima conſtitutio: *Simili modo ſanximus, vt vnius teſtimonium nemo iudicum in quacumque cauſſa* FACILE *patiatur admitti. Et* NVNC *manifeſte ſancimus, vt vnius* OMNINO *teſtis reſponſio* NON AVDIATVR, *etiamſi praeclarae curiae honore praefulgeat.* In hac lege; qua, iudice IACOBO GOTHOFREDO (a), nihil clarius, nihilque magis peremtorium eſſe poterat, duarum conſtitutionum a ſe editarum meminit Imperator. Priore ſanxerat, ne ab vllo iudicum teſtis vnicus FACILE admitteretur. Neque enim ſolida eſt TILII aliorumque emendatio, qui pro *in quacumque cauſſa facile* reſcribi iubent *in quacumque cauſſa fiſci*. Admitti ergo permiſerat vnum teſtem, ſed non facile, ac eo tantum fortaſſis caſu, ſi vir expertae fidei aliquid referret, quod ad rempublicam pertinere videretur. At poſteriore hac conſtitutione *manifeſte*, ἀποτόμως & abſciſſe ſancit, *vt vnus teſtis omnino non audiatur*, adeoque vnum producens teſtem, nihil agere cenſeatur. Quin, ne de faece tantum hominum agere videretur, ἐμφατικῶς addidit CONSTANTINVS, ne eum quidem audiendum eſſe teſtem ſolitarium, *qui praeclarae curiae*

(u) Huber. *ibid.* §. *VIII.*

(x) L. 20. *ff. de quaeſtion.*

(y) Cuiac. *in Comment. ad cap. licet vniuerſis* 33. *X. de teſtib. & atteſt.*

(z) L. 9. §. 1. C. *de teſtib. l.* 3. C. *Theod. de fide teſt. lib. XI. tit. XXXIX.*

(a) Iac. Gothofred. *in Comm. ad Cod. Theod. Tomo IV. p.* 323.

riae honore praeſulgeat, id eſt, qui in ordinem ſenatorium adlectus ſit, quem ordinem alioquin *partem meliorem humani generis* vocat SYMMACHVS (b). Quod ſi ergo ne quidem audiendus eſt teſtis vnicus: quo quaeſo iure eius teſtimonio tantum tribuere conemur, vt, accedente iureiurando ſuppletorio, perinde habeatur, ac ſi plene perfecteque probatum ſit?

§. X.

Deinde quia vnum teſtem audiri vetant. Quid ad haec VINNIVS (c)? ne enim cum turba nobis res ſit, dare ei hunc aduocatum lubuit. *Reſpondemus*, inquit, *ne nos quidem hoc dicere, vnius teſtis vocem eſſe audiendam, id eſt*, CREDENDVM *eſſe vnius teſtimonio. Credere eſt plene adſentiri. Poteſt tamen vnius viri honeſti & grauis teſtimonium mouere animum iudicis, & creare etiam non leuem ſuſpicionem.* Ergo *audire vnum teſtem* VINNIO idem eſt, ac eidem credere ac pleno adſentiri, vel, vt STRVVIVS (d) & STRYCKIVS (e) malunt, eum ita audire, vt inde condemnatio ſequatur. Ceterum id non impedire exiſtimant, quo minus, accedente iureiurando ſuppletorio, plena fides inducatur. Enimuero primum haec quidem locum haberent, ſi vllo euidenti teſtimonio demonſtrare potuiſſet VINNIVS, probationem ſemiplenam probantis iureiurando ſuppleri. Iam, quum hoc ipſum in quaeſtione ſit: facile patet, peti id, quod in principio eſt, dum legi CONSTANTINI eiuſmodi ſententia adfingitur. Deinde fruſtra contendunt vulgaris ſententiae patroni, *audire* hic idem eſſe ac credere, vel ita adſentiri, vt condemnatio inde ſequatur. Notiſſimum enim eſt, *non audiri* in iure noſtro ſemper idem ſignificare, ac non admitti, vel a limine iudicii arceri. Non audiendus ergo eſt teſtis vnicus, quemadmodum non eſt audiendus *promiſſor, ſi velit rei conſtitutae fidem frangere* (f): nec *adulterii reus, qui ſemel delatus, maritum velit lenocinii reum facere* (g): nec is, qui ab emtore manumiſſus, *velit defuncti, non emtoris, libertus eſſe* (h): nec ſeruus obaerati, qui poſteriore loco libertatem in teſtamento conſequutus, *abſente primo hereditatem adiri deſideret* (i): nec municeps, *aeſtimationem honoris aut muneris in pecunia pro adminiſtratione offerens* (k): nec reſpublica, *ignauiam praetendens* (l). Quemadmodum

(b) Symmach. *libr. I. Epiſt. XLVI.*
(c) Vinnius *Select. quaeſt. ibid. p.*202.
(d) Struu. *Euolut. Controu. Exerc.* XXVIII. *theſ. V.*
(e) Stryk. *de Probat. ſemiplena cap. I.* §. *VI.*
(f) L. 25. *fin. ff. de pecun. conſtit.*
(g) L. 2. §. 4. *ff. ad l. Iul. de adult.*
(h) L. 25. *fin. ff. de fideicomm. libert.*
(i) L. 83. §. 1. *ff. de hered. Inſt.*
(k) L. 16. *pr. ff. de mun. & honor.*
(l) L. 78. §. 2. *ff. de leg.* 2.

dum enim in his aliiſque omnibus locis (m), in quibus eadem dictio occurrit, τὸ *non audire* ſemper eſt, allegationem & petitionem alicuius non admittere, eamque ita repudiare, vt nullum plane effectum ſortiatur, idque adeo verum eſt, vt verba AVDIRI & REPELLI ſibi e diametro opponantur (n): ita mirum profecto eſſet, CONSTANTINVM in ſola *L. 9. §. 1. C. de teſt.* a vulgari, ICtiſque tam frequente verbi notione diſceſſiſſe, maxime quum altera ne familiaris quidem ſit latinis auribus, & nemo hominem mendacem ſe ideo audiuiſſe neget, quia ei non crediderit. At fingamus denique, audire hic idem eſſe ac credere, adeoque idem velle CONSTANTINVM, quod vetus prouerbium innuit: *ἑνὶ μαρτυροῦντι, οὐδὲ Κάτωνι προσέχειν καλῶς ἔχει: vni teſti, ne Catoni quidem credere fas eſt* (o). an non iudex ille fidem habuerit teſti vnico, qui eius verbis tantum tribuit, vt probantem ideo admittat ad iusiurandum ſuppletorium? An non potius id decernens iudex parum memor eſt eorum, quae teſtimonio dicto monuit Q. SCAEVOLA (p): *Ita ſibi teſti credi oportere, ſi & alii idem adſeueraſſent: quoniam vnius teſtimonio aliquem* CREDERE, *peſſimi eſſet exempli.*

§. XI.

Tum quia, actore plene non probante, reus abſoluitur.

Nec minus deinde huic iuriiurando aduerſatur vulgatiſſimum iuris noſtri principium, actore non probante, reum eſſe abſoluendum. Ita enim reſcripſit ANTONINVS CARACALLA (q): *Actore non probante, qui conuenitur, etſi nihil ipſe praeſtat, obtinebit.* Probaſſe autem nemo dicitur, niſi qui plenam fidem fecit iudici. Quod ne cui dubium eſſet: DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS AA (r), noua edita conſtitutione, illud CARACALLAE reſcriptum ita interpretati ſunt: *Habebis ſecuritatem victoriae, ſi, quod intendit aduerſarius tuus,* PROBATIONIBVS IMPLERE *non poſſit.* Semper itaque iura exigunt, vt probatio IMPLEATVR (s), alioquin victoriam promittunt reo, ſiue reali, ſiue perſonali actione pulſato, Iidem Imperatores (t) Sopatro reſcribunt: *Res alienas poſſidens, licet iuſtam tenendi cauſſam nullam habeat, non niſi ſuam intentionem* IMPLENTI *reſtituere cogitur.* Et alibi Glyconi reſpondent (u):

(m) L. 6. C. *de ſeru. pign. dat. l.* 78. §. 4. *ff. de iure dot. l.* 18. §. 1. *ff. de damn. infect. l.* 22. *ff. ad l. Falc. l.* 35. *ff. de pign. act.*

(n) *L.* 24. §. 2. *ff. de minor.*

(o) Plutarch. *in Vit. Caton. Vtic. p. m.* 604.

(p) Valer. Max. *Lib. IV. Cap. I. exempl. XI.*

(q) *L.* 4. *C. de edendo.*

(r) *L. vn. Cod. Hermog. de inſtrum.*

(s) *L.* 19. *pr. & §. vlt. ff. de probat. L.* 26. §. *vlt. ff. depoſ.*

(t) *L. vlt. C. de rei vindic.*

(u) *L.* 9. *C. de obl. & act.*

Negantes debitores non oportet armata vi terreri, ſed, petitore quidem non IMPLENTE *ſuam intentionem, vel exceptione ſubmoto, abſolui.* Quin ideo τὸ IMPLERE paſſim in libris noſtris (x) & apud LACTANTIVM (y) idem eſt ac probare, ne quis exiſtimet, poſſe ſe ſemiplena probatione victoriam obtinere. Quemadmodum non videtur IMPLESSE aetatem (z), numerum liberorum (a), iudicium defuncti (b), conditionem (c), contractum (d), ſatisdationem (e), vſucapionem (f) qui partem illius aetatis attigerit, vel ſemel pater factus ſit, vel voluntati teſtatoris legibuſque conuentionis ex parte ſatisfecerit, vel aduerſarium aliquatenus ſecurum praeſtiterit, vel denique aliqua parte temporis, legibus conſtituti, bona fide & ex iuſta cauſſa poſſederit: ita nec probationem impleſſe cenſebitur, niſi qui plene probarit, quod intenderat. Neque exiſtimandum eſt, IMPLERE hic idem eſſe, ac SVPPLERE. Alia omnia enim diſcimus ex ipſis legibus, inprimis ex *L.* 26. §. *vlt. ff. depoſ.* vbi *ſcriptura probatio depoſitarum rerum* IMPLERI *poſſe*, dicitur. Iam quum actore non probante, reus, etiamſi nihil praeſtiterit, abſoluendus ſit, probaſſe autem ex interpretatione authentica DIOCLETIANI & MAXIMIANI Imperatorum nemo cenſendus ſit, niſi qui probationem eius, quod intendat, impleuerit: quo iure, quaeſo, non abſoluto reo, actor, qui ſemiplene probauit, ad iusiurandum ſuppletorium admittitur?

§. XII.

Reſpondetur aduerſae partis argumentis, &

Non deſunt equidem aduerſae cauſſae patronis, quae obuertant: ſed quae parum ſolida eſſe, vnuſquiſque ſtatim intelligit. Aiunt enim, medium quoddam eſſe inter probare & non probare, quando ſcilicet actor neque omnino, neque nihil, ſed aliquid tamen, vel, vti ipſi loquuntur, ſemiplene probarit. Deinde *L.* 4. *C. de edendo* tum ſibi obſtituram putant, ſi ſemiplenam probationem ad condemnandum ſufficere exiſtimarent. Sed tantum abeſſe, vt ita ſentiant, vt dicant potius, ſemiplenam illam probationem opinionem duntaxat inducere, atque hinc confugiendum eſſe ad iusiurandum ſuppletorium. Denique paria quidem omnino eſſe, non

(x) *L.* 13. *ff. de probat. L.* 1. *C. eod. L.* 1. *C. de condict. ob turp. cauſſ. L.* 3. *C. de non num. pec.*
(y) *Lactant. Diu. Inſt. Lib. VII. Cap VIII.*
(z) *L.* 41. *ff. de fideiuſſ.*
(a) *L.* 2. §. 1. *ff. de excuſ. &, vacat. mun.*
(b) *L.* 15. *C. ad L. Falc.*
(c) *L.* 11. §. *vlt. L.* 86. *ff. de condit. & dem.*
(d) *L.* 1. *C. de furt.*
(e) *L.* 2. *ff. de cuſt. & exhib. reor.*
(f) *L.* 30. *ff. ex quib. cauſſ. maior.*

Digitized by Google

non probare & parum probare, in eo, quod vtrumque per ſe non ſit efficax: ſed, aliis accedentibus adminiculis, iam pro perfecta cedere, & plenam fidem facere (g). Ita VINNIVS (h), quem reliqui vel exſcribunt, vel ſequuntur, tantum non omnes. Sed primo quamuis fateamur, plene probare & nihil probare grammatice admittere medium quoddam, puta aliquid vel ſemiplene probare: iuridice tamen parum & nihil probare *συνώνυμα* eſſe, paullo ante ex reſcripto DIOCLETIANI & MAXIMIANI docuimus. Nec veremur, ne in crimen falſi incurriſſe videamur, quod auſi ſimus ex CODICE HERMOGENIANO quaedam exſcribere (i): Quum enim quaeſtio facti ſit, an veteres axioma illud iuridicum, quod actore non probante reus abſoluendus ſit, de plena tantum probatione intellexerint, nec ne? nihil obſtat, quo minus illa ex hoc codice definiatur, maxime quum ei tot aliae ex ipſo CODICE REPETITAE PRAELECTIONIS depromtae per omnia ſuffragentur. Quin ſi cui forte laudando codicem Hermogenianum, IVSTINIANI maieſtati derogare quidquam videamur, etiam ex eius libris patet, parum & nihil probare pari paſſu ambulare, ſiquidem & HADRIANVS Imp. in reſcripto ad Valerium Verum (k) diſerte ſibi inuicem opponit τὸ CREDERE & τὸ PARVM PROBARE, dum ſcribit: *ſed, ex ſententia animi tui aeſtimare te oportet, quid aut* CREDAS, *aut* PARVM PROBATVM *tibi opineris.* Legem 4. *C. de edendo* etiam ſemiplenae probationi refragari, iam ſuperiori paragrapho demonſtrauimus. Iis vero, quae de iureiurando ſuppletorio adſuit VINNIVS, manifeſto ſibi τὸ ἐν ἀρχῇ concedi poſtulat. Denique ex *L.* 5. *& 6. C. de probat.* id quidem adparet, plures probationes imperfectas, licet diuerſi generis, iungi, atque ita iunctas pro plena cedere poſſe: ſed iureiurando ipſius probantis probationem ſemiplenam ſuppleri: id vero nec in his, nec in vlla alia lege, reperiri, arbitramur.

§. XIII.

Oſtenditur, in ſupplementum iurantem teſtem fie-

Et quomodo reperiatur, quum tota illa doctrina analogiae iuris manifeſto aduerſetur? Tanta fuit iuris Romani conditorum religio, vt neminem omnino in ſua cauſſa teſtem idoneum eſſe exiſtimarent (l). Praeclare CICERO (m): *Ita*, inquit, *more maiorum comparatum eſt, vt in minimis rebus homines ampliſſimi teſtimonium*

(g) *L. 5. C. de probat. L. 6. C. eod.*
(h) Vinn. *ibid. p.* 200.
(i) *Conſtit. ſumma reip.* §. 3. *de Iuſtin. Cod. confirm.*
(k) L. 3. §. 2. *ff. de teſt.*
(l) *L. 10. ff. de teſt. L. 10. C. eodem.*
(m) Cic. *pro Sex. Roſc. Cap.* XXXVI.

ri in propria cauſſa. *monium de ſua re non dicerent. Africanus, qui ſuo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum ſe ſubegiſſe, tamen, ſi ſua res ageretur, teſtimonium non diceret, nam illud in talem virum non audeo dicere; ſi diceret, non crederetur.* Quum enim inſignis humani ingenii prauitas facile pleroſque ſubigat, vt exiſtimationi atque vtilitati ſuae magis, quam veritati, ſtudeant: non ipſos modo litigantes a dicendo teſtimonio in cauſſa propria repulerunt: verum etiam, eam eſſe CAVSSAM PROPRIAM, arbitrati ſunt, *cuius emolumentum vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertineat* (n). Ex ea cauſſa nec pater filio, nec filius patri teſtis idoneus eſt (o), quin & domeſtici teſtimonii fides improbatur (p), nec audiendi interrogandique, quibus imperari poteſt, vt teſtes fiant (q), vel qui in cauſſa illa praeſtiterunt patrocinium (r). *Fruſtra* enim *petitur teſtimonium, vbi cum ratione metui poteſt, ne a natura, ſui ſtudioſa, corrumpatur:* inquit V. C. GER. NOODT. (s) At quid agunt, quaeſo, iudices, deferentes iuſiurandum ſuppletorium, quam vt teſtem aliquem eſſe iubeant in cauſſa propria? Produxit quis, intentionem ſuam probaturus, teſtem idoneum, ſed vnicum: is intentioni producentis teſtimonio ſuo per omnia ſuffragatur. Quum vero duorum teſtimonio probatio implenda ſit, adeoque, praeter hunc alter accedere debeat teſtis: iudex producenti denunciat teſtimonium, id eſt, teſtem illum eſſe iubet in propria cauſſa. Negare id non poſſunt iuriſiurandi ſuppletorii patroni, quin vel inuiti hoc agnoſcunt CHRISTINAEVS (t) & SAM. STRYKIVS (u): at ictum hunc breui reſponſione declinantes, hanc eſſe exceptionem a regula, tradunt. Ego vero ſcire peruelim, quae regula ſuperfutura ſit, hac admiſſa exceptione. Quare aut falſum eſt, *omnibus in re propria dicendi teſtimonii facultatem iura ſubmouiſſe:* aut veriſſimum contra, ex iuris noſtri principiis neminem eſſe admittendum ad iuſiurandum ſuppletorium.

§. XIV.

Immo de credulitate iurantem teſtari de re propria, quam ipſe ignorat. Vt eo magis adpareat, hoc iuſiurandum analogiae iuris quam maxime aduerſari: id quoque animaduertimus, illius patronos proprio litigatoris teſtimonio multo plus auctoritatis tribuere, quam adſeuerationi iuratae cuiuſcumque viri, etiam honeſtiſſimi, in cauſſa aliena perhibentis teſtimonium. Finge, vel Xenocratem, cui

[n] L. 1. §. 11. *ff. quando appell.*
[o] L. 9. *ff. de teſt.*
[p] L. 3. *C. eod.*
[q] L. 6. *ff. eod.*
[r] L. *vlt. ff. eod.*
[s] Ger. Noodt. *Comment. ad Pand. Lib. XXII. tit. V. p.* 480. *Tomo II. op.*
[t] Chriſtin. *Volum. III. Dec. II. n.* 2.
[u] Stryck. *Diſſ. cit. Cap. V.* §. *III.*

Digitized by Google

cui & iniurato credendum Athenienſes putabant (x), iureiurando ſanctiſſimo adfirmare, ſe accurate ſcire, contractum, ex quo agatur, a reo per omnia adimpletum eſſe; finge, idem adſeuerare tres alios, dignos, quibuſcum in tenebris mices: eorum profecto teſtimoniis non magis, quam voce pſittaci mouebitur iudex, ſi non aliam ſententiae ſuae reddiderint rationem, quam quod iſtud ex alio, vel fortaſſis ex ipſo reo, audiuerint (y). Pragmatici enim elegante, ut ſolent, vſi translatione, *plus valere*, aiunt, *vnum teſtem oculatum, quam decem auritos* (z), teſtes nimirum, qui relata tantum referunt, ad auritum illud animantium genus, lepore plus quam Plautino, relegantes. At multo benigniores ſe praebent iis, qui praeſtito iureiurando ſuppletorio de propria cauſſa teſtimonium dicunt. Eo enim res rediit, vt & heredes de credulitate iurare poſſe contendant, modo ex defuncto rem audiuerint, & per hunc non ſteterit, quo minus ipſe iurarit (a). Manifeſto itaque plus tribuitur teſtimonio litigatoris in cauſſa propria, quam cuiuſuis viri etiam integerrimi de facto alieno teſtimonium perhibentis. Qui vero hanc digerunt iurisprudentiam, eos tam forti ſtomacho eſſe arbitramur, vt & iusiurandum illud ſuppletorium concoquant facillime, deque illius aequitate nullam ſibi vmquam dubitationem ſuboriri patiantur.

§. XV.

Iusiurandum hoc fundamentum non reperit in legibus noſtris.

Denique & id huic iuriiurando non parum obſtat, quod nullus vſquam in iure occurrit textus, in quo illud praeſidium ſatis firmum reperiat. Solent equidem doctores aliquot loca, quae huc facere videntur, citare, veriti procul dubio, ne rubore ſuffundantur, ſine lege loquentes: ſed qui ea euoluerit, illico verum eſſe experietur, quod ICtis exprobrauit THOMAS REINESIUS (b), *e iuris* nimirum *ſcientia, ad cauſſarum iuſtitias demonſtrandas & euincendas leges cateruatim ſolere aduocari, quae ſi particulatim examinentur, rem ne tangant quidem, interdum etiam, quam firmare putentur, ſolidum euertant.* Decuiſſet ſane eos, qui rem tanti momenti defendendam ſuſceperant, duo iuris capita perſpicue demonſtrare, alterum, quod detur probatio ſemiplena, eique in foro aliquid

[x] Laert. *lib. IV. ſegm.* 7. Cic. *lib. I. ad Attic. Epiſt.* XVI. Val. Max. *lib.* II. *cap. X. ex. II.*
[y] Dionyſ. Gothofr. *ad l.* 4. C. *de teſt.*
[z] Ludouici *in Doctr. Pand. lib.* XXII. *Tit. V.* §. VIII.
[a] Carpz. *Part.* I. *Conſt.* XXIII. *Def.* VIII. *n.* 3. Stryk. *in vſu modern. Dig. tit. de iureiur.* §. XXXVII.
[b] Reineſ. *Var. Lect. lib.* I. *cap.* XX. p. 77.

aliquid ponderis ſit: alterum, quod, qui ſemiplene probauit, ipſe in ſupplementum iurare, teſtiſque alterius vice in cauſſa propria fungi poſſit. In his enim poſitam eſſe huius iuriſiurandi naturam atque indolem, ipſi vltro profitentur. Iam quam parum hoc praeſtent, paucis, age, demonſtrabimus.

§. XVI.

Veluti in L. 31. ff. de iureiur.

In principiis conſiſtere iubent CAIVM (c), quem ſub Hadriano, Antonino Pio, & Marco Antonino floruiſſe, recte docuit GVIL. GROTIVS (d). Hic enim diſerte ſcripſit: *Solent enim ſaepe iudices, in* DVBIIS CAVSSIS EXACTO IVREIVRANDO, *ſecundum eum iudicare, qui iurauerit.* Nihil hic de probatione ſemiplena, nihil de iureiurando, quo illa ſuppleatur, adeoque & nihil, quod ad rem pertineat, legimus. Decerptum eſt hoc fragmentum EX LIBRO XXX. COMMENTARIORVM AD EDICTVM PROVINCIALE, in quo CAIVS, ceu ex aliis fragmentis patet, cum de aliis exceptionibus, tum in primis de exceptionibus doli mali (e) & rei iudicatae (f) egerat, ad quam poſtremam etiam lex noſtra referenda eſt. Edixerant Praetor & Proconſul, *re ſemel iudicata, de eadem re & ex eadem cauſſa conuento, ſe rei iudicatae exceptionem daturos.* Quaeſtio ſuboriebatur, an per hoc edictum cauſſa iureiurando deciſa ex integro retractari poſſit, ſi inſtrumentis nouiter repertis demonſtretur, admiſſum eſſe periurium? Reſpondet CAIVS, permultum intereſſe, ipſine litigatores ſibi inuicem detulerint iusiurandum, an iudex illud ab alterutro ſua ſponte exegerit. Priore caſu, *quando inter ipſos litigantes iureiurando tranſactum ſit negotium, non concedi, eamdem cauſſam retractari.* Huiuſmodi enim iusiurandum tranſactioni aequiparari, quin rei iudicatae anteferri (g), ac proinde, illo ſemel praeſtito, nec de periurio quaeri (h), nec admitti adpellationem (i), notiſſimum eſt. Contra exacto a iudice iureiurando, CAIVS *permitti*, ait, *conſtitutionibus principum, ex integro cauſſam agere, ſi quis noua inſtrumenta ſe inueniſſe dicat, quibus ſolis vſurus ſit.* Quum enim tunc iurare iubeat iudex, nulla inita cenſetur tranſactio, neque dubitari poteſt, quin, praeſtito illo iureiurando, & quaeſtioni de periurio, & adpel-

[c] *L. 31. ff. de iureiur.*

[d] Guil. Grot. *de vitis iureconſult. lib.* II. *cap.* VII. §. *6. p.* 135.

[e] *L. 6. ff. de doli mali & met. except.*

[f] *L. 15. ff. de except. rei iudic. l. 17. ff. eod.*

[g] *L. 2. ff. de iureiur.*

[h] *L.* 1. C. *de reb. cred. l. 21. l. 22. l. 23. ff.* de dolo malo.

[i] *L. 12. §. 1. ſequ.* C. *de reb. cred. l. 22. l. ult. §. 1. ff. de adpellat.*

Digitized by Google

adpellationi locus relinquatur (k). Quaeſtione, quam mouerat hunc in modum ſoluta, obiter oſtendit CAIVS, quo caſu iſtiuſmodi iusiurandum exigat iudex, additque, *ſolere iudices ſaepe, in* CAVSSIS DVBIIS *exacto iureiurando, ſecundum eum iudicare, qui iurauerit.* Si ergo iam diſquiramus, quaenam hic ſit cauſſa dubia: vnuſquiſque latinitatis paullo peritior facile intelliget, eam non eſſe, vbi ſemiplene probatum eſt, quum vnum teſtem ne audiendum quidem eſſe, paullo ante demonſtratum ſit: ſed quoties tantus eſt probationum conflictus, vt iudex, quid ſequatur potiſſimum, neſciat, ſibique contingere animaduertat, quod illi apud TERENTIVM (l):

> *Dum in dubio eſt animus, paullo momento huc & illuc impellitur.*

Teſtimoniis veterum quam plurimis hanc ſignificationem confirmant DVARENVS (m), DONELLVS (n), & GER. NOODT (o), qui etiam huc referunt *coenam dubiam* apud TERENTIVM, CICERONEM, & HORATIVM, quae ſane non eſt, in qua parum, ſed in qua tantum ferculorum adponitur, vt animus conuiuae, quid potiſſimum eligat, ſit incertiſſimus. Tunc demum ergo iudex exigere poteſt iusiurandum, quoties tantus eſt probationum conflictus, vt parum liqueat, quid ſtatuendum ſit. Si enim plene probarit actor, ſe Titio Calendis Ianuariis ſoluiſſe centum, hic autem plene demonſtret, ſe Calendis illis alio loco fuiſſe: cauſſa certe tam dubia atque ambigua erit, vt iudex nec condemnare reum poſſit, quia actoris probationem probatione ſua excluſit, nec abſoluere, quia actor intentionis ſuae probationem impleuit. Itaque cauſſa cognita ſtatuet, vtrius litigatoris probationi plus videatur tribuendum, eique deferet iusiurandum, atque, eo praeſtito, ſecundum eum iudicabit, qui iurauit. Haec vera eſt huius legis ſententia, adeoque illa nihil minus probat, quam cuius probandi cauſſa vulgo ad partes vocari ſolet.

§. XVII.

Multo minus in L.

Non multo plus praeſidii vulgari ſententiae eſt in DIOCLETIANI & MAXIMIANI reſcripto ad Seuerum (p), ad quod, tamquam ad

[k] *L. vlt.* §. 1. *ff. de adpell. l.* 1. *l. vlt.* §. 1. 2. 3. *C. de reb. cred. l.* 2. *C. ſi ex falſ. inſtr.*

[l] Terent. *Andr. Act. I. Scen. V. v.* 31.

[m] Duaren. *L. II. Diſp. anniuerſ. cap. XXXIII.*

[n] Donell. *ad l.* 3. *C. de reb. cred.*

[o] Noodt. *in Comment. ad Pand. p.* 288. *& lib. III. Probabil. cap. VI.* §. *IV.*

[p] *L.* 3. *C. de reb. cred. & iureiur.*

3. C. de reb. cred. ad ſacram anchoram confugiunt, quorum intereſt, hoc iusiurandum in foro locum ſuum tueri. Illud nimirum ita ſe habet: *In bonae fidei contractibus, nec non in ceteris cauſſis*, INOPIA PROBATIONVM, *per iudicem, cauſſa cognita, res decidi oportet.* Exiſtimant autem doctores, per inopiam probationum nihil aliud poſſe intelligi, quam probationem ſemiplenam, & hinc mirifice illis placet obſeruatio IAC. CVIACII (q), ſtatuentis, *aliud eſſe defectum, aliud inopiam probationum: defectum nimirum eſſe, ſi nullae ſuppetant probationes, inopiam, ſi quaedam ſuppetant.* Enimuero quis vmquam audiuit, *inopiam probationum* idem eſſe, ac probationem ſemiplenam? Et tamen hoc probandum erat ex hoc textu, niſi eum fruſtra adductum vellent. CVIACIVS ipſe, quem laudant, hoc non ſtatuit; ſed *inopiam probationum eſſe*, ait, *ſi quaedam ſuppetant probationes, ſed ancipites, aut parum idoneae: tunc quoque iudicem ab vno litigatore iusiurandum exigere poſſe* concedit, *quaſi dubia cauſſa, aut dubia probatione argumentorum & teſtium forte, quia ex vtraque parte producantur.* Quibus quidem nos haut inuiti ſubſcribimus, exiſtimantes, tunc vel maxime inſignem eſſe probationum inopiam, ſi ipſa earum copia & conflictus iudicem inopem atque incertum reddit, vt, quid ſtatui oporteat, ſibi nondum liquere fateatur. Significationem hanc illius vocis in loco APVLEII *(r)* elegantiſſimo obſeruauit V. C. GERARD. NOODT. (s) Sed ſufficere poterat conſtitutio SEVERI & ANTONINI *(t)*, quae in pecuniariis cauſſis nec INOPIA PROBATIONVM ſeruos contra dominum interrogari *permittit.* Senſus enim eſt, ne in probationum quidem conflictu, & vbi cauſſa aliter exitum habitura non videatur, ſeruos aduerſus dominos ſub equuleo eſſe interrogandos: nec aliam interpretationem admittere illum locum, ſtatim deprehendet, quiſquis nexum vltimi iſtius commatis cum antecedente paullo accuratius expenderit. Et ſane, ſi vterque litigator plene probauit: nec actor probauit, quia eius probatio a reo probatione contraria excluſa eſt, nec reus, quia ei teſtes aeque idonei ab actore producti refragantur. Nonne ergo haec eſt probationum mira inopia?

§. XVIII.

Denique vulgarem Sed iuuat, exemplo quam maxime ad rem pertinente oſtendere, veteres iuriſprudentiam illam, quae ob probationem imperfectam

[q] Cuiac. *lib. XXII. Obſ. iur. civ. cap. XX.* Vinn. *Quaeſt. Select. ibid. p.*200.

[r] Apuleii *Metamorph. lib. V.*

[s] Ger. Noodt. *lib. III. Probabil. cap. VI.* §. III. *pag.* 62.

[t] L. 1. C. *de quaeſtion.*

ſectam iusiurandum ſuppletorium & purgatorium inuexit, ſciuiſſe cum ignariſſimis. A. GELLIVS (u), vir prudentiſſimus, &, quod in primis ad rem facit, CAIO ICto fere σύγχρονος, memoriae prodidit, ſibi adhuc adoleſcenti, inter iudices adlecto, hanc ſpeciem oblatam eſſe. Petebatur apud eum pecunia, quae dicebatur data numerataque: ſed *qui petebat, neque tabulis, neque teſtibus, id factum docebat, & argumentis admodum exilibus nitebatur*; ſed eum conſtabat virum eſſe bonum, notaeque & expertae fidei, & vitae inculpatiſſimae, multaque & illuſtria exempla probitatis ſinceritatiſque eius expromebantur: illum autem, vnde petebatur, hominem eſſe non bonae rei, vitaque turpi & ſordida, conuictumque vulgo in mendaciis, plenumque eſſe perſidiarum & fraudum, oſtendebatur. Ita enim caſum ipſum proponit GELLIVS, additque, ſe in ea cauſſa adeo fluctuaſſe, vt, quid ſibi faciendum eſſet, reperire nullo modo potuerit. Iam non quidem memorat, qualia fuerint exilia illa argumenta, quibus actor niteretur: at, quum ea ibidem opponat probationi ſollemni per expenſilationem, menſae rationes, chirographi exhibitionem, tabularum obſignationem, teſtium interceſſionem: facile patet, actorem pro ſe adtuliſſe varias praeſumtiones, quas hominis vocant, quae plerumque ad iusiurandum ſuppletorium ſufficere ſtatuunt doctores, maxime, ſi quid inter duos, remotis arbitris, actum ſit (x). Sed vtcumque ſe res habeat: noſtratium hominum ſane perpauci hunc caſum ambiguitatis quidquam habere cenſuiſſent. Aut enim argumenta illa ſemiplene probarunt, aut minus, quam ſemiplene. Si prius; ad ſuppletorium confugiſſent, maxime, quum actor eſſet vir exiſtimationis integrae atque exploratae fidei: Sin poſterius; purgatorium exegiſſent a reo, indiciis illis ipſaque vita anteacta ſuſpecto. Nec credibile eſt, GELLIVM, quique ei in conſilio aderant, vel hanc doctrinam iuridicam ignoraſſe, quam CAIVM tunc inculcaſſe tam perſpicue, aiunt, vel periurii metu improbi hominis religioni rem committere non ſuſtinuiſſe, quum Romani periuria ſatis Deum vltorem habere crederent (y), adeoque non tam ſolliciti eſſent de euitando periurio, ac Chriſtiani. Quid ergo? an non GELLIVS in *cauſſa tam dubia exacto iureiurando ſecundum eum iudicauit, qui iurauit?* Ita enim fieri oportuit, *doctrinam de iureiurando ſuppletorio veterum praxi repugnare, oſtenditur exemplo, ex Gellii Noctibus Atticis depromto.*

[u] Gell. *Noct. Attic. libr. XIV. cap. II.*
[x] Stryk. *Diſſ. de probat. ſemiplena cap. IV. & cap. V. n.* 38. Couarruu. II. *Reſolut. 6. n.* 1. Weſenbec. *Parat. tit. de probat. n.* 4.
[y] L. 2. C. *de iureiur.*

ſi hanc legem CAII (z) recte interpretantur doctores noſtri. Nil minus Amici, quos rogauerat in conſilium, *viri exercitati, atque in patrociniis & in operis fori celebres, non ledendum diutius* aiebant, *& nihil eſſe dubium, quin abſoluendus foret, quem accepiſſe pecuniam nulla probatione ſollemni doceretur.* En ergo viros iuris peritiſſimos, qui in ea erant haereſi, vt probationem ſemiplenam, vel ſemiplena minorem, non pluris facerent, quam nullam. Quid GELLIVS? Is diem diffindere iuſſit, atque illico a PHAVORINO ſuo, tamquam ab oraculo, conſilium expetit. At nec is meminerat, re ſemiplene vel aliquatenus probata, locum eſſe iuriiurando ſuppletorio vel purgatorio: quin nec quidquam, quod GELLIO ſatisfaceret, promebat. Itaque hic conſilii inops, perendie iurauit, ſibi non liquere, atque ita iudicandi neceſſitate ſe exſoluit. Quid ergo certius, quam GELLII, adeoque & CAII temporibus, nondum cuiquam in mentem veniſſe principium, quod hodie extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe exiſtimant, puta, quod ſemiplene probanti iusiurandum ſuppletorium; minus quam ſemiplena probatione in ſuſpicionem adducto purgatorium deferri oporteat? Multo minus itaque ante haec tempora de illo quiſquam ſomniauerat, quia & SENECA (a) ſcribit: *Aduerſarius meus, dum contraria dicit, & iudicem ſuperbia offendit, & in* VNVM TESTEM *temere dimittit, cauſſam meam erexit. Non quaero, an pro me errauerit, quia contra me voluit.* Annon haec ſcribens dupondiis ipſis riſum excuſſiſſet, ſi iam tum nota fuiſſet hodierna illa Doctorum de iureiurando ſuppletorio & purgatorio philoſophia?

§. XIX.

An in conflictu probationum pro reo pronunciandum ſit?

Vnum eſt, quo DVARENVM, omneſque ei ὁμοψήφοι, premere ſibi quam maxime videntur. Nimirum quum animaduertant, eos tunc demum locum alterutri iuriiurando concedere, ſi ex vtraque parte quidam probationum ſit conflictus: id quidem principiis iuris quam maxime refragari contendunt, quoniam tunc leges pro reo pronunciari iubeant (b), adeoque res & ſine iureiurando decidi poſſit (c). Sed DVARENO etiam hic integra omnia eſſe arbitramur. Lex. 47. *ff. de obl. & act.* nec non *L.* 125. *ff. de reg. iur.* generatim de fauore reorum agunt, nec dicunt in colliſione probationum reum eſſe abſoluendum, ſed procul dubio

[z] *L.* 31. *ff. de iureiur.*

[a] Seneca *de benef. lib. VI. cap.* VIII.

[b] *L.* 38. *ff. de re iudic. l.* 10. *ff. de inoff. teſt. l.* 47. *ff. de oblig. & act. l.* 125. *ff. de reg. iur.*

[c] Vinn. *Quaeſt. ſelect. ibid. pag.* 199.

Digitized by Google

bio ad alias pertinent praerogatiuas, quibus eum donarunt leges, veluti quod non cogitur actori edere inſtrumenta (d), quod ei plures dilationes indulgentur, quam actori (e), quod actore non probante abſoluitur, etiamſi ipſe nihil praeſtiterit (f), quod eius ignorantia iuſtior cenſetur, quam actoris (g), quod pluribus defenſionibus vti poteſt (h), & quae ſunt huius generis alia praeclare explicata a viro eximio, IAC. GOTHOFREDO (i). Reliquae leges, quas ad partes vocant, reum quidem in dubio abſolui oportere, monent, ſed non ob aequale probationum vtrimque adlatarum pondus, ſed, vti PAVLLVS (k) loquitur, quoties *inter pares numero iudices diſſonae ſententiae proferantur.* Tunc demum, vt ait SENECA (l), *reus paribus ſententiis abſoluitur.* Hinc ipſe BACHOVIVS (m), contrariae alioquin ſententiae addictus, leges has ad rem pertinere negat, & ideo aduerſus TREVTLERVM defendit, iudicem alterutri parti recte deferre iusiurandum neceſſarium, ſi vtraque ſemiplene probarit. Si ergo hoc abſurdum non eſt: cui abſurdum videbitur, in conflictu plenarum probationum ad hoc iusiurandum confugere iudicem? An minus res erit dubia, quando ſemiplene, quam quando plene probauit pars vtraque? Quare ne hoc quidem, quod in pari teſtium vtrimque productorum numero reus abſolui ſolet, ex iure Romano, ſed ex ψευδερμηνείᾳ PONTIFICVM (n), qui facile in eum errorem delabi poterant, ex quo vulgarem de ſemiplena probatione & iureiurando ſuppletorio ſententiam ſemel imbiberant.

§. XX.

Enimuero, quamuis in iure ciuili praeſidium haut reperiat iusiurandum ſuppletorium: negari tamen haut poteſt, illud radices tam altas egiſſe in foris vniuerſae Germaniae, vt nulla diſputatione, etiam ſubtiliſſime ſcripta, facile conuelli poſſe videatur. Exigi ſane hoc iusiurandum ſolet in SVPREMO IMPERII DICASTERIO (o), in TRIBVNALI WISMARIENSI (p), in CVRIIS SAXONI-

Iusiurandum tamen ſuppletorium vſus adprobat.

(d) *L. vlt. C. de edendo.*
(e) *L. vlt. ff. de fer. l. 2. C. de dilation.*
(f) *L. 4. C. de edendo.*
(g) *L. 42. ff. de reg. iur.*
(h) *L. 43. ff. eod.*
(i) Iac. Gothofred. *in Comm. ad Reg. iur. p. 534. ſequ.*
(k) *L. 38. ff. de re iudic.*
(l) Seneca *Epiſt. LXXXI.*
(m) Bachou. *ad* Treutl. *Vol. I. Diſſ. XXI. theſ. X. litt. A. ad verba: Neque deferri poteſt in eo caſu.*
(n) *Cap. 3. X. de probat. cap. inter dilectos 6. X. de fide inſtrum.*
(o) Gail. *lib. I. Obſ. CVIII.*
(p) Meu. *Part. V. Deciſ. CXIII. Part. VII. Dec. CCCLXXVI.*

cis (q), & reliquorum principum omnium. Nec minus extra Germaniam eidem locus eſt in curia ſuprema MECHLINIENSI (r), & reliquo Belgio, quin & in GALLIA, niſi quod ibi ſpeciali Regis iuſſu opus eſſe tradit REBVFFVS (s): Tam multum veteres tribuerunt GLOSSAE, quae quum ſemel hoc iusiurandum probaſſet (t), eique & gloſſatores IVRIS CANONICI (u) adſentirentur: euenit ſane, quod ſcribit ARTHVRVS DVCKIVS (x), cauſſaque ex gloſſae ſententia iudicata eſt, quam pro idolo habebant (y). Quum itaque, quae moribus & conſuetudine fori obtinent, ſeruanda ſint; nihil profecto ſupereſt, quam vt caute ac prudenter, quoad eius fieri poteſt, deſeratur hoc iusiurandum. Quod quomodo fieri poſſit, paucis adhuc pro inſtituti ratione erit expediendum.

§. XXI.

Illud caute deferendum.

Omnes, qui de hoc iureiurando agunt paullo accuratius, poteſtatem iudicis in exigendo hoc iureiurando conditionibus quibuſdam circumſcribunt. Et VINNIVS (z) quidem tres ponit, primum, vt cauſſa laboret inopia probationum, deinde, vt cauſſa ſit dubia ob ſemiplenam probationem adlatam, denique, vt deferatur cauſſa cognita. STRYKIVS (a) omnia refert ad tres illos iurisiurandi comites, quos fingunt CANONISTAE (b), *veritatem, iudicium* & *iuſtitiam*, adeoque requirit, primum, vt praeſtetur de veritate, non de credulitate, deinde, vt iurans ſit perſona fide digna, poſtremo, vt cauſſam cognoſcat iudex, ſitne cauſſa talis, quae hoc iusiurandum admittat, an ſatius eſſe videatur, cauſſam decidere iureiurando purgatorio, alteri parti delato. Eamdem rem tractans SCHNEIDEWINVS (c) quinque requirit conditiones, vt ſemiplene probatum ſit, & vt conſideretur tum natura cauſſarum, tum perſonarum conditio, tum rei vel ſummae libello petitae quantitas, tum ipſa denique factorum qualitas. In his enim praecipue verſari cauſſae cognitionem, quae a CAIO (d) exigatur, ſtatuit. Sed omnium pleniſſime de his requiſitis agit MYN-

(q) Carpz. *in Proceſſ. tit. XII. Art. II. n.* 22. 23.

(r) Chriſtin. *Vol. III. Dec. II. n.* 14.

(s) Rebuff. *in prooem. conſtit. gloſſ. V. n.* 58.

(t) Gloſſa *ad L.* 31. *ff. de iureiur.*

(u) Gloſſa *ad cap. vlt. X. de iureiur.*

(x) Arth. Duck. *de auctor. Iur. Ciu. lib. I. cap.* VIII. §. VI.

(y) Pancirol. *de clar. leg. Interpr. lib.* II. *cap.* XXIX.

(z) Vinn. *Quaeſt. ſelect. lib.* I. *cap.* XLIV. *p.* 199.

(a) Stryk. *Differt. de ſemiplena probat. cap. V.* §. IV. *ſequ.*

(b) *Can.* 2. *cauſſ.* XXII. *Quaeſt.* II. Dominic. a Soto *de Iuſt. & iur. lib.* VIII. *Quaeſt.* I. *Art.* III.

(c) Schneidew. *ad* §. *II. Inſt. de action.*

(d) *L.* 31. *ff. de iureiur.*

MYNSINGERVS (e), qui ſex conditiones coniunctim deſiderari monet, primam, vt ſemiplene probatum ſit, eaque probatio vere ac neceſſario, non praeſumtiue concludat: alteram, vt ille, cui defertur, veritatem ſciat probabiliter per ſenſum corporeum: tertiam, vt idem ſit vir integrae exploratae que fidei: quartam, vt cauſſa non ſit ardua vel criminalis, ſed modica & ciuilis: quintam, vt ſemiplena illa probatio praeſumtione quadam dilui aut eleuari non poſſit: ac ſextam denique, vt iusiurandum illud petatur, antequam ſit in cauſſa concluſum. Quam ob rem de ſingulis iſtis requiſitis iam agemus ſeorſum, quidque de illis habendum ſit, diſpiciemus paullo diligentius.

§. XXII.

Requiritur primo probatio ſemiplena. Ergo teſtem de ipſa re depoſuiſſe oportet.

Primum omnino iuſtiſſimam habet rationem. Ex quo enim ſemel placuit, probationem ſemiplenam admittere: litigatorum omnino interfuit, non temere ad hoc iusiurandum admitti, niſi qui non modo ſemiplene probarint, ſed & id, quod vere probandum erat, probare ſuſceperint. Leues enim & remotiores ſuſpiciones iureiurando actoris ita firmari, vt huic ſpes victoriae adfulgeat, res perniciosi ad poſteritatem exempli eſſet futura. Hinc ſi vlla ſuſpicio aduerſus teſtem militat, aut eius teſtimonium eleuat, merito huic probationi nihil omnino fidei habetur (f). Cauendum ergo teſtimonium hominum, vel ob neceſſitudinem atque amicitiam vel ob inimicitiam ſuſpectorum, quorum quum alioquin ratio non facile haberi debet, tum multo difficilius habebitur a religioſo iudice, ſi ipſius partis iureiurando confirmandum ſit. Hinc recte negant auctores noſtri (g), mulierem iureiurando ſuo illatae dotis vel conſtituti dotalitii probationem poſſe perficere, ſi pro ſe fratrem produxerit teſtem, vel parentes (h), vel mariti confeſſione munita ſit aduerſus creditores vel agnatos, ſingulari titulo ſuccedentes (i). Et quamuis vulgo adiiciant, nec inhabilem teſtem plane eſſe reſpuendum, ſi veritas aliter adparere non poſſit (k), ex eaque ratione teſtem ſubditum in cauſſa domini; & ciuem vel conuicanum ex vniuerſitate in cauſſa vniuerſitatis recte produci, contendunt (l): ſed id periculoſum eſſe arbi-

(e) Mynſing. *Centur.* I. *Obſ.* LXVIII.

(f) Ant. Faber *in Cod. lib. IV. tit. I. def. IV. n. 9.* Carpz. *Part. I. conſt. XXIII. Def. V. n. 2. & 3.*

(g) Idem *lib. VI. tit. VI. Reſp.* L VI. *n.* 7.

(h) Idem *lib. IV. tit. III. Reſp. XXIV. n.* 1.

(i) Coler. *de proceſſ. exſequut. Part. III. cap. II. n.* 110. *& ſequ.*

(k) Carpz. *Part. I. Conſt. XVI. Def. LXIV. n. 4. & 5.*

(l) Socin. *Regul.* CCLII. *fall.* LXX. Hahn. *ad* Weſenb. *tit. de iureiur. p.* 105. *& ſequ.* Strauch. *Diſſ. de iureiur. ſuppler. cap.* II. *§.* VIII.

arbitror, ſi vel maxime ſubdito gratia fiat iuriſiurandi domino praeſtiti. Illi enim ſaepe vindictae metus ſcrupulum iniicit: huic vel ideo plane nulla fides eſt, quia & ipſe teſtis in propria cauſſa eſt, dum pro vniuerſitate ſua teſtimonium praebet, & vniuerſitas (2) in ſupplementum iurans itidem in cauſſa ſua teſtimonium praebet, adeoque vniuerſitas ſolo ſuffragio teſtimonioque in propria cauſſa dicto victrix foro excedit. Nec magis aliquid ponderis ineſſe exiſtimamus probationi ſemiplenae non ipſius thematis probandi, ſed argumenti remotioris, & ex quo illud neceſſario non infertur. Hinc quum vniuerſitas quaedam adſeueraret, inter ſe & rei maiores contractum permutationis interceſſiſſe, quo inſigniter laeſa ſit, iniunctaque probatione multis teſtibus probaſſet, reum poſſidere ſiluulam, cuius partem etiamnum vniuerſitas teneat, vniuerſitatem autem paſcuum habere, quod vndequaque fere agris rei circumdatum ſit: ſententiam iudicis vniuerſitati iusiurandum ſuppletorium deferentem, interpoſita a reo leuteratione, ab illuſtri Viadrinae ICtorum ordine reformatam eſſe, noui.

§. XXIII.

Nec in ipſo teſtimonio debet vitii quidquam eſſe.

Sed fingamus, teſtem, quem quis pro ſe produxit, exploratae fidei virum eſſe: non tamen ob eius teſtimonium cuiquam iusiurandum deferendum crediderim, ſi in ipſo teſtimonio, quod dixit, vel in examine, quod ſubiit, defectus quidam obſeruetur. Quis enim e. g. ſuppletorium decernat, ſi vnus teſtis rem adſeuerarit quidem, at interrogatus rationem ſcientiae ſuae reddere nequiuerit (m)? vel ſi idem non de factis in ſenſus incurrentibus, ſed iure, e. g. dominio, depoſuerit (n)? vel ſi ſibi ipſi in circumſtantiis quibuſdam manifeſto contradixerit (o)? Et quis hoc iusiurandum deferat ob teſtem vnum, virum illum quidem honeſtum, ſed legitimo modo non interrogatum examinatumque. Hinc recte a IO. STRAVCHIO (p) obſeruatum eſt, iusiurandum hoc deferendum non eſſe, ſi teſtis iurarit aduerſario non citato (q), ſi non coram iudice competente (r), ſed vel ab extraneo vel Notario (s) examinatus, vel non ſimul ad interrogatoria articulos illuſtrantia (t) auditus ſit, vel denique iureiurando

(m) L. 4. C. *de teſt.* Maſcard. *de probat. Vol.* I. *concl.* DCCCCLVI. *n.* 14.

(n) Schrader. *ad l.* 31. *ff. de iureiur. n.* 309.

(o) Berlich. *Part.* I. *concl.* LIV. *n.* 86.

(p) Strauch. *Diſſ. de iureiur. ſuppletor. cap.* II. §. 12.

(q) L. 19. *cum Auth. ſequ.* C. *de teſt. cap.* 2. *X. eod.*

(r) *Nou.* LX. *cap.* II.

(s) Schrader. *ibid. n.* 288.

(t) Rutg. Ruland. *de commiſſ. Part.* I. *lib.* I. *cap.* VIII. *n.* 2. *& ſequ.*

Digitized by Google

do plane non obſtrictus fuerit. Quamuis enim horum pleraque parum conferre videantur ad veracitatem teſtium: fides tamen fieri debet iudici, qui ſaepe ex teſtium gemitu, ſermone praerupto, vacillante reſponſione acute colligit, quantum illis fidei ſit tribuendum.

§. XXIV.

Quid ſi per inſtrumentum ſemiplene probatum?

Multo maiori cautione opus eſt, ſi ſemiplena illa probatio non in teſtis vnius depoſitione, ſed in inſtrumentis conſiſtit. Tanto facilius enim hic falſo locus eſt, quanto minus littera erubeſcit. Hinc ſcripturae priuatae, qua ſua quiſque annotatione ſibi debitorem conſtituit, credendum non eſſe, ſi vel iureiurando ſuppletorio firmetur, facile vnuſquiſque intelliget (u). Adeoque etiam debitam quantitatem non probabunt rationes defuncti, in bonis eius inuentae (x), nec eiuſdem extremae tabulae, quibus ſibi certam quantitatem deberi adſirmauit (y): nec denique rationes tutoris, curatoris, procuratoris, negotiorum geſtoris, ſi ſine apochis, aliiſque adminiculis pro ipſis proferantur (z). Omnibus enim his caſibus nullo alio argumento vincerent actores ad iusiurandum ſuppletorium admiſſi, quam teſtimonio in ſua cauſſa dicto, id eſt, ſuſpectiſſimo. Mercatorum codices hic ſingulari priuilegio gaudere, inter omnes conſtat, de cuius origine alia occaſione diſquiſiuimus (a). Verum & hic prouide cauendum, ne in magnam fallendi peierandique licentiam euadat illud priuilegium, & cuiuis in procliui ſit, lingua, tamquam hamo, lucrum captare. Hinc diſpiciendum, ſitne mercator vir honeſtus, an foro iam ceſſerit, alioque perfidiae genere ſeſe polluerit, ipſe codex vtrum iuſto ordine confectus ſit, acceptaque & expenſa cum die & conſule & cauſſa debendi contineat, an aliquod falſi indicium praebeat, & quae ſunt obſeruationes huius generis aliae, quae plena manu in diſſertatione paullo ante laudata feruntur. Praeterea non temere ſuaſerim iudici, vt priuilegium hoc iuſto latius extendat. Sunt, qui illud etiam opificibus indulgent, ſunt, qui & defuncti rationibus, ſi is vir honeſtus fuerit, eaſque rationes legitima forma, expreſſiſque accurate acceptis expenſiſque, ante litis conteſtationem confecerit (b): denique nonnulli & tutorum

(u) L. 7. C. *de probat.*
(x) L. 6. & *l.* 7. C. *eod.*
(y) *d. l.* 6. C. *eod.* Carpz. *Part.* I. *Conſt.* XVII. *Def.* 34.
(z) Strauch. *Differt. ead. cap.* II. §. 14.
(a) Noſtra *Diſſ. de libris mercatorum foro cedentium.*
(b) Maſcard. *de probat. Vol.* II. *concl.* DCCCCLXXV. *n.* 4. & *ſequ.* Sichard. *ad* L. 6. *C. de probat. n.* 6. & 7.

torum ſimiliumque adminiſtratorum rationes pro tutoribus adminiſtratoribuſque ſemiplene probare contendunt, ſi contineant ſummas paruas & probabiles, & in forma recepta confectae adpareant, ipſeque iudex impendia rerum & alimenta pupillorum tanti veroſimiliter conſtitiſſe deprehendat (c). Enim vero vt de opificibus, qui ſimul merces in tabernis extrudunt, facile conceſſerim: ita periculoſiſſimum fuerit, rationi defuncti vel tutoris tantum tribuere, vt iureiurando heredis ipſiuſque tutoris firmatae plene pro iurante probent. Quemadmodum enim heredes rerum omnium ignari de credulitate iurare religioni ſibi haut ducent: ita hoc pacto actum eſſet de pupillorum miſerorum patrimonio, ſi in tutores improbos & periuros ſemel incidiſſent.

§. XXV.

Deinde ſemiplenam probationem oportet eſſe profectam a teſte rei conſcio. An & de credulitate iurandum?

Nec altera MYNSINGERI cautio negligenda eſt religioſo iudici. Et vtinam non nimis negligeretur! Ita enim non temere cuiquam deferretur iuſiurandum ſuppletorium ſuper facto alieno & de credulitate, quod aiunt, praeſtandum. Expeditiſſimi iuris eſt, non eſſe iurandum de illis, quae, ſtilo practicorum, non releuant. Cur ergo iuſiurandum ſuppletorium de credulitate admittitur? an hoc releuat, quaeſo, ſi credam, rem ſe ita habere, quamuis, an ita ſe habeat, ſciam cum ignariſſimis? Notum porro eſt, ne iudiciale quidem, ceu vocant, iuſiurandum referri poſſe deferenti, ſi parem rei notitiam non habeat (d). Quo iure itaque ſuppletorium defertur etiam rei ignaris heredibus, modo ſint ſatis creduli? Accedit, quod ita magna feneſtra aperitur periuriis innumeris. Quam facile enim rem ita ſe habere credimus, quando de contrario non conſtat? Et cur denique teſti in propria cauſſa fidem habeamus, de credulitate deponenti, quum non credamus viro etiam integerrimo, de facto alieno aliquid ex credulitate ſua adfirmanti? His aliiſque moti argumentis id iuſiurandum de credulitate recte reiecerunt MYNSINGERVS (e), PRVCKMANNVS (f), BRVNNEMANNVS (g), STRYKIVS (h), & alii ICti paullo religioſiores, faſſi ſimul, in Saxonia quidem rem aliter ſe habere (i), ſed exorbitantem illam eſſe conſuetudinem. &c.

(c) Maſcard. *ibid. n. 61. & ſequ.* Munnoz. de Eſcobar. *de ratiocin. admin. cap. X. n. 64.*

(d) L. 34. §. 8. *ff. de iureiur.*

(e) Mynſing. *Cent.* II. *Obſ.* LXVIII. *n.* 2.

(f) Pruckmann. *Vol.*I.*Conſil.* X. *n.* 93.

(g) Brunnem. *Proceſſ.Ciu.cap.*XXIII. *n.* 25.

(h) Stryk. *de iure ſenſ. in prooem. n.* 33. *ſequ. & Diſſ. de probat. ſemiplena. cap. V.* §. *IV. n.* 23. *ſequ.*

(i) *Ord. Proc. Saxon. Tit. XIX.* §. *vlt.*

Digitized by Google

& hinc non temere imitandam, prudenter monentes, at ſurdis fere canentes fabulas. Quod eo magis mireris, quum alioquin iusiurandum vniuerſitati delatum vel ideo ab vniuerſitatis iſtius ſenioribus, aliiſque, qui probabiliter rei notitiam accuratiorem reliquis habent, praeſtandum eſſe fateantur, quia reliqui tanquam rei ignari minus ſint idonei (k).

§. XXVI.

Tertio iurans debet eſſe vir integrae atque exploratae fidei.

Recte porro ab hoc iureiurando arcent viros ſuſpectos de periurio, vel aliis pollutos vitiis, quibus eorum fides aliquatenus eleuetur. Quum enim ſupra demonſtratum ſit, virum iuriiurando, non iusiurandum viro conciliare fidem: quis quaeſo auſit, eius religioni rem committere, cui nulla eſt religio, nullus pudor, nullum generoſo incoctum pectus honeſto? Hinc ad hoc iusiurandum admittendos eſſe negant periuros, homicidas, vſurarios, furti damnatos, alioſque infamia iuris & facti notatos, quorum magnum ſatis indicem texere ſolent iuriſconſulti (l). Recte id quidem & ſapienter: modo animi potius indolem, quam externas quaſdam circumſtantias paullo attentius expenderent. Ita ſane odium religionis ſacerrimum, vel, vti APOSTOLVS (m) vocat, ζῆλον οὐ κατ' ἐπίγνωσιν redolet illa nonnullorum hypotheſis, quod iudaeo cum Chriſtiano litiganti iusiurandum ſuppletorium deferendum non ſit (n), quamuis nihil obſtet, quo minus Iudaeo aduerſus Iudaeum deferatur (o). Quaſi vero intellectus principiis actiones ſuas ita ſemper attemperent homines, vt omnes Chriſtiani boni; reliqui ab hac fide alieni perfidi ac periuri habendi ſint. Sane vt Chriſti nomen ſceleribus ſuis aliquando praetexunt homines: ita ſub Iudaico ſchemate latitant viri ciuiliter boni honeſtatiſque ſtudioſi, quos ſane tutius ad hoc iusiurandum admiſeris, quam hominem ignaua opera, philoſopha ſententia, cui praeter nomen nihil Chriſtiani ineſſe res ipſa quotidie demonſtrat. Itaque non mirum eſt, in ſupremo Imperii dicaſterio etiam Iudaeos ad hoc iusiurandum admitti, quamuis aduerſus Chriſtianos litigantes, dummodo ſe adhuc integros vitae ſceleriſque puros oſtenderint (p).

(k) L. 97. *ff. de condit. & demonſtr.* l. 14. *ff. ad municipal.* Ant. Fab. *in Cod. lib.* IV. *tit.* 1. *def.* 40.

(l) Plot. *in L. ſi quando C. vnde vi. n.* 793. *ſequ.*

(m) *Rom. X.* 2.

(n) *arg.* L. 21. C. *de haeret. & Manich.* Carpz. *Part.* I. *Conſt.* XXIII. *def.* VII.

(o) Menoch. *de Arb. Iud. Quaeſt. Part. II. Qu. II. Caſ.* CXC. *n.* 15.

(p) Mynſing. *Cent. V. Obſ. VI.* Hartmann. *Tit.* XVIII. *Obſ. VI.*

Aeque abſurda eſt eorum ſententia, qui ſpurios ab hoc iureiurando arcendos eſſe exiſtimant (q), quaſi eorum teſtimonium attenuet & veracitati officiat illa natalium labes, quam citra culpam ſuam attraxerunt: & quaſi non illa ipſa naſcendi ſorte aliquando excitari poſſit recta indoles, vt ſe meliore fortuna dignam oſtendat, ſordeſque illas virtute pro virili eluat parte. In omnibus his ſimilibuſque potius ad animi indolem vitamque anteactam, quam ad religionem fortunamque reſpiciendum eſſe, vel PAPIRIO IVSTO (r) magiſtro diſcere poterant Doctores, ſi vel maxime experientiae rationem nullam voluiſſent habere. Quis enim dubitaret, quin Iudaeus, quantumuis religionis ſuae tenax, vel ſpurius honeſtatis ſtudioſus ſanctius iusiurandum praeſtiturus ſit, quam Chriſtianus, ſummo loco natus, ſed cui perpetuo, ſi non in ore, ſaltim in animo habitat πολυθρύλλητον illud:

O cives, ciues, quaerenda pecunia primum,
Virtus poſt numos.

§. XXVII.

Quarto cauſſa non debet reſpuere iusiurandum ſuppletorium. Quales ſint illae cauſſae?

Sed praecipue, vti recte monet MYNSINGERVS, diſpiciendum eſt, talis ne ſit cauſſa, quae hoc iusiurandum admittat, nec ne? Primo enim ſunt quaedam cauſſae, quae hoc iusiurandum plane reſpuere aiunt. Deinde aliquas ita comparatas eſſe dicunt, ut certis caſibus periculoſae plenum aleae futurum ſit, illud parti alterutri deferre. De poſterioris generis cauſſis vberius agere nihil attinet: quum nemo non videat, non eſſe ei hoc iusiurandum facile deferendum, qui de inſigni captando lucro cogitet. De prioribus non ſine adparatu egerunt prudentes, veluti SERAPHINVS a SERAPHINIS (s) qui XXXVIII. & MATTH. BERLICHIVS (t), qui LXV. caſus accumulant, in quibus locum huic iuriiurando eſſe negant. At iam a IO. SAMVELE STRYKIO ſingulari exercitatione (u) demonſtratum eſt, Doctores hic miſcere omnia, tantum ut numerum limitationum, reſtrictionum exceptionumque augeant. Itaque ipſe fecit periculum, an ad certas perſpicuaſque regulas omnia referri poſſint, earumque quatuor adinuenit, ex quibus tamen prima ad requiſitum MYNSINGERIANVM tertium; tertia ad quintum pertinet, ut adeo a nobis hic iure praetermittantur. Secunda

(q) Heig. *Part.* I. *Quaeſt.* XXI. Hahn. ad Weſenbec. *tit. Dig. de his, qui not. infam. n.* 2.

(r) L. 3. §. 2. D. *de decurion.*

(s) Seraph. de Seraphin. *de privileg. iurament. privileg.* XXXIII. *n.* 14. *& ſequ.*

(t) Berlich. *Part.* I. *concl.* LIV.

(u) Io. Sam. Strykii *diſſ. de cauſſis iuram. ſuppl. reſpuent.* §. IV. *ſequ.*

cunda Mynſingerianae quartae plane gemina (x), *Cauſſas arduas, quae vel ad praeiudicium alterius, vel ad commodum iurantis inſigne pertineant, hoc iusiurandum omnino reſpuere*, docet. Vnde ipſe colligit, non admittere hoc iusiurandum cauſſas criminales, in quibus probationes luce meridiana clariores requiruntur (y), quaeque illis quodammodo aequiparantur, famoſas (z), feudales (a), ſpirituales (b), ſtatus (c), probationem ingratitudinis (d) & praeſcriptionis (e), laeſionis enormis (f), omneſque, in quibus de maxima bonorum parte diſceptatur (g). Vulgo huc etiam referunt cauſſas matrimoniales, ſed tunc demum, ſi contra matrimonium iuretur (h). At aeque periculoſum eſt, pro matrimonio illud deferri, quam contra matrimonium: quin illud multo videtur periculoſius, quia ita altera pars inuita detruditur in matrimonium, nunquam reſtituenda in integrum. Vnde, ſi uſquam, hic ſane cautione opus eſt, vt in eiuſmodi cauſſis vel non deferat hoc iusiurandum, vel ſaltim omnes circumſtantias quam accuratiſſime expendat iudex, maxime, quum axioma illud de delatione iurisiurandi contra matrimonium principium illud pontificiorum de ſacramento matrimonii redoleat, & iam ab aliis accurate exploſum ſit. Potius ad quartam STRYKII regulam progredimur, qua, *iusiurandum hoc ceſſare*, ait, *quotieſcumque lex vel certam perſonae qualitatem, vel certam ſollemnitatem, vel ſcripturam, vel perfectam ac pleniſſimam probationem diſerte requirat.* Vnde colligit, nec procuratorem mandati defectum, nec heredem teſtium in teſtamento adhibitorum numerum, nec cambialiter acturum contractum cambialem, nec compenſaturum debitum illiquidum iureiurando ſupplere poſſe. Quae omnia alii iam tam luculenter expoſuerunt, ut illis immorari nihil opus eſſe videatur.

§. XXVIII.

Quinto exigit MYNSINGERVS, ut ſemiplena illa probatio fortiore quadam praeſumtione dilui aut eleuari non poſſit. Quod demuo iuſtiſſimam habet rationem. Probatio enim fortiore praeſum- *Quinto ſemiplena probatio non debet eſſe eliſa.*

 tione

(x) Idem *ibid.* §. XIII. *ſequ.*
(y) L. *fin.* C. *de probat.* Struu. *exercit.* XVII. *theſ.* 43.
(z) Berlich. *ibid. n.* 20. *ſequ.*
(a) Strauch. *Diſſ. de iuram. ſuppl. cap.* III. §. VI.
(b) Ant. Fab. *in Cod. lib.* IV. *tit.* I. *def.* XLIV.
(c) Berlich. *ibid. n.* 27.
(d) *L. vlt. C. de reuoc. donat.*
(e) Carpz. *Part.* I. *Conſt.* XIII. *def.* X. *n.* 4.
(f) Strauch. *ibid.* §. VIII.
(g) Stryk. *de cauſſis iuram. ſuppl. reſpuent.* §. XXIV.
(h) Seraph. de Seraphin. *ibid. n.* 115. *ſequ.*

tione eliſa, nec plena, nec ſemiplena, ſed plane nulla eſt, adeoque & nihil omnino operatur. Potius haec ipſa praeſumtio ita munit aduerſarium, vt ipſe in vtramque aurem dormire poſſit, donec ab altero probetur contrarium (i). Ex quo conſequitur omnino, vt in ſupplementum non iuretur, ſi quis ſententiam & rem iudicatam reſcindi (k), vel inſtrumenta publica aut protocolla iudicialia pro falſis declarari (l), vel contra conſuetudinem communem aliquid ſibi indulgeri, vel aliquid pro conſuetudine recepta haberi poſtulet (m), vel plane quidquam contra iusiurandum iam olim praeſtitum, vel contra ipſam naturalem aequitatem, vel denique contra veriſimilitudinem probare velit (n). His enim ſimilibuſque caſibus ſemiplenae licet probationi praeſumtio tam, veluti e diametro, obſtat, vt ob eam deferri non poſſit iusiurandum ſuppletorium.

§. XXIX.

An & petendum ſemper ſit iusiurandum ſuppletorium? Concluſio diſſertationis.

Denique ſexto, petendum hoc iusiurandum a iudice eſſe, monet MYNSINGERVS, quod tamen non uſquequaque verum eſſe arbitramur. Peti quidem poteſt, ſed non ideo ſequitur, ut non petitum deferri nequeat. Quamuis enim alioquin ſuſpicione non vacet nimia ad iusiurandum procliuitas, & haec ex eo, quod quis ad iusiurandum ſe vltro offert, non obſcure eluceat, tamen, quia hic probatione ſemiplena munitus eſt actor, a ſuſpicione illa merito liber habetur. Offert ſe autem iuraturus finita probatione & publicatis atteſtationibus; non autem cauſſa iam concluſa, quia tum ulterioribus probationibus cenſetur renunciatum (o). Contra dubium non eſt, quin, quum in ſecunda inſtantia omnes errores, ad cauſſas cauſſae pertinentes, purgare liceat (p), ad iusiurandum in priore inſtantia non petitum offerre ſe quis poſſit in inſtantia adpellationis (q). Quamuis vero petitum iusiurandum ſuppletorium a iudice omnino deferendum eſſe, &, ſi nolit, ideo adpellationi locum fore, dicant (r): multum tamen hic relictum eſt iudicum religioni & arbitrio, qui, expenſis perſonarum & cauſſae ipſius circumſtantiis, hoc iusiurandum etiam non petitum ex

(i) Maſcard. *de probat. concl.* DXVIII. n. III.

(k) L. *fin. C. ſi ex falſ. inſtrum.*

(l) *Cap.* 13. *X. de praeſcript.*

(m) Berlich. *ibid. n.* 81. *ſequ.*

(n) Stryk. *de cauſſis iuram. ſuppl. reſpuent.* §. XXXII. *ſequ.*

(o) Carpzou. *Part.* I. *Conſt.* XXIII. *def.* IX. *n.* 3.

(p) Ant. Fabr. *Cod. lib.* IV. *tit.* I. *Def.* XXVII.

(q) Strauch. *in diſſ. de iuram. ſuppl. cap.* IV. §. III.

(r) Maſcard. *de probat. Vol.* II. *concl.* DCLIX. *n.* 2.

Digitized by Google

ex officio deferre (s), & petitum ob iuſtam cauſſam non deferre poſſunt (t). Qua in re quam caute agendum ſit, facile intelligent, qui ſibi ob oculos ponent ἐμφατικώτατα illa AVGVSTINI (u): *Ille, qui hominem ad iurandum prouocat, & ſcit, eum falſum eſſe iuraturum, vincit homicidam. Quia homicida corpus occidit, ille animam: immo duas animas, & eius, quem iurare prouocauit, & ſuam. Scis verum eſſe, quod dicis, & falſum, quod ille dicit, & iurare compellis? Ecce iurat, ecce peierat, ecce perit! Tu quid inueniſti? immo & tu periiſti, qui illius morte ſatiare te voluiſti.*

(s) Strauch. *ibid.* §. *V.*
(t) Moller. *Part.* I. *Conſil.* XXIII. *n.* 7.
(u) *Can.* 5. *cauſ.* 22. *quaeſt.* 5.

DE RELIGIONE IVDICANTIVM CIRCA REORVM CONFESSIONES.

EXERCITATIO XVIII.

Σύνοψις.

§. *I. Confeſſioni reorum multum tribuendum.* §. *II. Ea tamen ſaepe fallit.* §. *III. Quod illuſtratur exemplo notabili ex Ann. Roberto.* §. *IV. Alioque ex Reichio.* §. *V. Ac denique ex Zach. Hubero.* §. *VI. Itaque ad religionem iudicantium pertinet, confeſſionibus non temere credere.* §. *VII. Inſtituti ratio.* §. *VIII. Confeſſus iure Rom. pro iudicato eſt.* §. *IX. Origo huius axiomatis. Locus Tertulliani explicatus.* §. *X. An & in cauſſis capitalibus confeſſi pro iudicatis ſint? Adfirmant aliqui, quia Romani hoc principium receperint.* §. *XI. Nec non Hebraei.* §. *XII. Et Lacedaemonii.* §. *XIII. Itemque Athenienſes.* §. *XIV. Ac denique Germani.*

§. XV. Quia confeſſio vox conſcientiae. §. XVI. Quia ſi confeſſus damnetur, volenti non fiat iniuria. §. XVII. Negatur, confeſſos crimen pro iudicatis habendos: quia in cauſſis ciuilibus ne ſententia quidem opus erat aduerſus confeſſos. §. XVIII. Quod contra Cuiacium probatur. §. XIX. Argumentaque in contrarium refelluntur. §. XX. In cauſſis criminalibus ſententia condemnatoria ſemper opus eſt. §. XXI. Reſpondetur argumentis in contrarium. §. XXII. Confeſſio non ſemper vox conſcientiae. §. XXIII. Ad iudicis religionem pertinet, etiam perire volentes non damnare. §. XXIV. Quid confiteri? quid confeſſio? §. XXV. Confeſſionis validae requiſita. §. XXVI. Requiſitum primum in cauſſis civilibus. §. XXVII. Secundum. §. XXVIII. Tertium. §. XXIX. Quartum. §. XXX. An eadem requiſita locum habeant in cauſſis criminalibus? §. XXXI. In his quoque 1. confeſſio proficiſci debet ex animo ſe onerandi. Effectus confeſſionis extraiudicialis. §. XXXII. An valeat confeſſio orta ex melancholia & taedio vitae? §. XXXIII. An ſpe impunitatis facta? §. XXXIV. Itemque ex metu tormentorum? §. XXXV. Quando exorta confeſſio rata ſit? §. XXXVI. Confeſſio criminis 2. debet ex certa ſcientia proficiſci. §. XXXVII. Quid ſentiendum de confeſſione furioſi & ebrii? §. XXXVIII. Itemque impuberis, minorennis, ignorantis, errantis? §. XXXIX. Confeſſio 3. certis ac indubiis ſignis fieri debet. An nutus ſufficiat? §. XL. Qualis confeſſio ſurdi & muti? §. XLI. An ea efficax eſſe poſſit? §. XLII. An ex factis confeſſio colligi poſſit? §. XLIII. An ex ſilentio? §. XLIV. Confeſſio debet 4. fieri de re poſſibili, & circumſtantiis facti convenire. Quid corpus delicti? §. XLV. Concluſio diſſertationis.

§. I.

Confeſſioni reorum multum tribuendum.

Confeſſioni reorum, ſiue ſpontaneae, ſiue legitimis extortae quaeſtionibus permultum eſſe tribuendum, nemo temere negaverit. Quum enim ita ſit natura comparatum, ut nemo ſibi ipſe vltro exitium ſtruere, ſed ſuam quiſque vitam, exiſtimationem ac fortunas pro virili tueri, atque has etiam amplificare quam maxime velit: nemo profecto adeo praeſumitur amens, vt in ſe quidquam confeſſurus videatur, ex quo vitae, famae aut opibus periculum aliquod immineat, niſi illi vocem hanc ingenuam incredibilis illa veritatis vis veluti inuito extorſerit. Hinc quemadmodum olim CICERONIS (a) mirifice triumphabat oratio, quum ſibi accuſatori negotium eſſet cum reo, *qui ſcelerum ſuorum nul-*

(a) Cic. *in Verrem lib.* IV. *c.* LXIV.

nullam ſibi neque inficiandi rationem, neque defendendi, reliquiſſet, ſed omnibus in rebus coargueretur ab accuſatore, conuinceretur a teſtibus, vrgeretur CONFESSIONE SVA, *& manifeſtis in maleficii teneretur:* ita & hodienum ſibi plurimum gratulantur tum actores atque accuſatores, tum ipſi iudices, ſi aduerſarium reumue nacti ſint, ſua ſe confeſſione vltro iugulantem: illi quidem, quod ita rem omnem tranſactam exiſtiment, veriſſimumque credant, quod cecinit OVIDIVS (b):

Non eſt CONFESSI *cauſſa tuenda rei*;

hi autem, quod ſpontanea illa confeſſione Herculeo paene labore ſe videant leuatos, deuorando ſibi in poſterum, ſi a reo pertinace atque aſtuto vel eblandienda, vel fidiculis extorquenda fuiſſet veritas.

§. II.

At quantumuis probabile ſit, neminem temere ſua ſeipſum confeſſione dolo malo circumuenturum: tamen & hic locum habere arbitramur, quod grauiter ac prudenter monuit PRISCVS IAVOLENVS (c), *omnem definitionem*, (id eſt, regulam iuris, vel *τομικὸν κανόνα*, vti eſt in BASILICIS,) *in iure ciuili periculoſam eſſe: parum eſſe enim, vt non ſubuerti poſſit.* Nam confeſſiones reorum in cauſſis pecuniariis ſaepe ex errore; in criminalibus ſaepiſſime ex atra bile, vitae taedio, impatientia cruciatuum, aliiſque huiuſmodi cauſſis profectae aliquando tam mendaces, tam lubricae, quin & nonnumquam tam incredibiles ac prope ridiculae ſunt, vt acta euoluens non criminis hiſtoriam, ſed fabulas Mileſias legere tibi videaris. Hinc quamuis VLPIANVS (d) confeſſum in iure pro iudicato eſſe doceat: prudenter tamen addit, *non fateri, qui* ERRET, *niſi ius ignorauerit.* Quae cautio ſi in cauſſis ciuilibus ac pecuniariis iuſtam rationem habet: quanto magis ea videbitur obſeruanda, quando ipſa vita, qua nihil natura homini dedit praeſtantius, in periculum adducitur? Sane etſi quis vltro de maleficio fatetur, non ſemper tamen ei fides habenda erit, auctore VLPIANO (e), *quum nonnumquam aut metu, aut qua alia de cauſſa in ſe confiteantur homines.*

Confeſſio reorum ſaepe fallit.

§. III.

Pleni tam triſtibus exemplis ſunt veteres annales, plena tot rerum

Quod illuſtratur

(b) Ouid. *lib.* II. *ex Ponto*, *Epiſt.* II. *v.* 56.
(c) L. 202. *ff. de regul. iur.*
(d) L. 1. *ff. de confeſſ.*
(e) L. 1. §. 27. *ff. de quaeſtion.*

exemplo notabili ex Ann. Roberto. rum iudicatarum volumina, ex quibus, miſſis antiquioribus (f), hic pauca quaedam commemorabimus. ANNAEVS ROBERTVS (g), ICtus humaniſſimus, memoriae prodidit, muliere vidua domi aliquamdiu abſente, nec in tota vicinia amplius viſa, increbuiſſe rumorem, miſeram illam latronis cuiuſdam ſcelere occubuiſſe: iudicem latrunculatorem, auctores caedis requirentem, Titium in ſaltu deliteſcentem & attonito trementique ſimilem prehendiſſe & ad iudices prouinciales deduxiſſe. Apud hos hominem, nullo quaeſtionis terrore, nullo tormentorum cruciatu, ſed aut deſperatione, aut neſcio quo fato, ſalutis ſuae negligentem, crimen innocentem agnouiſſe, confeſſumque ad laqueum eſſe damnatum. Biennio poſt mulierem ſaluam rediiſſe & iudices a Titii cognatis in ius vocatos eſſe, quum iam miſeri iſtius innocentiae, praeter ſepulcri honorem, dari nihil amplius poſſet.

§. IV.

Alioque ex Reichio. Multo notabilius eſt, quod de Martino Henrico Arnoldo, ſedecim annorum adoleſcente, in *faſciculo ſcriptorum ad inquiſitiones contra ſagas pertinentium refert* REICHIVS (h), quodque incredibile poſſet videri, niſi ea narratio incorrupta actorum fide niteretur. Nequiſſimus iſte nebulo, nulla criminis ſuſpicione oneratus, cum malo genio ſibi foedus intercedere, vltro fatebatur. In ius ideo raptus anno MDCXCV. non modo de foedere iſto illico fatebatur, ſed & immanium, quae cum hero ſuo, circumforaneo, admiſerit, facinorum ſeſe vltro accuſabat. Narrabat, ſe, in varias mutatum figuras, homines occidiſſe, aedes expilaſſe, aliaque perpetraſſe facinora. Aiebat, ſe in pomum commutatum, & ab hero per feneſtram in aedes proiectum eſſe, eoque facto inquilinos, qui partem pomi deuorarint, vel medios crepuiſſe, vel reliquiis iſtius pomi illico in cadauer mutatis, metu exanimatos paullo poſt periiſſe. Addebat, ſe aliquando, auis adſumta ſpecie, infantes ex cunis rapuiſſe, aedeſque exſpoliaſſe, & peracto demum ſcelere, in auricula heri, (is enim interea in aſinum abierat,) tutum delituiſſe, vt ſexcenta huius generis, quae adiiciebat, praetermittamus,

Quae ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

At quum illuſtris ICtorum Halenſium ordo eſſet interloquutus, iudi-

(f) Valer. Max. *lib.* VIII. *cap.* IV. Philoſtr. *vit. Apoll. Tyan. lib. V.*

(g) Ann. Robert. *Rer. iudicat. lib. I. cap. IV.*

(h) *Pag.* 622. *ſeqq.*

Digitized by Google

iudicem iis locis, in quibus nouus ille Proteus ſe tot homines iugulaſſe, infantes rapuiſſe, furta feciſſe dixerat, an tale quid vere contigerit, curioſius perquirere debere: in fumum abiit illa ampliſſima tot ſcelerum confeſſio, adparuitque, quod pridem ſoboluerat prudentioribus,

Pergula pictorum, veri nil, omnia falſa.

Iam itaque ἐπαυτοφώρῳ deprehenſus furcifer fatebatur, ſe notabili quodam commento, neſcio quam nominis celebritatem adfectaſſe. Qua tamen ſpe improba turpiter excidit nugator, quum ex ſuis ornatus virtutibus, virgiſque probe depexus, ad operas publicas mitteretur.

§. V.

At denique ex Zach. Hubero.

Addo ſpeciem tertiam, quam doctiſſimis rerum iudicatarum obſeruationibus inſeruit V. A. ZACH. HVBERVS *(i)*. In pago quodam Friſico prope Doccumum, repentino fato occubuerat mulier, cuius maritum fama publica in ſuſpicionem veneficii adduxerat. Coniectus in vincula vltro fatebatur, ſe venenum, Doccumi emtum a pharmacopola, placentaeque mixtum, vxori obtuliſſe, quae illo ſumto illico ſe male habere coeperit, & vomitu per butyrum liquefactum fruſtra prouocato, circa horam quartam matutinam inter grauiſſimos dolores exſpirarit. Addiderat reus varias facti περιστάσεις, & in his illam, quod partem veneni reliquam duplicatae chartae inuolutam linoque conſtrictam in agro aedibus vicino defoderit, locumque caeſpite viridi contexerit. Enimuero, vbi in rem omnem paullo accuratius inquiſitum, falſa pleraque omnia apparuerunt, ſiquidem nec medici in cadauere vllum veneni veſtigium deprehenderant, nec emtio veneni in pharmacopolio Doccumano facta erat, nec reliquiae veneni in agro reperiebantur, quamuis reus [illegible], eo deductus, ipſe omnes prope glebas circumiuiſſet. Accedentibus itaque & aliis falſi indiciis, homini perire cupienti ſaluti fuit inſignis iudicantium religio, qui, tantum abeſt, vt pro explorato facinore habendam putarint illam hominis atra bile laborantis confeſſionem, vt eum liberare non dubitarint, quamuis ampliſſima eaque ſatis conſtans exſtaret de crimine tam atroci confeſſio.

§. VI.

Ad religionem iudicantium

Quum itaque, fallaces aliquando eſſe reorum confeſſiones, tot exemplis nos doceat experientia: nemo temere negabit, ad religionem iudicantium vel maxime pertinere, dare operam, ne quis tur-

(i) Zach. Huber. *Obſeru. Rer. iudicat. Cent. I. obſ. 6. pag. 445.*

pertinet, confeſſionibus non temere credere.

turpiſſimo praeuaricationis genere ſuae innocentiae poſſit temere inſidiari. Quemadmodum enim intereſt reip. ne delicta impune admittantur: ita eiuſdem multo magis refert, ne innocentes ſupplicio adficiantur, aut exempla fiant in eos, qui nullo alio crimine animaduerſionem merentur, quam calumnia aduerſus ſe ipſos admiſſa. Hinc praeclare monet VLPIANVS (k), *ne innocentibus poenae irrogentur, ad ſollicitudinem ſuam Praeſidem prouinciae* merito *reuocaturum*, dignaque tanto principe vox eſt illa SEVERI Imperatoris (l): *Confeſſiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportet, ſi nulla probatio* RELIGIONEM COGNOSCENTIVM *inſtruat.* Quamuis enim verba poſteriora IO. WISSENBACHIVS (m) tantum de confeſſionibus in equuleo extortis, vel extra iudicium factis, vel corpore delicti, ceu vocant, deſtitutis intelligenda eſſe exiſtimet: potior tamen nobis merito eſt VLPIANI (n) auctoritas, qui, ſpeciem relaturus, vbi Primitiuus, ſeruus, homicidium in ſe metu ad dominum reuertendi vltro confinxerat: *Si quis*, inquit, VLTRO *de maleficio fateatur, non ſemper ei fides habenda eſt: nonnumquam enim aut metu, aut qua alia de cauſſa in ſe confitentur.*

§. VII.

Inſtituti ratio.

Quandoquidem itaque maxima hic circumſpectione opus eſſe, nemo non intelligit, & hinc ipſae leges religioni ac ſollicitudini cognoſcentium arbitrium permittunt ſtatuendi, quantum confeſſionibus illis fidei haberi oporteat: facturi nobis videbimur operae pretium, ſi materiam illam nobiliſſimam ad certa principia reuocemus, ne forte in aequitatem cerebrinam abeat illa cognoſcentium religio, &, *dum de bono & aequo quaeritur, ſub auctoritate iuris ſcientiae pernicioſe erretur*, quippe quod in eo genere quaeſtionum plerumque contingere, CELSVS (o) noſter iam pridem obſeruauit. Nec veremur, ne poſt tot Homeros Iliada ſcribere velle cuiquam videamur, daturi quippe, quantum in nobis eſt, operam, ne quis, nos aliorum ſcrinia, more ſaeculi, expilaſſe, iure conqueri poſſit.

§. VIII.

Confeſſus iure Rom. pro iudicato eſt.

Confeſſos in iure pro iudicatis eſſe, tam eſt tralatitium, vt nec illi id ignorent, qui alioquin parum ſciunt. Pluribus enim locis id

(k) L. 6. §. 4. ff. de offic. Praeſ.
(l) L. 1. §. 17. ff. de quaeſt.
(m) Wiſſenbach. ad Pandect. Diſp. XXI. §. XVII.
(n) L. 1. §. 17. ff. de quaeſt.
(o) L. 91. §. 3. ff. de verb. oblig.

Digitized by Google

id inculcant iura noſtra, quae oportuniore loco proferemus, in praeſenti ad titulum *de confeſſis*, in Pandectis ac Codice Iuſtinianeo occurrentem, nec non ad PAVLLI (p) Sententias receptas prouocaſſe, contenti. Tam certa etiam omnique exceptione potior viſa eſt haec regula, vt ad eam confugerint & ICti, & alii veteres ſcriptores, quoties de confeſſis incideret diſceptatio. Videbantur enim confeſſi *ſua quodammodo ſententia damnati* (q), & non minus maturi ſupplicio, quam ſi aut Minos vrnam mouiſſet, aut feralem e ſublimi ſententiam detonuiſſet Caſſius.

§. IX.

Origo huius axiomatis. Locus Tertulliani explicatus.

Originem tantae ſeueritatis TERTVLLIANVS (r), quo nullus eccleſiae doctorum diuini humanique iuris peritior fuit, hunc in modum deſcribit: LEGES *confeſſos damnari praeſcribunt, non abſolui. Hoc* SENATVSCONSVLTA, *hoc* PRINCIPVM MANDATA *definiunt.* Quibus verbis innuit Patrum doctiſſimus, originem huius axiomatis partim a legibus, libera adhuc republica latis, partim a SCis & principum conſtitutionibus eſſe repetendam. Quod quam verum ſit, paucis, age, videamus. Initio Lege XII. Tabularum, quam GELLIVS (s) ſeruauit, cautum fuerat, vt condictione ex mutuo conuentis, ſiue aes alienum confeſſi, ſiue ſententia condemnati eſſent, triginta dierum indiciae darentur, quibus elapſis, niſi vel creditoribus ſatisfeciſſent, vel expromiſſione ab aliquo fuiſſent liberati, victoribus vincti traderentur. Quum itaque REOS CONFESSOS, (vti in illa lege reſcribit, V. A. CORNELIVS VAN BYNKERSHOEK) (t), vel AES alienum CONFESSOS *iudicatis* aequiparaſſent decemuiri: recte inde collegerunt prudentes, confeſſos pro iudicatis eſſe habendos, ceu recte obſeruarunt iuriſconſulti eximii, IAC. CVIACIVS (u), GVIL. MARANVS (x), HVGO DONELLVS (y), IACOBVS GOTHOFREDVS (z), & quotquot eruditorum de iuris noſtri originibus fuere ſolliciti. Habemus itaque leges, quae confeſſos damnari praeſcribebant, non abſolui: leges puta XII. Tabularum, quas κατ' ἐξοχὴν LEGES dici ſolitas,

 vir

(p) Paulli *Recept. Sent. lib. V. tit. V. §. II.*

(q) L. 1. *ff. de confeſſ.*

(r) Tertullian. *Apologet. cap. II.*

(s) Gell. *Noct. Attic. lib. XV. cap. XIII. & lib. XX. cap. I.*

(t) Bynkersh. *Obſeruat. lib. I. cap. I.*

(u) Cuiac. *in Paratitl. Digeſt. de confeſſ. & ad Paull. Rec. Sent. lib. V. tit. V.* §. 11.

(x) Maran. *in Paratitl. p.* 936.

(y) Donell. *in Comment. Iur. Ciu. lib.* XXXVIII. *cap. I.*

(z) Iac. Gothofred. *in Comment. ad* L. 142. *ff. de reg. iur.*

vir laudatiſſimus, IAC. GOTHOFREDVS (a), obſeruat. Enimuero, quum, vti recte animaduertunt CVIACIVS (b) & GVIL. MARANVS (c), regula illa ex legibus XII. Tabularum tantum ad condictionem certi ex mutuo pertineret: oratione MARCI Imperatoris, ſeu Senatuſconſulto, in eius ſententiam condito, hoc ius ad omnes debitores omneſque actiones & interdicta productum eſt ſancitumque teſte VLPIANO (d), *vt poſt rem iudicatam vel confeſſionem in iure factam nihil quaereretur, ſed id, quod quiſque confeſſus eſſet, pro iudicato haberetur.* En ergo SCum, quo *idem definitum eſſe*, ſcribit TERTVLLIANVS. Denique dubitandum non eſt, quin & ad *mandata principum* recte ille prouocet. Superſtes enim in Codice noſtro eſt conſtitutio, qua id iuris axioma ratum habuit *σύγχρονος* TERTVLLIANO CARACALLA Imp (e). Ex quo patet, non accuratius tradi potuiſſe iuris iſtius origines, quam eas, verbis licet pauciſſimis, complexus eſt Latinorum Patrum antiquiſſimus, TERTVLLIANVS.

§. X.

An & in cauſſis capitalibus confeſſi pro iudicatis ſint? Adfirmant aliqui, quia Romani hoc principium receperint.

At vero, quum haec iuris capita omnia, quae ſuperiore paragrapho cum loco TERTVLLIANI contendimus, ad cauſſas tantum ciuiles & pecuniarias pertineant: non inutilis ac ſuperuacua videbitur quaeſtio, an & crimina confeſſi pro iudicatis habendi ſint? Adfirmare id non nullos video, & in his VLR. HVBERVM (f), qui diſerte ſcribit: *Habet hunc effectum iudicati confeſſio, non tantum in ciuilibus, ſed etiam in criminalibus, ſiquidem leges non diſtinguunt.* Et ſane, ſi dicendum, quod res eſt, multa ſunt, quae latiorem hanc interpretationem videntur exigere. Primo enim argumentis idoneis conſtat, ipſos veteres Romanos leges illas de confeſſis etiam ad cauſſas criminales produxiſſe. M. Cato Vticenſis, in iudicando ſane religioſiſſimus, rogatus ſententiam, quid de coniuratis fieri placeret, graui habita oratione, quam ſeruauit SALLVSTIVS (g), *de* CONFESSIS, *ſicuti de manifeſtis rerum capitalium, more maiorum ſupplicium ſumendum cenſuit.* Eodem pertinent illa TERTVLLIANI (h): *Quid amplius praeſidibus prouinciarum mandatum, quam nocentes* CONFESSOS *damnare, negantes autem ad tormen-*

(a) Iac. Gothofr. *de Legib. XII. Tab. lib. II. cap. VIII. p.* 41.
(b) Cuiac. *in Paratitl. Dig. ibid.*
[c] Maran. *ibid.*
[d] L. 56. *ff. de re iudic. l.* 6. §. 3. *ff. de confeſſ.*
[e] L. *vn.* C. *de confeſſ.*
(f) Huber. *Praelect. ad Digeſt. lib. XLII. tit. II.* §. *II.*
(g) Salluſt. *de Bello Catilin. c.XXXII.*
(h) Tertullian. *ad Scapul. cap. IV.*

tormenta reuocare? ASCONIVS PAEDIANVS (i), cuius teſtimonium infra recitabimus, etiam reis tacentibus, tamquam confeſſis, litem aeſtimatam eſſe perhibet. Quin tantum certitudinis his reorum confeſſionibus ineſſe exiſtimabant veteres, vt ne tunc quidem iniqua videretur condemnatio, ſi adpareret, reum in ſe falſo confeſſum, modo in mendacio iſto ad extremum vſque halitum perſeueraſſet. Ita enim intelligo verba QVINCTILIANI (k): *Fingite, eſſe aliquem, qui aliquo modo confeſſus ſit: hunc a magiſtratu occiſum: poſtea adparuiſſe aliquo caſu, falſum fuiſſe, quod dixiſſet: num agi cum magiſtratu poteſt?*

§. XI.

Deinde illam iuris regulam etiam in cauſſis capitalibus probarunt gentes humaniores tantum non omnes. Hebraei, quorum remp. ipſe Deus immortalis legibus ſapientiſſimis temperauerat, confeſſos de maleficiis *contra animam ſuam loquutos*, *ſuoque teſtimonio conuictos* eſſe cenſebant, &, quum in nulla cauſſa teſtem ſingularem admitterent, vnum tamen reum teſtem exiſtimabant omni exceptione maiorem eſſe, ſi quando aduerſus ſe ipſum eſſet teſtificatus, ceu obſeruat GVIL. ZEPPERVS (l). Achanem, confeſſum de crimine peculatus, capitis damnabat Ioſua, tamquam ſua iam ſententia damnatum (m). Eadem ſeueritate vſus Dauides Amalekitam iuuenem, qui Saulem ſua manu obtruncatum fatebatur, ſine iudicii ſtrepitu ferali ſententia damnabat, addito elogio: *Sanguis tuus ſit ſuper capite tuo. Os enim tuum teſtificatum eſt contra te, dicendo: Ego occidi vnctum Iehouae* (n). Nec minus Salomo dignum capitali ſupplicio putabat Adoniam, fratrem, quod de adfectatis cum Sunamitide nuptiis confeſſus, regnum pro dote concupiſcere videretur. Cenſebat enim Rex, Adoniam *aduerſus animam ſuam eſſe loquutum* (o). Denique hoc ius patrium ſceleri praetexens Caiphas, Seruatorem, diuinam originem profeſſum, innocentum praecipiti ſuffragio condemnauit, addita damnationis cauſſa: *τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτυρίας; αὐτοὶ γὰρ ἠκούσαμεν ἀπὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ. Quid alio opus eſt teſtimonio? ipſi rem omnem audiuimus ex ore illius* (p).

(i) Aſcon. Paedian. *in Cic. Act. I. in Verr. cap. II.*

(k) Quinctilian. *Declam.* CCCXIV.

(l) Zepper. *de Legib. Moſaic. forenſ. lib. V. cap. V.*

(m) *Ioſ.* VII. 21. *ſequ.*

(n) 2. *Sam.* I. 6. *ſequ.*

(o) 1. *Reg.* I. 23. *ſequ.*

(p) *Luc.* XXII. 71. *Matth.* XXVI. 65. *ſequ.*

Nec non Hebraei.

§. XII.

Et Lacedaemonii. Idem iuris axioma & Lacedaemonii in cauſſis capitalibus locum habere arbitrabantur, qui, quamuis eſſent ad damnandum tardiſſimi, non tamen parcendum exiſtimabant reis, crimen vltro confeſſis. Argumento eſſe poteſt illuſtre de Pauſania iudicium, quod accuratius deſcripſerunt THVCYDIDES (q) & CORNELIVS NEPOS (r). Iam pridem ille Pauſanias, rerum a ſe geſtarum gloria elatior, de opprimenda patria conſilia cum Perſis inierat. Iam pridem, inſolentius ſe gerendo, Perſicos mores imitando, ſeruosque publicos ſollicitando, ephoris aeque, ac ciuibus rerum nouarum ſuſpicionem iniecerat. At parum tamen his omnibus mouebantur Lacones, *μὴ ταχεῖς περὶ ἀνδρὸς Σπαρτιάτε ἄνευ ἀναμφισβητήτων τεκμηρίων βυλεῦσαί τι ἀνήκεστον*, *non celeres ad aliquid grauius de viro Spartano ſine manifeſtiſſimis ac minime fallacibus indiciis decernendum.* Tradiderat Argilius Senatui litteras, Pauſaniae manu exaratas, in quibus ipſe ſua omnia conſilia ſtolide prodiderat. At ne eo quidem argumento impulſi, in ciuem tam illuſtrem grauius quid ſtatuere audebant ephori, *αὐτήκοοι βυληθέντες ἔτι γενέσθαι αὐτῦ Παυσανίυ τι λέγοντος*, *volentes aliquid ex ipſius Pauſaniae ore prolatum audire.* Denique quum in adyto fani Neptuni Taenarenſis abditi ipſi audiuiſſent Pauſaniam, cum Argilio colloquentem, criminaque ſua non obſcure confitentem: tum demum hominem, non vllis iudicum ſuffragiis, ſed ſua confeſſione damnatum, templo, cuius ſe ille religioni crediderat, incluſerunt, fameque necarunt, ſatis clare hoc ipſo oſtendentes, ſe confeſſos iudicatosque omnino eodem loco habere.

§. XIII.

Itemque Athenienſes. Athenienſes porro confeſſis non magis pepercisſe, teſtis eſt DEMOSTHENES (s), qui Timocratem, cui diem dixerat, ideo indicta cauſſa cenſebat damnandum, quod legem nouam atque antiquioribus contrariam a ſe perlatam eſſet confeſſus. *ὥσπερ τοίνυν*, inquit, *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν περὶ τἆλλα κακύργων τὺς ὁμολογῦντας ἄνευ κρίσεως κολάζειν οἱ νόμοι κελεύυσιν· ὕτω δίκαιον καὶ τῦτον, ἐπειδὴ τὺς νόμυς κακυργῶν εἴληπται, μὴ δόντας λόγον, μηδ' ἐθελήσαντας ἀκῦσαι καταψηφήσασθαι. ὡμολόγηκε γὰρ θατέρῳ τῷ προτέρῳ νόμῳ ἐναντίον τόνδε τεθεὶς ἀδικεῖν.* *Quemadmodum igitur, Athenienſes, alios facinoroſos,* qui

(q) Thucydid. *libr.* I. *pag.* 86. *ſequ.*

(r) Cornelius Nep. *in Pauſan. cap.* III.

(s) Demoſthen. *in Timocrat. pag.* 783.

Digitized by Google

qui ſcelera fatentur, ſine indicio puniri leges iubent: ſic etiam iſte, quandoquidem eum leges malitioſe rogare & abrogare conſtat, non facta dicendi poteſtate, nec eius excuſationibus auditis, condemnandus erit. Nam altera priore lege faſſus eſt, ſe iſta contraria ferenda peccaſſe. Athenis itaque non vſu ac conſuetudine, ſed lege ſcripta cautum fuerat, vt in publicis etiam iudiciis confeſſi pro iudicatis haberentur. Quod quum ex ipſo DEMOSTHENIS loco planum ac perſpicuum ſit, non poſſumus ſane, quin miremur, eius ſcholiaſten, VLPIANVM (t), legem illam Atticam de confeſſis, verbis in alium plane ſenſum detortis, περὶ κακουργούντων ἐπαυτοφώρῳ ληφθέντων, id eſt, *de maleficis, in ipſo facinore oppreſſis*, interpretari non dubitaſſe.

§. XIV.

Poſſemus ſimilia de iure Germanico antiquo obſeruare, niſi chartae parcendum videretur. Iam ad grauiora properantes, admonet nos promiſſae breuitatis fides, vt ex multis pauciſſima delibemus. CAPITVLARIBVS CAROLI M. (u) cautum legimus, *vt iudex, criminoſum diſcutiens, non ante ſententiam proferret, quam aut reus ipſe* CONFITERETVR, *aut per innocentes & veraces teſtes manifeſtius conuinceretur.* Eum morem iam antea tenuerunt Franci. Eius enim ſibi probe conſcium fuiſſe animaduertimus Aegidium, Remenſem Epiſcopum, qui perduellionis accuſatus apud GREGORIVM TVRONENSEM (x), interrogatuſque ab Epiſcopis, an aliquo defenſionis praeſidio ſibi tutus videretur? *Ad ſententiam*, inquit, *dandam ſuper culpabilem ne moremini. Nam ego noui, me ob crimen maieſtatis reum eſſe mortis, qui ſemper contra vtilitatem huius regis matriſque eius abii, per meum conſilium multa fuiſſe geſta certamina noui, quibus non nulla Gallorum loca depopulata ſunt.* De ſe ergo confeſtim ſupplicium eſſe ſumendum, ipſe exiſtimabat Aegidius, idemque de Taſſilone, Boiorum Duce, maieſtatis reo, veluti ex compacto ſtatuebant proceres, qui Ingelhemium ad comitia circa annum DCCLXXXVIII. confluxerant. Teſte enim ANNALISTA REVBERIANO (y), *vno omnium adſenſu, laeſae maieſtatis reus capitali ſententia damnatus eſt*, vel ideo, quod *dictorum factorumque, quae ei complura obiiciebantur, non vnum quidem* INFICIARI *coepiſſet.* Enimuero quid opus eſt exemplis, quum ſeueritatem

Ac denique Germani.

(t) Vlpian. ad Demoſthen. *l. c. pag.* 815.

(u) *Capitular. Caroli M. lib. V. cap.* CLVI.

(x) Gregor. Turonenſ. *lib. X. cap. XIX.*

(y) *Annal. Franc. apud Reuber. ad ann.* DCCLXXXVIII.

ritatem illam Germanorum vel maxime confirmet vetus paroemia iuris: *Bekennen hat manchen an den Galgen gebracht*, quam vulgus lepida adplicatione ludi chartularii legibus accommodare ſolet? Eiuſmodi enim adagiis omnes fere gentes olim cum alia ſapientiae praecepta, tum & praecipua iuris patrii capita inuoluere ſolitas eſſe, praeter auctores, ab HERTIO (z) laudatos, obſeruarunt GVIL. GENTIVS (a), SCIPIO GENTILIS (b) & THOMAS REINESIVS (c).

§. XV.

Quia confeſſio vox conſcientiae.

Praeter illum tot gentium conſenſum argumenta etiam ſuppetunt haut leuia, quae confeſſos crimen omnino pro iudicatis habendos eſſe, perſuadeant. Quum enim primo ad hanc legem nos ipſa natura inſtituerit, vt nos amemus quam maxime, noſtraque ſalute nihil habeamus antiquius: in neminem profecto cadere videtur tam immane ſui ipſius odium, vt ſe confeſſione ſua, tamquam laqueo, vltro induere, ac pernicioſa praeuaricatione ſe ipſum opprimere velit. Potius res ipſa docet, eum, qui aliquid a ſe geſtum admiſſumque eſſe fatetur, quod vel rebus ac fortunis, vel ipſi capiti atque exiſtimationi ſuae exitio futurum non ignoret, verecundia quadam ac conſcientiae vi impulſum, crimen agnouiſſe. Hinc M. SENECA (d): *Confeſſio* CONSCIENTIAE *vox eſt. Conſcientia coacti, &, quae fecit, agnoſcentis eſt.* Et AMBROSIVS (e): *Omnium ſupergreditur ſententias, qui a ſua conſcientia, ſuaque ſententia damnatur.* Quis ergo fidem abroget homini, cum inſigni vitae fortunarumque periculo aliquid adfirmanti, eo loco ac tempore, quo in pertinaci mendacio plerique omnem ſibi ſpem ſalutis poſitam eſſe exiſtimant? Nonne reus tam ingenuus ipſam videbitur animi denudare conſcientiam, idemque interrogantibus reſpondere velle, quod apud EVRIPIDEM (f) percunctanti reſpondet Oreſtes:

> Ὀρέστα τλῆμον· τίς σ' ἀπόλλυσι νόσος;
> Ἡ σύνεσις, ὅτι συνοιδα, δεῖν' εἰργασμένος.
> *O miſer Oreſta, quid morbi te perdidit?*
> CONSCIENTIA. *Sum enim mihi conſcius de malis perpetratis.*

§. XVI.

(z) Hert. *prolegom. paroem. iur.* §. II. *qu.*

(a) Guil. Gent. *Adagia L. e iure ciuili collecta, editaque Chiliad. Eraſmi Pariſ. MDLXXI. in fol. & cum Gislenianis Antu. MDLXXIV. in 8uo.*

(b) Scip. Gentil. *lib. I. Parerg. cap.* XX.

(c) Thom. Reineſ. *Var. lib. I. cap.* XXIV. *p.* 103.

(d) Seneca *Controu. lib.* VII. *contr.* III.

(e) Ambroſ. *Serm.* L.

(f) Euripid. *in Oreſt.*

§. XVI.

Quia ſi confeſſus damnetur, volenti non fiat iniuria.

Deinde, quum volenti iniuriam fieri vulgo negent: ex eo etiam conſequi arbitrantur, vt pro iudicato merito ſit habendus, quiſquis in ſe vltro confeſſus eſt. *Qualis enim eſt reus*, ibidem ait M. SENECA (g), *cuius hoc vnum patrocinium eſt, indignum ſe vita fuiſſe?* Perit eiuſmodi reus, nulla in iudicibus ſordium vel inimicitiae ſuſpicione, ſed ſua ipſius calumnia. Quin perit, quia perire cupit, & turpiſſimo mendacii genere ſe ipſum circumuenit. Quis vero commiſeratione dignum cenſeat hominem, quem ſui non miſeret? Grauiter, vti ſolet, AMBROSIVS (h): *Quem alter*, inquit, *iudicat, poteſt vtcumque eſſe excuſabilis. Reus autem ſine excuſatione eſt, qui conſcientiae ſuae iudicio damnatur. Quem alter iudicat, poteſt quandoque a ſuo iudice ſperare indulgentiam. Qui ſe ipſe iudicat, a quo indulgentiam poſtulabit?* Fingamus itaque hominem, adeo ad omne ſcelus profligatum, vt in ſe per calumniam confiteri non dubitet: an non is vel hoc ipſo meruiſſe videbitur ſupplicium, quod ſeſe ipſe falſa confeſſione dolo malo perdidit? Tanta eſt non modo diuinarum (i), ſed & humanarum legum (k) ſeueritas, vt capitis damnent eum, qui falſo teſtimonio inſontem oppreſſerit. An eum poenam leuiorem meruiſſe dicemus, qui falſo teſtimonio ſe ipſum iugulauit, quum tamen noſtri amorem eius, quo alios proſequimur, veluti normam atque exemplum eſſe voluerit legiſlator optimus maximus (l)?

§. XVII.

Negatur, confeſſos crimen pro iudicatis habendos: quia in cauſſis ciuilibus ne ſententia quidem opus erat

Sed, qui in cauſſis etiam criminalibus confeſſos in iure noſtro pro iudicatis haberi exiſtimant: illi parum intelligere mihi videntur, quid ſibi illud axioma velit, quidque ea loquutione intellexerint veteres, dum confeſſos iudicatis aequipararunt. Nimirum eum, qui fatebatur, ſe debere, adeo damnato ſimilem putabant, vt ne ſententia quidem opus eſſet. Quod vt rectius intelligatur, obſeruandum eſt, confeſſionem duorum generum fuiſſe. Aut enim fatebatur aliquis in iure, futurae actionis inſtruendae cauſſa interrogatus (m): aut inſtituta iam editaque actione de to-

(g) Seneca *ibid.*
(h) Ambroſ. *Serm. eod.*
(i) *Deut.* XIX. 16. *ſequ.*
(k) *L.* 1. §. 1. *ff. ad L. Cornel. de ſicar.*
(l) *Leuit.* XIX. 8. *Matth.* XXII. 39.
(m) L. 113. *& ſequ. ff. de interrog. in iur. fac.*

aduerſus confeſſos.

ta actoris intentione confitebatur (n). Prior illa confeſſio ad titulum Digeſtorum *de interrogationibus in iure faciendis*; poſterior ad titulum *de confeſſis* pertinet, quarum rubricarum genuinam differentiam nec ὁ πάνυ CVIACIVS (o), nec, praeter iuriſconſultum incomparabilem GVIL. MARANVM (p), fere quiſquam alius ſatis explicauit. Prior porro eatenus quidem tenebat confeſſum, vt pro ea parte, ex qua ſe heredem eſſe reſpondiſſet, actione pulſari poſſet, at non ſtatim ideo pro iudicato erat, quod ſe pro tanta parte heredem eſſe dixiſſet. Poſterior rei iudicatae per omnia fere ſimilis habebatur, adeo, vt ne ſententia quidem ferenda videretur aduerſus confeſſos. Quemadmodum enim res iudicata pro veritate habebatur (q): ita & confeſſio, modo certa eſſet (r). Quemadmodum deinde iudicatis, ita & confeſſis dabatur tempus legitimum ad ſoluendum (s), id quod a IVSTINIANO (t) quatuor menſibus definitum eſt. Sicuti porro ex re iudicata naſcebatur actio iudicati, ita ex confeſſione actio *confeſſoria* (u) vel *ex confeſſo* (x), qua ab actore inſtituta, iiſdem modis fiebat exſequutio, ac re iudicata (y), captis nempe diſtractiſque pignoribus (z), aliiſque remediis, quibus magiſtratus iuriſdictionem ſuam tueri, ac ius dicentibus non obtemperantes in ordinem cogere conſueuerant.

§. XVIII.

Quod contra Cuiacium probatur.

Quae quum tam firmum in iure noſtro praeſidium reperiant: merito mireris, in alia omnia hic ire IAC. CVIACIVM (a), VLR. HVBERVM (b), alioſque viros doctiſſimos, qui confeſſos, non niſi ſequuta ſententia condemnatoria, pro iudicatis fuiſſe contendunt. Procul dubio enim ea in re ſua opinione falſi ſunt viri eruditiſſimi. Nam ſi ſententia ſequi debuit: nulla reddi poterit ratio, cur aduerſus confeſſos ſingulari actione confeſſoria, ac non potius actione iudicati experiundum fuerit: nec cur confeſſio pro ſententia eſſe dicatur (c), perinde, ac ſi pronunciatum eſſet (d).

Aeque

(n) L. 31. *ff. de re iud.*

(o) Iac. Cuiac. *in Paratitl. D. ad tit. de interrog. in iure fac. p. m.* 14.

(p) Maran. *in Paratitl. Digeſt. p.* 936.

(q) L. 25. *ff. de ſtatu hom. l.* 207. *ff. de reg. iur.*

(r) L. 3. *& l.* 4. *ff. de confeſſ.*

(s) L. 6. *in fine ff. eod.*

(t) L. 2. *C. de vſur. rei iudic. Add.* Cuiac. *Obſ. lib.* III. *cap.* XXIX.

(u) L. 23. *ff. ad Leg. Aquil.*

(x) L. 3. *ff. de confeſſ.*

(y) L. 31. *ff. de re iudic.*

(z) L. *vlt. C. de exſequ. rei iud.*

(a) Cuiac. *Obſ. lib.* II. *cap.* XXXVI. *& in Paratitl. ff. de confeſſ.*

(b) Huber. *Praelect. in Pand. lib.* XLII. *tit.* II. §. I.

(c) L. 1. *ff. de confeſſ.*

(d) L. 6. §. 2. *ff. eod.*

Digitized by

Aeque arduum tunc erit, explicare, cur tempora ſolutioni praeſtituta non ex die rei iudicatae, ſed a tempore factae confeſſionis currant (e), & cur denique vllae partes iudicantium in confitentes eſſe, negentur (f). Quo ipſo nihil apertius dici potuit, iudice GVIL. MARANO (g), vt probetur, poſt confeſſionem ſententia opus non fuiſſe.

§. XIX.

Argumenta in contrarium refelluntur.

Eſt quidem, ne quid diſſimulemus, vbi confeſſionem ſequi dicitur ſententia vel condemnatio, quo in primis pertinent bina loca (h), quae quantum torſerint interpretum ingenia, WISSENBACHIVS (i) oſtendit. Sed rem omnem in aprico ponit VLPIANVS (k), dum ſcribit: *Notandum, quod in hac actione, quae aduerſus confitentem datur, iudex non* REI IVDICANDAE, *ſed* AESTIMANDAE *detur. Nam nullae ſunt partes iudicanti in confitentes.* Poterat igitur, reo iam confeſſo, de aeſtimatione rei ſoluendae controuerſia oriri, quin & quaeſtio de ipſius confeſſionis interpretatione incidere, cuius rei luculentum exemplum in ipſo titulo de confeſſis occurrit (l). Nec dubium eſt, eo caſu liti dirimendae datum eſſe iudicem. At, quod ad cauſſam principalem attinet, nullae iudicii ſupererant partes in confeſſos, quippe ſua iam damnatos ſententia.

§. XX.

In cauſſis criminalibus ſententia condemnatoria ſemper opus eſt.

His itaque de genuino huius axiomatis ſenſu praemiſſis, facile erit ad intelligendum, in cauſſis capitalibus confeſſos pro iudicatis non fuiſſe. Tantum enim abeſt, vt illico rapiendi fuerint ad ſupplicium, vt diſerte ſcribat VENVLEIVS SATVRNINVS (m): *Si* CONFESSVS *fuerit reus, donec de eo* PRONVNCIETVR, *in vincula coniiciendus eſt.* Pronunciandum itaque eſt de reo capitalium criminum, quamuis ampliſſima eius confeſſio exſtet. Expendenda enim prius ipſa confeſſio, vtrum facti circumſtantiis congrua, an forte ex vitae taedio aliaque cauſſa profecta ſit (n). Id quod & NEMESIS CAROLINA (o) vrget, his verbis: *So obgemeldte Fragſtücke auf Bekäntnüſs, die aus oder ohne Marter geſchiehet, gebraucht vverden, ſo ſoll alsdann der Richter an die End ſchicken, und nach den*

(e) *d. L. 6. in fin. ff. eod.*
(f) L. 25. *in fin. ff. ad Leg. Aquil.*
(g) Guil. Maran. *in Paratitl. p.* 938.
(h) L. 3. *&* *l.* 5. *ff. de confeſſ.*
(i) Wiſſenbach. *Diſſ.* XXI. *ad Pandect.* §. XVIII.
(k) *d. l.* 25. §. 1. *ff. ad Leg. Aquil.*
[l] L. *pen. ff. de confeſſ.*
[m] L. 5. *ff. de cuſtod. & exhib. reor.*
(n) L. 1. §. 25. 27. *ff. de quaeſtion.*
(o) *Conſtit. Crimin. Carolin. Art.* LIV.

Vmbſtänden, ſo der Gefragte der bekanten Miſſethat halber erzehlet hat, ſo viel zu Gevviſsheit der Warheit dienſtlich, mit allem Fleiſs fragen laſſen, ob die Bekäntniſs der obberührten Vmbſtände vvahr ſeyn oder nicht. Dann ſo einer anzeiget die Maaſs und Form der Miſſethat, als vor zum theil gemeldet iſt, und ſich dieſelben Vmbſtände alſo erfünden, ſo iſt daraus vvohl zu mercken, daſs der Gefragte die bekante Miſſethat gethan hat, ſonderlich ſo er ſolche Vmbſtände ſaget, die ſich in der Geſchicht haben begeben, die kein Vnſchuldiger vviſſen kan. Deinde & defenſio ipſi quoque confeſſo indulgenda eſt. *Eam* enim, *quocumque tempore poſtulanti reo, negari non oportet, adeo vt propterea & differantur & proferantur cuſtodiae*, ceu monuit IVLIVS PAVLLVS (p). Denique nec certa ſemper poena legibus definita eſt, & ſi de ea certi quid ſancitum, vel vna facti περίστασις iudicem ad poenae atrocitatem mitigandam facile inflectet. Quam in rem graue eſt praeceptum MARCIANI (q): *Perſpiciendum eſt iudicanti, ne quid aut durius, aut remiſſius conſtituatur, quam cauſſa depoſcit. Nec enim aut ſeueritatis, aut clementiae gloria adſectanda eſt, ſed perpenſo iudicio, prout quaeque res expoſtulat, ſtatuendum eſt. Plane in leuioribus cauſſis proniores ad lenitatem iudices eſſe debent: in grauioribus poenis ſeueritatem legum cum aliquo temperamento lenitatis ſubſequi.* Quae omnia religioſi iudicis arbitrium, adeoque ſententiam depoſcere nemo non intelligit.

§. XXI.

Reſpondetur argumentis in contrarium.

Neque eſt, quod quemquam moueant exempla atque argumenta, quae ſupra hanc in rem protulimus. Hebraei confeſſos pro conuictis habebant, non pro iudicatis. Ei autem confeſſioni procul dubio non promiſcue credebant, ſed tum demum, quando aliae inſuper probationes religionem iudicantium inſtruerent. Achanem confeſſum iure damnabat Ioſua, quippe & ſpolia proferentem, & ipſius Dei immortalis iudicio conuictum, ſorte puta (r), quam Hebraeis in primaeua illa θεοκρατίᾳ pro oraculo fuiſſe, obſeruat EDVARDVS BERNARDVS (s). Perſpicue rem omnem refert IOSEPHVS (t): ὁ δ' οὐκ ἔχων ἔξαρνος εἶναι, δεινῶς αὐτὸν τοῦ Θεοῦ ἐκπεριελθόντος, ὡμολόγει τε τὴν κλοπὴν, καὶ τὰ φωρία παρῆγε. *At ille, quum inficias ire nequiuiſſet, Dei iudicio grauiter eum conſtringente,*

(p) L. 18. §. 9. *ff. de quaeſtion.*
(q) L. 11. *pr. ff. de poen.*
(r) *Ioſ. VII.* 14.
(s) Ed. Bernard. in *Not. ad Ioſeph. Antiqu. Iud. lib.* V. *cap.* I.
(t) Ioſeph. *lib.* V. *Antiqu. Iud. cap.* I. *Segm.* 14.

Digitized by Google

gente, furtum fatebatur, & res ſurreptas in medium proferebat. Amalekitae confeſſionem ſpolia opima, Regi moribundo detracta: Adoniae crimen priora facinora probabile reddebant. Immo ſunt, qui ea Dauidis & Salomonis decreta non vſquequaque probant, ſed de iis vſurpandum exiſtimant illud TACITI (u): *Omne magnum exemplum habet aliquid ex iniquo, quod aduerſus ſingulos vtilitate publica rependitur.* Idem ego multo certius de Lacedaemoniorum iudicio aduerſus Pauſaniam dixerim. Quamuis enim de crimine dubitari vix poſſet: non tamen indicta cauſſa damnandus, nedum ſine capitali ſententia fame necandus erat ciuis, de patria ceteroquin non male meritus. Quae de Romanis & Germanis diximus, nec probant, ob ſolam confeſſionem, & ſine ſententia capitali, a quoquam ſumtum eſſe ſupplicium, & talem confeſſionem ponunt, quae aliis indiciis atque argumentis adiuuetur. Soli Athenienſes, ſi DEMOSTHENI fides eſt, confeſſos ἄνευ κρίσεως, μήτε δόντες λόγον, μήτ' ἐθελήσαντες ἀκοῦσαι, *indicta cauſa, & nec facta dicendi poteſtate, nec excuſationibus auditis*, damnabant: ſed damnabant tamen. Quin talia non erant Athenienſium iudicia publica, vt inde aliis rebuſpublicis exemplum capiendum videatur, quum in iis multa contra rationem atque aequitatem fierent, multique viri etiam boni patriaeque vtiliſſimi, ne confeſſi quidem, aut conuicti, temerariis ingratorum ciuium ſuffragiis opprimerentur.

§. XXII.

Confeſſio non ſemper vox conſcientiae.

Praeterea & argumenta, quae ſupra vidimus, tanti non videntur, vt ob ea de confeſſis illico ſumendum eſſe ſupplicium arbitremur. Sit aliquando confeſſio vox conſcientiae: at ſaepe tamen rem multo aliter ſe habere, experientia docet. Latitat aliquando ſub ſpecie inumbratae quietis furor, qui hominem ad quaeuis nefanda de ſe fatenda facile impellit. Sunt, qui imaginatione ſua deluſi, apud ſe ipſos in ſuſpicionem veniunt criminis, quod numquam admiſerunt. Sunt, quibus atra bilis, vitae taedium, & neſcio quae pereundi libido mendaciſſimas confeſſiones extorquet. Aliis equulei, quem ſibi imminere intelligunt, metus, aut carceris diuturni ſqualor falſam confeſſionem exprimit. Quare tantum abeſt, vt confeſſiones criminum omnes conſcientiae ſtimulis tribuendae ſint, vt recte dixiſſe videatur CALPVRNIVS FLACCVS (x): *Confeſſio voluntaria ſuſpecta eſt.* Et QVINCTILIA-

(u) Tacit. *Annal. lib.* XIV. c. XLVI.

(x) Calpurn. Flacc. *Declam.* XLI.

TILIANVS (y): *Ea natura eſt omnis confeſſionis, vt poſſit videri* DEMENS, *qui de ſe confitetur. Hic furore impulſus eſt, alius ebrietate, alius dolore, quidam quaeſtione. Nemo contra ſe dicit, niſi aliquo cogente.*

§. XXIII.

Ad iudicis religionem pertinet, etiam perire volentes non damnare.

Deinde quod ad alterum attinet argumentum, fatemur equidem, illum, qui ſciens dolo malo in ſe falſo confeſſus eſt, vel hac praeuaricatione quoduis ſupplicium mereri. Sed praeterquam, quod non omnes rei de ſe confeſſi id per calumniam aut dolo malo feciſſe videntur, ne ea quidem reorum deſperatio excuſaret iudicem, ad cuius religionem pertinet, ne perire quidem volentes innoxios damnare. Fieri poteſt, vt quis aliis flagitiis meruerit ſupplicium, nec tamen ideo excuſandus eſt iudex, qui illum ob delictum numquam admiſſum capitis damnat. Poſſet potius tunc reus extrema & poſtuma voce iure vſurpare illa Thaidis apud TERENTIVM (z):

- - - Non te dignum, Chaerea,
Feciſti. Nam ſi ego digna hac contumelia
Sum maxime: at tu indignus, qui faceres, tamen.

Denique commeruerit reus praeuaricatione ſua poenam, ſaltim non tamquam parricida, vel alterius criminis reus, ſed tamquam praeuaricator erat puniendus, auditaque eius confeſſione diſpiciendum, verane confeſſus ſit miſer, an ex aliqua cauſſa etiam innocens mori decreuerit. Alioquin non magis culpa vacabit iudex, qui mori volentem capitis damnauit, quam is, qui mortem ſibi conſciſcere cupienti operam dextramque commodat. Qua de re multa diſſerere ſolent interpretes litterarum ſacrarum, vbi de facto Saulis eiuſque armigeri diſputant (a).

§. XXIV.

Quid confiteri? confeſſio?

Maneat ergo fixum & firmum, confeſſos crimina pro iudicatis non eſſe habendos, ſed pro conuictis tantum, dummodo ita comparata ſit confeſſio, vt nihil in ea iure deſideres. Quamobrem iam proximum eſt, vt qualem eſſe oporteat reorum confeſſionem, ſi ei fidem habere debeat iudex, paullo accuratius conſideremus. Id quod ex ipſa confeſſionis natura adparebit luculentiſſime. Praeclare obſeruauit M. TERENTIVS VARRO (b), *fateri*, eſſe a *fari*, adeoque τὸ *confiteri* ſemper referri ad alium, qui idem adfirmet. *A fari*,

(y) Quinctilian. *Declam.* CCCXIV.

(z) Terent. *Eunuch. Act. V. Scen.* II. *v.* 25.

(a) 1. *Sam.* XXXI. 4. 5.

(b) Varro de Lingua lat. lib. V. p. 54. edit. Scalig.

Digitized by Google

A fari, inquit, *ſunt* FASSI *&* CONFESSI, *qui fati id, quod ab his quaeſitum.* Nimirum FATERI eſt ſimpliciter effari, quid factum ſit; CONFITERI idem effari ac conſenſu ſuo probare, quod alius factum eſſe adſeuerat, adeoque hoc vocabulum quam accuratiſſime exprimit notionem verborum Graecorum ὁμολογεῖσθαι, ἀνθομολογεῖσθαι, διομολογεῖσθαι & ſimilium. Confeſſio enim ſemper ponit duas perſonas, quarum altera aliquid ab altera factum eſſe adfirmet, quales ſunt actor, accuſator, teſtis, iudex; altera idem a ſe factum eſſe confirmet, adeoque intentioni alterius per omnia ſuffragetur. Ex quibus conſequitur, vt nihil aliud ſit confeſſio, quam adſeueratio eius, quod alius a nobis factum admiſſumque eſſe contendit adeoque eius naturam recte expreſſerit MARCELLVS (c) phraſi elegante: *confiteri de intentione aduerſarii.* Hinc etiam chirographum in iure noſtro (d) vocatur *confeſſio*, eademque notio vocabuli ὁμολογία apud Graecos, teſte CVIACIO (e), receptiſſima eſt. Quin & ſponſionem vel ſtipulationem Graecis eſſe ὁμολογίαν, ex DICAEARCHO (f), gloſſatoribus iuris Graeci, THEOPHILO aliiſque erudite demonſtrat iuriſconſultus eximius, IAC. GOTHOFREDVS (g). Quemadmodum enim ſpondens congrue reſpondendo fatetur, ſe ſtipulatoris voluntati ſuffragari: ita & debitor, dando chirographum, intentionem creditoris probat, ſeque tantum pecuniae ab hoc mutuum ſumſiſſe adſeuerat, quantum hic a ſe datum eſſe ait.

§. XXV.

Quum itaque confitentes rei intentioni actoris, accuſatoris aut iudicis ſuffragentur: (§. XXIV.) facile patet, quales eſſe oporteat eorum confeſſiones. *Primo* enim requiritur, vt illae proficiſcantur ex animo ſeſe ea confeſſione onerandi, poenamue vel alium quemcumque legis effectum, quamtumuis moleſtum, ſubeundi. Neque enim quiſquam temere adſentietur HVG. DONELLO (gg), confeſſionem nudae teſtificationis atque adſeuerationis, non voluntatis ac conſenſus eſſe, exiſtimanti, quum confitentes manifeſto ſuffragentur intentioni actoris, adeoque velint ſoluere, velint poenas dare, vel, vt eleganter loquitur VLPIANVS (h), *in lite*

Confeſſionis validae requiſita.

(c) L. 9. *ff. de except.*

(d) L. 20. §. 1. *ff. de donat. l.* 25. §. *vlt. ff. de probat. l.* 23. §. 2. C. *ad SC. Vellei.*

(e) Cuiac. *Expoſit. Nouellae I.*

(f) Dicaearch. *in Philosl. p.* 80.

(g) Iac. Gothofred. *in Diſſ. de famoſ. latron. inveſtig. p.* 30.

(gg) Donell. *lib.* XXVIII. *cap.* I.

(h) L. 1. §. 7. *ff. ſi quid in fraud. patr.*

lite VELINT *vinci.* Quæ quomodo ſine actu voluntatis intelligi poſſint, ſcire nos fatemur cum ignariſſimis. *Deinde* is, qui confitetur, rem probe perſpectam habeat, oportet, adeoque nullius momenti erit confeſſio eius, qui in iuſto errore factiue ignorantia verſatur. *Tum* porro confitens animi ſui ſententiam iis ſignis explicare debebit, de quorum ſignificatione nemo poſſit vllatenus dubitare. *Denique* neceſſe eſt, reum confiteri de eo, quod fieri potuerit, eiuſque confeſſionem nec ſibi diſſimilem eſſe, nec manifeſtis facti circumſtantiis refragari. Haec enim ſi coniunctim adſunt, tunc demum fide digna erit rei confeſſio, nec quiſquam, opinor, intercedet, quo minus confeſſus in cauſſis ciuilibus pro iudicato, in criminalibus pro conuicto habeatur, quamuis, quod ad vſum hodiernum attinet, vtroque caſu ſententia condemnatoria opus ſit (hh).

§. XXVI.

Requiſitum primum in cauſſis ciuilibus.

Et haec quidem omnia etiam in cauſſis ciuilibus & pecuniariis exigunt iura noſtra. Primo enim dubitari non poteſt, quin animum ſe confeſſione ſua onerandi adeſſe oporteat. Inde enim eſt, quod extra iudicium confeſſos iudicatis aequiparare non ſolent. Saepe enim extra iudicium, in familiari congreſſu, vel inter pocula, quaedam incaute iactant homines, quae ſibi fraudi futura eſſe, non ſuſpicantur. Ea ſi ſtatim velis pro re iudicata habere, procul dubio errares. Ex oratione enim MARCI (i) & conſtitutione ANTONINI CARACALLAE Imp. (ii) non niſi IN IVRE CONFESSI *pro iudicatis habentur,* id eſt ii, qui coram magiſtratu competente, veluti coram Praetore (k), & ad acta (kk) intentioni aduerſariorum ſuffragati ſunt. Quemadmodum enim, quod eleganter CVIACIVS (l) obſeruat, qui ante reatum ſibi mortem conſciuit, etiamſi id fecit metu futuri reatus, vel ideo non habetur pro conuicto, quia non in iudicio, id eſt, in reatu ipſo, ſibi manus intulit (m): ita & confeſſum iudicato aequiparandum non putant leges, niſi in iure confeſſus ſit, quamuis aliquam probationem ſuggerat confeſſio intra priuatos parietes, vel coram iudice incompetente facta (n). Ex eadem ratione pro iudicato non habetur

[hh] Carpzou. *in Proceſſ. tit.* XIII. *Art.* III.

(i) L. 56. *ff. de re iud.*

(ii) L. *vn. C. de confeſſ.*

(k) L. 7. *ff. eod.*

(kk) L. 24. *C. de lib. cauſſ.*

(l) Cuiac. *Parat. Codic. lib.* VII. *Tit.* LIX.

(m) *L.* 3. *pr. ff. de bon. eor. qui ante ſent.*

(n) L. 40. *pr. ff. de pact. l.* 25. §. *vlt. ff. de probat. l.* 26. §. 1. *depoſ. l.* 13. *C. de non num. pec.*

Digitized by Google

habetur etiam in iure, vel, vti Graeci loquuntur, ἐν βήματι confeſſus, niſi praeſens aduerſarius eiuſue tutor vel curator eam confeſſionem illico acceptarit (o). Priuſquam enim id factum, confeſſus vel ideo confeſſionem ſuam iure reuocat, quia nec animo ſe ipſum onerandi id feciſſe praeſumitur, nec aduerſario ante acceptationem illam ius quaeſitum eſſe, exiſtimatur. Et hinc mira hodienum eſt pragmaticorum in acceptando ſolertia, adeo, vt nihil frequentius legas formula illa forenſi: *Klâger acceptiret quam vtiliſſime, daſs Beklagter das geſchehene Verſprechen nicht ableugnen kônnen. &c.* Denique ex eodem fundamento facile reddideris rationem, cur nec is habeatur pro iudicato, cuius ex verbis non niſi per conſequentiam confeſſio elicitur. Ita recte obſeruat SCAEVOLA (p), *eum, qui familiae erciſcundae iudicio agit, non confiteri, aduerſarium ſibi eſſe coheredem.* Ita & MARCELLVS (q) ſapienter ſcribit, *non vtique exiſtimandum eſſe, confiteri de intentione aduerſarium, quo cum agitur, quia exceptione vtatur.* Vtroque enim caſu non eo animo ac conſilio aliquid allegant litigantes, vt ſe ſua confeſſione onerent, ſed vt ius ſuum obtineant, vel iniuſtum aduerſarii impetum repellant. Id quod in allegantium odium detorqueri, iniquiſſimum profecto eſſet.

§. XXVII.

Deinde & in cauſſa ciuili reo non nocet confeſſio, niſi illa ex certa facti ſcientia proficiſcatur. Sane enim ſi pupillus, non accedente tutoris auctoritate, confeſſus ſit, id eum non onerabit, quia in lubrica iſta aetate nihil facilius eſt, quam vt quis aut ignorantia vel errore, aut inaduertentia labatur. Hinc in pupillo tutoris auctoritatem exigit VLPIANVS (r): idque recte ad pubertati proximos reſtringunt interpretes (s). Infantia enim maiores infantibus comparantur, quoties actu quodam eorum conditio reddi poſſet deterior, quod vel maxime fit confitendo, quum contra in eorum tantum vtilitatem benigniore iuris interpretatione receptum ſit, vt idem iuris habeant, quod pubertati proximi (t). Quod ad minores attinet, eorum confeſſio quidem rata eſt vel ideo, quod iam aliquo animi iudicio polleant, & hinc non eorum perſonae, ſed rebus curator dari ſoleat: quum tamen *Secundum.*

(o) *L. 6. §. 3. ff. de confeſſ.*
(p) *L. 37. ff. fam. erciſc.*
(q) *L. 9. ff. de except. iuncta l. 9. C. eod.*
(r) *L. 6. §. 5. ff. de confeſſ.*
(s) Illuſtr. a Coccei. *in iur. controu. lib.* XLII. *quaeſt. I.*
(t) §. 10. *Inſt. de inutil. ſtip.*

& *huiuſmodi aetatium*, iudice VLPIANO (u), *fragile atque infirmum eſſe ſoleat conſilium*, *& multis ſuppoſitum captionibus*, *multorum inſidiis expoſitum*: proditum iis eſt reſtitutionis in integrum beneficium tum aduerſus confeſſionem (x), tum aduerſus negationem, ſi quando ita comparata ſit cauſſa, vt lis inficiando creſcat (y). Quod tamen beneficium de delicto confeſſis vel ideo ſummo iure denegatur (z), quia ipſa illa *reſtitutionis petitio*, vti eleganter ſcribit TRYPHONINVS (a), *nihil aliud eſt*, *quam delicti veniae*, *id eſt*, *calumniae deprecatio. Atqui neque in delictis*, *neque in calumniatoribus Praetorem ſuccurrere debere*, *certiſſimi iuris eſt.* Multo minus itaque procuratores, vel tutores, vel curatores tueri ſufficit (b), eatenus puta, vt onerentur clientes, pupilli vel minores, ſi illos errore vel ignorantia confeſſos eſſe contendant. Hinc ſpeciatim de procuratoribus cautum, vt quodcumque abſentibus dominis confeſſi ſint, ab his lite nondum finita poſſit impune reuocari (c), ſecus autem, ſi iam res iudicata ſit, vel dominus praeſens confitenti non contradixerit, nec confeſſionem intra triduum reuocarit (d), quia his omnibus caſibus impudentia caritura non eſſet reſtitutionis petitio. Benigniores tamen legibus Doctores noſtri & hoc caſu reſtitutionis beneficium non denegant, ſi iuſta allegetur cauſſa, vel procurator, ideo excuſſus, ſoluendo non ſit (e). Id quod ego admittendum non putauerim, ſi dominus, feruente adhuc lite, confeſſionem a procuratore factam non ignorans, tacuerit tamen, & litis exitum callide ſpeculatus, tunc demum, quando ſe cauſſa cecidiſſe animaduertit, Quiritium fidem imploret. Quid enim aliud hoc eſſet, quam veniam calumniandi petere? Iure Germanico vetere ne mulieres quidem ſibi confeſſione ſua nocebant, niſi curatoris conſenſus acceſſiſſet. Hinc SPECVLATOR SAXO (ee): *Iungfrauen und Frauen müſſen Vormünder haben an allen ihren Klagen*, *durch das man ſie nicht überzeugen möge des*, *das ſie vor Gericht ſprechen oder thun.* Talia etiam habet AVCTOR IVRIS ALAMANNICI (f) nec non IVS

LAN-

[u] *L. 1. ff. de minor.*
[x] *L. 6. §. 5. ff. de confeſſ.*
[y] *L. 9. §. 2. ff. de minor.*
[z] *L. 9. §. 2. l. 37. pr. ff. de min. l. 1. C. ſi adu. delict.*
[a] *L. 37. §. 1. ff. de minor.*
[b] *L. 6. §. 4. ff. de confeſſ.*
(c) *L. 7. C. de iur. & facti ign. l. 2. & l. 3. C. de err. aduoc.*
(d) L. 1. *C. de error. adu. l. 3. C. eod. & ibi* Brunnem.
(e) Ant. Fabr. *in Codic. lib.* II. Tit. VI. *def.* 1.
(ee) *Ius prou. Sax. lib.* I. *Art.* 46.
(f) *Spec. Suev. cap.* IV. *art.* 38. *edit. Meichſn.*

Digitized by Google

LANGOBARDICVM (ff), ex quibus hoc veteris iuris Germanici caput egregie illuſtrauit SCHILTERVS (g). Sed id hodie non vbique obſeruatur. Denique, quam accuratam rei notitiam a confitente exigant leges noſtrae, vel inde patet, quod diſerte ſcribat VLPIANVS (gg): *Non fatetur*, QVI ERRAT, *niſi ius ignorauerit.* Nemini itaque error facti, negotio necdum finito, eatenus nocet (h), vt non liceat reo, deprehenſo errore, confeſſionem reuocare. At iuris error omnino nocet, ceu ſpecies, ab AFRICANO (hh) explicata, docet, quia ad factum tantum, non ad ius pertinet confeſſio, (§. XXIV.) & iura ignorantibus raro fauent leges, niſi forte de damno certent (i). Quo caſu & aduerſus confeſſionem ex errore iuris profectam reſtitutionem indulgendam nonnulli exiſtimant (k).

§. XXVIII.

Praeterea talia eſſe oportere ſigna, ex quibus de confitentis animo liquido conſtet, res ipſa docet. Perinde ergo eſt, vti ait PAVLLVS (l), *ſiue quis verbis, ſiue litteris, ſiue alio* QVOCVMQVE MODO, *in iudicio fateatur*, modo de fatentis ſenſu & conſilio dubitari nequeat. Merito itaque mireris, iuriſconſultum eximium, IANVM A COSTA (m), negare, confeſſionem aliter fieri poſſe, quam verbis vel litteris. Eius enim opinionis non aliud habet argumentum, quam quod & ſententia non niſi verbis vel ſcripto feratur (n). Sed praeterquam, quod vir doctiſſimus aduerſantem ſibi habet PAVLLVM, qui non modo loco paullo ante adducto, ſed & alibi (o), confeſſionem QVOCVMQVE MODO fieri poſſe, innuit, argumentum etiam, quo vtitur, nullius momenti videtur, nec tam amare vrgenda eſt rei iudicatae & confeſſionis analogia, vt, quidquid de illius forma in iure dicitur, id ad hanc etiam ſine vlla exceptione pertinere exiſtimemus (p). Quamuis vero praeter verba ac ſcripturam ſigna quaecumque ſufficere videantur: *Tertium.*

 merito

(ff) *Leg. Langob. lib.* II. *tit.*X. *art.*2.
(g) Schilt. *Exerc. X.* §. *XX. ſequ.*
(gg) *L.* 2. *ff. de confeſſ.*
(h) *L.* 7. *C. de iur. & facti ign.*
(hh) *L.* 7. *ff. de confeſſ.* Iac. Cuiac. *ad African. Tract. V. p.* 446.
(i) *L.* 7. *& L.* 8. *ff. de iur. & facti ignor.*
(k) Beſold. *Part.* III. *Conſil.* CVIII. *n.* 45.
(l) Paull. *Rec. Sent. lib. V. tit. V.* §. III.
(m) Ian. a Coſta *ad tit. X. de lit. conteſtat.*
(n) L. 2. *ſequ.* C. *de ſent. ex peric. recit. Nou.* LXXI. *cap.* I. *&* LXXII. *cap.* II.
(o) Paull. *Recept. Sent. lib. II. tit.* I. §. *V.*
(p) Ant. Schulting. *Iurisp. vet. anteiuſt. ad Paull. lib. V. tit. V.* §. *III.*

merito tamen adiecimus, ea ita comparata eſſe oportere, vt inde certa ſit confitentis ſententia. Diſerte enim VLPIANVS (q) monet, *certum confeſſos pro iudicatis futuros, incertum non futuros:* atque *hinc eos, qui incertum vel corpus confeſſi ſint, vrgendos eſſe, vt certum confiteantur, itemque, qui rem confeſſi, vt quantitatem fateantur.* Hinc interrogatus, an decem aureos debeat? nutu etiam confiteri poteſt, quia ex eo ſigno de confitentis ſententia plus ſatis conſtat. At ſi rogatus, quantum debeat? annueret: incerta eſſet confeſſio, adeoque nullius efficaciae futura. Inde facile etiam patet, quid de confeſſione ſentiendum ſit, quam vulgo indiuiduam vocant pragmatici. Quemadmodum enim vbi plura ſunt libelli vel actionis capita, quae inter ſe nexum non habent, nihil prohibet, quo minus alterum fateri, alterum inficiari poſſim, eoque caſu iura noſtra liquidum illico ſolui, de illiquido reconuentione experiri iubent (r), adeoque & actori indulgent, vt confeſſionem pro parte acceptare poſſit: ita, vbi quis fatetur cum certa qualitate, ita, vt hanc a confeſſione ſeparari nolit, e. g. Fateor actorem rem meam vi, clam, precario poſſediſſe, non poteſt actor partem confeſſionis pro ſe acceptare, quin eo ipſo & partem alteram contra ſe acceptet, vti accurate oſtenderunt MENOCHIVS (s), CAVALCANVS (t), &, qui ſpinoſam de iure rerum indiuiduarum doctrinam accurata induſtria exſequutus eſt, AVG. HOFFMANNVS (u). Neque enim certa futura eſſet confeſſio, niſi cum qualitate adiecta intelligeretur.

§. XXIX.

Quartum. Denique & ea, quae fieri poſſunt, confiteri reum, eiuſque confeſſionem nec ſibi diſſimilem eſſe, nec manifeſtis facti circumſtantiis refragari debere, tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Vti enim nec actor, nec iudex, ſi vtrique ineſt aliquis iuſtitiae ſenſus, id intendunt, vt reus manifeſto falſa fateatur: ita, ſi quid tale excidit reo, is nec intentioni vtriuſque ſuffragari, adeoque nec confiteri videbitur. Hinc grauiter monet PAVLLVS noſter (x): *non omnimodo confeſſum condemnari debere rei nomine, quae an in rerum natura eſſet, incertum ſit.* Et alio loco (y) docet,

(q) L. 6. pr. §. 1. ff. de confeſſ.

(r) L. 3. §. 13. ff. ad exhib. l. fin. §. 1. de compenſ.

(s) Menoch. de arbitr. Iud. Quaeſt. lib. II. quaeſt. XCIII. n. 14. ſequ.

(t) Caualcan. Part. II. Deciſ. XXVII. n. 88.

(u) Aug. Hoffm. de Iure rer. indiuid. cap. II. Sect. III. n. 100.

(x) L. vlt. ff. de confeſſ.

(y) L. 13. pr. ff. de interrog. in iure fac.

Digitized by Google

cet, confeſſionibus falſis reſpondentem ita demum obligari, ſi eius nomine, de quo interrogatus fuerit, cum aliquo actio ſit, quippe quam tunc confeſſione ſua in ſe transferat, modo falſae eiuſmodi confeſſiones naturalibus conueniant. *In totum enim*, iudice IAVOLENO (z), *confeſſiones ita ratae ſunt, ſi id, quod in confeſſionem venit, & IVS & NATVRAM recipere poſſit.* Hinc ſi fatear falſo, eum, qui in alterius poteſtate eſt, filium meum eſſe, obligabor, ſi eius aetas patitur, vt filius meus eſſe poſſit, quia id & ius & natura patitur (a). At ſi quem, me natu maiorem, filium meum eſſe dicam, vel hominem liberum fatear meum ſeruum eſſe (b), vel me habere ſeruum, qui tamen iam pridem inter homines eſſe deſierit (c), vel in hoſtium poteſtate ſit (d): nec obligabor confeſſione mea, nec actionem, quae hoc caſu non competit, in me transtuliſſe dicar, quia his caſibus omnibus nec ius nec naturam confeſſio tam fatua recipit. Tam ſubtiliter enim philoſophantur hac de re iureconſulti veteres, quorum praecepta, vulgo neglecta, hic veluti in nucleo exhibere, non inutile fore exiſtimauimus.

§. XXX.

An eadem requiſita locum habeant in cauſſis criminalibus?

Haec ſunt, quae iura noſtra exigunt, ſi quis in cauſſis pecuniariis confeſſus pro iudicato haberi debeat. Proximum eſt, vt ad capitalia iudicia prouehamur, de quibus prima ſtatim diſpectio eſt, vtrum eadem omnia in iis quoque requirantur, an aliquid exigatur amplius? Nos eadem pleraque & hic obſeruanda putamus, ita tamen, vt ad religionem iudicantium pertineat, multo maiore ſolicitudine eorum confeſſiones expendere, qui de capite atque exiſtimatione periclitantur, quam quibus de opibus ac fortunis mouetur controuerſia. Primo enim non adeo verendum eſt, ne quis ſua ſe confeſſione vltro ſpoliare & fortunis euoluere velit. Poteſt homo, criminis accuſatus, in ſe mentiri vitae taedio, & quia ſe aliena manu facilius, quam ſua, periturum ſperat. At opum taedium nemini facile obrepit, &, ſi quis tali laboraret, non eſſet, cur alterius calumnia eas amittere vellet. In promtu enim eſſet illud Cratetis conſilium, qui pecunias vel amicis diſtribuens, vel in mare proiiciens, exclamabat:

Crates Cratetem liberat pecuniis:
Nolens Cratetem haberi ab his, quae tenet (e).

 Deinde

(z) L. 14. §. 1. *ff. eod.*
(a) L. 13. *pr. ff. eod.*
(b) L. 14. *pr. ff. eod.*
(c) L. 15. §. 1. *ff. eod.*
(d) L. 16. *pr. ff. eod.*
(e) Diog. Laert. *lib.* VI. *Segm.* 88. Simplic. *ad Epictet. Enchirid. cap.* X.

Deinde inficiantibus in iudiciis priuatis non adeo magnum imminet periculum. Paucae tantum iure Romano proditae ſunt cauſſae, in quibus lis inficiando creſcit (f), veluti actiones ex L. Aquilia, de legatis venerabilibus locis relictis, & de depoſito miſerabili, quae poena inficiantium hodie primo caſu ne quidem recepta eſt. At haec poena magis cohibebit homines, ne temere veritatem diſſimulent, quam coget, vt falſo quid fateantur. Enimuero in cauſſis criminalibus confiteri & negare aeque periculoſum eſt. Confitentibus ſupplicium: negantibus carceris ſqualor & tormenta in mundo ſunt. Illos vnus & alter ictus examinat; his imminent

Verbera, carnifices, robur, pix, lumina, taedae.

Proinde ſemper ſuſpecta erit confeſſio in iudiciis publicis, quoniam *& vera confeſſis, & falſa dicentibus idem doloris finis oſtenditur*, quemadmodum eleganter ait Q. CVRTIVS (g). Saepe enim rei, vel diris ſubiecti quaeſtionibus, vel in conſpectu equulei poſiti, multa effutiunt, quae audire velle quaeſitorem ſuſpicantur, tantum vt vel eo citius dolori finis ſit, vel eo, ſi fieri poſſit, edita confeſſione, plane ſuperſedeant. Denique & ipſe horum iudiciorum finis multo plus cautionis adhibendum eſſe ſuadet, quam in pecuniariis. In his res petitur, vel actor aliquid ſibi dari, fieri oportere, intendit. Rerum autem iacturam, ſalua vita atque exiſtimatione, vtcumque ſibi tolerare videntur homines. In illis de capite ac vita hominis agitur, quam nulli innocenti adimi, ipſorum iudicum, ſi homines ſunt, intereſt. Res amiſſae aliquando vel fortunae beneficio vel ſumma induſtria recuperantur. Sola vita eſt, qua ſemel ademta, erroris emendationi non eſt locus. *Poteſt poena dilata exigi*, inquit SENECA (h), *non poteſt exacta reuocari.* Itaque ſemper laudati, qui quaeſtiones de criminibus longa patientia exercuerunt (i), & laudi ducitur THEODOSIO M. (k) quod ſupplicia damnatorum in triginta dies differri iuſſerit, in eaque re ſuperarit humanitate Tiberium, qui decem dierum ſpatium illi rei praeſcripſerat (l). Vere enim ac ſapienter monuit IVVENALIS (m):

Nulla vmquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Quod ſi vero ne lata quidem ferali ſententia quidquam praecipitandum

(f) §. 1. *Inſt. de poen. tem. litig.*
(g) Curt. *lib.* VI. *cap.* XI.
(h) Seneca *de Ira lib.* II. *cap.* XXIII.
(i) Ammian. Marcellin. *Hiſt. lib.* XXIX. *cap.* II. *pag.* 434. *edit. Gronou.*
(k) L. 10. C. *de poen.*
(l) Sueton. *Tiber. cap.* LXXV.
(m) Iuuenal. *Satyr. VI. v.*

Digitized by Google

tandum eſt: quanto magis pertinebit ad religionem iudicantium, ante damnationem accuratiſſime diſpicere, ne vel furor, vel mendacium, latitet ſub ſpecie confeſſionis, neue in falſo confeſſum quidquam decernant, cuius eos poſtea poenitere poſſit?

§. XXXI.

In his quoque 1. confeſſio proficiſci debet ex animo ſe onerandi.

Primum ergo, quod in confeſſione ſupra requiſiuimus; vt nimirum illa ex animo conſilioque ſe ſua confeſſione onerandi proficiſcatur, in cauſſis criminalibus vel maxime conſiderandum eſt. Multum enim refert, quo animo quis confeſſus ſit. Sane ſi in iure vltro fatetur reus, ſe admiſiſſe homicidium: nemo non videt, ei confeſſioni plus ponderis ineſſe, quam ſi quis extra iudicium tale quid protulerit, quia priore caſu de fatentis conſilio ſatis conſtat. At extraiudicialem confeſſionem tantum indicium aliquod vel argumentum praebere ad torturam ſufficiens, non ſine limitationibus plurimis tradunt rerum criminalium ſcriptores (n). Sed nec id tamen ſemper verum arbitramur. Quid enim ſi Thraſo quidam inter pocula dicat, ſe centum in Cilicia, quinquaginta centum Sycolatronidas, triginta Sardos, ſexaginta Macedonas occidiſſe vno die (o)? an eum ſtatim raperes ad equuleum? Quid ſi impudica Eucolpi epiſtola fato quodam in manus tuas perueniſſet, in qua apud PETRONIVM (p) fatetur, *ſe proditionem feciſſe, hominem occidiſſe, templum violaſſe*; an tu miſerum Eucolpum, tamquam alter Rhadamantus, illico carnifici excruciandum traderes? Apud ARISTOPHANEM (q) duo inter ſe de impudentia certant, eorumque alter per Neptunum; alter per pugnos & plagas, quibus per omnem vitam mulctatus ſit, iurat, ſe non conceſſurum, vt ab altero impudentia ſuperetur. Eorum vnus res etiam manifeſtiſſimas negat: alter turpiſſima quaeuis in ſe fatendo impudentiae palmam adfectat. An tu ſi poſteriorem audiueris, tam dira fatentem, in equuleum ipſamue crucem ire iuberes? Multa homines in familiari congreſſu ex ioco, multa ex ſtolida quadam iactantia in ſe non tam fatentur, quam fingunt, quae pro exploratis facinoribus non habebit iudex, niſi alia argumenta eius religionem inſtruant. Saepiſſime vero vel ex ipſa perſonae qualitate colliget, quantum fidei eius confeſſioni habendum ſit. Nam ſi hominem, lepore meticuloſiorem, nil praeter vulnera ac caedes crepare

(n) Carpzou. *Prax. Crim. Part.* III. *Quaeſt. XXI. n.* 47. Ant. Gomez. *Var. Reſol. Tom.* III. *cap.* XIII. §. 8. *ſequ. p.* 605.

(o) Plaut. *in Mil. glorioſ. Act.* I. *Scen.* I. *p.* 42.

(p) Petron. *in Satyr. p.* 135.

(q) Ariſtophan. *in Equit. v.* 411. *ſeq.*

crepare audiat, parum illum ea confeſſione moueri debere monent legum criminalium interpretes, & in his vir prudentiſſimus, IAC. FRID. LVDOVICI (r).

§. XXXII.

Effectus confeſſionis extraiudicialis.

Ex eodem conſequitur, vt ſuſpecta ſit confeſſio hominum atra bile laborantium, quibus credere non oportet iudicem, niſi & indubiae ſanitatis ſint, quod accurate explorare ad medicorum religionem pertinet, & circumſtantiae omnes eam confeſſionem confirment. Solent enim miſeri iſti ex vitae taedio, vel miro quodam pereundi deſiderio, ſe ipſos deferre, idemque facere, quod de Chariclea fingit HELIODORVS (s). Sicuti enim illa Theagenis ſui deſiderium vix ferens, de veneficio fatetur, *χαίρουσα, εἰ Θεαγένους οὐκ ἔτι ὄντος τεθνήξεται, καὶ κερδαίνουσα τὸ ἐναγὲς τῆς πράξεως, ὃ καθ' ἑαυτῆς ἐγνώκει ποιεῖν, ἑτέρων τοῦτο δρασόντων*, *gaudens, ſi Theagene non amplius ſuperſtite eſſet moritura, & quaſi in lucro ponens, nefarium facinus, quod ipſa in ſe admittere ſtatuerat, aliis facientibus:* ita idem ſaepe faciunt homines taedio quodam vitae laborantes. Idque tanto minus mirandum, quanto frequentiora ſunt exempla hominum, eum in finem caede, alioque crimine nefando, ſeſe vltro polluentium, vt miſerum ſpiritum tanto citius excutiat carnifex. Ipſe VLPIANVS (ſſ) noſter refert, *Primitiuum ſeruum homicidium in ſe confinxiſſe metu ad dominum reuertendi*, adeoque carnificis manu perire, quam inter ſaeua truculenti domini imperia, inter vlmos ſtimulos, laminas, compedes, neruos, numellas, pedicas, boias, miſerum trahere ſpiritum maluiſſe. Memini etiam, hic Halae famulum quemdam data opera mactaſſe infantem, &, peracto facinore, ſe ſua ſponte ſtitiſſe iudici, profeſſum, ſe id vitae taedio ac inſigni deſiderio mortis feciſſe. Ex eodem vero vitae taedio & confeſſiones falſas proficiſci poſſe, teſtantur PARIS DE PVTEO (t) & PROSPER FARINACIVS (u). Quis his ſimilibuſque caſibus ad religionem iudicantium pertinere neget, confeſſiones tam ſuſpectas probe excutere, ſibique in memoriam reuocare illa CALPVRNII FLACCI (x): *Miſericordiae maximum munus eſt, ſeruare nolentem.*

§. XXXIII.

(r) Ludovic. *ad Conſt. Crim. Car. Art.* XXXII. *p.* 46.

(s) Heliod. *in Aethiop. lib.* VIII. *cap.* XIX. *p.* 391.

(ſſ) L. 1. §. 27. *ff. de quaeſtion.*

(t) Paris de Put. *de Syndic. verb. tortura verſ. Si ergo index p.* 350.

(u) Farinac. *Pract. ac Theor. crim* n. *Pars.* III. *quaeſt.* LXXXI. *n.* 40.

(x) Calpurn. Flacc. *Declam.* XLI.

§. XXXIII.

An valeat confeſſio, orta ex melancholia & taedio vitae.

Sunt porro, qui ſpe vel praemii cuiuſdam, vel impunitatis, in ſe confitentur. Erit & haec confeſſio ſuſpecta, niſi alia argumenta religionem iudicantium inſtruant. Quamuis enim cum magno periculo coniuncta ſit vtraque confeſſio, ne forte ſpe ſua fallantur facinoroſi: contingere tamen poteſt, vt illa decepti falſa referant. Quum praemium propoſuiſſet Auguſtus, Corocotam, famoſum per Hiſpaniam latronem, viuum exhibituro, Corocota ipſe ſe obtulit, praemiumque abſtulit (y). Annon idem facere potuiſſet & Corocota falſus, & qui numquam cruenta ſpolia detraxerit, modo pari audacia in eiuſmodi periculum duraſſet? Multo tamen facilius falſas confeſſiones extorquebit ſpes impunitatis, niſi id impediat iudicantium religio. Memoriae prodidit PARIS DE PVTEO (z), matronam, occiſi mariti cauſſa in ius raptam, facinus initio perfricta fronte negaſſe, nec prius confeſſam eſſe parricidium, quam iudex ei, in ſecretius cubiculum ſeuocatae, multis blanditiis, quin & ſimulatis oſculis, non modo impunitatis, ſed & matrimonii ſpem fecerit. Quam inſignem ſcilicet prudentiam laudans bonus ille vir: *Etiam alii*, inquit, *extorſerunt confeſſionem ab inquiſitis, in coena pollicendo liberationem, promittendo, quod nullum eis nocumentum inferret, & humaniter cum illis loquendo, & haec per dicta iura. Sunt enim huiuſmodi per uaſiones magis aptae ad extorquendum confeſſiones, quam chorda.* Et paucis interiectis: *Multi enim torti nihil confeſſi ſunt, & deinde, quum Poteſtas poſt chordam oſtenderit ſigna humanitatis, compatiendo eis, & cum electuariis confortando, mederi faciendo, confeſſi ſunt de plano maleficia.* Quin eo impudentiae prolabitur ille Paris, vt & periurium iudicis, quo rei confeſſionem, ſpe impunitatis falſo oſtenſa, elicuerit, excuſare non dubitet. Alieniſſima haec omnia eſſe a iudicis religioſi perſona, quin & animaduerſione digniſſima, omnes fatentur, quibus probitas ac iuſtitia curae eſt (a). At finge, reum, innocentem illum quidem, ſed parum aſtutum, in iudicum huiuſmodi tribunal incidere, qui Paridis iſtius conſilio obtemperantes, eius ſimplicitati illudant, impunitatemque promittant homini, vinculorum & carceris pertaeſo, & fidicularum cruciatus quotidie pertimeſcenti: finge, eum audiuiſſe aliquando, iudicem, impunitatem pol-

[y] Dio Caſſ. *lib.* XLVIII.

[z] Paris de Put. *ibid. verb. tortura. verſ. Et aduertendum n.* 1.

(a) Farinac. *Prax. & Theor. Crim.* Tom. III. *quaeſt. LXXXI. n.* 276. *ſequ.* Brunnem. *Proceſſ. Crim. Inquiſ. cap.* VIII. *membr.* I. *n.* 56. *ſequ.*

pollicitum, promiſſo ſtare debere, nec reum poſſe ſupplicio adfici, cui ſpes impunitatis facta ſit (b): annon hiſce blanditiis, tanquam eſca, captus, deuorabit hamum, & quaeuis nefanda in ſe confitebitur, tantum vt vinculis exire quam primum liceat? Et tamen confeſſioni tam doloſe extortae nihil fidei haberi poterit, quia illam non ex conſilio ſe onerandi, poenamue ſubeundi, ſed potius ex ſpe ſupplicium effugiendi profectam eſſe, vnuſquiſque intelligit (b).

§. XXXIV.

An ſpe impunitatis facta?

In primis autem ad ſollicitudinem religionemque iudicantium pertinet, non temere credere confeſſioni, metu tormentorum, vel ipſis etiam tormentis expreſſae. Quotuſquiſque enim tanta eſt animi conſtantia, vt non vel parricidium fateri, quam exquiſitiſſimos illos cruciatus, cum ſempiterna ignominia coniunctos, perferre malit? Obſeruauit equidem VLPIANVS (c), *pleroſque patientia duritiaue tormentorum ita tormenta contemnere, vt exprimi eis veritas nullo modo poſſit:* ſed idem tamen obſeruat, *alios tanta eſſe impatientia, vt in quouis mentiri, quam pati tormenta velint, atque ita fieri, vt etiam vario modo fateantur, vt non tantum* SE, *verum etiam alios* CRIMINENTVR. (Ita enim legendum eſſe, pro *comminentur*, res ipſa docet.) Si ergo nihil eſt aliud, quod reum conuincit, praeter voculas quaſdam, quas magnitudo doloris carnificiſque expreſſerit crudelitas: quis eum duci iuberet, niſi Buſiris quidam, qui non maiorem aliunde, quam ex reorum ſordibus, voluptatem capit? *Fragilis* ergo *res eſt quaeſtio, & periculoſa, & quae facile veritatem fallat*, idem inquit VLPIANVS, eique exempla innumera ſuffragantur. Non iam repetemus ea, quae vulgo ex VALERIO MAXIMO (d) & LVCIANO (e) proferunt. Neque conſilium eſt PARIDIS DE PVTEO (f), vel IVSTI OLDEKOPII (g), expilare ſcrinia, quorum poſterior plures huius generis caſus valde tragicos ex inſtituto collegit. Vnum adferemus triſte ſatis, ex IO. ANT. DOELFFERO (h), ex quo, quam anceps ſit tormentorum effectus, luculentiſſime adparet. Miles gregarius, Henricus Schroeder,

(b) Farinac. *ibid. n.*280. *p.*43. Carpz. *Prax. Crim.* *Part.* III. *quaeſt.* CXLIX. *n.* 13. *p.* 341. Ant. Gomez. *Var. Reſol.* *Tom.* III. *cap.* XII. §. 6. *p.* 491.

(c) L. 1. §. 23. *ff. de quaeſt.*

(d) Valer. Max. *lib.* VIII. *cap.* IV.

(e) Lucian. *in* Ψευδομάντ.

(f) Paris de Puteo *de Syndic. vocab. confeſſio, verſ. quoniam. n.* 8. *p.* 277.

(g) Iuſt. Oldekop. *in Adpend. Obſeruat. Criminal. p.* 356.

(h) Doelffer. *Proceſſ. iur. militar. cap.* XXV. *p.* 143.

Digitized by

der, centurionis ſui arca interdiu effracta, praeter ſupellectilem argenteam ducentos ſeptuaginta quatuor imperiales furtim abſtulerat. Indiciis quam plurimis proditus, & fere conuictus, crimen mira pertinacia inficiabatur. At nouo tormenti genere, quod inſtrumentum Meklenburgicum adpellitant, conſtrictus, fatebatur, ſe ſupellectilem illam pecuniamque ſuffuratum: at non niſi ſummam centum & decem imperialium indicabat. Iterum conſtrictus, nihil vltra fatebatur: quum contra inſequente die extra quaeſtiones vltro adfirmaret, ſe ſubtraxiſſe ducentos viginti imperiales, quorum dimidia pars ſocio criminis & arcae effractori, Dauidi Stillio, ceſſerit. Re vero explorata accuratius, adparuit, Stillium iſtum multo ante, quam furtum iſtud eſſet admiſſum, cohortem deſeruiſſe. Mendacii igitur conuictus reus, denuo vltro fatebatur, ſe ſolum furtum patraſſe, nec plus tamen abſtuliſſe centum & decem imperialibus, quamuis centurio ſibi ſaltim CCLXIV. deeſſe, praeſtito iureiurando confirmaſſet. Reus tormenta ſibi imminere proſpiciens, totam ſe ſummam abſtuliſſe, iterum fatebatur, at cxxx. imperiales ſe Guelpherbyti ludendo perdidiſſe, vice plus ſimplici adfirmabat, quod tamen, re explorata, aeque falſum adparuit, ac illud de Stillio commentum. Interim ſe ipſe multo maioris criminis ſuſpectum reddiderat, conqueſtus quippe in iudicio, ſibi caedem cuiuſdam anus, Luneburgi domi ſuae miſere obtruncatae, vulgo, at iniuria, imputari, quum tamen eo die, quo latrocinium iſtud admiſſum ſit, prope carcerem publicum in excubiis ſteterit. Poſterius hoc falſum repertum ſuſpicionem auxit. Tormentis itaque ſubiectus ſemel iterumque, iis non magis flectebatur,

Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

Tertium excruciatus, (torturae enim actum iudices praeter morem diuiſerant,) fatebatur non ſolum plura furta, quae fecerit, ſed & totam quantitatem furti vltimi, addebatque, cxxx. imperiales, quos ſe ludo perdidiſſe dixerit, apud fratrem, Georgium, depoſitos eſſe. Praeterea anum illam ſe occidiſſe adſeuerabat, perpetrataque caede, abſtuliſſe xx. imperiales & duos aureos. Quin atrocis huius facinoris circumſtantias omnes tam accurate narrabat, vt de veritate confeſſionis nemo dubitaret, maxime quum ampliſſimam illam tot criminum confeſſionem reus paullo poſt extra locum torturae aliquoties ratam haberet. At re rurſus explorata, falſum adparebat depoſitum, reuſque de eo mendacio admonitus, totam illam confeſſionem tot extortam fidiculis, ſemel ſimulque reuocabat, interſerens cauſſam: *Er habe viel gelogen,*

dabey aber gedacht, ſeiner Marter dadurch abzuhelffen. Denuo ergo raptus in equuleum, in nouam ſe formam componebat ille Vertumnus, & initio quidem daemonem ſibi adparuiſſe, ſeque illi colludentem pecuniam furtiuam perdidiſſe, fingebat, deinde ſe caedis auctorem modo negabat, modo fatebatur: paullo poſt iterum e machina aderat daemon iſte colluſor, ſed eadem celeritate euaneſcebat, tortuſque, ſe pecuniam modo in cella quadam ſubterranea defodiſſe, modo domi ſub tecto occultaſſe, modo in horto ſub lapidum ſtrue depoſuiſſe, mentiebatur, & quouis momento nouas fingebat circumſtantias, quarum ne vna quidem vera reperiebatur. Attamen tunc ita diſcedebatur, vt reus furtum fateretur, partemque pecuniae, quae deſiderabatur, (centum enim imperiales iam pridem domi eius inuenerant,) penes vxoris fratrem Neoſtadii ad Rubenbergam reperiri, adſeueraret, eamque confeſſionem extra locum torturae ratam haberet. Vacillabat tamen paullo poſt homo, quum depoſiti iſtius Neoſtadienſis falſitas pelluceret, ac poſtremo omnia, praeter furta, reuocans in crucem ibat. Quam falſa fuerint, quaecumque de caede confeſſus fuerat toties, tum demum adparuit, quum ſcriniarius quidam, de illo crimine conuictus confeſſuſque, crurifragio plecteretur. Eat iam aliquis, perfricet frontem, & torturam fragile ac periculoſum remedium eſſe neget. Miſer iſte toties excruciatus eo adigi nulla tormentorum vi potuit, vt partem pecuniae furtiuae, vxoris & liberorum vſibus alicubi ſepoſitam, indicaret: at idem tamen facile dolore ſubigebatur, vt de latrocinio, ipſoque commercio cum daemone falſa in ſe confingeret, ſatius procul dubio exiſtimans, ſemel cadere, quam diu pendere. Nimirum, vti eleganter ait CICERO (i), *tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiuſque tum animi, tum corporis, regit quaeſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, vt in tot rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur.*

§. XXXV.

Quando extorta confeſſio rata ſit?

Vnde facile patet, quid pro religione ſua his caſibus facturus ſit iudex. Primo enim operam dabit, ne tormenta dirasue quaeſtiones decernat, niſi delictum ſit atrox, quod puniri reip. quam maxime interſit (k), tamque vrgentibus indiciis oneratus ac veluti oppreſſus ſit reus, vt ſola confeſſio deeſſe videatur (l). Et quamuis

(i) Cic. *pro P. Sulla Cap.* XXVIII.

(k) L. 8. *ff. de quaeſt.*

(l) L. 1. §. 1. *ff. l.* 8. §. 1. C. *de quaeſtion.*

Digitized by Google

quamuis hac in re plerique iudices rem arbitrio collegiorum iuridicorum ſubmittere teneantur, adeoque, decreta ab his tortura, illis non niſi in obſequio gloria aliqua relicta videatur: ad eorum tamen religionem pertinebit, ſi de aequitate ſententiae dubitent, reuſque ipſe iniuriam ſibi fieri, veroſimili quadam ratione oſtendat, huic nouam defenſionem indulgere, actaque ad aliud collegium iuridicum tranſmittere. Deinde vbi res ad tormenta venit, non tanta adhiberi patietur, quanta accuſator aut ipſe carnifex poſtulat, ſed quanta ipſa ſententia adhiberi iubet (m). Meminerit enim, non credi confeſſioni illegitimis tormentis expreſſae, ſi vel maxime reus in illa confeſſione perſeuerarit. Tum porro cauebit pro religione ſua iudex, vt ſi confiteatur reus, eum tantiſper cruciatu eximi iubeat, eumque interroget de facti circumſtantiis, ita tamen vt ne quidquam ſuggerat, nec minis vel vanis promiſſis narrantem turbet. Praeterea ſi vel maxime reum veroſimilia animaduertit narraſſe, nihilominus tamen diligenter exploret, an circumſtantiis facti omnibus conueniat illa confeſſio. Recte enim AMBROSINVS (n): *Licet millies eſſent ratificatae confeſſiones, ſemper tamen verificandae ſunt cum omnibus ſuis circumſtantiis, & ita obſeruant pii adſeſſores & Deum timentes.* Vidimus ſupra, quid eam in rem articulo LIV. praecipiat NEMESIS CAROLINA. Eadem & alibi (o) prudenter monet: *So auf erfundene redliche Anzeigung, einer Miſſethat halber peinliche Frage fürgenommen, auch auf Bekäntniſs des Gefragten &c. fleiſſige mögliche Erkundigung und Nachfrage geſchicht, und in derſelben benannter That halber ſolche Warheit befunden vvürde, die kein Vnſchuldiger alſo ſagen und vviſſen könne: alsdann iſt derſelben Bekäntniſs unzvveislicher beſtändiger Weiſe zu glauben, und nach Geſtalt der Sache peinliche Straffe darauf zu urtheilen.* Nec omiſit id potentiſſimus REX PRVSSIAE (p), quippe qui diſerte ſanxit: *Wann der Gefangene bey ſeinem in der Tortur gethanen Bekäntniſs beſtändig verbleibet, lieget dem Richter ob, damit man erfahre, ob der Gefangene die Warheit geſagt, oder ob er aus Hefftigkeit der Schmertzen, aus Verzvveiſſelung, oder Eckel des Lebens, ſein Bekäntniſs gethan, nach allen Vmſtänden, ſo der Gefangene ausgeſagt, genau ſich zu erkundigen, ob dieſelbe in der*

(m) L. 10. §. 3. *ff. eod. Conſt. Crim. art. XX. & ibi* Ludouici *in Comm. p.* 30. Zanger. *de Quaeſtion. ſeu tortur. cap.* II. *n.* 9. Carpz. *Prax. Crim. Part.* III. *quaeſt. CXXIII. n.* 8. *&* 12.

(n) Ambroſin. *lib. IV. cap. V. n.* 10.

(o) *Conſt. Crim. art. LX.*

(p) *Königl. Preuſſ. Criminal-Ordn. cap.* IX. §. *XXV. p.* 73.

der That ſich alſo verhalten, oder nicht. Denique & id ad religionem iudicantium pertinet, vt reum, exactis aliquot diebus, extra locum torturae denuo interrogent, an ratam habeat confeſſionem, in eaque per omnia perſiſtat (q)? Qua in re in primis cauendum, ne verbis durioribus vtantur aut nouarum quaeſtionum comminatione reum terreant. Multo minus carnifici, qui membra luxata per aliquot dies vnguentis fomentiſque curare ſolet, id indulgendum. In promtu enim eſt exemplum anus, quae, quum torta conſtanter inficiata eſſet crimen, poſteaque carnifex curationis cauſſa eam in carcere inuiſens dixiſſet: *du altes Luder, morgen ſolt du beſſer daran*, inſequente nocte metu nouorum cruciatuum gulam ſibi conſtrinxit. Quanto facilius reos recentis doloris memoria ac metus nouorum cruciatuum eo adiget, vt confeſſiones etiam falſiſſimas ratas habeant, ſi iudicis truculenti minae acceſſerint?

§. XXXVI.

Confeſſio criminis 2. debet ex certa ſcientia proficiſci.

Haec de primo requiſito. Quod ad alterum attinet, in eo, qui ſe ſua confeſſione onerare velit, certam facti ſcientiam requiri, nemo facile dubitauerit. Qua fronte enim aliquid factum eſſe adſeueret, qui rei ignarus eſt? Et quid aliud eſt confeſſio, ſcientia deſtituta, quam aut mendacium, aut inſanientis oratio? Hinc facile intelligitur, nullius momenti fore confeſſionem facinoris, cuius circumſtantias indicare reus non poteſt, veluti ſi fateatur, ſe iugulaſſe Titium, nec dicere tamen poſſit, vbi, quoue tempore, quo denique telo id factum ſit. Recte itaque TERTVLLIANVS (r) laudat iudicum Romanorum religionem, quod nudae confeſſioni numquam crediderint, ſed περιστάσεις omnes accurate explorarint. *Soletis*, inquit, *& inaccuſatos, & indefenſos non temere damnare: ſed verbi gratia, ſi de homicidio confitetur*, (ita enim reſcripſerim ego pro *ſi de homicidio confutatur*, quae in GOTHOFREDIANA & RIGALTIANA editionibus leguntur,) *non ſtatim, confeſſo eo nomen homicidae, diſpuncta cauſſa eſt, aut ſatiata cognitio. Quamquam confeſſis, difficile creditis: verum inſuper conſequentia exigitis, quoties caedem egerit? quibus telis? quibus in locis? quibus ſpoliis, ſociis, receptoribus? ne quid omnino mali hominis deliteſcat, aut deſit aliquid inſtruendae ad ſententiam veritati.* Quae quaeſtiones omnes ad id erant comparatae, vt intelligeret iudex, an reus facinus, de

(q) *Conſt. Crim. Art.* LVI.

(r) Tertullian. *ad Nation. lib.* I. *cap.* II.

Digitized by Google

de quo confiteretur, ſatis perſpectum haberet, & vtrum comperta narraret, an in ſe turpiter mentiretur homo deſperatus, ipſiusque vitae pertaeſus?

§. XXXVII.

Quid ſentiendum de confeſſione furioſi & ebrii.

Ex eodem conſequitur, non eſſe credendum confeſſioni furioſi, vel mente capti, quamuis occulta ſit hominis inſania, & latitare videatur ſub ſpecie inumbratae quietis. Furioſus enim omni intellectu caret (s), & hinc mortuo aequiparatur (t), nec quidquam agere intelligitur, ſed per omnia & in omnibus abſentis vel quieſcentis loco habetur (u). Quare confeſſio ei nocere non magis poteſt, quam ſi quis, ſopore oppreſſus, fateretur, ſe parentes occidiſſe (x). Idem de ebrii confeſſione ſentiunt RIPA (y), FARINACIVS (z), & LAVTERBACHIVS (a). Quamuis enim alioquin nullo magis tempore ad ſimplices cogitationes pateat animus, quam vbi vinum ſecreta pectoris aperit (b), vereque cecinerit vel CALLIMACHVS (c), vel ERATOSTHENES (d):

- - - *Οἶνος τὰ κεκρυμμένα φαίνει*
Βύσσοθεν
- - - *Secreta latentia mente*
Recludit vinum,

tamen, vbi quis ſe inuitauit largius, temulentiaque mentem veluti a ſede ſua deturbauit, vere homo, quid loquatur, quidue ſibi velit, ignorat. Quemadmodum itaque recte obſeruat PVFENDORFFIVS (e), *pro vero ac deliberato conſenſu haberi non poſſe, ſi quis vel maxime momentaneo & inconſulto impetu in aliquid inclinet, aut ſigna quaedam edat, conſenſum exprimentia, eo tempore, quando mens veluti medicamine quodam loco mota fuerit:* ita hoc iuſtiſſimam rationem habet, ſi quis ſumme ebrius in ſe faſſus ſit crimen, quod poſtea, diſcuſſa crapula, a ſe admiſſum eſſe conſtanter negat. Nec diffitemur, concurrente circumſtantiarum veritate, & corpore delicti exſtante, indicium haud mediocre praebere poſſe etiam

(s) L. 14. *pr. ff. de offic. praeſ.*
(t) L. 14. *ff. locat. l.* 24. §. 1. *ff. rem. rat. hab.*
(u) L. 2. §. 3. *ff. de iure codicill.*
(x) Farinac. *Part.* III. *Quaeſt. XCIV. n.* 31.
(y) Ripa *ad* L. *fin.* C. *de reuoc. donat. n.* 78.
(z) Farinac. *l. c. Quaeſt. XCIII. n.* 17.
(a) Lauterb. *Diſſ. de confeſſ. Part.* I. §. *VIII.*
(b) Tacit. *de Morib. Germ. cap.* XXII.
(c) *Apud* Athenaeum *Deipnoſoph. lib.* II.
(d) *Apud* Stobaeum *Serm.* XVIII.
(e) Pufendorff. *Iur. Nat. & Gent. lib.* III. *cap.* VI. §. 4.

etiam temulenti confeſſionem: veluti ſi ille fateatur, ſe hoſpitem domi ſuae occidiſſe, & cadauer ibi ſepultum vere reperiatur. Tunc enim res ipſa docet, veriſſimum eſſe, quod vulgo iactatur, prouerbium: *Trunckner Mund redet aus Hertzens-Grund.*

§. XXXVIII.

Itemque impuberis, minorennis, ignorantis, errantis?

Quaeri poſſet, an & impubertas, minorennitas, error atque ignorantia in cauſſis capitalibus id operentur, vt vel nulla habeatur confeſſio, vel aduerſus illam detur reſtitutio in integrum? Et impuberes quidem, quum in cauſſis pecuniariis ſe ſua confeſſione onerare nequeant, vti ſupra obſeruatum eſt, multo minus ſeſe onerabunt in cauſſis criminalibus, eatenus nimirum, vt ideo ad poenam ordinariam perueniri poſſit. Aut enim infans eſt eiuſmodi reus, aut infantia maior. Priore caſu fere virgis caeditur: vt cautius mercari diſcat. Poſteriore extra ordinem punitur, niſi vel parum a pubertate abſit, malitiaque aetatem ſuppleat, vel delictum tam ſit atrox, vt, exemplum fieri, interſit reip. (f) Minori delinquenti non ſubueniunt iura, ac ne quidem reſtitutionem in integrum indulgent, eatenus, vt aduerſus confeſſionem ſuam reſtituatur (g), ceu ſupra (§. XXVII.) iam oſtendimus. Poteſt quidem aduerſus inficiationem reſtitui, ſi forte poena inficiando creſcit (h): poteſt etiam reſtitui aduerſus delicta, *quae non ex animo, ſed extra* (vel, vti CVIACIVS (hh) legit, *ex contractu*, quemadmodum & in BASILICIS eſt, ὃ μὴ ἀπὸ ψυχῆς πονηρᾶς, ἀλλ' ἀπὸ συναλλάγματος ἔρχεται, vt contractus vel συνάλλαγμα idem ſit ac factum, vti in *L. 52. ff de re iudic.*, *veniunt* (i), id eſt, quae ex ignorantia iuris, non quidem diuini illius, quod natura inter omnes homines conſtituit, ſed a ciuitate conſtituti, proficiſcuntur, v. c. ſi mater minor neglexerit liberis tutores petere (k), vel ſi minor, contracto matrimonio, inceſtum iuris ciuilis commiſerit (l). In reliquis criminibus, quae ipſi iuri naturali aduerſantur, vel ideo iure denegatur reſtitutio minoribus, quia illa non ex errore, ſed ἐκ προαιρέσεως vel ex culpa inexcuſabili proficiſcuntur, & minoribus ſatis iudicii eſt, vt ſciant, eiuſmodi facta committi non debere. Et hinc reo minori reſtitutionem aduerſus confeſſionem ſtupri denegatam eſſe, teſtatur illuſtris COCCEIVS (m).

Ex

(f) *Conſt. Crim. Art. CLXIV.* Carpzou. *Prax. Crim. Part.* III. *Quaeſt.* *CXLIII.*

(g) L. 37. *in fin. ff. de minor.*

(h) L. 9. §. 2. *ff. eod.*

(hh) Cuiac. *Paratit. Cod. ſi adu. delict.*

(i) L. 1. C. *ſi adu. delict.*

(k) L. 2. *C. eod.*

(l) L. 38. §. 1. 2. *ff. ad* L. *Iul. de adult.*

(m) Coccei. *Iur. Controu. lib.* XLII. *tit.* II. *Quaeſt.* III. *p.* 481.

Digitized by Google

Ex quibus ſimul patet, quid de errore & ignorantia, quam aliqui criminibus ſuis praetendunt, ſentiendum ſit. Vix enim veroſimile eſt, quemquam circa factum proprium ita errare ac decipi poſſe, vt falſo dicat factum, quod factum non eſt, e. g. vt ſe fateatur intuliſſe ſtuprum, quod numquam intulerit. At fieri tamen poſſet, vt conſcientia erronea homini timido & temperamenti triſtioris confeſſionem extorqueat, e. g. vt hominem in turba ac tenebris occiſum aliquis ſuo ictu periiſſe autumet, quem alius interemit. Tunc ſane ſi error fieret manifeſtus, verbi cauſſa, ſi vulnus ferro triangulari inflictum adpareret, & reum, qui ſe caedis auctorem faſſus eſt, gladio quadrangulari vel plane acinace vſum eſſe conſtaret, dubium non eſſet, quin aduerſus confeſſionem ſuam reſtituendus videretur reus, opinione ſua deceptus (n).

§. XXXIX.

Confeſſio 3. certis ac indubiis ſignis fieri debet. An nutus ſufficiat?

Ad tertium confeſſionis requiſitum quod attinet, etiam in cauſſis criminalibus ſignis certis opus eſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Quin tanto certiora hic ſigna eſſe oportet, quibus reus animi ſui ſententiam exponit, quanto magis in cauſſis tam arduis intereſt reip. iudicem de ſententia rei certiſſimum eſſe. Hinc quamuis ſupra (§. XXVIII.) obſeruatum ſit, nutu etiam confiteri poſſe reum in cauſſis pecuniariis: eum tamen non ſufficere arbitramur in criminalibus, ſi reus vel ſermone, vel ſcriptura, ſenſa animi explicare valeat, partim quod iudex, vti ſupra oſtendimus, omnes facti circumſtantias intelligere debet, quod, annuente tantum reo, vix videtur ſperandum, partim, quod reus paullo aſtutior dein facile dicere poſſet, ſe animo confitendi annuiſſe, iudicemque nutum illum in aliam plane partem interpretatum eſſe, ac ille eum accipi voluerit. Tantum ergo abeſt, vt nutus alicui fraudi futurus ſit, vt, ſi pertinaci ſilentio reus vtatur, interrogantique iudici nihil reſpondeat, vel, quod aliquando fieri ſolet, ſurdum mutumue ſe ſimulet, in promtu ſit remedium torturae, *das Anlegen der Daumen-und Bein-Schrauben und der Schnüren*, quo aliquando & pertinaciam vinci, & linguae vſum nebulonibus reddi poſſe, experientia docuit (o).

§. XL.

Qualis confeſſio ſurdi & muti?

Quid vero ſi reus vere ſurdus ac mutus ſit, eoque vitio ab ipſis incunabulis laborarit? Eſt ea miſerorum illorum hominum conditio,

(n) Brunnem. *Proceſſ. Inquiſ. cap. IV. n.* 31. *n.* 56. Ludouici *Einleit. zum Criminal-Proceſſ. cap. V.* §. 10. *ſequ.*

(o) Carpzou. *ibid. Quaeſt. CXIV.*

ditio, vt ſi ſanae mentis ſint, reliquis ſenſibus varias ideas rerum ſingularium adquirere, ex iiſque varia formare iudicia poſſint. Hinc nec dubitare licet, quin iudicia illa qualibuſcumque ſignis poſſint exprimere, & talibus quidem, quae ii ſaltim accurate intelligant, qui illis ab aliquo tempore adſueti ſunt. Quod ſane nemo mirabitur, qui & canes, aliaque ſagaciora animalia impreſſiones atque adpetitiones ſuas ſignis quibuſdam prodere, quin & facta ſua quodammodo fateri poſſe, obſeruauit. Ita canes, toties excepti verberibus, quoties cibaria furtim abſtulerunt, proni ac latebras petentes ipſi ſe reos peragunt, quotieſcumque fame adacti furtum huiuſmodi de nouo fecerunt. Quidni idem faciant ſurdi & muti, modo cum furore atque inſania coniuncta non ſint iſta vitia (p)? Triſti exemplo id ante triennium compertum fuit in ducatu Magdeburgico, quod, quum eo tempore omnium in ore eſſet, digniſſimum viſum eſt iuriſconſulto celeberrimo, IO. PAVLLO KRESSIO (q), quod ſingulari ſchediaſmate illuſtraret. Repertum fuerat in via publica, qua Ratenouiam itur, cadauer mulieris, nudum, ac miſerrime dilaniatum. Caput enim, trunco abſciſſum, ex arbore pendebat. Abdomen totum ad partes vſque verendas hiabat, oſtendebatque ſtomachum diſſectum, & inteſtina non ſine vi quadam mirum in modum implicata: in oculis, capite, tergo, & reliquo corpore vulnera quadraginta duo numerabantur, denique brachium alterum ab humeris tantum non totum auulſum adparebat, vt ex foedo ſpectaculo, quanta latronis fuerit truculentia, facile poſſet iudicari. Viuebat in eodem tractu Chriſtophorus Eggert, viginti ſeptem annorum iuuenis, cui iam inde a prima infantia cicutae eſus omnem aurium vſum adeoque & loquendi facultatem abſtulerat. In eum vnum omnia criminis argumenta conueniebant. Conſtabat, hominem, eo die Ratenouia domum euntem, neceſſario obuiam habere debuiſſe mulierem, eadem via Ratenouiam ituram. Conſtabat, eumdem in caupona quadam oſtentaſſe quaedam ſpolia, miſerae illi detracta, quin & cultrum apud eum viſum, cruore infectum. Praeterea, viſis adparitoribus, in fugam ſe coniecerat, timore adeo ei addente alas, vt incitato equo eſſet ſiſtendus. Denique apud eum reperiebantur veſtes occiſae mulieris, & in caligis ſanguinis veſtigia, quae ipſe, callido ſatis conſilio, illito luto delere conatus fuerat. Interrogando reo, tot

(p) Rutg. Ruland. *de Commiſſar. Part. II. cap. XVI. n.* 5.

[q] Io. Paulli Kreſſi *Kurtze iuriſtiſche Betrachtung von dem Rechte der Taub-Stummen. Helmſt. MDCCXXX. in* 4to.

tot oppreſſo indiciis, adhibiti RVDELIVS, Conſul Arneburgenſis, & ZERNIVS, vir ſenatorius, vterque ſignorum, quibus ſurdi & muti vtuntur, quibuſque cum ipſis agendum eſt, peritiſſimus. Id enim faciendum eſſe, recte monuerant BLAS. MICHALORIVS (r) & IO. BRVNNEMANNVS (s). Initio reus rem omnem inficiari, culpamque coniicere in neſcio quem virum robuſtum, barbatum, flauaque veſtitum tunica: qui, iugulata muliere, ſpolia illa ſibi dono dederit. Paullo poſt a Zernio ſolo interrogatus, mulierem a ſe occiſam fateri, monere tamen Quaeſitorem, ne Rudelium iſtius arcani redderet participem. Denique ab vtroque iterum iterumque interrogatus, totam tragoediam variis geſtibus tam luculenter ſpectandam exhibuit, vt de veritate confeſſionis nemo dubitaret. Operae pretium fuerit, vel vnico ſpecimine oſtendere, quibus ſignis animi conſcientiam nudarit, idque verbis KRESSII (t): *Ins beſondere gab er wegen des Geldes und der Corallen nachfolgende Erleuterung. Er nahm von den gegenwertigen Röcken der Vmbgebrachten den rothen, und wieſſe, daſs er daraus die da liegenden Corallen; hernach den Schwartzen, und deutete, daſs er aus ſelbigem das Geld gezogen hätte. Wobey er zugleich unter dem Gelde, ſo ſich gegen* 1. *Rthl.* 20. *Gr. belief, eine Separation vornahm*, 1. *Rthl.* 14. *Gr. abſonderlich hinlegte*, 10. *Sechſer aber behielt, einen Brief von dem Tiſche in die Hände nahm, und in der Stube auf und abgieng, wodurch er nach der Examinatoren Auslegung, daſs er ſolche mit Bothſchafft-Lauffen, als das ſeinige, verdienet, das übrige aber der Hirtin zugehöret hätte, dem Gericht demonſtriren wollen.* Ceterum vt eo certius de rei ſententia conſtaret, quaeſitores eam iterum ac tertium, variis adhibitis ſignis, explorarunt, ſemperque eodem modo rem a ſurdo illo ac muto repraeſentari, deprehenderunt.

§. XLI.

Iam ſunt equidem, qui, confeſſionem a tam miſero homine edi poſſe, negant. Saltim ex ea condemnari non poſſe ſurdum & mutum, ſed praeterea *atteſtatione & adprobatione teſtium opus eſſe*, exiſtimant ANT. GOMEZ (u), PROSP. FARINACIVS (x), PETRVS THEODORICVS (y), CARPZOVIVS (z), FINKELTHVSIVS (a), IOS. MASCAR- *An ea efficax eſſe poſſit?*

[r] Michalor. *de Coec. ſurd. & mut. cap. XL. n.* 3.

[s] Brunnem. *Proceſſ. Inquiſ. cap.* VIII. *membr.* I. *n.* 95.

[t] Kreſſ. *ibid. cap.* I. §. VII. *p.* 6.

[u] Ant. Gomez. *Var. Reſol. Tom.* III. *cap.* I. *n.* 69. *p.* 406. *ſequ.*

[x] Farinac. *Quaeſt. XCVIII. n.* 159. *Opp. Crim.*

[y] Theodoric. *Colleg. Crimin. Diſp.* X. *theſ. IV. lit. H.*

[z] Carpz. *Prax. Crim. Part.* III. *Quaeſt. CXLVII. n.* 12. *ſequ.*

[a] Finkelth. *Obſ. XLV. n. XXV.*

MASCARDVS (b), & SAM. STRYKIVS (c): idque ex ea ratione; quod ſemper incertum atque ambiguum ſit, an ſurdi mutique ſententiam recte intellexerint Quaeſitores. Sed, ſi dicendum, quod res eſt, quaeſtiones diuerſiſſimas miſcent Doctores quam plurimi, veluti, an ratione polleant eiuſmodi homines? an ſignis confiteri poſſint? & an eorum confeſſio ita ſit comparata, vt ideo damnari queant? Non omni intelligendi facultate ſemper carere ſurdos & mutos, facile largimur. Poteſt enim omnino rerum in ſenſus incurrentium ideas animo concipere, easdem inter ſe comparare, componere, diſcernere, adeoque & de iiſdem iudicare & ratiocinari, idque ſaepe tam praeclare, vt aliquando animi ſenſa ſcriptura expreſſiſſe (d), libros legiſſe, rationes acceptorum expenſorumque confeciſſe, alea luſiſſe (e), ſermones aliorum e motu labiorum percepiſſe (f), quin & verba proferre didiciſſe (g) & opificia promte exercuiſſe (h) dicantur. Enimuero an & ideas abſtrahendo formare, & in primis rerum moralium intelligentiam quandam ſibi adquirere poſſint, merito dubites, quum, niſi ideas rerum moralium innatas ſtatuere velis, vix excogitari poſſit via, qua ad eam notitiam peruenire poſſint. Deinde, quod ad alteram quaeſtionem attinet, ne id quidem negauerimus, ſurdos & mutos ſenſa animi dextre ſatis ſignis exprimere (i), adeoque & fateri poſſe, & quidem tam perſpicue, vt cognati & familiares liquido iuraturi ſint, ſe omnia aeque accurate intellexiſſe, ac ſi audiſſent loquentes, quemadmodum & in ſpecie paullo ante enarrata Quaeſitores huiuſmodi iusiurandum praeſtiterunt ſanctiſſimum. Enimuero quum in moralibus, & criminalibus potiſſimum, vel vna circumſtantia rem totam alteret: confeſſo ſurdo & muto, ſemper dubium erit, an omnes circumſtantias vel recte expreſſerit reus, vel quaeſitores eum ſatis intellexerint, an hi cauſſam, occaſionem, finem facinoris omnino perceperint, an & argumenta, quibus reus ſe tueri poſſet, ex ſignis colligere potuerint. Id ſane pro certo adfirmare neminem temere auſurum, arbitramur. Denique quod ad praecipuam quaeſtionem attinet, nos quidem ſur-

[b] Maſcard. *de Probat. Volum.* III. *concl. MCCXXX. n.* 30. *ſequ.*

[c] Stryk. *de Iur. Senſ. Diſſ. IV. cap. V.* §. 20. *ſequ.*

[d] Sennert. *Paralip. Inſt. Medic. cap.* XVI. *extr.*

[e] Camerar. *Hor. ſubceſiu. Cent.* I. *cap.* XXXVII.

[f] Caſp. Schott. *Phyſic. Curioſ. lib. III. cap.* XXXIII §. 3.

[g] Tenzel. *Monathl. Unterred. anni* MDCXCIII. *p.* 37. *ſequ.*

[h] Richter. *ad L. Diſcretis C. qui teſt. fac. poſſ.* Stryk. *de Iure Senſ. Diſſ. IV. cap.* II. §. 46. *ſequ.*

(i) *Cap.* 23. *X. de ſponſal.*

ſurdum & mutum capitis damnare rem exiſtimamus pleniſſimam periculi. Primo enim ille confitetur ſignis: & quamuis illa incurrant in oculos, propoſitiones tamen, quae inde eliciuntur, ſola εὐστοχίᾳ & diuinatione quadam nituntur, adeoque non probationi, ſed praeſumtioni aequiparari poſſunt (k). Atqui ex coniecturis damnari quemquam vetat NEMESIS CAROLINA (l), dum ſancit: *Es ſolle niemand auf einigerley Anzeigung, Argvvohn, Wahrzeichen oder Verdacht, endlich zu peinlicher Straffe verurtheilet vverden.* Deinde quamuis alioquin eiuſmodi coniecturae ad diras quaeſtiones ſufficere iudicentur: his tamen ſine effectu ſubiiceretur ſurdus & mutus, ſigna quippe non niſi nouis ſignis, id eſt, obſcurum nouo obſcuro, explicaturus, quin fortaſſis ne intellecturus quidem, quem in finem torqueatur. Denique vt intelligendi quadam facultate polleat: (quemadmodum Eggertus operam perferendis litteris locare, piſces venales habere, pecuniam diſcernere, ſinguloſque numos ſuo aeſtimare pretio, vſu didicerat,) non tamen inde illico ſequitur, vt & rerum moralium ideas animo circumferat. Eggertus, quamtumuis ceteroquin aſtutus, multis ſignis oſtendebat, ſe nefarium, quod patrauerat, facinus non adeo magni facere, quin quaeſtionem de crimine tam operoſam mirari, poſtquam cadauer terrae mandatum eſſet. Quae quum ita ſint, ſurdos & mutos capitis damnari poſſe, recte negant iuriſconſulti (m). Nec tamen iiſdem adſentiendum putamus, poenam extraordinariam decernentibus (mm). Poena enim ſiue ordinaria, ſiue extraordinaria, decerni non debet niſi in gnaros, ſe aduerſus leges peccaſſe: quales eſſe ſurdos & mutos, nemo, vti dixi, pro certo adfirmarit. Caſtigandi tamen ſunt, vt intelligant, ſe male egiſſe, & vel doloris reminiſcentia admoneantur, ſibi in poſterum ab eiuſmodi delictis eſſe abſtinendum. Idque etiam ob oculos fuit ordini ICtorum Helmſtadienſium ampliſſimo, dum Eggerto, loco ictus fuſtium ad numellas, ſeueriorem caſtigationem in carcere, & operas mediocres in ergaſtulo dictarunt.

§. XLII.

Quum porro & facta quaedam ita comparata ſint, vt ex iis fatendi conſilium colligi poſſe videatur: conſequens eſt, vt & ea ſignis

An ex factis confeſſio colligi poſſit?

(k) Michalor. *ibid. cap.* XLV. *n.* 8.

(l) *Conſtit. Crim. Carol. Art. XXII.*

(m) Ant. Matthaei *de Crimin. in prolegom. cap.* II. *n.* 11. *ſequ.* Berger. *Elect. Iuriſpr. Crimin. cap.* I. §. III. *n.* 6.

(mm) Carpz. *Prax. Crim. Part.* III. *Quaeſt.* CXLVII. *n.* 36. Stryk. *de Iure Senſ. Diſſ.* IV. *cap.* V. *n.* 24. *ſequ.*

ſignis accenſeri poſſint. Et in cauſſis quidem ciuilibus facta huiuſmodi plura paſſim occurrunt. Ita ex diuturna vſurarum ſolutione confeſſio debiti (n); ex repetita aliquoties praeſtatione annui legati confeſſio obligationis, heredi impoſitae (nn), colligitur. Ita & manifeſtae turpitudinis & confeſſionis eſſe dicitur, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre (o). Quod & in criminalibus locum habere poteſt, ſi reus iusiurandum purgatorium ſibi per ſententiam delatum praeſtare nolit. Similiter ſuper delicto priuato ac famoſo, veluti furto, vi bonorum raptorum, iniuriis, doloque malo, ſuo nomine pactos infamia notat Praetor (p), quoniam intelligitur confiteri crimen, qui pactus eſt (q). Cur enim datis nummis paciſceretur, qui ſibi innocenti non defuturum ſciat iuſtae defenſionis praeſidium? Atque hinc & in reliquis maleficiis non capitalibus & fiſcalibus, qui delatorem corruperunt, confeſſis aequiparantur, quamuis non ſemper notentur infamia (r). Aliud tamen dicendum de cauſſis capitalibus, *quum ignoſcendum leges cenſuerint iis, qui ſanguinem ſuum qualiter qualiter redemtum velint* (s). Quamuis vero inde Doctores vulgo colligant, tranſactionem de criminibus capitalibus, praeterquam de adulterio, licitam atque vtilem eſſe, quem errorem ſolide profligauit v. c. GER. NOODT (t), ſenſus tamen illarum legum plane alius eſt, & maxime differunt tranſactiones ſuper criminibus publicis ab iis, quae de priuatis ineuntur. Pactum enim ſuper delicto priuato ratum eſt, eatenus, vt actio, inde naſcitura, exſtinguatur (u), quia de rebus quiſque ſuis recte procul dubio tranſigit. At pactum ſuper crimine publico vel ideo irritum eſt, quod eius poena ad vtilitatem publicam pertinet, adeoque non eſt in priuatorum arbitrio poſita (x). Hinc ea tranſactione non ſiſtitur publicae diſciplinae vigor, nec impune id fert accuſator, qui ob iſtam tranſactionem vel praeuaricatus, vel tergiuerſatus eſſe dicitur (y). Attamen pro confeſſo & infami non habetur reus, qui de crimine publico pactus eſt,

&

(n) L. 6. *ff. de vſur.*

(nn) L. 1. C. *de fideicomm.*

(o) L. 38. *ff. de iureiurando.*

(p) L. 1. *l.* 4. §. 5. *ff. de his, qui not. infam.*

(q) L. 5. *ff. eod.*

(r) L. *vlt. ff. de praeuaric. l.* 4. *l.* 29. *ff. de iure fiſc.*

(s) L. 1. *ff. de bon. eor. qui ante ſent. l.* 18. C. *de tranſact.*

(t) Noodt. *in Diocl. & Maximian. cap. V. ſequ.*

(u) L. 54. §. *vlt. ff. de furt. l.* 13. C. *de furt. & ſeru. corr.*

(x) L. 7. §. 7. *&* 14. *l.* 27. §. 4. *ff. de pact.*

(y) L. 4. *ff. de praeuar. l.* 6. *ff. eod. l.* 4. §. *pen. ff. de his, qui not. infam.*

& eatenus vere ſcripſit VLPIANVS (z): *In capitalibus criminibus non nocere ei, qui aduerſarium corrupit.* Erant contra alia facta, ex quibus confeſſio inducebatur in cauſſis criminalibus. Sic bona eorum, qui metu accuſationis mortem ſibi conſciuerant, vel fugam capeſſiuerant, ſiſco addicebantur, perinde ac ſi confeſſi eſſent (a). Nam & fugiens reus damnato aequiparatur, tamquam ſui ipſius accuſator (b), ac ſua veluti ſententia ſuſpectus (c). Quod hodie procul dubio aliter ſe habet, ſiquidem ex fuga non confeſſio criminis, ſed indicium duntaxat aliquod, idque ſatis leue, naſcitur, niſi reum ante motam inquiſitionem fuga abſtulerit (d). Denique & iis, qui capitis accuſati voluntarium exilium eligebant, quod facere cuiuis licebat iure veteri (e), tamquam confeſſis de crimine aqua & igne interdicebatur (f). Quod itidem hodie locum non habet, niſi quod quibuſdam locis, veluti in Saxonia, fugitiui, criminis capitalis ſuſpecti, &, ſi crimen ſit *eine übernächtige That*, legitimis citati edictis, coram iudicio capitali (*vor einem hochnoth-peinlichen Halſs-Gericht,*) primum contumaciae accuſantur, ac deinde proſcribuntur, formula: *Daſs peinlich Angeklagter des libellirten Todſchlages halber bis auf die Acht erſtanden, vvie er denn darein billig genommen, öffentlich erklâret und verkündiget vvird, immaſſen er hiermit aus dem Frieden in den Unfrieden geſetzt, ſein Leib und Leben, vvie eines Vogels in der Lufft, iederman gemein, und ſonderlich in den Gerichten, da die Mord-That begangen, erlaubet vvird. V. R. W.* Sed tamen publica etiam per edictum proſcriptione reo non adimitur defenſionis praeſidium, ſed ad illud induciae annuae indulgentur, iiſque demum exeuntibus proſcriptio ſuperior decernitur, *daſs über die vorige zu recht erkandte und ergangene Achts-Erklârung angeklagtens Ehre, Leib und Gut als anrüchtig, recht-und friedloſs verurtheilet, und iederman an allen Orten vvider ihn peinlich zu klagen verſtattet und nachgelaſſen, und Angeklagter alſo und auf dieſe Maſſe in die Oberacht vvürcklich erklâret, ſolche Oberachts-Erklârung auch darauf durch öffentlichen Anſchlag an denen Orten, an vvelchen derſelbe zuvor durch öffentliche Edicta citiret und geladen vvorden, iederman notificet, kund und zu vviſſen gethan vvird.* De proceſſu ad id com-

(z) *d. l. 1. ff. de bon. eor. qui ante ſent.*
(a) *L. 28. §. 1. ff. de bon. libert.*
(b) *Nou.* LIII. *cap. IV. princ.*
(c) *L. 7. §. 2. ff. de ſuſpect. tut.*
(d) *Conſt. Crim. Art. XXV.* Gail. II. *Obſ. CIX. n. 6. ſequ.* Brunnem. *Proceſſ. Inquiſ. cap.* VIII. *membr. V. n. 2.*
(e) Cic. *pro A. Caecin. cap. XXXIV.*
(f) Cuiac. *Obſ. lib.* VII. *cap. XX.*

comparato ii, quorum intereſt, conſulere poterunt CARPZOVIVM (g), KEYSERVM (h), KOENIGIVM (i), LVDOVICI (k), & alios. Extra Saxoniam vero bona fugitiui adnotantur, & caueri ſolet, ne iis abſentis fuga inſtruatur, id quod non ſolum iure Romano (l), verum etiam CONSTITVTIONE CRIMINALI (m) cautum eſt, eo tamen obſeruato diſcrimine, iure Romano poſt annum, ex quo edictis citati ſe non ſtiterint, nec defenſi ſint, bona in fiſcum cogantur (n); moribus Germaniae autem iſta publicatio bonorum nuſquam, quod ſciamus, recepta ſit, ſed potius conſtitutione Carolina expreſſe prohibita, verbis (o): *Und ſollen auch die Richter und Obrigkeiten zu ihrem Nutz den Flüchtigen von ihren Gütern nichts nehmen.*

§. XLIII.

An ex ſilentio? Sollemnis etiam eaque perutilis quaeſtio eſt, an, qui tacet, confiteri videatur? Soluit hanc quaeſtionem PAVLLVS (p), ſed ita, vt Oedipum deſiderare videatur illud iuriſconſulti aenigma. Ait enim: *Qui tacet, non vtique fatetur, ſed tamen verum eſt, eum non negare.* Periculum tamen faciemus, an coniectores eſſe poſſimus oraculi. Decerptus eſt hic locus ex *libro quinquageſimo ad Edictum*, in quo de re iudicata & confeſſis egerat, ceu ex *l. 1. ff. de confeſſis* patet (q). Propoſuerat ibi PAVLLVS regulam: Confeſſum in iure pro iudicato haberi, quumque actores reos in iure de facto interrogare, idque in criminalibus etiam cauſſis fieri ſoleret, ceu ex CICERONE, SALLVSTIO, TACITO, fuſius demonſtrauit BARNAB. BRISSONIVS (r): quaeſtio incidebat, an ſilentio eludens actoris vel accuſatoris interrogationem, fateri intelligatur? Quaeſtionem hanc PAVLLVS neque adfirmare, neque negare poterat. Eſt enim, vbi in iure tacens pro fatente habetur, auctorque eſt DONATVS (s), *taciturnitatem* CONFESSIONIS *genus eſſe, praeſertim contra aduerſarii interrogationem:* itemque ASCONIVS

(g) Carpzou. *Prax. Crim.*
(h) Keyſer. *Prax. Crim. Part. II. tota.*
(i) Koenig. *in Proceſſu, capite von der Acht und Verfeſtung.*
[k] Ludouici *Einleitung zum Criminal-Proceſſ. cap.* III. §. XXV. *ſequ.*
(l) L. *fin. princ. ff. de requ. abſent. damn.*
(m) *Conſt. Crim. Art. CCVI.*
(n) *d. l. fin. ff. & l. 2. C. de requir. vel abſ. damn.*
(o) *Conſt. Crim. Carolin. Art. CCVI.*
(p) L. 142. *ff. de reg. iur.*
(q) Gothofred. *in Comment. ad Reg. iur. pag.* 596.
(r) Briſſon. *Select. Antiqu. lib.* II. *cap.* I.
(s) Donat. *ad Terent. Eunuch. Act.* III. *Scen.* II.

NIVS PAEDIANVS (t), *quum in ius ventum fuerit, dixiſſe accuſatorem: Aio te Siculos ſpoliaſſe, & , ſi reus tacuiſſet, litem ei aeſtimatam, vt victo &* CONFESSO. Eſt etiam, vbi tacens in iure neganti aequiparatur, e. g. ſi quaeſitus, an heres ſit? tacuerit (u), vel ſi interrogati a iudice cognati, adfines, liberti, an pupillum defendere velint? nihil reſpondeant (x). Haec ergo explicanti PAVLLO obiici poterat, cur tam varie? Reſpondet, id mirandum non eſſe, quia tacentis medius quidam ſtatus ſit inter fatentem & inficiantem, quemadmodum & non nolle medium quid ſit inter velle & nolle (y). Tacentem enim neque fateri proprie, neque inficiari, adeoque nihil obſtare, quo minus pro diuerſis rei circumſtantiis modo pro confeſſo, modo pro inficiante haberi poſſit (z). Enimuero tacentem in iudicio capitali pro confeſſo hodie non illico haberi, ſed pertinaciam eius alio medio, tortura nimirum, infringendam eſſe, ICtorum conſentiens ſententia eſt (a), quamquam in cauſſis minus arduis lis extra Saxoniam pro negatiue conteſtata (b), in Saxonia reus contumax pro confeſſo & conuicto haberi poſſit (c). In Saxonia inquam. Iure enim communi tantum abeſt, vt in cauſſis criminalibus in contumaciam poena decernatur, vt ne in ciuilibus quidem id admiſerint iura noſtra, ceu praeclare poſt HVG. DONELLVM (d) VLR. HVBERVS (e) obſeruauit. Quibus addimus, ne iure quidem Germ. vetere contumaces pro confeſſis habitos eſſe. LEGE enim SALICA (f), *qui ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit, & non venerit, ſi eum ſumis (eine rechtmäſſige Säumniſs oder Ehehafft) non detinuerit, ſolidorum quindecim culpabilis* iudicatur. Talemque mulctam contumacibus irrogari videmus etiam in LEGE BAIVVARIORVM (g), & LEGE RIPVARIA (h), eamque in rem multa diſſerunt SIRMONDVS (i), & STEPH. BALVZIVS (k).

(t) Aſcon. Paedian. *ad Ciceron. Act. I. in Verr. cap. II.*

(u) L. 11. §. 4. & 7. *ff. de interrog. in iur. fac.*

(x) L. 5. §. 1. *ff. quib. ex cauſſ. in poſſeſſ. eat.*

(y) *L. 3. ff. de Reg. iur.*

(z) Iac. Gothofred. *in Comment. ad Reg. iur. cap. 595. ſequ.*

(a) Carpzou. *Prax. Crimin. quaeſt. CXIV. num.* 56. Keyſer. *Prax. Crim. Part.* II. *cap. V.* §. *LXXV.*

(b) Brunnem. *Proc. Inquiſ. cap.* VIII. *membr.* I. *n.* 80. *in fin.*

(c) Ludouici *Einleit. zum Criminal-Proceſſ. cap. V. §. XI.*

(d) Donell. *lib.* XXIV. *Comment. Iur. cap.* IX.

(e) Huber. *Praelect. ad Pandect. lib.* II. *Tit.* IX. §. *III.*

(f) *Lex Salica Tit. I. Art. I.*

(g) *Lex Baiuuar. cap.* XVI. *Tit.* I. *art.* I.

(h) *Lex Ripuar. Tit. XXXIV. Art.* I. *ſequ.*

(i) Sirmond. *ad Capitular.* XXXII. *pag.* 795.

(k) Baluz. *ad Reginon. pag.* 566.

§. XLIV.

Confeſſio debet 4. fieri de re poſſibili, & circumſtantiis facti conuenire. Quid corpus delicti?

Denique quod ad poſtremum attinet confeſſionis requiſitum, in quo vel maxime occupatam eſſe oportet religionem iudicis, illud in eo poſitum eſſe diximus, vt confeſſio fiat de re, quae fieri poſſit, nec manifeſtis facti circumſtantiis refragetur. Quemadmodum enim alias fidem iis non habemus, qui, quae vel fieri non poſſunt, vel parum veroſimilia videntur, referunt: ita non magis credendum erit reis, talia de ſe ipſis mentientibus. Hinc & ea omnia, quae ſupra (§. XXIX.) de cauſſis ciuilibus diximus, hic quoque locum inueniunt vel maxime, & propterea prouide legiſlatores, Romani (l) aeque ac Germani (m), ſanxerunt, vt confeſſioni non credatur, niſi de corpore delicti liquido conſtet. Hoc enim vel praecipuum eſt, quod religionem iudicantium inſtruere debet, vt ad ſententiam capitalem peruenire poſſit. Quum vero delicta vel in facto permanente conſiſtant, veluti homicidium, incendium, effractio aedium, falſum monetarium, &c. vel in tranſeunte, veluti ſtuprum, adulterium, iniuriae verbales, &c. facile eſt ad intelligendum, in his ipſa indicia vrgentia pro corpore delicti eſſe, nec illud accuratius inueſtigari per rei naturam poſſe (n).

§. XLV.

Concluſio diſſertationis.

Enimuero id mare iam non ingrediemur, quod iam ab omnibus iuris criminalis interpretibus factum eſt. Neque iam iuuat quaeſtiones ſpeciales expendere, an credendum ſit illico ſortilegis, pacta cum daemone inita, chirographa litteris ſanguine ſuo rutilantibus exarata, choreas nocturnas in monte Bructero, amplexus diabolicos & neſcio quae immania narrantibus? an & quatenus feralis ſententia ferri poſſit in eum, qui fatetur homicidium, cuius veſtigia per rerum naturam exſtare non poſſunt, e. g. ſi cadauer in mare proiectum, a ſuibus deuoratum &c.? Quamuis enim in mundo nobis eſſent, quae de his aliiſque dici poſſent, egregia: vel ipſa tamen charta, quam iam opuſculo inſumſimus, admonet, vt calamo demum indicamus ferias, Deoque optimo maximo pro ſuffectis viribus praeſtitoque auxilio gratias, quas concipere poſſumus, maximas agamus.

(l) L. 1. §. 24. *de SC. Silan. l.* 1. §. 27. *ff. de quaeſt.*

(m) *Conſtit. Crim. Art. VI.*

(n) Carpzou. *Prax. Crimin. Quaeſt. CVIII. n.* 11. 12.

Digitized by Google

DE VLPIANI IVRISCONSVLTI HEBRAISMIS, PROGRAMMA INAVGVRALE,

vel

EXERCITATIO XIX.

DOmitium Vlpianum, *νομοθέτην*, vti a ZOSIMO Lib. I. Cap. XI. adpellatur, *ἄριστον, καὶ τὸ παρὸν εὖ διαθῆναι, καὶ τὸ μέλλον ἐυσόχως συνιδεῖν δυνατὸν*, *iuriſconſultum, praeſtantiſſimum, qui & rebus praeſentibus recte vti, & futura callide proſpicere poterat*, gente Syrophoenicem, domo Tyrium fuiſſe, inter omnes conſtare arbitror. Ipſe enim magnifice collaudans *ſplendidiſſimam in Syria Phoenice Tyriorum coloniam, nobilem regionibus, ſerie ſaeculorum antiquiſſimam, armipotentem, foederiſque, quod cum Romanis percuſſerat, tenaciſſimam*, diſerte addidit, *inde ſibi originem eſſe*, adeoque patriae ſuae memoriam ipſe ad poſteros propagauit in *L. 1. pr. ff. de cenſ.* Quamuis vero tot praeclara, quae reliquit, ingenii monimenta, vel rudera potius eorum ac parietinae, quas Triboniani induſtriae debemus, ſatis demonſtrent, eum Graecarum Latinarumque litterarum peritiſſimum, nec in praeſtantiſſimis vtriuſquè linguae ſcriptoribus hoſpitem fuiſſe, ſiquidem ipſe ex Graecis Homerum & Hippocratem; ex Latinis Ciceronem; Iunium Gracchum & Feneſtellam, ac praeterea terſiſſimae Latinitatis iuriſconſultos, Q. Mucium Scaeuolam, Ser. Sulpicium, M. Porcium Catonem, M. Iunium Brutum, P. Rutilium Rufum, C. Aquilium Gallum, C. Aulum Ofilium, Aufidium Namuſam, P. Gellium, C. Trebatium Teſtam, Alfenum Varum, Q. Antiſtium Labeo-

Labeonem ; & C. Ateium Capitonem, non dicam, legit, ſed in ſuccum ac ſanguinem conuertit: fuere tamen, quibus eius dictio non modo inficeta atque incomta, ſed & neſcio quibus barbariei ſordibus contaminata videretur. Quemadmodum enim in Liuii oratione Aſinius Pollio Patauinitatem quamdam; in Phaedri fabulis elegantiſſimis CASP. SCIOPPIVS Thraciſmum reperiſſe ſibi viſi ſunt, quas maculas non ſine ſale deterſerunt MORHOFFIVS de Patauinit. Liu. p. 159. & SCHEFFERVS in vita Phaedri editioni ſuae praemiſſa: ita non defuerunt, qui VLPIANI dictioni aliquid ſtribiliginis ex origine illa Syriaca haerere contenderent, in eoque notarent loquutiones, auribus Latinis parum familiares, & ad Hebraiſmi potius, quam Romanae eloquentiae genium, compoſitas. Quaedam huius generis, in iure noſtro paſſim obuia, primus, ni fallor, collegit vir incomparabilis, ANTONIVS AVGVSTINVS Libro IV. Emendat. Cap. VIII. addiditque p. 297. *Quod iuriſconſulti aliquid ex tam barbara lingua mutuentur, nemini mirum videri debet, qui nouit, Vlpianum ipſum ex Syria Phoenice fuiſſe; quod ipſe teſtatum reliquit, Seuerumque Imp. ex Phoeniſſa vxore Antoninum ſuſcepiſſe, cognomento Caracallam: quo interfecto Antoninus Heliogabalus, & paullo poſt Alexander, imperarunt, homines & genere & natura Phoenices. Illis temporibus maxima pars noſtrorum ICtorum fuit, quibus neceſſe erat, vt multa ex aliena lingua in vſu eſſent populi Romani.* Similium Hebraiſmorum ſaturam haut poenitendam nobis ſuffecit GILBERTVS REGIVS Enantioph. Iur. Ciu. Lib. II. Cap. XX. qui ſe hanc obſeruationem praeceptori, orientalis litteraturae peritiſſimo, ENIMVNDO BONIFIDIO, debere profitetur. Eam GILBERTI diligentiam laudans V. C. EVER. OTTO, in praefat. Tomi II. Theſauri Iur. Ciu. p. XXI. iudiciumque ſuum interponens: *Nec miror*, inquit, *quia Papinianus, Vlpianus, & Modeſtinus ſemiiudaei fuerunt.* Quid? quod ipſi IAC. GOTHOFREDO ea ſententia placuerit. Hic enim locum quemdam VLPIANI in Animaduerſ. Iur. Ciu. Cap. VIII. parum feliciter emendans, non mirum videri oportere, ait, hanc vocem vſurpatam ab Vlpiano, ICto, qui & Syro-phoenix Tyrius, & verborum nouator, ὀνοματοθήρας ſeu κενοφωνίᾳ notus, & paſſim notatus fuerit apud ATHENAEVM, Lib. III. Deipnoſ. Cap. XVIII. quamuis idem ſcriptor eximius memoriae prodiderit, eum in aliis exactorem verborum tam ſeuerum fuiſſe, vt probationem eorum illico depoſceret, hiſce fere verbis: ποῦ κεῖται; vnde & lepido admodum agnomine κειτίκειτος vel κειταιποῦκειτος vocari meruerit. Tam multis doctiſſimorum virorum ſuffragiis ſeſe tuetur haec de VLPIANO Hebraizante

zante ſententia. Et tamen multa hic cumulantur a viris eximiis, quae neſcio an non iuſtam eorum reprehenſionem incurrant, qui non tam vllius auctoritate, quam veris rationibus, mouentur. Primum enim non conſequitur, vt omnes, Tyro orti, Syrophoenices ac ſemiiudaei fuerint. Erat enim ea colonia iuris Italici ſplendidiſſima, & iam ſub Commodo Imp. αὐτόνομος, ac Phoenices metropolis, ceu ex inſigni lapide apud SCALIGERVM Canon. Iſag. p. 301. & GRVTERVM Inſcript. p. MCV. demonſtrat EZ. SPANHEMIVS in Orbe Rom. Exerc. II. Cap. XI. p. 227. Multae ergo ibi, vti in aliis coloniis ſplendidioribus, Penates ſibi conſtituiſſe poterant familiae Romanae, & in his Domitia, ex qua Vlpianus noſter prodiit. Deinde Herennium Modeſtinum Syrophoenicem aut ſemiiudaeum fuiſſe, nullo idoneo argumento conſtare arbitror. Pro Dalmata eum habet GVIL. GROTIVS de vitis iureconſ. Lib. II. Cap. XII. §. VI. ſed ſubtimide, vti par erat, ſiquidem ex *L.* 52. §. 20. *ff. de furt.* haec Modeſtini patria non felicius probatur, quam quod prouinciam illam, tamquam Praeſes, rexerit, id quod tamen ex illo fragmento collegit IO. BERTRANDVS de Iuriſperit. Lib. I. Cap. XXX. n. III. Vtcumque ſe res habeat, ſaltim de Tyria vel Syriaca Modeſtini origine altum eſt apud veteres ſcriptores ſilentium. Denique vel maxime mirari ſubit, tam diffuſae eruditionis virum, IAC. GOTHOFREDVM, Vlpianum, qui ATHENAEI ſympoſio interfuiſſe fingitur, cum Vlpiano iuriſconſulto confundere, erroremque olim a CVIACIO Lib. XXIV. Obſ. Cap. XXXIX. & IAC. LECTIO Orat. I. de Vit. Vlp. p. 54. admiſſum recoquere potuiſſe, quum ipſa temporum ratio, Vlpianos iſtos diuerſiſſimos fuiſſe, demonſtret. Ille enim apud ATHENAEVM Lib. XV. Deipnoſ. p. 677. cognitum ſibi fuiſſe ait Pancratem poetam, qui ſub Hadriano floruit. Iam quum exceſſus Hadriani incidat in annum V. C. DCCCXC. noſtrum autem VLPIANVM circa annum demum DCCCCLXXX. a Praetoriano milite occiſum eſſe, oſtenderit TILLEMONTIVS in Hiſt. Imperat. Tomi III. Part. I. p. 341. & 456. conſequens ſane eſt, vt noſtrum centum annorum ſenem fuiſſe oporteret, quum occideretur, ſi vel decem annorum puer Pancratem viderit. At ſenem tam capularem fuiſſe iuriſconſultum noſtrum, nemo veterum retulit, adeoque nihil certius eſt, quam diuerſum a noſtro fuiſſe Vlpianum, quem lepido κειτούκειτος cognomine exagitatum eſſe refert ATHENAEVS. Accedit, quod ne huic quidem ATHENAEVS dictionem peregrinam aut Hebraiſmis infectam tribuerit, ſed eum tantum ob καινοφωνίαν & anxium circa verba ſtudium notarit, adeoque ad rem plane nihil

hil factum eſſet illud ATHENAEI teſtimonium, ſi vel maxime ad VLPIANVM noſtrum pertineret. Sed vt ad rem ipſam accedamus propius, largimur equidem VLPIANI orationem aliquid ſingulare habere, quod & v. c. CAR. ANDR. DVKERVS de Latinit. vet. ICt. p. 322. & 392. obſeruauit: (habent enim aliquid ſingulare ſinguli auctores veteres, etiam praeſtantiſſimi,) neque inficiamur, eum aliquando vocabula quaedam triuialia ac plebeia arripuiſſe: (quomodo enim talia euitaret ICtus, cui ſpecies, huiuſmodi loquutionibus refertae, quotidie exhibentur?) at Hebraiſmos in eius fragmentis reperire me quidem nondum potuiſſe, id vero & fateor & prae me fero. Exempli loco ANT. AVGVSTINVS p. 293. ſequ. attulit loquutionem vnicam, ellipſin puta aduerbiorum *magis* vel *potius*, VLPIANO noſtro admodum familiarem. Tale eſt illud in *L.* 2. §. 6. *ff. de iudiciis: Compelletur* (POTIVS) *iudicium accipere, quam inuenire eos, qui ſatis pro eo dent.* Et in *L.* 1. *princ. ff. depoſ. Quum poſſet* (POTIVS) *non ſuſcipere cauſſam, quam decipere.* Itemque in *L.* 20. *in fine ff. de adqu. vel omitt. her. Haec actio* (MAGIS) *poenam vel vindictam, quam rei perſequutionem, continet.* Vt omittam huius generis alia, quae in *L.* 49. §. 5. *ff. de legat.* 1. *L.* 5. *ff. de ſuſp. tut.* &, ſi codicis Florentini lectionem ſequamur, etiam in *L.* 20. §. 8. *ff. de nou. op. nunc.* & *L.* 20. *princ. ff. de adqu. vel omitt. hered.* occurrunt. Haec vero Hebraiſmum redolere vel ideo exiſtimat vir doctiſſimus, quod & Hebraei, comparatiuo gradu deſtituti, poſitiuis ſubiungant praefixum מ. veluti Pſalmo CXVIII, 8. ביהוה מבטח בנדיבים: טוב לחסות, *Bonum eſt, confidere in Domino, quam ſpem collocare in principibus.* Quod & noui foederis ſcriptores ſacri paſſim imitantur, v. c. Luc. XVIII, 14. Κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ ἐκεῖνος & 1. Cor. XIV. 19. ἀλλ' ἐν ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι, ἢ μυρίους λόγους ἐν γλώσσῃ. Omitto loca alia, quae iam collegit vir doctiſſimus LAMB. BOS in Ellipſ. Graec. p. 327. Enimuero ſi hic hebraizat VLPIANVS; commune id habebit cum aliis iuriſconſultis eximiis, imperatoribus & melioris aeui ſcriptoribus Latinis, quorum nullus origine Syrus fuit. IVLIVS PAVLLVS, in Italia natus eodem modo loquitur in *L.* 2. §. 1. *ff. de reb. cred.* nec minus ea ellipſis placuit IVLIO PROCVLO in L. 12. *ff. de offic. praeſ.* CERVIDIO SCAEVOLAE in *L.* 100. *pr. ff. de legat.* 3. MARCIANO in *L.* 1. *ff. de mort. cauſſ. don.* MODESTINO in *L.* 3. *ff. de alim. & cibar. legat.* & *L.* 12. *ff. de pollicit.* ac praeterea Imperatoribus DIOCLETIANO & MAXIMIANO in L. 19. *C. de liberal. cauſſ.* CONSTANTINO M. & LICINIO in *L.* 8.

C. *de*

Digitized by Google

C. *de indic.* & IVSTINIANO denique in *L. vlt. C. de vſufr.* Denique ſi Hebraiſmum ideo redolet VLPIANI dictio, quod ea ellipſi magnopere delectaretur: eumdem redolebit eloquutio praeſtantiſſimorum ſcriptorum, qui omnes ita loquuti ſunt ſaepiſſime, ceu a IVSTO LIPSIO in *Epiſtol. Quaeſt. lib. V. ep. XXIII.* AVS. POPMA de vſu antiqu. Libr. II. Cap. XI. FRANC. SANCTIO in Minerua p. 519. & denique TAVBMANNO in Not. ad Plaut. p. 1035. iam pridem obſeruatum eſt. Quid quaeſo ſimilius Vlpiani loquutionibus reperire poſſit illis PLAVTI in Rudent. Act. IV. Scen. IV. v. 70. *Tacita* (MAGIS) *bona eſt mulier ſemper, quam loquens?* Quid illis LIVII Lib. III. cap. XL. *C. Claudii, qui patruus Appii decemuiri erat, oratio fuit precibus,* (MAGIS) *quam iurgio ſimilis?* Quid illis GELLII Lib. II. Noct. Attic. Cap. VII. *Declinanda* (POTIVS) *ſemper, quam reſpuenda?* Quid illis TACITI Lib. IV. Annal. Cap. LXI. *Agrippa claris* (POTIVS) *maioribus, quam vetuſtis:* & Lib. I. Cap. LVIII. *Pacem* (POTIVS,) *quam bellum probabam.* Denique Lib. III. Cap. XVII. *Reſpondente nullo, miſeratio* (MAGIS,) *quam inuidia, augebatur.* Ad quem poſtremum locum & M. VERTRANIVS MAVRVS notat, loquutionem hanc, qua familiariſſime vſus ſit Cornelius, ad imitationem Hebraeorum compoſitam eſſe, quum neminem, qui Graecis litteris vel leuiter tinctus eſt, ignorare poſſe exiſtimem, inter illius linguae elegantias eſſe ellipſin aduerbii μᾶλλον, quam HOMERO, THEOGNIDI, THVCYDIDI, LONGINO aliiſque auctoribus praeſtantiſſimis in deliciis eſſe, docuit LAMB. BOS in Ellipſ. Graec. p. 328. ſequ. Haec ANT. AVGVSTINVS in VLPIANO notauit GILBERTVS REGIVS, qui & ipſe naſum Rhinocerotis habet, Hebraiſmum ſibi deprehendere viſus eſt in verbo INTERDICERE, quod VLPIANVS eo ſenſu adhibuerit, quem Hebraeorum coniugatio *Hiphil* prae ſe ferat, vt idem ſit ac *facere, vt interdicatur.* L. 3. §. 6. *ff. vti poſſidetis*, nec non in verbo TESTARI, quod ille acceperit pro *facere, vt quis teſtetur*, vel *teſtimoniis probare L. 25. pr. ff. ad L. Iul. de adult.* Sed & hic ratio fugit bonum GILBERTVM, nec magis illae phraſes VLPIANI Hebraicae ſunt, quam illa ab ANT. AVGVSTINO notata ellipſis. *Interdicere cum aliquo*, in ſenſu tranſitiuo loquutionem eſſe Latiniſſimam, diſcere potuiſſet ex loco QVINCTILIANI Libr. III. Inſt. Cap. VI. *Non debuiſti* INTERDICERE, *ſed petere.* Et verba, *rei teſtandae cauſſa* in *L. 25. princ. ff. ad L. Iul. de adult.* non magis Hebraiſmum ſapiunt, quam haec CICERONIS pro M. Coel. Cap. XXVII: *Nam neceſſe eſt, fuiſſe non paucos, vt & comprehendi Licinius facile poſſet, &* RES *multorum oculis eſſet*

TESTA-

TESTATIOR. Sed alia huius generis pleniore manu ſerere geſtienti manum mihi iniicit candidatus digniſſimus, HENRICVS DVSINGIVS, Bremenſis, cuius honoribus hoc qualicumque ſchediaſmate praeludere inſtitui.

Incunabula eius primum vidit Brema, inclita ad Viſurgin ciuitas, VII. Kal. Febr. anni erae Dionyſiacae MDCCVI. Patrem veneratur virum ampliſſimum conſultiſſimumque, DETHARDVM DVSING, I. V. D. & reip. patriae iam a decem annis Senatorem grauiſſimum, quem dignitatis gradum & auus DIDERICVS, & proauus GERHARDVS DVSINGII, magnarii in patria celeberrimi, quam diutiſſime tenuerunt: matrem ADELHEIDAM VON DEM BVSCH, ſingularis exempli matronam, HENRICI VON DEM BVSCH, Medicinae Doctoris & Poliatri gratioſiſſimi filiam natu minimam. Parentes illi honeſtiſſimi, prout decet, nihil reliqui fecerunt, vt filium ad probitatem, eamque, quae in maioribus enituit, virtutem a primis fere vnguiculis inſtituerent. Hinc non modo ipſi curam illius ſingularem in ſe ſuſceperunt, ſed & magiſtris, qui Paedagogium Bremenſe ornant, docendi dexteritate celeberrimis, magis magiſque indies perpoliendum tradiderunt. Emenſus hoc primum ſtadium, anno MDCCXXIII. circa auctumnum in illuſtre Lyceum, quod ibidem floret, recipi meruit, faſces tunc tenente viro magnifico & admodum reuerendo, ALBERTO SCHVMACHERO, S. S. Theol. D. & Profeſſore celeberrimo, coetuſque Anſchariani Eccleſiaſte diſertiſſimo. Ex eo tempore quoad his Muſis interfuit, a virorum doctiſſimorum latere nunquam diſceſſit, ſed quotidie eos audiuit, cum vniuerſae philoſophiae diſciplinas, tum iuriſprudentiae partes praecipuas ea, qua par eſt, fide atque induſtria publice ac priuatim interpretantes. In his vel maxime ſe obſtrictum fatetur V. C. CASPARO A RHEDEN, I. V. D. & HENR. GERARDO SCHVMACHERO I. V. D. & Profeſſoribus tunc celeberrimis, nunc reipublicae patriae Senatoribus grauiſſimis, itemque FRANCISCO BERENS, I. V. D. & Hiſtoriarum Prof. P. & denique IO. SCHOENE, I. V. D. & Profeſſori de ſuis cuique muneribus meritiſſimo. E quorum acroaſibus tanto vberiorem cepit fructum, quanto diligentius ea omnia, quae audiuit, illi in memoriam domi reuocauit vir conſultiſſimus NIC. EGGERS, iam I. V. D. & Aduocatus facundiſſimus, quo tunc noſter ſe praeceptore domeſtico vſum eſſe, non ſine grati animi ſignificatione refert. Ita ad maiora praeparatus, anno MDCCXXVII. viſis in itinere Hanouera, Caſſellis, Marpurgo, vbi tum ſacra ſaecularia non ſine inſigni adparatu ac ſplendore faciebat academia, nec non Gieſſa, Franco-

Digitized by Google

Francofurto ad Moenum, Moguntia, Bonna, Colonia Agrippina, Duſſeldorpio, academiae Duisburgenſi ad Rhenum ipſis Nonis Septembribus nomen dedit, & ex praelectionibus excellentiſſimorum ICtorum, SVMMERMANNI & ZAVNSCHLIFFERI per annum profecit. Demum anno inſequente, iuſſus ab ampliſſimo Parente, in illuſtrem hanc Viadrinam ſe contulit, in albumque noſtrorum relatus, praelectionibus virorum doctiſſimorum HOFFMANNI, RINGKII, DIETHMARI, & meis praecipue, aſſidue hucuſque interfuit. Quantum profecerit, teſtatiſſimum fecit in vtroque examine, cui ſe nuper modeſte ſubmiſit. Quum itaque in eo talem ſe praeſtiterit, vt nihil iam reliquum videatur, quam vt & publice in arenam prodeat: facturus id eſt proximo, d. X. Maii defenſuruſque diſſertationem de RELIGIONE IVDICANTIVM CIRCA REORVM CONFESSIONES. Cui conflictui vt omnes Academiae noſtrae fautores, proceres, ciues frequentes interſint, quam humaniſſime rogo. P. P. Traiecti ad Viadr. ipſis Non. Maii CIƆ IƆCCXXX.

DE SVPREMA PRINCIPVM MAGISTRATVVMQVE TVTELA.

EXERCITATIO XX.

Σύνοψις.

§. I. Reipublicae intereſt, pupillos non deſtitui aliorum praeſidio. §. II. Ideo omnes fere gentes publice pupillis de tutoribus proſpexerunt, quod demonſtratur inſtitutis Hebraeorum. §. III. Nec non

Graecorum. §. *IV. Romani initio aliter ſentiebant: poſtea tutela quoque ad curam magiſtratuum pertinuit, L. Atilia lata; ſed primo non niſi in Vrbe.* §. *V. Deinde quoque in prouinciis per L. Iuliam & Titiam.* §. *VI. Ipſi harum gentium magiſtratus pro tutoribus ſe non geſſerunt.* §. *VII. Longe aliter Germani proſpexerunt pupillis. Indicatur inſtituti ratio.* §. *VIII. Apud Germanos principes & ſummi magiſtratus ipſi ſuprema tutela gaudent.* §. *IX. Probatur hoc primum ex antiquis Germanorum LL. & Conſtitutionibus.* §. *X. Dein ex inueſtituris principum & ſententiis Impp. quibus principibus ſuprema tutela conceſſa, & confirmata fuit.* §. *XI. Denique ex ipſis inaugurationibus (1) Imperatorum,* §. *XII. (2) Ducum & Principum.* §. *XIII. Indoles ac natura ſupremae Principum & magiſtratuum in Germania tutelae. Carpzouius contra* SCHILTERVM *defenſus.* §. *XIV. Refutantur argumenta* SCHILTERI. §. *XV. Definitio ſupremae tutelae.* §. *XVI. Differentia eiuſdem, quatenus vel Principi, vel magiſtratibus inferioribus competit.* §. *XVII. Eius fundamentum.* §. *XVIII. Illius effectus, circa confirmationem tutorum. An & quatenus tutor teſtamentarius confirmatione opus habuerit iure Romano?* §. *XIX. An legitimus?* §. *XX.* CONFIRMATIO *quidnam iure Romano?* §. *XXI. Apud Germanos tam teſtamentarius, quam legitimus, quin & a magiſtratu datus, tutor confirmandus eſt. Fundamentum huius confirmationis in Germania.* §. *XXII. Confirmatio iuris germanici quidnam efficiat?* §. *XXIII. Haec tribuit tutori* VICARIAM *tutelae adminiſtrationem.* §. *XXIV. Alter* SVPREMAE tutelae *effectus circa petitionem tutorum. Petere tutores quidnam iure Romano? Quinam tutores petere teneantur illo iure?* §. *XXV. In Germania magiſtratus quoque conſtituunt tutores non rogati.* §. *XXVI. Ibidem quoque vi ſupremae tutelae, curatores dant adoleſcentibus, etiam inuitis.* §. *XXVII. Vlterior eius effectus circa adminiſtrationem tutelae.* §. *XXVIII. Nec non circa finiendam eamdem.* §. *XXIX. Porro circa reddendas rationes. Quomodo illae redditae apud Romanos?* §. *XXX. Quomodo apud nos reddendae?* §. *XXXI. Maximus & vltimus ſupremae tutelae effectus circa percipiendos fructus ex bonis vaſallorum impuberum enituit.* §. *XXXII. Concluſio diſſertationis.*

§. I.

§. I.

Reipublicae intereſt, pupillos non deſtitui aliorum praeſidio.

Recte ac ſapienter olim Vlpio Rufino reſcripſit SEVERVS Imperator (a): *Omnem me adhibere curam ſubueniendis pupillis, omnibus liquere volo.* Exiſtimabat enim, id quod res eſt, reipublicae haud parum referre, illos non deſtitui aliorum praeſidio, qui ſe ipſi per aetatem defendere nequeunt. Sane quum, iudice ARISTOTELE (b), ea demum felix ſit reſpublica, quae ciues habet bonos, ac probe formatos: fieri non poterit, vt ad eam felicitatem vnquam adſpiret ciuitas, niſi adoleſcentes bene educentur, & a teneris ad probitatem, virtutem, prudentiamque inſtituantur. Vnde rectiſſime idem Philoſophus (c), legiſlatorem educationi liberorum publice proſpicere oportere, ſtatuit, quoniam πηγὴ καὶ ῥίζα καλοκἀγαθίας τῆς νομίμου τυχεῖν παιδείας, *fons ac radix probitatis eſt, decentem ſortiri inſtitutionem* (d). Ea certe deficiente, deficiunt mores, & quantumuis praeclarae animi dotes prorſus obtorpeſcunt:

Doctrina nam vim promouet inſitam
Rectique cultus pectora roborant.
Vtcumque defecere mores;
Dedecorant bene nata culpae.

Vti cecinit HORATIVS (e). Iam vero, amiſſis praematura morte parentibus, quibus ipſa natura nouellorum ciuium culturam demandauit, quis curam illorum ſuſcipiet, niſi dentur a magiſtratibus, quorum regantur conſilio? Accedit huc alia, eaque fortiſſima, ratio, quod, quum recte obſeruante VLPIANO (f) *infirmum admodum ſit huiuſmodi aetatium conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, multorum denique expoſitum inſidiis*, accidere facile poſſit, vt hereditas paterna, auitaque bona, miſeris illis, & ob aetatis animique imbecillitatem indefenſis, ſubtrahantur diſſipenturque. Quum vero e republica ſit, neminem rebus ſuis per fraudem & inſidias aliorum ſpoliari: illud vel maxime cauendum erit in pupillis & minoribus: id quod fieri ſane non poterit, niſi detur opera, vt accipiant tutores, quorum conſilio auxilioque regantur. Hanc vero curam ad magiſtratus rectoreſque ciuitatum vel maxi-

(a) L. π. §. 2. *ff. qui pet. tut. vel curat.*
(b) Polit. *Lib. VII. c. 1. & 8.*
(c) Polit. *Lib. VIII. c. 1.*
(d) Plut. *de puer. educatione.*
(e) *Lib. IV. Od. 4. v. 33. ſeq.*
(f) *L. 1. pr. ff. de minor.*

me pertinere, ipſa ciuilis prudentiae principia dictitant, idque adeo indubium iam olim viſum fuit PLATONI (g), philoſophorum ſapientiſſimo, vt pupillos ideo παρακαταθήκην μεγίστην καὶ ἱερωτάτην, *maximum ſanctiſſimumque depoſitum* appellare non dubitarit: cuius videlicet curam quam maximam ſuſcipere debeat reſpublica, vt grauiter monet etiam IVSTINIANVS Imperator (h).

§. II.

Ideo omnes fere gentes publice pupillis de tutoribus proſpexerunt, quod demonſtratur inſtitutis Hebraeorum.

Haec quum ita ſint comparata, vt ipſa recta ratio, illa veriſſima eſſe, facile intelligat: nulla etiam gens tam fuit barbara, tamque immanis, vt curam non habuerit pupillorum, nec publice illis de tutoribus proſpexerit. Rem, prout fert inſtituti ratio, exemplis breuiter illuſtraturi, initium faciemus ab inſtitutis Hebraeorum, pietate ac ſapientia praeclarae gentis longe digniſſimis. Obuerſabatur illis diuinum aeterni legislatoris exemplum, qui in prima illorum θεοκρατίᾳ, quum ipſe reipubl. huic ſanctiſſimae tamquam ſupremus rex praeeſſet, PATREM ac IVDICEM PVPILLORVM ſe ipſe profeſſus erat (i), eoque nomine & poſtea gaudebat, quum iam reges ex hominibus ſumerentur (k). Diuino hoc, inquam, moniti exemplo, magiſtratus, neque ignari, quod Dei vice praeeſſent populo, & hoc proſpiciendi pupillis officium ad ſe pertinere, recte exiſtimabant. Huc pertinet, quod ex MOSE MAIMONIDE obſeruauit SELDENVS (l), pupillis olim apud Hebraeos tutores datos eſſe a conſeſſibus iuridicis vel ſynedriis. Nec minus huc facit, quod refert HOTTINGERVS (m), apud eoſdem *in cauſſis pupilli iudicem ſubuenire ſolitum ex officio, licet id alias fieri non ſoleret:* eumdemque magiſtratum *ipſum pecuniam pupillorum mutuo dediſſe poſſeſſori rerum immobilium, qui illam pro foenore annuo reciperet.* His inter ſe comparatis, patet profecto, Hebraeos non tantum ipſum conſtituendi tutores officium ad curam publicam reuocaſſe, ſed & inprimis cauiſſe, ne quid pupillorum ſubſtantia detrimenti tutorum culpa doloue caperet. Ideoque magiſtratus ipſi erant arbitri tutorum, eorumque adminiſtrationi quam diligentiſſime attendere, ad ſuam religionem pertinere credebant.

§. III.

(g) Plato *de Leg. Lib. XI.*
(h) *Praef. Nouellae* LXXII.
(i) *Deut. X. v.* 18.
(k) *Pſ. X.* 14. *Pſ.* LXVIII. 6.
(l) Selden. *de Vxore Hebr. Lib.* II. *cap.* 3. *p.* 101.
(m) Hotting. *de Iure Hebr. Sect.* VI. §. *LXV. p.* 75.

§. III.

Sed & Graecorum rebuſpublicis non minor cura pupillorum erat. Apud Athenienſes, eiurato regno, magiſtratum primarium tenebant Archontes, quorum maior etiam annum, quo magiſtratum gerebat, in faſtis publicis nomine ſuo, ſicut Romae conſules, ſignabat, ceu accurate docet patriae meae ornamentum & decus eximium, VBBO EMMIVS (n). Huic ſupremo magiſtratui pupillorum etiam curam demandauerat SOLON, ſapientiſſimus illorum legiſlator, cuius hac de re legem hanc nobis ſeruarunt ſcriptores Graeci: ὁ ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν, *Archon orphanorum curam habeto.* Hanc ipſam enim legem, tam ſapiente populo digniſſimam, poſt DEMOSTHENEM, ISAEVM, AESCHINEM laudat IVL. POLLVX (o), & fuſius explicat interpres iuris Attici doctiſſimus, SAM. PETITVS (p). Quin tantum erat viri ſtudium pro ſecuritate minorum, vt tutelam proximorum agnatorum legitimam, quam apud Romanos ſumma prouidentia introductam laudat VLPIANVS (q), tamquam minus tutam, & bonis, ipſique vitae pupillorum valde periculoſam, plane reiiceret, nec vllum ex agnatis, niſi remotiorem, & cui nulla propemodum hereditatis ſpes eſſet, ad tutelam vocaret (r). Tales Athenienſium leges tutelares: de reliquis quoque Graeciae populis non eſt, quod dubitemus, quin orphanorum curam habuerint maximam, licet fortaſſe non adeo accurata eius rei memoria apud veteres ſuperſit. Lacedaemoniis certe tenerae aetatis ciues adeo cordi fuerunt, vt eos ne quidem iam ephebos, & ipſorum parentum conſilio vtentes, ſine Magiſtratuum cura ac ἐπισκοπῇ in ciuitate verſari paterentur, quod ipſum eximia laude proſequitur ARISTOTELES (s). Vniuerſis namque Spartani praefecerant vnum, ex primoribus ciuitatis lectum, virum grauem, quem *paedonomon* vocabant. Is poteſtatem habebat congregandi eos, & in delinquentes aut negligentius agentes, grauiter animaduertendi, quem idcirco quidam ex ephebis, flagella ferentes, comitabantur, vt in promtu eſſent, ſi quis eſſet caedendus. Qua de re plura habet EMMIVS (t) noſter, &, qui ex inſtituto Laconum rempublicam deſcripſit,

Nec non Graecorum.

(n) Vb. Emmius *Vet. Graec. Tom. III. p.* 10. *&* 48.
(o) Iul. Pollux *Lib. VIII. c.* 9.
(p) Sam. Petit. *Leg. Attic. Lib. VI. tit. 7. p. 491. ſeq.*
(q) L. 1. *pr. ff. de legit. tut.*
(r) Diog. Laert. *Lib. III. ſegm.* 56. *Sam. Petit. ibid.*
(s) Ariſtot. *Polit. Lib. VIII. c.* 1.
(t) Vb. Emmius *ibid. p.* 87.

pſit, NICOLAVS CRAGIVS (u). Si ergo & ipſos filios familias non ſoli parentum curae credendos, ſed magiſtratui peculiari ſubiiciendos putarunt Spartani: quanto magis credibile eſt, eoſdem alioſue magiſtratus pupillos curaſſe, parentum auxilio deſtitutos, & ob id tanto maiori expoſitos periculo? Denique & Rhodiorum curam ac ſollicitudinem, quam pro pupillis gerebant, mirifice collaudat DIO CHRYSOSTOMVS (x). Ex quibus omnibus ſatis, opinor, conſtat, communem hanc laudem ciuitatum Graecarum omnium fuiſſe, publice per magiſtratus proſpicere pupillis, & curare, ne deeſſent, quorum cura educarentur, quorumque defenderentur auxilio.

§. IV.

Romani initio aliter ſentiebant: poſtea tutela quoque ad curam magiſtratuum pertinuit, L. Atilia lata; ſed primo non niſi in Vrbe.

Romanorum an eadem ſollicitudo fuerit, non facile dixerim. Tutelam illi initio tanti non faciebant, vt eam magiſtratuum curae demandarent, non, quaſi vitam, fortunam, educationemque pupillorum non curaſſent, quod pietati ac prudentiae populi parum conueniret; ſed quod tutelam, tamquam rem priuati arbitrii, ac veluti partem patrimonii hereditatiſque, conſiderarent. Ideo facultatem tutores conſtituendi, tamquam effectum patriae poteſtatis, intactam ſeruarunt patri, eiuſque ſupremo iudicio, quo ſemper liberis ſatis conſultum credebant (y). Si vero pater moriens ea de re non dixerat legem, nec tutorem teſtamento dederat: vix erat, qui ad pupillorum defenſionem ſuſcipiendam, aut bona adminiſtranda, obſtrictum ſe exiſtimaret. Teſtamentaria enim quidem tutela Romae ab antiquiſſimis vſque temporibus inoleuerat, adeo, vt iam ex ipſis regibus Ancus Martius Tarquinium Priſcum liberis ſuis teſtamento tutorem inſtituiſſe legatur apud LIVIVM (z): eaque tutela teſtamentaria poſtea etiam in XII. Tabulas migrauit, vtpote quibus cautum nouimus: PATERFAM. VTI LEGASSIT SVPER FAMILIA, PECVNIA, TVTELAVE SVAE REI, ITA IVS ESTO (a). At quum ipſis XII. Tab. antiquior eſſet teſtamentaria tutela: legitimae, quae dicitur, agnatorum mentionem fieri ante decemuiralem illam legiſlationem non animaduertimus. Tum demum enim lege cautum, *vt patre familias inteſtato mortuo, eius ſui heredis impuberis tutelam agnatus proximus nanciſceretur* (b). Magiſtratuum in conſtituenda tutela partes necdum vllae

(u) Crag. *de Republ. Laced. lib.* XI. *cap.* XII. *p.* 150.
(x) Dio Chryſoſt. *Orat.* XXXI.
(y) L. 7. §. 5. *Cod. de cur. furioſ.*
(z) Liu. *lib.* I. *cap.* XXXIV.
(a) Vlpian. *Fragm. tit.* XI. §. XV.
(b) Iac. Gothofredus *ad XII. Tab. Tab. V. p.* 95. *ſeqq.* & *p.* 208. *ſeqq.*

Digitized by Google

lae fuere; quin conſtat, nec poſtea ullas fuiſſe, antequam ferretur LEX ATILIA, quam ipſam anno demum V. C. CCCCXLIII. a L. Atilio Regulo, tribuno pleb. quem LIVIVS (c) memorat, latam fuiſſe, accurate demonſtrauit DN. PRAESES (d). Tum demum ad curam praetoris & tribunorum plebis pertinere viſum, pupillis, tutores non habentibus, tutores conſtituere: quod nec ipſum tamen, niſi deficiente tutela teſtamentaria & legitima, adeoque non niſi in ſubſidium, factum fuiſſe, ſatis ſuperque notum eſt.

§. V.

Deinde quoque in prouinciis per L. Iuliam & Titiam.

Enimuero, quum ipſa lex Atilia in vrbe tantum valeret, ſicuti & multas alias, praeter hanc, leges extra vrbis pomoeria vim non exſeruiſſe, docent CVIACIVS (e), GER. NOODT (f), & ANT. SCHVLTINGIVS (g): non ulterius quoque extendit ſeſe illa magiſtratuum poteſtas, tutores conſtituendi. In prouinciis igitur nulla praeſidibus cura erat pupillorum, Sicilia ſola excepta, in qua mos inualuerat, vt praetores, qui illi praeeſſent, pupillis tutores dare poſſent, ceu diſcimus ex HENRICI VALESII Excerptis Peireſcianis (h); niſi forte dicere malis, praetores ibi ſua ſponte pupillis tutores conſtituiſſe, vt bene de illis merendo, prouincialium ſibi beneuolentiam conciliarent. Certe DIODORVS SICVLVS refert in iiſdem excerptis, praetores quoſdam ipſos tutelam prouincialium ſuſcepiſſe, quod poſtea per leges non licuit, ne ipſi ſeſe ingerere tutelae viderentur (i). Quum igitur, vt ſupra diximus, lex Atilia Romae tantum valeret: remanſit in prouinciis priſtinum illud incommodum, vt deficiente tutore teſtamentario & legitimo, omni tutela deſtituerentur impuberes, donec tandem & huic rei proſpectum eſt LEGE IVLIA & TITIA, anno V. C. DCCXXVIII. inclinante iam ad principatum republica, Auguſto III. & M. Titio Coſſ. lata; qua cautum fuit, vt in prouinciis quoque, exemplo praetorum vrbanorum, praeſides tutores conſtituendi ius in poſterum haberent (k).

§. VI.

(c) Liu. *lib.* IX. *cap. XXX.*

(d) *Antiqu. Rom. Tit. de Atil. Tut.* §. *IX. Tom. I.*

(e) Cuiac. *Paratitl.* C. *de ſeru. reip. manumitt.*

(f) Noodt. *Obſ. lib. II. cap. V.*

(g) Schulting. *Iurispr. Anteiuſt. p.* 600.

(h) *Excerpt. Peireſc. p.* 397.

(i) L. 4. *ff. de tut. & cur. dat.*

(k) *pr. Inſt. de Atil. tut.* Vlpian. *Fragm. tit. XI.* §. *XVIII.*

§. VI.

Ipſi harum gentium magiſtratus pro tutoribus ſe non geſſerunt.

Quae diximus hactenus, fidem faciunt, pleriſque iam olim gentibus, publice proſpicere ſecuritati minorum, aequiſſimum viſum eſſe. Ita enim Hebraei, Graeci, & demum etiam Romani magiſtratibus ſuis commendarant pupillos; ita ſolliciti erant legislatores, ne cuiquam tutoris auxilium vmquam deeſſet. Vtut vero haec ſeſe habent, nulla tamen harum gentium, praeter Hebraeos, curam iſtam ad ordinarium omnium magiſtratuum ac ipſorum principum officium pertinere, exiſtimauit. Athenienſes, non vnicuique magiſtratui, ſed ſolis archontibus, ex lege Solonis dederant id negotii. Idem officium Lacedaemonii non niſi paedonomis, quos vocabant, demandauerant. Romani, vti diximus, ſero admodum lege Atilia, praetori tantum vrbano, adhibita maiori parte tribunorum plebis, (ceſſante hic interim tribunicia interceſſione) (l) & in prouinciis lege Iulia & Titia praeſidibus tantum ius dandi tutores conceſſerant (m). Tranſiit quidem poſtea, pro principum arbitrio, ad plures quoque magiſtratus illa tutores conſtituendi facultas, quandoquidem in vrbe, iuſſu Claudii, vt refert SVETONIVS (n), conſules ex inquiſitione; poſtea ex conſtitutione D. Marci, vti auctor eſt CAPITOLINVS (o), praetores tutelares; hinc praefectus vrbi & praetores, ſecundum ſuam iuriſdictionem, tutores dare coeperunt: in prouinciis vero ex eiuſdem Marci oratione, & Legati Procoſ. vel ſi non magnae eſſent pupillorum facultates, magiſtratus municipales iuſſu praeſidum, ac denique ex IVSTINIANI conſtitutione (p), decuriones cum epiſcopo loci, ſi facultates D. ſolidos non excederent, etiam non exſpectato iuſſu praeſidum, quin & iuridici Alexandriae tutores dabant: at manſit tamen ſemper apud Romanos illud principium, tutoris dationem iuriſdictionis eſſe extraordinariae, eamque adeo non omnes promiſcue magiſtratus, ſed eos tantum, quibus id ſpeciali lege conceſſum ſit, ſibi vindicare poſſe. Vnde VLPIANVS (q): *Tutoris datio neque imperii eſt, neque iuriſdictionis, ſed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel SCtum, vel princeps.*

§. VII.

(l) Franc. Hotom. & Arn. Vinnius in *Comment. ad pr. Inſt. de Atil. Tut.*

(m) §. 3. 4. *Inſt. de Atil. tut.*

(n) *In Vita Claudii cap. XXIII.*

(o) Iul. Capitol. *in vita Marci c. X.*

(p) L. 30. *C. de Epiſc. aud.* §. 5. *Inſt. de Atil. tut.*

(q) L. 6. §. 2. *ff. de tutel.*

Digitized by Google

§. VII.

Longe aliter Germani proſpexerunt pupillis. Indicatur inſtituti ratio.

Verum enim vero multo aliter rationes hic componebant Germanicae originis gentes. Illae enim non quibuſdam tantum magiſtratibus, nec certis demum caſibus, aut in ſubſidium, vt apud Romanos fieri ſolebat, curam conſtituendi tutores demandabant, ſed in vniuerſum omnibus magiſtratibus, & ſummis principibus id negotii dederant, vt non modo ſuo nomine conſtituerent tutores, ſed & in eorum acta & geſta quam diligentiſſime inquirerent, quin ipſi, ſe TVTORES SVPREMOS pupillorum omniumque miſerabilium perſonarum eſſe, ſcirent. Supremam hanc, & a ratione iuris ciuilis longe diuerſiſſimam tutelam Germanorum obſeruarunt iam pridem ICti eximii, WESENBECIVS (r), MEVIVS (s), SCHILTERVS (t), vt alios taceam, qui tamen omnes eam non niſi obiter, ac veluti perfunctorie, tetigerunt. Quum vero haec tutela principum ac magiſtratuum res maioris momenti videtur, quam vulgo creditur, & plures inde fluant concluſiones, quarum alioquin rationem non facile reddideris: SVPREMAM hanc PRINCIPVM MAGISTRATVVMQVE TVTELAM, iam paullo accuratius expendere fert animus. Qua in re eum tenebimus ordinem, vt primum videamus naturam huius TVTELAE, deinde in fundamenta, quibus illa demonſtrari poſſit, paullo accuratius inquiramus, ac denique effectus eius ſingulares, comparato inter ſe iure patrio & Romano, contemplemur, quippe quorum rationem reddere, his poſitis, non adeo erit difficile. Faxit Deus feliciter!

§. VIII.

Apud Germanos principes & ſummi magiſtratus ipſi ſuprema tutela gaudent.

Et primo quidem iam ſatis inter omnes conſtat, in foro aeque, ac in legibus Germanorum; nihil frequentius memorari, quam SVPREMAM illam, vt loquuntur, TVTELAM, qua inprimis quidem principes, ſed praeter eos omnes quoque magiſtratus gaudent. Vt quaedam tantum eius generis, veluti per lancem ſaturam colligam, iam obſeruatum eſt a BESOLDO (u), sereniſſimos Wurtenbergiae duces hoc ſibi nomen libenter tribuere ſolitos, adeoque ſaepius in reſcriptis ſuis ſe ipſos appellaſſe *Obriſte Vormündere.* Simile quid de Norimbergenſibus tradit IO. HIERON. WVRFFBAIN. (x) Poſtquam enim illi, (quod & PETR. IVSTINIANVS (y) & PETR. BEM-

(r) Weſenb. *Part. I. Conſ. III. n. 67.* p. 182.

(s) Meu. *ad Ius Lub. Part. II. tit. II. art. 21. n. 19.*

(t) *Exerc.* XXXVII. §. LXII.

(u) Beſold. *Theſaur. pract, voce Bürgemeiſter und Gericht.* p. 124.

(x) Wurffb. *Different. Iur. Norib. Claſſ.* II. §. 7.

(y) Petr. Iuſtin. *Hiſt. Venet. lib.* XI. p. 215.

BEMBVS (z) memoriae prodiderunt,) circa annum MDVI. Duce Leonardo Lauretano, leges tutelares a Venetis per Conradum Imhoff petierunt: primarios quoſdam conſtituerunt magiſtratus, qui non modo cauſſas tutelares diligenter cognoſcerent, ſed & operam darent, vt res pupillorum ſaluae eſſent. Eos ibi vocari *die Herrn Obriſten Vormündern*, docet ill. acad. Halenſis Cancellarius, IO. PETRVS A LVDEWIG. (a) In CONSTIT. PROVINCIALIB. MAGDEBVRGICIS (b) grauiter imprimis monet legislator: *Es habe GOtt ſelbſt der Obrigkeit, und denen Gerichts-habern ernſtlich befohlen, daſs ſie ſich der unmündigen und minderiährigen Perſonen, Sachen und Güter treulich ſollen befohlen ſeyn laſſen.* At omnium prudentiſſime REX PRVSSIAE potentiſſimus CONSTITVTIONI NOVAE TVTELARI (c) praefatur: Se munere ſuo ſupremi tutoris impulſum, leges haſce tutelares longe ſaluberrimas tuliſſe. Inter alia ait legislator auguſtiſſimus: *Weil wir denn ſolchen Vnheil aus Landes-Vaterlicher und Ober-Vormundſchafftlicher Vorſorge vorzukommen, und mächtiglich zu ſteuren entſchloſſen ſind. &c.* Plura huius generis paſſim audiuntur in foro, & ſubinde occurrunt in plerisque conſtitutionibus prouincialibus ac LL. tutelaribus; ex quibus tamen plura loca ac teſtimonia praeter neceſſitatem hic accumulare, iam nihil attinet.

§. IX.

Probatur hoc primum ex antiquis Germanorum LL. & Conſtitutionibus.

Illud vero paucis monere operae pretium fuerit, in antiquis quoque Germanorum legibus, ſupremae huius principum ac magiſtratuum tutelae expreſſiſſima paſſim occurrere veſtigia, ne quis forte putet, principes heri demum, aut nudius tertius, eam nouo plane exemplo, ſibi vindicaſſe. Iuuat hic adferre, quae ex ANSEGISO collegit Chron. Spirenſis diligentiſſimus compilator, LEHMANNVS (d). Veteres Francorum reges adeo de pupillorum & viduarum ſalute fuiſſe ſollicitos, ait, vt comitibus, per quos tunc temporis vniuerſa regebatur reſpublica, (vnde illos quoque *Regis veros adiutores & populi conſeruatores* adpellare ſolent eius aeui ſcriptores,) in ipſis diplomatibus (*Beſtallungs-Briefen*) tamquam rem maximi momenti, curam illorum iniungerent. *Comites*, aiunt, *pleniter iuſtitiam diligent*, ORPHANORVM ET VIDVARVM *querelas pleniſſi-*

(z) Petr. Bemb. *Hiſt. Venet. lib.* VII. pag. 263.
(a) Ludew. *Opuſc. Tom.* II. p. 1177.
(b) *Magdeb. Policey-Ordn. cap.* XLIII. §. 1.
(c) *Vormundſchaffts-Ordn. de anno MDCCXVIII. in Praef.* p. 2.
(d) *Chronic. Spir. lib.* II. *cap. XVII.*

pleniſſima & iuſtiſſima deliberatione definire decernent. Et paucis interiectis: PRIMITVS *ad placita eorum orphanorum & viduarum cauſſae deliberentur, nec propter aliquam dilationem eorum iuſtitia a iudicibus dilatetur.* Quin comites ipſos *pupillorum & viduarum adiutores & defenſores* conſtituerunt Francorum reges, ceu idem refert LEHMANNVS (e). Sed vt omni res careat dubio, ipſum quaeſo audiamus LVDOVICVM PIVM in capitularibus ſuis (f) ita loquentem: *Vt viduae*, inquit, *orphani & minus potentes, ſub Dei defenſione, &* NOSTRO MVNDEBVRDE *pacem habeant, & eorum iuſtitias adquirant.* En luculentum ipſius regis, de ſuprema ſua tutela, teſtimonium. Quemadmodum enim Langobardis & Alamannis MVNDIVM (g) ſignificabat tutelam, MVNDWALDVS & MVNDEBVRDVS (h) tutorem, *Vormund*, *mombeer*, vt apud Gelros viciniſque populos hodieque adpellatur (i): ita Franci tutelam vocabant MVNDEBVRDE, vt pluribus oſtendit CAR. DV FRESNE (k), adeoque diſerte imperator ſe dicit pupillorum viduarumque tutorem. Porro hic notari merentur, quae in antiquis legibus Normannorum, quas ex inſigni codice MSC. edidit paullo ante laudatus IO. PET. A LVDEWIG (l), de ſuprema illa principum tutela leguntur. Ibi enim *Normanniae duci decernitur tutela omnium eorum, qui per homagium feodum, vel membrum feodi, ab eo tenent* (m): & mox *eidem ratione ducatus Normanniae, cuſtodiam minorum vſque ad 21 annum completum competere*, ſtatuitur. Iam dubitari nequit, quin Normanni fuerint origine Germani, aeque ac Franci, & hinc vterque populus mores hoſce patrios ex Germania & vltimo ſeptentrione ſecum in Galliam intulerit, vbi eos etiam hodienum, certe quantum ad Normanniae ducatum attinet, in viridi ſupereſſe obſervantia, diſcimus ex CONSVETVDINIBVS NORMANNICIS, Rotomagi editis anno MDCXXVI (n).

§. X.

Vt eo minus de ſuprema illa, quae principibus Germaniae antiquo more competit, tutela, dubitari poſſit: id quoque obſerua- *Dein ex inueſtitu-*

(e) *loco citato.*

(f) *Capit. Car. M. & Ludou. Pii lib. VI. cap. CCXXIII.*

(g) *Leg. Langob. lib. I. Tit. X. Leg. Alaman. Tit. XLIV.*

(h) *Leg. Langob. lib. I. Tit. XVI.* §. 8. *Tit.* XVII. §. 5.

(i) Lamb. Goris. *in Not. ad* Frid. Sande *de Effeſtucat. cap. IV. n.* 14.

(k) *In Gloſſario med. & inf. Latin. Tom.* II. *p.* 698.

(l) *In Reliquiis MSC. Tom.* VII. *p.* 149. *ſequ.*

(m) *Leg. Norman. ibid.* §. 10.

(n) *Art. CCXIV. CCXV. ſequ.*

ris principum & ſententiis Imp. quibus ſuprema tutela conceſſa, & confirmata fuit.

re iuuabit, non deeſſe exempla, quod principes imperii, vt aliis regalibus, iuribuſque ſuperioritatis territorialis, ita & iure ſupremae tutelae ab Imperatoribus inueſtiti, & ſi qua forte illis hac de re controuerſia mota fuerit, lata ſententia in eiuſdem quaſi poſſeſſione defenſi ſint. Qua de re illuſtre admodum exſtat teſtimonium apud AVB. MIRAEVM (o) & CHRISTOPH. BVTKENS (p), in luculento Henrici Regis diplomate, quo quum primum Lotharingiae & Brabantiae Duci *iura imperii obſeruare firmiter iniunxiſſet* Rex, ſub finem additur: *Ad haec ibidem per ſententiam fuit duci adiudicata* TVTELA PARVVLORVM, *vſque ad duodecimum annum, de feudis, quae ab ipſo tenentur.* Factum hoc eſſe in ſollemni regni curia, adeoque publica imperii auctoritate, tam ingens illa principum ac ordinum imperii corona, quae tunc Regi, ius dicenti, adſtitit, ac quorum nomina habentur ibidem, quam ipſa ſubſcriptio arguit, in hunc modum concepta: *Actum Aquisgrani in ſollemni curia in noſtra coronatione, anno Dominicae incarnationis* MCCXXII. *menſe Maio.* Habes igitur hic ſupremam principis imperii tutelam, & quidem vniuerſalem, in omnes ſaltim vaſallorum filios impuberes, principi imperii potentiſſimo, ſollemni ſententia adiudicatam.

§. XI.

Denique ex ipſis inaugurationibus (1) Imperatorum.

Denique vt eo magis adpareat, hanc ſupremam impuberum tutelam ſemper in Germania ſibi adſeruiſſe ſummos imperantes, in primis notatu dignum eſt, Imperatoribus & Ducibus iam ab antiquis temporibus, in ipſis inaugurationis ſacris, curam illorum fuiſſe commendatam, illoſque horum, omniumque miſerabilium perſonarum tutores ac defenſores ſe fore, palam ac ſolemni ritu promiſiſſe. Teſtantur de hoc hiſtoriae omnium fere coronationum, quarum ſollemnes ritus paſſim memoriae proditi ſunt. In deſcribenda inauguratione Ottonis M. prolixus admodum eſt WITTICHINDVS CORBEIENSIS (q). At is inter cetera refert, Hildebertum Archiepiſcopum Moguntinum, ſumtis ſceptro baculoque, iiſque nouo regi traditis, addidiſſe: *His ſignis monitus, paterna caſtigatione ſubiectos corripias, primumque Dei miniſtris,* VIDVIS *ac* PVPILLIS *manum miſericordiae porrigas.* Praeclaro huic teſtimonio aliud, forſan aeque memorabile, addendum ex WIPPONE, qui de Conradi

(o) Aub. Mir. *in Donat. Belg. lib.* I. *cap. XCV.*

(p) Chriſt. Butkens *in Trophaeis Brab. in probat. p.* 68.

(q) Witich. Corb. *Annal. lib.* II. *ab initio.*

Digitized by Google

Conradi II. coronatione verba faciens (r), refert, eum a Moguntino Archipraeſule ante inaugurationis ſacra grauiter admodum officii eſſe admonitum, finemque ſermonis hunc feciſſe Archiepiſcopum: *Cum vero Deus multa a te requirat, hoc potiſſimum deſiderat, vt facias iudicium, ac iuſtitiam, ac pacem patriae, quae ſemper reſpicit ad te; vt ſis defenſor eccleſiarum ac clericorum*, TVTOR VIDVARVM AC ORPHANORVM. Quae admonitio adeo percuſſerat regis optimi animum, vt ipſo conſecrationis die, quin inter ipſa coronationis ſollemnia, pupillorum viduarumque, in pompa publica forte ſibi obuiorum, querelas clementer audiuerit, nec prius ad ſacra illa ſe contulerit, quam memor officii ſui, ipſe illis ius dixiſſet. Addit WIPPO: *Ita Rex in talibus caſibus, pro quibus maxime regia auctoritas interpellari ſolet, hoc eſt, pro eccleſiarum, viduarum, orphanorum defenſione, ad reliqua regimina ſibi illa die viam praeparauit.* Praeclarum ſane tanti regis factum, ac dignum, quod aeternae poſteritatis memoriae commendetur. Ne quis vero putet, talia huius generis plura, quae paſſim in hiſtoriis leguntur, inter obſoletos antiqui temporis ritus eſſe numeranda, audiamus, quae de Auguſtiſſimi Ioſephi coronatione regia refert THVCELIVS (s) *Ante praelectionem euangelii*, inquit, *Moguntinus Elector quaeſiuit ex Rege inter alia:* VIS PAVPERVM ET DIVITVM, VIDVARVM ET ORPHANORVM APERTVS ESSE IVDEX ET DEFENSOR? *Reſpondit Rex:* VOLO, *& promiſſum poſtea iureiurando confirmauit.* Similia de coronatione Maximiliani I. refert GOLDASTVS (t), de inauguratione Caroli V. GEORGIVS SABINVS (u), de Maximiliani II. SIMON SCHARDIVS (x), de reliquorum alii huius generis ſcriptores, ex quibus ſua hauſit vir de academia Viadrina olim meritiſſimus, IO. CHRIST. BECMANNVS (y).

§. XII.

Iam ab aliis (yy) obſeruatum eſt, Duces etiam quoſdam & Principes ſupremos ſollemni inaugurationis ritu prouinciarum regimen auſpicari olim ſolitos eſſe. Ergo operae pretium erit inquirere, an & in illis ſollemnitatibus, ſupremae huius tutelae mentio

(z) *Ducum & Principum.*

(r) *In Vita Conradi Salici apud* Piſtorium. *p.* 429.

(s) Thucelii *Beſchreibung der Königlichen Krönung fol.* 69. *& ſequ.*

(t) Goldaſt. *Polit. Imper. Part. IV. p.* 325. *ſequ.*

(u) Georg. Sabin. *de Elect. & Coron. Caroli V. apud* Goldaſt. *ibid. p.* 122.

(x) Schard. *apud* Goldaſt. *Polit. Imp. Part. I.* p. 141.

(y) Becman. *in Notit. Dignit. Diſſ. V. cap.* 4.

(yy) Becmann. *Notit. Dign. Diſſ. X, cap. II. §. XIII. p.* 937.

mentio interdum facta fuerit? Non tamen erimus occupati in conquirendis vndique teſtimoniis; ſufficient illa, quae ſcribenti ſe ſua ſponte offerunt. De ducatu Bauariae, ab antiquiſſimis vſque temporibus in Germania potentiſſimo, obſeruauit LEHMANNVS ſupra laudatus (z), ibi lege publica, a Statibus prouinciae iam inde ab anno DCCLXV. lata, cautum inter alia fuiſſe, vt ducibus regimen capeſſentibus nominatim praeſcriberetur: *Sie ſolten Recht und Gerechtigkeit nachtrachten, Wittwen und Wayſen ſchützen, ihre Klagen ſelbſt und perſoenlich hören und richten.* Simile quid de inauguratione ducum Carinthiae memoriae proditum legimus. Quamuis enim eo ritu, quem AENEAS SYLVIVS (a), MEGISERVS (b) & VALVASSOR (c) fuſe deſcribunt, nihil ſit inuſitatius, & hinc ille a nouiſſimis Auſtriae archiducibus fere omiſſus dicatur: in eo tamen Carinthis conuenit cum reliquis gentibus, quod nouo duci tutelam viduarum ac orphanorum publice commendauerint. Repetemus quaedam huc pertinentia ex MEGISERO: *So bald der Bauer, der auf dem Marmol-Stein ſitzet, den Fürſten erſehen, ſchreiet er in Wendiſcher oder Sclavoniſcher Sprache: Wer iſt der, der alſo hoffärtig pranget? So antwortet das umſtehende Volk: der Fürſt des Landes kommt. Darauf ſaget der Bauer: Iſt er auch ein gerechter Richter, und Liebhaber des Heils unſers Landes? freyer Eigenſchafft? Iſt er auch ein Beſchirmer des chriſtlichen Glaubens, und der Wittwen und Wäyſen? Antworten ſie; ja, er iſts, und wirds ſeyn. Muſs alſo des Fürſt dem Bauer um dieſe ietzt-gemeldte zwey Stücke geloben bey ſeinen Treuen, daſs er Gerechtigkeit wolle halten, und um der Gerechtigkeit willen ſo arm werden, daſs er ſich mit ſolchem Viehe, als dem Stiere und Feld-Pferd, müſſe nähren.* Huc quoque faciunt, quae de inauguratione Britanniae minoris ducis, Franciſci Delphini, Franciſci I. Galliarum regis filii, Redonibus ſaeculo XVI. ſollemni ritu peracta, ſcribit BERTRANDVS ARGENTRAEVS (d) ex eoque AVCTOR CEREMONIALIS FRANCICI (e) & IO. CHR. BECMANNVS (f). Sacra huius inaugurationis, vt referunt laudati auctores, faciebat Redonenſis Epiſcopus, qui cum inter cetera gladium vagina vacuum obtuliſſet nouo duci, &, vt illo,

(z) *Chronic. Spir. lib.* II. *cap. XVI.*

(a) Aen. Syluius *Deſcript. Europ. cap. XX.*

(b) Megiſer. *Annal. Carinth. lib. VI. cap. XI.*

(c) Valuaſſor *Ehre des Hertzogthum Cärnthen.*

(d) Argentr. *Hiſtoire de Bret. Liv. XII. chap. XXI.*

(e) Caerimon. Franc. *Part.* I. *pag.* 602. *ſequ.*

(f) Becman. *ibid. pag.* 939. *ſequ.*

illo, prout principem decet, vteretur, monuiſſet, addidit inter alia: *Afin que par celuy tu aides & défendes débonnairement les Veuves & les Orphelins; reſtaure ce, qui eſt ruiné. &c.* vt Gallica verba habent, antiquo idiomate ſcripta. Tantum igitur fuit maiorum ſtudium proſpiciendi pupillis, vt nulla fere fuerit gens originis Germanicae, quae non regibus principibuſque ſuis, in ipſa inauguratione curam illorum, quin & ipſam ſupremam horum tutelam, quaſi rem ad publicam ſalutem maxime pertinentem, etiam atque etiam commendauerit.

§. XIII.

Indoles ac natura ſupremae Principum, & magiſtratuum in Germania tutelae. Carpzouius contra SCHILTERVM defenſus.

Hactenus igitur ſatis, opinor, demonſtrauimus ſupremam hanc Principum magiſtratuumque in Germania tutelam, vt de ea dubium amplius ſupereſſe non poſſe videatur: iam quoque ordo exigit, vt veram eius indolem, ipſamque naturam breuiter indagemus, quo conſtet, quidnam per hanc principum tutelam proprie intellexerint Germani. Non quidem in eo tantum conſiſtit vis, ac ſingularis huius tutelae ratio, *quod conſtitutio tutorum, requiſitio rationum, & vno verbo, inſpectio in tutores ad magiſtratus ſpectet officium*, ceu ſibi ipſe quoque perſuaſit SCHILTERVS, iuris patrii alioquin ſcientiſſimus (g); ſed, quod ipſi magiſtratus reuera tutores & curatores ſint, quorum vice & nomine tutores ab ipſis conſtituti, adminiſtrent, auctoritatemque interponant, ad reddendas rationes non iis tantum, quorum intereſt, ſed ipſis magiſtratibus, tamquam ſupremis tutoribus, obſtricti. Vnde rectius CARPZOVIVS (h), quem SCHILTERVS ex iuris Romani principiis oppugnat: *Ipſemet magiſtratus*, ſcribit, *tutoris vices gerit, quin & tutor ſuperior Ober-Vormünde, adpellitatur, qui conſtituendo curatorem pupillo, tutorem non habenti, facultatem contrahendi ſimul ei deferre videtur, perinde ac ſi tutor datus, curatorem ſubſtituerit, ex quo huiuſmodi curator, nomine magiſtratus, ceu ſuperioris tutoris, in iudicio pupilli cauſſam agit.* Recte, niſi quid me fallit, hic rationes ſubducit CARPZOVIVS, idque vocabulum ipſum, *eines Ober-Vormunden*, ſatis omnino indicare videtur. Sicuti enim nemo temere ideo vocabit principem ſupremum conſiliarium, praefectum, quaeſtorem, conſulem, quod conſiliarios, praefectos, quaeſtores, conſuleſque conſtituit, rationes ab iis exigit, & in eorum actiones ἐπισκοπὴν habet: ita quoque minus certe probabile videtur; ob

(g) *Exercit.* XXXVII. §. LXVIII. *pag.* 623.

(h) Carpzou. *Reſponſ. Elect. lib.* V. *Tit.* VIII. *Reſp.* LXXXVI. *n.* 24.

ob ſolum illud ius conſtituendi tutores, rationeſque ab illis exigendi, & inſpiciendi in eorum geſta, principes magiſtratuſque vocari tutores ſuperiores. Quare potius dicendum, quemadmodum ideo potiſſimum principem vocamus iudicem ſupremum, *den oberſten Richter*, quod omnis in republica penes eum ſit poteſtas iudicandi, cognoſcendique de cauſſis ciuium ſuorum, ab eoque etiam ipſa iudicum poteſtas, tamquam vicaria, dependet; ita quoque antiquiſſimum illud ſupremi tutoris nomen, veram complecti tutelam, ipſi principi primario in omnes impuberes, fragiliſque aetatis ciues competentem, reliquis tutoribus vicaria tantum vi ac poteſtate in iiſdem gaudentibus.

§. XIV.

Refutantur argumenta SCHILTERI.

Nec multum mouemur argumentis, quae CARPZOVIO obuertit SCHILTERVS (i). Primum quod obiicit, illud eſt: poſito hoc principio, ſequi inde; *tutoris dationem plane fore ſuperfluam, cum iudex, velut tutor ſuperior, ſemper poſſet auctoritate tutoria curatorem conſtituere.* Sed quid tum? aut quidnam inde incommodi, vel damni bonis pupillorum imminere putemus? Ego quidem nihil video, praeſertim quum in Germania inter tutorem ac curatorem nihil, vel parum intercedere diſcriminis, dubium non ſit, ceu pridem obſeruarunt viri, patrii iuris experientiſſimi GAILIVS (k), THOMASIVS (l), BEIERVS (m) & ill. a LVDEWIG. (n) Id quod adeo verum eſt, vt ne quidem vocabula ſint Germanis, quibus tutores curatoreſque diſtinguant, & hinc vtroſque communi nomine vocent *Vormündere.* Alio deinde inſurgit argumento SCHILTERVS; *praetorem* ſcilicet, *non repraeſentare perſonam tutoris*, quod ipſum confirmat VLPIANI teſtimonio (o). Sed haec plane non feriunt ſententiam noſtram. Quamuis enim per hanc legem expediti iuris ſit, praetorem apud Romanos ſeipſum tutorem dare non potuiſſe, quemadmodum nec ſe ipſum vel iudicem pedaneum, vel arbitrum dare poterat: inde tamen non conſequitur, vt nec in Germania magiſtratus tutores ſuperiores eſſe, aut tutores ab iis dati, vice eorum fungi poſſint; quum longe diuerſiſſima ſit haec conſtituendi tutores ratio, qua in Germania vtuntur magiſtratus, ab illa veteri Romanorum. Et quis vero ex iure Romano mores Germanorum aeſtimet? Ita ſane ratiocinari, ſaltim SCHILTERVM non

(i) Schilter. *ibid.*
(k) Gail. *lib.* II. *Obſ. XCVI.*
(l) Thomaſ. *Not. ad Inſt. p.* 73.
(m) Beier. *Differt. de hodierna tut. ac curat. differ.*
(n) Ludew. *Opuſc. Tom.* II. *p.* 1077.
(o) L. 4. *ff. de tut. & curat. dat.*

non decebat; qui vindicandis moribus patriis, tantum laboris atque induſtriae in vniuerſo illo opere impenderat. Denique veretur vir doctiſſimus, *ne male ita conſulatur pupillis, ſi loco actionis tutelae cogerentur regulariter ad actionem ſubſidiariam aduerſus iudicem confugere.* Sed, ſi quid video, tuta omnia timet SCHILTERVS. Neque enim quiſquam coget pupillos, ideo ſtatim ad actionem ſubſidiariam prouolare, quia magiſtratus eſt tutor ſupremus, eiuſque vice reliquos tutores & curatores adminiſtrationem gerere diximus. Illi enim omnino prius ex facto ſuo, ſiue ob culpam male geſtae adminiſtrationis, conueniendi, excutiendique erunt etiam apud nos in Germania, quam ad magiſtratus, tamquam tutores ſuperiores, perueniatur, prout etiam iure Romano hic ordo praeſcribitur (p).

§. XV.

Definitio ſupremae tutelae.

Quae quum ita ſint, tutela haec ſuperior re ipſa nihil aliud eſt, quam vis ac poteſtas in pupillos, & ſicubi in Germania feminae quoque adultiores ſub tutela vel cura viuere tenentur, etiam in feminas, primario atque eminenter ſummis imperantibus, ſecundario quibusuis magiſtratibus ac iudicibus competens, cuius virtute, tutores vel curatores ſua vice adminiſtraturos, conſtituere, geſtorum rationes ab iiſdem, tamquam vicariis ſuis, poſcere, ac denique parum diligentes, nulla etiam praeuia ſuſpecti accuſatione, in ordinem redigere, atque remouere poſſunt. Nimirum apud Romanos magiſtratus ipſi tutores non erant, ſed iudices tantum illorum, vnde etiam ad reddendas rationes non temere cogere ſolebant tutores, niſi actione tutelae, vel de diſtrahendis rationibus apud ſe pulſatos. In Germania vero, ipſi ſupremi tutores ſunt magiſtratus, adeoque vi officii, etiam non rogati, rationes exigunt, eaſque diſpungunt, diſtrahunt, & ſi forte, negligentius in adminiſtrandis pupilli bonis tutores a ſe conſtitutos ſeſe gerere, vident, nullo licet accuſante, in eos tamquam ſuſpectos inquirunt, eoſque, prout videntur meriti, coercent. Porro, non omnes quidem apud Romanos magiſtratus tutores dare, aut de ſuſpectis cognoſcere poterant, ſed illi tantum, quibus id ſpeciali lege indultum erat (q). Apud nos vero, omnibus tutela illa ſuperior vi magiſtratus competit. Denique nec omnes quoque tutores Romae a magiſtratu dependebant, ſed illi tantum, quos ipſe dederat;

(p) *L. 4. l. 5. C. de magiſtr. conu.*

(q) *L. 6. §. 2. ff. de tut. l. 1. §. 3. 4. ff. de ſuſpect. tut.*

cum teſtamentarios pater ſuo arbitrio, legitimos ipſa lex conſtitueret. Verum a noſtris magiſtratibus omnes tutores pendent, tamquam vicarii, ſiue teſtamento ſint dati, ſiue ob ſanguinis propinquitatem ad tutelam vocati, ſiue ab ipſo magiſtratu ἀμέσως conſtituti. Quae omnia diſcrimina, luculentius mox a nobis explicanda, ſatis, opinor, oſtendunt, quantum differant extraordinaria illa quorumdam magiſtratuum Romanorum iuriſdictio, & ſuprema principum magiſtratuumque tutela in Germania, de qua heic agimus.

§. XVI.

Differentia eiuſdem, quatenus vel Principi, vel magiſtratibus inferioribus competit.

Diximus, ſupremam hanc tutelam competere & principi, & magiſtratibus. Ne autem vtrorumque partes confundantur, in primis monendum, qua ratione id, quod principi tribuimus, etiam de magiſtratibus, iudicibuſque inferioribus praedicemus. Sciendum igitur eſt, eamdem hic eſſe rationem atque ſubordinationem, quam in iuriſdictione animaduertimus. Quemadmodum enim princeps fons ac origo eſt omnis iuriſdictionis, omneſque reliqui magiſtratus illam exercent principis nomine, ac eo modo, quo ipſe eam collatam voluit: ita quoque ſuprema haec tutela principi in primis competit, magiſtratibus iudicibuſque inferioribus non niſi quatenus eam principis nomine exercent. Satis id probant tot leges tutelares, quibus ius conſtituendi tutores magiſtratibus conceditur, de quibus non ſine adparatu egit ill. A LVDEWIG in *Diſſertat. de tutela Atiliana* (r). Quod ipſum quoque confirmat ORDINATIO POLITICA, FRANCOFVRTI ad MOENVM anno MDLXXVII. condita (s), vbi cauetur: *Wen aber nun denen Obrigkeiten zuſtehet, Einſehen zu haben, damit die Pupillen nicht benachtheiliget werden. - - - Als wollen wir allen und ieden von Adel und Communen befohlen haben, in ihren Obrigkeiten und Gebiethen zu verordenen, daſs den Pupillen iederzeit Vormünder gegeben werden.* Quare quum ſuperior haec magiſtratuum tutela, ipſi ſupremae principis tutelae ſubordinata ſit, poterit a magiſtratu geſtorum rationes exigere, ſi & hic parum diligenter officio ſuo functus videatur. Denique, ſicut iudices inferiores tutelam ſuperiorem non gerunt, niſi ratione eorum, qui ſuae iuriſdictioni ſubſunt: ita princeps ipſe ſupremi tutoris officio fungitur, ſiue per ſe, ſiue per ſupremum ſenatum, quem regimen vocant, quoties in pupilli parentes immediate imperium exercuit, vel, vti in Saxo-

(r) Ludew. *Opuſc.* Tom. II. pag. 1174.

(s) *Ordin. Polit. Francof. de anno MDLXXVII. Tit. XXXII.* §. I.

Saxonia loquuntur, *vvan der Pupille ſchriffiſaeſſig iſt.* Et hoc eſt, quod in CONSTITVTIONIBVS PROVINC. MONASTERIENSIBVS (t) legimus: *Denen Pupillen ſind von Vns, oder dem Gerichte, darunter der Verſtorbene gehôrig gevveſen, Vormündere zu beſtâtigen*: prout videlicet eorum parentes, principi vel ἀμέσως, vel ἐμμέσως ſubfuerunt.

§. XVII.

Quamuis igitur ſuperior haec iudicum magiſtratuumque tutela, ipſa ſubordinata ſit ſupremae principis tutelae, eo modo, ac §. antecedente de ſubordinatione iuriſdictionis audiuimus: non tamen exiſtimandum eſt, ideo hanc eorumdem tutelam in Germania ſemper promanare a iuriſdictione, ſiue ordinaria, ſiue extraordinaria, quum longe aliud, & quidem non VNUM idemque vbiuis fundamentum heic eſſe quaerendum, extra omnem plane dubitationis aleam poſitum videatur. Primum enim ſatis conſtat, opinor, ius conſtituendi tutores, hodie non amplius certis quibuſdam magiſtratibus, nec certa quadam ſpeciali lege, ſed omnibus omnino iure ordinario competere; vt adeo tutoris datio hodie non magis extraordinariae iuriſdictionis dici poſſit, quam adoptio, vel emancipatio, aut huius generis alia (u). Vnde procul dubio errant, qui cum MEIERO (x), ZAHNIO (y), & REBHANIO (z) ſtatuunt, hodienum quoque apud Germanos tutoris dationem neque vi imperii, neque iuriſdictionis, ſed ex peculiari conceſſione competere; *idque & hodie non minus verum eſſe, quam verum fuerit olim.* Porro, quamuis regulariter omnes, qui ordinaria pollent iuriſdictione, gaudeant quoque iure conſtituendi tutores: non ideo tamen vbique ordinariae iuriſdictionis illam facultatem recte dixeris. Ecce enim multas in Germania ciuitates municipales, quae nulla omnino iuriſdictione in ciues, ſed tantum poteſtate βουλευτικῇ & ſenatoria gaudent, & tamen pupillis in ciuitate tutores conſtituunt, vt recte obſeruauit SCHILTERVS (a). Nec magis tamen ipſe rem acu tetigiſſe videtur, quum hanc facultatem, non quidem vi imperii, aut iuriſdictionis vel ordinariae vel extraordinariae, ſed iure magiſtratus competere exiſtimat.

Eius fundamentum.

Zzzz 2 Com-

(t) *Conſtit. Prouinc. Monaſter. Tit. V.*

(u) Thomaſ. *in Schol. ad Huber. Prael. tit. Pand. de iuriſd. n. 4.*

(x) Meier. *Colleg. Argent. tit. de tut. & curat. dat.* §. VII.

(y) Zahn. *Ichnogr. municip. cap.* LII. *num.* 2.

(z) Rebhan. *Dec. ſel. quaeſt.* I. *n.* 37.

(a) *Exercit.* XXXVII. §. LXII.

Competere enim eamdem videmus etiam nobilibus in pagis ſuis; dummodo iuriſdictione ſaltim ciuili, vel baſſa, quam vocant, polleant; quos tamen magiſtratus nemo dixerit. Quare, vt dicam tandem id, quod res eſt, ius dandi tutores, in eorumque geſta & rationes inquirendi, in Germania pertinet ad ius tutelae ſuperioris. Illud autem iure ſuperioritatis territorialis primario principi competere, argumenta, quae ſupra attulimus, ipſaque publica documenta, ſatis euincere arbitror. Vnde tuto concludere licet, magiſtratus omnes ius conſtituendi tutores, principis nomine exercere, ſiue habeant illud iure magiſtratus ordinarii, ſiue per inueſtituram, ſiue ex ſpeciali priuilegio, cui ſoli illud accepto ferendum puto, quod magiſtratus quidam municipales, iuriſdictione deſtituti, iura illa tutelae ſuperioris, quae paullo ante deſcripſimus, in municipio exerceant.

§. XVIII.

Illius effectus, circa confirmationem tutorum. An & quatenus tutor teſtamentarius confirmatione opus habuerit iure Romano?

Sed iam proximum eſt, vt, quis huius ſupremae tutelae effectus ſit, quamque ex ea obſeruatione vtilitatem capere liceat, paucis oſtendamus. Primum itaque inſignis eius effectus, atque diuerſitatis iurium ratio obſeruatur circa CONFIRMATIONEM TVTORVM, in qua mores noſtros adeo a iure Romano diſcrepare reperimus, vt in Germania vbique tutores & curatores qualeſcumque, non prius adminiſtrationem tutelae ſuſcipere poſſint, quam a magiſtratu confirmati, tutorium, quod vocant, vel curatorium, ea, qua decet, forma conceptum, acceperint. Quod vt melius intelligatur, diſcrimen illud paullo plenius a nobis nunc erit inueſtigandum. Nimirum apud Romanos, tutores teſtamento rite dati confirmatione non indigebant, nec vllae erant magiſtratus partes in conſtituenda tutela, de qua ipſe pater in teſtamento ſuo legem dixerat; cuius rei rationem hanc reddi animaduertimus a POMPONIO (b), quoniam ciuibus Romanis *verbis legis XII. tabularum*: VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO, *latiſſima poteſtas tributa videbatur, & heredes inſtituendi, & legata & libertates dandi*, TVTELAS *quoque* CONSTITVENDI. Id quod adeo verum eſt, vt ſi vel maxime pater tutorem dediſſet, teſtamenti facti tempore, vel moriente patre, huic negotio imparem, minorem puta, furioſum, ſimilemue; nihilominus valida eſſet illa tutoris datio, licet omnino quoad effectum ſuſpenderetur, vſque dum tutor ille ad iuſtam perueniſſet aetatem, vel compos mentis factus eſſet, interimque a praetore

(b) L. 120. *ff. de verb. ſignif.*

Digitized by Google

tore vel praeſide daretur alius, qui adminiſtraret (c). Reiicere ergo, vel prorſus a tutela repellere eiuſmodi tutorem, non poterant magiſtratus. Similiter, ſi quando minus recte, id eſt, non eo modo, vti iura poſtulant (d), tutorem a patre datum adpareret, ſupplendum quidem erat eo caſu per confirmationem magiſtratus, id quod iure deerat (e): tantum vero aberat, vt in arbitrio eſſet magiſtratuum, vellentne eum confirmare, nec ne, vt potius abſciſſe, & ſine inquiſitione vel ſatiſdatione confirmationem hanc impertiri cogerentur (f). Vnde non eſt difficile intellectu, quam exigua fuerit magiſtratuum Romanorum poteſtas, circa tutores hoſce teſtamentarios, & quanto maiorem libertatem leges patri conceſſerint, quippe cui & in diem, & ſub conditione, & minorennem, & furioſum teſtamento tutorem dare licebat (g), quum tamen nihil horum magiſtratibus eſſet permiſſum (h).

§. XIX.

Nec multo plus auctoritatis erat magiſtratibus, circa tutores legitimos, quos ipſa Lex XII. Tab. vel propalam, vel κατὰ διάνοιαν ad tutelam vocauerat, quales nimirum erant agnati, patroni, parentes, & fiduciarii. Quamuis enim ſemper liceret patri, legitimos teſtamento a tutela excludere, iiſque pro lubitu praeferre extraneos, ſiquidem IVSTINIANO teſte (i), *quibus teſtamento tutor datus non erat, his demum ex lege XII. Tab. agnati erant tutores, qui vocabantur legitimi*, quoniam, vt alibi obſeruauimus (k), tutela apud Romanos per omnia fere hereditatis inſtar erat: magiſtratibus tamen eos excludere nullo modo erat permiſſum; adeo vt ne quidem apud hoſtes exiſtentem legitimum, ſimpliciter praeterire potuerint, ſed alium interim tutorem debuerint dare, qui tantiſper adminiſtraret, dum ille in ciuitatem rediiſſet (l). Similiter quoque nullae erant magiſtratuum partes in confirmandis tutoribus legitimis. Confirmatio enim iure Romano ad ſolos tantum teſtamentarios pertinebat, legitimos vero nemo dabat, ſed

An legitimus?

(c) §. 2. *Inſt. qui teſt. tut. dari poſſ. l.* 11. *ff. de tut. l.* 10. §. 3. *ff. de teſtam. tut. l.* 10. §. 7. *ff. de excuſ. tut.*

(d) L. 3. §. 1. *ff. de teſt. tutela.*

(e) L. 1. §. 1. *ff. de confirm. tut.*

(f) *d.* L. 1. §. 2. *ff. de confirm. tut.* & *L.* 3. & 6. *ff. eod.*

(g) §. 2. & 3. *Inſt. qui teſtam. tut.* §. 1. *Inſt. de Atil. tut. L.* 8. §. 2. *ff. de teſt. tut.*

(h) *L.* 6. §. 1. *ff. de tutelis.*

(i) Princ. *Inſt. de legit. agn. tut.*

(k) *Element. iur. ciu. Pand. Part. IV.* §. *CCXCIII.*

(l) L. 1. §. 2. *ff. de legit. tut.*

ſed ipſa lex ad tutelam vocabat (m). Vnicum igitur ſuperfuit tantum, in quo magiſtratuum hic verſabatur officium, ſcilicet vt ſatiſdationem exigerent a legitimis: quamuis ne id quidem ſemper fiebat, quum patrono, dummodo perſona honeſta eſſet, in quem ſuſpicio perfidiae nulla caderet, plerumque cauſſa cognita, remitteretur illa cautio, ob reuerentiam ipſi debitam (n). Vnde ex eadem ratione recte colligit ARN. VINNIVS (o), multo minus legitimam parentum tutelam, eo ſatiſdationis onere fuiſſe grauandam. Omnium minime confirmatio cadebat in tutorem, a magiſtratu datum, quia is a magiſtratu ſuperiore cum inquiſitione, ab inferiore cum ſatiſdatione dabatur, adeoque nullum huic tutoris dationi inerat vitium, quod confirmatione eſſet tollendum.

§. XX.

CONFIRMATIO quidnam iure Romano?

Nimirum CONFIRMATIO iure Romano nihil aliud eſt, quam actus, per quem praetor, ſublato vitio vel defectu, ob quem tutoris datio legibus ſubſiſtere non poterat, eidem ſubuenit, & publica auctoritate eam conſeruat, vel, vt breuiter rem explicat CVIACIVS (p), negotium *non infirmat.* Vnde egregie falluntur, qui putant, CONFIRMARE apud Romanos idem eſſe, ac ius adminiſtrandi tutelam publica auctoritate in tutorem conferre, vel tutoris dationem, ſiue a teſtatore patre, ſiue a lege factam, approbare, ratamque eſſe iubere: quo nomine lapſus eſt ſine dubio auctor GLOSSARVM NOMICARVM, a CAR. LABBAEO, & nuper quoque in Theſauro iuris ciuilis editus (q), dum τὸ κονφιρμαντευθῆναι vertit, κυρωθῆναι, βεβαιωθῆναι, *ratum habere, firmare.* CONFIRMARE potius ICtis nihil aliud eſt, quam, vt ſupra diximus, actum in ſe inualidum ſublato vitio ſaluare, vel, vt eleganter ait MODESTINVS (r), *id, quod deficit, replere publica poteſtate.* Quod ipſum, vt nemini dubium ſupereſſe poſſit, aliquot locis ex iuris textibus illuſtrare, operae pretium fuerit. Exſtat reſcriptum diuorum fratrum (s) ad Pollionem, in quo *inceſtas nuptias* CONFIRMARI *non ſolere*, tradunt. Iidem Flauiae Tertullae, quum ignara iuris nuptias inceſtas cum auunculo iniiſſet, per Menſorem libertum reſcripſerunt (t): *Idcirco, quum haec omnia in vnum concurrant,* CONFIRMAMVS *ſtatum liberorum, in eo matrimonio quaeſitorum, perinde ac*

ſi

(m) *L. 5. pr. ff. de legit. tut.*

(n) *d. L. 5. §. 1.*

(o) Vinn. *ad §. 1. Inſt. de ſatiſd. tut. num. 3.*

(p) Cuiac. *in Recitat. prior. ad tit. de Iuriſd. p. 65.*

(q) *Tom. III. p. 1757.*

(r) *L. 1. §. 1. ff. de confirm. tut.*

(s) *L. 38. §. 6. ff. ad l. Iul. de adult.*

(t) *L. 57. ff. de rit. nupt.*

ſi legitime concepti fuiſſent. Et alibi (u) eodem plane ſenſu, *adoptio perinde* CONFIRMARI dicitur, *ac ſi iure facta eſſet*, itemque (x), *adoptionem non iure factam, a principe* CONFIRMARI *poſſe*, &, quae huc faciunt, alia, quibus iam non amplius immoramur, praeſertim quum apud veteres probatae latinitatis auctores, eodem ſenſu vocabulum hoc vſurpetur, ceu ex ipſo CICERONE non vno loco obſervare licet (y). Haec igitur de ſignificatione vocis CONFIRMARE plenius aliquando dicenda fuerunt, vt eo melius intelligatur, quidnam per illam intellexerint Romani, & ne quis forte putet, eodem ſenſu id vocabulum accepiſſe iuriſconſultos Romanos, ac vulgo apud nos hodie accipitur. Tantum enim abeſt, vt per hanc magiſtratus confirmationem, ipſe tutor a magiſtratu fuerit conſtitutus, vt potius pro teſtamentario haberetur tutor ille confirmatus, ceu ex pluribus iuris noſtri textibus, ſatis liquet (z). Quamobrem etiam non eſt, cur cum VINNIO (a), HVBERO (b), aliiſque, *mixtum* tutelae genus ſtatuere, eoque tutelam confirmatam referre velimus.

§. XXI.

Apud Germanos tam teſtamentarius, quam legitimus, quin & a magiſtratu datus, tutor confirmandus eſt. Fundamentum huius confirmationis in Germania.

Quae de natura atque effectu confirmationis tutorum, ex iuris Romani principiis hactenus diſſeruimus, illa eo animo dicta ſunt, vt clarius eluceret differentia atque indoles confirmationis hodiernae in Germania, de qua iam nobis erit ſermo, & quam veteri illi Romanorum longe diſſimillimam eſſe, nemo non intelliget. Ecce enim ſtatim diuerſitatis huius non leue momentum, quod apud Germanos confirmatione illa indigeant tutores qualeſcumque, adeo, vt ſiue ſint teſtamento a patre dati, ſiue ob ſanguinis propinquitatem a lege vocati, ſiue ab ipſis conſtituti magiſtratibus, non prius ſuſcipere poſſint tutelam, quam a principe, vel magiſtratu fuerint confirmati. Dubium quidem de vltimis, quos datiuos alias vocamus, mouet magni nominis ICtus SAM. STRYKIVS (c), qui confirmatione illos indigere ideo negat, quod eo ipſo, quo dantur, adminiſtratio quoque ipſis conceſſa videatur. Sed quod pace tanti viri dictum ſit, rem non videtur conficere

(u) L. 29. *ff. de adopt. & emanc.*

(x) L. 38. *ff. eod.*

(y) Cicero *Orat. antequam iret in exſil. cap. VII. itemque Epiſt. ad Famil. lib. XVI. Epiſt.* I. & *Orat. pro domo cap. XVIII.*

(z) L. 1. §. 1. *l.* 3. *ff. de confirm. tut. l.* 32. *ff. de excuſ. tut.*

(a) Vinn. *ad* §. 5. *Inſt. de tutel. n.* 4. *p.* 90.

(b) Huber. *Praelect. ad Pand. lib.* XXVI. *tit.* III. *n.* 3.

(c) Stryk. *Vſ. modern. Digeſt. lib.* XXVI. *tit.* III. §. IV.

ficere illa, quam adfert, ratio. Ius enim adminiſtrandi tutelam, non incipit a tempore, quo datus eſt a magiſtratu tutor, ſed a momento, quo praeſtito iureiurando, vel ſatisdatione, vel vtriſque, tutorium a magiſtratu accepit, in quibus ipſis conſiſtit illa Germanorum confirmatio. Dein vereor, ne ICtus excellentiſſimus ipſis contradicat Receſſibus Imperii, quibus tutores etiam a iudice datos, confirmandos eſſe diſerte ſatis ſancitur, quemadmodum ipſa verba ſtatim adferenda perſpicue demonſtrant. Confirmandi ergo in Germania omnes cuiuſcumque generis tutores, idque ad mores Germanorum antiquiſſimos referendum. Quamuis enim vulgo ius illud confirmandi tutores, deriuetur ex ORDINATIONE POLITICA anno MDXLVIII. Auguſtae confecta (d), qua cauetur inter cetera: *Daſs auch ein ieglicher Vormünder, er ſey gleich in Teſtaments-vveiſs verordnet, oder durch das Recht oder Richter gegeben, ſich der Vormundſchaſſt nicht unterziehen ſolle, die Vervvaltung ſey Ihm denn zuvor durch die Obrigkeit decerniret und befohlen*; (quae totidem verbis repetuntur in RECESSV IMPERII de anno MDLXXVII. (e) multo tamen profecto antiquior eſt illa confirmatio Germanorum, cuius iam apud MARCVLFVM (f), nec non in LEGE WISIGOTHICA (g) & LANGOBARDICA (h), itemque GLOSSIS IVRIS SAXONICI WEICHBILDICI (i), expreſſiſſima exſtant veſtigia, quae mira ſagacitate, vti ſolet, deprehendit iam pridem IO. SCHILTERVS (k).

§. XXII.

Confirmatio iuris Germanici quidnam efficiat?

Praeterea in primis nunc quoque diſpiciendum eſt, quidnam ſingulare tribuat, & quemnam effectum habeat haec confirmatio Germanica. Nimirum, illa non, vt apud Romanos, defectum aliquem tollit, vel tutoris dationem, minus recte factam, publica auctoritate ſuſtinet; ſed ipſa potius eſt, quae tutori ius adminiſtrandi tutelam defert, &, vt plenius dicam, ipſum conſtituit tutorem. Quod adeo verum eſt, vt apud nos nemo ante pro tutore habeatur, nec qualiſcumque tutela vllum prius ſortiatur effectum, quam dato tutorio, poteſtatem ſuſcipiendi tutelam, conceſſerit

(d) *Reformat. guter Policey de anno MDXLVIII. tit, XXXI.* §. II.

(e) *Rec. Imp. anni MDLXXVII. tit.* XXXII. §. II.

(f) Marculf. *Form.* LXXIV.

(g) Lex Wiſigoth. *lib.* IV. *tit.* III. *leg.* III. & *tit.* II. *leg.* XIII.

(h) Lex Langob. *lib.* II. *tit.* XLVIII. *art.* I.

(i) *Gloſſa Weichb. ad Art.* XXVI.

(k) *Exerc.* XXXVII. §. LXIII. *ſeq. pag.* 621.

ſerit magiſtratus. Indicant hoc ſatis verba, quae paullo ante ex receſſibus imperii adduximus, vbi huc faciunt in primis illa: *ſich der Vormundſchafft nicht unterziehen, es ſey ihm denn die Vervvaltung zuvor durch die Obrigkeit decerniret und befohlen.* Hinc, ſi dicendum, quod res eſt, tutor teſtamentarius proprie tutelam non habet ex teſtamento, nec agnatus cognatuſque ex lege, ſed potius a confirmatione magiſtratus. Vnde optime quoque contra GAILIVM (l) & MYNSINGERVM (m) obſeruatum eſt a ICtis eximiis (n), tutorem in iudicio acturum pro pupillis, legitimare ſe non poſſe producto teſtamento, vel demonſtrata ſanguinis propinquitate, ſed neceſſariam eſſe productionem tutorii. Inde quoque eſt, ceu obſeruarunt iidem, quod tutor non poſſit prius ſe immiſcere negotiis pupillorum, nec prius quoque bona eius tacita adficiantur hypotheca, nec denique prius ipſi opus ſit excuſatione, quam confirmatione iudiciali tutela ipſi fuerit iniuncta. Denique illud vel maxime hic erit notandum, tantam eſſe magiſtratuum noſtrorum circa confirmandos tutores poteſtatem, vt etiam teſtamento datos, & a lege vocatos, praeterire, alioſque magis idoneos conſtituere poſſint, ſi priores adminiſtrationi tutelae parum ſufficientes animaduertant (o). Quae omnia ſatis indicant, opinor, non tam ex teſtamento, vel lege, quam ex confirmatione magiſtratus, ius adminiſtrandi tutelam hodie proficiſci, ac ſine ea tutelam curatelamue alicui competere, non intelligi.

§. XXIII.

Haec tribuit tutori VICARIAM tutelae adminiſtrationem.

Vnde vero iſte Germanorum mos, ab inſtitutis Romanorum adeo diuerſus? Ex ſola profecto ſuprema illa, quae principibus in Germania competit, tutela. Huius naturam ſi recte perceperis, (id quod ex illis, quae hactenus a nobis propoſita ſunt, non difficile fore confido,) facile animaduertes, reliquos tutores omnes, cuiuſcumque ſint generis, reuera nihil aliud eſſe, quam magiſtratuum in adminiſtranda tutela VICARIOS, quippe quorum nomine & mandato tutelam ſuſcipiunt, quibuſque etiam illos ad reddendas rationes obſtrictos eſſe, nemo dubitat. Iam igitur non amplius miraberis, cur in Germania tutores indiſtincte confirmentur; iam quoque intelliges, quidnam ſibi velit tutorium vel cu-

[l] Gail. *lib.* II. *Obſ.* CVII.

[m] Mynſing. *Cent.* II. *Obſ.* XXXVII.

(n) Stryk. *Vſ. modern. Dig. lib.* XXVI. *tit.* III. §. VI. Berg. *Oeconom. Iur. lib.* I. *tit.* IV. *p.* 160.

(o) Thomaſ. *Not. ad Inſt. lib.* I. *Tit.* XIV. *p.* 78. *ſequ.*

ratorium, ſine quo neminem pro tutore eſſe habendum, ſupra diximus. Et vicariam quidem hanc tutorum Germanorum adminiſtrationem, tam in legibus publicis Imperii, quam in antiquis monumentis, obſeruabis praeſidium reperire. In LEGE WISIGOTHICA, aeque ac aliis legibus Germanicis, ad tutelam quidem vocantur proximi agnati cognatiue: nihilominus tamen adminiſtrationem a iudice illis eſſe decernendam, vbique innuitur. Audiamus quaedam huc pertinentia: *Si pater ipſe*, inquit LEX WISIGOTHICA (p), *qui nouercam duxerit, tuitionem ſuſcipere filiorum noluerit, tunc a* IVDICE *propinquior ex matre* TVTOR ELIGATVR. In formula (q) MARCVLFI ſupra laudata, patruo tutela defertur; prouocaturque prius ad leges Romanas, de tutela legitima & deinceps additur: *Ideo vna cum conſenſu primatum ciuitatis conuenit nobis*, (iudici) *vt iſtum* (pupillum, de quo erat quaeſtio,) *patruo ſuo, vna cum omnibus bonis ſuis, facto & conſcripto rerum inuentario*, SVB OFFICIO TVTORIS COMMENDARE *deberemus: quod ita & fecimus.* Habemus igitur tutelam legitimam a magiſtratu commendatam. Quum enim alias tutela legitima confirmatione non indigeat: nihilominus tamen hic iudex patruum, quamuis a lege iam vocatum, tutorem conſtituere, eique tutelam COMMENDARE dicitur. Idem ex RECESSIBVS IMPERII (r), ſupra a nobis citatis, probari poteſt, in quibus adminiſtratio a magiſtratu tutoribus MANDARI dicitur. Id enim innuunt verba: *die Verwaltung ſey Ihm denn zuvor durch die Obrigkeit decerniret und befohlen.* Quod & in aliis legibus Germanicis repetitur, veluti in STATVTIS HAMBVRGENSIBVS (s), LVBECENSIBVS (t), (quae poenam quoque arbitrariam decernunt, ſi quis tutorum, priuſquam a magiſtratu confirmatus ſit, adminiſtrationem adfectare auſus fuerit,) & in primis in CONSTITVTIONE TVTELARI REGIA PRVSSICA (u). In quibus omnibus ita loquuntur legiſlatores, vt facile intelligi poſſit, tutores, quemadmodum diximus, hodie nihil aliud eſſe, quam VICARIOS principis vel magiſtratus, tamquam tutoris ſupremi, iiſque etiam non alia de cauſſa competere adminiſtrationem, quam quod ea illis a principe vel magiſtratu ſit demandata.

§. XXIV.

(p) Lex Wiſigoth. *lib.* IV. *tit.* II. *leg.* 13.

(q) Marculf. *Formul.* LXXIV.

(r) *Receſſ. Imp. de ann.* MDXLVIII. & MDLXXVII. *l. c.*

(s) *Stat. Hamburg. Part.* III. *tit.* III. *art.* XIII.

(t) *Ius Lubec. Part.* I. *tit.* VII. *art.* II.

(u) *Königliche Preuſſiſche Vormundſchaffts-Ordnung art.* XIX. *collato art.* XXXII.

Digitized by Google

§. XXIV.

Alter SVPREMAE tutelae effectus circa petitionem tutorum.

Nec minus porro ſuprema haec Germanorum tutela effectum ſuum exſerit circa PETITIONEM TVTORVM. Iure Romano, quoties pater liberis teſtamento de tutoribus non proſpexerat, nec aderat ex agnatis cognatiſque, cui ex lege tutela recte crederetur, neceſſario tutor erat petendus a magiſtratu; quoniam, vt ſaepius dictum, tutoris datio iuriſdictionis erat extraordinariae, quam magiſtratus non exercebant, niſi rogati. *Petere autem tutores*, vt recte obſeruat V. C. GER. NOODT (x), *non eſt petere aliquem de medio, praetoris arbitrio eligendum, ſed* NOMINATIM *petere tutorem vel curatorem, Lucium Titium, verbi gratia. Ita tutores vel curatores petere erat, praetori nominare futuros tutores, ſiue praetori dare nomina eorum, quos petas ab eo tutores conſtitui.* Id quod etiam ex locis iuris noſtri quam plurimis perſpicue patet (y). Hinc & CAIVS obſeruat (z), ipſum pupillum ſibi tutorem petere non potuiſſe. Abſurdum enim videbatur, exiſtimare, in eligendo tutore firmum eſſe pupilli iudicium, cuius in omnibus rebus iudicium, vt infirmum, tutore auctore regitur. Petere contra tenebantur (a), & quidem ex neceſſitate mater, auia, proximi heredes & liberti, ex officio & pietate cognati reliqui, adfines, familiares, amici. Priores, ſi non petiiſſent, vel non eo modo, ac iura id fieri volebant (b), ſpe hereditatis excidebant; liberti, apud praeſidem, vel praefectum vrbi, tamquam inofficioſi, caſtigabantur. Tam rigida erat hac in re iuris Romani ſanctio.

Petere tutores quidnam iure Romano? Quinam tutores petere tenentur illo iure?

§. XXV.

In Germania magiſtratus quoque conſtituunt tutores non rogati.

Verum enim vero longe aliter haec ſeſe habent in Germania. Apud nos enim magiſtratus ipſi ſupremi ſunt tutores, eoſque operam dare oportet, ne quid capiat detrimenti pupillorum ſubſtantia. Ideo etiam non exſpectata matris aliorumque petitione, tutores conſtituunt, quin etiam non rogati facere illud tenentur, ſi ſciant, pupillos eſſe in iuriſdictione ſua, qui tutoribus deſtituantur. Id enim volunt RECESSVS IMPERII aliquoties iam citati (c), dum praecipiunt: *Daſs denen Pupillen und minderiährigen Kindern iederzeit, biſs ſie zu ihren Voigtbahren und Manbahren*

(x) Noodt. *Comment. ad Pand. lib.* XXVI. *tit.* VI. *p.* 553. *Tom.* II. *Opp.*

(y) *L.* 2. *§.* 2. *ff. qui pet. tut. l.* 2. *C. eod. l.* 24. *ff. de tut. & cur. dat. l.* 1. *§.* 3. *de magiſtr. conuen. l.* 2. *§.* 23. *ff. ad SC. Tert.*

(z) *l. vlt. ff. de manumiſſ. vind.*

(a) *l.* 2. *pr. §.* 1. *ff. qui pet. tut. vel curat.*

(b) *d. l.* 2. *§.* 1.

[c] *Receſſ. cit. ibid. §.* 1.

ren Iahren kommen, Vormündern und Vorſtehern, ſo die ihmen von ihren Eltern im Teſtament, oder letzten vvillen nicht verordnet, oder ihre angebohrne Freunde und Vervvandte ſich der Vormundſchaffts aus rechtmäſſigen Vrſachen nicht unterziehen vvollten, oder dazu nicht füglich und geſchickt vvären, gegeben vverden. Clarius loquitur AVGVSTISSIMVS REX PRVSSIAE (d): *Wenn nun gleich niemand um Beſtellung der Vormündere der Unmündigen halben anſuchet, ſoll doch die Obrigkeit vor ſich, und Amtsvvegen daran ſeyn, daſs --- die Vnmündigen mit Vormündern förderlichſt verſehen vverden.* Quod & aliae leges tutelares, veluti IVS LVBECENSE, (e), diſerte inculcant.

§. XXVI.

Ibidem quoque vi ſupremae tutelae, curatores dant adoleſcentibus, etiam inuitis.

Sane & hoc ex iure illo ſupremae tutelae aeque promanare; manifeſtum eſt, ac illud, quod hodie magiſtratus curatores etiam conſtituunt minoribus, quamuis repugnantibus & inuitis. Apud Romanos quidem aeque illis curator dabatur, verum non inuitis (f), ſed deſiderantibus (g), & conſentientibus (h). Et quamuis ex Conſtitutione MARCI ANTONINI Imp. vt CAPITOLINVS auctor eſt (i), *omnes adulti curatores acciperent, non redditis cauſſis:* inuiti tamen reuera illos non accipiebant, dum ipſi petere ſibi eoſdem ſolebant: quod vt fieret ab omnibus, facile obtinuit callida legis ſanctio, ſiquidem *ante rerum ſuarum adminiſtratio committi eis non debebat, quamuis bene rem ſuam gerentibus* (k), nec *officium tutorum, niſi curatoribus conſtitutis, finem accipiebat* (l). Verum in Germania tantis ambagibus non eſt opus. Ibi enim magiſtratus & iudices, tamquam ſupremi tutores, tutorem ſemel conſtitutum, regulariter poteſtatem adminiſtrandi ad maiorennitatem vſque continuare iubent, vel ſi is, pubere iam pupillo, ſe excuſarit, adoleſcenti curatorem nouum, etiam inuito, conſtituunt. Id quod denuo non mirandum. Quum enim minores tutelam illam ſupremam etiam inuiti ferre teneantur: adquieſcere quoque debent, ſi a ſupremis hiſce tutoribus curator illis etiam inuitis detur, qui nomine ipſorum adminiſtret, praeſertim quum in Germania

(d) *Königliche Preuſſiſche Vormundſchaffts-Ordnung. art.* XXXI.

(e) *Ius Lubec. Part.* I. *tit.* VII. *art.* IV.

(f) §. 2. *Inſt. de curat.*

(g) L. 13. §. 2. *ff. de tut. & curat. dat.*

(h) L. 2. §. *pen. & vlt. ff. qui pet. tut.*

(i) Iul. Capitol. *vit. Marci cap. X.*

(k) L. 1. §. *vlt. ff. de minor.*

(l) L. 33. §. 1. *ff. de admin. & per. tut.*

Digitized by Google

mania conſtitutio curatoris nihil ignominioſi in ſe habeat, vti olim apud Romanos, cuius rationem egregie euoluit ampliſſimus PRAESES (m).

§. XXVII.

Vlterior eius effectus circa adminiſtrationem tutelae.

In ipſa quoque tutelae ADMINISTRATIONE inſigne adparet iuris Romani & Germanici diſcrimen. Apud Romanos tutores adminiſtrabant ſuo arbitrio, nec partes ſuas interponebant magiſtratus, durante tutela, niſi vel ipſi tutores decretum de alienando expoſcerent (n), vel alius illos tamquam ſuſpectos accuſaret (o). At magiſtratus Germani, ſupremae tutelae memores, non tantum quotannis rationes reddi iubent, ſed nec temere vllum alicuius momenti negotium, ſe inſciis, a tutoribus geri patiuntur, quippe in quorum acta & geſta illos etiam non requiſitos, tamquam tutores ſuperiores, quam diligentiſſime inquirere decet. Lumen his accedet ex iis, quae de interponendis magiſtratuum partibus ſuper tutelae adminiſtratione, in CONSTITVTIONE NOVA TVTELARI ſanxit potentiſſimus REX PRVSSIAE (p). In primis de alimentis, conſilio magiſtratus pupillo decernendis, admodum ſollicitus eſt legislator auguſtiſſimus. Idemque etiam praecipit, (q) vt ſi pupillus ſtudiis ſe conſecrare, & academias petere velit, ſumtus ſtudiorum magiſtratus pro ratione patrimonii definiat. Denique de pecuniis pupilli, conſenſu & conſilio magiſtratus elocandis, cauetur ibidem. (r) Sed quum in omnium fere manibus verſetur iſta CONSTITVTIO, plura inde exſcribere, iam ſuperſedemus. Illud tantum monuiſſe iuuabit, vi ſupremae huius tutelae, huius generis plura hodie ad magiſtratus pertinere officium, quae olim apud Romanos parum illis curae cordique fuerunt.

§. XXVIII.

Nec non circa finiendam eamdem.

Ex eadem ſuprema tutela ratio quoque reddi poteſt, cur iure Germanico tutela pubertate ipſo iure non finiatur, nec curatela ſemper maiorennitate, quum quibusdam locis praecedere ſoleat cauſſae cognitio, an minor ea ſit frugalitate, ut ipſi adminiſtratio rerum ſuarum poſſit concedi. Apud Romanos in maſculis anno aetatis XIV. in feminis XII. tutela finiebatur ipſo iure, etiam quoad effectus adminiſtrationis, & ipſam negotii naturam. (s) Apud nos

(m) *Elem. Iuris ciu. ſecund. Inſt. tit. de cur.* §. CCLXX.

(n) L. 11. *de reb. eor. qui ſub tut.*

(o) §. 1. 2. 3. *Inſt. de ſuſpect. tut.*

(p) *Königliche Preuſſiſche Vormundſchaffts-Ordnung.* §. XLIII.

(q) *Ibid.* §. XLV.

(r) *Ibid.* §. XLVII.

(s) L. 31. *ff. de admin. & peric. tut. l.* 13. *ff. de tutel. & rat. diſtr.*

id fere ſecus ſe habet, vbi tutor ſemel a magiſtratu conſtitutus, eius vice regulariter etiam adulti rebus ad maiorennitatem uſque praeeſt. (t) Quod ipſum in Belgio quoque ita obſeruari, teſtantur CHRISTINAEVS (u), GVDELINVS (x), GROENEWEGIVS (y), in Gallia EGVINARIVS BARO. (z) Similiter apud Romanos curatela anno XXV. finita erat ipſo iure. Moribus Germaniae ne hoc quidem ſemper fit, cum paſſim contingat, vt adoleſcentes cura non exeant, niſi cauſſa cognita. Merentur hic referri, quae ex codice MSC. STATVTORVM ARGENTORATENSIVM de anno MCCCCXXIII. protulit SCHILTERVS (a). *Wer vor Meiſter und Rath Kinder-Vogt gemacht wird, das ſoll man verſchreiben, und der ſoll der Vogtie nicht ledig ſin, er bringe dann ſolche Kinder, der Vogt er iſt, für Meiſter und Rath, und die Nechſten damit.* Vbi in fine iudici datur poteſtas ſtatuendi, an minore cura dimittendus ſit, nec ne. Ipſe quidem SCHILTERVS de venia aetatis petenda explicat hoc ſtatutum: ſed quam recte, ego quidem non definio; praeſertim quum in Germania non vbique maiorennitas a curatela liberet ipſo iure, ſed arbitrium vel decretum magiſtratus & alibi exigatur, ceu ipſe quoque SCHILTERVS ex SCHROEERO obſeruauit. (b) Quale quid STATVTO etiam LEIDENSI cautum eſſe refert VINNIVS (c). Tanta ſcilicet eſt in Germania poteſtas ſuperiorum tutorum, vt quamuis maior factus ſit adoleſcens, tutor tamen vel curator tutelam deponere non poſſit, niſi a magiſtratu, cuius vice adminiſtrauit, cauſſa cognita, ab hoc officio dimittatur.

§. XXIX.

Porro circa reddendas rationes. Quomodo illae redditae apud Romanos?

Nec praetermittendum hic videtur, quam maxime ſupremae huius tutelae virtutem ſeſe exſerere in RATIONIBVS TVTELARIBVS. Iure Romano a tutoribus exigi illae non poterant, niſi finita demum tutela, nec prius quoque locum habebat ipſum tutelae iudicium. (d) *Abſurdum enim videbatur*, VLPIANO teſte, (e) *a tutore*, qui parentis & domini loco erat, *rationem adminiſtrationis ne-*

(t) Gail. *lib.* II. *Obſ.* XCVI. Schilter. *Exerc. XXXVII.* §. *79. ſequ.* Meu. *ad ius Lubec. Part. I. tit. VII. art. I.*

(u) Chriſtin. *Vol.* III. *Dec. CLXXXIV. n.* 14. 16. *& Vol. VI. Deciſ. LXXXII. n.* 9.

(x) Gudelin. *de iure nouiſſ. lib.* I. *in fin.*

(y) Groenew. *de Leg. abrog. tit. quib. mod. tut. fin.*

(z) Eguin. Baro *ad Inſt. tit. quib. mod. tut. fin.*

(a) Schilter. *Exerc. XXXVII.* §. 80. *not. b. p.* 628.

(b) Schilter. *ibid. &* Schrôer. de *tutel. ſiue inſtit. pupill. Part.* III. *p.* 18.

[c] Vinn. *ad Princ. Inſt. de curat. n.* 3.

(d) L. 1. *fin. ff. de act. tut. l.* 4. *pr. ff. eod.*

[e] L. 9. §. 4. *ff. eod.*

negotiorum pupilli repoſci, in qua adhuc perſeueraret. Aliud quidem iura ſtatuebant circa actiones, quae ex quaſi contractu tutelae non oriebantur, veluti circa actiones furti, damni, iniuriae, condictionem furtiuam, & crimen ſuſpecti: has enim actiones, etiam durante tutela, inſtitui potuiſſe, ibidem docet ICtus (f). Eadem omnia obtinebant quoque circa curatores minorum, aduerſus quos durante adminiſtratione, itidem actionem dari negant SEVERVS & ANTONINVS (g); nec non PHILIPPVS Imp. (h) Nec obſtat locus PAVLLI (i), quem de curatore pupillorum recte accipit SCHILTERVS (k), & plenius explicat ibidem reliquos, qui obſtare creduntur, iuris textus. Quamuis enim analogiae iuris non multum aduerſari videri poſſit, vt minor, quia ex conſilio neceſſariorum ſuſpectum poſtulare poteſt curatorem (l), etiam vtilem tutelae actionem aduerſus illum inſtituat, ceu ſibi quoque perſuaſit MEIERVS (m): tamen diuerſam quodammodo hic ſubeſſe rationem, nemo non videt. Delictum enim, ex quo tutor ſuſpectus poſtulatur, iam adeſt tempore minorennitatis, nec conſultum foret, ei facere facultatem diutius graſſandi in bonis minoris: at obligatio ad reddendas rationes non prius naſcebatur, quam finita adminiſtratione, adeoque nec actioni tutelae vtili prius erat locus; quamuis curatores, actionum ſingularium nomine, etiam durante illa, conueniri poſſe, nemo dubitet (n). Multo minus ergo rationes ex officio exigebat praetor, ſed rogatus tantum, finita tutela vel cura, officium ſuum impertiebatur.

§. XXX.

Quomodo apud nos reddendae?

Verum in alia omnia hic eunt Germani. Quemadmodum enim in conſtituenda & adminiſtranda tutela, magiſtratibus eorum multo plus eſſe auctoritatis, quam apud Romanos, audiuimus, ſiquidem ipſi, tamquam ſupremi tutores, dare debent operam, ne quid pupillorum res detrimenti capiant: ita haec illorum poteſtas circa rationes pupillares, in primis elucet: ſiquidem apud nos magiſtratus ex officio rationes exigunt quotannis, durante tutela, quin tutorem, tamquam vicarium, rationes vltro offerre iubent. Antiquum eſſe hoc ius, & vere Germanicum, inde patet, quod

(f) *d. l. 9. §. 7.*
(g) L. 2. *C. de adminiſtr. tut.*
(h) L. 14. C. *eod.*
(i) L. 26. *ff. eod.*
(k) Schilter. *Exerc.* XXXII. §. 173.
(l) §. 4. *Inſt. de ſuſp. tut. l. 7. pr. ff. eod.*
(m) *In Colleg. Argent. tit. de act. tut.* §. 37.
(n) L. 16. §. 1. *ff. de tut. & rat. diſtr. l. 26. ff. de admin. tut. l. 1. §. 3. ff. de contr. tut. act.*

quod iam veſtigia eius in IVRE PROVINCIALI SAXONICO apparent (o), vbi dicitur: *Dem, ſo des Kindes Erbe iſt, ſoll ſein Vormund von Iahr zu Iahr des Kindes Gut berechnen.* Nec non in IVRE WEICHBILDICO (p): *Und ſoll denen Kindern ihr Gut verrechnen, von Iahr zu Iahr, vvo ers in ihre Nothdurfft gethan habe.* Idem quoque vel inde argui poſſet, quod in hac magiſtratus poteſtate, rationes a tutoribus quotannis exigendi, conſpirent ſtatuta tantum non omnia, ex quibus multa huc pertinentia collegit GISEBERTVS (q), laudauitque in primis REFORMATIONEM FRANCOFVRTENSEM, IVS BAVARICVM, WVRTENBERGICVM, LVBECENSE & SOLMENSE, in quo poſtremo etiam ius Romanum, diuerſum quid ſtatuens, pupillis damnoſum dicitur. In Belgio idem obtinere tradunt GROTIVS (r), SIM. VAN LEVWEN (s), & ARN. VINNIVS (t). Plura exempla nos addere poſſemus, niſi iam in legem Imperii communem abiiſſet priſca illa Germanorum conſuetudo, ſiquidem in REFORMATIONE POLITICA (u) de anno MDXLVIII. cautum: *daſs der Vormund jährlich auf Foderung der Obrigkeit gebührliche Rechenſchafft thun, und um ſeine Vervvaltung Rede und Antvvort geben ſolle.* In REFORMATIONE POLITICA (x) anni MDLXXVII. non modo idem repetitur, ſed additur etiam, tutorem ipſum ſua ſponte rationes offerre teneri: *Nicht allein auf Erforderung der Obrigkeit, ſondern auch ſelbſt, vermöge ſeines anbefohlenen Amts, auch geleiſteter Pflicht und Eides &c.* Adeo ad ſe, tamquam tutores ſuperiores, pertinere exiſtimant magiſtratus Germani, diligenter attendere tutorum inferiorum adminiſtrationi, ne quid inde damni patiatur pupillorum ſubſtantia.

§. XXXI.

Maximus & vltimus ſupremae tutelae effectus circa perci-

Denique ſuprema illa Germanorum tutela, vel maxime in eo ſeſe oſtendebat, quod paſſim principes in bonis pupillorum & minorennium, ſaltim vaſallorum, vſufructu, tamquam ſupremae huius tutelae effectu, gaudebant in Germania. Apud Romanos id inauditum. Illo enim iure tutela omnis gratuita erat, nec quicquam lucri peruenire poterat ad tutorem (y), niſi ipſi pacto aliquid

quid

(o) *Ius prou. Sax. lib.* I. *art.* XXIII.

(p) *Weichb. Sax. art. XLIX.*

(q) Giſebert. *Peric.* II. *Statut. tit.* XXIV. *n.* 30.

(r) Grot. *Manud. ad ius Belg. lib.* I. *cap.* IX.

(s) Sim. van Leuwen *Cenſ. for.* I. 18. 1.

(t) Vinn. *Comment. ad* §. 7. *Inſt. de Atil. tut. ſub fin.*

(u) *Reform. Polit. anni* MDXLVIII. *tit.* XXXII. §. 3.

(x) *Reform. Polit. de an.* MDLXXVII. *tit.* XXXI.

(y) L. 38. *ff. de neg. geſt.* l. 58. *ff. de adminiſtr. tut.*

quid ſalarii loco eſſet promiſſum (z). At Germanicae originis gentes, quemadmodum tutoribus, etiam inferioribus, & maxime legitimis, vel omnium bonorum vſumfructum, vel partem eiuſdem, concedebant, ceu obſeruauit SCHILTERVS (a), & accurata induſtria ex veterum Gothorum, Hiſpanorum, Francorum, Germanorum, Danorum, Suecorum, Belgarumque legibus & ſtatutis demonſtrauit Ill. a LVDEWIG (b): ita multo magis eum vſumfructum deberi cenſebant principi, ſi vel vaſalli vel alterius pupilli ſibi ἀμέσως ſubiecti, tutelam legitimam gereret. Veſtigia huius iuris, olim a Germanis recepti, ſuperſunt adhuc in Anglia, vbi etiamnum Rex ipſo iure tutor eſt pupillorum vaſallorum, & ex bonis eorum fructus omnes ſuos facit, nec quicquam pupillis, quoad ii minores ſunt, attribuit, praeter alimenta, ſi ipſi non habent, vnde alantur. De qua ſuprema M. Britanniae regis tutela diſſerunt COWELLVS (c), CRAGIVS (d), POLYDORVS VERGILIVS (e), aliique. Idem ius olim Ducibus Normanniae competiiſſe, regique Galliae hodienum ibi competere, ſupra vidimus. Quod ipſum eximium eius ius, in CONSVETVDINIBVS NORMANNICIS (f) vocatur, LA GARDE NOBLE ROYALE, CVSTODIA REGALIS, vt docet CAR. DV FRESNE (g). Nec aliud ſibi vult diploma, quod duci Brabantiae de tutela vaſallorum conceſſum eſſe ab Henrico, ſupra diximus. Ne quis autem putet, in ipſa Germania tutelam hanc principum fructuariam fuiſſe ignoratam, producemus quaedam ex iuribus olim per vniuerſam fere Germaniam receptis, in quibus expreſſam eius mentionem fieri videmus. IVS PROVINCIALE SAXONICVM (h) ſequentia habet: *und hat ſich das Kind noch nicht beiahret, ſo nimmt der Lehn-Herr die Frucht herab.* Similia diſponit IVS SVEVICVM (i): *Vnd hat er das Gut zu Lehn von einem Herrn, ſo vvird dem Herrn das Geld, das Gut behâlt er.* Nec iniuſtum hoc videbatur veteribus. *Quum enim*, vti loquitur CRAGIVS, ſupra laudatus (k), *haec ſit vera & natiua omnium feudorum conditio, vt vaſallus domino militares operas praebeat, eique in rebus*

piendos ſructus ex bonis vaſallorum impuberum cuiq; ſuit.

[z] L. 33. §. 3. *ff. eod.*

[a] *Exerc.* III. §. XI.

(b) Ludewig. *Opuſc. Tom.* II. *p.* 1205. *ſequ.*

(c) Io. Cowell. *lib. I. Iur. Angl. tit.* XVII. §. I. *p.* 34. *ſequ.*

(d) Crag. *iur. Feud. lib.* II. *dig.* XX. *p.* 284.

(e) Polyd. Verg. *hiſt. Angl. lib. XVI. pag.* 570.

(f) *Conſuet. Norman. Art. CCXIV. CCXV.*

(g) Car. du Freſne *in gloſſar. med. & inf. lat.* voce *cuſtodia pupillorum.*

(h) *Ius prou. Saxon. lib.* II. *art.* LVIII.

(i) *Specul. Sueu. cap.* CCXXIV. §. 1.

(k) Crag. *ibid. p.* 287.

bus omnibus gerendis conſilio & auxilio adſit, nec huic debito vel officio minor, ſiue ſit mas, ſiue femina, poſſit reſpondere; dominus interea fructus feudi percipiebat, vt vicarium pro ſui vaſalli adhuc inidoneo herede ſubſtitueret, donec ipſe heres ad ſeruiendum domino ſufficeret. Inde igitur non eſt mirandum, ius hoc percipiendi fructus ex bonis pupillorum, principi vi ſupremae tutelae competens, apud gentes Germanicae originis olim tam altas radices egiſſe. Nec hodie quoque illud prorſus in Germania obſoleuiſſe dixerim. Treuirenſem ſaltim Archiepiſcopum ac Electorem adhuc eo iure gaudere, idque in omnibus ſuae dioeceſeos ſubditis impuberibus etiamnum exercere, oſtendit illuſtris FAECIALIS EVROPAEI Auctor (l). Quod ipſum iam olim a CAROLO IV. IMP. anno MCCCLXXIII. his verbis eidem confirmatum videmus in diplomate apud LIMNAEVM (m): *Merum & mixtum imperium, cum attinentiis in iuriſdictionibus dioeceſis, quae Freiengereide vocantur, Archiepiſcopo confirmatur,* PARITERQVE IVS TVTELAE EXERCENDAE VASALLORVM SVORVM IMPVBERVM.

§. XXXII.

Concluſio diſſertationis.

At hunc quidem vſumfructum tutelarem poſteriorum temporum humanitas in Germania tantum non vbique excluſit. Itaque ei iam non amplius immoramur, maxime quum hic otium nobis fecerint viri, de patrio iure meritiſſimi, SCHILTERVS (n), & ill. a LVDEWIG. (o) Poſſent quidem & alia praeclara, ad hanc tutelam pertinentia, obſeruari: ſed quum & imminens ex academia diſceſſus, & ipſa charta feſtinare me iubeant: hic, actis DEO O. M. gratiis, diſſertationi, fere *αὐτοσχεδίως* deproperatae, felicem impono finem.

(l) *Europäiſcher Herold Part. I. pag.* 280.

(m) *Limn. in iure publ. Tom. I. Lib. III. cap. V.*

(n) Schilter. *Exerc. XVII. §. XVI. item in Comment. ad ius Feud. Alam. cap. XLIX. p.* 278. *& cap. LV. p.* 296.

(o) Ludewig. *Opuſc. Tom. II. pag.* 1217. *ſequ.*

DE

DE IVRISCONSVLTIS REFORMATIONI ECCLESIAE PRAELVDENTIBVS PROGRAMMA INAVGVRALE, vel

EXERCITATIO XXI.

IMminet demum, proximeque, quod feliciter futurum confidimus, illuceſcet ſeptima Kalend. Iulii, qua auſpicatiſſima die ducentis abhinc annis Principes aliique imperii ordines, qui primi Pontifici Romano repudium generoſo conſilio miſerant, exhibito Auguſtae Vindelicorum purioris doctrinae compendio, grande atque inauditum conſtantiae exemplum dederunt. Numquam ſane, ex mea quidem ſententia, illuſtriorem triumphum iam inde ab apoſtolorum temporibus egit Chriſti eccleſia, quam quum eo die frementibus hinc aduerſarum partium anteſignanis, minaſque & diriſſimorum decretorum fulmina vibrantibus, illinc paucis veritatis confeſſoribus in ſolo Deo cauſſaeque bonitate omnem ſpem ac fiduciam collocantibus, veritas inconcuſſa ſtetit, & per magnam Europae partem magis magiſque ſeſe indies explicauit. Tum vero Legato Pontificis aliiſque eius emiſſariis, optimum Imperatorem principeſque prudentiſſimos aduerſus Proteſtantes ſollicitantibus, adparuit veriſſimum, quod olim cecinit HORATIVS Carm. Lib. III. Od. III. v. 1. ſequ.

Iuſtum, & tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor, praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida: neque Auſter,
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iouis:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinae.

Quamuis autem neminem dubitare poſſe arbitrer, quin haec omnia diuino potiſſimum munere ac prouidentia contigerint: vſus tamen eſt Deus, prout ſolet, ingeniis ex omni hominum genere eminentiſſimis, quae vel viam veritati, de carcere veluti proditurae, ſternerent, vel iam prodeuntem aduerſus inimicorum furores defenderent ſtrenue. Equidem quod ad noſtri ordinis homines, iureconſultos puta, attinet, ii, neſcio quo fato ſuo, expertes fere huius laudis vulgo exiſtimantur: at, ſi dicendum, quod res eſt, hi inter primos fuere, qui ipſam papatus arcem, impotentem nimirum illum epiſcopi Romani dominatum, non ſine capitum fortunarumque periculo adgreſſi ſunt publice, & per aliquot ſaecula ante felicem illam temporum reparationem intrepido animo oppugnarunt. Qui iureconſultorum candor quantum profuerit eccleſiae, quantumque contulerit non modo ad animos a Romana curia alienandos, ſed & ipſa fundamenta papatus concutienda, facile vnuſquiſque intelliget. Duae enim potiſſimum ſunt artes, quibus terribile iſtud, quod Papae ſibi in orbem Chriſtianum vindicauerant, imperium quam diutiſſime perſtitit, & reliqua regna, vt ita dicam, in prouinciae formam redegit: altera, quod inaudita plane μεταμορφώσει, eccleſiam in rempublicam, ſacerdotium in magiſtratum, epiſcopatum denique Romanum in dominatum quemdam, & poteſtatem ἀνυπεύθυνον commutaſſent: altera, quod freti herili illo imperio, religionem ad vtilitatem componere, nouaſque ſubinde doctrinas, nouos ritus, prout lubitum eſſet, orbi Chriſtiano obtrudere conſueuiſſent. Poſteriorem hanc eccleſiae labem non poterant non animaduertere, quicumque, adhibita in conſilium ratione & ſcriptura ſacra, *ſtabant ſuper vias, & videbant, & interrogabant de ſemitis antiquis, quae ſit via bona, & ambulare cupiebant in ea, vt inuenirent refrigerium animabus ſuis.* Ierem. VI. 16. Et hinc de oblangueſcente ſenſim ac degenere Chriſtianiſmo a tot ſaeculis conqueſti fuerant quam plurimi; non modo viri docti, veluti Venerabilis Beda, Alcuinus, Paullinus Aquileienſis, Amalarius, Fortunatus, Claudius Taurinenſis,

Rabanus

Digitized by Google

Rabanus Maurus, Haymo Halberſtadienſis, Agobardus Lugdunenſis, Ionas Aurelianenſis, Ambroſius Ansbertus, Gerbertus, ſed & integri coetus, qui ab eccleſia Romana ſeceſſionem fecerant, veluti Waldenſium, Albigenſium, Wicleſitarum, Huſſitarum, fratrum Boëmorum aliorumque plurium, quorum doctrinam, ferali haereſeos nomine infamatam, ſanguine ac flammis ſuffocauit inquiſitorum truculentia. At hos quidem conatus omnes non multum reformidabat curia Romana, quamdiu ſaluum erat iſtud imperium δεσποτικὸν, quod Pontifices ſibi, tamquam legatis pro Chriſto, deberi contendebant. Quid enim efficerent omnes iſti turturum gemitus, quamdiu crederetur, pontificem ſuo omnia ſtatuere poſſe arbitrio, orbique Chriſtiano, & ipſis Imperatoribus & Regibus, non niſi in obſequio gloriam quamdam relictam eſſe? Saluam ergo ſibi doctrinam fore ſperabant Romanenſes, dum ſalua pontifici eſſet poteſtas, nulli mortalium obnoxia: hanc vero integram ſibi ac ſaluam futuram, non vano augurio credebant, quamdiu opprimi a ſe poſſent ſtudia ciuilia, hominesque ita inſtituerentur, vt genuinam reipublicae naturam atque indolem haut perſpicerent. Hinc acute obſeruarunt viri doctiſſimi, SAM. PVFENDORFFIVS in Monarch. Papali §. XXXIV. & CHRIST. THOMAS. cum in Notis ad Melch. de Oſſa Teſtam. p. 345. tum in Cautel. circa praecognita iur. Cap. XV. §. IV. nullam philoſophiae partem maiore odio proſequutos eſſe clericos, quam politicam, cuius ne docendae quidem munus cuiquam demandari ſolebat in academiis. Iam pridem enim Romanis epiſcopis ſuboluerat, veram prudentiam ciuilem arcana dominationis ſuae euulgaturam, detracturamque illam pietatis laruam, qua adhuc incredibilem regnandi libidinem callide induerant. At vero horribile iſtud ſecretum primi omnium detexerunt illi, quorum beneficio renata eſt Romana iuriſprudentia. Quamuis enim haec a philoſophia ciuili differat quam maxime, multaque bonis illis viris deeſſent praeſidia, quibus freti in ſapientiam ciuilem poſſent altius penetrare: tamen, vti in ſole ambulantes, quamuis eo conſilio non ambulent, vt colorentur, colorantur tamen; ita & doctores illi ſemibarbari, quamuis ius Romanum prudentiae ciuilis adipiſcendae cauſſa non colerent, tamen ingenii magnitudine, & adſidua Romanae reip. contemplatione, id conſequebantur, vt ſibi veluti aliud agentibus naſceretur vera idea. Quam quum deinde cum Papatu conſiſtere non poſſe animaduerterent: dominatui huic bellum indicere, principumque iura aduerſus Pontificum fulmina pro virili tueri coeperunt. Saeculo Chriſtiano duodecimo, Italis

inter aduerſa Gibellinorum ac Guelphorum ſtudia fluctuantibus Canoniſtae fere horum; iuris ciuilis doctores illorum factioni accedebant. Et tamen paullo poſt ex canoniſtis etiam IO. SEMECA, Praepoſitus Halberſtadienſis, quia ſimul iura Romana ab Azone didicerat, dominatui pontificis Romani maſcule ſeſe oppoſuit. Quum enim Clemens Papa IV. decimas per vniuerſam Germaniam ſuo veluti iure exigeret, bello ſacro, vti prae ſe ferebat, impendendas: acriter ei reſtitit bonus ille Semeca, & non modo inexplebilem Pontificum auaritiam ſcriptis exagitauit, ſed & eorumdem infallibilitatem, ſacrum illud papatus palladium, interpoſita ad concilium vniuerſale adpellatione, primus vocauit in dubium, experturus procul dubio inclementiſſimi iſtius Clementis fulmina, niſi his eum mors peropportuna ſubduxiſſet. Multa de hoc Germaniae ornamento diſſerunt CRANZIVS in Saxon. Lib. VIII. Cap. XXVII. MELCH. ADAMI in Vit. ICtor. p. I. GVIDO PANCIROLVS de Claris Leg. interpret. Lib. II. Cap. VI. & frater olim ſuauiſſimus, nunc deſideratiſſimus eheu! IO. MICH. HEINECCIVS Antiqu. Goſlar. Lib. II. p. 253. vbi & elogium referunt, eius tumulo Halberſtadii inciſum:

Eſt, erit, atque fuit, qui deſiit eſſe, Ioannes.
Dogma viget, viguit, florebit in omnibus annis.
Lux decretorum, dux doctorum, via morum
Hic iacet, & placet, vt vacet a poenis miſerorum.

Multo acrius certamen inſequente ſaeculo decimo tertio adiit MARSILIVS *de Menandrinis*, vti vulgo; vel vti ab ALBERTINO MVSSATO de Geſt. Ital. poſt Henr. VII. lib. I. p. 3. cognominatur, de RAYMVNDINIS, domo Patauinus, qui diuini humanique iuris peritiam cum haud vulgari philoſophiae intelligentia coniunxerat. Quum enim eo tempore Ludouicum Bauarum, Imperatorem, mirifice exagitarent pontifices, facturi, credo, periculum, in quantam patientiam reges ac principes a Gregorii Papae VII. temporibus occalluerint: cauſſam imperatoris atque imperii maſcule agebat Marſilius, editis libris bonae frugis pleniſſimis *de tranſlatione imperii, de poteſtate Imperatoris in cauſſis matrimonialibus, & Defenſore pacis*, qui in SIM. SCHARDII Syntagmate tractatuum de imperiali iuriſdictione, & MELCH. GOLDASTI Monarchia S. Romani imperii reperiuntur. Refert quoque MATTH. FLACIVS in Catal. Teſt. verit. Tom. II. p. 767. ſe in vetuſto codice vidiſſe librum, quo poteſtatem omnem coactiuam penes imperatorem eſſe probarit: ſed eum lucem vidiſſe, non memini. Saltim nec LVD. EL. DVPINVS in Biblioth. Eccl. Tomo XI. p. 68. nec

Digitized by Google

nec alius, qui mihi ad manus eſt, id ſcriptum memorat. In omnibus his lucubrationibus expreſſiſſima vbique adparent veritatis veſtigia. Negare eum videas, Chriſtum in coelum ſublatum eccleſiae caput viſibile reliquiſſe, aut S. Petrum Apoſtolum plus poteſtatis conſequutum, quam reliquos apoſtolos. Imperatori hic vindicari miraberis ius, Pontifices in ordinem cogendi, quin & ſacerdotio eoſdem priuandi, ſi eo male fungantur. Supremum de rebus ſacris iudicium non penes Papam, ſed penes ipſum Dei verbum eſſe, laicisque in conciliis ſuffragium non minus, quam clericis deberi contendit, quin nihil prohibere exiſtimat, quo minus clericis indulgeatur ius connubii: vt omittamus huius generis alia, ita quippe comparata, vt non mirum ſit, Ioannem Papam XXII, quum Aluarum Pelagium, Cardinalem de Turrecremata, Alexandrum Elpidium, & Petrum de Palude, quamtumuis καλαμοβοάντας, tam forti aduerſario nec ingenio, nec cauſſae bonitate, pares eſſe intelligeret, ad decreta ſua, tamquam ad ſacram anchoram, confugiſſe, & in virum optimum, veluti in haereticum, feralem detonuiſſe ſententiam. At non defuit cauſſae optimae patronus. Cum Marſilio enim arma ſocia iunxit LVPOLDVS DE BEBENBVRG, Germanus, equeſtri natus familia, & iure ciuili, quod Bononiae imbiberat, tam praeclare vſus, vt & ipſe Ludouici Bauari iura, teſtibus AVENTINO Lib. VII. Cap. XVI. 2. 19. & NIC. BVRGVNDO de Ludou. Bau. Lib. II. p. 82. maſcule defenderit. Idque ſatis docent *libri de iuribus regni atque imperii Romani*, nec non, *de zelo catholicae fidei veterum Germaniae Principum*, a SCHARDIO & GOLDASTO editi, quibus demonſtrat, nec a Papae arbitrio ſuſpenſam eſſe imperatoris maieſtatem, nec hanc a coronatione Romana, ſed ab electione ſeptemuirorum primordia capere: quin ipſum Papam, dum opes ſuas a Conſtantini M. donatione arceſſat, ſubleſta fide agere, & quae ſunt huius notae alia complura, quae inter vetuſtiora veritatis teſtimonia retulit MATTH. FLACIVS Tomo II. Catalogi p. 796. Inſequentia tempora vberrimum dederunt cordatiſſimorum iureconſultorum prouentum. Floruit enim tum IO. PETRVS FERRARIENSIS, qui in *practica*, quam vocat, vere *aurea* grauiter inuehitur in inconditam illam rempublicam in republica, quam Papa inaudito exemplo conſtituerit. Loca, in editionibus pleriſque callide expuncta, reperies apud eumdem FLACIVM ibid. p. 855. Floruerunt eadem fere aetate IOANNES ANDREAE, Bononienſis, BERNARDVS, Gloſſator, HOSTIENSIS, CYNVS, Piſtorienſis, OLDRADVS, LVDOVICVS ROMANVS, & quem primo loco nominare debebam, FRANC. ZA-

BARELLA

BARELLA Cardinalis, quorum omnium teſtimonia de iniuſto Paparum dominatu paſſim occurrunt, collectaque ea parte ſunt a FLACIO, Catal. Tom. II. p. 855. & 857. Gliſcebat ſenſim ea ICtorum doctrina, & quo propius adpeteret feliciſſima reformatio, eo maiora indies incrementa capiebat. Lipſiam ſane circa annum erae Chriſtianae MCCCCLXXXIV. ornauit IO. BREITENBACHIVS, Ordinis iureconſultorum praeſes ordinarius, quem ante Lutherum inſtitutas per Saxoniam indulgentiarum nundinationes oppugnaſſe, argumento eſt libellus in Bibliotheca Paullina Lipſienſi ſuperſtes, ex quo quaedam decerpſit SEKENDORFFIVS in Hiſtor. Lutheraniſmi Tomo I. p. 13. In Italia multo maiorem ſtrepitum dedit PHIL. DECIVS, ICtus celeberrimus, cuius *Apologiam Patrum Piſanorum*, & *Reſponſum ſuo nomine ſcriptum*, nec non alium libellum, quem *Sermonem* inſcripſit, edidit EDM. RICHERIVS in Hiſt. Concil. Lib. IV. p. 167. 233. & 278. & ſequ. Is ſane & ipſe Pontificis dominatum iniuſtum eſſe contendit, & vlterius progreſſus p. 279. diſerte ſcribit, *conſtare, & omnibus exploratum eſſe, eccleſiam vniuerſalem indigere reformatione in capite & in membris.* Sed quantus vir fuerit ille Decius, vel id argumento eſt, quod non modo eius libri prohibiti mutilatique ſint a Clemente Papa VIII. ſed & Iulius II. Papa eum ſuppliciis inferorum addixerit, patriaque extorrem bonis ac fortunis omnibus ſpoliarit, furorem illum hoſtium paternorum vix effugiente filia decenni, quam monaſterii religioni crediderat pater, ceu fuſius rem refert GVIDO PANCIROLVS de Claris Leg. Interpr. Lib. II. cap. XXXV. p. 302. Non poſſum, quin his Accurſianis addam iuriſconſultum humaniſſimum GVIL. BVDAEVM, qui edito anno MDXIII. libro eruditiſſimo *de Aſſe, eiuſque partibus*, Romanae eccleſiae curiaeque naeuos tam acri aceto perfricuit, vt & illum dignum habuerit FLACIVS in Catal. Tom. II. p. 907. cuius loca inter reliqua veritatis teſtimonia colligeret. Addit eius atnepos, FRIDERICVS SPANHEMIVS in Introd. ad Hiſt. Eccleſ. Saec. XVI. Sect. IV. §. 4. p. 541. *hunc atauum ſuum maternum in libro de Aſſe Romanam eccleſiam omnem inde a capite ſic exagitaſſe, vt deinceps papatu exierit, non ipſe, ſed familia eius vniuerſa, Geneuam tandem conceſſura.*

Intereſſent plures, hic commemorandi. Quaedam etiam haut proletaria dici poſſent de SCHVRFFIIS, PONTANIS & BEIERIS, quorum opera partim in ipſa reformatione, partim in praelegenda maſculeque defendenda confeſſione Auguſtana enituit, niſi id agenti manum iniiceret candidatus digniſſimus, qui ad veri iuriſconſulti laudem adhuc tam feliciter adſpirauit, vt intereſſe videatur

deatur commilitonum, tam laudabile exemplum elogio ſuo non carere. Eſt is vir iuuenis nobiliſſimus ac conſultiſſimus, CHRISTIANVS EBERHARDVS RVSSEL, cuius gratia inter occupationes quam plurimas haec qualiacumque in chartam coniecimus. Natus is eſt Auricae Friſiorum Orientalium III. Non. Aug. MDCCVII. patre viro praenobiliſſimo atque excellentiſſimo, ENNONE GVILIELMO RVSSEL, Sereniſſimo Friſiae orientalis Principi a conſiliis ſecretioribus, & Regiminis Cancellario, IO. RVSSELII, ſupremi eiuſdem prouinciae dicaſterii Adſeſſoris filio; matre CHRISTIANA CHARLOTTA, ex antiqua atque honeſtiſſima WIARDIORVM ſtirpe orta, DOTHIAE WIARDA, Praefecturae Auricanae vice ſereniſſimi Principis praepoſiti, natu maiore filia. Tam praeclaris editus parentibus, patris optimi & de Principe vniuerſaque patria meritiſſimi conſiliis atque inſtitutione frui non potuit. Amiſit enim illum vix trium annorum infans, morte praepropera interceptum, ex eoque tempore mater filium mira pietate educauit, eique non ipſa tantum probitatis virtutiſque amorem inſtillauit quotidie, verum etiam praeceptoribus optimis, qui ingenium praeclarum perpolirent, tradidit. Hinc ſcholae Vlricianae, quae Auricae floret, ciuibus adſcriptus, per decennium audiuit magiſtros, docendi dexteritate clariſſimos, in primis vero Lycei iſtius Rectorem, BILDSTEINIVM, cui ſe multum debere, fatetur diſcipulus gratiſſimus. Anno MDCCXXV. appetente iam auctumno, e ſcholaſtica dimiſſus diſciplina, per ſemeſtre fere ſpatium ſtudiis academicis ſe domi praeparauit, ac ineunte vere inſequentis anni in Viadrinam noſtram ſe contulit, Rectore tunc beato WESENFELDIO. Ab eo tempore per omnes honeſtiores artes, & iuriſprudentiam inprimis ſolidiorem, viuidam circumtulit indolem, duces ſequutus cum alios, viros doctiſſimos, tum & me potiſſimum, cuius a latere fere numquam diſceſſit, vt vere illum γνήσιον ἐμὸν adpellare poſſe videar. Sic ſe gerendo tantum profecit, vt non modo in vtroque examine virum ſe praeſtiterit, & ab ordine noſtro vniuerſo cum voluptate auditus ſit, ſed & elegantem diſſertationem de SVPREMA PRINCIPVM MAGISTRATVVMQVE TVTELA ſuo Marte elaborarit, eaque lucubratione ſpem de ſe conceptam mirifice confirmarit. Defendet eam publice VIII. Id. Iun. Cui conflictui vt omnes muſarum noſtrarum patroni ac fautores frequentes interſint, vehementer etiam atque etiam rogamus. P. P. Traiecti ad Viadrum ipſis Non. Iun. MDCCXXX.

DE EMINENTIORIBVS DVCATVS ET DVCVM LOTHARINGIAE PRAEROGATIVIS.

EXERCITATIO XXII.

Σύνοψις.

§. I. Occaſio diſſerendi & inſtituti ratio. §. II. Lotharingiae veteris magnitudo & nominis ratio. §. III. Fuit olim regnum. §. IV. Et quidem ſui iuris, niſi ſub Zuenteboldo Rege. §. V. Ducatus, ex regnis nati, variis gauiſi ſunt praerogatiuis, in primis quod palatiis regiis illuſtrati ſint. Elegans obſeruatio Speculatoris Saxonici de Comitibus Palatinis, in Ducatibus, qui ex regnis nati ſunt. §. VI. Talis & Lotharingia. §. VII. Quia ibi ſedes regni primaria, Aquisgranum. §. VIII. In Lotharingia non ſolum Comes Palatinus prouincialis; §. IX. Sed & Comes Palatinus Imperii. §. X. Cur hic Palatinatus interiecto tempore ad ſuperiorem Rhenum migrarit? §. XI. Magna Lotharingorum in Rege Germanorum eligendo auctoritas. §. XII. Duces Lotharingiae aliquando archiofficio in coronationibus Imperatorum functi ſunt. §. XIII. Lotharingia aliquando Archiducatus. §. XIV. Poſtea inde nati duo Ducatus potentiſſimi. §. XV. Inferior Lotharingia iterum in varios Ducatus abiit, eoſque opulentiſſimos. §. XVI. Cur Dux Brabantiae Lotharingiae nomen adfectarit? §. XVII. Itemque cur aliquando ius gladium in Imperatorum coronationibus praeferendi ſibi vindicarit? §. XVIII. Lotharingiae ſuperioris ſeu Moſellanae praerogatiua. §. XIX. Nexus eius cum imperio & formula. §. XX. Eius hodierni tituli & inſignia honoris. §. XXI. Titulus Regiae

Digitized by Google

giae Celſitudinis. §. *XXII. Familiae Lotharingicae ſplendor.* §. *XXIII. Ea eiuſdem cum Habsburgica originis.* §: *XXIV. Vtriuſque gentis felicitas in vindicanda vetere Lotharingia.* §. *XXV. Concluſio diſſertationis cum voto pro domo potentiſſima concepto.*

§. I.

Occaſio diſſerendi & inſtituti ratio.

CVm alia Principum Romanorum geſta, tum & itinera eorumdem & profectiones, in veteribus numis exprimi, aeternitatique conſecrari conſueuiſſe, neminem, iſtarum rerum non plane incurioſum, ignorare arbitramur. Nihil enim in monimentis iſtis animaduertimus frequentius, quam PROFECTIONES & ADVENTVS AVGG. (a) quarum vna in Septimii Seueri Imp. numo elegantiſſimo apud HARDVINVM (b) ἐμφατικῶς PROFECTIO AVG. FELIX vocatur, non quod felicibus auſpiciis ſuſcepta peractaque ſit, (id enim commune plebi cum ſummis principibus eſſet,) ſed quod bonum Principem, quaqua verſum procedit, felicitatem laetitiamque publicam, veluti Comites trahere, exiſtimarent. Experimentum eius rei adhuc cepit cultior Europa, qua illam Princeps celſiſſimus potentiſſimuſque, Dominus FRANCISCVS STEPHANVS, *Dux Lotharingiae, Marchiſus, Dux Calabriae, Barri & Geldriae, Marchio Pontamuſſi, & Nomenii, Comes Prouinciae, Valdemontii, Blamontii, Zutphaniae, Saarvverdae & Salmiae,* auſpicatiſſimo itinere peragrauit. Quaqua enim proficiſcentem, tot bonorum plauſus, adclamationes ac vota exceperunt, vt iure nobis repetere poſſe videamur, quae de Traiani aduentu dixit PLINIVS (c): *Non aetas quemquam, non valetudo, non ſexus, retardauit, quo minus oculos inſolito ſpectaculo impleret. Illum paruuli noſcere, oſtentare iuuenes, mirari ſenes, aegri quoque, neglecto medentium imperio, ad conſpectum eius, quaſi ad ſalutem ſanitatemque prorepere.* Quum vero publicae huius laetitiae, inſigni fatorum clementia, hanc Viadrinam quoque participem fore, rumor nunciarit: fieri profecto non potuit, quin exoptatiſſimus maximi Principis aduentus muſas etiam noſtras, non modo ad concipienda vota, ſed & ad contemplandam LOTHARINGIAM, quae grande illud coeli depoſitum orbi dedit, excitaret. Natae inde nobis ſunt meditationes de potentiſſimorum LOTHARINGIAE DVCVM

[a] Ez. Spanhem. *de praeſt. & vſu numiſm. Diſſ. XIII. p. 620. Tomo II.*

(b) Harduin. *Op. Selecţ. p.* 800.

(c) Plin. *Panegyr. Cap.* XXII.

ipſiusque illius DVCATVS PRAEROGATIVIS, quas quidem eo minus premendas duximus, quo magis iuriſprudentiae publicae ſtudioſis cognitum perſpectumque eſſe oportet, quantum momenti in rep. Germanica ſemper traxerit Lotharingia, quantumque ipſius Lotharingiae interſit, indiuulſum ac perpetuum perſeuerare foedus cum Imperio Romano Germanico, quod inter vtrumque regnum iam inde ab antiquiſſimis temporibus feliciſſimis auſpiciis coaluit, & in poſterum, quod auguramur, magis arctiuſque indies coaleſcet.

§. II.

Lotharingiae veteris magnitudo & nominis ratio.

Tractum illum terrarum ampliſſimum, qui a Vogeſi ſaltibus inter Rhenum, Moſam, Scaldim ad Oceanum vſque porrigitur, LOTHARINGIAE nomen a Lothario II. Rege Francorum, Lotharii I. Imp. filio, accepiſſe, arbitramur. Saltim id multo probabilius videtur, quam quod REGINO PRVMIENSIS (d), MARIANVS SCOTVS (e), SIGEBERTVS GEMBLACENSIS (f), OTTO FRISINGENSIS (g), & ex recentioribus plerique tradiderunt, vocabuli iſtius originem a Lothario I. Imp. eſſe repetendam. Hic enim praeter Italiam, illumque, quem paullo ante definiuimus, terrarum tractum, etiam prouincias vltra Vogeſum, inter Rhenum, Vrſam, Rhodanum & Ararin, praeter paucas ciuitates tranſrhenanas, quas Ludouicus Germanicus Rex vini cauſſa exemerat, vaſto imperio complexus eſt (h), quae quidem prouinciae vltra Vogeſum Lotharingiae nomen numquam tulerunt, ſed ſeparatas ab illo regno rationes habuerunt. Verum enim vero, diuiſo inter Lotharii iſtius Imp. filios paterno imperio, & Ludouico, natu maximo Italia cum Auguſta dignitate potito, Carolo autem Galliam Narbonenſem, tamquam paternam hereditatem, cernente, reliqua illa pars, quam ſupra ſuis limitibus definiuimus, Lothario II. Regi ceſſit, ab eoque tempore Lotharingiae nomen ei conſtantiſſime haeſit (i), quum prouinciae, quas Carolus tenuerat, Prouinciae, Burgundiae, regnique Arelatenſis vocabulis a Lotharingia in eius aeui monimentis diſcernantur (k).

§. III.

(d) Regino Prumienſ. *in Annal. ad ann. DCCCXLII.*

(e) Marian. Scot. *ad eumd. ann.*

(f) Sigebert. Gemblac. *in Chron. ad eund. ann.*

(g) Otto Friſing. *in Chron. lib. V. Cap. XXXIV.*

(h) *Annal. Bertinian. ad ann. DCCCXLIII.* Regino Prum. *ad ann. DCCCXLII.* Sigebert. Gembl. *ibid.*

(i) *Annal. Metenſ. ad ann. DCCCLV.*

(k) Sim. Fridr. Hahn. *de iuſt. Burgundici noui vel Arelat. regni limitib. Hal. MDCCXVI. in 4to.*

§. III.

Lotharingia fuit olim regnum.

Vtcumque ſe res habeat, vel ex his iam ſatis intelligitur, LOTHARINGIAE Ducatum, qui vetus nomen hodienum retinet, olim non Ducatum, ſed REGNVM fuiſſe, adeoque inter principes Imperii prouincias cenſendum eſſe. Neque enim tantum ſub vtroque Lothario per annos viginti ſeptem eam dignitatem retinuit, verum etiam, exſtincta illa ſtirpe, & Lotharingia ſenſim iuris Germanici facta, conſtans Lotharingis manſit illius memoria. Arnulfus ſane Imp. qui Lotharingiam cum reliqua Germania a Carolo Craſſo patruo, non tam iure hereditario, quam Principum ſuffragiis, acceperat, ei praefecit Zuenteboldum filium, & quidem non Ducem, ceu exiſtimauit TOELNERVS (l), ſed Regem (m), quippe quod nomen ille ſibi in diplomatibus, quae apud GVIL. HEDAM (n), AVB. MIRAEVM (o), alioſque leguntur, vbique adſcripſit. Quin & poſteaquam gens Carolingica in Germania penitus defecerat, Lotharingia, ſub regni nomine Germaniae vnita, in vnum cum hac ſyſtema ita coaluit, vt ſaepenumero regnum vocaretur cum ab ipſis Lotharingis, tum in titulis Imperatorum Regumque Germaniae. Exemplo eſſe poteſt diploma Adelberonis, Epiſcopi Metenſis, quod CHIFFLETIUS (p) ex chartulario Gorizenſi extulit, in quo ſub finem legitur: *Actum Metis publice, ſub die XVII. Kal. Ian. anno ab incarnatione Domini noſtri CMXXXIII. regni autem glorioſiſſimi Regis in* REGNO LOTHARIENSI *VIII.* Et hae quidem tabulae ſub Henrico I. Germaniae Rege ſcriptae ſunt, quum iam ab anno erae Chriſtianae DCCCCXXVI. Lotharingia in Germanici imperii corpus coaluiſſet per pactum Bonnenſe, quod poſt DVCHESNIVM (q) & MIRAEVM (r) STEPH. BALVZIVS (s) & SCHATENIVS (t) ediderunt. Succeſſor Henrici, Otto M. in diplomatibus quibuſdam ab iiſdem CHIFFLETIO (u) & AVB. MIRAEO (x), editis, ipſe ſe

(l) Toelner. *in Hiſtor. Palat. Cap.* II. *p.* 22.

(m) *Annal. Metenſ. ad ann. DCCCXCIV.* Marian. Scot. *ad eumd. ann.* Otto Friſingenſ. *Chron. Lib.* VI. *Cap.* XII.

(n) Gu. Heda *de Epiſc. Vltraiect. p.* 63.

(o) Aub. Mir. *in Dipl. Belg. Cap. XV. & XVI. Donat. Belg. cap. XV. Notit. Eccl. Belg. cap.* XXII.

(p) Chifflet. *in Comment. Lotharing. pag.* 9.

(q) Du Cheſne *Tom. II. p.* 587.

(r) Mirae. *Donat. piar. cap. XXIII.*

(s) Baluz. *Capitular. Reg. Franc. Tom.* II. *p.* 299.

(t) Schaten. *Annal. Paderb. Lib.* III. *p.* 255. *Tomo I.*

(u) Chifflet. *in Comment. Lotharing. pag.* 9.

(x) Aub. Mir. *Diplom. Belg. lib. I. Cap.* XVII. *& Donat. piar. Cap.* XXXII.

REGEM LOTHARIENSIVM *&* *Francigenum* vocat, quum iam Lotharingia a Ducibus regeretur. Rarius equidem eo titulo vſum eſſe Ottonem, facile largimur iuriſconſulto eximio, IO. NIC. HERTIO (y), nec negabimus plane, in ſucceſſorum diplomatibus tale quid adhuc non eſſe obſeruatum: at ipſa tamen Lotharingia ex eo quoque tempore REGNI titulum ſatis diu retinuit. Nam & Otto II. Imp. in charta Gorzenſi apud CHIFFLETIVM (z) meminit *praedii, quod Imperator ille habuerit in* REGNO LOTHARIENSI. Ex quibus recte colligit vir conſultiſſimus, GABR. SCHWEDERVS (a), terras iſtas *primum ſaeculo IX. ſub nomine regni Lotharingiae Regno Germaniae acceſſiſſe, poſtea vero ſaeculo XI. quo ſenſim titulus ille regni exoleuerit, in vnum cum Germania corpus magis magiſque concreuiſſe.*

§. IV.

Et quidem ſui iuris, niſi ſub Zuentebolde Rege.

Diſceptatum aliquando meminimus, ſuine iuris hoc regnum fuerit, an alii, ſiue Neuſtrico, ſiue Germanico, clientelari nexu adſtrictum? Sed neſcio, an ad Domitianas, quas iuriſconſulti vocant, quaeſtiones totum iſthoc σκέμμα pertineat. Sub Lothario I. Imp. regnum iſtud nemini alii mortalium, quam Domino illi ſuo, obnoxium fuiſſe, facile largientur, quotquot rerum Francicarum non plane ſunt ignari. Quam enim rationem comminiſci poſſes, cur fratris primogeniti, Auguſta dignitate ornati, & Italiae opibus ſubnixi, portio hereditaria vel Carolo Caluo, fratrum natu minimo, vel Ludouico Germanico, obnoxia eſſe debuerit? Nec quidquam mutatum dixeris, quum poſtea inter Ludouicum II. Imp. Lotharium & Carolum, fratres, familiae erciſcundae ageretur. In conuentu enim Marſnenſi apud AVB. MIRAEVM (b) iam prouiſum fuerat, *vt regum filii legitimam hereditatem regni ſecundum definitas praeſenti tempore portiones poſt eos retinerent.* Quod intelligi aliter non poteſt, quam illos eodem in ſuis regnis iure vſuros, quo vſi antea ſint eorum parentes. At illos ſummo iure regnis ſuis imperaſſe, iam obſeruauit NITHARDVS (c), Caroli M. ex Bertha filia nepos, & iuris publici eorum temporum peritiſſimus. Quamuis enim initio Lotharius Imp. in reli-

(y) Hert. *Diſſ. de fide Diplom. Imp. & Reg. Germ. Sect. I. §. XI. p. 606.*

(z) Chifflet. *in Comment. Lothar. ibid.* Add. Wibert. *in vita Leonis PP.* IX. *cap.* XIV. *& Geſta Pontif. Cenom. apud* Mabillon. *Analect. Tom.* III. *p.* 301.

(a) Schweder. *Introd. ad Ius publ. Rom. Germ. Part. gener. cap.* IV. §. XXII. *p.* 81.

(b) Aub. Mir. *Dipl. Belg. lib.* I. *cap.* XVII.

(c) Nithard. *lib.* IV.

reliquorum fratrum regna imperium aliquod ſeu dominium directum adfectaret, ac proinde ANNALES PITHOEANI (d) eum *μοναρχίαν* molitum eſſe, obſeruent: aduerſum tamen ei tenuere fratres, eorumque fideles, dominis ſuis, teſte HINCMARO REMENSI (e), in memoriam reuocantes, *eos Lotharii fratres eſſe, & ſacramento regnum inter illos diuiſum, & illos nec genere, nec poteſtate, Lothario eſſe inferiores.* Quibus excitati fratres libertatem ſuam tanta virtute tuebantur, vt magnis auſibus excideret Lotharius, fratribuſque, vt NITHARDVS memoriae prodidit, optionem concederet, vt aut praecipui quidquam ſibi *propter nomen Imperatoris, & propter dignitatem Imperii, quam auus regno Francorum adiecerit*, aut ſi id nollent, *tertiam tantummodo partem totius ſibi concederent, regeretque* QVISQVE ILLORVM PORTIONEM REGNI SVI, PROVT MELIVS *poſſet.* Hactenus itaque ἀνυπεύθυνον nullique alii obnoxium fuit Lotharingiae regnum. Et, quamuis exſtincta Lotharii I. ſtirpe, aliquamdiu inter Germanorum & Francorum occidentalium conſilia fluctuaret: Germaniae tamen vnita, non iure ſupremi imperii excidit, ſed cum regno Germaniae in vnum veluti corpus coaluit, adeo vt iam vtrumque regnum pro vno cenſeatur, eiuſque ordines cum magnae Germaniae ordinibus in iiſdem comitiis congreſſi, in commune conſulant. Illud tamen negare nolim, quod iam ab aliis (f) eſt obſeruatum, Zuentebolдum a patre Arnulfo Lotharingico regno praefectum, non ſuis auſpiciis ita imperaſſe, vt omnia ſuo arbitrio egerit, ſed Germaniae maieſtatem comiter venerari debuiſſe, quamuis non admodum diuturnum fuerit intercalare illud Zuenteboldi imperium.

§. V.

Ducatus, ex regnis nati, variis gauiſi ſunt praerogatiuis, in primis quod palatiis regiis illuſtrati ſint. Elegans ob-

Lotharingiae ex eo, quod olim regni ἀξίωμα habuerit, non parum praerogatiuae acceſſiſſe, nemo dubitauerit. Conſtat enim inter omnes, qui in iuriſprudentiae publicae origines paullo accuratius inquirunt, prouincias illas Germaniae, quae olim ſub Francis regnatae ſunt, reliquis omnibus dignitate praecelluiſſe. Id quod vel inde patet, quod ſolae illae prouinciae palatiis regis locum praebuere, ſuoſque retinuere comites Palatinos, qui ibi vice Imperatoris vel Regis Germaniae ius dicerent. Exſtant paſſim in SPECVLO SAXONICO praeclara iuris publici Germanici vetuſtioris veſtigia, quae tantum abeſt, vt tam acri cenſura omnia perſtrin-

gi

(d) *Annal. Pithoeani p. 38.*

(e) Hincmar. Remenſ. *Epiſt.* I. *cap.* IV.

(f) Ludewig. *Singular. iur. publ. Romano-Germ. Praefat. p.* 86.

ſeruatio Speculatoris Saxonici de Comitibus palatinis, in Ducatibus, qui ex regnis nati ſunt.

gi atque explodi debuerint a viro, quem paullo ante laudauimus, doctiſſimo (g), vt digniſſima aliis pleraque videantur, quae maiore cura illuſtrentur ab eruditis (h). Inter haec poſtremi generis ἐμβλήματα neſcio an non primo loco ponendum ſit, quod SPECVLATOR ille (i) de prouinciis Germaniae, quae ex regnis natae ſint, ſcribit: *In Teutſchen Landen hat iedes Land ſeinen Pfaltz-Grafen. Sachſen hat einen, Bayren hat einen, Francken hat einen, Schwaben hat einen. Dieſe vier Lande waren hievor alle Kônigreiche.* Ex eo ergo, quod regna fuerint hae prouinciae, rationem reddit, cur cuique Comes Palatinus aliquis iuris dicundi cauſſa praefectus fuerit. In ſingulis enim regnis plura erant palatia, quae ſingulari induſtria recenſuit IO. MABILLONIVS (k). Palatiis vero Comites Palatini praeerant ex moribus veterum Francorum. (l) Hinc in Saxonia, quae ſub Ludouico iuniore, Ludouici Germanici filio, aeque ac Franconia regni formam induerat, floruere Comites Palatini Saxoniae, quorum iam ſub Ottone III. Imp. meminit DITMARVS MERSEBVRGENSIS (m). Nec ignotum eſt, Palatinatum illum, primum penes Comites Wetinenſes, hinc penes Gozecenſes & Sommerſenburgenſes, poſtremo penes Landgrauios Thuringiae, Duceſque Saxoniae tum Anhaltinae, tum Miſnicae ſtirpis, fuiſſe, & penes hos quidem etiamnum eſſe; quamuis illum ex conſulta ratione in inſignibus, quam in titulorum ſerie, exprimere malint (n). Ita & Alamannia, quum ſub Carolo Craſſo regnum fuerit, Comites Palatinos habuit, qui Tubingae ſedem ſibi conſtituerant, quorumque chartae veteres & annales paſſim meminerunt (o). Nec minus celebres ſunt Comites Palatini Bauariae, quorum primum Arnulphum, Arnulphi Mali filium, fuiſſe, ex RVOTGERO (p) oſtendit NIC. HIER. GVNDLINGIVS (q). De Franconia denique quum paullo poſt idem demonſtrandum ſit: vera profecto ac ſolidiſſima eſt SPECVLATORIS

SAXO-

(g) Dn. a Ludewig. *ibid.* §. VIII. p. 48.

(h) Thomaſ. *Delin. Hiſt. Iur.* §. 109. *Nec aliter philoſophantur* Schilterus, Hertius, Beyerus, Gundlingius, *quorum loca omnia adferre, ſuperuacuum foret.*

(i) *Ius prouinc. Sax. lib.* III. *Art.* LIII. §. 1.

(k) Mabillon. *de Re diplom. libro IV. toto.*

(l) Hincmar. *Epiſt.* III. *cap. XXXI.*

(m) Ditmar. Merſeb. *lib. V. p.* 352. *edit. Leibnit.*

(n) *Gundlingiana Part.* XXI. *Diſſ.* I. §. 12.

(o) *Monim. Wirtemb. in Monaſt. Bebenhuſ. n.* 3.

(p) Rotger. *in vit. Brunon. cap. XVI. apud* Leibnit. *Tom.* I. *ſcript. rer. Brunſu.*

(q) Gundling. *ibid. pag.* 23.

SAXONICI obſeruatio, prouinciae omnes, quae ex regnis in Ducatus fuerint commutatae, ſuos Palatinatus habuiſſe. Saltim tales haut reperias in prouinciis reliquis, quae quantumuis poſtea ad ſummum dignitatis Regiae vel Ducalis faſtigium adſpirarint, Caroli M. tamen poſteris tamquam regna, numquam ſubfuerunt. Nam nec Bohemicae nec reliquae Venedicae prouinciae Comites Palatinos habuerunt; vel, ſi quis ibi terrarum hoc titulo vſus eſt, (de quo tamen non conſtat; quum Comitis Palatini Luſatiae, quem apud LAMBERTVM SCHAFFNABVRGENSEM (r), reperiſſe ſibi viſus eſt HERTIVS (s) nuſquam vel vola vel veſtigium occurrat, & Lambertus ille potius de Comite Palatino Lotharingiae loquatur:) ſaltim ille non Imperio immediate, ſed Duci vel Marchioni ſuo obſequium debuit, adeoque ad illam reliquorum, de quibus nos loquimur, dignitatem haut adſpirauit.

§. VI.

Quid vero de Franconia & Lotharingia dicemus? Hanc enim a Lotharii I. Imp. temporibus, ſemper; illam ſub Ludouico iuniore aliquamdiu regnum fuiſſe, paullo ante demonſtrauimus. Sed ſalua res eſt. Quum enim Ludouicus iunior Franconiam & Saxoniam ex paterna Ludouici Germanici hereditate accepiſſet: ei portioni etiam acceſſit, quidquid Ludouicus, pater, ex defuncti Lotharii regno ſeruauerat (t). Non mirum ergo fuerit, ſi Comes Palatinus ad Rhenum vtrique prouinciae ſimul ius dixerit. At poſtea & ſuos Comites Palatinos habuit Lotharingia, a Comitibus Palatinis ad Rhenum diuerſiſſimos. Talem enim reperimus apud LAMBERTVM SCHAFFNABVRGENSEM (u), qui dum in Henrici IV. hiſtoria verſatur: *Chuno*, inquit, *cognatus Regis*, *Dux factus eſt Carentiorum: frater eius Henricus*, *Palatinus Comes* LVTHARIORVM (inde ergo *Luſatorum* Comitem Palatinum finxit HERTIVS,) *inſtinctu daemonis monaſticam vitam profeſſus eſt in Gorzia. Sed per paucos dies*, *vulgante ſe daemonio*, *quo illuſus fuerat*, *ſanctae conuerſionis habitum*, *quo ſe angelus Satanae in angelum lucis transfigurauerat*, *abiecit*, *vxoremque ſuam & poſſeſſiones*, *deſertor Dei & transfuga*, *recepit.* Habes itaque Henricum, Comitem Palatinum Lotharingiae, fratrem Chunonis, Carinthiae Du-

Talis eſt Lotharingia.

(r) Lamb. Schaffnab. *in Chronic. ad ann. MLVII.*

(s) Hert. *in Diſſert. de Conſultat. Leg. & iudiciis in ſpecial. Rom. Germ. Imp. rebus publ.* §. *XIX. pag.* 452.

(t) *Annal. Fuldenſ. ad ann. DCCCXXX.* Regino Prum. *ad eumdem ann.* Baluz. *Capitul. Reg. Franc. Tom.* II. *pag.* 221.

(u) Lamb. Schaffnab. *ad ann. MDXXV.*

Ducis, Regis Henrici IV. cognatum, ex Arnulphi Mali, Ducis, proſapia oriundum, ceu docet ſtemma hoc genealogicum, ex MONACHO BRVNVILERENSI apud LEIBNITIVM (x) potiſſimum excerptum:

Arnulfus Malus, *Dux Bauariae*, *caeſus anno* DCCCCLIII.

- Arnulfus, *Comes Palat. Bauar. occiſus anno* DCCCCXXXIII.
- Hermannus Puſillus, *Comes Palatinus Rheni* DCCCCXXXIX. *occiſus anno* DCCCCLIX.
  - Ezo ſeu Ehrenfridus, *Comes Palatinus. ob.* MXXXV. Vx. Mathildis, *Ottonis II. Imp. filia.*
    - Ludolphus, *Comes Palat. ob.* MXXXII.
      - Henricus, Furioſus, *Comes Palatinus Lotharingiae. ob.* MXCIII.
      - Cuno, *Dux Carinthiae, ob.* MLV.
    - Hermannus, *Archiep. Col. ob.* MLVI.

Ex quo ſimul patet, quod iam ab aliis animaduerſum (y), rationem fugere doctiſſimum TOELNERVM (z), Henrico huic locum inter Comites Palatinos ad Rhenum concedentem, quum in Lotharingia potius ea dignitate, teſte LAMBEBTO SCHAFFNABVRGENSI, functus ſit.

§. VII.

Quia ibi ſedes regni primaria, Aquisgranum.

Ex his porro, quae adhuc dicta ſunt, ſatis adparet, primum locum tenuiſſe Lotharingiam, non modo quia regnum fuit ampliſſimum, ſed & quia Aquiſgranum, totius imperii ſedes & palatium primarium in ea ſitum fuit. Non iam id probabimus ex ſubleſtae fidei tabulis Aquiſgranenſibus (a), in quibus Carolus M. communi omnium Procerum ipſiuſque Pontificis Rom. ſuffragiis ſanxiſſe fertur, *vt haec* SEDES REGNI *trans Alpes habeatur, ſitque* CAPVT *omnium ciuitatum & prouinciarum Galliae.* Eas enim acutior

(x) *Monach. Brunvilerenſ. cap.* I. *apud* Leibnit. *Tom.* I. *Script. rer. Brunſu.* C. *pag.* 315. *ſequ.*

(y) Maſcou. *de Nexu regni Lotharing. cum imperio Rom. Germ. Sect. I.* §. VII. *not.* 6. *p.* 10.

(z) Toelner. *Hiſt. Palat. pag.* 251.

(a) Mir. *Donat. piar. cap. XL pag.* 14.

tior criticorum natio iam pridem νοθεύσεως poſtulauit, ſuſpectaſque ipſe habuit, qui illas editione dignas iudicauerat, AVB. MIRAEVS (b). Aliis ac ſolidioribus longe teſtimoniis nititur ea Aquiſgrani praerogatiua. Diſerte enim WIPPO (c) ſcribit: *Collecto regali Comitatu, Rex Chonradus primum per regionem Ribuariorum vſque ad locum, qui dicitur Aquiſgrani palatium, peruenit, vbi* PVBLICVS THRONVS REGALIS, *ab antiquis Regibus & a Carolo praecipue, locatur*, TOTIVS REGNI ARCHISOLIVM *habetur.* Et DITMARVS (d) auctor eſt, iam antiquiſſimis temporibus in orientali parte illius palatii conſpectam fuiſſe aquilam, *quam moris fuerit omnium, locum hunc poſſidentium, ad ſua eum vertere regna.* Quibus innuit auctor grauiſſimus, gliſcentibus inter Germanos Francoſque occidentales turbis, & modo his Lotharingiam inuadentibus, modo illis eam, tamquam ſuam, vindicantibus, ſollemne fuiſſe victoribus, aquilam illam, quae ſublimis in palatio praefulgebat, in eam partem conuertere, qua victores rerum potirentur, vt reſpiceret orientem, quoties Germani; occidentem, quotieſcumque Franci occidentales Aquiſgranum occupaſſent. Exiſtimaſſe itaque videntur, eum imperium tenere, qui teneat imperii ſedem, Aquiſgranum (e). Ex quo ſatis patet, cur non modo noſtris temporibus antiquae iſtius gloriae ſit tenaciſſima, & ἀξίωμα iſtud hymnis & inſcriptionibus in Curiae propylaeo conſpicuis ſeruare ſtudeat (f): verum etiam iam olim in pleriſque monimentis audiat *der Königliche Stuhl und Stadt Aach* (g).

§. VIII.

In Lotharingia non ſolum Comes Palatinus prouincialis;

Quemadmodum ergo inde non parum decoris acceſſit Lotharingiae, quod in ea vera ſedes totius regni ac veluti domicilium ſacri imperii eſſet conſtitutum: ita nec hoc illi minori laudi cedit, quod ex eadem ratione & primarium totius regni Comitem Palatinum habuerit. Vidimus ſupra, (§. VI.) fuiſſe Lotharingiae Comitem Palatinum proprium, eoque honore Henricum Furioſum, imperante Henrico IV. Imp. functum eſſe, oſtendimus. Sed illi cum Aquisgranenſi palatio nihil rei fuiſſe videtur. Rem in pauca conferemus. Quemadmodum quod ad eccleſiae regimen attinet, duae erant regni Lotharingici metropoles, Auguſta Tre-

 uero-

(b) Aub. Mir. *ibid. not.* 1. *Add. Gundlingiana Part.* XVIII. *Diſſ.* I. §. 6. *pag.* 244. *ſequ.*

(c) Wippo *in vita Conradi Imp. p.* 426.

(d) Ditmar. *in Chron. lib.* III. *p.* 343.

(e) *Gundlingiana Part.* XVIII. *Diſſ.* II. §. XIV. *p.* 264.

(f) Limn. *lib.* VII. *cap.* II. *n.* 8. ubi & de hymno: *Vrbs Aquenſis, vrbs regalis, ſedes regni principalis, prima Regis curia.*

(g) *Diploma Caroli V. apud* Limn.

Inr-

uerorum, & Colonia Vbiorum: ita totidem erant Regum palatia, Mediomatricum (gg) & Aquisgranum, quorum alterum in ſuperiore, alterum in inferiore Lotharingia florebat: alterum Lotharingici regni proprium, alterum commune imperii Germanici domicilium habebatur. Itaque & conſentaneum videbatur iuris publici Francici principiis, eſſe in Lotharingia Comites Palatinos tum illi regno proprios, qualis fuerat Henricus ille Furioſus, tum & communes totius regni, quia ibi eſſet totius regni ſedes & WIPPONIS ſtilo, archiſolium.

§. IX.

Sed & Comes Palatinus Imperii.

Et hi poſtremi ſunt illi COMITES PALATINI ad Rhenum, quorum maxima in vniuerſo Imperio fuit & etiamnum eſt auctoritas. Sane iam TOELNERVS (h) obſeruauit, Palatinos ad Rhenum non olim ad Nicrum & in ſuperiore parte Rheni, ſed inferius in Lotharingia circa Moſellam & in finibus Belgii potiſſimum ſediſſe. Sane inter eorum praecipuas terras recenſet Comitatum *Nemoris* & in eo caſtrum *Thonaburg*, hodie *Tkomberg*, *Berckem & Duren,* in Ducatu Iuliacenſi, *Brouilre*, Dominium ad *Lacum*, Comitatum *Meyenfeld*, *Monaſterium Eiſliae*, *Palatiolum*, *Pfälzl*, haut procul Treueris, quin & magnam *ſiluae Arduennae & Ducatus Iuliacenſis* partem cum terris vicinis cis & trans Rhenum, vt dubitari non poſſit, Palatinatum Rheni olim in inferiore parte Lotharingiae a Belgio ad Moſellam vſque circa Aquisgranum habuiſſe domicilium, non in iis terris, quae iam Palatinatus ad Rhenum vocabulum adoptarunt. Quod quum vulgo minus ſit cognitum, non mirum eſt, de Palatinatu vetere ignorantiam ſuam profeſſos eſſe viros, rerum Germanicarum ceteroquin peritiſſimos, MVNSTERVM (i), FREINSHEMIVM (k), FREHERVM (l), HERM. CONRINGIVM (m), quorum poſtremi ideo plane in hanc opinionem inciderunt, quod Palatini Comites ad Rhenum veteres fixam ſedem plane non habuerint, ſed in aulae Regiae Comitatu perpetuo fuerint. Quod vt de eorum perſonis fortaſſis veriſſimum eſt: ita inde fruſtra collegeris, non fuiſſe certum eis palatium, vbi praecipue ius dicerent, nec adſignatas terras aliquas, vnde alio-

Iur. publ. lib. VII. *cap.* II. *n.* 11. *& Addit. Tomo* II. *ad lib.* VII. *cap.* II. *p.* 71. Friſch. *in Addit. ad* Limn. *p.* 195. *ſeqq.*

(gg) Blondell. *Plen. Aſſert. p.* 270.

(h) Toeln. *Hiſt. Palat. cap.* II. *p.* 24.

(i) Munſter *in Coſmogr. lib.* III. *cap.* CCL.

(k) Freinshem. *de Vicariat. Palat. cap.* IX. *n.* XVI. *p.* 93.

(l) Freher. *Orig. Palat. pag.* 1. *ſequ.*

(m) Conring. *in Cenſura Diplom. Ludouiciani Lindau. cap. XI. p.* 103.

Digitized by Google

aliorum Principum more reditus tam ſplendido officio dignos caperent, ceu recte animaduertit LEIBNITIVS (n). Rem omnem expedit MONACHVS BRAVWILERENSIS (o), qui de Ezone Comite Palatino: *Denique*, inquit, *totius Galliae Principum quum eſſet corporis elegantia venuſtiſſimus, mentis induſtria prudentiſſimus, animi magnanimitate fortiſſimus, ad diſponenda negotia tam priuata quam publica diſcretiſſimus*, REGALIS PALATII *apicem iure* PATERNI SANGVINIS *ſtrenuiſſime gubernando, eo profecit honoris, vt ſuam ſemper gloriam pluris, quam accepiſſet, efficeret decoris.* Et paucis interiectis (p): *Cuius tranſitum in* AQVISGRANI PALATIO, *propere cognito (nam ibi tunc* COMES PALATINVS *erat, occupatus tum totius* LOTHARINGIAE *maiorum colloquio,) aſſumtis eis ſecum, quorum alii ſe dominum, nonnulli decus & Imperii gloriam amiſiſſe, dolerent, gemerent & plangerent, velocius peruenit ad conthoralis ſuae corporis exanimi pignus venerabile.* Ex eo itaque omnino ſequitur, quod demonſtrandum ſuſceperamus, Palatinatum ad Lotharingiam pertinuiſſe, & Aquisgranenſi potiſſimum palatio fuiſſe adfixum, non autem iis locis, vbi iam prouincia amplisſima fertiliſſimaque Palatinatus ad Rhenum cognomen tuetur, ſitum fuiſſe.

§. X.

Cur hic Palatinatus interiecto tempore ad ſuperiorem Rhenum migrarit?

Nimirum, quod demum ad ſuperiorem Rhenum veluti migrauit Palatinatus, inde factum, quod dubia terrarum illarum poſſeſſione, & Germanis Franciſque de Lotharingia perpetuo fere litigantibus, conſultiſſimum putarent, terras, quas iam tum ad ſuperiorem Rhenum tenuerant, variis acceſſionibus locupletare. Ita ſenſim adquiſiuere Comitatum *Stalecke & Bacharach, Graichgoniam cum burgo Heidelberg, Comitatum Stalbuhel*, & reliquas, quas iam Palatini ad Rhenum poſſident, prouincias, quarum incrementum prolixe deſcribunt ZEILERVS (q), FREHERVS (r), TOELNERVS (s), & alii. At in iſta nouae fertiliſſimaeque prouinciae adquiſitione fere contigit, quod ſolet in alluuionibus, vt quo maius vni loco incrementum accedit, eo plus alteri decedat. Terras enim ad inferiorem Rhenum pleraſque omnes Comites Palatini vel in eccleſias & monaſteria, a ſe condita, liberaliter contulerunt, ſi eſſent

(n) Leibnit. *in Praefat. Tom.* I. *Script. Rer. Brunſu. n. XXVII.*

(o) Monach. *Brauuuil. apud Leibnit. ibid. cap.* I. *pag.* 314.

(p) Idem *ibid. cap.* II. *p.* 318.

(q) Zeiller. *Topogr. Palat. Rheni paſſim.*

(r) Freher. *Orig. Palat. lib.* II. *cap.* 10. *& paſſim.*

(s) Toelner. *Hiſt. Palat. c.* II. *p.* 28. *ſeq.*

ſent allodiales, vel, ſi clientelari nexu obſtrictae imperio, aliis in ſubfeudum dederunt, ceu ſingulari capite demonſtrauit TOELNERVS (t). Vnde mirifice creuerunt Comitum Iuliaci, Cliuiae, Montium, aliorumque opes, & in tantum auctae ſunt, vt non modo ipſi ad Ducalem in Imperio dignitatem adſpirarent, ſed iſta etiam in vrbem Aquisgranum protectionis iura exercerent, quae olim ad Comites Palatinos Imperii non minus pertinuerunt, quam iura Aduocatiae ſupremae, (*Ober-Voigtey*) quae ſibi poſtea vindicarunt Brabantini (u).

§. XI.

Magna Lotharingorum in Rege Germanorum eligendo auctoritas.

Quae hactenus de primario imperii palatio in Lotharingia, & Palatinatus Imperii genuina ſede, diſſeruimus, eo pertinent, vt tanto magis appareret, principem Germaniae prouinciam fuiſſe Lotharingiam, in qua quippe totius Imperii ſedes ac veluti domicilium, & ob coniunctum cum illo Palatinatum ſuprema cauſſarum ad palatium delatarum iuriſdictio fuit. Atque hinc facile reddi poterit ratio, cur tam multum ſemper momenti poſitum fuerit in Lotharingia, quotieſcumque de eligendo Romano Imperatore agebatur. Praeterquam enim quod in Lotharingia eſſet palatium regium, ibique impoſita corona inaugurari ſolerent electi Germanorum Reges (x), quod poſtea AVREA BVLLA (y) firmatum eſt: praecipuae etiam in electione partes erant non modo Archiepiſcoporum Treuerenſis & Colonienſis, verum etiam Comitis Palatini, quibus & eo tempore, quo adhuc omnes Imperii Ordines Regem communi ſuffragio creabant, ius προβουλεύσεως competebat cum Moguntino, nec non reliquis, qui primaria regni officia, id eſt Pincernatum, Marſchallatum, Camerariatum, ſit venia verbis, in iure publico ſemel receptis,) gerebant. Hinc quamuis priorum temporum Reges Germaniae ab vniuerſis Principibus electi dicantur: AVCTOR tamen VITAE MATHILDIS (z), iam ſaeculo decimo Ottonis M. electionem deſcribens, meminit *Doctorum primorum, qui de ſtatu regni conſilium habuerint.* Et in electione Lotharii, teſte ALBERICO (a), Triumfontium monacho; in conſilium adhibiti *eminentiores aulae regalis primates.* Denique quum,

(t) Toelner. *Hiſt. Palat. cap.* III.

(u) Sprenger. *Iuriſpr. publ. p.* 457. *Rex Hiſpaniae habet ratione Brabantiae ius praefecturae, (vulgo Ober-Voigtey) in ciuitate, & Dux Iuliacenſis ius protectionis.*

(x) *Gundlingiana Part. XVIII. Diſſ. II. p.* 233. *ſequ.*

(y) *Aur. Bulla cap. XXVIII.* §. 8.

(z) *Auctor Vitae Mathild. cap.* II. *p.* 197. *ad* Leibnit. *Tomi ſcript. Rer. Brunſu.*

(a) Albericus *Chronic. ad an.* MCXXV.

quum, diuiſis principum ſuffragiis, ab aliis Philippus Sueuus, ab aliis Otto Brunſuicenſis eligeretur, huius electionem vel ideo ratam habuit INNOCENTIVS PP. III. in Epiſtola ſingulari ad Principes Teutoniae & Alamanniae (b), *quod tot, vel plures ex his, ad* QVOS PRINCIPALITER SPECTAT IMPERATORIS ELECTIO, *in eum conſenſiſſe noſcerentur, quot in alterum conſenſerint.* Quae quum certiſſima ſint: nemini obſcurum erit, quanta Lotharingorum fuerit in eligendis Imperatoribus auctoritas. Tres enim ex eo regno erant, quibus illud ius προβουλευτικῶς in electione Regis iure ab antiquiſſimis temporibus recepto competebat, Treuerenſis, Colonienſis, & Comes Palatinus. Praeterea vni ex illis, puta Colonienſi, Baſilica Aquenſis, in qua corona more maiorum incingendus erat nouus Rex, tamquam epiſcopo dioeceſano ſuberat. Adeoque non facile quiſquam ea ſuprema inter Chriſtianos dignitate potiebatur, niſi qui de Lotharingorum fauore eſſet certiſſimus. Plura eius rei exſtant exempla. Nam non modo in eligendis Regibus Germaniae vel praecipue mentio fit Lotharingorum: veluti in electione Henrici II. (c) & Conradi II. (d) verum etiam ex eiuſdem Henrici II. (e) & Henrici V. (f) electione patet, tamdiu quaſi in lubrico ſtetiſſe reges, quamdiu nondum obtinuerint Lotharingorum ſuffragia.

§. XII.

Quin non modo in electione, verum etiam in coronatione Regum Germaniae haut poſtremas quandoque Lotharingorum partes fuiſſe comperimus. In eo inaugurationis actu praecipue elucet imperii Germanici ſplendor, dum primarii eius Principes officiis aulicis publice & cum adparatu funguntur. Id vero quomodo in coronatione Ottonis I. factum ſit, referens WITECHINDVS SAXO (g): *Duces*, inquit, *adminiſtrabant*; LOTHARIORVM *Dux Giſelbertus, ad cuius poteſtatem locus ille* (Aquisgranum) *pertinebat, omnia procurabat, Eberhardus menſae praeerat. Hermannus Francus pincernis, Arnulphus equeſtri ordini & eligendis locandiſque caſtris praeerat.* Giſelbertum Lotharingiae ducem tum officio aulico, vel, vti hodie vocant, archiofficio functum eſſe, ex his

Duces Lotharingiae aliquando archiofficio in coronationibus Imperatorum functi ſunt.

(b) Innocent. III. *Epiſt. Tomo I. p.* 700. *edit. Baluz.*
(c) Adelbold. *Vit. S. Henrici Imp. cap. XI.* Ditmar. Merſeb. *lib. V. p.* 369.
(d) Wippo *in vita Conradi p.* 426. *ſequ.*
(e) Ditmar. *ibid.*
(f) Sigeb. Gembl. *ad ann. MCVI.* Otto Friſing. *lib. VII. cap. XII. Auctor Vitae Henrici IV. p.* 391.
(g) Witich. Saxo *lib.* II. *Annal. p.* 246.

his verbis tam perſpicue adparet, vt alia probatione vix opus ſit. At minus expeditum videtur, quodnam fuerit illud archiofficium? Sed ſalua res eſt. Quum enim *Archipincerna* tum fuerit Hermannus Francus, *Archidapifer* Eberardus, & cura equeſtris ordinis & praefectura locandorum caſtrorum, qua Arnulphus tum functus eſſe dicitur, procul dubio ad *Archimarſchalli* officium pertinuerit, quemadmodum hodienum Elector Saxoniae eam curam in comitiis & aliis imperii conuentibus, Marſchallo Pappenhemio demandare ſolet (h): conſequens ſane eſt, vt Giſelbertus tunc *Archicamerarii* ſplendidiſſimum officium, quod nunc cum Marchia noſtra Brandenburgica eſt coniunctum, ſuſceperit. Vidit hoc iam HERM. CONRINGIVS (i), & IO. IAC. MASCOVIVS (k), reſque tam clara eſt, vt merito fluctus in ſimpulo mouere dicas BOECLERVM (l), qui Witichindi verba ita interpretatur, vt plane non loquantur de archiofficio, ſed innuant tantum, Giſelbertum id egiſſe, *quod omnibus Ducibus imperii incubuerit, vt Rege aut Imperatore in prouinciam, cui quiſque praeerat, veniente, de neceſſariis ei proſpicerent.* Quaſi vero probabile ſit, Witichindum ſcriptorem, rerum ciuilium non imprudentem, tam confuſe ſcripſiſſe, vt priuatam illam annonae atque obſoniorum curam cum functionibus illis ſollemnibus *Archipincernae*, *Archidapiferi* & *Archimarſchalli* coniungere & ſollemne *Archicamerarii* officium plane omittere non dubitaret? Et quaſi ex eo, quod HINCMARVS (m) ſub Carolingica Regum ſtirpe aliam iſtorum officiorum rationem fuiſſe obſeruat, colligendum ſit, inſequenti ſaeculo nullam fieri potuiſſe mutationem. Itaque fixum firmumque maneat, Giſelbertum tunc Archicamerarii officio functum, quamuis illud poſtea, ob turbas in regno illo exortas, in alios atque alios videatur tranſlatum, donec in potentiſſima gente Brandenburgica fixas veluti ſedes, ac ſtabile domicilium reperiret.

§. XIII.

Lotharingia aliquando Archiducatus.

Quae hactenus a nobis dicta ſunt, ad LOTHARINGIAM in vniuerſum, non ſpeciatim ad Ducatum Lotharingiae, pertinent: proximum eſt, vt de huius quoque praerogatiuis quaedam diſſeramus. Quanti momenti ille viſus ſit Germanis, vel inde patet, quod

(h) Wagenſeil. *de S. Rom. Imp. Official. & ſubofficial. cap.* IX. *§. VI. pag.* 91. *ſequ.*

(i) Conring. *de Official. Imp.* §. XII.

(k) Maſcou. *de Originib. Officior. auli. S. R. Imperii* §. XXXVIII.

(l) Boecler. *Hiſtor. Saec. X. p.* m. 216. *ſequ. Tom. Diſſ. Acad.* III.

(m) Hincmar. *Epiſt. pro Inſtit. Caroli lomanni Regis* §. XX. *Tom.* II. *Opp. pag.* 208.

quod ad exſtinguendas turbas, quae regno iſti per tantum temporis ſpatium, veluti peſtis, incubuerant, ARCHIDVCEM illi praefecerit Otto M. Imperator, quum antea iſtud *ἀξίωμα* plane inauditum eſſet in republica Germanica. Fuit hic Lotharingiae Archidux primus, ſed & poſtremus, Bruno, Colonienſis Archiepiſcopus, Ottonis M. frater, cuius geſta fuſius deſcripſit ROVTGERVS a LAVR. SVRIO (n) & G. G. LEIBNITIO (o) editus. Hic ergo vbi ad illam rem delabitur (p): *Otto,* inquit, *Imp. fratrem ſuum, Brunonem, Occidenti tutorem & prouiſorem, &, vt ita dicam,* ARCHIDVCEM, *in tam periculoſo tempore miſit.* Ne quis vero exiſtimet, Routgerum tantum ob potentiam Brunoni hanc dignitatem tribuere, eam ſane etiam confirmat WITICHINDVS (q), qui Brunonem *Pontificis ſummi ac* DVCIS MAGNI *officia ſimul geſſiſſe ſcribit*, & in epitaphio Colonienſi vocatur

Archos antiſtes, cui data Colonia ſedes.

Sed & AVCTOR VITAE THEODERICI EPISCOPI (r), ei diſerte tribuit titulum *Archiducis & Archiepiſcopi*; id quod & SIGEBERTVS GEMBLACENSIS facit in Chronico ſuo: vt dubium non ſit, quin *Archiducis* titulo vere ſit vſus, quamuis a CONTINVATORE REGINONIS (s), LEVOLDO A NORTHOF (t), aliiſque, tantum *Dux* ſalutetur, ab eodem autem auctore vitae THEODERICI, Epiſcopi Metenſis, ei tribuatur *dominatus totius Lotharingiae.* Digna nimirum videbatur Lotharingia, quum in Ducatum mutaretur, vt ſupremo Duci nouus ac ſplendidior titulus daretur, non modo ob prouinciae amplitudinem, quae Reges olim aluerat, verum etiam, quia ipſe Bruno Ducem anno DCCCLVIII. in Lotharingia ſuperiore conſtitueret Fridericum (u), adeoque Dux Ducis, id eſt, archidux, iure dicendus videretur.

§. XIV.

Poſtea inde nati duo Ducatus potentiſſimi.

Sane ſi amplitudo prouinciae atque opes praerogatiua aliqua poſſeſſores donant: etiam eo nomine reliquis Germaniae prouinciis facile anteferenda fuerit Lotharingia, quae quum initio Re-

(n) Sur. *Act. Sanct. Tomo V. die XII. Octobr.*

(o) Leibnit. *Script. Rer. Brunſu. T. I. p.* 273. *& ſequ.*

(p) Routger. *in Vit. Brunon. cap. XVII. pag.* 279. *edit. Leibnit.*

(q) Witichind. Saxo *Annal. lib.* I. *p.* 638.

(r) *Vita Theoderici Epiſc. Metenſ. cap. VII. p.* 297.

(s) *Contin. Reginon. ad an.* DCCCCLIII. *&* DCCCCLXV.

(t) Leuold. a Northof. *in Catal. Archiep. Colon. apud Meibom. Tom. I. ſcript. rer. Germ. pag.* 687.

(u) Flodoard. *in Chron. ad ann.* DCCCCLVIII.

gibus Ducibuſque paruiſſet ſingulis, poſtea, diſtracta licet in varios Ducatus, Principes tamen habuit opibus viribuſque nulli procerum Germaniae ſecundos. Nimirum ex quo Duces dare Lotharingiae placuit: vniuerſae praefuerunt ab anno DCCCCXXI. *Giſelbertus*, anno DCCCCXXXIX. Rheno flumine infeliciter abſorptus (x): *Henricus*, Ottonis I. Imp. frater, paucis poſt menſibus Bauariae Ducatu contentus eſſe iuſſus (y): *Otto*, Ricuini filius, qui anno DCCCCXLIV. ad plures abiit (z), *Conradus* ſeu *Chuno*, qui ſocero Ottoni I. Imp. rebellis Hunnos in Lotharingiam pertraxit, poſtea vero facti poenitens, aduerſus illos fortiſſime dimicans, anno DCCCCLVII. occubuit (a): ac denique Archidux, *Bruno*, de quo paullo ante diximus. Quum vero, teſte tot annorum experientia, paullo difficilius in Imperii Germanici obſequio continerentur Duces, quibus in Lotharingiam vniuerſam erat imperium: diuidere illam placuit. Et ſuperior quidem, quam fere Moſella mediam interſecat, ceſſit *Friderico*, cui & Theodericus filius, & Fridricus II. nepos ſucceſſit. Inferiori, quae & Ripuaria dicitur, quamque Moſa & Scaldis alluunt, ab ann. DCCCCLXXVII. praefuerunt *Carolus*, Ludouici, Francorum Regis ex Gerberga Saxonica filius (b), dein ab anno MV. *Otho*, eiuſdem filius. Quo ſine maſcula prole defuncto, Henricus II. Imper. Ducatum inferiorem dedit *Godofredo*, *improli*, Godofredi Captiui, Comitis Virdunenſis, filio (c), quo ipſo etiam circa annum MXXIII. ſine maſcula prole exſtincto, *Gothilo* Magnus, frater, non modo in inferiorem Lotharingiam ſucceſſit, verum etiam anno MXXXIII. mortuo ſine liberis maſculis Fridrico, ſuperioris Lotharingiae Duce, & illum Ducatum Conradi Salici Imp. beneficio obtinuit (d). Sed fuit hoc illuſtriſſimae familiae fatum, vt, quum Gothilo duos filios ſuperſtites habetet, *Gothofredum Magnum*, & *Gothilonem Ignauum*, hic inferiorem Lotharingiam, anno MXLVI. amitteret (e): ille ſuperiore ob perduellionem anno MXLV. ſimiliter priuaretur (f), inferiorem quidem recepturus poſtea (g), eamque relicturus *Godofredo Gibboſo*, ſed non

(x) *Continuator. Reginon. ad ann. DCCCCXXXIX.* Ditmar. *lib.* II. *p.* 338. *ſequ.*

(y) *Continuat. Regin. ad an. DCCCXL.*

[z] Idem *ad ann. DCCCCXLI.*

[a] Miraeus *in Not. eccleſ. Belg. pag.* 692.

(b) Sigebert. *in Chron. ad ann. DCCCCLXXVII.*

(c) Idem *ad ann. MXII.*

(d) Aub. Miraeus *in Notis. Eccleſ. Belg. p.* 694.

(e) Herm. *Contract. ad ann. MXLV.*

(f) Miraeus *ibid. p.* 693.

(g) Idem *ibid.*

non niſi ad annum MLXXVI, quo tota illa ſplendidiſſima familia defecit (h).

§. XV.

Inferior Lotharingia iterum in varios Ducatus abiit, eosque opulentiſſimos.

Ad LOTHARINGIAM INFERIOREM quod attinet, eius potentiam vel inde aeſtimes, quod paullatim in alios quamplures Ducatus diſtracta, omnibus ſuffecit, & ſinguli illi Ducatus Principes habuere, rerum geſtarum magnitudine celeberrimos. Nimirum Gothofredis, de quibus paullo ante diximus, in Lotharingiae inferioris Ducatu ſucceſſerat Gothofredus Bullonius (i), captis Hieroſolymis conditoque regno Hieroſolymitano celeberrimus. Huic Henricus Limburgenſis Comes, anno MCI ſurrogatus eſt (k): qui quidem ob rebellionem captus, locum anno MCVI. fecit Gothofredo Barbato Brabantino (l), at Ducalem tamen dignitatem, Limburgenſi domui ſemel partam, conſtanter retinuit. Sic ex vno Lotharingiae inferioris Ducatu nati ſunt duo, *Limburgenſis* & *Brabantinus*. Poſtea omnes fere Comites opulentiores illam dignitatem adfectarunt. Anno enim MCCCIX. eam ab Henrico VII. Imp. domo Luxemburgico, facile impetrarunt *Luxemburgenſes* (m), quam deinde Carolus IV. eiuſdem familiae Imperator anno MCCCLIV. luculento diplomate confirmauit (n). Hos anno MCCCXXXIX. imitati ſunt *Geldriae* Comites (o), anno MCCCLVII. *Iuliacenſes* (p), *anno* MCCCLXXX. *Montenſes*, quamuis alii tunc tantum nouo diplomate ſtabilitam eam dignitatem velint (q). Denique & Comites *Cliuenſes* in ipſo concilio Conſtantienſi ad eamdem dignitatem euecti ſunt anno MCCCCXVII. (r) Atque ita Lotharingia inferior ſola praeter tot opulentiſſimos Comitatus, in ſeptem Ducatus paullatim diſtracta eſt, & non mediocres eos quidem, ſed pinguiſſimos, & reliquis, qui in Germania magna celebrantur, pleriſque facile aequiparandos.

(h) Lamb. Schaffn. *ad an. MLXXVI.*

(i) Sigeb. Gemblac. *ad ann. MLXXXIX.*

(k) Idem *ad ann. MCI.*

(l) Idem *ad ann. MCVI.*

(m) Trithem. *in Chron. Hirſaug. ad ann. MCCCIX.*

(n) *Exſtat hoc apud* Meibom. *Script. Rer. Germ. Tom.* III. *p.* 211. Leibnit. *Cod. Iur. Gent. diplomat. Part.* I. *p.* 207.

(o) Leibnit. *ibid. n.* 78. Pontan. *Hiſt. Geldr. lib. VII. p.* 228.

(p) Trithem. *Chron. Hirſaug. ad an. MCCLVI.* Pontan. *ibid. p.* 270.

(q) Schaten. *Annal. Paderb. lib.* XIV. *pag.* 409.

(r) Trithem. *ib.* ad an. *MCCCCXVIII.*

§. XVI.

Cur Dux Brabantiae Lotharingiae nomen adſectarit.

Ex his duo ſunt, qui Lotharingiae Ducatum titulis ſuis adſcripſere, BRABANTINVS & LIMBVRGICVS, inter quos mira interceſſit aemulatio. Quum enim Dux Limburgenſis Henricus, qui anno MCI. Ducatum Lotharingiae inferioris loco Godofredi Bullonii erat conſequutus, tanti beneficii parum memor, fraena mordere & aduerſus Imperatorem hoſtili animo eſſe diceretur: illi quidem in captiuitatem detruſo anno MCVI. ſucceſſor datus eſt Godofredus Brabantinus, Comes Louanienſis; ſed cui idem fatum incubuit, quum, electo Lothario Rege, Conrado Sueuo, eius aemulo, ſeſe adiunxiſſet. Ducatu enim ſpoliatus a Lothario, locum iterum fecit Valeramo, Duci Limburgenſi, Henrici filio, non diutius tamen eo honore fruituro, quam quoad viueret Lotharius. Eo enim anno MCXXXVII. defuncto, Conradus Sueuus, nemine obnitente, imperauit, iſque priſtini amoris memor Brabantino Lotharingiae inferioris Ducatum anno MCXXXVIII. reſtituit (s). Inde ergo lites, vtraque domo ius ſuum titulis teſtante, donec Godofredus III. anno MCLV. ducta Margaretha Limburgenſi, Ducatum Lotharingiae & ſucceſſionem in Limburgico ſibi ſtipulatus, contentioni illi finem imponeret. Familia enim Limburgica exſtincta, ſolus Brabantinus Lotharingiae Ducatus titulo vſus eſt, donec & illa ſplendidiſſima familia deficeret.

§. XVII.

Itemque cur aliquando ius gladium in Imperatorum coronationibus praeferendi ſibi vindicarit?

Neſcio quo caſu euenerit, vt noui iſti Duces gladium praeferendi ius in ſolennibus Regum Germaniae curiis ſibi vindicarint, quum illo officio alioquin Saxoniae Electores indubie fungantur. Sane hoc ius anno MCCCLXXVI. in Wenceſlai Regis inauguratione adfectauit Wenceſlaus, Lotharingiae & Brabantiae Dux, quamuis parum compertum ſit, Lotharingiae, Brabantiae, an Luxemburgi Ducatui officium illud adnexum eſſe exiſtimarit. At ſucceſſu tum caruit illud Brabantini conſilium. Quamuis enim Carolus IV. Imp. neutri Principum bilem moturus, gladium tum a filio Sigiſmundo, decem annorum puero, praeferri iuberet: litem tamen poſtea dedit ſecundum Saxonem, cui illud ius etiam in Aurea Bulla publica lege fuerat conceſſum(t). Simile ius anno MDXX. ſibi adſerere conatus eſt Dux Iuliacenſis, quum Carolus V. Aquisgranum ſolemni pompa intraret. Eam enim vrbem ſui territorii eſſe, ſibique ius conducendi competere, cauſſatus, Saxo-

(s) Sigebert. Gembl. *in Chron. ad ann. MCXXV.*

(t) Aubert. Miraeus *in Notit. eccleſ. Belg. p. 696. edit. Franc. Foppens. T. I.*

Saxonicum Legatum praecedere volens, primus ſeſe in vrbem recepit (u). At Saxones Caeſarem vltra horae quadrantem retinuerunt, ac ſic demum Caeſarem Aquisgranum intrantem praeceſſerunt, egregio tum in ipſa arena reperto rem expediendi conſilio (x). Procul dubio Brabantinum archiofficii cuiuſdam, quod aliquando penes Lotharingiae Duces fuiſſe diximus, memoria ad hoc audendum induxit. Fortaſſis etiam vterque ſibi perperam perſuaſit, in Lotharingiae regno non licere Saxoni, quod in reliqua Germania citra controuerſiam liceat. Sed aliter fortaſſis compoſuiſſent rationes, ſi meminiſſent, & certis Principum familiis iam propria eſſe illa officia, & in vnum cum Germania imperium, ac veluti corpus, coaluiſſe Lotharingiam, adeoque nec alios in Lotharingia ſupremis iſtis officiis fungi poſſe, quam quibus ſemel illa publica lege collata ſunt.

§. XVIII.

Lotharingiae ſuperioris ſeu Moſellanae praerogatiua.

Feliciora fuere Ducatus Superioris Lotharingiae fata, qui non, vt inferior, in varias partes diſtractus diſſectusque eſt, ſed, egregia profecto virtutis praerogatiua, non modo inter innumeras temporum iniurias integer perſtitit, & per damna ac per caedes ab ipſo duxit opes animumque ferro, ſed & maxima ſubinde cepit incrementa. Nec minus obſeruandum, praeclara ſemper fuiſſe & etiamnum eſſe Ducum illorum iura, praeclaras immunitates, quas maximam partem recenſet diploma Ferdinandi Regis Romanorum anno MDXLII. Noribergae Antonio, Duci Lotharingiae, conceſſum, & a Carolo V. ratum habitum, quod quia LIMNAEVS (y) aliique iam ediderunt, nos iam breuitatis ſtudio merito omittimus.

§. XIX.

Nexus eius cum imperio & formula.

Neque iam opus eſt, fuſius inquirere in nexum Lotharingiae cum imperio Romano Germanico. Iam alii id egerunt ea cura, vt otium nobis feciſſe videantur, veluti CONRINGIVS (z), MAS-

(u) *Magn. Chron. Belg. ad ann.* MCCCLXXII. *p.* 326. Chifflet. *in commentar. Lothar. Cap. XXIII. p.* 98. Limnaeus *Addit. I. P. Tom. II. ad Lib. III. Cap. X. n.* 28. *& in Obſ. ad Aur. Bull. Cap. XXII. Obſ.* 3. Diploma Saxoni *tum datum exhibet Lunig. im Reichs-Archiv. Part. ſpec. P. II. p.* 5. *ſequ.*

(x) Hart. Maurus *de Coronat. Caroli V. apud* Goldaſt. *in Rational. Conſt. Imp.* Wagenſeil. *de S. Rom. Imp. ſummis officialib. & ſubofficialibus* Cap. *VIII. p.* 50.

(y) Limn. *Iur. Publ. Lib. V. Cap. XI. nu.* 3.

(z) Conring. *de Fin. Imp. lib.* II. *cap.* XXVII.

COVIVS (a), & nuper LVDEWIGIVS (b), Cancellarius Academiae Halenſis. Ex Ferdinandi Regis tabulis paullo ante laudatis adparet, *feuda recognoſcere Duces ſereniſſimos ab Imperio, ipſumque Ducatum eſſe ſub protectione, tutela & defenſione imperii, illos conferre ad imperii aerarium tertia parte minus, quam vnum ex Electoribus. Cetera Ducatum Lotharingiae eſſe liberum & immunem, es ſolle das Hertzogthum Lothringen, mit ſeinem Anhang ein gantz frey und ingezogen Fürſtenthum ſeyn und bleiben evviglich, und von der Käyſerl. Maj. dem König Ferdinando, auch Churfürſten. Fürſten und Ständen des H. Reichs ein une ingezogen Fürſtenthum, ſuperioritet und Principat erkannt, genennt und gehalten vverden.*

§. XX.

Eius hodierni tituli & inſignia honoris.

Permulta etiam ſunt, quae de titulis & inſignibus honoris Sereniſſimorum Lotharingiae Ducum poſſent moneri, ſi vel temporis, vel chartae anguſtiae hunc excurſum ferrent. Sed quum pleraque profundius atque ex interiore hiſtoria medii aeui eruenda fuerint, veremur, ne in iuſtum opus tunc euaſura eſſet diſſertatio. Sufficiat de MARCHISI titulo monere, eum quidem vulgo repeti a ludis equeſtribus, quos torneamenta vulgo adpellitant, in quibus Dux Lotharingiae a faecialibus prouocari conſueuerit tamquam *Marquis entre les trois Royaumes:* non tamen videri eam ſolam eſſe rationem tituli, quo & alii olim, veluti Flandriae Comites apud OLIV. VREDIVM (c) in diplomatibus & ſigillis vſi ſunt, ſed quod Ducatus ille vere eſſet limitaneus, Franciae occidentali & Arelatenſi regno obiectus. Tales vero prouinciae ſimul Marchionatus vocabantur, eorumque poſſeſſores non modo Duces ſed & *Marchiones*, vel vti iam HINCMARVS (d), ORD. VITALIS (e), RAD. DE DICETO (f) aliique a CAR. DV FRESNE (g) laudati, loquuntur, *Marchiſi* audiebant, ceu a DNI PRAESIDIS FRATRE (h) recte eſt animaduerſum. Paucis vt nos expediamus, non Marchiſi ideo audiunt ſereniſſimi Lotharingiae Duces, quia ita prouocati ſunt a faecialibus ludorum equeſtrium, ſed ita eos prouocarunt faeciales, quia erant *Marchiſi*, id eſt, ad tuendos imperii limites vel praecipue conſtituti.

§. XXI.

(a) Maſcou. *Diſſ. ſingulari edita Lipſ.* MDCCXXVIII.

(b) Ludewig. *Singul. Iur. Publ. pag.* 570. *ſequ.*

(c) Oliuar. Vred. *de Comit. Flandr. Sigill. pag.* 4. & 8.

(d) Hincmar. *Epiſt. de ord. palat. c.* 30.

(e) Orderic. Vital. *lib.* III. *p.* 481.

(f) Rad. de Diceto *pag.* 680.

(g) Carol. du Freſne *Gloſ. med. & inf. lat. ſub voce Marchiſus.*

(h) Heinecc. *de veter. Germ. Sigill. Part.* I. *cap. X.* §. XVIII. *p.* 123.

§. XXI.

Titulus Regiae Celſitudinis.

Titulus REGIAE CELSITVDINIS tametſi praecipue Regum filiis dari conſueuerit, poſtremis tamen ſaeculis non denegari conſueuit Principibus, qui iure ſibi regna vindicant, quamuis iniuſto aliorum facto poſſeſſione excluſi. Ita Sabaudiae Duci, etiam antequam primum Siciliae, dein Sardiniae regnum adquireret, iſte honor habitus eſt, ob ius, quod in Cyprum ſibi vindicat. Digna itaque etiam videbatur Domus Lotharingica sereniſſima, quae eiuſdem honoris ac tituli eſſet particeps, quum non vnius regni, inprimis vero Hieroſolymitani ſymbola in inſignibus, vel honoris, vel memoriae, vel ſeruandi iuris cauſſa, praeferat. Sane ea praerogatiua merito donari Domum ſereniſſimam, ipſi fatentur LEOPOLDI Imperatoris auguſtiſſimi codicilli, Sereniſſimo Duci, LEOPOLDO IOSEPHO CAROLO paullo poſt pacem Ryſuicenſem eam in rem clementiſſime conceſſi.

§. XXII.

Familiae Lotharingicae ſplendor.

Latus quoque hic ſeſe aperiret campus, maximum illum familiae Lotharingicae ſplendorem & praerogatiuam inde quoque natam oſtenſuris accuratius. Antiquitatis vel hoc ipſum eſt argumentum luculentiſſimum, quod tanta de eius originibus ſunt ſcriptorum diuortia. Quemadmodum enim Nili caput vel ideo latuit, quod illud in remotiſſimis Aethiopiae arenis eſſet indagandum: ita maximarum ac ſplendidiſſimarum familiarum origines, quo obſcuriores ſunt & vulgo ignotiores, eo magis vetuſtate conduntur. Nobis illud videtur certiſſimum, Gerardum Alſatium, a quo Ducum Lotharingiae ſereniſſimorum tota auguſta familia originem capit, quique primus Lotharingiam circa annum MCXLVIII. feliciſſimis auſpiciis adquiſiuit, Principibus ſui aeui maximis eſſe accenſendum, quum non ſolerent tam pinguia feuda niſi Principibus, qui antiquitate generis & gloria maiorum reliquis antecellerent, concedi.

§. XXIII.

Ea eiuſdem cum Habsburgica originis.

Si fides habenda ACTIS MVRENSIBVS, cum ab aliis, tum nouiſſime ab ECCARDO (i) editis, communis fuit Habsburgiorum & Gerardi illius Alſatii origo. Ibi enim diſerte legas: *Theodericus Dux Lotharingorum & Chono Comes de Rhinfelden fratres fuerunt. Horum ſoror fuit Ita, Comitiſsa de Habsburg, reparatrix huius Murenſis coenobii. Genuit autem Theodericus* GERARDVM *Ducem: ille vero genuit Gerardum de Egishem, patrem Vdalrici & Stephani.* Quae

(i) Eccard. *Orig. Habsburgo-Auſtr. pag.* 203.

Quae ſi vera ſunt, quod iam in medio relinquimus, eadem fuerit familiarum potentiſſimarum origo. Ab Ita enim Habsburgenſes; a Gerardo Duces Lotharingiae deſcendunt. Alii aliter hunc feliciſſimarum gentium nexum oſtendunt, quorum Circulos iam eo minus turbabimus, quo magis hoc ab inſtituti noſtri ratione abluderet.

§. XXIV.

Vtriuſque gentis felicitas in vindicanda vetere Lotharingia.

Periucunda nihilominus ea foret diſquiſitio, quam aliis relinquere cogimur. Miranda enim ita eſſet diui numinis prouidentia, quae vtrique auguſtae sereniſſimaeque familiae vniuerſam, quam late patet, Lotharingiam deſtinauit, & mira fatorum ſerie non ſolum conceſſit, ſed & aliquoties reſtituit. Inferiorem enim imperio ſuo complectitur Domus auguſta Auſtriaca; ſuperiorem ſereniſſima Domus Lotharingica. Nec eam fatorum legem turbare potuerunt tot ſaeuae procellae, quae per tot ſaecula vtramque prouinciam paene ad incitas redegerunt. Refloruerunt illae ſemper auſpiciis ſapientiſſimorum Principum, & magis magiſque quotidie reflorescunt, vt dubitare non poſſis, quin non modo ad priſtinam felicitatem adſpiraturae ſint, ſed & illam longe ſuperaturae.

§. XXV.

Concluſio diſſertationis, cum voto pro domo potentiſſima concepto.

Fauſta omnia ac felicia augurati ſumus vtrique Domui Sereniſſimae. Augurio vt reſpondeat euentus, TE, immortalis Deus, ſtator felicitatis Auguſtae, precamur, vt ſerues Germaniae CAROLVM Imp. ſerues FRANCISCVM STEPHANVM, Ducem Lotharingiae, cuius de virtute animoque fortunae maximae capaciſſimo, non aliud luculentius exſtare potuiſſet teſtimonium, quam quod amorem plane ſingularem CAROLI VI. Imp. Pii, Felicis, Auguſti, Patris patriae, ſibi iam inde a prima aetate conciliauit. Hoc amicitiae foedus Tu, Deus, fac ſit perpetuum, & non modo vtrique genti potentiſſimae, ſed & vniuerſae, qua patet, Europae, auſpicatiſſimum!

DE

Digitized by Google

ORATIO
DE C. AQVILLIO GALLO,
IVRISCONSVLTO CELEBERRIMO,
ſeu
EXERCITATIO XXIII.

Vod de hodierno die, qui GALLI, Abbatis, memoriae conſecratus eſt, non modo de plebe homines, ſed ipſi faſtorum conditores plerique adfirmant, ſolere eum coelum aduehere frigidius, niues ac pruinas minari, & pigerrimae iſti anni parti, qua omnia horrent, obrigeſcunt ac veluti exanimantur, quodammodo praeludere: id verum eſſe, in me ipſo profecto nunc deprehendo, dum conſcendendi hunc ſuperiorem locum, publiceque dicendi neceſſitatem mihi imponit ipſius huius diei ſollemnitas. Nam, qui olim, ita ferente occaſione, neſcio quo animi ardore ad dicendum inflammabar: iam hodie, aliquid verborum facturus, refrixiſſe in me illum dicendi impetum, exſtinctoſque propemodum eſſe ingenii mei igniculos, animaduerto, adeo vt nec ſententias, quibus vos oblectem, facile inueniam, &, repertis quibuſdam, ſelectiora illa verba, illaeque orationis Veneres, quae ſeſe mihi olim vltro offerebant, nunc ſe ſubducere plane, ac veluti refugere videantur. Vitio-ne ingraueſcentis paullatim aetatis hoc accidat, ingeniumque, tepeſcente calore naturali, ſimul tepeſcere ſoleat, an ad conſpectum horum faſcium, quos ego ante hunc diem numquam attigi, animus quodammodo cohorreſcat; pro certo vix adſirmauerim, AVDITORES HONORATISSIMI. Id tamen liquido ſcio, me neſcio quo torpore cor-

reptum, exſpectationi veſtrae minus hodie, quam vmquam, ſatisfacturum. Nihil enim ex me audietis, niſi, quod quotannis fere audiſtis, & cui fortaſſis aures veſtrae iamdudum non minus adſuetae ſunt, quam gallicinio, quo noctis ſilentia rumpuntur,

Excubitorque diem cantu praenunciat ales.

Nimirum, ne nihil dixiſſe videar, occaſionem dicendi rapiam de tempore, & antequam de decreto mihi in proximum ſemeſtre magiſtratu academico ſententiam animi exponam, breuiter diſſeram de GALLO, non illo quidem monachorum patre, cuius cucullum iam alii ſcite ſatis atque operoſe conſuerunt, (quid enim hic ad Edictum?) ſed de alio plane GALLO, quem Roma tamquam oraculum quoddam coluit, cuius limina quotidie paene ante galli cantum frequentiſſima conſulentium turba obſedit, qui denique omnibus ordinis noſtri hominibus incomparabile exemplum reliquit, non modo boni ciuis atque incorrupti iudicis, ſed & iuriſconſulti perfectiſſimi. Quum autem inter veteres iuris conditores inclaruerint plures, eodem Galli cognomine inſignes, veluti AELIVS GALLVS (a), Varronis ac Tullii aequalis, eorumque temporum, Macrobio (b) iudice, doctiſſimus, IVLIVS AQVILA, cui ipſi quoque GALLI cognomen tribuit index iuriſconſultorum, codici

(a) Scripſit AELIVS GALLVS librum doctiſſimum *de verborum, quae ad ius pertinent, ſignificatione*, ex quo vnicum in pandectis fragmentum ſupereſt, puta *l.* 157. *ff. de verb. ſign.* Laudatur tamen idem liber non modo a Caio in *l.* 19. *pr. ff. de vſur. & fruct.* & Paullo in *l.* 77. *ff. de verb. ſignif.* ſed & a Varrone *de Lingua Lat. Lib. IV. p.* 9. *& Lib. V. p.* 55. Servio *ad Virgil. Georgic. l. v.* 264. & Feſto *paſſim.* Nec alius liber eſt, quem Caecilio Gallo tribuunt Gell. *Noct. Att. XVI.* 5. & Macrobius *Saturnal. VI.* 8. Ex C. enim Aelio facile a ſcribis fingi potuit primum Caelius, deinde Caecilius, ceu recte coniecerunt Ant. Auguſtin. *de nom. propr. pand. p.* 16. & Menag. *in Amoenit. Iur. Ciu. Cap. XXII.* qui p. 113. obſerua, Athenaeum etiam *Lib. IV.* laudare *Caecilium Tuberonem*, quum tamen Aelios, non Caecilios, fuiſſe Tuberones, inter omnes conſtet. Simile erroris exemplum obſeruaui apud Sueton. *de illuſtr. Grammat. Cap. II.* vbi contractis praenomine & nomine *Laelius* vocatur, qui paullo poſt adpellatur *L. Aelius Praeconninus. Pannonium* etiam illum *Auitum* in *l.* 86. *ff. de adquir. vel omit. hered.* ſcribarum errore natum ex *P. Antonio Auito*, iam viderunt Alciat. *Parerg. iur. VII.* 16. Muret. *Epiſt. II.* 6. Bynkersh. *Obſ.* III. 7. Nec dubito, quin ex eodem errore ſit *Pantonius* in *l.* 2. *C. pro ſoc.* & apud Gruter. *Inſcript. p. DCCXVIII.* Alia huius generis exempla notarunt Thom. Reineſ. *ad Inſcript. Claſſ. XVII.* 73. *p.* 838. & Iac. Perizon. *Animadu. Hiſt. cap. X. p.* 446.

(b) Macrob. *Saturnal. VI.* 8.

Digitized by Google

codici pandectarum Florentino praemiſſus (c), & C. AQVILLIVS GALLVS, qui & formula de dolo malo, & ſtipulatione Aquilliana, & aliis εὑρήμασι iuriſprudentiam noſtram reddidit locupletiorem: nos, ne forte erretis, in praeſenti poſtremi huius vitam ac virtutes breui oratione ita percenſere conabimur, vt quotquot noſtrûm ad pulcherrimam aequi bonique artem cogitationes noſtras omniaque ſtudia conferimus, ad perſequenda pro ſuo quisque modulo tanti viri veſtigia tanto magis omnes incitemur. Vos, HONORATISSIMI AVDITORES, dum hoc agimus, adeſte animis, nobiſque, nec de viro proletario, nec de rebus inutilibus aut iniucundis, diſſerentibus, non aures modo vaciuas, ſed attentas etiam mentes paulliſper commodate. Nos ſane, quoad eius fieri poterit, operam dabimus, ne circumducta oratione vobis taedio eſſe, aut diem extrahendo proterue abuti patientia veſtra voluiſſe videamur.

Vt vero inde potiſſimum ordiamur, vnde ipſe C. AQVILLIVS GALLVS originem repetiit, veſtrûm equidem neminem dubitaturum arbitror, quin ille & generis nobilitate, & gloria maiorum, vnus omnium maxime floruerit. Oſtentabat enim gens Aquillia complures virorum non modo conſularium ac praetoriorum, ſed & triumphalium (d), imagines: ac praeterea iuriſconſulti noſtri

 aetas

(c) Male Angelus Politianus hunc Iulium Aquilam ob iſtud *Galli* cognomen cum C. Aquillio noſtro confundit, quum tamen & antiquior multo ſit noſter, quippe qui liberam vidit rempublicam, & a gente Iulia fuerit alieniſſimus. Quin dubitare licet, an vmquam GALLI cognomen Iulio Aquilae haeſerit. In inſcriptionibus enim duorum fragmentorum, quae ex eius Reſponſorum libro in *l. 34. ff. de adminiſtr. & peric. tut.* & in *l. 11. ff. de ſuſpect. tut.* ſuperſunt, non aliter vocatur, quam Iulius Aquila. In ſolo indice Florentino recenſentur Γάλλου Ἀκύλα *Reſponſa.* Vnde V. C. Theod. Gronou. *de Emendat. Pandect. cap. XXV.* acute coniicit, ſcribae ſocordia factum eſſe, ut Aelius Gallus, cuius alioquin in illo indice non ſit mentio, cum Iulio Aquilio in vnum vocabulum coaluerit, atque inde natus ſit Γάλλος Ἀκύλας. Suſpicari tamen malim, ex Γελλίου factum eſſe Γάλλου, facili errore, maxime eius, cui Gallus Aquillius notior fuerit, quam Iulius Aquila.

(d) In *Faſtis Capitolinis* ad annum V. C. 266. laudatur C. *Aquillius Tuſcus*, *Coſ.* qui inſequente anno ouans de Hernicis in vrbem rediit. Anno V. C. 365. *L. Aquillius Coruus*, *tribunus militum conſulari poteſtate.* Anno V. C. 494. C. *Aquillius* M. F. C. N. *Conſul*, qui triennio poſt ex Aſia triumphauit. Denique & *M. Aquillius*, non cognomine *Florus*, nec ſuperioris filius, ceu Anton. Auguſtin. *de Famil. Rom. p.* 328. exiſtimat, ſed *Gallus*, quique per tempora vix prioris pronepos eſſe potuit, vti paullo poſt ex inſigni marmore demonſtrabimus. Collega is anno V. C. 652. fuit C. Marii, quintum

aetas inciderat in tempora Ciceronis, quibus nondum Graeculi, Syrophoenices, Afri, Illyrii, ciuilis ſapientiae ſacris initiabantur (e), ſed nobiliſſimi Romanorum illa, tanquam propriam poſſeſſionem, tuebantur, & *in latenti retinere*, vt Pomponius (f) ait,

quintum conſulis, Siciliamque ſortitus prouinciam, confecto bello ſeruili, ouans inde rediit A. V. C. 654. Inſigne eius monimentum, quo & aliae eius res geſtae commemorantur, exſtat in agro Atinate, quod a Celſo Cittadino accuratius deſcriptum, aeterno operi inſeruit Ian. Gruter. *p. CL.* 7. En vero illud:

M'. AQVILIVS. M. F. GALLVS. PROCOS.
VIAM. FECEI. AB. REGIO. AD. CAPVAM. ET. IN. EA. VIA.
PONTHEIS. OMNEIS. MEILIARIOS. TABELARIOSQVE.
POSEIVI. HINCE. SVNT. NOVCERIAM.
MEILIA. ⊥I. CAPVAM. XXCIIII. MVRANVM. ⊥XX.
IIII. CONSENTIAM. CXXIII. VALENTIAM. C⊥XXX.
AD. FRETVM. AD. STATVAM. CCXXXI. REGIVM.
CCXXXVII. SVMA. AF. CAPVAM. REGIVM.
MEILLIA. CCCXXI. ET. EIDEM. PRAETOR.
IN. SICILIA. FVGITEIVOS. ITALORVM.
CONQVEISEIVI. REDDEIDIQVE. HOMINES. DCCCCXVII.
EIDEMQVE. ΠRIMVS. FECEI. VT. DE. AGRO. POPLICO.
ARATORIBVS. CEDERENT. PAASTORES. FORVM.
AEDISQVE. POPLICAS. HEIC. FECEI.

(e) Factum id eſſe ſub Imperatoribus, docent exempla Saluii Iuliani, *Afri*, Vlpiani & Papiniani, *Syrophoenicum*, Modeſtini, *Dalmatae*, & aliorum fortaſſis. Quam frequentes Romam confluxerint Syrophoenices, quantumque ibi arte ac dignitate valuerint, erudite oſtendit Eu. Otto *in Papinian. cap. I.* §. *III. pag.* 5. Et nota iam ſunt illa Ariſtidis *Orat. in Rom. pag.* 372. *Tomo I.* Πρόκειται δὲ ἐν μέσῳ πᾶσι πάντα, ξένος δὲ οὐδεὶς, ὅστις ἀρχῆς ἢ πίστεως ἄξιος. *Cunctis in medio cuncta patent, nec PEREGRINVS cenſetur, qui vel magiſtratu, vel fide dignus eſt.* Similis fere eſt obſeruatio Herodiani *Hiſt. VII.* 7. nec praetermittenda, quae in hanc rem erudite diſſeruit Ez. Spanhem. *in Orbe Rom. Exerc.* II. *cap.* II. Quum itaque demum eo prolapſa eſſet iurisprudentia, vt & plebeii eam attingerent, veneque de ſua iam aetate caneret Iuuenal. *Sat. VIII. v.* 47.

Tamen ima plebe Quiritem
Facundum inuenies. Solet hic defendere cauſas
Nobilis indocti: veniet de plebe togata,
Qui iuris nodos & legum aenigmata ſoluat:

non mireris, peregrinis etiam illam artem patuiſſe, eoſque hac via ad ſummos in rep. honores, quin ad imperium ipſum eſſe graſſatos.

(f) Ita Pompon. in *l.* 2. §. 35. *ff. de orig. iur.* Similia ſunt apud Ciceron. *de Offic.* II. 19. *de Orat. I.* 41. *pro Muraen. cap. XII.* Vnde elegans eſt obſeruatio Merillii *Obſ. V.* 23. iuris ſtudioſos ſub ingreſſum diſciplinae ſeſe ſacramento obſtrinxiſſe. Sed dum id ex *l.* 1. §. 5. *ff. de extraord. cogn.* probat, facile patet, ſacramentum illud praecipue ad didactrum pertinuiſſe, non ad ſilentium.

Digitized by Google

ait, *cogitabant*. Quamuis autem permulti, quos ex ea gente geſtis in republica honoribus fulſiſſe legimus, non GALLI, qui, quum eſſent plebeii, intra equeſtrem ſeſe dignitatem continebant (g), ſed vel FLORI, vel TVSCI, vel CORVI cognominati ſint, quorum poſtremos patricia gloriatos eſſe origine, inter omnes conſtat: non tamen exiſtimandum eſt illico, nouis hominibus, nulloque maiorum ornamento illuſtribus, accenſendum eſſe C. Aquillium. Maiores enim & is habuerat, non modo tribunicios, quorum vnus lata lege Aquillia, cui & a ſe nobile ac perpetuum nomen indidit, memoriam ſui cum ipſa aeternitate communicauit (h): verum etiam conſulares & praetorios. Liuius certe ad annum V. C. DLXXVI. memorat L. AQVILLIVM GALLVM, Praeto-

(g) De equeſtri Aquillii noſtri dignitate teſtatur Plin. *Hiſt. Nat. XVII.* 1. Ceterum plebeios fuiſſe Gallos, non patricios, vel inde patet, quod plures ex ea familia Tribuni plebis fuerint, & in his *L. Aquillius P. F. L. N. Gallus*, Tribunus pl. anno V.C. DLXXII. de quo Steph. Vin. Pigh. *in Annal. Rom. Tomo II. p.* 330. P. Aquillius Gallus, qui eumdem magiſtratum geſſit anno V. C. DCXVIII. laudatus a Dione Caſſ. *Hiſt. lib. XXXIX. p.* 105. & Plutarcho *in Catone min. p. 780. Tomo II. Opp.* Contra patricii procul dubio fuere Aquillii *Tuſci* & *Corui*, quos ſummis in rep. honoribus functos vidimus, quum illi nondum cum plebeiis eſſent communicati. De Aquilliis *Floris* dubium eſt, patricii an plebeii fuerint, quamuis eorum denarii exſtent apud Fulu. Vrſin. *de famil. Rom. p. 36. edit. Car. Patini.* Mittimus jam Aquillios *Fauſtos* apud Reineſ. *Inſcr. XVI.* 33. *Aurelios* apud eumdem *Claſſ. I.* 274. *Fabios*, *Iuſtos*, *Orfitos*, *Priſcos*, *Vientones*, *Proculos*, *Melas*, *Valentes*, *Paterculos*, *Secundos*, *Aquilinos*, *Saturninos*, *Sabinos*, quorum paſſim fit mentio in lapidibus Gruterianis, quamvis horum plerique ſub Caeſaribus, quum magna iam facta eſſet gentium familiarumque Romanarum confuſio, vixiſſe videantur. Recte ergo Ant. Auguſtin. *de famil. Rom. p.* 328. obſeruat, Aquillios, (quod in aliis quoque gentibus Romanis fieri ſolebat,) alios *patricios*, alios *plebeios* fuiſſe.

(h) De auctore huius legis incerta omnia. Ian. Vinc. Gravina *de Orig. iur. ciu.* §. *LX. p. 97.* eam tribuit iuriſconſulto noſtro, quum tamen multo ante Ciceronis tempora celeberrima fuerit, ceu docuimus *Antiqu. Rom. IV.* 3, 4. *p.* 182. *edit. nouiſſ.* vbi & coniecturam noſtram de legis auctore expoſuimus, cuius nos ne nunc quidem poenitet, quum certiora ne quidem viri doctiſſimi dederint, veluti Balduin. *de Lege Aquil. pag.* 218. *ſequ.* & Ger. Noodt. *ad Leg. Aquill. cap. 1. p. 137. Tom. I. Opp.* Quin prior, quod mireris, nodum in ſcirpo quaerens: *Aquilliam*, inquit, *gentem non ignobilem Romae fuiſſe ſcio, ſed quum patricia potius, quam plebeia, fuiſſe videatur, non videtur ad eam referendus Aquillius, huius legis lator, qui tribunus plebis fuit. Notus eſt noſter C. Aquillius Gallus, iuriſconſ. eiusque & pater, qui Coſ. fuit anno vrbis* DCLII. & *auus, qui fuit Coſ. anno* DCXXIV. *ſed ex alia gente Aquillia fuit is, de quo nunc quaerimus.* Quaſi vero non vna eademque gens patricias plebeiaſque habere potuerit familias.

Praetorem (i) qui Siciliam ſortitus, eam prouinciam difficillimo tempore quietam dictoque audientem habuit. Et hic quidem pater iuriſconſulti noſtri fuerit, ſi acu rem tetigiſſet VAL. GVIL. FORSTERVS (k). At vero in eo quoque, ſicuti in pleriſque aliis, ratio fugit bonum Forſterum, quo neminem vmquam ſiniſtrioribus auſpiciis ad hoc ſtudiorum genus animum adpuliſſe, arbitramur (l). Multo profecto veroſimilius eſt, quod coniecit IOANNES BERTRANDVS (m), Aquillium noſtrum patre vſum eſſe M. AQVILLIO GALLO, Coſ. quem faſti Capitolini anno V. C. DCLII. Procoſ. de ſeruis fugitiuis ouantem, ex Sicilia rediiſſe perhibent: quandoquidem huic diuinationi & ratio temporum, & Galli cognomen, quod ipſe ſibi in marmoribus tribuit, omnino ſuffragantur. Sed quid tandem attinet, plura eam in rem dicere, & in ſplendidos Aquillii noſtri natales inquirere operoſius? Egregium profecto eſt atque honorificum, diſpoſitas per atria fumoſas maiorum imagines numerare: ſed iis demum, qui virtute ſua rebuſque praeclare geſtis nouum illis ſplendorem circumfundunt, non iſtis, qui deſciſcentes a maiorum virtutibus, ſe ipſos veluti ordine ac tribu mouent, tamquam illa naſcendi forte illiſque generis ſui proauctoribus indigniſſimos. Non ſicuti gemmis a loco, vbi natae ſunt, ita hominibus pretium a ſolis incunabulis accedit. Virtus eſt, quae nobilitatem abſoluit, ac perficit. Hunc ei ſplendorem, hanc veluti polituram accedere oportet, vt ne generis antiquitas oneri potius ſit, quam honori atque ornamento. Ipſa gens Aquillia, ex qua noſter prodiit, triſtia eius rei vidit exempla (n). Quae enim tam laetum virorum maximorum prouentum

(i) Liu. XLI. 18. & 19.

(k) Forſter. *Hiſt. iur.* II. 34. Sed recte Rupert. *ad Enchirid. Pompon.* III. 8. *p.* 394. *Aquillii Galli genus non recens in rep.* L. *enim Aquillium Gallum Praetorem inuenimus apud Liuium in an.* V. C. DLXXVII. *quem Forſterus vel patrem vel auum putat C. Aquillii Galli, ICti noſtri. Nos ob temporis rationem vix auum fuiſſe credimus, multo minus patrem. Noſter enim cum Cicerone Praetor factus* A. V. DCLXXXVII. *vt patet ex Cluentiana, illo ipſo anno habita.*

(l) Obſeruarunt hoc iam pridem viri doctiſſimi. Plagii hominem accuſat Rittersh. *ad Leg. XII. Tab. cap. VI. p.* 14. Eiuſdem oſcitationem & *ἀναισθησίαν* grauiter redarguunt Rupert. *ad Enchirid. Pomp. pag.* 301. Struu. *proleg. Hiſt. iur.* §. *XXII. p.* 44. Eu. Otto *in praefat. Tomi* III. 1. *Theſaur. Iur. p. XVII. ſequ.*

(m) Bertrand. *de Iuris perit. II.* 9. *p.* 184.

(n) M. Aquillium IIII. virum vel II. virum potius ſacris faciundis a Tarquinio Rege inſui culleo iuſſum ob euulgatas ſortes Sibyllinas, tradit Dionyſ. Halicarn. IIII. *p.* 260. *Ἀκύλλιον* enim ibi legendum eſſe pro *Ἀτίλιον*, iam dudum

uentum dedit, eadem & quaedam dedecora nominis ſui produxit, Aquillios nempe, illa naſcendi felicitate indigniſſimos, qui ſacrilegii inſidiarumque patriae nefarie ſtructarum poenas grauiſſimas non ſine ignominia dederunt. Noſter, ne plus maioribus, quam ipſi maiores, debere videretur, adhuc dum adoleſcens ad praeclara quaeuis maiorum exempla ſe totum compoſuit (o): quumque non ignoraret, artes ciuiles ac forenſes plurimum in ciuitate & laudis & gratiae habere, & iuriſprudentiam in primis adoleſcentibus Romanis, ad maiora nitentibus, decus ac robur eſſe, huic potiſſimum arti indolem viuidiſſimam adplicuit, imbutusque litteris, quibus illa aetas ad humanitatem inſtitui ſolet, (p) totum ſe Q. Mucio Scaeuolae, Pontifici maximo, formandum dedit, viro, vt Ciceronis (q) verbis vtamur, omnium & diſciplina iuris eruditiſſimo, & ingenio prudentiaque acutiſſimo, & oratione maxime limato atque ſubtili, iurisperitorum eloquentiſſimo, eloquentium iurisperitiſſimo. (r) Videbatur id ſane Muciis quaſi a natura

dudum viri docti obſeruarunt. Idem Dionyſ. *lib. V. p.* 283. *ſeq.* nec non Liuius II. 4. & Plutarch. *in Poplic. p.* 98. deſcribunt ſupplicium, quod Brutus primus Coſ. ab Aquilliis adoleſcentibus ſumſit, qui cum Vitelliis ipſiſque Bruti filiis de reducendo Tarquinio conſilia inierant, a Vindicio, Vitelliorum ſeruo, prodiri, de quo in *l.* 2. *§.* 24. *ff. de orig. iur.*

(o) An vero & in excolenda iurisprudentia maiorum habuit exempla? Non dubito, quamuis hic taceant ſcriptores veteres. Commune enim hoc erat adoleſcentulorum reip. deſtinatorum ſtudium. Equidem noui ICti, Aquillii Flori, notitiam ſibi eruiſſe ex vetuſto lapide viſus eſt Fulu. Vrſin. *in Not. ad Ciceron. Philipp. II.* Sed lapis, quem integrum dedit Gruter. *Inſcr. p.* DCLII. 6. ita ſe habet:

L. AQVILLIVS.
IVRECONSVLTI. L.
GEMELLVS.
SEXTIA Ↄ. L. FLORA.
L. AQVILLIVS. L. L.
RVFIO.

Nullus ergo hic L. Aquillius Florus, ICtus, ſed L. Aquillius Gemellus, iurisconſulti noſtri libertus, ceu & Rupertus obſeruauit *ad Enchirid. Pompon. p.* 396. *& ad Valer. Max. p.* 476.

(p) Eloquentiae ceteriſque artibus liberalibus operam dediſſe C. Aquillium, Io. Bertrand. *de Iurisper. II.* 9. probat ex Ciceron. *Brut. cap.* XLII. vbi de Ser. Sulpicio: *Sed adiunxit etiam*, inquit, *Ser. Sulpicius & litterarum ſcientiam & loquendi elegantiam, quae ex ſcriptis eius, quorum ſimilia nulla ſunt, facillime perſpicitur. Quumque* DICENDI *cauſſa duobus peritiſſimis operam dediſſet, L. Lucilio Balbo & C. Aquillio Gallo: &c.* Sed in omnibus codicibus pro *dicendi cauſſa* legitur *diſcendi cauſſa*, & ex conſequentibus facile patet, Sulpicium duumuiros iſtos non eloquentiae, ſed iuriſprudentiae cauſſa audiuiſſe. Verumtamen ne opus quidem eſt vllo teſtimonio, quum veteres omnes eloquentiae ſtudia cum iurisprudentia coniunxiſſe, ſatis conſtet.

(q) Cicer. *de Orat.* I. 39.

(r) Non modo loco citato hoc elo

natura datum, vt iuris ſcientia praecellerent omnibus, illudque familiae ſuae decus, tamquam proprium ac gentile bonum, diutiſſime tuerentur (s). Neſcio tamen, an non Mucios ipſos longe ſuperarit Q. ille Mucius, pontifex maximus, iuris ciuilis intelligentia atque omni iurisprudentiae genere praeſtantiſſimus, cuius ianua ac veſtibulum maxima quotidie frequentia ciuium ſummorumque hominum celebrabatur. Hunc itaque potiſſimum Aquillius ducem ſibi ad interiorem iurisprudentiam elegerat: hunc non quidem ex cathedra iura interpretantem, ſed inter reſpondendum ſtudioſos admittentem (t), ſectabatur vnice: ab huius latere, quoad liceret, ſibi numquam diſcedendum putabat. Cuius quidem

logium Mucio tribuit Cicero, ſed & in *Bruto cap. XXXIX.* At Pomponius *in l. 2. §. 40. ff. de orig. iur.* Licinium Craſſum, Mucii fratrem, a Cicerone hoc elogio ornatum, ait. Hinc Criticorum turbae, quibuſdam poſtrema verba plane expungentibus, aliis eadem loco mouentibus, quaſi ad ſequentem paragraphum pertinentia. Vid. Rupert. *ad Pompon. Enchirid. pag.* 383. *ſequ.* Sed nos quidem nihil mutamus. Idem enim Cicero, qui hoc elogio ornat Mucium, *ICtorum diſertiſſimum* vocaſſe etiam potuit P. Licinium Mucianum in libris, qui interciderunt, at viſi ſunt Pomponio, vti recte vidit V. A. Corn. van Bynkersh. *in praetermiſſ. pag. 69. ſeq.*

(s) Quatuor ex Mucia gente celebrantur iuriſconſulti doctiſſimi, quorum ſtemma iam dedit Rupert. *ad Pompon. Enchirid. pag.* 389. Ex eo ſequentia excerpere iuuat:

Q. Mucius Scaeuola, Praetor, A. V. C. CCCCLXXXVIII. Liu. XXIII. 24.30.

Q. Mucius, Q. F. P. N. Scaeuola Praetor A. V. DLXX. Liu. XL. 44. Coſ. anno V. C. DLXXIX.

P. Mucius Q. F. P. N. Scaeuola, Praetor A. V. DLXXIV. Liu. XL. 44. Coſ. A. V. DLXXVIII. eodem anno triumphans de Liguribus.

Q. Mucius, Q. F. Q. N. Scaeuola, Augur, Coſ. anno V. C. DCXXXVI. *legum clariſſimus ac diſertiſſimus vates.* Val. Max. VIII. 12.

P. Mucius, P. F. Q. N. Scaeuola, Pontifex maximus, qui *ius ciuile* cum Manlio & Bruto *fundaſſe* dicitur in *l.* 2. §. 39. *de Orig. iur.*

P. Licinius Mucianus, P. Pontificis frater naturalis, ſed adoptatus a P. Licinio Craſſo, Coſ. anno V. C. DLXXVIII. iuris peritorum diſertiſſimus. *l.* 2. §. 40. *ff. de orig. iur.*

Q. Mucius, P. F. P. N. Scaeuola, Pontifex Max. ICtorum ſua aetate celeberrimus, & C. Aquillii noſtri praeceptor, de quo in *l.* 2. §. 41. *ff. eod.*

(t) Quamuis enim viri nobiles eo tempore ſe nemini ad docendum darent: reſpondendo tamen conſulentibus ſtudioſos audiendi docebant, teſte Cic. *in Brut. cap. LXXXIX.* & *in Orat. cap. XLI.* Et hinc eſt, quod teſte

M.

dem induſtriae ſuae quantum ille fructum per omnem vitam ceperit, vel id argumento eſt, quod quum ad eumdem Scaeuolam & alii erectiſſimae indolis iuuenes diſcendi cauſſa confluerent, veluti L. Lucillius Balbus, Sex. Papirius, C. Iuuentius, ipſique, quos primo loco nominari oportebat, M. Tullius Cicero, & T. Pomponius Atticus (u), hiſce tamen condiſcipulis omnibus, iuris peritia ſaltim, longe antecellere viſus ſit Aquillius, quem & Pomponius (x), inter Mucii auditores praecipuae auctoritatis fuiſſe, teſtatur. Tanto ſcilicet ſtudio, tantaque animi contentione olim iurisprudentiam addiſcebant adoleſcentes nobiliſſimi ac reipublicae deſtinati, quum in illa legum paucitate plana omnia, ac dilucida eſſent. Hodie, quando euerſa reipublicae Romanae facie, auctoque in immenſum aliarum ſuper alias coaceruatarum legum cumulo, pleraque caligine denſiſſima obruta, ac veluti ſepulta iacent, nemo fere eſt, qui ſeuera lege proficere cupiat, nemo, qui ſe ad virorum doctiorum exempla componat: ſed vt quisque prima artis elementa vel ab alio explicari audiuit, vel domi, temporis fallendi cauſſa, perfunctorie aliquando luſtrauit, ita extemplo ſibi ipſo Mucio videbitur peritior, neque dubitabit fortaſſe, ſi quis ipſi ſtomachum mouerit, intra triduum iuriſconſultum profiteri. Aſt hanc quidem Camarinam iam non mouebo, AVDITORES HONORATISSIMI. Redeo potius ad Aquillium noſtrum, qui a principe aetatis ſuae iurisconſulto ita perdidicerat

M. Seneca *Controu.* IX. ICtorum diſcipuli *contumeliae cauſſa a deridentibus vocati ſint AVDITORES, deinde autem in vſu verbum eſſe coeperit, & promiſcue poni pro diſcipulo auditor.* Hoc enim ſenſu auditores Mucii Balbi, Galli, Cornelii Maximi Sabini in *l.* 2. *ff. de orig. iur.* Seruii in *l.* 6. *ff. de dot. praeleg.* pro diſcipulis dici, eleganter obſeruauit Iac. Cuiac. *Obſ. XXVII.* 4.

(u) Hos C. Aquillii auditores, praeterquam Ciceronem & Atticum, recenſet Pomponius *l.* 2. §. 42. *ff. de orig. iur.* Verum & hos addendos eſſe, certiſſimum eſt. Audiuerat Cicero primum Q. Mucium Saeuolam, Augurem, vti ipſe narrat *in Bruto cap.* LXXXIX. Poſtea eo mortuo ad Q. Mucium Scaeuolam, pontificem max. ſe contulit, condiſcipulumque ibi habuit T. Pomponium Atticum, ceu hic ipſe teſtatur apud Ciceron. *de Legib.* I. 4. Conferri meretur Franc. Fabric. *in Hiſtor. Ciceron. ad ann.* V. C. DCLXV.

(x) *d. l.* 2. §. 42. *ff. de orig. iur.* Nec parcius Aquillium laudant auctores alii. Cicero enim *pro Caecina cap.* XXII. eum vocat *hominem prudentem & modeſtum*: in *Bruto cap.* XLII. *hominem acutum & exercitatum.* Nec minore elogio eum proſequitur Valer. Max. VIII. 2. 2. qui eum adpellat *virum maximae auctoritatis, & ſcientia iuris excellentem.* Quanto vero hoc condiſcipulo minor M. Tullius Cicero? quem, quantumuis de iurisperitia ſua glorianten, parum in ea arte praeſtitiſſe, luculenter demonſtravit V. A. Corn. van Bynkersh. *in Praetermiſſ. p.* 83. *ſequ.*

cerat iurisprudentiam, vt ipſe paullo poſt princeps iurisconſultorum, conſentiente omnium iudicio, haberetur, &, ſiue de iure reſponderet clientibus, ſiue de arte nouis inuentis locupletanda illuſtrandaque cogitaret, ſiue praeeſſet iudiciis cauſſasque cognoſceret, ſiue denique docendo ſcribendoque bene de poſteris mereri vellet, non modo ceteros omnes, verum etiam ſe ipſum, quodammodo ſuperare videretur. Reſpondendo de iure tantam conſequutus erat celebritatem, vt eius domus, quam, teſte PLINIO (y), in colle Viminali omnium pulcherrimam habuit, veluti totius oraculum eſſet ciuitatis. A quonam enim ciues rerum ſuarum incerti ſibi conſilium libentius petiiſſent, quam ab eo viro, cuius prudentiam, vt CICERO ait, populus Romanus in cauendo, non in decipiendo, perſpexerat? qui iuris ciuilis rationem numquam ab aequitate ſeiunxerat? qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam populo Romano promtam expoſitamque praebuerat? qui ita iuſtus & bonus vir erat, vt natura, non diſciplina, conſultus eſſe videretur, ita peritus ac prudens, vt ex iure ciuili, non ſcientia ſolum quaedam, verum etiam bonitas, nata videretur? cuius denique tantum erat ingenium, ita promta fides, ut, quidquid inde haurires, purum liquidumque haurire te ſentires (z)? Erant eo tempore, qui parum regerent iurisprudentiae artiſque oratoriae fines, ac proinde ſaepenumero oratores inauſpicato conſulerent, quos iurisperitum aliquem adire oportuiſſet. Vtriuſque officia primus Aquillius noſter prudentiſſime ſecreuit. Quoties enim aliquem non de iure ambiguo, eiuſque ad factum adplicatione, ſed de facto ipſo conſulentem audiebat: *Nihil*, inquiebat, *hoc ad ius; ad Ciceronem.* (a) Accedit, quod quum L. Lucillius Balbus, ad quem tunc ſimiliter magnus hominum concurſus fiebat, in reſpondendo eſſet paullo tardior, nec vllum conſilium, niſi diu multumque ſecum agitatum expenſumque depromeret, Iouique Hammoni, qui non niſi diuturno

(y) Plin. *Hiſt. Nat.* *XVII.* 1. *Domus Craſſo magnifica, ſed aliquanto praeſtantior in eodem palatino Q. Catuli, qui Cimbros cum C. Mario fudit. Multo vero pulcherrima conſenſu omnium aetate ea in colle Viminali C. Aquillii, equitis Romani, clarioris illa etiam, quam iuris ſcientia, cum tamen obiecta Craſſo ſua eſt.* De eadem Aquillii domo ſplendidiſſima videndus P. Victor *de vrbis Romae regionibus & locis Reg. V.*

(z) Cic. *pro A. Caecina cap.* XXVII.

(a) Cic. *Topic. ad Trebat. cap. XII. Admonet autem hic locus, vt quaeratur, quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit? Nihil hoc ad ius: ad Ciceronem, inquiebat Gallus noſter, ſi quis ad eum tale quid retulerat, vt de facto quaereretur.*

Digitized by Google

diuturno clamore inconditoque matronarum carmine prouocatus, oracula ſorteſque nutu edebat, ſimilis quodammodo videretur: Aquillio noſtro ſeſe omnia tam facile ac veluti ſua ſponte offerrent (b), vt ex tripode & cortina loqui & tunc etiam, quando in arena capiendum eſſet conſilium, omnia diu multumque ſecum expendiſſe crederetur. Non ſolum autem conſulentibus ſingulis adſidue ſeſe dabat Aquillius, ſed & nihil faciebat reliqui, vt iuriſprudentiam permultis rebus, a ſe ſubtiliter & praeclare inuentis, redderet locupletiorem. Eſt quaedam huius pulcherrimae ſcientiae pars praeſtantiſſima, quam HEVREMATICEN veteres adpellabant, quae remedia expromit, quibus vel nimius iuris ciuilis rigor ad aequitatem naturalem inflectitur, efficiturque, ne ſummum ius in ſummam iniuriam euadat, vel in agendis contrahendisque rebus aliorum ſubterfugia ac fraudes prudenter caueantur. (c) Quum enim ad circumueniendos alios tam ingenioſa plerumque ſit hominum improbitas, vt, qui cauet, ne decipiatur, etiam vix caueat, dum cauet, & cauiſſe ſibi ratus, ipſe ſaepe cautor captum ſe ſentiat, ac praeterea ſatius ſit omnino, ab initio ius ſartum tectum ſeruare, quam vulnerata cauſſa quaerere remedium: illa cauendi facultas adeo non abeſſe poſſe a iuriſconſulti perſona videbatur, vt CICERO (d), in ea potiſſimum eius prudentiam elucere, exiſtimaret. Cui & PLAVTVS (e) ſuffragatus:

 Hic

(b) Cic. *in Bruto cap.* XLII. *Quum Ser. Sulpicius diſcendi cauſſa duobus periſſimis operam dediſſet, L. Lucillio Balbo & C. Aquillio Gallo: Galli, hominis acuti & exercitati promtam in agendo & in reſpondendo celeritatem ſubtilitate diligentiaque ſuperauit; Balbi, docti hominis, in vtraque re conſideratam tarditatem vicit expediendis conficiendisque rebus. Sic & habet, quae vterque eorum habuit, & expleuit, quod vtrique defuit.*

(c) Heurematicae iuriſprudentiae id vnicum officium tribuit V. A. Henr. Brenkmannus *Diatrib. de Euremat. cap.* I. §. III. *p.* 9. quod nimium iuris ciuilis rigorem ad aequitatem naturalem inflectat: ſed addendum eſſe & alterum, nempe quod aliorum fraudes detegat; patet ex loco Ciceronis *pro Muraen. cap.*XII. *Tu caues, ne tui conſultores; ille, ne vrbes & caſtra* CAPIANTVR. Vbi ſane *cauere, ne quis capiatur*, non eſt iuris rigorem inuentis verborum fraudibus ad aequitatem inflectere & reducere, ſed conſulentes tutos ab aliorum fraudibus praeſtare.

(d) Hinc iuriſconſultorum eſſe CAVERE, in eoque praecipuum fere eorum officium conſiſtere, vbique prope innuit Cicero, veluti *de Offic. I.* 19: *de Orat. I.* 48. *pro Muraena cap. IX.* Elegans in primis eſt adluſio in epiſtolis *ad Familiar. VII. 6.* vbi Trebatium, in Gallia ſtipendia merentem, iubet *cauere ab eſſedariis, dum ceteris cauere didiceris.* Ouid. *de arte am. v.* 83.

Illo ſaepe loco capitur conſultus amore:
Quique aliis CAVIT, non cauet ipſe ſibi.

(e) Plaut. *in Epid. Act. II. ſcen. II. v.* 107.

Hic poterit, inquit, CAVERE *recte, iura qui & leges tenet.* Hanc itaque vtiliſſimam ſaluberrimamque iurisprudentiae partem ſibi in primis perpoliendam ſumſerat C. Aquillius, idque eo felicius perficiebat, quo celeriore eſſet ad inueniendum, quod e re eſſet, ingenio. Ea ſane ingenii vbertas nobis peperit ſtipulationem Aquillianam, cuius ope per acceptilationem, ceteroquin ad ſolas verborum obligationes pertinentem, reliquas etiam obligationes omnes ipſo iure ſolui poſſe, docuit (f): formulam atque actionem de dolo malo, omnis fraudis euerriculum (g): poſtumos Aquillianos, id eſt, formulam, nepotes poſtumos heredes inſtituendi ſubſtituendique (h): ius de poſtumis ad patrui hereditatem admittendis (i): ius illud accreſcendi, quo heres, ex parte ſcriptus, in ſolidum fit heres (k), & quae ſunt eiusdem generis alia. Huiusmodi enim permulta excogitauit artique noſtrae adſtruxit Aquillius, eo omnia referens, vt beneficia iuris cum quam plurimis communicarentur, eaque, quae moleſtiora viderentur, oneri eſſent quam pauciſſimis. Ad quem eumdem finem & definitiones ac deciſiones pleraeque, quae Aquillio noſtro in iure tribuuntur, comparatae ſunt, veluti, quae ille de littoribus, de ſeruitute oneris ferendi, de dolo malo, de rutis caeſis, ac de interpretatione denique legatorum, ſimilibusque negotiis, tradidit (l), quaeque tanto impuden-

(f) Quum nihil tam naturale ſit, quam eodem modo quidque diſſolui, quo colligatum eſt, adeoque verborum tantum obligationes verbis tolli poſſint: *l.* 35. *ff. de reg. iur.* ſequebatur, vt acceptilatio ad ſolos contractus verbales pertineat. *l.* 8. §. 3. *ff. de acceptilat.* At Aquillius Gallus modum reperit, quo quaeuis obligatio, ex quacumque cauſſa orta, nouando primum in ſtipulationem deduci, ac deinde acceptilatione ſolui poſſet. Formulam habemus §. 2. *Inſt. quib. mod. toll. oblig. & l.* 18. §. 1. *ff. de acceptil.* quam poſt Barn. Briſſon. *de Solut. & liberat.* nos quoque illuſtravimus in *Antiqu. Rom. lib.* III. *tit. XXX.* §. *XII.*

(g) Cic. *de Natur. Deor.* III. 30. & *de Offic.* III. 13. Formulam habemus *l.* 1. §. 1. *ff. de dolo mal.*

(h) Hanc quoque formulam habemus *in lege damnata Gallus* 29. *pr. ff. de liber. & poſt. hered.* Eodem exemplo excogitatae formulae de poſtumis Velleianis, *l.* 29. §. 12. 13. 14. *ff. eod.* Iulianis, *l.* 29. §. 15. *ff. eod.* & Cornelianis in *l.* 15. *ff. de inoff. rupt. irrit. fact. teſt.* niſi forte antiquior ſit horum origo, quam Aquillianorum.

(i) L. 127. *ff. de legat.* 1.

(k) L. 74. *ff. de hered. inſtit.*

(l) Huc pertinet definitio littorum apud Cic. *in Topic. cap. VII.* & Quinctilian. *Inſt. Orat. V. vlt.* nec non definitio doli mali apud Cicer. *de Offic.* III. 14. immo & variae deciſiones de rutis caeſis, in *l.* 17. §. 6. *de act. empt.* de ſeruitute oneris ferendi in *l.* 6. *ff. ſi ſeru. vind.* de interpretatione legatorum in *l.* 30. *ff. de legat.* 1. *l.* 77. *ff. de verb. oblig. l.* 29. §. 1. *ff. de legat.* 3. *l.* 32. §. 1. *ff. de aur. arg. mund. ornam. l.* 39 *ff. de ſtatu liber.* denique de aedibus incendii defendendi cauſſa interciſis in *l.* 7. §. 4. *ff. quod vi aut clam.*

pudentius a quibusdam reprehenduntur, quanto minus illi cenſores, vitio & ſine ſuffragio populi creati, ad haec ſublimiora vmquam adſpirarunt. Vtinam vero Aquillius noſter, vt vt a veri Numinis cognitione alienus, in ruborem daret rabulas quosdam, Chriſtiano nomine impudenter ſeſe iactantes, qui illam cauendi ſolertiam non in quodam ingenii acumine, ſed in aſtutia ac calliditate, poſitam eſſe arbitrantur: qui IOANNEM quemdam DE DEO, vel LVDOVICVM ROMANVM, vel BARTHOLOMAEVM CAEPOLLAM (m) imitati, cautelas, quas vocant, comminiſcuntur, quibus & prudentiſſimi decipiantur: qui denique dolos non dolos putant, niſi aſtu colantur, ac proinde tum demum ſibi videntur quam maxime acuti, ſi fraudes fraudibus, malefacta malefactis texerint, ne perpluant ſcilicet. O miſerum vero ac deteſtabile cautionum genus, aduerſus quod bono viro nouis opus ſit cautionibus! O artem pudendam ac turpiſſimam, quam, vt falſe ait TAVBMANNVS (n), *ſibi hodie praeripiunt exleges quaedam belluae, ac iuris ſtulti, qui iurisconſultorum titulo faſtidiunt, & cauillant, dum cauere neſciunt.* Quanto vero hisce Chriſtianis ſcilicet iurisconſultis religioſior Aquillius noſter, cuius prudentiam populus Romanus in cauendo, non in decipiendo, perſpexerat? qui praeclarum, quod nactus fuerat, ingenium, non in id ſibi datum exiſtimabat, vt circumueniret alios, ſed ne alii circumuenirentur? qui denique nihil faciebat reliqui, vt hominum improbitati, quoad eius fieri poſſet, neruos omnes incideret? In tam numeroſa viri prudentiſſimi laude neſcio, an haec poſtremo loco ponenda ſit, quod & in iudicando ſui fuerit ſimillimus, & nec prius quidquam habuerit, nec antiquius, quam vt cum nefariorum hominum malitia nobiliſſimum ac perpetuum bellum gereret. Erat tum tempus, AVDITORES HONORATISSIMI, quum nondum iudiciis praeficerentur, niſi qui boni viri eſſent, ſpecimina que virtutis edidiſſent luculentiſſima. Eoque fiebat, vt non modo

(m) Plures eiusmodi cautelarum, vt vocant, ſcriptores exſtant, veluti praeter tres illos ſupra recenſitos Io. Dilectus Gualdenſis, Thomas Ferratius, M. Ant. Blondus, de quibus Io. Wolphg. Freymon. *in Indice Auctor. fol. m.* 122. Quamuis vero horum operam magni ſemper fecerint rabulae, quibus vnice ob oculos eſt illud Virgilii Aeneid. II. v. 390.

Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?

quam improbae tamen pleraeque illae cautiones ſint, exemplis oſtenderunt Stryk. *Caut. Contr.* I. 1. 8. & Schilter. *Exerc. XV.* 31. *ſequ.*

(n) Taubmann. *ad Plaut. Epidic. II.* 2. v. 107.

do in iure noſtro (o) iudices veluti proprio nomine boni viri adpellentur, ſed & parentes olim, liberis praecepta virtutis atque officii traditurí, exempla ex ornatiſſimo illo iudicum ordine potiſſimum ſumerent, veluti Horatii poëtae (p) pater, qui quoties ad verae laudis ſtudium excitabat filium,

---- Siue iubebat,
Vt faceret quid; habes auctorem, quo facias hoc,
Vnum ex iudicibus ſelectis obiiciebat.

Talem priſci exempli atque exploratae ſanctitatis iudicem iure dixerimus C. AQVILLIVM noſtrum, cuius nec ingenio flexanimis oratorum eloquentia tenebras obiicere, nec religionem vel gratia vel odium peruertere vmquam potuit (q). Eo cauſſam cognoſcente, adeo expaueſcebat improbitas, adeo erigebatur oppreſſa innocentia, vt CICERO (r), qui tum primum P. Quinctii patrocinium ſuſceperat (s), cum non dubitarit his verbis compellare: *Quod ſi tu iudex nullo praeſidio fuiſſe videbere contra vim & gratiam ſolitudini atque inopiae: ſi apud hoc conſilium ex opibus, non ex veritate, cauſſa pendetur: nihil eſt iam ſanctum & ſincerum in ciuitate, nihil, quod humilitatem cuiusquam grauitas &*

(o) L. 137. §. 2. ff. de verb. oblig. *Et magis eſt, vt totam eam rem ad iudicem, id eſt, VIRVM BONVM, remittamus.* Horat. *Epiſt. I. 16. v. 40. ſequ.*

VIR BONVS eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges iuraque ſeruat:
Quo multae magnaeque ſecantur iudice cauſſae.

(p) Horat. *Sermon.* I. 4. *v.* 123.

(q) Sane inter aequiſſima iudicia & Aquillianum refert Valer. Max. VIII. 2. 2. *Notum ſuis temporibus iudicium commemoraui: ſed nec quod relaturus quidem ſum, obliteratum eſt ſilentio. C. Viſellius Varro, graui morbo correptus, trecenta millia numûm ab Otacilia Laterenſi, cum qua commercium libidinis habuerat, expenſa ferri ſibi paſſus eſt, eo conſilio, vt, ſi deceſſiſſet, ab heredibus eam ſummam peteret, quam legati genus eſſe voluit, libidinoſam liberalitatem debiti nomine colorando. Euaſit deinde Viſellius ex illa tempeſtate aduerſus vota Otaciliae. Quae offenſa, quod ſpem praedae ſua morte non maturaſſet, ex amica obſequenti ſubito diſtrictam foeneratricem agere coepit, numos petendo, quos, vt fronte inuerecunda, ita inani ſtipulatione captauerat. De qua re C. Aquillius, vir magnae auctoritatis & ſcientia iuris ciuilis excellens, iudex addictus, adhibitis in conſilium principibus ciuitatis, prudentia & religione ſua mulierem repulit. Quod ſi eadem formula & Varro damnari & aduerſaria potuiſſet, eius quoque non dubito quin turpem & inconceſſum errorem libenter caſtigaturus fuerit. Nunc priuatae actionis calumniam ipſe compeſcuit, adulterii crimen publicae quaeſtioni vindicandum reliquit.*

(r) Cicero pro *P. Quinct. cap.* 1.

(s) Gell. *Noct. Att. XV.* 28. Euſeb. *in Chron. n.* 1930.

Digitized by Google

& virtus iudicis conſoletur. Certe aut apud te, & eos, qui tibi adſunt, veritas valebit: aut ex hoc loco repulſa vi & gratia, locum, vbi conſiſtat, reperire non poterit. Denique & docendo ſcribendoque non minorem ſibi laudem, quam cauſſas cognoſcendo, peperit iurisconſultus noſter, qui, vt ad vtrumque laborem eo expeditior eſſet, ſubinde ſiue in Cercinam, inſulam, Africano littori vicinam, ſiue, quod magis crediderim, Caecinam, Hetruriae oppidum, ſeceſſit, ibique & ſtudioſos audiendi admiſit, & libris ſcribendis totum ſe dedit (t). Erat ille mos noſtri ordinis hominibus, vt forenſia negotia otio litterario diſpungerent, & aliquam anni partem vel ruri, vel in alio quodam ſeceſſu, ita tranſigerent, vt vere dicere poſſent, numquam ſe minus otioſos eſſe, quam dum otioſi viderentur. Ita ſane Antiſtius Labeo annum partitus, ſex menſibus Romae cum ſtudioſis fuiſſe, ſex menſibus ſeceſſiſſe, ſcribendisque libris, quorum CCCC volumina reliquit, dediſſe operam fertur (u). Ita & Aquillius, temporis aliquantulum negotiis forenſibus moleſtoque reſpondendi labori ſuffuratus, in amoeniore illo qualicumque ſeceſſu ſibi & Muſis vixit, docendoque & ſcribendo ſeuit arbores, futuris demum ſaeculis profuturas. Equidem, qui ex eius domo doctiores prodierint, nec a Pomponio, nec a veterum alio quoquam memoriae proditum eſt, niſi quod ille vnum laudat, ſed πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, SER. SVLPICIVM (x). Nam etiamſi non aliud formaſſet ingenium, quam iurisconſulti illius incomparabilis, qui obiurgatione Q. Mucii a puluere & radio excitatus, iam aetate provectior, ad iurisprudentiae ſtudium ſeſe contulerat (y): exegiſſe profecto monimentum aere perennius, ſibique viuo viuam ac ſpirantem veluti ſtatuam dedicaſſe videretur. Hunc enim Sulpicium

(t) Ait Pomponius in *l.* 2. §. 43. *ff. de orig. iur. inſtitutus eſt Ser. Sulpicius a Balbo Lucillio, inſtructus autem maxime a Gallo Aquillio, qui fuit Cercinae. Itaque libri complures eius exſtant Cercinae confecti.* Sed quum parum amoena ſit haec inſula, & aeſtu procul dubio per omnes anni partes ferbuerit haut mediocri: vix credibile eſt, eam inſulam, ab Italia ſatis remotam, aliis amoenioribus ac magis vicinis locis praetuliſſe Aquillium. Hinc Vdalr. Zaſius *ad h. l.* legit *Sicyone*, Muretus vero & Coraſius *Cecinae*, quos ſequitur Rupert. *p.* 406. quod conſtet, in Hetruria & Campania clariſſimorum virorum ſeceſſus fuiſſe.

(u) Idem Pompon. *l.* 2. §. 47. *ff. de orig. iur.*

(x) Pomponius *d. l.* 2. §. 43. *ff.* de *orig. iur.*

(y) De obiurgatione quoque illa Q. Mucii idem Pomponius *d. l.* 2. §. 43. *ff. eod.* vbi, quae dici poterant, exhauſit V.C. Euer. Otto *in oratione de Ser. Sulpicio*, Vltraiecti habita.

picium vnum id, quod in arte noſtra ſummum eſt, adſequutum; vel inde patet, quod Cicero (z), *iuris ciuilis magnum vſum & apud Scaeuolam, & apud alios, artem in hoc vno fuiſſe*, teſtetur. Eſt tamen, in quo animi fortaſſis nimis grati impetu malam gratiam praeceptori retulit diſcipulus, alioquin laudatiſſimus. Auctorem enim habemus Pomponium (a), eum pleraſque ſententias ex Aquillii libris in ſuos tranſtuliſſe, eoque effeciſſe, vt illius ſcripta nec aetatem ferrent, & iam tum non adeo inter hominum manus verſarentur. Id quod non alia de cauſſa procul dubio contigit, quam quod Sulpicius, eloquentia praeceptore ſuperior, aliena illa quodam veluti orationis flore conveſtiret, eaque ſermonis elegantia, tamquam eſca quadam, plures lectores alliceret, quam Aquillius. Quare non mirum profecto cuiquam videbitur, ex tot eius libris, non modo a praeſtantiſſimis ICtis, ſed & a DIONYSIO HALICARNASSEO, paſſim laudatis (b), ne fragmentum quidem vllum in vniverſo pandectarum opere ſupereſſe. Quae adhuc diximus de C. Aquillio, AVDITORES HONORATISSIMI, ea ad priuatam illius vitam pertinent: proximum eſt, vt, quantus in republica fuerit, oſtendamus. Solebant iuuenes Romani, poſito tirocinio forenti, factisque primis veluti ſtipendiis, capeſſere rempublicam, honoreſque petere eo ordine, quem leges annales ſimileſque finiuerant (c), vt exercitationibus illis praemuniti, haberent

(z) Cicero *in Bruto cap.* XLI.

(a) Pompon. *l.* 2. §. 42. *ff. de orig. iur. Omnes hi a Ser. Sulpicio nominantur, alioquin per ſe eorum ſcripta non talia exſtant, vt ad ea omnes adpetant. Denique nec verſantur omnino ſcripta eorum inter manus hominum, ſed Seruius libros ſuos compleuit, pro cuius ſcriptura ipſorum quoque memoria habetur.* Obſcuriora haec, &, vti quiſque animaduertit, corrupta. Senſum tamen eum non eſſe, ac ſi Aquillius & reliqui Q. Mucii auditores nihil ſcripſerint, ſed dicere Pomponium, quod Ser. Sulpicii ſcripta luminibus eorum offecerint, res ipſa docet.

(b) Dionyſ. Halicarn. *Lib.* III. *pag.* 200. *Γάιος Ἀκίλιος φησὶν, ἀμεληθεισῶν ποτε τῶν τάφρων, καὶ μηκέτι διαρρεομένων, τοὺς τιμητὰς τὴν ἀνακάθαρσιν αὐτῶν καὶ τὴν ἐπισκευὴν χιλίων μισθῶσαι ταλάντων. C. Aquillius adſirmat, neglectas aliquando cloacas, nec amplius tranſmittentes aquas, cenſores mille talentis purgandas reficiendaſque locaſſe.* In pandectis noſtris Aquillio teſtimonium denunciant Labeo, *l.* 29. §. 1. *ff. de legat.* 3. Priſcus Iauolenus, *l.* 39. *pr. ff. de ſtatu lib.* Africanus, *l.* 33. §. 1. *ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* Vlpianus, *l.* 6. §. 2. *ff. ſi ſeru. vind. l.* 17. §. 6. *ff. de act. emt. l.* 30. *ff. de legat.* 1. *l.* 7. §. 4. *ff. quod vi aut clam.* Iulius Paullus, *l.* 127. *ff. de legat.* 1. *l.* 32. §. 1. *ff. de auro arg. l.* 77. *ff. de verb. ſignif.* Ceruidius Scaeuola, *l.* 29. *pr. ff. de liber. & poſtum.* Licinius Rufinus, *l.* 74. *ff. de hered. inſtit.* Florentinus denique *l.* 18. *ff. de acceptilat.*

(c) De illis legibus annalibus accurate agit Dodwell. *in Praelect. Cambden.* XII. §. 4. 5. & in *Annal. Velleian.* §. 5. 26.

Digitized by Google

berent campum, in quo virtus excurreret, ſeque magis magisque indies explicaret. Eadem itaque via & C. Aquillius ad veram laudem graſſatus, primum vigintiuiratum, deinde quaeſturam, hinc Aedilitatem vel tribuniciam poteſtatem, demum anno V. C. DCLXXXVII, praeturam geſſit (d), in qua Ciceronem, ſibi a condiſcipulatu familiariſſimum, collegam habuit, & de ambitu quaeſtiones exercuit, quemadmodum Cicero de pecuniis repetundis (e). Faſces conſulares, quos alii miris artibus ambiebant (f), ipſe adeo fugit, vt, quum inter candidatos deſideraretur, & amici ad petendum hunc magiſtratum eum magnopere cohortarentur, ipſe iuraret morbum, & illud ſuum regnum iudiciale, vti Cicero loquitur, opponeret (g), illuſtrior procul dubio, repudiato illo honore, quam C. Marius, eodem ſextum in reip. perniciem geſto. Fuerat illi filius, ſummo ingenio, ſummaque virtute: ſed quem iam amiſerat eo tempore, quo eum dignitas, quam ex republica conſequutus erat, conſolabatur (h), id quod in eius praetura, vel paullo poſt, contigiſſe oportet. (i) Neque tamen cum eo exſtinctam arbitramur gentem Aquilliam, ſed eam multo poſt etiam ſub Imperatoribus opibus ac potentia quam diutiſſime floruiſſe (k). Ipſe quo tempore viuis exceſſerit, pa-

(d) Proximus a quaeſtura honor erat vel Aedilitas, vel tribunatus plebis. Eorum enim magiſtratuum alterutrum paullo poſt quaeſturam capiebant.

(e) Cic. *pro A. Cluent.* cap. LIII. *Quid mea quaeſtio de pecuniis repetundis? quid C. Aquillii, apud quem nunc de ambitu cauſſa dicitur?*

(f) De artibus illis prenſandi, ambiendique plura habet Q. Cic. *de petit. conſulat. cap. V. ſequ.* cui addendus Car. Sigon. *de Iudic. II.* 30. & quae ipſi eam in rem notauimus in *Antiqu. Rom. IV.* 18. 77.

(g) Cic. *ad Attic. lib. I. Epiſt. I. Competitores conſulatus, qui certi eſſe videantur, Galba & Antonius, & Q. Cornificius, puto te in hoc riſiſſe, aut ingemuiſſe, vt frontem ferias. Sunt, qui etiam Caeſonium putent. Aquillium non arbitramur, qui denegat, & iurauit morbum, & illud ſuum regnum iudiciale oppoſuit.*

(h) Cic. *Lib. IV. ad Familiar. Epiſt. VI. Nam & Q. Maximus, qui filium conſularem, clarum virum, & magnis rebus geſtis, amiſit: & L. Paullus, qui duo ſeptem diebus: & noſter Gallus, & M. Cato, qui ſummo ingenio, ſumma virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, vt eorum luctum ipſorum dignitas conſolaretur ea, quam ex rep. conſequebantur.*

(i) Cic. *ibid.* Ceterum Epiſtola illa VI. ſcripta eſt anno 708. Caeſare quartum ſine collega conſule. Eo enim anno Tulliam amiſiſſe Ciceronem inter omnes conſtat. Vid. Fabric. *Annal. Cic. ad h. ann.*

(k) Anno enim V. C. 791. ſub Caio Imp. Faſti memorant *M. Aquillium Iulianum.* Coſ. Anno 814. ſub Nerone L. *Aſinium Gallum*, Coſ. Ann. 950. ſub Seuero C. *Gallum*, Coſ. Ann. 968. ſub Caracalla *Q. Aquillium*, Coſ.

rum exploratum eſt. Videtur tamen rebus humanis adhuc interfuiſſe anno V. C. DCCVIII. quo Cicero eum *Gallum ſuum* vocat. Eam enim adiectionem ibi perſeuerantem adhuc familiaritatem vitaeque conſuetudinem indicare, nemo fortaſſis negauerit. Quae ſi nos non fallit coniectura: hoc vno paullo infeliciorem dixeris, quod, oppreſſa a Caeſare primum, deinde a Triumuiris, libertate, ciues vidit ad ſeruile obſequium paullatim demiſſos, in eo autem feliciſſimum, quod anteactae vitae conſcientia tutus, omnibuſque cariſſimus, laude ſua frueretur, atque ita feliciter euaderet naufragium, quo Cicero, aliique, qui ſe ciuilibus iſtis fluctibus paullo imprudentius commiſerant, miſere perierunt.

Sed vereor, HONORATISSIMI AVDITORES, ne tam littora legiſſe, quam promiſſi immemor altum ingreſſus eſſe videar, quum a portu tam diu aberrarim. Tandem itaque contrahenda vela, atque id agendum, cuius cauſſa me potiſſimum in hunc ambonem euocatum eſſe, intelligo. Iuſſus nimirum animi ſententiam de decreto mihi in proximum hoc ſemeſtre magiſtratu academico depromere, ſerio & ex animi ſententia profiteor, me illum nec adpetiiſſe vmquam magnopere, & nunc non ſine quadam perturbatione animi capeſſere. Primum enim, quamuis mihi non liceat, Aquillii exemplo *iurare morbum & meum aliquod iudiciale regnum opponere*: nemini tamen veſtrûm ignoti ſunt labores, quos florentiſſimae huius iuuentutis cauſſa quotidie ſubeo, & quos, quum incredibilem inde capere ſoleam voluptatem, interrumpi aliquando oportere occupationibus illis, multis potius, quam magnis, quibuscum Rectoris munus coniunctum eſt, & facile praeuideo, & grauiter, mihi credite, doleo. Procul dubio me, alia omnia meditantem, iam turbabit Iudaeus, qui nomen, a ſtudioſo contractum, ſtatim expungi, non ſine barbaro clamore poſtulabit: iam iturum in auditorium ſiſtet ancillula, quae ſibi confractum queretur cornu, quo Vulcanum concluſum nocte intempeſta circumtulerit. Hac vix abſoluta, operam ſibi fortaſſis dari volet anus, quae, aliquot numos ſibi pro lotis induſiis deberi, longe petito exordio lacrymabunda narrabit. Nec deerunt, qui equos ſuos a conductoribus male habitos, caput ſibi pugnis comminutum, feneſtras lapidibus petitas, aliaque huius generis, (longa enim eſt illa iniuria, longae ambages,) quiritabuntur. Haec taedia quum deuoranda ſint Rectori: nonne iure repetam illa ex fabula Abimelechi (k): *numquid ego relicta pinguedine mea*

(k) *Iudic.* IX. 9.

mea abirem, vt ventiler ſuper arboribus? Deinde in tribus, in quibus docui, academiis animaduerti, numquam vllum Rectorem tam ſancte, tamque religioſe munere ſuo functum, vt non ſermones de ſe hominibus dederit, & vulgi iudicia expertus ſit iniquiſſima. Si quis eorum, ferente ita occaſione, lenioribus vtendum remediis putaret: illico in omni trivio audiebantur ſermones, laxari diſciplinam, corrumpi iuuentutem, imminere rerum omnium confuſionem, quin actum fore de academia, niſi ei inexorabilis quidam Rhadamanthus quam primum praeficeretur. Sin, qui illi ſucceſſerat, ius paullo ſeuerius diceret, gliſcentibusque in dedecus publicum vitiis bellum fortiore indiceret animo: nouae in circulis audiebantur querelae, Rectorem vrere & ſecare, ſupprimere ſtudioſae iuuentutis priuilegia, exinanire ſcholam, propediemque ſtudioſos omnes, deſerta vrbe, alio dilapſuros, niſi hic Minos vrnam mouere quam primum deſinat. Haec aliaque plurima quando inter ſe comparo, adeo me commoueri fateor, vt ſuſcepti me prope conſilii poeniteat. Enimuero, quum non ſit boni ac conſtantis viri, vel labores defugere, reip. cauſſa ſuſcipiendos, vel recti ſibi conſcium inanes hominum voculas reformidare: fretus Dei O. M. auxilio, quod felix, fauſtum ac fortunatum ſit, munus hoc, quantumuis arduum ac moleſtum, in me ſuſcipio. Multum ſpei in veſtra, Collegae coniunctiſſimi, beneuolentia, conſilio, ope, explorataque prudentia colloco, quibus mihi vos haut vmquam defuturos eſſe, neſcio qua praeſenſione animi, certo confido. Nec minori mihi ſolatio eſt praeclara, quae in pleriſque veſtrum elucet, indoles, iuuenes illuſtres, generoſiſſimi, ornatiſſimi. Iniquiſſimus profecto eſſem rerum arbiter, niſi hac occaſione probitatem, diligentiam, modeſtiamque veſtram publico hoc teſtimonio proſequerer. Rarius in academia noſtra, quam in vlla alia, nocte concubia inconditi clamores audiuntur: rarius hic, quam in vlla academia, bellum cum lapidibus, feneſtris, ianuis geritur: rarius, quam alibi terrarum, viciniam turbant epulantium ac combibentium ſtrepitus. Plerique veſtrum plus olei quam vini conſumunt: plerique, peroſi leuitatem ac proteruiam, mores ad elegantiam ac decoram quamdam grauitatem componunt. Denique, quod vel maxime in vobis laudandum, plerique diligitis atque obſeruatis praeceptores veſtros, veramque libertatem non in effraeni quadam licentia, ſed in virtute atque obſequio, poſitam eſſe, intelligitis. Macti hac virtute, macti hoc animo eſte, o mei, & date, quaeſo, operam, vt & hoc ſemeſtri non modo alios veſtri ordinis,

nis, ſed & vos ipſos, ſuperetis. Habebitis tunc rectorem, animo vere paterno vos omnes complectentem, quique ſe beatum ducet, ſi per vos licuerit, omni animaduerſione ſuperſedere : ſi virtute veſtra effeceritis, vt nullo acriore remedio opus ſit : ſi denique carceres per hoc ſemeſtre non niſi mures ac araneae inhabitent. Per vos hoc ſtabit, nobiliſſimi iuuenes. Quod enim ad me attinet, facile, ſi recte me nouiſtis, intelligetis, me non conceſſurum, vt vitia impune gliſcant, vt corrumpere & corrumpi apud nos ſaeculum vocetur, & diſciplina publica, ſine qua nulla ſocietas humana conſiſtere poteſt, culpa mea collapſa eſſe dicatur. At vnica ſpes mihi in te ſita eſt, ſumme atque immortalis Deus, quem rebus meis praeſentiſſimum adfuiſſe, & adeſſe etiamnum, innumeris argumentis iam inde ab incunabulis perſpexi. Tu mihi dediſti animum, quo nunc hos faſces ſuſcipio, nec aurae popularis captatorem, nec intentum commodis meis, ſed ſalutis publicae ſtudioſiſſimum. Suffice, quaeſo, vires, & fac, vt florente potentiſſimo patriae patre, florente domo auguſta, florente imperio Pruſſico, exacto legitimo tempore, remp. hanc academicam, quae tua vnius ope ex tot procellis feliciſſime emerſit, illuſtri ſucceſſori tradam, non modo quietam, ſaluam, incolumem, ſed & laetiſſimis auctibus florentiorem.

MANTISSA.

Egimus ſupra *in notis* de variis, in quas gens Aquillia abiit, familiis. Inter eas non meminimus *Aquilliorum Seuerorum*, ex quibus prodiit IVLIA AQVILLIA SEVERA, AVGVSTA, vel, vti in Graecis Gabalenſium, Theſſalonicenſium, Ptolemaidenſium, Tyriorum atque Antiochenorum numiſmatibus vocatur ΙΟΥΛΙΑ ΑΚΥΛΙΑ (ΑΚΟΥΙΛΙΑ) ΣΕΟΥΗΡΑ (CEBHPA) CEB. Vid. Vaillant. *Numiſm. Graec. Imp. p.* 131. *Numiſm. Colon. Tom. II. p.* 145. *Numiſm. praeſtant. Tom. I. p.* 138. Patin. *Numiſm. Imp. Tom. I. p.* 138. Ea primum Veſtae ſacris addicta, poſtea inceſtis Elagabali Imp. nuptiis ſeſe polluit, & IVLIAE PAVLLAE, quam idem Vaillantius Iulii Paulli, ICti, filiam fuiſſe ſuſpicatur, in thoro ſucceſſit, interſerente Elagabalo cauſſam, ſanctius atque auſpicatius fore inter ſe ſacerdotem & virginem Veſtalem matrimonium. De eo Herodianus *Hiſt. V.* 6. ἠγάγετο δὲ γυναῖκα, τὴν εὐγενεστάτην Ῥωμαίων, ἣν Σεβαστὴν ἀναγορεύσας, μετ' ὀλίγον χρόνον ἀπεπέμψατο,

ἰδιω-

ἰδιωτεύειν κελεύσας, καὶ τῶν τιμῶν παρελόμενος, μετ' ἐκείνην δὲ προσποιησάμενος ἐρᾷν παρθένου τῆς Ῥωμαίων Ἑστίας ἱερωμένης, ἁγνεύειν δὲ πρὸς τῶν ἱερῶν νόμων κελευομένης, καὶ μέχρι τέλους τοῦ βίου παρθενεύεσθαι, ἀποσπάσας αὐτὴν τῆς Ἑστίας, καὶ τοῦ ἱεροῦ παρθενῶνος γυναῖκα ἔθετο. *Duxit praeterea vxorem, illuſtriſſimam Romanam feminam, quam etiam Auguſtam adpellauit; cumque ea tamen paullo poſt diuortium fecit, ademtiſque honoribus, priuatam colere vitam iuſſit. Poſt illam vero captum ſe amore ſimulans, Veſtalem ſacerdotem, quam leges caſtam eſſe, & virginem perpetuo volunt, abreptam e templo, pro vxore habuit.* Addit paullo poſt Herodianus, Elagabalum edicto monuiſſe Senatum, facinore illo commotum, ἁρμόζοντά τε καὶ σεβάσμιον εἶναι γάμον ἱερέως τε καὶ ἱερείας, *congruas atque auſpicatiores fore ſacerdotis cum ſacerdote nuptias.* Similia ſunt apud Dionem in fragmentis *Libri LXXIX. p.* 911. vbi & illam facti rationem reddidiſſe Elagabalum, refert, ἵνα δὴ καὶ θεοπρεπεῖς παῖδες γεννῶνται. *Vt inde diuini liberi naſcerentur:* ſimulque monet, ſtolidiſſimum hominem & hanc repudiaſſe, aliamque poſt aliam duxiſſe, (inter quas nummi etiam ANNIAM quamdam FAVSTINAM memorant,) ac demum ad Seueram rediiſſe. Vnde magna inter Spanhemium alioſque diſſidia, quo ordine hae aliaeque ſibi inuicem in thoro ſucceſſerint, quae quidem nunc mea non facio, eos, qui plura ea de re noſſe cupiunt, ad Ez. Spanhemii aeternum opus *de Vſu & praeſt. Numiſm. Diſſ. XI. §. 24. p. 296. Tom. II.* Tillemontii *Hiſt. Imperat. Tom. III. Part. I. p.* 278. alioſque remiſiſſe, contentus.

PROGRAMMA INAVGVRALE
DE
SALVIO IVLIANO
IVRISCONSVLTORVM SVA AETATE CORYPHAEO,
ſeu
EXERCITATIO XXIV.

QVum ſex abhinc annis Francofurti iuxta Viadrum Anteceſſoris munus more maiorum auſpicarer : publice proponebam programma de P. IVVENTIO CELSO, iuriſconſulto incomparabili, atque eximio ſaeculi ſui ornamento. Quam operam ego tum, de ſparta, quam nactus eram, ornanda quam maxime ſollicitus, eam praecipue ob cauſſam in me ſuſcipiebam, vt praeclaro tanti viri exemplo; me ipſum; ad ſectandam atque adſequendam veram cordati iuriſconſulti laudem magis magiſque quotidie excitarem, memor praecepti Senecae (a) : *Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic, tamquam illo ſpectante, viuamus, & omnia, tamquam illo vidente, faciamus.* Neque ſane me adhuc conſilii iſtius poenituit, ex quo diſſertatiunculam iſtam viris doctis, earumque deliciarum intelligentibus, non omnino diſplicuiſſe, quin & locupletiorem eius editionem a Belgis flagitatam, non ſine voluptate quadam intellexi. Quare nunc etiam tenebo inſtitutum, quumque ſummum, quod omnia moderatur, Numen me nihil tale cogitantem, quin tot migrationum iam pridem pertaeſum, retraxerit Halam, vbi iam olim per decen-

(a) Seneca Epiſt. XI.

Digitized by Google

decennium & ad philoſophiam litteraſque elegantiores, & ad iuriſprudentiam ſtudioſam iuuentutem bona fide inſtitui, munus hoc poſtliminio receptum denuo auſpicabor expoſita quam breuiſſime maximi iuriſconſulti vita, quae & mihi exemplo, & vobis, COMMILITONES OPTIMI, incitamento ad virtutem haut mediocri ſit futura. Eſt is SALVIVS IVLIANVS, Edicti perpetui, id eſt, fundi iuriſprudentiae totius, conditor celeberrimus, cui hanc operam eo libentius nauamus, quo maius nobis ſpicilegium relictum animaduertimus a Bernardino Rutilio, Io. Bertrando, Guil. Grotio, Guidone Pancirolo, Chriſt. Adamo Ruperto, aliiſque, qui ad ſcribendam veterum iuriſconſultorum hiſtoriam animum adpulerunt. Pleraque ſane, quae ad viri iſtius incomparabilis vitam pertinent, incerta illi nobis reddiderunt ac dubia, quum tamen ille non in ea tempora inciderit, quibus

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate ſacro:

nec loco aliquo obſcuro in vmbra conſenuerit, ſed ſaeculo felice, Romae, in maximis dignitatibus celebritateque hominum verſatus ſit, & vel ſolis operibus ſuis memoriam poſteritatis meruerit ſempiternam.

De ipſa ſtatim IVLIANI patria, (vt ab ea potiſſimum ordiamur,) adeo inter ſe diſceptant viri docti, vt idem illi accidere videatur, quod olim Homero, cuius de incunabulis celeberrimas Graeciae ciuitates inter ſe contendiſſe perhibent. Mediolano eum ciuem primus, ni fallor, vindicauit Bern. Rutilius (b), quem deinde Val. Forſterus (c), Io. Bertrandus (d), Guido Pancirolus (e), & hos denique alii proletarii ſcriptores, vti fieri ſolet, longo agmine ſequuti ſunt. Et tamen eius ſententiae non alium fundum video, quam locum Spartiani (f), qui Didio Iuliano Imp. auum paternum tribuit Inſubrem, Mediolanenſem; maternum Hadrumetinum, Afrum. Auum vero Didii non paternum, ſed maternum, SALVIVM IVLIANVM fuiſſe, ex illo ipſo Spartiano didiciſſent, ſi mens

(b) *Vit. iuriſconſ. cap.* LXVI.

(c) *Hiſt. Iur. Ciu. lib.* II. *cap.* LXXIII.

(d) *de iuriſperit.* I. 1.

(e) *de clar. legum interpr. lib.* I. *cap.* XXXVIII.

(f) *in vita Did. Iuliani cap.* I.

mens non laeua fuiſſet. Gente itaque noſter non fuit Inſuber, ſed Afer: domo non Mediolanenſis, ſed Hadrumetinus (g). Id quod ſane eius laudibus aliquid detrahere videretur, ſi, quemadmodum vino a ſolo, ita ingeniis ab incunabulis laus quaedam ac commendatio accederet. Aſt bona mens vbique naſcitur, ipſaque Africa, quae olim monſtrorum nutrix habebatur, praeclara etiam protulit ingenia, & iuriſconſultos egregios (h) quorum in numerum & Q. Septimium Florentem Tertullianum iure meritoque referimus. De maioribus IVLIANI noſtri nihil compertum habemus. Quamuis enim celeberrima Romae fuerit gens SALVIA, Ferentino oppido ex principibus Hetruriae orta (i), nomenque tam auſpicatum, vt, teſte Pompeio Feſto (k), in delectibus militum ac cenſibus illud primum boni ominis cauſſa eloquerentur: temerarium tamen videretur, in tanta familiarum Romanarum confuſione, quam turba peregrinorum, Romam ſub imperatoribus confluens, inuexerat (l), IVLIANVM ex ea gente deriuare. Quid? quod ne ipſos quidem, quos leges noſtrae paſſim commemorant, SALVIOS, quamuis eiuſdem cum IVLIANO aetatis (m), multoque minus illos, qui in marmoribus occurrunt, illi agnatos fuiſſe, dicere auſim, quum ipſa cognomina diuerſam eorum originem prodere videantur. Et ſane non indiget alienis iſtis orna-

(g) Hadrumetum, vrbs, teſte Salluſtio *de Bell. Iug. cap.* XIX. a Phoenicibus condita, glebam arabat adeo fertilem, &, vt Scylax in Periplo p. 127. vocat παμφορωτάτην, vt eam *centena & quinquagena fruge foecundam eſſe* teſtetur Plinius *Hiſt. Nat.* XVII. 5. addatque, procuratorem quemdam Auguſto inde miſiſſe ex vno grano quadringenta paucis minus germina, aliumque Neroni 460. ſtipulas ex vno grano. Quo factum, vt quum vrbs illa paullatim a priſtino flore adeo defeciuiſſet, vt Pomponius Mela *lib.* I. *cap.* VII. eam vocet *oppidum, vt inter ignobilia, celeberrimum*, Traianus illi nouum ſplendorem redderet, eique nomen daret COLONIAE VLPIAE TRAIANAE AVGVSTAE FRVGIFERAE HADRVMETINAE Grut. Inſcr. p. 362. 2.

(h) Iuuenal. Satyr. VII. v. 148.

Gallia, vel potius NVTRICVLA CAVSSIDICORVM,
Africa.

(i) Sueton. *in Othone cap. I.* Fului. Vrſin. *de famil. Roman. p.* 245. edit. Patini.

(k) Feſt. in Lacus Lucrinus p. 82. edit. Scalig.

(l) De ea gentium ac familiarum Romanarum confuſione conſulendus in primis vir illuſtris, Ez. Spanhem. *de Vſu & praeſt. numiſm. Diſſ.* X. *Tom.* II. *p.* 4.

(m) Tales ſunt Saluius, Aquitaniae legatus, *l.* 12. *ff. de cuſtod. & exhib. reor.* Saluius Carus, Cretae proconſul, *l.* 14. *ff. ad SC. Turpill.* Saluius Ariſto, *l.* 6. *ff. de legat. praeſt.* Saluius Marcianus, *l.* 9. §. 4. *ff. de poen.* denique Saluius Valens, *l.* 7. §. 1. *ff. de accuſ. & inſcript.* Qui omnes ſub Hadriano & Antonino Pio vixerunt, adeoque Saluio Iuliano fuere σύγχρονοι.

Digitized by Google

ornamentis IVLIANVS noſter, qui ita abundabat propriis, vt poſteris virtute ſua nobilitatem pepererit, multo ſolidiorem, quam quae in fumoſis maiorum imaginibus conſiſtit. Quod & Spartianum (n) velle arbitror, dum IVLIANVM, quamuis bis conſulem & praefectum vrbi, *iuriſprudentia magis nobilem factum*, ſcribit. Poſteritatem enim ille reliquit ſplendidam, quaeque non modo ad praefecturam praetorianam, ſed & ad ipſum imperii faſtigium, mira fatorum indulgentia, adſpirauit (o), ſtabiliorem procul dubio expertura fortunam, ſi genitoris ſui virtutem prudentiamque ſanctius coluiſſet. Nomen porro ac cognomen IVLIANI noſtri certiſſima ſunt. Vbique enim veteres eum vocant SALVIVM IVLIANVM, non SEVERVM, quod ei cognomen poſt Rutilium & Ber-

(n) Spartian. in Did. Iulian. cap. I.

(o) Ex loco Spartiani ſequens IVLIANORVM ſtemma exculpſit Iſaacus Caſaubon. *in Not. ad Hiſt. Aug.* p. 110.

DIDIVS SEVERVS, Mediolan. — SALVIVS IVLIANVS, auctor edicti perpetui ſub Hadriano, Hadrumetinus Afer.

DIDIVS SEVERVS. — SALVIVS IVLIANVS.

PETRONIVS DIDIVS SEVERVS. = AEMILIA CLARA. SALVIVS IVLIANVS.

DIDIVS PROCVLVS. — P. DIDIVS IVLIANVS SEVERVS AVG. Vxor MANLIA SCANTILLA, AVG. — NVMIVS ALBINVS.

DIDIA CLARA, AVG. nupta Cornelio Repentino, Praefecto vrbi.

Enimuero iſtud Caſauboni ſtemma veterum lapidum auxilio emendauit Thom Reineſius *Var. Lect.* III. 2. p. 34. a quo iſtud accepit Chr. Adam. Rupertus ediditque ad Pompon. Enchirid. p. 471. Id vero tale eſt:

SALVIVS

SALVIVS IVLIANVS e colonia Hadrum.. Afer. *Forſterus* male Mediolano ortum dicens, confundit hunc cum pronepote eius, Didio Iuliano Aug. Fuit bis Conſul, Praeſ. vrbi & IC. *Spart.* auctor edicti perpetui. *Eutrop.* imperantibus Hadriano Pio & DD. Fratribus clarus Riuall.

DIDIVS SEVERVS. Inſuber Mediolanenſis.

FILIA. = C. VIBIVS IVVENTIVS Coſ. anno V. C. 886.

DIDIVS SEVERVS.

SALVIVS IVLIANVS auunculus Didii Saluii Iuliani, Aug. *Spart.* Praefectus praet. *Dio.* Exercitibus praefuiſſe ſcribitur. *Lamprid.* Occiſus a Commodo. Dio & *Lamprid.* Hunc cum Saluio Iuliano IC. confundit *Forſterus.*

FILIVS, cuius pudicitiam tentauit Commodus. *Lamprid.*

VIBIA SALVIA VARA. *Inſc. p.* 459. 2. Clara Aemilia iuxta *Spart.* falſo. = PETRONIVS DIDIVS SEVERVS.

NVMIVS ALBINVS. *Spart.* & *Inſcr.* Conſ. anno V. C. 939. Grut. p. 175. 8.

NVMIA VARA.

DIDIVS PROCVLVS. *Spartian.* L. Roſcius Iulianus Proculus. *Inſcr.*

FILIVS, cui a Didio Iuliano filia deſponſa. *Spartian.*

P. DIDIVS SALVIVS IVLIANVS SEVERVS Aug. nat. anno V. C. 890. Vxor MANLIA SCANTILLA.

DIDIA VARA Aug. *Spartiano* Didia Clara, nupta Cornelio Repentino, Praeſ. Vrbi.

Sed multa & hic parum accurate ſcripta animaduerti. Nam *primo* DIDIVS IVLIANVS non tulit praenomen Publii, ſed Marci, quod ſeruant nummata apud Vaillant. Num. Imp. praeſt. Tomo I. p. 106. & Tomo II. pag. 206. Patin. Num. Imp. pag. 218. *Deinde* falſum eſt Didii Iuliani filiam dictam DIDIAM VARAM. Apud eumdem enim Vaillantium Tomo I. pag. 108. & Tomo II. pag. 209. diſerte vocatur DIDIA CLARA AVG. *Tertio* quamuis ex marmore Gruteriano pag. 459. 2. recte Reineſius eruat Didii Iuliani ſororem, NVMIAM VARAM, fratresque L. ROSCIVM IVLIANVM PROCVLVM & NVMIVM ALBINVM: omiſit tamen Roſcii illius poſteros, quorum meminit lapis apud Grut. p. XVIII. 10. poſitus, quippe teſte Fabrotto Inſcr. Cap. X. p. 695. IVLIANO II. & CRISPO coss. id eſt ann. V. C. DCCCCLXXVI. *Quarto* hos omnes fratres & ſorores pro germanis habuit Reineſius, quum vel nomina diuerſiſſima argumento ſint, eos tantum vterinos fuiſſe, alioque patre viſos eſſe Numium Albinum & Numiam Varam, alio Didium Proculum, qui per adoptionem in Roſciorum familiam tranſierat, & M. Didium Iulianum Aug. Ex quo ſane conſequitur, vt VIBIA illa VARA primum in NVMII cuiusdam, deinde in DIDII SEVERI torum conceſſerit. Quin & DIDIVM SEVERVM duas duxiſſe uxores oportet, & ex altera AEMILIA CLARA, cuius meminit Spartianus, Didium Iulianum, ex altera, VIBIA SALVIA VARA, Didium Proculum ſuſtuliſſe. *Quinto* & in eo manifeſto Reineſium ratio fugit, quod Vibiam Salviam Varam filiam putat C. IVVENTII VARI Coſ. quum in

Bertrandum perperam tribuit Ianus Vincentius Grauina (p), Didii Iuliani cognomine procul dubio deceptus. Praenomen nuſquam, quod meminerim, memoratur, quia illud iſtis temporibus, ceu iam Iac. Perizonius (q) obſeruauit, plerumque negligebatur.

in marmore illa diſerte non C. ſed L. F. vocetur. Nec potuit illa Saluii Iuliani, Praefecti praetorio, ſoror eſſe, quum Spartianus Didium Iulianum non per Vibiam Saluiam Varam, ſed per Aemiliam Claram a Saluio Iuliano deſcendiſſe, ſcribat. *Denique* minime omnium adparet, qua fretus auctoritate Reineſius, SALVIVM IVLIANVM, Praeſ. praetorio, non iuriſconſulti filium, ſed ex filia nepotem fuiſſe, tradat, quum vel nomina argumento ſint, eum patrem non Vibium Iuuentium Varum, ſed Saluium aliquem Iulianum habuiſſe. Quae quum ita ſint, ipſe olim ſtemma hoc IVLIANORVM, multo accuratius pleniusque Reineſiano, concinnaui:

SALVIVS IVLIANVS IC. Coſ. & Praeſ. vrbi Edicti perpetui conditor.

M. SALVIVS IVLIANVS, Dioni male Σιβῖος, Coſ. anno V. C. 927. Praeſ. praet. occiſus a Commodo circa annum V. C. 941.

DIDIVS SEVERVS Inſuber Mediol.

DIDIVS SEVERVS.

L. VIBIVS VARVS.

NVMIVS = VIBIA SALVIA VARA, de qua Grut. p. 459. 2. = PETRONIVS DIDIVS = AEMILIA CLARA

SALVIVS IVLIANVS, cuius pudicitiae inſidiatus eſt Commodus, cuique deſponſata fuerat Tarunteii Paterni IC. & Praeſ. praet. filia.

NVMIVS ALBINVS Coſ. anno V. C. 958.

NVMIA VARA

L. DIDIVS PROCVLVS ob adoptionem ROSCIVS. Grut. p. 459. 1.

M. DIDIVS SALVIVS IVLIANVS SEVERVS AVG. natus anno V. C. 890. ad imperium euectus & occiſus anno V. C. 945. VX. MANLIA SCANTILLA AVG.

M. NVMIVS ALBINVS, bis Coſ. an. V. C. 998. & 1015. Praeſ. Vrb. 1009.

NVMIVS SECVNDVS. *Reineſ. Inſcr. VI.* 132.

PROCVLVS ROSCIVS IVLIANVS, de quo Grut. p. 18. 10.

FILII, de quibus idem marmor.

BASSA de qua marmor apud Grut. p. 18. 2.

FILII, de quibus idem marmor.

DIDIA CLARA AVG. deſtinata Didii Proculi filio, nupta Cornelio Repentino, Praeſ. vrbi.

(p) De Ortu & progr. iur. ciu. §. LXXXII.

(q) Perizon. animadu. Hiſt. cap. III.

tur. MARCVM tamen illum, dubium cuius fide, vocat Rupertus (r). Aetatem contra, qua floruit, ignorare nos non patiuntur tot veterum teſtimonia, ipſaque IVLIANI, quae ſuperſunt, fragmenta. Vt tamen certiora, quoad eius fieri poſſit, conſectemur: temporum rationes ita iimus. Edictum perpetuum, teſte Euſebio (s), edidit IVLIANVS anno erae Dionyſiacae CXXXII. quo anno eum praetura functum eſſe, vel ideo probabile eſt; quod alioquin vix vlla reddi poſſit ratio, cur in tanto iuriſconſultorum numero IVLIANO potiſſimum id negotii dare voluerit Hadrianus Imp. Iam quum Praeturae annum legitimum inde ab Auguſti temporibus aetatis trigeſimum fuiſſe (t), legemque illam annariam ſub Hadriano adhuc religioſe obſeruatam (u), conſtet: IVLIANVM, tunc annorum circiter triginta, natum eſſe oportebit circa annum erae Dionyſiacae CII. Inclareſcere tamen praecipue coepit ſub Hadriano, aetatemque non modo ad Antonini Pii, ſed & Marci & Lucii, Imperatorum, quos Diuos Fratres vulgo adpellitant, imperium produxit, quippe AMICVS ab iis vocatus: *l.* 17. *ff. de iure patron.* (x) vt adeo IVLIANVM, ſi vel primos illorum principum annos attigerit, ad iuſtam ſenectutem LXIII. annorum perueniſſe, intelligamus (y). Dum genua virebant, ingenium

(r) Ad Pompon. Enchirid. p. 470. ſequutus fortaſſis Onuphrium Panuinium, quem tamen in condendis faſtis multa ſibi indulſiſſe, iam pridem conqueſti ſunt viri docti & in his Thom. Reineſ. ad Inſcript. p. 28. Si genuinum eſt hoc Iuliani praenomen: ad eum referre licebit lapidem apud Vignol. in Adpend. Comment. de Columna Antonini Pii p. 341.

M. SALVIO. M. L. SECVNDO.
NVMMVLARIO. DE. CIRCO.
FLAMINIO.
SALVIA. M. L. PHAEDIME.
PATRONO.
B. M. SVISQVE.

Fuerit itaque M. Saluius Secundus Iuliani noſtri libertus, ex iis fortaſſis, quos in praetura ſua manumiſerat. *l.* 1. *ff. de manum. vind.*

(s) Euſeb. *in Chron. n.* 2147.

(t) Dio Caſſ. *lib.* LII. *p.* 479.

(u) *Plin. lib. VII. Epiſt. XVI.*

(x) Superſtitem Iulianum fuiſſe Antonino Pio, etiam ex eo intelligitur, quod Caium iuriſconſultum laudat *l.* 59. *ff. ſolut. matrim.* quem, mortuo iam Pio, libros pleroſque ſcripſiſſe, erudite demonſtrauit V. C. Franc. Car. Conradi in Act. Erud. Lipſ. anni 1727. menſe Februario. Sed multo clarius id probatur ex *l.* 17. *ff. de iure patron.* in qua Diui fratres eum vocant AMICVM SVVM. Nam eo nomine veniebant non mortui, ſed viri conſulares & iuriſprudentes, quos in conſilio & comitatu habebant Principes, quales erat ille C. Sentius Seuerus, de quo vetus marmor apud Salmaſ. ad Hiſt. Aug.

C. SENTIO.
SEVERO.
QVADRATO.
C. V. COS.
AMICO. ET. COMITI. AVG. N.

(y) Multo maiorem illi aetatem tribuunt Rutilius cap. 66. Io. Bertrandus

Digitized by Google

nium elegantiorum artium ſtudiis ad maiora quam diligentiſſime praeparabat, idque ipſa eius fragmenta ſatis demonſtrant (z). Graecarum certe litterarum imperitum illum haut fuiſſe, vel ex eo patet, quod legit Ariſtotelem (a), & aliquando etiam Graecis quibusdam vocabulis vſus eſt (b), quamuis religioni ſibi duxerit, Graeca Latinis ſine neceſſitate immiſcere. Eſt etiam, vbi Graeciſmum redolet IVLIANI oratio, vt facile adpareat, eum non ignoraſſe Graecae orationis veneres, ſed eas perquam ſcite in Latium tranſtuliſſe (c). Sic & Latina Iuliani dictio non modo pura eſt, ſed & terſa aliquando, vbique vero caſtigata, nuſquam abrupta aut turgida, quamuis eo dicendi genere iſtis temporibus magnopere delectarentur. Atque inde eſt, quod nec Laur. Valla, nec reliqui Latinitatis veterum ICtorum cenſores emiſſitiis illis oculis ſuis quidquam in IVLIANI fragmentis repererint, quod iure eorum incurreret reprehenſionem (d). Superſunt quoque in

Iiiii 3 IVLIA-

dus *lib. I. cap. I.* Edm. Merill. *Obſ. III.* 19. & Aegid. Menag. *Amoenit. Iur. Ciu. cap. XXIV. p.* 129. ſed decepti male intellecta *l.* 20. *ff. de fideic. libert.* ubi ad Iulianum referunt haec verba: *Nam ego diſcendi cupiditate, quam ſolam viuendi rationem in octauum & ſeptuageſimum annum aetatis duxi, memor ſum eius ſententiae, qui dixiſſe fertur: κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην. Etſi alterum pedem in tumulo haberem: non pigeret aliquid addiſcere.* Enimuero non Iuliani eſſe haec verba, ſed eius, qui Pomponium tum conſulebat, tam certum eſt, quam quod certiſſimum, idque pridem vidit Ant. Auguſtinus Emendat. I. 8.

(z) Neſcio igitur, cur eum ſera demum aetate litteras attigiſſe putet *Edm. Merill. Obſ. III. 19. Nam ſi vel maxime verba illa ex *l.* 20. *ff. de fideic. libert.* ad Iulianum pertinere credas: ex iis tamen non conſequitur, vt ſero demum animum ad litteras adiecerit.

(a) *l.* 36. *ff. de ſolut.*

(b) *l.* 13. *ff. de ſolut. l.* 8. *ff. de ſuis & legit. her. l.* 65. *ff. de reg. iur. l.* 5. §. 7. *ff. de admin. & peric. tut.*

(c) Tale quid deprehendimus in *l.* 3. *ff. de dote praeleg.* vbi Iulianus: *Qui, inquit, ita legat vxori ſuae,* MANIFESTVS *eſt, dotem quoque relegaſſe.* Graeciſmus vero hic & aliis in deliciis fuit, & non modo bis reperitur apud Vlpianum *l.* 22. §. 8. *ff. ſol. matr.* ſed & ſaepius apud auctores reliquos. Tacit. Annal. II. 57. *Atrox & diſſentire* MANIFESTVS. Auctor Dialogi de cauſſ. corrupt. eloqu. cap. XVI. *Ipſe ſatis* MANIFESTVS *iam dudum in contrarium accingi.*

(d) Equidem nonnulla ſuo more reprehendunt, ſed quae facile optimorum ſcriptorum auctoritate tuearis. Si e. g. illi non ferunt, quod in *l.* 6. §. 6. *ff. de negot. geſt.* dixerit CONTEMPLATIONE eius: ſed id tamen ferunt in Iuſtino Hiſt. VII. 5. VIII. 3. & Quintiliano Declam. III. & V. quae loca iam Car. Andr. Ducker. de Latinit. vet. ICtor. p. 319. adduxit. Deinde reprehendunt Iulianum, quod ENIM ſine vllo praepoſito poſuerit. *l.* 17. *ff. quib. mod. vſusfr. vel vſ. am.* Sed eodem modo illam coniunctionem praepoſuiſſe Ciceronem, Plautum, Terentium, Lucretium, oſtenderunt Hub. Giphan. in Indice Lucret. Taubm. ad Plauti Epidic. V. 2. v. 36. & Io. Fr. Gronou. ad Liu. XXXIV.

IVLIANI fragmentis quaedam reconditae antiquitatis veſtigia, veluti quod ſe & in praetura, & in conſulatu ſuo, ſeruos quosdam vindicta liberaſſe, & Praetoribus quibusdam, ſeſe conſulentibus, idem ſuaſiſſe, refert (e). Quo ipſo ritum antiquiſſimum atque elegantem non modo perſpectum ſibi fuiſſe oſtendit, verum etiam eumdem in vſum, praeceptoris ſui exemplo, reuocauit (f). Praecipuam tamen operam IVLIANVS, adhuc iuuenis, nauauerat philoſophiae, cuius a praeſidiis deſtitutus nemo temere veri iuriſconſulti laudem tuetur. Hinc artis diſſerendi argumentum haut leue dedit, dum Soriten, familiariſſimum veteribus philoſophis cauillandi genus, multo accuratius, quam aut Cicero (g), aut Diogenes Laertius (h), definiuit, prudenterque cauere docuit illos interrogatiuncularum laqueos (i). Ex eadem arte ſunt tot interpretandi regulae, locique argumentorum, quibus adeo dextre vtitur IVLIANVS, vt neſciam, an quiſquam veterum deciſiones ſuas rationibus aeque ſolidis firmarit (k). Phyſicam

XXXIV. 2. Praeterea Iulianum nollent ſcripſiſſe NIHILOMINVS pro NIHILOMAGIS. At ea loquutione veteres in primis delectatos eſſe, duasque abnutiuas aliquando & apud Latinos fortius negare, iam iam obſeruarunt Priſcian. *lib. XVIII. p.* 1196. Non. Marcell. *cap.* 12. *n.* 46. & 54. Cuiac. *ad l. 7. ff. pro emt.* Iac. Gothofr. ad Cod. Theodoſ. *Tom. IV. p.* 522. Iniuriam porro Iuliano faciunt, dum ipſi exprobrant, quod GENITVR poſuerit pro *gignitur l.* 13. *§. vlt. ff. de reb. dub.* Neque enim ipſe eo verbo vſus eſt, ſed teſtator quidam, cuius de ſupremo iudicio ibi diſputatur. Denique non ſermonis vitium, ſed loquutio forenſis eſt phraſis ADFLIGERE CVI PRETIVM pro *condemnare quem ad pretium reſtituendum. l. 30. ff. de negot. geſt.* Eodem enim ſenſu veteres dixerunt: *infligere cui vſuras*, pro condemnare in vſuras. *l.* 3. §. 4. *ff. vbi pupill. educ. l.* 11. *pr. l.* 17. §. 3. *ff. de indic.*

(e) *l. 5. de manumiſſ. vind.*

(f) Ex quo primus Conſul, Iunius Brutus, Vindicium ſeruum, coniurationis indicem, vindicta manumiſerat: inoleuerat mos, vt Coſ. & praetores magiſtratum in eius rei memoriam a manumiſſionibus auſpicarentur. Quem ritum primus ex inſtituto explicauit Petr. Fabr. *de Orig. iur. p.* 193. & Semeſtr. II. 20. *p. 296. ſequ.*

(g) Acad. *Quaeſt. IV.* 16.

(h) Laert. VII. 82.

(i) *l. 65. ff. de reg. iur.*

(k) Sic argumenta ducit modo a pari: *l. 32. §. 1. ff. de Legib. l. 49.* §. 2. *ff. de recept. arbitr. l. 6. ff. quib. mod. vſusfr. vel vſ. amitt.* modo a contrario, vt *l.* 32. §. 1. *ff. de legib. l. 25. ff. de ſeru. praed. ruſt.* modo a genere ad ſpeciem, *l. 26. ff. de ſtatu hom.* modo ab antecedente, *l. 27. ff. de adopt. & emanc.* modo ab effectu, *l. 25. l. 27. l.* 74. §. 2. *l. 75. ff. de iudic.* modo a toto ad partem, *l.* 34. §. *vlt. ff. de vſufr.* modo a maiore ad minus, *l. 3. ff. ſi vſusfr. pet. l. 19. ff. de reb. cred.* modo a definitione, vt in *l. 42. ff. ad L. Aquill.* modo ab abſurdo, vt in *l. 51. ff. eod.*

ſicam quoque eius obſeruationem de quinque infantibus vno partu fuſis, & totidem vteri receptaculis, habemus ſuperſtitem, quam tamen rerum naturalium peritioribus diiudicandam merito relinquimus (l). In primis vero ſeueriore illa morum doctrina vaſtum ingenium non modo adſperſit, ſed & penitus imbuit, ſectatus praecipue Stoicos, quorum decreta plerique veterum iuriſconſultorum iam dudum adoptauerant. Quamuis enim Sabinianis Academiam magis, quam porticum, curae fuiſſe exiſtimet vir doctiſſimus, Edm. Merillius (m): vana tamen eſt illa viri docti obſeruatio, & cum ab aliis, tum a V. C. Gottfrido Maſcouio (n), recte profligata. Fungum enim eſſe oporteret, qui in IVLIANI fragmentis non vbique deprehenderet ſcintillas quasdam ſapientiae Stoicae. Paſſim ille verborum proprietatem ex origine eorum, Stoicorum exemplo, eruit (o). Paſſim deciſionibus ſuis intexit generales iuris regulas, ipſum imitatus Zenonem, quem vel ideo maximi faciebant veteres, quod pleraque regulis atque axiomatibus breuiſſimis complecteretur (p). Paſſim deciſiones ſuas ex media ſtoa depromit (q). Neque tamen ſectatur omnes eius philoſo-

(l) Eſt ea in *l. 36. ff. de ſolut.* vbi auctoritate Ariſtotelis probat, plures quinque vno partu naſci non poſſe, quia non niſi quinque ſint vuluae muliebris receptacula. At locus ille Ariſtotelis hodie non exſtat. Immo, quod mireris, ſententiam iſtam non obſcure ipſe refellit Lib. IV. de Generat. anim. cap. IV. eamque [illegible] *nihil eſſe*, fatetur. Quare aut perperam haec Ariſtoteli a Iuliano tribui, fatendum eſt, quod vix videtur veroſimile: aut dicendum, philoſophum ſibi parum conſtitiſſe. Ceterum quae ibi de muliere Alexandrina, quinque vno puerperio enixa, refert Iulianus, ea confirmant Laelius apud Paullum, *l. 3. ff. ſi pars her. pet.* Caius, *l. 7. ff. de reb. dub.* Phlegon. *de Mirabil. cap. XXIX. Iul. Capit.* in Anton. Pio *cap. IX.* quibuscum iungendi Rigalt. ad Tertull. *de Anima cap. XVII. p.* 81. & Fabrott. *Exerc. II.*

(m) Obſ. I. 20. & IV. 40.

(n) De Sect. ICtor. cap. VI. §. IV.

(o) Ita cum cura inquirit in notionem verbi OCCIDERE, *l. 51. ff. ad L. Aquill.* eademque cura explicat, quid ſit NOXA, *l. 200. ff. de verb. ſign.* quid FILIVS & FILIVSFAMILIAS *l. 201. ff. eod.* quid DOLIA VINARIA, SERIAE, AMPHORAE. *l. 206. ff. eod.* quid denique MORBVS SONTICVS, *l. 60. ff. de re iudic.* Quod poſtremum vocabulum ipſe, iudice Aeg. Menagio, Amoen. Iur. cap. XXXIX. multo accuratius explicauit, quam aut Caecilius apud Gell. *Noct. Att. XX.* 1. aut Venuleius in *l. vlt. ff. de edicto Aedilit.*

(p) Arrian. *Diſſ. Epictet. I.* 29. Tales regulas & Iulianus immiſcet deciſionibus ſuis, veluti *l. 15. ff. de legib. l. 26. ff. de ſtatu hom. l. 76. ff. de procur.*

(q) Exemplum eſt in *l. 61. ff. de rei vind.* Quam deciſionem nemo intellexerit, niſi qui norit, inter Stoicorum decreta fuiſſe, quod omnia fluant, & in adſidua adiectione ac deminutione ſint. *Epiſt.* LVIII. Marc. Antonin. *εἰς ἑαυτ.* II. 17. V. 33.

loſophiae ſubtilitates, a quibus ipſi cordatiores ſtoici abhorrebant (r) ſed maiorem ſemper rationem habebat aequitatis, eamque ipſe omnibus eiusmodi nugis longiſſime anteponebat (s). Talem ſe in philoſophia praeſtabat IVLIANVS. Quemadmodum vero, qui prudenter peregrinantur, numquam ita capiuntur exteris regionibus, vt non ſubinde ad patriam reflectant oculos, & ad eam omnia, quae peregre obſeruarunt, referant: ita non alio conſilio per amoeniora illa ſtudia diuagabatur IVLIANVS, quam vt inde locupletiorem redderet iurisprudentiam, quam ſibi ad maiora nitenti decus ac robur futuram prudenter augurabatur. Hinc nulla eſt pars illius ſapientiae ciuilis, in qua ille non id, quod ſummum videtur, fuerit conſequutus. Iurisprudentiae certe illius νομοθετικῆς nullum certius proferre licebit argumentum, quam edictum perpetuum (t), quod ſe adeo probauit poſteris, vt nulla Romanorum lex, nullum SC. nulla Principis conſtitutio tam conſtanti ac perpetuo vſu viguerit, ac opuſculum illud Iuliani, ſpecimen iurisprudentiae legislatoriae praeſtantiſſimum, ob quod ſolum IVSTINIANVS (u) illum τὸν ἐν νομοθέταις εὐδοκιμηκότων σοφώτατον, *omnium iuris conditorum, qui olim celebritatem conſequuti ſunt, prudentiſſimum* vocare non dubitauit. Nec minor IVLIANI prudentia in conſulendo cauendoque eluxit, digni

(r) Seneca *Epiſt.* XLV. XLVIII. *ſequ.* Arrian. *Diſſ. Epict.* II. 19. Marc. Antonin. I. 17.

(s) Pertinent huc, quae de ſeruo ab vno vulnerato, & ab altero poſtea occiſo, contra ſubtilem iuris rationem diſputat: *l.* 51. *ff. ad L. Aquill.* nec non, quae de pecunia eum in finem donata, vt donatori credatur, diſſerit: *l.* 20. *ff. de reb. dub.* ac denique, quae de aſſe hereditario monet. *l.* 13. *pr. ff. de lib. & poſtumis her. inſt.*

(t) Immo & edictum DE CONIVNGENDIS CVM EMANCIPATO LIBERIS EIVS, cuius ipſius quoque auctor atque inuentor eſt IVLIANVS. *l.* 3. *ff. de coniung. cum emanc. lib.* Nimirum vetere iure ad ſucceſſionem non vocabantur emancipati. Quum vero deinde iis bonorum poſſeſſionem daret praetor: id eueniebat, vt vel filius impedimento eſſet nepoti, in poteſtate aui retento; vel hic, tamquam ſuus, illum ſecluderet. Quod ne eueniret, primus hoc edicto ſuo cauit Iulianus. Eidem IVLIANO interdictum SALVIANVM acceptum ferunt Cuiac. in *Paratitl. Digeſt. Lib.* XLIII. *tit. ult.* & Ant. Auguſtin. *de Nom. prop. Pand. cap. IV. p.* 331. At in dubium id vocarunt Bachou. ad Treutl. *Vol.* II. *Diſp.* XXV. *theſ.* II. *litt. D.* & de Pignorib. III. 20. Hub. Giphan. in *Comm. ad* §. 3. *Inſt. de interd.* ac nouis eam in rem argumentis vſus vir ampliſſimus, mihique amiciſſimus, Corn. van Bynkersh. Obſ. I. 24. quibus tamen ſatisfacere conatus eſt clariſſimus Waechtlerus in Act. Erud. Lipſ. 1717. p. 264. Rem, vtpote incertam, nos quidem in medio relinquimus.

(u) *Conſt. Tanta* §. 18.

Digitized by Google

gni ideo habiti, qui non modo a Senatu, vt Spartianus (x) refert, probaretur, & vna cum iuriſconſultis eorum temporum praeſtantiſſimis locum in ſanctiore Hadriani Imp. ac ſucceſſorum conſilio obtineret, ſed & a magiſtratibus (y) aeque ac priuatis, tamquam ciuitatis oraculum, conſuleretur, uſque de iure reſponderet, idque tam ſolide, vt, quum innumeris locis eius deciſiones in iure noſtro laudentur, vix vnus aut alter reperiatur, qui eas erroris coarguere auſus ſit (z). Denique dubitari non poteſt, quin & prudentiae, quam δικαστικὴν vocant, ſpecimina quam plurima dederit, qui & maiores magiſtratus geſſit, &, eodem teſte Spartiano, principi ipſi, cauſſas cognoſcenti, adſedit, & operibus ſuis paſſim intexuit praecepta quaedam eius generis vtiliſſima (a). Ceterum incredibili illa, quam ſibi tot vigiliis pepererat, doctrina, gloriam tam ſolidam reperit, vt omnium conſenſione veluti iuriſconſultorum familiam ducere videretur, & vix ab ullo adpellaretur ſine laude ac praefatione honoris. In ipſo certe iure noſtro modo ob honores, quibus functus eſt, κοιαίστωρ (b), modo *vir ſapientiſſimus* (c), modo *ſummus auctor iuris ſcientiae* (d), modo *ſubtiliſſimus teſtis*, *ſummae auctoritatis homo*, *& edicti perpetui ordinator* (e), modo *vir magnae exiſtimationis & diſertiſſimus iuriſperitus* (f) adpellatur, vt alia, quae in eum con-

(x) Spartian. in vit. Hadr. c. XVIII.

(y) *l. 5. ff. de manumiſſ. vind.*

(z) Hinc ſaepe legas: RECTE IVLIANVS PVTAVIT, *l. 94. ff. de legat. 2.* RECEPTA EST IVLIANI SENTENTIA, *l. 29. §. 16. ff. de lib. & poſtum.* HOC, QVOD SENTIMVS, ET IVLIANVS PROBAT. *l. 62. §. 1. ff. de rei vind. l. 3. ff. de exc. rei iudic. l. 48. §. 1. ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* MERITO IVLIANVS RESPONDIT, *l. 19. ff. de vi & vi arm.* RECTE SCRIBIT IVLIANVS, *l. 21. §. 9. ff. de recept.* ET EGO DIDICI, ET IVLIANVS EXISTIMAT, *l. 5. ff. de oper. ſeru.* VERVM EST, QVOD IVLIANO PLACET, *l. 28. ff. de pact.* EST VERIVS, QVOD IVLIANVS SCRIPSIT, *l. 6. pr. ff. de tut.* IVLIANI SENTENTIA HVMANIOR EST, *l. 23. §. 8. ff. de Aedilit. edict.* SECVNDVM IVLIANVM SAEPIVS EST CONSTITVTVM, *l. 3. §. 1. ff. ad SC. Maced.* & huius generis alia. Rariſſime ab eo diſſentiunt Vlpianus, Paullus, Maecianus, & quoties id faciunt, Iuliani dicta explicant potius, adhibitaque diſtinctione iuuant, quam reprehendunt. Acerrimus Iuliani cenſor eſt VLPIVS MARCELLVS, quem ſectae ſtudium in tranſuorſum egit. Contra eius definitiones plerumque conſtitutionibus ſuis firmarunt Principes, eiusque rei varia exſtant exempla in *l. 3. §. 1. ff. ad SC. Maced. §. 5. Inſt. de ſuſp. tut. §. 8. Inſt. de nupt. l. 1. §. 8. l. 5. §. pr. l. 8. ff. de adſign. lib. §. 2. Inſt. de obl. quae quaſi ex del. l. 24. C. de negot. geſt. l. 15. C. de vſur. l. 10. C. de cond. indeb.* Nou. LXXXVII. *princ.*

(a) Veluti *l. 8. ff. de offic. praeſ. l. 32. ff. de legibus l. 21. ff. de reb. credit.*

(b) *Conſt. Dedit nobis Deus §. 18. de conf. Dig.*

(c) *Nou. LXXIV. pr.*

(d) *l. 15. C. de vſufr. & habit.*

(e) *l. 10. C. de condict. indeb.*

(f) *l. 5. C. de bon. quae lib.*

feruntur, veterum elogia iam praetermittamus (g). Si quaeras; quo potiſſimum auctore ac duce ad tam inuſitatam doctrinam peruenerit: ipſe te hoc ignorare non patitur IVLIANVS, qui PRISCVM IAVOLENVM *praeceptorem ſuum* grato animo collaudat, etiam vbi id monere minus neceſſarium videbatur (h). Erat vero Iauolenus ille vir maximae auctoritatis, & non modo ſummis in vrbe honoribus functus, ſed & Africae aliquando Procos. aliarumque prouinciarum praeſes, &, quod caput rei eſt, iuris illa aetate prudentiſſimus. Et tamen ſunt, qui parum honorifice ſentiunt de viro illo doctiſſimo, freti teſtimonio Plinii (i), qui Iauolenum *dubiae ſanitatis hominem* vocare non dubitarit. Verum huic iudicio iure meritoque opponimus non modo egregia eius opera, ex quibus fragmenta quam plurima in Digeſta migrarunt, ſed & tot viua ac ſpirantia doctrinae monimenta, auditores nimirum, quos reliquit, doctiſſimos, inter quos praeter IVLIANVM etiam Aburnium Valentem & Tuſcianum numerat Pompo-

(g) Alciat. Diſpunct. II. 27. & Io. Bertrand. de Iuriſp. I. 1. ad Iulianum referunt epigramma Theaeteti in Antholog. Graec. IV. 1. 2.

Τῦτον Ἰυλιανὸν, νομικῆς φάος, ξεῖνε ἰδοῦσαι
Γαῖα καὶ Βερόη πάντα φύτευ δύναται.

Sed id quidem epigramma ad alium plane Iulianum, multo iuniorem & Anteceſſorem Berytenſem, Nouellarum Iuſtiniani interpretem doctiſſimum, pertinere, poſt P. Pithoeum, Guil. Grotium, & Fabrottum obſeruauit Aegid. Menag. Amoen. Iur. Ciu. Cap. XXIV. Et quid Iuliano noſtro cum Beroe vel Beryto, vbi tertio vel quarto demum ſaeculo ſchola iuridica efflorеſcere coepit? Vid. Io. Strauch. de Beryto Cap. IV. §. XV.

(h) *l. 5. ff. de manum. vind.*

(i) Plin. Epiſt. VI. 15. refert, Paſſienum Paullum, elegos recitaturum, adhibuiſſe etiam Priſcum Iauolenum. Hunc vero honoris cauſſa interrogatum, PRISCE IVBES? reſpondiſſe: EGO VERO NON IVBEO. Male id habuit Plinium, qui ideo in Iauolenum inuectus: *Cogita, inquit, qui riſus hominum? qui ioci? Eſt omnino Priſcus dubiae ſanitatis. Intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atque etiam ius ciuile publice reſpondet, quo magis, quod tum fecit, & ridiculum, & notabile fuit.* Ob id parum abeſt, quin bonum Iauolenum pro inſano traducant. Aſt quid, quaeſo, ſtoliditatis ineſt illi Iauoleni dicto? Et quid mirum, ſi ſenex occupatiſſimus, pertaeſus moleſtiſſimi iſtius officii, recitationes frigidiſſimas audiendi, Paſſieni inſaniam ſenili dicacitate perſtrinxerit, quam non minore libertate multo ante perſtrinxerat Iuuenal. Sat. I. v. 2. ſequ. & Sat. III. v. 8. Et fingamus denique, Iauoleno, iam annis graui, accidiſſe, quod illi apud Sophocl. Oedip. v. 924.

Καί σ' ὁ πληθύνων χρόνος
Γέροντ' ἔθηκε καὶ τοῦ νοῦ κενόν.
Et te ingraueſcens aetas
Senem ſimul fecit, & mente deerrantem.

an inde ſequitur, vt ſemper emotae mentis dubiaeque ſanitatis fuerit?

Digitized by Google

ponius (k). Quemadmodum vero fax, ſemel accenſa, non modo longe lateque ſpargit lumen, ſed & flammam cum aliis ſine aliquo detrimento communicat : ita inſtitutus a Iauoleno IVLIANVS multis aliis ad ſolidiorem doctrinam profuit, diſcipuloſque reliquit doctiſſimos, quorum in numero inprimis L. VOLVSIVM MAECIANVM, SEX. AFRICANVM & TERENTIVM CLEMENTEM fuiſſe ſuſpicamur (l). Ex quibus omnibus & de ſecta, in quam procliuior fuerit IVLIANVS, facile iudicare licet. Non enim Proculeianus fuit, ceu ſuſpicatus eſt Hugo Donellus (m) : ſed Sabinianus (n), tam modeſti tamen ac generoſi ingenii, vt nec omnia Proculi reprehenderet, nec Sabini omnia promiſcue haberet pro oraculis, ſed prudente vſus ἐκλογῇ veritatem omni ſectae ſtudio anteferret (o). Quamobrem tantum abeſt, vt tam excellens ingenium in vmbra potuerit conſeneſcere, vt mature in lucem

(k) *l.* 2. §. *vlt. ff. de orig. iur.*

(l) L. Voluſius Maecianus & paullo iunior fuit, quippe M. Antonini Imp. praeceptor, teſte Iulio Capitol. in vita Marci Antonini Imp. cap. III. (vnde apud M. Antoninum *εἰς ἑαυτὸν* Lib. I. ſegm. *6.* pro *Μαρκιανῷ* legendum eſſe *Μαικιανῷ*, recte obſeruarunt Gatakerus & Aegid. Menag. Amoen. Iur. ciu. Cap. V. p. 31.) & Iulianum aliquoties vocat SVVM. Quod quamuis aliquando amicitiae ſit argumentum : ICti tamen ita vocare ſolebant praeceptores, a quibus profecerant. Vid. V. C. Eu. Otto in Papiniano Cap. XI. §. I. p. 209. Eodem honoris vocabulo eum dignatur Terentius Clemens *l. 6. ff. de vulg. & pup. ſubſtit.* quem aeque ac Africanum fere numquam a Iuliano diſſentire, iam alii viri docti obſeruarunt.

(m) Comment. in *l. 26. de verb. ſignif. n.* 10. *ſequ.*

(n) Hinc in veterum placitis, Sabini exemplo, plerumque ſubſiſtit, *l.* 51. §. 1. *ff. ad L. Aquill. l.* 31. *ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* adeo, vt ne in rationes quidem iuris inquirendum putet. *l.* 20. *ff. de legib.* id quod Sabinianorum proprium fuiſſe, iam pridem docuit Em. Merillius Obſ. I. 4. Deinde plerumque adſtipulatur eius ſcholae iuriſconſultis, veluti Sabino, & Caſſio : *l.* 11. §. 3. *ff. de donat. l.* 3. §. 6. *ff. de lib. & poſtum. l.* 1. §. 5. *ff. de adquir. vel amitt. poſſeſſ. l.* 30. *ff. de liberal. cauſſ. l.* 28. §. 1. *ff. de iureiur. l.* 14. §. 2. *ff. de act. emt.* Contra Proculeianos non modo paſſim refellit, & praecipue quidem Iuuentium Celſum, Cuiac. Obſ. VIII. 35. & XXVII. 13. ſed & eorum placitis aliquando derogauit edicto perpetuo. *l.* 1. §. 1. *ff. de iure fiſci.* Atque inde eſt, quod aduerſarium vbique expertus eſt Vlpium Marcellum, Proculeianorum acerrimum : Merill. Obſ. I. 28. VIII. 18. adeo, vt pro inſigni veritatis argumento haberetur, ſi Marcello cum Iuliano conueniret. Cuiac. Obſ. XIV. 35. Menag. Amoen. Iur. cap. XXIV. p. 133.

(o) Aliquando enim a Caſſio diſſentit, *l.* 11. §. 2. *ff. quod vi aut clam*, & communi Sabinianorum ſententiae dat repudium. *l.* 56. *ff. de manum. teſt.* Contra aliquando facit cum Proculo, *l.* 6. *ff. ad L. Aquill.* & Celſum laudat, tamquam ſibi *ὁμόψηφον*. *l.* 13. *ff. de lib. & poſtum.*

& ad capeſſendam rempublicam protractum ſit. Ipſe ſane & praeturae ſuae & conſulatus meminit (p): quin bis conſulem eum fuiſſe, docet Spartianus (q), quamuis, quod inter ſuffectos tantum fuiſſet, de tempore vtriuſque conſulatus parum conſtat (r). Praeterea ad ipſam praefecturam vrbanam adſpiraverat (s), quae tanta erat dignitas, vt ſequiore aeuo intra vrbem ipſi praefecturae praetorianae anteferretur (t), nec facile cuiquam conferri ſoleret, niſi iuris peritiſſimo. Eumdem Iulianum, iam ſupra vidimus, inter Hadriani, Antonini Pii, & Diuorum Fratrum conſiliarios atque amicos fuiſſe (u), quo in conſeſſu quamvis collegas haberet etiam Proculeianos, Iuuentium Celſum, Neratium Priſcum, & aemulum obtrectatoremque laudum ſuarum, Vlpium Marcellum, numquam tamen cum vllo in gratiam rediiſſe legitur. Et neſcio ſane, an luculentius reperiatur & prudentiae illorum Principum, & modeſtiae ipſorum iuriſconſultorum argumentum, quam quod diuerſarum ſectarum iurisconſulti in medium conſulere iuberentur, quod iuſtum, & e republica videretur. Nam ſicuti Principes id eo conſilio faciebant, vt expenſis vtriuſque partis rationibus, quid iuſtum ac bonum ſit, eo accuratius perſpicerent: ita hi mira animi moderatione ferebant diſſentientes, aeternaeque laudi hoc cedit veteribus iurisconſultis, quod, diſſentiente a ſe collega, non excandeſcerent, aut

(p) *l. 5. ff. de manum. vind.*

(q) Spartian. in Did. Iulian. cap. I.

(r) Iterum eum Conſulem ordinarium anno V. C. 850. fuiſſe, putant Onuphrius Panuinius, Bertrandus, Guil. Grotius, aliique, quia Caſſiodorus & alii faſtorum ſcriptores eum annum ſignarunt conſulatu *Iuliani & Torquati III.* At ex marmore, ex ſchedis Gudianis eruto, docuit V. C. Petr. Relandus in Faſt. Conſ. ad eum ann. Iulianum illum, Torquati collegam, non eſſe *Saluium* noſtrum, ſed *Iulianum Veterem.*

(s) Spartian. in Did. Iulian. cap. I.

(t) Diſcimus hoc ex Symmacho Epiſt. X. *36.* Caſſiod. Var. III. 11. Iuliani Nouell. LVI. quae loca iam adduxit Phil. Bertierus Pithan. Diatr. I. cap. III. p. 811. Vnde explicanda illa Auſonii in Moſella v. 409.

Quique caput rerum, Romam, populumque patreſque
Tantum non primo rexit ſub nomine.

(u) Quod inter Hadriani conſiliarios fuerit IVLIANVS, iam ſupra ex Spartiano vidimus. Inter Antonini Pii conſiliarios apud Iulium Capitolinum in Anton. Pio Cap. XII. memoratur etiam *Salvius Valens*, quualis quum nullus alioquin inter iurisconſultos reperiatur, probabile eſt, interpoſita diſtinctione legendum eſſe SALVIVM, VALENTEM, VT SALVIVS IVLIANVS, & ABVRNIVS VALENS intelligantur. Porro Iulianum *amicum ſuum* vocant Diui fratres, *l. 17. ff. de iure patron.* quos nihil aliud eſſe diximus, quam συνέδρους καὶ συμβούλους imperatorum, de quibus prolixe Iac. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 18.

aut erumperent in conuicia, furiiſque veluti agitarentur, quod cacoethes noſtro potiſſimum hoc ſterili virtutum ſaeculo ſuccreuit, ſed ſuam quiſque ſententiam diceret modeſte, rationibuſque, non conuiciis, certaret (x). Cuius hoc rei argumentum luculentiſſimum eſt, quod quum in Pandectis perpetuus fere diſcrepantium ſententiarum conflictus reperiatur, & creberrima diſputatio : vix tamen vllum acrius vocabulum, nedum conuicium, reperiatur, quo inter ſe vſi ſint viri illi grauiſſimi. Sed ne qua longius euagemur, ad IVLIANVM redeundum erit, cuius de honoribus ac dignitate, quae comperta habemus, diximus. Alia enim, quae vulgo addunt, non niſi inanibus coniecturis nituntur. Nam quod, eum Aquitaniam, Belgicam, Germanias, Dalmatiam, Baeticam rexiſſe, ſcribunt Guido Pancirolus (y) & Ant. Dad. Alteſerra (z) : id in legibus, quas illi ad partes vocant (a), nullum reperit praeſidium, quum Saluii, quorum ibi mentionem fieri animaduertimus, σύγχρονοι quidem IVLIANO noſtro, at ab illo tamen fuerint diuerſiſſimi. Eiuſdem notae eſt, quod idem Pancirolus eum Iauoleno, Africae Procoſ. & Syriae Praeſidi, in conſilio fuiſſe ſcribit : Id enim ex *l.* 5. *ff. de manumiſſ. vind.* non magis conſequitur, quam eum Aegypto praefectum fuiſſe, quia, ſe ibi aliquando vixiſſe, fatetur (b). Sed tantam doctrinae vbertatem, totque fortunae obſequia mors demum, vt

 fit,

(x) Merentur hic adſcribi verba ex viri ampliſſimi, Cornelii van Bynkershoek, Dedicatione exaſciatiſſimi Obſeruationum operis : *Expedit*, inquit, *bono publico, ad rempublicam non adhiberi eos, qui aliorum ſententias, vbi a ſua diſcrepant, continuo inſectantur opprobriis, contumeliis, conuiciis, non alia cauſſa irritati, quam quod alius alia mente ſit, perpetui ſcilicet Dictatores in republica eruditorum. Hoc nomine ſemper fuit habita infamis natio Grammaticorum, ab humanitate alienorum, dum humanitatis ſtudia tractant. Sed non magis id miremur, quam hac parte grammaticis non cedere, qui pietatem, caritatem, animi manſuetudinem & reliqua viri boni officia in vulgus profitentur. Niſi ſtatim hic pedibus eas in ſuam cuiuſque ſententiam, ſtultitiae vel maleuolentiae notam non euades. ICtorum vtique veterum ſemper praecipua laus fuit modeſtia. Illi quidem, quod ſibi videtur, ex animi ſui ſententia reſpondent : ſed meliora edocti audiunt, &, ſi minus ante ſapuerunt, reſipiſcunt. Labeo noſter in Senatus lectione ſententiae ſuae libertatem aduerſus ipſum Auguſtum magno animo defendebat ſuperdicto : Suum quemque iudicium habere. Et ſic oportebat. Papinianum noſtrum mente ſolida non deiecit vultus & gladius inſtantis tyranni : nec tamen minus eum, aliter quondam opinatum, in contrarium vocaſſe legimus veriorem Sabini ſententiam. Et ſic quoque oportebat.*

(y) de clar. Legum interpr. I. 38.

(z) Rer. Aquitanic. IV. 11.

(a) *l.* 12. *ff. de cuſtod. & exhib. reor. l.* 14. *ff. ad SC. Turpill. l.* 9. §. 4. *ff. de poen. l.* 7. §. 1. *ff. de accuſ. & inſcr.*

(b) *l.* 36. *ff. de ſolut.*

fit, euertit, prouectiore quidem iam aetate, nec tamen ſub Commodo, uti perperam ſibi perſuaſit Bern. Rutilius (c), filium noſtri, SALVIVM IVLIANVM, praefectum praetorio, a truculento iſto principe occiſum, cum patre confundens. Reliquerat & nepotem, eiuſdem nominis, quem, quum iam Tarunteii Paterni, praefecti praetorio, filiam opulentiſſimam ſponſam haberet, eadem procul dubio fata ſubire coegit illorum temporum atrocitas. Nam & hunc oppreſſiſſe videtur Commodus Imp. partim quod pudicitiae eſſet ſeruantiſſimus, partim quod in adfectati imperii ſuſpicionem ob Tarunteii adfinitatem veniſſet. Id quod pluribus perſequitur Lampridius (d). Felicior vtroque auus, SALVIVS IVLIANVS, ſua, vti videtur, morte, prouectiore iam aetate, occubuit, ſepultus milliario V. via Lauicana (e), ſi Spartianum recte intelligunt interpretes. Supereſt, vt de eius operibus, quibus ille ſibi monimentum aere perennius exegit, quaedam ſubiiciamus. Inter ea in indice Florentino primum locum occupant DIGESTORVM LIBRI NONAGINTA, circa quos permultos errores paſſim admitti obſeruamus. Matthaeus Blaſtares, in Hiſtoria iuris, ex codice Voſſiano Leidenſi edita a clariſſimo Fabricio (f), illud Digeſtorum opus ipſi Hadriano tribuit, illudque conſtitiſſe exiſtimat libris quinquaginta. Alii Digeſta illa Iuliani cum ipſo edicto perpetuo confundunt, quum nihil aliud fuerint, quam iuris commentarii, ad edicti perpetui ſeriem, quin & ad verba Edicti compoſiti, vt fruſtra ſint, qui cum Io. Bertrando opus IVLIANI ſingulare AD EDICTVM comminiſcuntur (g). Denique non minus falluntur, qui opus iſtud non nonaginta, ſed multo pluribus libris conſtitiſſe exiſtimant, quod aliquando liber LXXXXIV. in iure noſtro laudetur (h). In codice enim Florentino, omnium, qui

(c) de Vit. ICt. cap. LXVI.

(d) Lamprid. in Commodo cap. III. & IV.

(e) Viae Lauicana & Praeneſtina e porta Eſquilina, aut alia vicina egrediebantur, illa a dextris iuxta formam aquae Claudiae, ad Claudiam, oppidum: haec Gabios, ac deinde Praeneſte tendebat. Marlian. Topogr. antiquae Rom. IV. 16.

(f) Vol. XII. Bibl. Graecae p. 361.

(g) Nimirum quum *l.* 1. *ff. de his, qui not. inf.* decerpta dicatur ex IVLIANI *libro I. ad Edictum*, fuere, qui pro Iuliano ibi ſcriberent VLPIANUM, quum tamen hic libro I. de infamia non egerit. Vere ergo lex illa eſt ex Iuliani Digeſtis, quibus ſimul edictum interpretatus erat. Vnde & in *l.* 1. *ff. vnde legitimi* verba Edicti non ex VLpiano, cuius ex commentariis alias plerumque verba edicti proferuntur, ſed ex IVLIANI *libro XXVII. Digeſtorum* depromi videmus.

(h) *l.* 32. *ff. de legib.*

Digitized by Google

qui exſtant, vetuſtiſſimo non librum LXXXXIV, ſed LXXXIV. citari, quartum vero X. a recentiore manu ſuperadditum eſſe, teſtatur V. C. Laur. Theod. Gronouius. Ceterum quamvis iſtud opus Aniani aetate in occidente paene periiſſet : magno tamen iurisprudentiae bono illud ſaeculo adhuc ſexto delituit in bibliotheca Triboniani, magnumque vſum praebuit Pandectarum conditoribus, qui ex ſolis his libris CCCLXXVI. fragmenta nobis ſeruarunt, vt omittamus CXXVI. alia, quae, diſſimulato librorum numero, a veteribus iuriſconſultis citantur. Semper enim hoc opus habitum eſt incomparabilis iurisprudentiae theſaurus, ac proinde certatim illud notis ac animaduerſionibus illuſtrarunt iuriſconſulti veteres, veluti VLPIVS MARCELLVS, Iuliano paullo iniquior (i), CERVIDIVS SCAEVOLA (k), IVLIVS PAVLLVS (l), IVNIVS MAVRICIANVS (m), quibus & AFRICANVM, quamuis parum accurate, addit Guil. Grotius (n). Scripſit deinde IVLIANVS AD MINICIVM LIBROS SEX. Miniciorum ſtemma ampliſſimum texit Thom. Reineſius (o), oſtenditque, illuſtri illi genti cum Caſſiis, Aciliis, Iuniis Ruſticis non vnam neceſſitudinem interceſſiſſe. Is, ad quem IVLIANVS notauit, ſub Veſpaſianis floruit, & ſub Traiano adhuc rexit prouincias, ceu docuit Iac. Cuiacius (p), cui & hoc marmor ſuffragatur apud Gruterum (q):

HERCVLI.
TIBVRT. VICT.
ET. CETERIS. DIS.
PENATIBVS. TIBVRT.
L. MINICIVS.
NATALIS.

COS.

(i) Ex quibus ſex loca exſtant integra *l. 14. ff. de in rem verſ. l. 20. ff. de cond. & dem. l. 5. ff. de hered. inſt. l. 80. ff. de legat. 1. l. 75. ff. ad L. Falcid. l. 34. ff. eod.*

(k) Ex Scaevolae notis decerptae ſunt *l. 10. ff. de peric. & comm. rei vend. & l. 54. ff. de pact.*

(l) Notarum Paulli ſpecimen habes in *l. 11. ff. quod met. cauſſ. l. 4. ff. de reſcind. vend. l. 75. ff. de iudic. l. 3. ff. de collat. l. 15. ff. de mort. cauſſ. don. l. 4. ff. de manum. vindict.*

(m) Ita enim Florentinus codex in *l. 7. §. 2. ff. de pact. & l. 25. §. 1. ff. de vſufr.* quum aliae editiones habeant MARTIANVS. Alterutrum horum iuriſconſultorum ad Iulianum notaſſe certum eſt, quamuis apud me facile vincat lectio Florentina.

(n) de Vit. ICt. II. *6.*

(o) Epiſt. XXIV. ad Rupert. p. 251.

(p) Obſ. VII. 2.

(q) Grut. Inſcr. p. XLIX. *6.* Conf. p. LIX. 8. ubi LIBVAE PROCOS. vocatur.

COS. AVGVR.
LEG. AVG. PR. PR.
PROVINCIAE.
MOESIAE. INFERIOR.
VOTIS. SVSC.

Quumque egregius hic iuriſconſultus commentarios ſcripſiſſet, quorum hodie ne titulus quidem ſupereſt: eos ſex libris (r) interpretatus eſt IVLIANVS, qui modo ſub titulo librorum *ad Minicium* (s), modo *ex Minicio* (t), modo *apud Minicium* (u), in iure noſtro laudantur. Eamdem operam & VRSEIO FEROCI (x) nauauit IVLIANVS, ad quem, Caſſii Longini exemplo (y) libros quatuor ſcripſit, ex quibus fragmenta XXXXII. in Pandectis ſuperſunt. Denique in indice Florentino laudatur etiam IVLIANI liber ſingularis DE AMBIGVITATIBVS, quo titulo, plane ſtoico (z), profeſſus eſt interpretationem verborum ambiguorum, in contractibus vltimiſque voluntatibus, quibuſcum ſaepiſſime colluctandum eſt iuriſconſultis, idque ſatis adparet ex tribus elegantiſſimis, quae ſuperſunt, opuſculi iſtius fragmentis (a). Plura IVLIANI opera in indice Florentino haut recenſentur, nec alia vel

(r) Vnde in mendo procul dubio cubat *l. 11. ff. de act. emt.* ubi Vlpianus *librum X. ad Minicium* citat.

(s) Veluti *l. 10. ff. pro emtore.*

(t) *l. 61. ff. de rei vind.*

(u) *d. l. 11. ff. de act. emt.*

(x) Floruiſſe hunc ſub Tiberio Imp. coniecit Petr. Perennon. Animadu. Iur. II. 23. Sed quum Vrieius citarit Proculum, *l. 27. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. 11. §. 2. ff. de aqua & aqu. pluu.* & ipſe contra citetur a Caſſio: *l. 1. §. 10. quar. rer. act. non. dat.* magis veroſimile eſt, eum paullo recentiorem eſſe, vt maxime ſub Claudio & Nerone floruiſſe.

(y) Notarum enim Caſſii in Vrſeium Ferocem veſtigia exſtant in *l. 10. §. 5. ff. quib. mod. vſusfr. l. 16. §. 1. ff. ad SC. Velleian. l. 104. ff. de legat. 1.*

(z) Vel maxime in enodandis explicandiſque ambiguitatibus deſudabant Stoici. Sic inter Cleanthis opera fuit liber *περὶ τῶν ἀπόρων, de ambiguitatibus.* Diog. Laert. VII. 178. Ita Sphaerus, Stoicus, *περὶ ἀμφιβολιῶν, de ambiguitatibus* ſcripſit. Diog. Laert. VII. 178. & Chryſippus libros varios, numero ſeptemdecim, eadem doctrina impleuit. Laert. VII. 193. Ceterum quae ἄπορα dicta ſint veteribus, exponit Gell. Noct. Att. IX. 15. eorumque exemplum habes in *l. 88. pr. ff. ad L. Falcid.* ἀμφιβολίαν vero definiunt, exemplisque illuſtrant Diog. Laert. VII. 62. Sex. Empiric. Hypotyp. II. 23. & Quinctilian. Inſt. VII. 9. Non mirum itaque, IVLIANVM etiam, ſtoicis praeceptis in primis imbutum, in iiſdem enucleandis experiri ingenium voluiſſe.

(a) Exſtant illa in *l. 31. ff. de vulg. & pupill. ſubſt. l. 62. ff. de legat. 1. & l. 13. ff. de reb. dub.* ex quibus Iuliani ſcopus, ipſeque modus tractandi facile intelligitur.

Digitized by Google

vel a veteribus laudata, vel in indice Florentino recenſita ſunt. Et tamen oculatior multo, Io. Bertrandus, duo alia ſibi ex antiquitatis parietinis eruiſſe videtur, vnum AD EDICTVM, quod iam ſupra cum Digeſtis vnum idemque eſſe probauimus, alterum DE DOTALI PRAEDIO, quia Iulianus alicubi *tractatum de dotali praedio propoſuiſſe*, dicitur (b). Enimuero *tractatus* hic non liber eſt, ſed tractatio materiae alicuius, vel diſputatio, cuicumque libro inſerta (c), adeoque & IVLIANVS, quia in opere quodam, e. g. in Digeſtis, de fundo dotali fuſius diſputauerat, tractatum ea de re propoſuiſſe dicitur, quamuis ſingularem de fundo dotali librum numquam ſcripſerit, quippe quem ſilentio praeterituri non fuiſſent Modeſtinus, Iulius Paullus, & Caius, quorum hunc *de dotalitiis*, illum *de dotis repetitione*, iſtum *de differentia dotis* ex inſtituto ſcripſiſſe, & nuſquam tamen illum IVLIANI libellum citare, nouimus.

Et haec quidem ſunt, quae ſecluſus a ſupellectile libraria de SALVIO IVLIANO extemporaria paene opera ex aduerſariis in chartam conieci, pleniora omnino futura, niſi chartae, & temporis faciendum eſſet compendium. Iam mihi vobiſcum res eſt, COMMILITONES SVAVISSIMI, quorum commodo REX noſter POTENTISSIMVS, Hercules Muſageta, me in hanc Fridricianam longe clementiſſime ablegauit. Veſtra nimirum res hoc ipſo agitur. Vobis tantum hic & ſeritur, & metitur. Meum erit, vobis ad omnes iurisprudentiae partes & philoſophiae diſciplinas viam quam expeditiſſimam emunire; idque me facturum polliceor ea fide, eaque aſſiduitate ac perſpicuitate, vt quotquot veſtrum eumdem diſcendi ardorem atque attentionem ad acroaſes meas attuleritis, fructum inde capturi ſitis vberrimum. Tanto maiore ſane fiducia hoc vobis ſpondeo, quo magis per tot annos experiundo didici, Deum O. M. meam de ſtudioſa iuuentute bene merendi voluntatem, gratia ſua numquam deſtituiſſe. Quin, ſi de me ipſo quaedam dicere per modeſtiam liceret: plures omnino hodie in aulis curiiſque numerare poſſem, viuos diligentiae dexteritatiſque meae teſtes, qui, quum me olim vel in Germania, vel in Belgio, audierint, mea qualicumque inſtitutione ſe ad ſo-

(b) *l. 5. C. de bon. quae lib.*

(c) Sic ICti dicuntur SPECIEM TRACTARE, *l. 23. §. 3. ff. de adq. rer. dom.* vel TRACTATVM HABERE, *l. 9. ff. de grad. & adfinit.* Tertull. de reſurr. carn. cap. II. *Atque adeo & haeretici ex conſcientia infirmitatis numquam ordinarie* TRACTANT, id eſt, diſputationem ſemper fugiunt.

lidiorem doctrinam profeciſſe teſtentur. Nolite aliorum morari iudicia, qui, quum me ab adoleſcentia elegantiores litteras cum iurisprudentia coniunxiſſe ſciant, inde calumniandi arripiunt occaſionem, quaſi plane alienus ſim a maſcula illa, cuius in foro vſus eſt, iurisprudentia. Alia omnia certe vos ipſi experiemini, COMMILITONES SVAVISSIMI. Nihil enim ex me fruſtraneum, nihil infructuoſum audietis, nihil, quod ignoraſſe ſatius ſit. Ego, qui diutius me docendo exercui, id mihi obſeruaſſe videor, eos, qui, rerum paene omnium ignari, Lauterbachium duntaxat vel ſimile iuris compendium deuorarunt, incredibilem ſapientiae pragmaticae laudem adfectaſſe, tantoque facilius apud imperitam multitudinem in iſtam opinionem veniſſe, quanto magis atque apertius prae ſe tulerint illam Bartoliſtarum barbariem. Quaſi vero tam horribile ſit praxeos, quam vocant, ſecretum, vt eo initiari non poſſint, niſi qui ſe ab omni cultiore doctrina prorſus ſeiungant, abſinthioque gloſſatorum per omnem vitam paſcantur: & quaſi elegantiores litterae, quas reliquis ſcientiis omnibus inſigni decori atque adiumento eſſe, omnes fatentur, ſolius iurisconſulti ita peruertant ingenium, vt alia quidem omnia potius, quam practica iſta myſteria, capere poſſit? Sed quid opus eſt verbis? Conditionem vobis, COMMILITONES, feram aequiſſimam: eamdem nimirum, quam vrbane apud Euripidem Sileno ferebat Vlyſſes, quum ei vinum venum offerret:

Vin' tu prius guſtare, quid vini feram?

Cui Silenus:

Ita conuenit: nam guſtus emtorem vocat.

Vos quoque, COMMILITONES, ſuccedite, experimini, quid vobis feram, meaſque acroaſes veluti guſtu percipite, certoque vobis perſuadete, numquam fore, vt vos nauatae mihi operae poeniteat. Equidem, vt anni tempus eſt, integram vel iurisprudentiae vel philoſophiae diſciplinam me vobis hac aeſtate explicaturum, promittere non poſſum. Dabo tamen operam, vt partem huius ſemeſtris, quae ſupereſt, non ſine vtilitate veſtra transmittam, ac proinde, ſimul ac auditorium domeſticum, quod veſtris commodis iam adparatur, exaedificatum fuerit, has praelectiones meas trimeſtres ſingulari ſchedula vobis publice indicabo. Vos valete, O MEI, & non modo ſtudium meum veſtra diligentia beneuolentiaque magis magiſque accendite, verum etiam Deum O. M. vt nouum, quod ſubeundum fuit, munus mihi vobiſque felix, fauſtum, fortunatum eſſe iubeat, mecum caſta piaque mente precamini. P. P. Halae Magdeburgicae ipſis idib. Iunius anni erae Chriſtianae MDCCXXXIII.

DE

Digitized by Google

DE MARITO TVTORE ET CVRATORE VXORIS LEGITIMO.

EXERCITATIO XXV.

Cap. I.

AN MARITVS IVRE ROMANO TVTELAM CVRAMVE VXORIS SVSCIPERE POTVERIT?

§. I. *Inſtituti ratio, & partitio diſſertationis.* §. II. *Lubricum iudicium feminarum.* §. III. *Hinc pleraeque gentes eas in perpetua vel maritorum, vel aliorum, tutela curaue eſſe voluerunt.* §. IV. *An & apud Romanos maritus fuerit vxoris tutor curatorue legitimus? Gregorii Tholoſani, Scipionis Gentilis & Schilteri ſententia.* §. V. *Eorum argumentum primum refellitur.* §. VI. *Itemque alterum, a moribus Atticis deſumtum.* §. VII. *An XII. Tabulae maximam partem e iure Attico deſcriptae?* §. VIII. *Tutela mulierum Atticarum qualis fuerit ante nuptias?* §. IX. *Qualis iam nuptarum?* §. X. *Itemque viduarum?* §. XI. *Comparatio tutelae mulierum Atticarum & Romanarum.* §. XII. *Mulieres vel in pupillari vel in perpetua tutela erant.* §. XIII. *Eaque vel teſtamentaria, vel legitima, vel datiua.* §. XIV. *Vxor quae in manum conuenerat, non erat in tutela curaue mariti, ſed in eiuſdem poteſtate.* §. XV. *Quae in manum non conuenerat, ſi ſui iuris eſſet, erat in tutela agnatorum, vel tutorem curatoremue datiuum habebat.* §. XVI. *Sin filia familias eſſet, manebat in patria poteſtate.* §. XVII. *Feminae an aliquando in curatione fuerint, & inprimis maritorum?* §. XVIII. *Argumentum tertium & reliqua, quae pro tutela maritali Romanorum ex Liuio, Boethio & Iſidoro adferuntur,*

profligata. §. XIX. *An vir aliquando vxoris tutor vel curator fuerit, quamuis non legitimus?* §. XX. *Senatus conſultum, ne tutor eiusue filius vxorem duceret feminam, quam tutela regat.* §. XXI. *Illud productum eſt ad caſum, ſi maritus vxoris ſuae curam poſt nuptias ſuſcipere vellet.* §. XXII. *Ne ſublata quidem perpetua illa feminarum tutela, maritus curator vxoris minorennis eſſe potuit.* §. XXIII. *Concluſio, Romanos tutelam curam ue maritalem, qualis hodie obtinet, plane ignoraſſe.*

§. I.

Inſtituti ratio, & partitio diſſertationis.

ANimus eſt, de MARITO, LEGITIMO VXORIS CVRATORE, ea, qua fieri poterit, breuitate diſſerere, vt eadem opera & priſco illi Germanorum inſtituto, quod, irruente in fora ſcholaſque Germanorum iurisprudentia Romana, communem iuris patrii ruinam feliciter euaſit, lucem foeneremus, & ſequuti prudentiorum conſilium, non in re nihili ac infructuoſa, ſed vtili, & quae in ipſis rerum obtineat argumentis, induſtriam ingeniumque exerceamus. Neque inficiamur tamen, nos & ſaeculo, quo viuimus, ſeruire voluiſſe, dignoſque nos praeſtare illa temporum felicitate, quibus erectiora quaeuis ingenia non ex ſolis Iuſtiniani libris ſapiunt, ſed eo potiſſimum omnem operam ſuam induſtriamque conferunt, vt iuris patrii reliquias, tamquam nantes in vaſtiſſimo gurgite fractas tabulas, periculo ſubducant, inſtitutaque iuris patrii & Romani comparatione, quem vtrumque vſum in diſceptatione illa forenſi praeſtet, accuratius, quam vulgus ſolet, diſquirant. Eo itaque conſilio & nos ſcriptionem hanc ita partiemur, vt primum iuris communis forulos excutiamus, & an in iſtis haec maritorum ſiue tutela, ſiue cura legitima, praeſidium reperiat, diſquiramus, ac deinde, quid Germanis ea de re placuerit, quidque hodienum in foro obtineat, diligenter ediſſeramus. Quod vt felix fauſtumque eſſe iubeat ſupremum, quod omnia moderatur, Numen, pia caſtaque mente precamur.

§. II.

Lubricum iudicium feminarum.

Vetus opinio eſt, iam inde ab antiquiſſimis ducta temporibus, omniumque fere gentium firmata conſenſu, vti viris ingenium, prudentiam animique conſtantiam ac magnitudinem; ita feminis non niſi venuſtatem, formaeque praeſtantiam naturae munere in peculium ceſſiſſe, ſexuique formoſiſſimo tanto minus obtigiſſe ingenii, quanto magis forma ac pulcritudine prae viris plerumque eni-

Digitized by Google

eniteſcat. Hinc querelae illae paſſim obuiae, *mulieres, vti pueros, eſſe ferme leui ſententia* (a), *impotens natura & indomitum genus* (b), *rem per ſe imbecillam* (c), *eaſdem* διὰ τῆς γνώμης ἀσθενὲς, *ſeu ob conſilii infirmitatem* (d) *imbecillitatemque ſexus multis caſibus ſuppoſitas ſubiectaſque eſſe* (e), *ac proinde ex conſequentia fragilitatis ſuae in iacturam facile poſſe incidere* (f). Et quamuis fuerint ex viris, qui patrocinium ſexus formoſiſſimi ſuſciperent, collectiſque ex omni antiquitate exemplis demonſtrare conarentur, habere & feminas, quas viris opponant, ſolertia, ingenio ac virtute ornatiſſimas, & de quibus iure vſurpes illud Ennii (g):

Vos etenim, iuuenes, animum geritis muliebrem:
Illa virago viri:

plerique tamen cauſſam ab illis vix peroratam exiſtimant, quod nec adeo magnus ſit talium prouentus, quae animum virilem corde tumefacto gerant, & paucis quoque iſtis, quas natura hac praerogatiua donarit, ob adfectuum, quibus indulgent, intemperiem plus calliditatis atque aſtutiae, quam verae ſolidaeque prudentiae, ineſſe videatur. Quin id ipſas agnoſcere, aiunt, feminas, quae ſe ſuo metiri modulo ac pede didicerint, veluti illam apud EVRIPIDEM (h), quae Medeae edocta exemplo, profiteatur:

Πρὸς δὲ καὶ πεφύκαμεν
Γυναῖκες εἰς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται,
Κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται.

Equidem ad bona
Omnes mulieres naſcimur ineptiſſimae:
Verum ad mala reperiunda longe aptiſſimae.

§. III.

Nos noſtram haut facimus hanc litem, nec poſſumus a nobis impetrare, vt liberius de ſexu iſto iudicantes, odium dimidiae generis humani partis in nos prouocemus, non ignari quippe, aeque eos fugere rationem, qui prudentiam omnem adiudicant feminis, quam qui eam viris propriam, ac veluti peculiarem eſſe, arbitrantur. Sunt feminae, quae ſupra ſexum ſapiunt: ſunt viri, quauis femina imbecilliores, nec vmquam tam effoeta facta eſt natura, vt & in ſequiore ſexu non poſſit magnum quid atque eximium producere. Ceterum, qui leges condiderunt, id ſibi

Hinc pleraeque gentes eas in perpetua vel maritorum, vel aliorum, tutela curaue eſſe voluerunt.

(a) Terent. Hecyr. III. 1.
(b) Liu. *XXXIV.* 2.
(c) Quinctilian. *Decl.* CCCXXXVIII.
(d) Dio Chryſoſtom. *orat. LXXV.*
(e) *l.* 2. §. 2. *ff. de SC. Vellei.*
(f) *l.* 2. *C. eod.*
(g) Cic. *de Offic.* I. 18.
(h) Euripid. *in Medea v.* 264. *ſeqq.*

ſibi ſemper negotii dari crediderunt, *vt iura conſtituerent in his, quae* ἐπὶ τὸ πλεῖστον, id eſt, *vt plurimum accidunt*, non quae ἐκ παραλόγου, *ſeu ex inopinato*, ceu ex THEOPHRASTO prudenter obſeruauit Pomponius (i). Quum itaque vt plurimum lubricum eſſe animaduerterent feminarum iudicium, ſiue quod pleriſque, ex THEODORI HERMOPOLITAE (k) ſententia, ὀλισθηρὸν καὶ εὐαπάτητον φρόνημα, *labile ac deceptu facile ingenium* obtigerit, ſiue quod laboribus domeſticis, tamquam noxae datae, intra gynaeceum per omnem vitam latitare cogantur: nihil legislatores fecerunt reliqui, vt praeſidium infirmiori iſti ſexui circumponerent, merito quippe, vt IVSTINIANVS noſter (l) exiſtimat, *miſerando, cum propter obſequia, quae maritis praeſtant, tum propter partus periculum, ipſamque liberorum procreationem.* Hinc etiam eſt, quod feminas non minus, quam pupillos in perpetua aliorum manu ac tutela eſſe vellent gentes pleraeque, nec ratum eſſe quidquam paterentur, quod ſine tutorum auctoritate curatorumque conſenſu in earum praeiudicium factum eſſet. In eo tantum in diuerſa abierunt legislatores, quod alii maritis hanc vxorum curam commendarent, alii veriti, ne mariti eo obtentu ſpoliarent vxores, aliorum potius quorumuis poteſtati ac curationi eas ſubeſſe mallent, quam maritorum. Ex Hebraeorum ſane ſententia PHILO (m) viduas ideo Deo praecipue curae eſſe, docet, quod maritos amiſerint, qui ad ipſarum defenſionem in parentis vicem ſucceſſerint, additque: γυναικὶ γὰρ ἀνὴρ εἰς κηδεμονίαν, ὅπερ γονεῖς παρθένῳ. *Vxori enim maritus tutor eſt, ſicuti parentes virgini.* Nec aliter Graeci, ex quarum ſententia EVRIPIDES (n):

Πάντα γὰρ δι' ἀρσένων
Γυναιξὶ πράσσειν εἰκὸς, αἵτινες σοφοί.
Cuncta enim per maſculos
Decet, modeſta quae ſit, agere feminam.

Vt iam mittamus CICERONIS (nn) teſtimonium, qui in vniuerſa Graecia feminas nullum ciuile negotium ſine tutorum ſuorum auctoritate explicare potuiſſe, diſerte ſcribit. Quin generatim PLVTARCHVS (o), ex inſtituto diſſerens de officiis coniugum: Δεῖ γὰρ γυνὴ ἢ πρὸς τὸν ἄνδρα λαλεῖν, ἢ διὰ τοῦ ἀνδρὸς, μὴ δυσχεραίνουσα;

(i) *l. 3. ff. de legibus.*
(k) Theod. Hermopol. *ad l. 2. ff. de R. I.*
(l) *l. 22. §. 1. C. qui pot. in pign.*
(m) Philo *de creat. Princip. p. 728. ſeq.*
(n) Euripid. *in Androm. v. 222. ſeq.*
(nn) Cic. *pro* L. Flacco *cap. XXX.*
(o) Plutarch. *Coniug. praec. p. 142. Tom. II. Opp.*

ραίνουσαν, εἰ δι' ἀλλοτρίας γλώσσης, ὥσπερ αὐλητὴς, φθέγγεται. *Aut viro, aut per virum mulieri loquendum eſt, neque indigne ferendum, ſi, vt tibicen, aliena lingua vocem edat, propria graviorem.* Eodem denique modo philoſophatas eſſe gentes Germanicae originis tantum non omnes, infra ſuo loco oſtendemus pluribus. Exiſtimabant enim id, quod res eſt, nullam eſſe ſanctiorem vitae ſocietatem, nullam firmiorem amicitiam, quam quae inter coniugum par bene compoſitum intra thalamum coaleſcat, neque tutius cuiquam credi mulieris curam, quam cui ipſa ſe fortunaſque omnes crediderit. At multo aliter rationes ſubduxiſſe Romanos animaduertimus, quibus, morum ſuorum conſciis, ſuſpecta viſa eſt maritorum fides, vt agnatos, & quoſuis potius, quam illos, ad mulierum tutelam vocarent. Quum autem quoſdam, quod ad ius Romanum vetus attinet, in alia omnia diſcedere intelligamus: operae pretium fuerit, in iuris iſtius principia inquirere paullo accuratius, argumentaque, quibus adiuti quidam Romanis etiam hanc tutelam curamue maritalem placuiſſe, ſibi aliiſque perſuaſerunt, ordine expendere.

§. IV.

An & apud Romanos maritus fuerit vxoris tutor curatorue legitimus? Gregorii Tholoſani, Scipionis Gentilis & Schilteri ſententia.

Errarunt hunc errorem viri ceteroquin doctiſſimi, & quibus nihil ad iurisprudentiae antiquae pariter ac nouae ſcientiam defuiſſe, dixeris. Sic GREGORIVS THOLOSANVS (p), quum in iure legiſſet, maritos vxoribus curatores dari non poſſe, eius rei hanc comminiſcitur rationem, illa curatoris datione non opus fuiſſe, *quod iure ipſo mulieres Romanae ſint in tutela & cura maritorum.* Similia ſunt, quae in mentem venerunt SCIPIONI GENTILI (q), nec non V. C. IO. SCHILTERO (r), qui itidem maritos iure Romano legitimos vxorum ſuarum ſiue tutores, ſiue curatores fuiſſe contendunt, idque non vno argumento confirmaſſe ſibi videntur. Et SCHILTERVS quidem, id luculenter probari poſſe exiſtimat ex loco CICERONIS (s), ex quo tutelam, vxore in manum conueniente, ab agnatis ad maritum tranſiiſſe colligit. Deinde alii huic ſententiae haud parum praeſidii in eo poſitum eſſe arbitrantur, quod & Atticae mulieres in legitima virorum ſuorum tutela ac cura fuerint. Id enim quin in mores iuraque Romanorum permanarit, tanto minus quemquam dubitaturum

1020.

(p) Gregor. Tholoſan. *Synt. iuris vniu. XII.* 4. 12. p. 229.

(q) Scipio Gentil. *ad* Apul. *Apol. n.*

(r) Schilter. *Exerc. XXXVII.* 217.

(s) Cic. pro Flacco *cap. XXXIV.*

rum putant, quanto certius ſit, generatim tutelam omnem Romanos ab Athenienſibus didiciſſe (t). Denique in rem ſuam vertunt quaedam veterum teſtimonia, quae ſententiae iſti quam maxime ſuffragari cenſent. Sic enim Cato apud LIVIVM (u): *Maiores noſtri*, inquit, *nullam, ne priuatam quidem, rem agere feminas ſine auctore voluerunt, in manu eſſe parentum, fratrum*, VIRORVM. Quae paullo poſt in benigniorem partem interpretatus L. Valerius, Tribunus plebis (x): *Et vos*, inquit, *in manu & TVTELA, non in ſeruitio debetis habere eas, & malle patres vos, aut viros, quam dominos, dici.* Quinimmo, quod maxime mireris, eodem pertinere putant locum BOETHII (y), qui interpretatus quaedam verba Ciceronis: *Mulieres*, inquit, *antiquo iure tutela perpetua continebantur: recedebant vero a tutoris poteſtate, quae in manum viri conuenerant.* Inde enim denuo conſequi exiſtimant, vt mulieres, conuentione in manum agnatorum tutela liberatae, in maritorum tutela eſſe coeperint. Quos ſane miror non etiam ISIDORO HISPALENSI (z) denunciaſſe teſtimonium, qui, ſi tali argumento vti fas eſt, multo diſertius iſtam maritorum tutelam confirmare videtur verbis ſequentibus: *Ideo feminae ſub* VIRI *poteſtate conſiſtunt, quia leuitate animi plerumque decipiuntur. Vnde & aequum erat, eas viri* AVCTORITATE *reprimi. Proinde & veteres voluerunt, feminas innuptasque, quamuis perfectae aetatis eſſent, propter ipſam animi leuitatem in* TVTELA *eſſe.* En virorum poteſtatem in vxores, & talem quidem, ob quam auctores fierent mulieribus, negotium quoddam ciuile geſturis, id eſt, vti res ipſa ſuadere videtur, tutelam. Ex quibus omnibus iam ſatis intelligi exiſtimant, tutelam maritalem legitimam olim iuris Quiritium fuiſſe, idque tam diu, donec mulieroſus & imbellis aliquis princeps, quiſquis ille demum fuerit, quo imperante feminarum impotentiae ac libidini diuina omnia ac humana ceſſerint, eo vinculo exſoluerit feminas, iiſque ſua omnia auctoritate ſuoque lubitu agendi poteſtatem, non ſine inſigni reipublicae detrimento, fecerit.

§. V.

Eorum argumentum primum refellitur.

Enimuero, ſi rem paullo accuratius, adhibitaque in conſilium ratione, expenderis, perſpicue profecto intelliges, viris illis doctiſſimis mores patrios, quos animo circumferebant, impoſuiſſe, vt

(t) Ian. Vinc. Grau. *de LL. & SCtis Rom.* §. *XXXIV. p.* 550.
(u) Liuius *XXXIV.* 3.
(x) Idem *XXXIV.* 7.
(y) Boeth. *ad* Cic. *Top. cap. XI.*
(z) Iſidor. Hiſpal. *Orig. XI. extr.*

Digitized by Google

vt illa veterum teſtimonia, quamvis alio pertineant, de ſimili Romanorum inſtituto acceperint. Primum enim, quod ad locum TVLLII (a) attinet, quem ad partes vocat SCHILTERVS, is talis eſt: *In manum conuenerat. Nunc audio. Sed quaero, vſu, an coemtione? Vſu non potuit: nihil enim poteſt de* TVTELA *legitima ſine omnium tutorum auctoritate deminui. Coëmtione? omnibus ergo auctoribus? in quibus certe Flaccum fuiſſe non dices. Relinquitur ergo illud, quod vociferare non deſiſtis, non debuiſſe, quum Praetor eſſet, ſuum negotium agere, aut mentionem facere hereditatis.* Sed ex his verbis nihil minus collegeris, quam Valeriam, de qua ibi CICERO agit, in Andronis Sextilii, mariti, tutela fuiſſe. Neque id contendit Andro Sextilius, ſed Valeriam tantum in manum conueniſſe, adfirmat. Negat Cicero, id fieri potuiſſe, quia mulier, quae in tutela legitima ſit, nec vſu in manum conuenire poſſit; nec coëmtione, ſine tutorum omnium, adeoque & Flacci auctoritate, *aliquid deminui potuerit de tutela legitima.* Deminuebatur vero aliquid de tutela legitima in manum conuentione, non quod tutela ab agnatis in maritum transferretur, ſed quod illa plane exſtingueretur. Mulier enim, in manum & poteſtatem mariti redacta, capite minuebatur (b), & deſinebat eſſe caput liberum, adeoque in ea conditione erat, vt non magis in tutela eſſe poſſet, quam filii filiaeue familias, ſerui & ancillae, quos tutela regi, ius noſtrum diſerte negat (c). Itaque tantum abeſt, vt tutela illa maritorum legitima in hiſce TVLLII verbis praeſidium reperiat, vt illa iiſdem euertatur manifeſte, & funditus ſubruatur.

§. VI.

Itemque alterum, a moribus Atticis deſumtum.

Deinde & alterum argumentum, quod ex moribus Atticis petunt, quantumuis ſpecioſum, non tanti tamen eſſe videtur, vt eius cauſſa deſerendum vadimonium exiſtimemus. Nam & id, quod iſti pro certo adfirmant, puta, quod tutela aeque, ac alia pleraque inſtituta ab Athenienſibus in Romanorum iura & mores permanarint, incertiſſimum eſt, & certiſſimum contra, tutelam mulierum Atticarum cum illa Romana nihil fere commune habuiſſe. Primo, qui tutelam Romanos debere Athenienſibus exiſtimant, ii ſententia ſua magnopere falluntur. Nam quum tutores ex inſtituto Romanorum vel *teſtamentarii*, vel *legitimi*, vel *datiui* ſint: nullam harum ex iure Attico eſſe, luculenter poteſt de-

(a) Cicero pro Flacco *cap. XXXIV.*

(b) Vlpian. *Fragm. XI.* 13.

(c) *l.* 239. *pr. ff. de verb. ſign. pr. Inſt. de tutel. l.* 6. §. *vlt. ff. eod.*

monſtrari. De *datiua* rem extra omnem dubitationis aleam poſitam eſſe arbitramur, quippe quam non Athenis migraſſe Romam, ſed legibus Romanis, Atilia puta & Iulia Titia, multo poſt decemuiralem illam legislationem inuectam eſſe, & illi ſciunt, qui alia pleraque ignorant (d). Nec deinde tutelam agnatorum *legitimam* ab Athenienſibus acceptam ferre potuerunt Romani, quum eam ne receptam quidem Athenis fuiſſe, iam alii demonſtrarint, & Solon, teſte DIOGENE LAERTIO (e), diſerte cauerit, *μὴ ἐπιτροπεύειν, εἰς ὃν ἡ οὐσία ἔρχεται τῶν ὀρφανῶν τελευτησάντων, ne is fieret tutor, ad quem poſt pupillorum obitum ſubſtantia pertineret. Teſtamentaria* denique tutela, tantum abeſt, vt Atticae ſit originis, vt multo ante Romanis nota fuerit, quam legati arceſſendarum legum cauſſa Athenas mitterentur. Sane iam L. Tarquinium *tutorem liberorum Anci regis teſtamento eſſe inſtitutum*, memoriae prodidit LIVIVS (f). Idemque (g) autor eſt, *nondum maturo imperio Aſcanio, Aeneae filio, tantiſper tutela muliebri, (tantam indolem fuiſſe in Lauinia,) rem Latinam & regnum auitum paternumque puero ſtetiſſe.* Quod exemplum, ſiue teſtamentaria, ſiue legitima ea tutela fuerit, ſatis, vt opinor, oſtendit, tutelam iam ante conditam Romam in Latio tam notam fuiſſe, nihil vt opus fuerit, eam Athenis petere.

§. VII.

An XII. Tabulae maximam partem e iure Attico deſcriptae.

Qua occaſione facere non poſſumus, quin eorum redarguamus errorem, qui, quum Romanos leges a Graecis, & Athenienſibus inprimis, petiiſſe, ſciant, omnium prope iurium Romanorum origines ad Athenienſes referunt, quaſi nihil in tabulis illis Decemuiralibus fuerit, niſi transmarinum, & a Graecis repertum, nec quidquam, quod e republica eſſet, inuenire potuerint tot illuſtria ingenia, quae populus Romanus huic legumlationi communi ſuffragio praefecerat. Non ſane ſolas Athenienſium leges Romam attulerant legati, ſed, *quae vſquam egregia occurrebant*, teſte TACITO, *acciuerant* (h), & praecipue Graecarum in Italia ciuitatum collegerant inſtituta, ceu diſerte refert DIONYSIVS HALICARNASSEVS (i). An vero, ex his nihil in rem ſuam vertiſſe Decemuiros, exiſtimemus? Nec putandum eſt, peregrinas illas leges vel vniuerſum XII. Tabularum libellum, vel maximam eius

(d) *pr. Inſt. de Atil. tut.*
(e) Diog. Laert. I. 56.
(f) Liu. 34.
(g) Idem I. 3.
(h) Tacit. *Annal.* III. 27.
(i) Dionyſ. Halic. *Antiqu. X. pag.* 676.

Digitized by Google

ius partem, abſoluiſſe, quum potius, eodem teſte DIONYSIO (k), compoſitae fuerint ἔκ τε τῶν ἑλληνικῶν νόμων, καὶ παρὰ τῶν σφίσιν ἀγράφων ἐθισμῶν, *ex Graecorum iure, patriiſque conſuetudinibus.* Pleraque ſane, quae Romulus de patria poteſtate, de iure patronatus, ſimilibuſque capitibus, quaeque Numa Pompilius de iure ſacrorum, quae denique Ser. Tullius de contractibus ſanxerat, poſtea in XII. Tabulas migraſſe, auctores locupletiſſimos habemus DIONYSIVM HALICARN. (l) SERVIVM (m), FESTVM (n), alioſque veteres, qui tabulas illas legerunt integras, nec pauca inde fragmenta nobis ſeruarunt, adeoque accuratius iudicium ferre potuerunt de ſingulorum capitum origine. Praeterea pauciſſima illa, quae Athenis deportata acceperant, Decemuiri adeo ad reipublicae ſuae ſtatum attemperarunt, vt, ſi quis Athenienſium leges, a PRATEIO, PETITO, HERALDO, SALMASIO explicatas, cum Romanorum inſtitutis contenderit, vix vnam alteramue ſit reperturus, quam Romani integram ac ſibi per omnia ſimilem reliquerint (o). Quae quum ita ſint, anceps omnino & admodum incertum eſt argumentum illud, quo aliquando viri docti vtuntur, ius aliquod Romae ita ſe habuiſſe oportere, quia idem placuerit Athenienſibus, a quibus leges ſuas Romani mutuati ſint. Quemadmodum enim fluuios quoſdam, qui ſe in lacus infundunt, limpidos ac dulces intrare, exeuntes colorem pariter ac ſaporem mutaſſe, experimur: ita legibus illis Atticis ac Graecis, adlatis Romam, ibique veluti ciuitate donatis, nec color idem, nec eadem forma conſtitit, ſed tota illa Solonis νομοθεσία ita mutata interpolataque eſt a Decemuiris, vt ipſe Solon, ſi XII. iſtas Tabulas vidiſſet, leges ſuas in iis vix fuiſſet agniturus.

§. VIII.

Tutela mulierum Atticarum qualis fuerit ante nuptias?

Sed vt ex hoc diuerticulo in viam, id eſt, ad legitimam maritorum tutelam, quam ex Athenienſium inſtitutis in ius Romanum permanaſſe volunt, redeamus: probandum iam porro erit, quod ſupra poſuimus, ea in re Romanos cum Athenienſibus vix quidquam commune habuiſſe. Equidem mulieres, non modo puellas, ſed & iuſtae aetatis, Athenis in tutela fuiſſe, ſatis luculenter probarunt viri doctiſſimi, EM. MERILLIVS (p), IO. MEVR-

(k) Idem *pag.* 681.
(l) Idem II. *pag.* 97.
(m) Seru. *ad* Virg. Aen. *VI. v.*622.
(n) Feſt. in *Murrata.*
(o) Dn. Praeſes *in Hiſtor. Iur.* I. 2. 25.
(p) Merill. *Obſ. V.* 1.

ſivs (q), cl. salmasivs (r), & v. c. ev. otto (s). Sed diuerſum plane a Romanis inſtitutis fuiſſe illum Athenienſium morem, ſtatim adparebit. Nihil ſiue in iudicio, ſiue extra illud, recte agebant Atticae mulieres, inconſulto tutore, vel *κυρίῳ*, nec valide ſine illo contrahebant vltra medimnum hordei. dion. chrysostomvs (t): *Τοῖς νεωτέροις τούτων ἐτῶν νόμος οὐκ ἐᾷ συμβάλλειν, ὡς ἀπίστοις οὖσιν, οὐδὲ γυναικὶ παρ' Ἀθηναίοις συναλλάσσειν, πλὴν ἄχρι μεδίμνου κριθῶν, διὰ τὸ τῆς γνώμης ἀσθενές. Impuberibus lex non permittit contrahere, vt quibus bona nondum ſunt credita, neque mulieri apud Athenienſes contrahere licet, niſi vſque ad modium hordei, propter iudicii imbecillitatem.* Et isaevs (u), multo hoc antiquior: *ὁ γὰρ νόμος διαῤῥήδην κωλύει παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν, μηδὲ γυναικὶ, πέρα μεδίμνου κριθῶν. Lex enim expreſſe probibet, impuberem paciſci, aut feminam, vltra modium hordei.* Similia ſunt apud svidam (x) & harpocrationem: ex quibus legem illam Atticam eruit, ſuoque more erudite illuſtrat petitvs (y), in eo tamen falſus, quod hanc ſanctionem ad teſtamenti factionem pertinuiſſe credit, quum verba *συμβάλλειν* & *συναλλάσσειν* manifeſte contractum, numquam vltimam voluntatem notent: & quamuis Iſaeus etiam *διαθήκης* fecerit mentionem, & id tamen vocabulum accuratioribus in numero ſingulari *pactum conuentum*, in pluratiuo demum *teſtamentum* ſignificet, vti praeclare obſeruauit vir doctiſſimus, cl. salmasivs (z). Quemadmodum ergo generatim contrahendi facultatem feminis ademerant leges: ita nec ex earum chirographis vlla naſcebatur obligatio, quibus vna cum feminis non ſubſcripſiſſent earum tutores. Quod ius non modo Athenis, ſed & in vniuerſa Graecia, valuiſſe, ex ciceronis (a) teſtimonio ſatis intelligimus. Sed & in ius vocari non potuiſſe feminas ſine tutore, eoque pertinuiſſe vocem preconis, qua *ἡ δεῖνα καὶ ὁ κύριος*, *mulier eiuſque tutor* citari conſueuerint, laudatiſſimus ev. otto (b) oſtendit. Viuebant ergo mulieres innuptae ſui iuris in tutela fratrum, cognatorumue, a quibus etiam deſpondebantur, vbi iam nubiles factae fue-

(q) Meurſ. *Them. Attic.* II. 9.

(r) Salmaſ. *de modo vſur. cap. IV. pag. 164. ſequ.*

(s) Eu. Otto *de perp. fem. tut. cap. I. §. VI. p. 201. ſequ.*

(t) Chryſoſt. *orat. LXXV.*

(u) Iſaeus *orat. de Ariſtarchi hered.*

(x) Suidas *in ἐν ξένης.*

(y) Petit. *in Comm. in* LL. *Att. VI. 6.*

(z) Salmaſ. *de modo vſur. cap. XII. p. 516.*

(a) Cic. pro Flacc. *cap. XXX.*

(b) Eu. Otto *de perp. fem. tut. cap. I. §. 6. p. 478.*

Digitized by Google

fuerant, pro lubitu, vt vere dici poſſit, Athenis vix quidquam diſcriminis fuiſſe inter poteſtatem tutorum ipſorumque parentum, ac proinde illos dictos eſſe κυρίυς, *dominos*, quaſi *qui ſummam haberent poteſtatem, & veluti ἀνυπεύθυνον, rei cuiuſcumque*, vti obſeruauit vir Graece doctiſſimus, GVIL. BVDAEVS (c).

§. IX.

Qualis iam nuptarum?

Talis innuptarum tutela erat apud Athenienſes. Quid vero ſi iam in maritorum amplexus veniſſent? De his vero exſtat lex Solonis apud DEMOSTHENEM (d), quam mirifice peruertit paullo ante laudatus SAM. PETITVS. Lex ita ſe habet; ἣν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι ἢ πατὴρ, ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ, ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρὸς, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίυς· ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τύτων. ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ, τὸν (ἄνδρα) κύριον ἔχειν· ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τῦτον κύριον εἶναι. Quae quidem ita interpretamur; *Quam legitime deſponderit vel pater, vel frater conſanguineus, vel auus paternus, ex ea liberi legitimi ſunto. Si nemo horum fuerit, mulierque ex aſſe heres ſit, virum tutorem habeto. Si nec vir fuerit ſuperſtes, is, cuius fidei vir eam ſupremo iudicio commiſerit, tutor eſto.* Itaque pater ſuperſtes & filiam deſpondebat, & iam nuptae erat κύριος. Eo defuncto, vel abſente ſaltim, vti ex PLAVTI (e) loco collegit PETITVS (f), ad fratres conſanguineos id ius pertinebat. Vnde apud DEMOSTHENEM (g) Midyllides, Archippus & Archiades, fratres, Archidicen ſororem elocaſſe dicuntur Leoſtrato Eleuſinio, idemque orator (h) grauiter reprehendit Timocratem, quod ſororem, mortuo patre, πέπρακε, καὶ ἐκ ἐδίδωκε, *vendiderit, non elocauerit*. Ne fratribus quidem ſuperſtitibus, aui paterni erat, neptem deſpondere, eiuſdemque tutelam ſuſcipere. Quamobrem legitimos hoſce tutores, & dotem, ſoluto matrimonio, ex bonis maritorum repetiiſſe, & viduis deinde κυρίυς fuiſſe, apud DEMOSTHENEM, AESCHINEM, ISAEVM, alioſque ſcriptores Atticos, paſſim legas. Si mulieri nec pater, nec frater, nec auus paternus eſſet, illa vocabatur ἐπίκληρος, non quia dotata erat, (vnde perperam *dotalem* interpretatur PETITVS,) ſed quia paternarum facultatum ex aſſe fiebat heres. Tunc vero non cuiuis pro lubitu nubebat, ſed pro-

 ximo

(c) Bud. *Comment. Lingu. Graec.* pag. 36.
(d) Demoſth. *in Steph. II. p.* 984.
(e) Plaut. *Trinum. II.* 4.
(f) Petit. *Iur. Att. VI.* 1. *p.* 437.
(g) Demoſth. *adu. Leochar. p.* 1043.
(h) Idem *in Timocrat. p.* 804.

ximo agnato (i); qui eo caſu ſimul fiebat vxoris ſuae κύριος, vel tutor legitimus. Quod ius obſeruatum videtur TERENTIO (k), dum apud eum Chryſis, deſpondens Pamphilo Glycerium, ita loquitur:

Te iſti virum do, amicum, TVTOREM, *patrem,*
Bona noſtra haec tibi permitto, & tuae demando fidei.

Mulieres dote caſſas ſanguine proximi aut vxores ducere, aut dote data, cogebantur elocare (l): ac tunc vtroque caſu iidem tutelam procul dubio conſequebantur, quamuis poſterioris caſus exemplum nobis nondum occurriſſe vltro fateamur.

§. X.

Itemque viduarum.

Supereſt, vt, qualis mulierum viduarum tutela fuerit, diſpiciamus. Hic denuo diuerſae ſpecies, quas plerumque miſcent viri docti, accurate ſunt diſtinguendae. Aut enim, data dote, elocata fuerat mulier, aut erat ἐπίκληρος, hereditatemque paternam ex aſſe creuerat. Priorem ſoluto matrimonio aeque, ac conſtante illo, in patris, fratrum, auiue tutela fuiſſe, & ad hos ideo dotem rediiſſe, paullo ante monuimus. Ad poſteriorem quod attinet, moribus inualuerat, vt fas eſſet marito, vxorem huiuſmodi cum certa dote legare, cuicumque liberet, iſque, cui ſupremis tabulis legata eſſet vxor, ſimul eiuſdem tutelam nanciſceretur, quod ipſum indicant verba poſtrema legis, ſuperiore paragrapho deſcriptae: ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, quibus diſpoſitionem teſtamentariam exprimi, recte vidit ὁ πάνυ SALMASIVS (m). Sic de patre ſuo refert DEMOSTHENES (n), eum morti proximum filiam Demophonti, & duo talenta dediſſe, Aphobo vero VXOREM, Demoſthenis matrem, cum dote octoginta minarum & aedibus, vſuque inſtrumenti & ſupellectilis. Idem orator (o) de Phormione: Πασίων ἐτελευτήκει, ταῦτα διαθέμενος· Φορμίων ἔπειτα τὴν μὲν γυναῖκα λαμβάνει κατὰ διαθήκην. *Quum igitur Paſio, hoc condito teſtamento, obiiſſet, Phormio vxorem ex teſtamento duxit.* Attamen non perpetua erat mariti poſterioris tutela, ſed finiebatur eadem, ſimul ac filius, e priore ſuperſtes matrimonio, viceſimum aetatis annum exegiſſet. Is enim tunc & dotem, conſtante adhuc matrimonio, repetebat a vitrico, & matri, tamquam tutor legitimus

(i) Iſ. Caſaubon. *Exerc. I. contra* Baron. *cap. XIII.* Iacob. Perizon. *de lege Vocon. p. 119. ſequ.*

(k) Terent. Andr. I. 5. v. 60.

(l) Demoſth. *in Macart. Ter. Phorm. I. 2. v. 74.*

(m) Salmaſ. *de modo vſur. pag. 168.*

(n) Demoſthen. *in Aphob. I. pag. 895.*

(o) Idem *pro Phorm. p. 959.*

mus, alimenta conſtituebat. Ita enim porro Solon lege ſanxerat (p) : καὶ ἐάν τις ἐξ ἐπικλήρου γένηται, καὶ ἅμα ἡβήσῃ, ἐπὶ διετὲς κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. *Si filius ex eiuſmodi muliere, quae ex aſſe heres fuit, natus erit, iſque ephebis exceſſerit, is bona matris recipito, eique alimenta praebeto.* Id enim eſſe σῖτον μετρεῖν, erudite, vt ſolet, docuit SALMASIVS (q). Si denique contingeret, vt nec maritum haberet eiuſmodi mulier, nec filium iuſtae aetatis, nec agnatum denique, cui viduae tutela recte committeretur : eo caſu tutela eius, teſtibus ISAEO (r), & IVLIO POLLVCE (s), ad Archontem redibat, eamque in rem prodita erat lex haec Solonis, quam denuo ſeruauit DEMOSTHENES (t) : ὁ ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν, καὶ τῶν ἐπικλήρων, καὶ τῶν οἴκων τῶν ἐξερημουμένων, καὶ τῶν γυναικῶν, ὅσαι μένουσιν ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀνδρῶν τῶν τεθνηκότων, φάσκουσαι κύειν. *Archon orphanorum, feminarum ex aſſe heredum, familiarum intercidentium & praegnantium mulierum, quae poſt obitum maritorum in aedibus virorum permanent, curam habeto.* Quibus addidit legislator, non conceſſurum Archontem, vt his omnibus iniuria fiat, eique proinde ius futurum, mulctam pro magiſtratus ſui poteſtate irrogandi, vel, ſi res acriore ſupplicio digna videretur, reos remittendi ad Heliaſtas, iiſque dicam ſcribendi, prout id facti atrocitas requirere videretur. Quae poſtrema legis ſanctio ſimilis quodammodo eſt illi legi Romanae, quae tutores ſuſpectos, ſi quid atrocius inciderit, ad praefectum vrbi praeſidemue prouinciae remitti iubet (u).

§. XI.

Comparatio tutelae mulierum Atticarum & Romanarum.

Iam ſi cum his omnibus contendamus tutelam mulierum Romanarum, neminem quidem dubitaturum arbitramur, quin vtriuſque gentis inſtituta quam maxime diſcreparint, ac proinde ab illa tutela Attica ad Romanam argumentum duci non poſſit. Verum quidem eſt, Romanos non minus, quam Athenienſes, *mulieres omnes propter infirmitatem conſilii in tutorum poteſtate eſſe voluiſſe* (x). Sed Romani illi tutores non erant Κύριοι, qui omnia ſuo arbitrio agerent, immo ne adminiſtrabant quidem, ſed auctoritatem tantum, teſte VLPIANO (y), interponebant, non in omnibus quidem negotiis, nam mulieri ſine tutore recte ſoluebatur, ſed

(p) Idem *in Steph. II. p.* 984.

(q) Salmaſ. *de modo Vſur. ibid.*

(r) Iſaeus *in orat. de hered. Apollodori.*

(s) Iul. Pollux *Onom.* VIII. 9.

(t) Demoſth. *in Macartat. p.* 1040.

(u) *l.* 1. §. *vlt. ff.* §. 10. 11. *Inſt. de ſuſp. tut.*

(x) Cic. *pro Muraena. cap.* XII.

(y) Vlp. *Fragm.* XI. 23.

(z), ſed ſi lege agerent (a), ſeque obligarent (b), nuptias contraherent, dotemque dicerent (c), teſtamentum facerent (d), manumitterent, alienarent (e), hereditatemue adirent (f). Deinde non diſtinguebant Romani virgines ἐπικλήρους & cum dote elocatas: nec patri apud eos, conſtante matrimonio, tutela in filiam competebat: ſed vel patria poteſtas, ſi in matrimonium, vel nihil omnino iuris, ſi in manum filia conveniſſet. Porro, quamuis de tutela mulieris maritus apud Romanos teſtaretur: non tamen ſuppetit exemplum, quod ille ipſam vxorem teſtamento cuiquam legarit, vel quod filii maiorennes, conſtante matrimonio, matris tutelam ſuſceperint, eique, repetita dote, certa conſtituerint alimenta: vel quod ipſi magiſtratus tutelam, qua magiſtratus, geſſerint: vel denique quod mariti vmquam vxorum ſuarum tutores vel curatores legitimi fuerint. Tantum abeſt, vt ea Athenienſium inſtituta ſua fecerint Romani, vt ab illis quam maxime abhorruerint, ceu paullo poſt ex inſtituto demonſtrabimus.

§. XII.

Mulieres vel in pupillari vel in perpetua tutela erant.

Nimirum tutela illa mulierum Romanarum, vti obſeruarunt SABINVS (g) & VLPIANVS (h), vel *pupillaris* erat, vel *perpetua*. Illa finiebatur, ſimul ac puella muliebris patientiae legem accipere poſſe videretur; hac & puberes, & adultae, & ipſae viduae regebantur, niſi iuſtam ob cauſſam tutela liberarentur. Solebat enim haec perpetua tutela finiri, non modo morte, & capitis deminutione, ſed & Veſtali ſacerdotio (i), itemque ob liberorum numerum (k), & ius illud liberorum, datum beneficio principis, qualia exempla paſſim exſtant apud GRVTERVM (l), DIONEM (m), & SVETONIVM (n). Reliquae mulieres cuiuſcumque aetatis omnes ſub tutela erant, quamuis, vt iam monuimus, in adultas paullo adſtrictior eſſet tutorum poteſtas, quam in pupillas. Cuius diſcriminis & hoc elegans exemplum eſt apud VLPIANVM, quod

(z) Cic. *Top. cap. XI.*
(a) Vlp. *ibid.* §. 25.
(b) Vlp. *ibid.* Cic. pro A. Caecin. *cap. XXV.*
(c) Vlp. XI. 20. Cic. pro Flacc. c. XXXV. pro Caecin. *cap. XXV.*
(d) Vlp. *Fragm. XX.* 15. Cic. pro Caecin. *cap. VI. & Top. IV. ibique* Boeth. Liu. *XXXIX.* 9.
(e) Vlp. I. 17. XI. 25.
(f) Vlp. *XI.* 22.
(g) Sabin. *apud Gell. Lib. V.* 13.
(h) Vlp. Fragm. *XI.* 25. 27.
(i) Plutarch. *in Numa p.* 66.
(k) Dio Caſſ. *Lib. LVI. p.* 578.
(l) Grut. *Inſcript. p. DCXXXI.* 2.
(m) Dio Caſſ. *Lib. XLIX. p.* 441. *& LV. p.* 549.
(n) Sueton. Claud. *Cap. XIX.*

Digitized by Google

(o), quod mulieribus opus tantum eſſet tutorum auctoritate, ſi rem mancipi alienarent, pupillis autem hoc amplius, ſi alienarent res nec mancipi. Illarum enim alienatio, quae teſte CICERONE (p) κατ᾽ ἐξοχὴν id nomen ferebat, ſine ſolemnitate iuris non poterat explicari. De huiuſmodi autem negotiis ciuilibus iam pridem prodita erat regula iuris (q), *ad ea, quae ſolemnitatem iuris deſiderant, explicanda tutore auctore opus eſſe.*

§. XIII.

Eaque vel teſtamentaria, vel legitima, vel datiua.

Quemadmodum vero tutelae *pupillaris* ea erat indoles, vt vel pater filio filiaeue impuberi tutorem teſtamento daret, vel, teſtamentario non exiſtente, *legitimae*; ac demum, ſi nec teſtamentarius, nec legitimus eſſet, *datiuae* tutelae locus eſſet: ita & perpetua feminarum tutela in *teſtamentariam*, *legitimam* & *datiuam* recte diuiditur. Teſtamento iis tutorem dabant non quidem parentes, ſed mariti, quorum in manum conuenerant, qui ſupremis tabulis aliquot tutores nominabant, ea lege, vt viduae ſibi vnum ex his tutorem ſuo arbitrio optarent. Sic auctor eſt LIVIVS (r), Senatum Hiſpalae Fecenniae *dediſſe tutoris optionem, quaſi ei maritus teſtamento dediſſet.* Nec alio pertinet locus CICERONIS (s), vbi *genera* quaedam *tutorum* a iureconſultis inuenta, ait, *quae poteſtate mulierum continerentur.* Quae loca, dici non poteſt, quam torſerint interpretes etiam doctiſſimos (t), quum luce ſua radient, noſtraque expoſitio & verbis vtriuſque auctoris, & ipſi iuris ἀναλογίᾳ praeclare conueniat (u). *Legitima* tutela ingenuarum erat penes agnatos, libertarum penes patronos, patronorumque liberos, quippe quos veteres συγγενεῖς ἶναι, τῶν ἐλευθερωμένων, *manumiſſorum agnatos eſſe*, fingebant, ceu ex Graeca quadam conſtitutione eleganter docuit CVIACIVS (x). Porro tutela haec legitima adeo in bonis agnatorum eſſe cenſebatur, vt non modo de ea, ſine omnium auctoritate tutorum, nihil deminui aut vſucapi poſſet (y), ſed illa etiam in iure recte cederetur extraneo, eatenus, vt hic vice cedentis tutor eſſet, quoad viueret cedens, id quod *ceſſitiam tutelam* veteres adpellabant.

(o) Vlp. *Fr. XI. 27.*
(p) Cic. *Top. Cap. V.*
(q) *l. 19. ff. de auct. tut.*
(r) Liu. *XXXIX. 29.*
(s) Cicero *pro Muraena cap. XII.*
(t) V. C. Eu. Otto *de perp. fem. tut. cap. I. §. 16. pag. 215. ſequ.*
(u) *in Comment. noſtro ad leg. Iul. & Pap. II. 2. 3. p. 236. ſequ.*
(x) Cuiac. *Obſ. XX. 34.*
(y) Cic. *p. Flacc. cap. XXXIV. Ep. ad Attic. I. 5.*

(z) Denique & *datos* aliquando mulieribus tutores, iuſque illud in vrbe ex lege Atilia fuiſſe penes praetorem maioremque partem collegii Tribunicii; in prouinciis ex lege Iulia & Titia penes praeſides, vel Hiſpalae Fecenniae exemplum apud LIVIVM (a) ſatis probat. Poſtea & lege Iulia & Papia Poppaea cautum fuerat, vt praetor, ſine tribunorum plebis ſuffragio, tutorem daret feminae nupturae ad dotem dandam, dicendam promittendamue, ſi legitimum tutorem haberet adhuc pupillum (b). Ex quo loco ſimul diſcimus, agnatos, quamuis per aetatem impares adminiſtrandae tutelae, ipſo tamen iure tutores mulierum legitimos fuiſſe, & tantiſper, dum illi adoleſcerent, alium datum eſſe a magiſtratu, qui feminae, negotium aliquod ciuile explicaturae, auctor fieret.

§. XIV.

Vxor quae in manum conuenerat, non erat in tutela curaue mariti, ſed in eiuſdem poteſtate.

His ergo poſitis, iam facile quiſque iudicabit, potueritne Romae aeque ac Athenis vmquam contingere, vt vxor in legitima mariti tutela eſſet? Quaecumque Romanae mulieres viuebant in iuſto connubio, eae vel *in manum conuenerant*, vel *in matrimonium*. Id enim vxorum diſcrimen diſerte ſtatuit GELLIVS (c), vt merito mireris, quando ea phraſis aliquoties in Pandectis (d) legitur, virum doctiſſimum, BARNABAM BRISSONIVM (e), exiſtimaſſe, illam a Triboniani manu eſſe. Solita enim eſt haec loquendi forma, veteribuſque admodum familiaris. In manum conueniſſe dicebantur, quas vel intercedente confarreationis ritu, vel per coëmtionem, vel vſu, id eſt, non interrupta per annum poſſeſſione, mariti adquiſiuerant (f). Quotquot vero vxores nupſerant domumque ductae fuerant, nullo iſtorum rituum adhibito, eae in matrimonium conueniſſe ferebantur. Illae vocabantur *matresfamilias*; hae *matronae*. Illae igitur capite minuebantur, adeoque capita libera & ſui iuris eſſe deſinebant, quippe quae in *manu & mancipio maritorum* eſſent, vt loquitur GELLIVS (g), & *non modo in matrimonium, ſed in familiam quoque maritorum & in ſuorum heredum locum veniſſent.* Vere ergo eiuſmodi vxores erant in poteſtate dominioque Quiritario maritorum, perinde ac

(z) Vlp. *Fr.* *XI.* 5. 7. 8.
(a) Liu. *XXXIX.* 19.
(b) Vlp. *Fr.* *XI.* 20. *d. Comm. noſtro II.* 13. *pag.* 253. *ſequ.*
(c) Gell. *XVIII.* 6.
(d) *l.* 15. *ff. de rit. nupt. l.* 121. §. 1. *de V. O.*
(e) Briſſ. *de V. S. conuenire.*
(f) Seru. *ad* Virgil. Aeneid. IV. *v.* 103. Gell. *Noct.* *IV.* 3.
(g) Gell. *Noct.* *XVIII.* 6.

Digitized by Google

ac filiaefamilias. Nam & filiarum loco habebantur (h), nec vllus erat antiquioris illius & rigidioris patriae poteſtatis effectus, qui in eiuſmodi quoque vxores non caderet. Quemadmodum enim in ſacris paternis erant liberi (i), eaque ſacrorum communio cum patria poteſtate, & ſuccedendi iure erat coniuncta: ita DIONYSIVS HALICARNASSENSIS (k) vxores confarreatas factas eſſe ait κοινωνὰς ἱερῶν τε καὶ χρημάτων, *participes ſacrorum pecuniaeque.* Vti deinde in liberos patres; ita in vxores, quae in manum conuenerant, mariti vtebantur iure vitae ac necis. Denique vti pater liberos ſuos iure venundabat, & in iure cedebat: ita & maritus vxorem huiuſmodi alii cedebat ſaepius, notaque ſunt exempla Catonis Vticenſis, quem Marciam vxorem praeſentem deſpondiſſe Q. Hortenſio, tradit PLVTARCHVS (l), & Tiberii Neronis, quem Liuiam vxorem, tametſi praegnantem, Octauio Auguſto ceſſiſſe, DIO CASSIVS (m) & TACITVS (n) memoriae prodiderunt. Quae hic vel ideo non praetermittenda duximus, quod viros quoſdam doctiſſimos de poteſtate illa maritali in vxores, quae in manum conuenerant, etiamnum ſine idonea cauſſa ſubdubitare animaduertimus. Iam vero, quum in poteſtatem maritorum tranſierint hae vxores: non magis ſane hae illos tutores habere potuerunt, quam liberi parentes, quorum in manu ac poteſtate erant. Vti enim patrem habenti tutor non datur, ita nec mulieri dari poterat, quae in manu mancipioque erat, quia non erat caput liberum.

§. XV.

Quid vero ſi virgo vel vidua non in manum, ſed in matrimonium tantum, ſine ſolemni ritu conueniſſet? Tunc aut ſui iuris illa erat, aut filiafamilias. Sui iuris mulier vel tutorem ſibi ex ſupremis prioris mariti tabulis optauerat, vel erat in legitima agnatorum tutela, vel tutorem a praetore maioreque parte Tribunorum plebis datum acceperat. Qualeſcumque eſſent tutores, ii ſane etiam conſtante matrimonio tutelam retinebant, nec vſquam reperias, matrimonium ſine in manum conuentione inter cauſſas, ob quas tutela finiatur, recenſeri, quum tamen eas peraccurate recenſeat V. C. ANT. SCHVLTINGIVS (p). Contra exemplo non vno

Quae in manum non conuenerat, ſi ſui iuris eſſet, erat in tutela agnatorum, vel tutorem curatoremue datiuum habebat.

(h) Pariator *Leg. Moſ. & Rom. tit. XVI.* 1.

(i) *l. vlt. C. de inoff. teſt. l. vlt. C. de cur. furioſ. l. vlt. C. ad Sc.* Tertull. *l. 2. C. de ſuis & legit. l. 6. C. de bon. mat. l. 1. §. vlt. ff. de annal. exc.*

(k) Dionyſ. Hal. *l. II. p. 95.*

(l) Plutarch. *in Caton. minor. p. 770. ſequ.*

(m) Dio *lib.* XLVIII. *pag.* 384.

(n) Tacit. *Annal. V.* I.

(p) Schulting. *Iuriſpr. vet. anteiuſt. p. 605.*

vno probari poteſt, vxores eiuſmodi & conſtante matrimonio ſubfuiſſe tutoribus, nec quidquam, quod alicuius momenti eſſet, ſine eorum auctoritate geſſiſſe. APVLEIVS (q) certe de Pudentilla, vxore ſua: *Dico*, inquit, *exiguum herediolum ſexaginta millibus numum, id quoque non me, ſed Pudentillam ſuo nomine, emiſſe, Pudentillae nomine pro eo agello tributum dependi. Praeſens eſt Quaeſtor publicus, cui depenſum eſt, Coruinus Celer, vir ornatus: adeſt etiam tutor, auctor mulieris, vir grauiſſimus & ſanctiſſimus, omni cum honore mihi nominandus, Caſſius Longinus.* Sic ergo Pudentillae tutor non erat Apuleius, maritus, verum alius plane, Caſſius Longinus. Simile exemplum occurrit in marmore apud GRVTERVM (r), in quo FVRFANNIA L. F. SATVRNINA monimentum ſe feciſſe profitetur SIBI, CONIVGI, ET TVTORI SVO: quae elogia, ne quis ad vnam eamdemque perſonam pertinere exiſtimaret, vtriuſque nomina ibidem expreſſit, tutoremque M. VALERIVM ISAVRVM; coniugem L. ISYCHIVM adpellauit. Iidem vero tutores, qui conſtante matrimonio mulieris curam geſſerant, tutelam, etiam ſoluto eodem, continuabant. Tales enim apud eumdem GRVTERVM (s) ſunt TVTORES SEPTIMIAE, MATRIS LEPIDAE SEPTIMIAE & L. SEPTIMII LIBERALIS, qui FVNDORVM PARTEM VI LEGIS FALC. NOM. DEDVXERVNT. Viduam enim fuiſſe illam Septimiam Priſcam, nemo dubitabit, qui illud quantiuis pretii monimentum totum perlegerit.

§. XVI.

An filia familias eſſet, manebat in patria poteſtate.

Nec magis in legitimam viri tutelam perueniebat, quae, in patris conſtituta poteſtate, nubebat. Quum enim nuptiae non ſint inter modos, quibus iure Romano patria poteſtas finiebatur: nupta quoque in patris poteſtate manebat, nec ideo in ſacris parentis eſſe deſinebat, quod in viri amplexus veniſſet. Non equidem ignoro, in alia omnia & hic ire GREG. THOLOSANVM (t), exiſtimantem, patrem poteſtatem omnem, nuptui filiam dando, in maritum transtuliſſe, adeoque poteſtatem patriam ex eo ſtatim eſſe ſolutam. Sed argumenta, quae hanc in rem attulit, omnia ad conuentionem in manum pertinent, & clariora ſunt veterum teſtimonia, quibus contraria ſententia probatur, quam vt cauillationibus poſſint elidi. IVSTINIANVS (u) enim ingenuam, trium

(q) Apulei. *Apolog.* II. *p.* 317.
(r) Gruter. *Inſc. p.* DLII. 2.
(s) Idem *p. MC.* 6.
(t) Greg. Tholoſ. *Synt. Iur.* XI. 4. 9.
(u) §. 2. *Inſt. de SC. Tertull.*

trium liberorum ius habentem, ex SC. TERTVLLIANO ad luctuoſam liberorum hereditatem vocari ait, *licet in poteſtate parentis ſit.* Et apud VLPIANVM (x) docet Neratius, *ex vna iniuria interdum tribus oriri iniuriarum actionem, neque vllius actionem per aliam conſumi, vtpote* VXORI FILIAE FAMILIAS *iniuriam factam eſſe, & viro, &* PATRI *eius.* Quid porro clarius verbis DIOCLETIANI & MAXIMIANI, Imperatorum (y), qui meminerunt vxoris, *quae tempore nuptiarum in* PATRIA POTESTATE *fuerit*, & hinc *fideicommiſſi ei relicti commodum* PATRI *quaeſitum eſſe*, definiunt? Et quis dubitet, quaeſo, conſtante matrimonio duraſſe patriam poteſtatem, quum & eo ſoluto adhuc in poteſtate fuiſſe legantur, & hinc pater notetur infamia, *qui vel calumniae cauſſa paſſus eſt filiam*, QVAM IN POTESTATE HABEBAT, *in poſſeſſionem, ventris nomine, mitti* (z), *vel eam, quae* IN POTESTATE *eius eſt, genero mortuo, quum eum mortuum eſſe ſciret, intra id tempus, quo elugeri virum moris eſt, antequam virum elugeret, in matrimonium collocauit* (a)? Sane quum patria poteſtas, ſemel exſtincta, reuiuiſcere non ſoleat, niſi iure poſtliminii, cui hic locus non eſt: conſequens eſt, vt matrimonio, ſine in manum conuentione inito, ea non exſpirarit, filiaque familias, etiam nupta, in ſacris paternis manſerit. Eo autem poſito, denuo manifeſtum eſt, huiuſmodi etiam vxorem in tutelam viri haut peruenire potuiſſe, quum ne quidem in tutela potuerit filiafamilias, quae in poteſtate patria vixit, iuriſque expeditiſſimi ſit, patrem habenti tutorem non dari (b).

§. XVII.

Feminae an aliquando in curatione fuerint, & inprimis maritorum?

Quae adhuc de tutela feminarum diximus, eo pertinent omnia, vt oſtendamus, vxores Romanas, ſiue in manum conueniſſent, ſiue in matrimonium, in tutelam maritorum legitimam non perueniſſe. Iam operae pretium fuerit, diſquirere, an non vir ſaltim curator vxoris eſſe potuerit? Poſſet quidem haec quaeſtio plus quam Domitiana videri, quum feminae, ſolutae tutela pupillari, non, vti maſculi puberes, curatorum conſilio regerentur, ſed ex eo tempore in perpetua tutela eſſent, tutorem vero habenti curatorem dari, negent iura noſtra, niſi vel parum idoneus ſit tutor, vel ad tempus excuſetur (c). Attamen & curatores femina-

(x) *l. 1. §. 9. ff. de iniur.*
(y) *l. 5. C. de condit. inſert.*
(z) *l. 9. ff. de his, qui not. inf.*
(a) *l. 1. ff. eod.*
(b) *l. 6. §. vlt. ff. de tut. l. 239. pr. ff. de V. S. §. 1. Inſt. de tut.*
(c) Huber. Praelect. ad Inſt. l. 23. 8.

minarum paſſim occurrunt in eorum ICtorum fragmentis, qui, antequam perpetua illa mulierum tutela ab vſu receſſiſſet, floruerunt, veluti PAPINIANI (d), PAVLLI (e), TRYPHONINI (f); nec non in conſtitutionibus ALEXANDRI (g), DIOCLETIANI & MAXIMIANI (h), ANTHEMII (i), Imperatorum, quibus imperantibus tutelae perpetuae iugum iam excuſſiſſe mulieres, nondum ab vllo demonſtratum eſt. Nec nos quidem facile adſenſerimus IAC. RAEVARDO (k), & IO. IAC. WISSENBACHIO (l), omnia haec loca inter emblemata Triboniani numerantibus, quum luculenter a V. C. ANT. SCHVLTINGIO (m) oſtenſum ſit, in quibuſdam horum fragmentorum emendatione non opus, in aliis ne locum quidem eidem fuiſſe, ſi vel maxime Triboniano digiti pruriuiſſent. Vidit praeterea hic vir doctiſſimus, ad quod alii plerique caecutiunt, non impediuiſſe perpetuam illam tutelam, quo minus & curatores habere poſſent mulieres adhuc minorennes. Quum enim tutela illa mulierum perpetua, ceu ſupra demonſtrauimus, (§. X.) cum adminiſtratione non eſſet coniuncta, ſed ipſae mulieres recte omnia ipſae gererent, modo a tutoribus interponeretur auctoritas: melioris ſane illae fuiſſent conditionis, quam maſculi, quibus adhuc minoribus *rei ſuae adminiſtratio non committebatur, quamuis bene rem ſuam gerentibus*, vti loquitur VLPIANVS (n). Quamuis ergo tutelam feminarum pupillarem ſtatim exciperet perpetua, ſi eſſent agnati, qui ei gerendae idonei viderentur: dubitari tamen non poteſt, quin & deficientibus agnatis, & iiſdem minus idoneis, tantiſper, dum maiorennes fierent, earum aeque ac maſculorum bona a curatoribus fuerint adminiſtrata. Qui enim fieri potuiſſet, vt femina quoque aliquando *in ſuam tutelam perueniret, cum viri potens facta eſſet*, (qualem caſum PAVLLVS (o) habet,) vel vt *tutor quis puellae eſſe deſineret, ſi ea duodecimum annum impleſſet*, (quod inculcat PAPINIANVS (p), niſi minorennis, deficiente agnato, curatorem accepiſſet? Quin ſi vel maxime legitimos tutores haberet femina viri potens, iique etiam admi-

(d) *l. 5. §. 12. ff. de iur. dot.*
(e) *l. 20. l. 36. l. 37. l. 66. pr. & §. 1. ff. de R. N.*
(f) *l. 67. §. 2. ſeq. ff. eod.*
(g) *l. 3. C. de interd. matr. inter pup.*
(h) *l. 7. C. eod.*
(i) *l. 8. C. eod.*
(k) *Raeuard. Var. II. 10.*
(l) Wiſſenb. *Embl. Trib. ad l. 39. tit. de Ritu Nupt. p. 372.*
(m) Schult. *iuriſpr. vet. anteiuſt. p. 303. ſeq.*
(n) *l. 1. §. vlt. ff. de min.*
(o) *l. 51. ff. de legat. 3.*
(p) *l. 13. §. 2. ff. de tut. vel cur. dat.*

Digitized by Google

adminiſtrandae tutelae non impares eſſent : tamen, vt dixi, bona minorennis adminiſtraſſe potuerunt curatores, perſonae curam geſſiſſe tutores, vt ſimul tutores, ſimul curatores habuiſſe videatur, donec ad iuſtam aetatem perueniſſet. Quibus poſitis, (eſt autem res ita perſpicua, vt probatione non indigeat,) conſequens profecto eſt, vt non abſurda ſit, quam hoc paragrapho mouimus, quaeſtio, annon curator ſaltim vxoris ſuae eſſe potuerit maritus? Et id quidem fieri potuiſſe fatemur, quamuis iure inficiemur, eum curatorem fuiſſe legitimum. Notum enim eſt, curatorem nec teſtamento dari conſueuiſſe, quia paterfamilias de tutela ſuae rei, non de curatione legare poterat (q), nec curatores aliquos legitimos iure Romano fuiſſe, praeter furioſorum & prodigorum, quos in cura agnatorum & gentilium leges eſſe iuſſerant (r). Dabantur ergo curatores petenti mulieri, a magiſtratu, & ſic contingere poterat, vt vel ante matrimonium maritus vxori curator datus eſſet, vel conſtante matrimonio ſibi eum curatorem dari peteret. Antiquitus enim nullam exſtitiſſe legem, quae marito tutelam curamue vxoris deferri prohiberet, eamque prohibitionem Antoninorum demum temporibus ſenatusconſulto eſſe inuentam, infra ſuo loco pluribus demonſtrabimus.

§. XVIII.

Argumentum tertium & reliqua, quae pro tutela maritali Romanorum ex Liuio, Boethio & Iſidoro adferuntur, profligata.

Itaque ex his, quae occaſione tutelae mulierum Atticarum de tutela mulierum Romanarum hactenus diſſeruimus, ſatis conſtare arbitramur, inter tutelam mulierum Atticarum Romanarumque maximum fuiſſe diſcrimen, adeoque eo argumento probari non poſſe, vxores Romanas ſub legitima maritorum vel tutela vel curatione fuiſſe. Ne vero & reliqua veterum teſtimonia, quae eam in rem vulgo adferunt, intacta videamur praetermiſiſſe, non magis huic ſententiae noſtrae aduerſatur locus Catonis apud LIVIUM (s). Ait ille : *Maiores noſtri nullam, ne priuatam quidem rem, agere feminas ſine auctoritate voluerunt : in manu eſſe parentum, fratrum, virorum.* At nihil hic Cato de tutela maritorum legitima. Id modo contendit, feminas in manu vel parentum vel maritorum eſſe : illorum, ſi filiae familias, ſine in manum conuentione, nupſerint : horum, ſi in manum conuenerint. Addit quidem & fratres, nec dubium eſt, quin tutelam eorum legitimam intellexerit ; ſed inde non ſequitur, vt & mariti vxorum

(q) *Vlp. Fragm. XI.* 14.

(r) *Cic. Tuſc. Quaeſt. III.* 11. *de Inuent. II.* 50. §. 3. *Inſt. de Curat. Horat. Serm. I.* 3. Paull. *Rec. Sent. III.* 4. 7. *l.* 10. *pr. l.* 15. *pr. ff. de cur. furioſ.*

(s) Liu. *XXXIV.* 2.

rum tutores legitimi fuerint. Agebatur tum de lege Oppia, quae non tantum ad mulieres innuptas, ſed & virgines, pertinebat. Contendebat Cato, non indulgendum eſſe mulierculatum luxui: acriora ſexui illi vincula inìici oportere, maxime, quum omni exuta verecundia, auſae ſint cateruatim in publicum prodire: maiores eas nihil ſine auctore facere permiſiſſe, quippe vel in poteſtate patria, vel in manu & mancipio maritorum, vel in tutela agnatorum aliorumque conſtitutas: iam eas dominari non modo maritis, ſed & magiſtratibus. Refellit haec Valerius, Trib. plebis (t), & Catoni concedit, feminas nihil ſine auctore facere debere: ſeruitutem modo deprecatur: *Et vos*, inquit, *in manu & tutela, non in ſeruitio, debetis habere eas, & malle patres vos, aut viros, quam dominos dici.* Itaque & hic manus ad patrem & maritum, tutela ad alios pertinet. BOETHII (u) locus tantum abeſt, vt tutelam maritorum legitimam confirmet, vt eam deſtruat vel maxime. Teſtatur quidem vir, antiqui iuris peritiſſimus, *mulieres, antiquo iure, tutela perpetua contineri conſueuiſſe:* ſed ſtatim addit: *Recedebant vero a tutoris poteſtate, quae in* MANVM *virorum conuenerant.* Non ergo per conuentionem in manum femina tranſibat in tutelam mariti, ſed in manum & poteſtatem eius, adeoque tunc potius exſpirabat tutela. Quum enim ſic capite minueretur vxor, ac proinde *caput liberum* eſſe deſineret (x): non magis profecto ei opus erat tutore, quam arrogatae, aut ancillae, vel ſeruae. Ab honeſta enim ſeruitute parum abeſſe videbatur conditio mulieris confarreatae, vel coemtae, vel vſucaptae, de qua VIRGILIVS (y).

Liceat Phrygio ſeruire marito.

Et quibuſdam interiectis (z):

Connubia noſtra
Reppulit, & DOMINVM *Aeneam in regna recepit.*

Quae verba eleganter interpretatus SERVIVS; *Hic*, inquit, *coemtionis ſpeciem tangit poeta. Quoniam, coemtione facta, mulier in poteſtatem viri cedit, atque ita ſuſtinet* CONDITIONEM LIBERAE SERVITVTIS. Denique & poſtremus ISIDORI (a) locus, qui pro legitima maritorum tutela ad partes poſſet vocari, rem non conficit, quia ibi per *viri auctoritatem* non intelligitur eius tutela, ſed, vti res

(t) Liu. *XXXIV*. 7.
(u) Boeth. *ad Cic. Top. CXI.*
(x) §. 1. *Inſt. quibus mod. tut. fin.* l. 14. *pr.* §. 1. *ſeq. ff. de tut.*
(y) Virg. Æn. *IV. v.* 103.
(z) Idem *ib. v.* 213.
(a) Iſid. *Hiſpal. Orig. XI. extr.*

Digitized by Google

res verbis proxime antecedentibus exprimitur, *poteſtas*, nec in mariti tutela perpetua vxorem eſſe ſcribit, ſed *in tutela* tantum, id eſt, vel agnatorum, vel aliorum, qui eam tutelam iure adquiſiuerant.

§. XIX.

An vir aliquando vxoris tutor vel curator fuerit, quamuis non legitimus?

Quamuis vero ex his omnibus, quae hactenus diſſeruimus, nemini dubium eſſe poſſit, quin Romani legitimi vxorum ſuarum tutores numquam fuerint: non ideo tamen negauerimus, eos aliquando illarum tutelam alio titulo ſuſcipere potuiſſe. Nam primum maritus poterat eſſe tutor datiuus ante nuptias, quam tutelam eum deinde continuaſſe non dubitamus, quia tum nondum exſtabat lex, quae maritum tutorem eſſe prohiberet, quippe a Marco Antonino demum imperatore lata (b). Neque obſtat, mulierem nupturam dotem dare, dicere, promittere non niſi auctore tutore ſuo ſolitam eſſe (c), eaque in re maritum auctorem fieri in rem ſuam non debuiſſe (d). Iam enim lege Iulia & Papia cautum fuerat, *vt Praetor vrbis mulieri virginique, quam ex ea lege nubere oporteret, ad dotem dandam, dicendam, promittendamue tutorem daret, ſi legitimum tutorem pupillum haberet* (e): Idque deinde variis SC. prolatum eſſe ad alios caſus, quibus tutor ordinarius eam in rem auctor fieri non poſſet, diſerte docet VLPIANVS (f). Quidni ergo & tunc tutor dari potuiſſet ad dotem dandam, dicendam, promittendamue, ſi ipſi tutori pupilla vel adulta nubere vellet? Sane ſi iam inde ab vrbis origine inter tutorem & mulierem, eius tutelae ſubiectam, ius connubii nullum fuiſſet: quid opus fuiſſet nouo SCto, his nuptiis oppoſito? Deinde quum ſupra demonſtratum ſit, tutorem legitimum potuiſſe tutelam alii extraneo cedere: (§. XII.) quidni eam cedere potuerit marito? Tunc vero maritus fuit tutor ceſſitius uxoris ſuae, & loco legitimi tutelam ſuſcepit, quamuis non fuerit legitimus. Vt paucis omnia complectamur, quum tutor eſſe poſſit, quiſquis obeundo muneri publico eſt idoneus, & nec impeditur, nec lege prohibetur tutor eſſe: nihil impedit, quo minus & maritus vxori ſuae tutor dari potuerit. Et quamuis non adſentiamur quibuſdam, qui Ciceronem tutorem cum Publicia in matrimonio vixiſſe exiſtimant, quum teſte PLVTARCHO (g) ille non Publiciae tutor fuerit, ſed *ἣν κόρην οὖσαν ἐν πίστει κληρονόμος ἀπολειφθεὶς* dia-

(b) *l. 59. ff. de R. N.*
(c) Cic. *pro Flacc. Cap. XXXIV.*
(d) §. 3. *Inſt. de auct. tut.*
(e) Vlp. *Fragm.* XI. 20.
(f) Vlp. *ibid.* §. 21.
(g) Plut. *in vita* Cic. *p.* 881.

διαφυλάττων, *bona eius tamquam heres fiduciarius cuſtodiuerit*, adeoque eo exemplo vti non poſſimus : haut raro tamen tutores datos eſſe maritos, vel ideo admodum veroſimile eſt, quod poſtea tam ſeueris legibus hanc tutelam aboleuerint M. Aurel. Antoninus & Commodus, Imperatores : leges vero & iura, quod recte monet CELSVS (gg), *ad ea potius aptentur, quae & frequenter, & facile, quam quae perraro eueniant.*

§. XX.

Senatus conſultum, ne tutor eiuſue filius vxorem duceret feminam, quam tutela regat.

Sed certiſſimum eſt, demum ad omnem tutelam curamque vxoris aditum interclusum eſſe marito, oratione M. Antonini, grauiſſimi prudentiſſimique principis, quam ſingulari commentario a IVLIO PAVLLO illuſtratam eſſe nouimus (h), qui & orationis iſtius & SCti in eius ſententiam facti ſanctionem his verbis expreſſit (i) : *Senatusconſulto, quo cautum eſt,* NE TVTOR PVPILLAM VEL FILIO SVO, VEL SIBI, NVPTVM COLLOCET, *etiam nepos ſignificatur* : quamuis alibi SCti ſententiam paullo plenius ita deſcribat (k) : *Non eſt matrimonium, ſi tutor vel curator pupillam ſuam intra viceſimum & ſeptimum annum, non deſponſam a patre, nec teſtamento deſtinatam, ducat vxorem, vel eam filio ſuo iungat. Quo facto vterque infamatur, & pro dignitate pupillae extra ordinem coercetur. Nec intereſt, filius ſui iuris, an in poteſtate patris ſit.* Non iam diſquiremus operoſius, an interpolatus ſit hic locus, eaque, quae de curatore ibi habentur, inter Triboniani emblemata referri oporteat? Nihil enim eſſe, quod id credere nos cogat, iam ſupra aduerſus RAEVARDVM & WISSENBACHIVM oſtendimus. (§. XVI.) Potius, quae fuerit huius tam ſeuerae prohibitionis ratio, operae pretium fuerit cognoſcere. Pleraeque puellae Romanae adhuc impuberes deſpondebantur, quin & nubebant. Hinc M. Valerius Anicetus apud GRVTERVM (l) monimentum ponit ſponſae, Valeriae M. F. Fortunatae, quae vixerat ANNOS VIII. MENSES VIII. DIES XVIII. Et apud CORN. NEPOTEM (m) Auguſtus natam ex Agrippa & Attici filia puellam, *vix aniculam, Claudio Neroni, Druſilla nato, priuigno ſuo, deſpondit.* Quin apud eumdem GRVTERVM (n) exſtare exempla vxorum adhuc impuberum, docuit DN. PRÆSES (o), apud quem &

(gg) *l. 5. ff. de legib.*
(h) *l. 60. ff. de R. N.*
(i) *l. 59. eod.*
(k) *l. 66. eod.*
(l) *Grut. Inſcr. p. DCCCXXXVII. 2.*
(m) *Nep. in Attic. C. XIX.*
(n) *Grut. Inſcr. p. DCCLXXXVIII. 8. p. DCCCXV. 13. p. DCCCXXIV. 1.*
(o) *Comment. ad L. Iul. & Pap. II. 5. 2. pag. 183. ſeqq.*

Digitized by Google

& vxorem ſeptem annorum reperimus in inſcriptione, a FABRETTO (p) deſcripta:

SEPTEM. ME. NATAM.
ANNORVM. GREMIO.
IPSE. RECEPIT. XL.
ANNOS. NATA. NECIS. POTIOR.

Cautum quidem fuerat lege Iulia & Papia, *ne quis ſponſam decenni minorem haberet, deſponſam vero quiſque intra biennium domum duceret* (q). Sed id non in eam partem accipiendum eſt, ac ſi illa cum immaturis inita ſponſalia ipſaque matrimonia prohibita fuiſſent: ſed ſenſus tantum eſt, eos, qui immaturas ſibi deſponderi paſſi eſſent, vel eas domum duxiſſent, praemiis maritorum ſponſorumque non fruituros. Hinc multo poſt illam legem docet MODESTINVS (r), *in ſponſalibus contrahendis aetatem contrahentium definitam non eſſe, vt in matrimoniis, ac proinde a primordio aetatis ſponſalia effici poſſe, ſi modo id fieri ab vtraque perſona intelligatur, id eſt, ſi non ſint minores ſeptem annis.* Quin & nuptiae cum impuberibus frequenter & poſt legem Iuliam & Papiam fiebant, at *minor annis duodecim nupta*, teſte POMPONIO (s), tunc *demum legitima vxor fiebat, quum apud virum expleſſet annum duodecimum*: a quo tempore & vir dotem petere (t), ipſaque legatum in tempus, cum nupſerit, relictum exigere poterat (u). Quum itaque tantilla aetate deſponderentur nuberentque Romanae puellae: verendum ſane erat, ſi in tutoris eiuſque filii torum venirent, ne tutor, huius inauſpicati matrimonii obtentu, reddendarum rationum onere ſeſe eximeret, atque ita fortunis euolueret miſeram mulierem, mox fortaſſis eiiciendam toro, triſtiſſimumque audituram carmen (x):

Collige ſarcinulas, dicit libertus, & exi.
Iam grauis es nobis, & ſaepe emungeris, exi
Ocyus, & propera, ſicco venit altera naſo.

Proſpiciendum itaque videbatur feminis, ne a maritis tutoribus ſpoliarentur, ab iiſque redigerentur ad mendicitatem, quorum vel maxime erat curare, vt res ipſis ſalua eſſet. Id vero non certius ſe conſequuturum ſperabat princeps incomparabilis, quam ſi & tuto-

(p) Fabret. *Inſcr. cap. V. p.* 421.

(q) Dio Caſſ. *lib.* LIV. *p.* 531. Suet. Aug. *cap. XXXIV.*

(r) *l.* 14. *ff. de ſponſ.*

(s) *l.* 4. *ff. de R. N.*

(t) *l.* 68. *ff. de iur. dot.*

(u) *l.* 17. §. 1. *ff. de reb. auct. iud. poſſ. l.* 74. *ff. de iur. dot. l.* 10. *pr. ff. de condit. & dem.*

(x) Iuuen. *Sat. VI. v.* 143.

tutorem, curatoremue, & eorum filium, a pupillae nuptiis penitus arceret, niſi prius ille redditis rationibus, tutela curaue ſe abdicaſſet.

§. XXI.

Illud productum eſt ad caſum, ſi maritus vxoris ſuae curam poſt nuptias ſuſcipere vellet.

Quamuis vero de eo tantum tutore loqueretur illa Marci Antonini & Commodi oratio, qui iam tempore nuptiarum tutelam gereret: non alienum tamen hoc ab eiuſdem ratione futurum exiſtimabant Principes, ſi hoc ius & ad tutelam, curamue, conſtante iam matrimonio ſuſceptam geſtamque, porrigerent. Diſcimus hoc ex GALLIENI & VALERIANI reſcripto (y), quo Epagatho neſcio cui reſpondent, *licet orationis ſub D. Marco habitae* VERBA *deficiant, eum tamen, qui poſt contractas nuptias, nurui ſuae curator detur, excuſare ſe debere, ne manifeſtam eius orationis* SENTENTIAM *offendat, & labem pudoris contrahat.* Et iam ante haec tempora hanc legis poenam incurriſſe legimus Agathodaemonem quemdam, qui quum infamia ideo notatus, ad ANTONINVM CARACALLAM confugeret, ab eo hoc reſcriptum retulit (z): *Ampliſſimi ordinis conſulto, qui pupillam ſuam vxorem ducit, nuptias contrahere non intelligitur, & tamen infamis conſtituitur. Sed ſi tu Demetriae, quum eam in matrimonio haberes, abſens & ignarus curator conſtitutus es, potes eſſe ſecurus, dum tamen alius ſubſtituatur. Non debet enim ignorantia maritorum ampliſſimi ordinis conſulto fraus quaeri.* Denique generatim conſtituit ALEXANDER SEVERVS (a), *maritum, etſi rebus uxoris ſuae debeat adfectionem, tamen curatorem creari ei non poſſe.* Id quod adeo expediti iuris videbatur, vt virum vxori, mente captae, curatorem dari poſſe, neget PAPINIANVS (b). In omnibus quidem his legibus curatoris tantum mentionem fieri animaduertimus. At quamuis tutelae eadem procul dubio fuerit ratio, eius tamen veſtigium relinquere ideo ſuperuacuum duxerunt Tribonianus eiuſque συνεργοὶ, quod tutela adultarum iam exoleuiſſet temporibus Iuſtiniani.

§. XXII.

Ne ſublata quidem perpetua illa feminarum tute-

Nimirum ab eo tempore, quo tutela illa muliebris plane euanuit, (quod non adeo diu ante Iuſtiniani tempora contigiſſe arbitramur,) non amplius quaeſtio moueri poterat, an vxor in tutela mariti viuere poſſet? ſed an eius curam ſuſcipi a marito, fas eſſet? Sane & iure veteri curatoribus indigent vxores minoren-

(y) *l. 37. C. de exc. tut.*
(z) *l. 4. C. eod.*
(a) *l. 2. C. qui dar. tut. vel cur. poſſ.*
(b) *l. 14. ff. de cur. fur. & al. extra min. dat.*

rennes, non modo ob bona receptitia, ceu ſibi perſuaſerunt FR. HOTOMANVS, MYNSINGERVS & WESENBECIVS (c), ſed ob paraphernalia quoque, quorum nonniſi ex pacto ad maritum pertinet adminiſtratio iure veteri, nouoque tantum paraphernalium, quae vxor maiorennis non excepit, adminiſtratio viro committitur (d), ceu luculenter demonſtrauit ARN. VINNIVS (e). Nihilominus tamen & hac cura maritos excluſit IVSTINIANVS (f), cuius ex ſententia *maritus, vxori ſuae curator datus, excuſare ſe poteſt, licet ſe immiſceat.* Quae quidem verba ita concepta ſunt, vt non videantur maritum a cura vxorum excludere, ſed ei tantum facere arbitrium, eane excuſatione vti, an curatoris munus obire malit. Sed vere neceſſaria eſt haec excuſatio, ceu ſuperiore paragrapho demonſtrauimus, nec rarum eſt, *poſſe* in iure noſtro & apud alios melioris aeui ſcriptores accipi pro *oportere, debere, cogi,* ceu poſt IAC. CVIACIVM (g) ad Paulli receptas ſententias, in quibus frequentiſſima eſt haec verbi notio, multis exemplis demonſtrauit CONR. RITTERSHVSIVS (h). Senſus ergo & hic eſt, maritum non modo excuſare ſe *poſſe* a cura vxoris, ſed & *debere,* ſi ſaluam velit eſſe exiſtimationem ſuam, quamuis nec THEOPHILVS rem ſatis expreſſerit, dum ſcripſit: ἰχνευτεύθη τις τῆς ἰδίας γαμετῆς κουράτωρ δύναται κεχρῆσθαι ἐξκουσατίονι. *Vxori ſuae quis datus eſt curator: excuſatione vti poteſt.* Sed ſimili fere loquutione vtuntur auctores noſtri de iis, qui excuſantur ob inimicitias capitales (i), litem cum pupillo (k), caecitatem, ſurditiem, furorem (l), quum tamen has omnes cauſſas eſſe neceſſarias, & volentibus etiam ſuſcipere tutelam obſtare, inter omnes conſtet (m).

la, maritus curator vxoris minorennis eſſe potuit.

§. XXIII.

Sed plura iam non addimus ex iure Romano, quia vel ex his ſatis ſuperque intelligitur, morem iſtum, quo paſſim hodie vxores in legitima maritorum cura eſſe animaduertimus, non eſſe ex iure Romano, ceu GREG. THOLOSANVS, SCIPIO GENTILIS & IO. SCHILTERVS exiſtimarunt, quin iure vetere ne fieri quidem potuiſſe, vt maritus eſſet tutor vel curator vxoris ſuae legitimus, quam-

Concluſio, Romanos tutelam curamue maritalem, qualis hodie obtinet, plane ignoraſſe.

(c) Hotom. Mynſ. & Woſenb. *ad §. 19. Inſt. de excuſ.*

(d) *l. 8. & l. vlt. C. de pact. conu.*

[e] Vinn. *ad §. 19. Inſt. de excuſ. n. 1.*

[f] §. *cit. Inſt.*

[g] Cuiac. *Obſ. XXI. 12.*

[h] Rittersh. ad Paulli *Rec. Sent. IV. 14. 1.*

[i] §. *11. Inſt. l. 6. §. 17. ff. de excuſ.*

[k] *l. 20. ff. eod.*

[l] *l. 1. C. qui morb. ſe exc.*

[m] *l. 3. §. 12. ff. de ſuſp. tut. l. 17. C. de exc. tut.*

quamuis fortaſſis aliquando vel datiuus, vel ceſſitius eſſe poſſet: denique nec ad datiuam vel ceſſitiam tutelam viam patuiſſe marito poſt SC. ſub M. Antonino factum, nec ad curam vxoris minorennis, ſublata illa tutela mulierum perpetua, adeoque fruſtra eſſe, qui curae maritali hodiernae lucem foenerare ex iure Romano conantur.

Cap. II.

DE TVTELA VEL CVRA MARITALI SECVNDVM PRINCIPIA IVRIS GERMANICI.

§. I. *Tranſitio ad ius Germanicum.* §. II. *Illo ignorabatur diſcrimen inter tutelam & curam.* §. III. *Vxor iure vetere Celtico in poteſtate vel tutela mariti.* §. IV. *Idque ob coëmtionem, qua ſibi adquirebant vxores Celtae.* §. V. *Communio bonorum huic tutelae maritali non obſtabat.* §. VI. *Tutela maritalis praeſidium reperit in legibus vetuſtis Germanorum.* §. VII. *Itemque in chartis & formulis.* §. VIII. *Eadem firmata iure Saxonico,* §. IX. *Suenico,* §. X. *Normannico;* §. XI. *variis ſtatutis Germaniae,* §. XII. *Galliae,* §. XIII. *Belgii,* §. XIV. *Italiae,* §. XV. *aliarum originis Germanicae gentium.* §. XVI. *Effectus huius tutelae olim vſusfructus bonorum vxoris.* §. XVII. *Libera alienatio ſine conſenſu vxoris.* §. XVIII. *Nihil neque in iudicio, neque extra illud valide ſine mariti conſenſu actum.* §. XIX. *Ius Romanum in Germania receptum alibi hanc tutelam excluſit.* §. XX. *Alibi plane mutauit in curam.* §. XXI. *Quomodo hodie maritus vxoris curator fiat in Saxonia?* §. XXII. *Quomodo aliis locis?* §. XXIII. *Quanta eius poteſtas in Saxonia?* §. XXIV. *Quanta alibi?* §. XXV. *Quid vxor ſine curatore poſſit in Saxonia?* §. XXVI. *Quid extra illam?* §. XXVII. *Effectus quidam veteris iuris etiamnum ſuperſtites.* §. XXVIII. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Tranſitio ad ius Germanicum.

SAtis diu, & diutius fortaſſis, quam opus quibuſdam videbitur, nos tenuit iuris veteris Romani contemplatio, & tamen, quod ſaepe contingit peregrinantibus, inanes redimus domum. Fruſtra ergo in vniuerſo Latio quaeſita illa mulierum tutela vel cura, cuius veſtigia expreſſiſſima in foris Germaniae deprehendimus, a calce

calce veluti ad carceres reuocamur, nouumque nobis imponi laborem animaduertimus, per antiquitates Germanicas excurrendi, diſpiciendique, an in iis reperire liceat iuris huius maritalis origines? Ne vero in tanta rerum praeſtantiſſimarum vbertate ac multitudine extra orbitam vagemur; nihil ex inſtituto dicere decreuimus de tutela curaue mulierum innuptarum ac viduarum in Germania, quum ea de re ſatis multa ab aliis, inprimis WIBELIO (a), GE. BEYERO (b), & V. C. EV. OTTONE (c) dicta ſint, ſed de maritorum tantum ſiue tutela ſiue cura legitima, eo ordine diſſeremus, vt explicatis priſci iuris Germanici principiis, eas, quae hodienum paſſim agnoſci videmus, concluſiones ad ea cum cura reuocemus.

§. II.

Illo ignorabatur diſcrimen inter tutelam & curam.

Non autem, vt opinamur, cuiquam mirum videbitur, adeo hic fluctuare ſtilum, nec ſatis nobis conſtare, tutorum, an curatorum nomen maritis in Germania ſit concinnius. Totum enim illud tutelae ac curae diſcrimen, quod tam anxie ius noſtrum inculcat, ex iure Romano eſt, cuius ſubtilitates plane ignorarunt maiores noſtri, candidae ſimplicitatis, vti in reliquis negotiis, ita in iure ac legibus ſtudioſiſſimi: Non iam id pluribus demonſtrabimus, quum otium nobis fecerit Vir, quem paullo ante laudauimus, doctiſſimus GE. BEYERVS (d), & illuſtris academiae noſtrae Cancellarius, IO. PETR. A. LVDEWIG (e), cui nos ad perpoliendas vtriuſque iuris differentias vitam longaeuam, & inconcuſſum in vegeta ſenectute animi corporiſque robur ex animo precamur. Si non alia ſuppeterent argumenta, vel id vnum rem omnem conficeret, quod ne vocabula quidem habuerint veteres Germani, quibus tutorum curatorumque officia diſcernerent: ſed omnes, qui vel pupillorum, vel adultorum, vel mulierum curam ſuſcepiſſent, communi nomine vocarent MVNDWALDOS (f), CVSTODESVE, GVARDIANOS (g), TVTORES (h), vel VORMVNDER (i), BAIVLOS (k), ADVOCATOS vel (l) VOIGTE, ipſam vero

[a] Wibel. *de Contract. fem.*

[b] Ge. Beyer. *Poſit. Iur. Germ. lib.I. cap. XXVII.*

[c] Eu. Otto *de perp. fem. tut. cap.* II.

[d] Beyer. *diſſ. de tut. & cur. different.*

[e] Ill. a Ludew. *Differ. Iur. Rom. & Germ. in tut. Diff. II. p.* 1075. *Tom. II. Opuſc.*

[f] *Leg. Langob. I. 16. 8. & l. 17. 5.*

[g] Io. Cowell. *Inſt. iur. Angl. I.* 13. 1. & *l.* 23. 1.

[h] *Lex Sax. VII.* 2. 3.

[i] *Ius Prou. Sax. I.* 23. *Ius Sueu. art.* 27.

[k] Choppin. *de Morib. Andeg.* II. 2. *p.* 65.

[l] Mager. *de Adtioc. arm.* C. *II. n.* 200. *ſequ.*

vero tutelam generatim eſſe dicerent *poteſtatem* tum in perſonam, tum in res eius, qui illi ſubeſſet. Hinc pleraeque leges veteres *in poteſtate virorum eſſe*, aiunt, vxores (m) dum eas virorum tutela teneri docent. Quin ipſum vocabulum MVND vel MVNDIVM, quod veteribus tutelam notabat, & vnde vocabula MVNDWALDVS, MOMBOIR, VORMVND, manifeſto oriuntur, nihil aliud ſignificauit maioribus, quam poteſtatem. Nimirum *mund* Germanis os etiamnum notare, nemo ignorat. Quum vero ad eius, qui poteſtatem in alterum habet, officium pertineat, ei ore praecipere, eumdemque verbis defendere; vſu demum inualuit, vt qui eſſent in poteſtate, *in ore* vel *verbis* alicuius *eſſe* dicerentur. LEX SALICA (n): *Si pupilla, quae trahitur, in* VERBIS *regis fuerit.* Et inferius (o): *Rex eum extra* SERMONEM *ponet*, id eſt, vti PITHOEI GLOSSAE interpretantur, *extra mundiburdem.* Similia ſunt apud GREG. TVRONENSEM (p), MARCVLFVM alioſque, apud quos paſſim legas: *Sicharius in eius verbo poſitus: in ſermone & mundeburde cuius quietum reſidere*: & huius generis alia (q). Eadem vero notio eſt vocabuli *mundii*, quod modo poteſtatem, modo tutelam & tuitionem notat. Hinc ODFRIDVS WEISENBVRGENSIS (r): *Von Godt er munzi haben mund*, i. e. *A Deo oportet habere poteſtatem*: Et BVRCARDVS (s): *Rapuiſti vxorem tuam, & vi, ſine voluntate mulieris, vel parentum, in quorum mundebundio tenebatur, illam abduxiſti.* Plura eius generis collegerunt VOSSIVS (t), CAR. DV FRESNE (u), aliique gloſſariorum ſcriptores, qui ſimul docent, *amond* eſſe hominem ſui iuris (x), *mundialem*, qui ſub poteſtate & tutela eſt (y), *iamundling* vel *gemundling*, qui ſe bonaque ſua Epiſcopi vel Abbatis poteſtati, vt militiam effugeret, permiſerat (z): *mamburnire*, in tutelam & poteſtatem recipere. Vt facile pateat, ignotum Germanis fuiſſe ſubtile poteſtatis, tutelae ac curationis, diſcrimen, ac proinde iis modo liberos in *mundio* & poteſtate parentum (a), modo eccleſias in *mundio* vel *mundeburdio* principum (aa), modo pupillos & minores

[m] *Lex Wiſig. IV. 2. 15.*
[n] *Lex Salica XIV. 5.*
[o] *Eadem. LIX. 1.*
[p] Greg. *Tur. Annal. IX. 19.*
[q] Eccard. *ad Leg. Sal. p. 34.*
[r] Odfrid. *praeſ. Euang.*
[s] Burcard. *Decret. XIX. p. 268.*
[t] Voſſ. *de Vitiis Serm.* II. 12. *p.* 227.
[u] Car. du Freſne *Gloſſ.* voce *mundeburde.*
[x] *Lex Longob. II. 2. 34.*
[y] Flodoard. *Hiſt. Rhemenſ. II. 19.*
[z] Voſſ. *ubi ſup. p.* 258.
(a) Burcard. Wormat. *ibid.*
(aa) *Chron. Laurish. apud* Freher. *Tom. I. Script. Rer. Germ. p.* 59.

Digitized by Google

res in *mundio* tutorum (b), modo vxores in poteſtate, tutela & *mundio* virorum (bb) fuiſſe, quemadmodum hodienum paſſim curatores aeque ac tutores *Vormündere*, & minores non minus, quam impuberes, *vnmündige* & *pflegbefohlne* adpellari animaduertimus.

§. III.

Vxor iure vetere Celtico in poteſtate vel tutela mariti.

Vt rem ab ouo ordiamur, neminem arbitramur dubitaturum, quin eadem fuerit Germanorum ac Gallorum origo, populique hi omnes, vna cum Britannis & Hiſpanorum parte, communi Celtarum vel Celto-Scytharum nomine venerint (c), ritusque prope eoſdem coluerint, antequam priſci illi Gallorum Hiſpanorumque mores conſuetudine Romanorum contaminarentur. In promtu ſunt teſtimonia DIODORI SICVLI (cc), DIONIS CASSII (d), & STRABONIS (dd) in primis, qui de vniuerſis ad boream gentibus: ἅπαντας μὲν δὴ τὺς προσβόῤῥυς, κοινῶς δὲ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων συγγραφεῖς Σκύθας καὶ Κελτοσκύθας ἐκάλουν. *Veteres Graecorum ſcriptores vniuerſos ſeptentrionales Scytharum & Celtoſcytharum nomine vocarunt.* Apud hos ergo populos tantum non omnes eadem & communis illa erat vxorum conditio, vt in poteſtate ac tutela maritorum eſſent, quamuis bona omnia, quae vel ſub auſpicia nuptiarum poſſidebant, vel conſtante matrimonio adquiſiuerant, communia pro indiuiſo haberent. De Gallis CAESAR (e): *Viri*, inquit, *quantas pecunias ab vxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex ſuis bonis, aeſtimatione facta, cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur, fructusque ſeruantur. Vter eorum vita ſuperauit, ad eum pars vtriusque cum fructibus ſuperiorum temporum peruenit. Viri in vxores, ſicuti in liberos, vitae necisque habent poteſtatem.* Ita apud Gallos ſaltim bona, quae contulerant, cum adquaeſtu, erant communia, & femina nihilominus in perpetua mariti poteſtate ac tutela, eaque rigidiſſima, conſtante matrimonio, viuebat. Nec alii erant Germanorum mores, de quibus TACITVS (f): *Ne ſe mulier extra virtutum cogitationes, extra bellorum caſus, putet, ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admonetur, venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in praelio paſſuram auſuramque. Hoc iuncti*

(b) *Lex Langob.* II. 34. 4.
(bb) *Lex Langob.* II. 55. 2.
(c) Cluuer. *Germ. Ant.* I. 2. & 3. Io. Picard. Celtopaed. L. III. p. 92. ſequ.
(cc) Diod. Sic. *lib. V.*
(d) Dio Caſſ. *lib. XXXIX.*
(dd) Strabo *Geogr. XI. p.* 507.
(e) Caeſar *de Bell. Gall. VI.* 19.
(f) Tacit. *de mor. Germ. cap.* XVIII.

iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. Sic viuendum, ſic pereundum. Haec ſane non modo ad vitae conſortium & communia vtriuſque coniugis fata, ſed & ad bonorum communionem pertinere, recte obſeruarunt GROTIVS (g), CHR. RODENBVRGIVS (h), aliique, qui Tacitum illuſtrarunt, viri doctiſſimi. Nec ſcio, an poteſtatis maritalis luculentius poſſit eſſe argumentum, quam quod idem TACITVS (i) *adulterii poenam*, eamque ſatis acrem, *praeſentem & maritis permiſſam*, teſtatur. Eam vero poteſtatem non diſtinctam fuiſſe a tutela, ex iis, quae paullo ante obſeruauimus, ſatis adparet, vt bene rem omnem perſpexerit BEYERVS (k), obſeruans, *poteſtatem Germanis conſtanter adpellari Vormundſchafft, quae penes patres, maritos & tutores eadem fuiſſe, & in iure vſusfructus, atque obligatione alterum alendi conſtitiſſe, videatur.*

§. IV.

Idque ob coëmtionem, quam ſibi adquirebant vxores Celtae.

Si quis ex nobis quaerat, qui factum ſit, vt tantam viris in vxores poteſtatem permitterent Celtae, qua maiore vix domini in ſeruos vtantur: ei nos veterem nuptiarum ritum, Celtis paene omnibus communem, in memoriam reuocaremus. De Germanis generatim TACITVS (l) memoriae prodidit, *maritum ibi vxori obtuliſſe dotem, interfuiſſe parentes & propinquos, & munera probaſſe, munera, non ad delicias muliebres quaeſita, nec quibus noua nupta comatur: ſed boues & fraenatum equum, & ſcutum cum framea gladioque. In haec munera vxorem acceptam, atque ipſam armorum aliquid viro obtuliſſe.* Veram hanc fuiſſe coemtionem, nemo, vti ſperamus, dubitabit, neque quiſquam nobis obuertet illud iurisprudentiae Romanae ſcitum, pretium in emtionis venditionis contractu nonniſi in pecunia numerata conſiſtere poſſe (m). Non mirum ſane, ſi Germani, etiam ignari iſtius diſputationis, in caſtra Sabinianorum tranſierint, iiſque pecorum numerus pro diuitiis, permutatio mercium pro emtione fuerit (n), quemadmodum & apud HOMERVM (o), nondum pecunioſo ſaeculo, Antinous Vlyſſen optans generum, non pecunias promittit, ſed οἶκον καὶ κτήματα, *domum & poſſeſſiones*, & Andromacha apud eumdem

(g) Grot. *de Antiqu. reip. Batau.* C. II.
(h) Rodenb. *de iure coniug. Praelim.* §. III. *ſeq. p. 6.*
(i) Tacit. *de mor. Germ. cap.* XVIII.
(k) Beyer. *Spec. iur. Germ.* III. 10. 14.
(l) Tac. *ibid. cap.* XVIII.
(m) §. 2. *Inſt. de emt. vend.*
(n) Tacit. *de mor. German. cap.* V.
(o) Homer. *Odyſſ.* VII. *v.* 314.

dem (p) ideo vocatur, πολύδωρος, quod vel magnis muneribus ab Hectore coempta ſit, vel magna ei munera dotis loco attulerit. Manſit & poſteris diligens huius priſci moris cuſtodia. Nam nulla fere fuit gens Germanicae aut Scythicae originis, quin ſibi vxores coemtione quaeſiuerit. De Gothis, populo Scythico, id teſtatur POMPONIVS MELA (q), de gentibus borealibus SAXO GRAMMATICVS (r). Quin eadem conſuetudo in Leges Germanorum poſtea migrauit. Nam apud VISIGOTHOS (s) lex iuſſit, *dato pretio, ſicut conſuetudo eſſet, & ante teſtes facto placito, de futuro coniugio fieri definitionem.* FRANCI, ceu ex FREDEGARIO (t) & FORMVLA BIGNONIANA (u) patet, mulieres ſibi deſpondebant, *oblato ſolido & denario.* Apud SAXONES *vxorem ducturus trecentos ſolidos parentibus dabat* (x); apud LANGOBARDOS *metham*, id eſt, donationem (y), apud BVRGVNDOS *pretium* (z). Vbique vero apud Germanos coemtione fiebant nuptiae; & quamuis & ſponſa aliquid muneris offerret ſponſo, praecipue tamen maritus vxorem ſibi oblato pretio comparabat. Quid ergo mirum, ſi vxores, ſuo aere coemtas, in poteſtate ſua eſſe cenſuerint, in eaſque ſibi omnia permiſerint, quum, vt ait MARTIALIS (a).

Id, quod emas, poſſis dicere iure tuum?

§. V.

Communio bonorum huic tutelae maritali non obſtabat.

Videri poſſet tutela vel poteſtas tam rigida parum conuenire arctiſſimae illi, quae inter coniuges Germanos coaluerat, ſocietati, bonorumque omnium, quae Germanis placebat, communioni. Quum enim arctiſſima quaedam amicitia ſit inter ſocios, quae, PVBLIO SYRO teſte, *pares aut accipit, aut facere ſolet*, quamque ICti noſtri fraternae neceſſitudini comparare non dubitarunt (b): quis cum illa aequalitate conſiſtere poſſe exiſtimet maritale illud imperium? Enimuero, quum iura Germanorum veterum ad legum Romanarum decempedam non ſint exigenda, & nihil impediat, quo minus inter ſocios quoque & amicos quaedam ſit inaequalitas, ſaepe denique contingat, vt inter principes

(p) Idem *Iliad.* VI. *v.* 394.
(q) Pompon. Mela *de Situ orbis* II. 1.
(r) Saxo Grammat. *Hiſt. Dan. lib.* VIII. *p.* 154.
(s) *Lex Viſigoth.* III. 4. 2.
(t) Fredegar. *cap.* XVIII.
(u) *Formula Bignon. poſt Marculf. p.* 219.
(x) *Lex Sax. tit.* VI. 1. VII. 3. *ſeqq.* & XVIII.
(y) *Lex Langob.* I. 5.
(z) *Lex Burg.* XIV. 3. & XXXIV.
(a) Martial. *Epigr.* II. 20.
(b) *l.* 63. *pr. ff. pro ſoc.*

cipes etiam, qui ob eumdem finem ſocietatem ineunt, inaequale aliquod foedus emergat: quidni idem locum habeat inter coniuges? In confarreatas vxores Romae poteſtatem non fuiſſe maritis minorem, quam patribus in filiasfamilias, eamque in ipſo iure vitae ac necis conſtitiſſe, iam ſupra obſeruauimus: (Cap.I. §. XIII.) & tamen eaſdem fuiſſe κοινωνὸς ἱερῶν τε καὶ χρημάτων, *participes & conſortes ſacrorum bonorumque*, diſerte teſtatur DIONYSIVS HALICARNASSENSIS (c). Si Romae κοινωνία iſta non obſtitit illi paene herili maritorum imperio: cur illud Germanis abrogemus viris, cordatioribus ſane, ſuaeque libertatis tenacioribus, quam vt fraena darent impotenti naturae, &, aduerſus arma viroſque intrepidi, a feminis ſe vinciri ac veluti in triumpho duci paterentur? Non tam graue illis erat, vxores in lucri partem admittere, quam eas ſibi aequales habere, quum veriſſimum eſſe ſcirent, quod Romanis necquidquam praedixerat CATO (d), *ſuperiores fore vxores, ſimul ac pares eſſe coepiſſent.*

§. VI.

Tutela maritalis praeſidium reperit in legibus vetuſtis Germanorum.

Quum ergo iam inde ab antiquiſſimis temporibus, ceu modo ex CAESARE & TACITO probauimus, ita comparata eſſent iuris Germanici principia, vt mariti vxores, quamuis vtriuſque fortunae omniumque bonorum participes, in manu tamen & poteſtate, id eſt, ſtilo Germanis proprio, in tutela legitima haberent: non temere dubitabit quiſquam, quin & poſteri haec principia ſemper ſequuti ſint. Nulla enim fuit gens, priſci moris patriarumque conſuetudinum tenacior, nulla, quae magis ab omni peregrino ritu olim abhorreret. Hinc & in legibus gentium Germanicarum, quas HEROLDVS & LINDENBROGIVS, aliique viri docti ediderunt, vbique occurrunt huius maritalis tutelae veſtigia. LEGIS WISIGOTHICÆ (e) ſcitum eſt, *virum vxorem ſuam habere in poteſtate*, & hinc eum per ſeruos quoque vxoris adquirere. Eaedem tamen leges, in quibus non, vt CVIACIVS (f) exiſtimat, fere omnia, ſed quaedam tantum ex iure ciuili petita ſunt, in eo a reliquis faciunt diuortium, quod vxorem pro ſe poſtulare patiantur, nec maritum eius nomine admittant, niſi, rem ratam habituram vxorem, cauerit (g). Id quod iuris Germanici antiqui principiis parum conuenire, facile vnuſquiſque animad-

(c) Dionyſ. Halic. *Ant. Rom.* L. II. p. 95.
(d) Cato *apud* Liu. *XXXIV.* 3.
(e) *Lex Wiſigoth.* IV. 2. 15.
(f) Cuiac. *Comment. ad* II. *Feud.* 2.
(g) *Lex Wiſig.* II. 3. 6.

Digitized by Google

nimaduertit. In LEGE BVRGVNDICA (h) deciditur cauſſa inter Fredegiſilum eiuſque ſponſam Aunegildem, quae, *quum poſt mariti prioris obitum in ſua poteſtate conſiſteret*, & Fredegiſilio deſponſata eſſet de parentum ſententia, Balhamodi amplexus adſectauerat. Quum itaque poſt prioris mariti obitum in ſuam poteſtatem, id eſt, in ſuam tutelam, perueniſſe dicatur Aunegildis: conſequens ſane eſt, vt, conſtante matrimonio priore, ſuae poteſtatis non fuerit, adeoque & apud Burgundos rigidior illa tutela maritalis obtinuerit. Quod multo luculentius demonſtratur ex legis illius additamento primo (i), vbi diſerte conſtituit legislator. *Quaecumque mulier Burgundica vel Romana voluntate ſua ad maritum ambulauerit, iubemus, vt maritus ipſe facultate ipſius mulieris, ſicut in eam habet* POTESTATEM, *ita & de rebus ſuis habeat.* En poteſtatem maritalem, quae non modo in vxoris perſonam, ſed & ad bona illius omnia, porrigebatur, quamque non aliam fuiſſe, quam veterem illam tutelam Germanorum maritalem, nemo, iuris Germanici veteris paullo peritior, dubitauerit. Nec alio pertinet locus hic iuris Alamannici (k): *Si femina ſub illo viro mortua fuerit, antequam illi* MVNDIVM *apud patrem adquirat, ſoluat eam patri eius CCCC. ſolidis.* Apud Alamannos ergo *mundium*, id eſt, tutela a patre rite & certo pretio erat redimenda. Si quis, inuito patre, vxorem duxiſſet, illa redhibenda erat cum mulcta X ſolidorum. Priuſquam id factum eſſet, ſi obiiſſet mulier: pretium illud nihilominus patri erat ſoluendum; immo non mulieris tantum, ſed & liberorum, quos ex ea ante redemtam tutelam ſuſceperat. Quin ſi quis alterius vxorem rapuiſſet, & liberos ex ea ſuſcepiſſet; antequam marito perſoluiſſet pretium: liberi iſti *non erant illius, qui eos genuerat, ſed ad illum priorem maritum* MVNDIO *pertinebat* (l). Legitima ergo quidem erat apud Alemannos maritorum tutela, ſed non gratuita, verum ſoluto pretio redimenda, ſi mariti liberos in poteſtate habere vellent. Idem paene apud SAXONES obtinuiſſe comperimus. Eorum enim lege antiquiſſima cauetur (m), *vt vxorem ducturus, CCC. ſolidos det parentibus eius, ſin ſine voluntate parentum, puella tamen conſentiente, ducta fuiſſet, bis trecentos ſolidos parentibus componeret. Si vero nec parentes, nec puella conſenſerit, id eſt, ſi per vim rapta fuerit: parentibus eius CCC. ſolidos, puellae CCXL.* compo-

(h) *Lex Burg.* LII.
(i) *Additam.* I. *Leg. Burgund. tit.* XIII.
(k) *Lex Alam.* LIV. I. *ſequ.*
(l) *Lex Alam. tit.* LI. *Leg.* II.
(m) *Lex Sax. tit. VI.*

Digitized by Google

componeret, eamque parentibus reſtitueret. Haec ad tutelam pertinere, eo minus dubitare licet, quod ex verbis ſequentibus patet, mortuo marito, viduam in tutelam filii ex priore vxore, eoue deficiente fratris mariti, vel ne eo quidem exſtante, proximi agnati perueniſſe, adeo, vt ne in alterius quidem torum concedere potuerit, niſi nouus maritus ſolutis CCC. ſolidis eam a tutore redimeret. Denique eodem pertinet caput legis iſtius notatu digniſſimum (n): *Lito Regis liceat vxorem emere, vbicumque voluerit, ſed non liceat vllam feminam vendere.* Licebat enim ei vxorem emere, quia tutelam ab alio, qui eam habebat, adquirere poterat: Vendere alii feminam ideo non licebat, quod non litus ſuarum filiarum aut cognatarum, ſed ipſe Rex, cuius in ſeruitute erat, earum tutelam haberet. Quibus per omnia fere ſimilia ſunt, quae LEGE FRISIORVM (o) ſancita reperimus. Nam ex huius quoque principiis, ſi quis virginem rapuiſſet, ſoluere ei tenebatur *Wergildum eius, ſiue nobilis, ſiue libera fuerit, ad ſatisfactionem, & ad partem Regis ſimiliter; tertium Weregildum patri ſiue* TVTORI *puellae.* Quod & eo caſu obtinebat, ſi quis feminam *extra voluntatem parentum eius, vel eorum, qui* POTESTATEM *eius habebant, vxorem duxiſſet* (p). Tunc enim tutori ſolidi XX. &, ſi nobilis eſſet femina, ſolidi XXX. erant ſoluendi. Quae omnia eo pertinebant, quod apud Germanos non magis, quam olim apud Romanos, quidquam poſſet de tutela parentum agnatorumque legitima, ſine eorum auctoritate & conſenſu, deminui, deminueretur autem plurimum, dum ex eorum poteſtate ac tutela femina in poteſtatem tutelamque maritalem tranſiret. At in nulla fere lege expreſſiora ſunt tutelae iſtius maritalis veſtigia, quam in LANGOBARDICA. Innumera fere ſunt loca, ex quibus diſcimus, feminas ab iis, quorum in poteſtate & tutela erant, ſollemni ritu & pro certo pretio traditas, in tutelam ſeu *mundium* maritorum tranſiiſſe. Sufficiat vnum inde decerpere (q), ſed qui ad rem maxime facere videtur, ROTHARIS REGIS: *Nulli mulieri liberae ſub regni noſtri ditione lege Langobardorum viuenti, liceat in ſuae poteſtatis arbitrio, id eſt, ſine* MVNDIO, *viuere, niſi ſemper ſub* POTESTATE *viri, aut poteſtate curtis Regiae debeat permanere.* Hinc recte CAR. COTTVS SICVLVS (r), NIC. BOERIVS (s), & ANDR. DE BARVLO (t) in gloſſis

(n) *Eadem VII.* 2. 3.
(o) *Eadem XVII.*
(p) *Lex Friſ. IX.* 3.
(q) *Eadem IX.* 4.
(r) *Lex Langob. II.* 10. 1.
(s) *Gloſſ. ad Leg. Langob. II.* 10. 1.
(t) Andr. de Barulo *in comment. ad Langob. Leg. IX. p.* 351.

Digitized by Google

ſis & commentariis ſuis ad legem hanc Langobardicam hic notant diſcrimen iuris Romani & Langobardici, quod quum illud vxores non patiatur in tutela vel cura mariti eſſe, ſecundum hoc ille ſit tutor vxoris legitimus, eaque tutela non, vti apud Romanos, gratuita, ſed cum multis commodis coniuncta ſit, adeo vt maritus ſuccedat vxori nomine mundii, partemque mulctae vel aeſtimationis, ob iniuriam vxori illatam, quam iſti *compoſitionem* vocabant, lucretur. Atque ita in legibus veterum Germanorum tantum non omnibus praeſidium reperit tutela illa maritorum legitima, quamuis in quibuſdam expreſſiora, in aliis, vti fieri ſolet, obſcuriora eius veſtigia ſuperſint, credo, quod earum conditores ſuperuacuum putarint, de re, vulgo notiſſima, multa verba facere.

§. VII.

Itemque in chartis & formulis.

Neque tamen exiſtimandum eſt, veteres tantum gentium Germanicarum leges tutelae illius, tamquam antiquae alicuius fabulae, & quae numquam in vſu fuerit, meminiſſe. Eiuſdem enim tutelae muliebris, ſiue maritorum, ſiue aliorum, diplomata etiam & formulae veteres, paſſim faciunt mentionem. Profert GOLDASTVS (u) chartam veterem Alamannicam, qua Cotauuina, *ancilla Dei*, monaſterio S. Galli tradit quaedam praedia ac mancipia, multis, vti ſolebant, teſtibus eam in rem adhibitis. Inter eos & tutor eius, ſi GOLDASTO credimus, ſignauit, nomine tamen non expreſſo. Ita enim ſeſe habet ſubſcriptio: *Hi ſunt teſtes, qui praeſentes fuerunt, & ſignauerunt: Sig. Cotauuinae, quae hanc traditionem fieri rogauit. Sig. Wichardi.* SIG. TVTO *ſign. Wotahar, ſig. Amalger. Sig. Theothald. ſig. Mairolt. ſig. Tuilo, ſig. Wolfberti. ſig. Aſthari. Ego itaque Albuinus Clericus, rogatus ab Cotauuina hanc cartam ſcripſi ſub die VII. Kalend. Octob. in anno I. regnante Carolomanno Rege.* Hinc notulam addit GOLDASTVS: *In hac charta illud obſeruatione non arbitror indignum, iure priſco Alamannorum feminas donaſſe ſine tutoris indicato nomine, quod iure tamen hodierno illorum exigitur, ſi vel donatum, vel legatum ratum eſſe debeat.* Qualia etiam addit V. C. EV. OTTO (x). Sed, ſi dicendum, quod res eſt; ſubſcriptio illa rem vix conficit. Nondum enim exploratum eſt, annon *Tuto* ſit nomen proprium teſtis, quemadmodum paullo poſt *Tuilo.*

(u) Goldaſt. *ad Doſith. Sent. Hadr.* II. *p.* 862. *edit.* Schulting. *& Script. Rer. Alam. Tom.* II. *p.* 26. *edit. nou.*

(x) Eu. Otto *de perp. Fem. tut.* II. 6. *p.* 237. *ſeq.*

Tuilo. Sicuti enim hodienum vulgus nomina propria contrahit; aut primis ſyllabis truncat: ita & veteres pro Bernardus dixere *Benno*, pro Burcardus *Bucco*, pro Eccardus *Ecco*, pro Eberardus *Ebbo*, pro Wichardus *Widdo*, ceu vir doctiſſimus GE. ECCARDVS (y) exemplis quamplurimis oſtendit. Quidni ergo pro Theodardus, Theodoldus, ſimilibuſque *Tuto* dixerint? Sane inter Epiſcopos Hauelbergenſes eſt quidam *Tudo*, & in anonymi Indice Nominum propriorum Alamannicorum apud GOLDASTVM (z) occurrunt etiam nomina *Toto*, Totto, *Toto*, *Tuato* & *Tuoto*. Itaque rarior quidem in diplomatibus tutoris mentio, quia pleraque diplomata vetera, quae ſuperſunt, non a priuatis, ſed a feminis illuſtribus, edita ſunt, has vero iam antiquiſſimis temporibus tutorum auctoritate non eguiſſe, ſi ſui eſſent, iam a V. C. IO. SCHILTERO (a), aliiſque obſeruatum eſt. Saepiſſime tamen animaduertimus, in diplomatibus etiam vxores illuſtres raro ſolas donatione alioue titulo quidquam in alium transferre, ſed ſemper id maritos vna cum vxoribus facere, quamuis eae fortaſſis primariae eius donationis cauſſae eſſent. Hinc formulae: *Ego in Dei nomine* EBERHARDVS, *Comes, & coniux mea* GEMELTRVDIS, *cedimus a die praeſenti*, &c. (b) Ego GERARDVS, *diuinae pietatis munere apud glorioſam Regalem manſuetudinem comitis honore ſublimatus, & communi voto & deſiderio dilectiſſimae coniugis meae, atque amantiſſimae*, BERTAE, *eo quod nobis pariter vnanimiterque, Domino inſpirante, complacuerit, vt de rebus noſtris & poſſeſſionum noſtrarum titulis perennem memoriam Domino, Deo noſtro, vbi laus eius aſſidue fieret, ſtatueremus, &c.* (c) Vt alia huius generis praetermittam, quae paſſim apud DACHERIVM (d), GVICHENONIVM (e), MIRAEVM (f), alioſque occurrunt. Quum vero ex eiuſmodi quoque chartis vix liqueat, virne vxori, an viro vxor conſenſerit: (nam & id moribus receptum erat, vt in alienationibus vxor filii filiaeque conſenſum interponerent,) magis huc pertinent chartae Caſaurienſes apud MABILLONIVM (g) & CAR. DV FRESNE (h), nec non alia

(y) Ge. Eccard. *Orig. Sax.* I. 11. p. 45.

(z) Goldaſt. *Script. Rer. Alam.* T. II. p. 109. *edit. nou.*

(a) Schilt. *Exer.* X. 18.

(b) Eccard. *Orig. Habsb.* p. 119.

(c) Dacher. *Spicileg.* T. III. p. 446.

(d) Dacher. *ibid.* p. 452.

(e) Guichenon. *Bibl. Sebuſ. Cent.* I. n. 38. n. 42. 47. 51.

(f) Miraeus *Donat. piar. cap.* VI. VII. XV. *Dipl. Belg.* I. 23. 25. II. 24.

(g) Mabillon. *de Re dipl.* VI. 205.

(h) Car. du Freſne *Gloſſ. med. lat.* voce Mundium.

alia apud FRID. A SANDE (i), in quarum iſta Siſenandus quidam contendit, *ſe vere Gundam vxorem habere, eo quod ſibi eam ad legitimum matrimonium tradiderit Amalfredus, filius eius cum Mundwaldo ſuo*; in illa *Aelegrina, filia Caroli, conſenſu & de voluntate filii ſui Aliperti, in cuius mundium peruenerit, venumdediſſe* ſe dicit: in hac denique memorantur Iacobus quidam Voſſ. & *Hilla, eius vxor legitima, cum ſuo electo mundiburdo, & ſibi iudicialiter dato.* Quin apud ipſum GOLDASTVM (k) reperias chartas Engiltrudae cuiuſdam, & Wolaliub, quae ſeruos manumittunt, illa cum *Richoldo aduocato ſuo*, haec *cum manu advocati ſui, Engilboldi.* Et in alia (l) Manno quidam vendens praedia, profitetur, ſe *eſſe a vice Ioannentes & vxoris ſuae Dominiganes.* Qualem tutorem vel curatorem maritum ipſum datum reperimus etiam in formula Andegauenſi apud MABILLONIVM (m) eo notatu digniore, quod quum alias ad leges Romanas compoſitae ſint illae formulae, eoque iure maritus tutor vel curator vxoris eſſe non poſſit, tamen id licitum fuiſſe inter Francos, inde perſpicue intelligamus.

§. VIII.

Eadem firmata iure Saxonico.

Sed progredimur iam ad inſequentia tempora, quibus in hoc ipſo inferioris Saxoniae tractu IVS SAXONICVM: in aliis aliae leges patriae & ſtatuta in ſcripturam redigi coeperunt. In horum pleriſque vti in genere mulierum tutelam, ita & ſpeciatim maritalem, vtramque facere paginam, animaduertimus. In IVRE PROVINCIALI SAX. (n) de tutela iſta maritali inſignis occurrit locus: *Vnd ob wol ein Mann ſeinem Weib nicht ebenbürtig wer, iſt er doch ihr Vormund, und ſie iſt ſeine Genoſſin, und trit in ſein Recht, wenn ſie in ſein Bette trit. Wann er aber ſtirbt, ſo iſt ſie ledig von ſeinen Rechten, und behelt dann ihr ſelbſt Recht nach ihrer Geburt. Vnd darum muſs auch ihr Vormund ſein ihr nechſter ebenbürtiger Schwerdmage, und nicht ihres Mannes.* Legitimus ergo vxoris tutor iure Saxonico eſt maritus, eo vero mortuo, proximus non mariti, ſed mulieris, agnatus, niſi ſuperſtites ſint liberi, tunc enim liberorum agnatus natu maior ſimul viduae tutelam tantiſper gerit, dum ad ſecunda vota tranſeat. Quo pertinet al-

(i) Fridr. a Sande *de Effeſtucat.* cap. II. *p. 36. n. 51. p. 42.*

(k) Goldaſt. *Scripſ. Rer. Alam. T. II. p. 26. 27. edit. nou.*

(l) *Id. ibid. n. 33. p. 35. conf. n. 34.*

(m) Mabill. *Analect. Vet. T. IV. p. 234. ſequ.*

(n) *Ius Prou. Sax. I. 48.*

ter REPKOVII locus (o): *Der kinder aelteſter ebenbürdiger Schwerdmage nimmt das Heergewet alles zu ſich, und iſt der Kinder Vormund daran, bis ſie zu ihren Iahren kommen. - - - Er iſt auch der Witwe oder des Kindes Mutter Vormund, bis daſs ſie einen Mann nimmt, der ihr ebenbürtig ſey.* Quae omnia iuris Saxonici antiqui principiis paullo ante explicatis vel maxime concinna eſſe, nemo non videt. Sed dici non poteſt, quam hic omnia turbent gloſſarum conditores. Primo enim hanc tutelam transformant in curationem, parum memores, Germanos diſcrimen iſtud ſciuiſſe cum ignariſſimis. Deinde hanc mariti ſiue tutelam, ſiue curationem, ex ipſo iure Romano (p) ſatis imperite arceſſunt, quum curam vxoris eo iure non admitti, priore capite luculenter oſtenderimus, teſtimoniaque veterum iuriſconſultorum, eam in rem citata, non de maritorum tutela, ſed alterum de marito pro vxore cum cautione de rato in foro admittendo; alterum de eiuſdem dominio in dote, & iure rem dotalem vindicandi, manifeſto agant. Adeo illi, dum iura diuerſa miſcent, turpiter intelligendo fecerunt, vt neutrum intelligeremus, ſi eorum inſiſtendum eſſet veſtigiis. Omitto iam alia, quae ex iure illo Saxonico de hac tutela maritali moneri poſſent, quum ea commodiorem locum repertura ſint in paragraphis inſequentibus, vbi de huius tutelae maritalis effectibus erit diſſerendum.

§. IX.

Sueuico. Potius merito miramur inſignem ea in re iuris Sueuici & Saxonici ſimilitudinem. Agit & IVS PROV. SVEVICVM (q) ex inſtituto de mulierum tutela. Eius vero verba ſemel, qualia in V. C. IO. FR. SCHANNATI (r) editione habentur, adſcribam, quae ita ſe habent: *Iſt ain Mann ſeinem Weib nit ewenpurtig, er iſt ir Vormund, und iſt ir Voit, und iſt ſi frey, ſi muſs doch ſein Genoſſin ſeyn, als ſy an ſein Pett get, und gewinnet ſy Kind, dy gehöret zu der ergern hant.* Quemadmodum vero apud Saxones, mortuo ſine liberis marito, viduae tutelam ſuſcipiebat agnatus proximus: ita idem in Sueuia obtinebat, eoque pertinent verba ſequentia (s): *Als aber ir Man ſtirbe, ſo iſt ſy ledig von ſeinem Recht, und behalt ir Recht nach ir gepurde.* Quae non ſolum de dignitate viduae, ſed & de tutela videntur intelligenda. Deni-

(o) *Ibid. art.* 23.
(p) *l.* 21. *C. de procurat. l.* 9. *C. de rei vind.*
(q) *Ius Prou. Suen. cap.* CCCIX.
(r) *Land-Recht art.* CVII. *apud* Schannat. Samml. *alter Hiſt. Schriffien*, *Tom.* I. *pag.* 227.
(s) *ibid. art.* CVII.

Denique quemadmodum vidua Saxonica, ſi ſupereſſent liberi impuberes, vna cum liberis iſtis in legitima agnati ſenioris mariti tutela erat : ita & SPECVLATOR SVEVICVS (t) ſancit : *wo dy Sun zu iren Iaren nicht chommen ſind, da ſcholl der eltiſt Bruder ſeines Vaters Swert nemen zu Tod leib, und ſcholl der Chind-Vogt ſein --- Er ſol der Wittib verchant ſein, weilen ſy an Manu iſt, ob ſie will, und er ir ebenpurtig iſt.* Sed fatemur, nos dubitare de vocabulo *verchant*, quod nos eo ſenſu legere haut meminimus. Ipſe SPECVLATOR alibi (u) tutorum, qui mulieribus praeſunt, nomina ex inſtituto recenſet : *Der Frauen Pfleger etwo haiſſent Sicherpoten, etwo Vormund, etwo Vogt, etwo Behalter, dy ſulln al getru Lait ſeyn.* At non addit nomen *verchant*; nec nos hic locum eſſe putamus vocabulo *Verger*, quod in Dania & Norwegia pro tutore accipitur (x), quum ſaeculo XIII. vel XIV. apud Sueuos vix quaerendum ſit vocabulum, quod iam pridem in prouinciis Daniae multo probioribus euanuerat. Potius nobis dubium non eſt, in mendo cubare codicem, ex quo cel. Schannatus ius prouinciale exſcripſit, legendumque *gerhabent.* Nam hodienum in ſuperiore Germania tutores vocari *Gerhabere*, oſtendit illuſtris huius academiae CANCELLARIVS, IO. PETR. A LVDEWIG (y). Ita per omnia conuenit inter Speculatores, Saxonem & Sueuum, niſi quod hic vltimo caſu addit limitationem : *ob ſy will*, adeoque rem in mulieris arbitrio ponit, quum iure Saxonico legitima fuiſſe videatur haec agnati tutela, nec per mulierem ſtetiſſe, agnatum mariti, an alium tutorem habere mallet.

§. X.

Quum LEGES NORMANNICAE, ab eodem viro illuſtri editae, vbique ſapiant mores vere Germanicos, quos gens illa ſecum ex vltimo ſeptentrione in Galliam intulerat : operae pretium fuerit, has quoque adhibere in conſilium, & num in iis etiam tutela illa maritalis praeſidium reperiat, diſquirere. Primum itaque ea lex diſerte ſancit (z) : *Quum mulier ſub poteſtate viri ſui ſit conſtituta, vir eius de ea, & de rebus ſuis & hereditate ad ſuae arbitrium voluntatis poterit diſpenſare. Nec ea, eo viuente, aliquid de praedictis poteſt vendere vel impedire in eius abſentia, nec eius* *Normannico.*

Qqqpq 2 *factum*

(t) *ibid.* CVI.
(u) *ibid.* CVIII.
(x) Oolterſon *in Gloſſ. Iur. Dan. p.* 578. *quem locum debemus* ill. a Ludewig *diſſ. de Tut. diſſ.* I. T. II. *p.* 1075. *Opuſc.*
(y) Idem *ibid. pag.* 1074.
(z) *Lex Norm.* II. 36. 3. & 4. *apud* ill. Ludwig. *Reliqu. MSC. Tom.* VII. *p.* 338.

factum poteſt reuocare & irritare. Nec aliquid reclamare contra alium ipſa poteſt, nec reuocare, ſed vir cum ipſa de omnibus, quae ad eam pertinent, debet audiri. Additur (a), ne abſente quidem marito, dum in eadem prouincia ſit, audiendam eſſe vxorem, niſi quibuſdam caſibus, veluti ſi ipſum maritum ob lenocinium, ſaeuitiamque inſignem in ius vocare velit, aut ipſa per viri diuturnam peregrinationem non poſſit eius auctoritate vti (b). Alio eius LEGIS loco (c) docetur, mulieres ne quidem in cauſſis criminalibus ſeſe ipſas defendere cauſſamque dicere poſſe, *viros autem de maleficiis vxoribus ſuis illatis, ſequi poſſe in omnibus caſibus ſupra dictis, & eam defendere, ſi fuerint adpellatae, & ſi defendere voluerint.* Denique quum in Normannia inuectum eſſet vectigal, tertio quolibet anno principi perſoluendum, quod *monetagium* ideo vocabatur, *ne ſpecies monetarum in Normannia diſcurrentium in aliis faceret permutari* (d), idque ab omnibus exigeretur, qui immunitatem non eſſent conſequuti: quaerit legiſlator, an maritus & vxor ſeorſum id *monetagium* debeant? reſpondetque (e): *Omnes coniugatae, cum nihil diuiſum poſſint ac debeant poſſidere, per ſuos maritos ab hac conſuetudine liberantur.* Paullo poſt vero additur (f): *Vnde notandum eſt, quod mulieres, ſine conſenſu virorum ſuorum, contractum de poſſeſſione aliqua alienanda nullum poſſunt facere, quin viri earum non valeant reuocare.* Quae omnia ſatis oſtendere arbitramur, apud Normannos quoque vxores in poteſtate vel tutela mariti vixiſſe, omniaque cum eo habuiſſe communia, & nec contractum valuiſſe, nec actionem forenſem fuiſſe ratam, niſi vtroque caſu auctor factus eſſet maritus, tamquam tutor, vel, vti ipſi vocabant, cuſtos vxoris ſuae legitimus.

§. XI.

Variis ſtatutis Germaniae.

Non dubitamus, quin communem hanc fuiſſe totius Germaniae conſuetudinem, luculenter demonſtrari poſſet, ſi iam vacaret ire per ſtatuta, eaque excutere paullo diligentius. Sed ſuffecerit, ex iis, quae ad manum ſunt, quaedam, prout vltro ſe obtulerint, decerpſiſſe. In Bauaria feminas curatoribus ſubeſſe, legitimumque vxorum curatorem eſſe maritum, teſtatur BALTHASAR (g). Idem obtinere Iure Wurtembergico, tam ex ipſis illius

(a) *ibid.* §. 5. 6.
(b) *ibid.*
(c) *Lex Norm. II.* 10. 1. p. 292.
(d) *Lex Norm.* I. 13. 1.
(e) *Ibid.* §. *VI.*
(f) *ibid.* §. *VII.*
(g) Balthaſ. *Reſol. Iur. Bau.* I. 14.

Digitized by Google

lius prouinciae legibus (h), quam ex BESOLDI (i) & LAVTERBACHII (k) teſtimoniis conſtat. De inferiore Germania eo minus dubitari licet, quo certius conſtat, in ea iura vel Saxonica, vel Lubecenſia, quae maritum vxoris tutorem eſſe diſerte iubent, vbique fere regnaſſe. Hinc IVRE LVBECENSI (l) cauetur, *daſs kaine Frau ihr Gut varkauffen möge, noch verſezzen ohn ihrer Vormünder Vollwort, Wiſſen und Willen, es möge auch keine Frau höher Bürge werden, ohne Willen der Vormünder, denn vor drittehalb Pfennig, auſerhalb derer, welche Kauffmanſchafft, Handel und Wandel treiben. Was dieſelben geloben, das müſten ſie gelten und bezahlen.* Ne vero quis ignoret, quinam Lubecae ſint feminarum tutores: opportune in commentariis monet MEVIVS (m), *vxores ex coniugio maritos curatores habere, quorum conſenſu in alienationibus & contractibus vtantur, ac proinde eos eheliche Vormunden dici ſolere, immo, non alium, praeter maritum, curatorem, quod nonnullis viſum ſit, deſiderari, niſi forte cum maritis, vel in rem & commodum eorum, contrahatur.* Quod ipſi quoque iuri LVBECENSI (n) conſentaneum eſt, quod diſerte alibi ſancit, vt virgines ſub tutela maneant, *bis ſie zu der Ehe ſcreiten, Nam ſimul ac nupſerunt, & in mariti domum deductae ſunt*, vt idem obſeruat MEVIVS (o), *maritum curatorem habent, qui tutorem liberat ab onere iſto, & ipſe tutoris loco eſt.* Nec alio iure vtuntur HAMBVRGENSES. Poſtquam enim eorum leges (p) monuerunt, omnes mulieres & virgines iure municipali Hamburgico pro minorennibus haberi, ac proinde nec agere, nec conueniri, nec res ſuas cuiquam tradere ſine tutorum vel curatorum conſenſu poſſe, quin ipſo iure nulla eſſe, quae ipſae ſine curatoribus explicarint: ſtatim ſubiiciunt (q): *Der Frauen Vormund iſt ihr Ehemann, ſo lange er lebet, der ſie dann im Rechte, als ihr Eheuogt und rechter Vormund, zu vertreten ſchuldig. Wann er aber Tods verfahren iſt, und die Frau im Gericht zu klagen hätte, oder beklagt würde, ſo ſoll ſie ihr einen kriegiſchen Vormund zu geben bitten.* LEGIBVS porro MVNICIPALIBVS GOSLARIENSIBVS, quas edidit illuſtris LEIBNITIVS,

 caueri

(h) *Ius prou. Wirt. P. I. T.* 18. §. *Wir vvollen auch.*
(i) Beſold. *ad Ius Wirt.* II. *tit.* 29. §. 152. *ſequ.*
(k) Lauterb. *ad Ius Wirt. ibidem* §. 40. & P. I. *tit.* 28. §. 41.
(l) *Ius Lubec.* I. 10. 1.
(m) Meuius *ibid. n.* 17. 18.
(n) *Ius Lubec.* I. 7. 1.
(o) Meu. *ibid. n.* 21.
(p) *Ius Stat. Hamb. P.* I. *tit.* IX. §. 1.
(q) *ibid.*

(r) caueri animaduertimus: *En wiſ ne mach ane îres Mannes Wetten und Vulbord nichts verkoopen noch verwillkoren, wile he ihr nothdorſſt giſſt.* Similia ex LEGIBVS FRISIAE ORIENTALIS attulit EYBENIVS (s). Et BREMENSES olim iiſdem vixiſſe moribus, ex eorum ſtatutis, quae *Ordelen* (t) vocant, didici, ad quae in commentariis ſuis doctiſſimis, ſed adhuc ineditis, obſeruauit HENR. KREFTINGIVS, IC. & reip. iſtius Conſul grauiſſimus, ita pronunciatum adhuc eſſe in cauſſa teſtamenti coniugis Alberti Detekens, anno MDLVII. die XIX. Decembris. Sic vbique vere apud Germanos diutiſſime manſit priſci illius moris cuſtodia, vt vere adfirmari poſſe videatur, eum Germanis omnibus communem, adeoque γνησίως Germanicum fuiſſe.

§. XII.

Galliae. Et quis ea de re dubitet, quum ne in exteris quidem prouinciis, in quibus Germanicae originis gentes tot ab hinc ſaeculis noua imperia condiderunt, tutela illa maritalis exoleuerit? Vigere enim illam in vniuerſa Francia, iam pridem docuit IO. FABER (u), cui ea in re ſuffragantur, quicumque conſuetudines prouinciarum & ciuitatum Gallicarum iuſtis commentariis illuſtrant, veluti REN. CHOPPINVS (x), PYRRHVS ANGLEBERMAEVS (y), NIC. BOERIVS (z), IO. SAINSON (a), BARTH. CHASSANAEVS (b), BERTR. ARGENTRAEVS (c), qui omnes fatentur, in Gallia virum non modo dominum rei dotalis, verum etiam vxoris tutorem cenſeri, ſine cuius auctoritate & conſenſu nec contrahere, nec alienare, nec lege agere vxori liceat. Quin & hi ſcriptores omnes, veteri Germanorum ſtilo eam tutelam, marito competentem, non curationem, ſed tutelam, imo & poteſtatem adpellitari obſeruant. Quae omnia a Francis eſſe, nemo temere negauerit.

§. XIII.

Belgii. Iiſdem moribus & Belgium partim olim vixit, partim etiamnum viuit, nec vllibi fere, quam in iſtis prouinciis, maior eſt mari-

(r) *Ius munic. Goslar. lib.* I. *tit. van Frue Gude.* §. 35. & 42. *apud* Leibnit. T. III. *Script. rer. Brunſu. p.* 496.

(s) Eyben. *de tut. femin. P.* I. *membr.* I. §. 8. *p.* 325. *in Opp. Eyben.*

(t) *Stat. Bremenſ.* 15. & *Ordel.* 38.

(u) Io. Faber *ad l.* 1. C. *de bon. mat.*

(x) Choppin. *de legib. And. municip.* T. I. *p.* 41. 348. 349. & T. II. *p.* 392.

(y) Angleberm. *Conſuet. Aurel. tit.* XIX. §. 10.

(z) Boer. *Conſuet. Bituric. tit.* I. §. 4. *p.* 6. *ſequ.*

(a) Sainſon. *Conſuet. Turon. tit.* XXIV. *pag.* 151.

(b) Chaſſan. *Conſuet. Burgund. Rubr.* IV. §. *V. n.* 45. *p.* 565.

(c) Argentr. *Conſuet. Britann. art.* CCCCLXXXIII. *p.* 1858.

Digitized by Google

maritorum circa bona vxorum auctoritas, quamuis nuſquam viris magis in ſeruitutem poene cedere dicatur matrimonium, quam in Belgio. *Moribus noſtris*, ait VINNIVS (d), *vxor eſt in curatione ac poteſtate mariti, poteſtque maritus bona vxoris etiam ea, quae extra communionem retinuit, non ſolum adminiſtrare, ſed alienare quoque, & obligare, etiam ſine vxoris conſenſu, niſi pactis antenuptialibus expreſſe aliter cautum fuerit.* Itaque vel maxime in HOLLANDIA viget maritalis illa curatio, de qua etiam teſtantur NEOSTADIVS (e) & GROTIVS (f). Similem fere conſuetudinem Vltraiecti vigere, docet CHR. RODENBVRGIVS (g), vbi maritus etiam minor, ſimul ac communem prolem ſuſtulerit, vxoria bona ſuo gubernat arbitrio. Nec aliter ſe rem habere in GELRIA, ZVTPHANIA & TRANSISALANIA, ex ipſis earum prouinciarum ciuitatumque praecipuarum ſtatutis (h) patet. Quid? quod in FRISIA quoque, vbi ius Romanum mores patrios tantum non omnes in exſilium egit, mulier tamen ipſo iure, & ſine magiſtratus confirmatione, eſt ſub cura mariti ſui, modo hic nec furioſus, nec prodigus, nec minor ſit, ceu pluribus teſtantur Friſiorum Papiniani, IO. A SANDE (i), THOM. HERBAIVS (k), & VLR. HVBERVS (l). Porro de poteſtate & tutela maritali in Brabantia conſulendus eſt FRANC. ZYPAEVS (m); in Flandria NIC. BVRGVNDVS (n), vt iam non dicamus de reliquis Belgii Auſtriaci prouinciis, quae maiorum illorum mores ac conſuetudines plerumque ſequuntur, & hinc non magis a maritorum tutela ac poteſtate ſolutas eſſe vxores, patiuntur.

§. XIV.

Quis crederet in Italia quoque tam altas radices egiſſe Germanicam illam maritorum tutelam? Et tamen ibi etiam hodienum a tot ſaeculis integra manet conſuetudo illa Germanica, quam Langobardi primum inuexerunt, nec ius vel Romanum, vel Pontificium, quod trans Alpes tam ſancte colitur, in tantum inualuit, vt hunc morem Germanicum poſſeſſione deiicere potuerit. Ex *Italiae.*

(d) Arn. Vinnius *Comm. ad* §. 19. *Inſt. de exc. tut.*

(e) Neoſtad. *Obſ. rer. iud.* IX.

(f) Grot. *Manud. ad Ius Belg.* I. 3.

(g) Rodenb. *de iure coniug.* IV. 4. 9.

(h) *Landrechten van Zutphen rubr. van huuvelikſche Voorwaarden art.* 5. *Gewoonten van Deventer ead. rubr. art.* 8.

(i) Io. a Sande *Deciſ.* II. 4. 1.

(k) Herbai. *Rer. Quotid.* XIII. 4.

(l) Hub. *Prael. ad Pand.* XXIV. 1. 4. 5.

(m) Zypaeus *Notit. Iur. Belg. p.* 172.

(n) Nic. Burgund. *ad Conſuet. Flandr. Tract.* III. *n.* 1.

Ex inſtituto hoc probarunt BALDVS (o) & GVIDO PANCIROLVS (p), qui Ticinenſium, Mediolanenſium, Florentinorum, Eugubinorum aliarumque inſigniorum ciuitatum leges & ſtatuta ad partes vocant, ex iiſque rem demonſtrant luculentiſſime. Ceterum recte obſeruauit laudatus PANCIROLVS, eos Italiae mores non ex iure Romano aut Attico eſſe, ſed ex Langobardico. *Inde*, inquit, *emanarunt ſtatuta, vt ſine viri licentia vxor contrahere, aut teſtari nequeat, vt Florentiae caueri ait* BALDVS, *& Papiae, & aliis quam plurimis in locis, & ciuitate Eugubii.* Adeo mordicus moribus patriis inhaerere ſolent gentes. Adeo difficile eſt, eos ita veluti proſcribere, vt non ſui veſtigia expreſſiſſima vbique relinquant.

§. XV.

Aliarum originis Germanicae gentium.

Id quod aliarum originis Germanicae gentium exemplis facile poteſt demonſtrari. In HISPANIA enim, vbi olim Sueui & Vandali, poſt Viſigothi, conſederant, in tanta rerum omnium conuerſione ipſaque ſub Maurorum tyrannide, locum tamen ſuum tuita eſt cura maritalis, de qua multis agunt ſcriptores Hiſpani, & in his ALFONSVS DE AZEVEDO (q). De Anglis quoque non modo ex legibus vetuſtis AETTHILBERTI (r) conſtat, eos maritis tutelam vxoris conceſſiſſe, ſed & de ſuis temporibus ſcribit IO. COWELLVS (s), *vxorem iure Anglicano in poteſtate vel ſub virga viri ſui eſſe*, ac proinde, *quodcumque vir durante matrimonio de terris vxoris ſuae agat, illud illam demum ſuperuiuentem poſt mortem eius diſſoluere poſſe, tamquam tum actum, quum illa, maritali obſequio per leges adſtricta, ei contradicere non potuerit*; idemque alibi (t) docet, *feminam, quamuis citius, quam maſculus, cuſtodem remoueat, tamen ſimul ac nupſerit, tutelam domini ſui cum noua viri poteſtate commutare.* Procul dubio etiam ex illa maritali tutela eſt, quod LEGIBVS DANICIS (u) cautum reperimus, *ut maritus nec ad aes alienum, quo vxor, quamdiu in communione cum ipſo viuit, ſe obſtrinxit, ſuſcipiendum, neque ad contractum, quem eadem interea temporis fecerit, adimplendum obligetur, niſi negotium eiuſmodi vel ipſo volente & ſciente, vel etiam communis vtilitatis atque ineuitabilis neceſſitatis cauſſa, geſtum eſſe, liquido demonſtretur.*

(o) Baldus *Conſil.* I. 488. & in *l. velles C. de reuoc. don.*
(p) Pancirol. *Var. Lect.* I. 92. p. 179.
(q) Azeved. *ad Reg. Conſt. Hiſp.* V. 3.
(r) Io. Cowell. *Inſt. Iur. Angl.* I. 10. p. 17.
(s) Idem I. 22. p. 40.
(t) Idem I. 10.
(u) *Leges Dan.* V. 1. 13.

Digitized by Google

ſtretur. Quibus gemina ſunt IVRA SVECICA (x), ſecundum quae, ſi vel vltra vnum ſolidum vxor ſine mariti conſenſu emerit, hic contractum reſcindere poteſt. Denique & de NORVEGIS refert LOCCENIVS (y), eos vxoribus poteſtatem non facere quidquam mercandi, cuius aeſtimatio aſſem excedat. Quae quidem doctiſſimus HERTIVS (z) veteri illi Legi Atticae, de qua ſupra diximus, rectiſſime comparat, quamuis nomen tutoris vel curatoris marito in his legibus tribui, non animaduertamus.

§. XVI.

Effectus huius tutelae olim vſusfructus bonorum vxoris.

Sic vniuerſalem hanc fuiſſe Germanorum conſuetudinem ſatis, niſi fallimur, demonſtrauimus. Iam vero ex iis, quae diximus, manifeſtum eſſe arbitramur, non fuiſſe hanc tutelam maritalem Germanicam illi Romanae ſimilem, ſed effectu diuerſiſſimam. Nam non modo in poteſtate dirigendi actiones vxoris, eamque defendendi, conſtitit, verum etiam in iure adquirendi, fere vti patria poteſtas Romanorum. Hinc quum apud Romanos mulierum tutores, teſte VLPIANO (a), non gererent, ſed auctoritatem tantum iis, ciuile aliquod negotium explicaturis, interponerent, adeoque multo minus ex tutela quidquam caperent lucri: tantum abeſt, vt Germani vxores vllum gerere negotium paſſi ſint, vt ſolus maritus bona omnia communia ſuo arbitrio adminiſtrarit, quin & fructus lucraque omnia inde ſolus perceperit. Quemadmodum enim aliae veterum Germanorum tutelae (b), ita & maritalis illa vel maxime erat fructuaria. Hinc IVRE SAXONICO (c) cautum eſt: *Wann ein Mann ein Weib nimmt, ſo nimmt er in ſeine Gewehr alles ihr Gut zu rechter Vormundſchafft.* Ita enim legendum eſſe, non, vti in ZOBELIANA: *So nimmt er ſie in Gewehr, und alles ihr Gut zu rechter Vormundſchafft*, cum ex editionibus antiquis, quas noſter olim LVDOVICI reſtituit, tum ex codice MSC. bibliothecae Paullinae Lipſienſis, quo V. C. CAR. GVIL. GAERTNERVS vſus eſt, adparet. Et paullo poſt (d): *Der Mann mag an ſeines Weibes Gut kein ander Gewehr gewinnen, dann als er zu dem erſten mit ihr empfing in Vormundſchafft.* Iure ergo Saxonico vxoris bona ſuis iuncta maritus adminiſtrabat ſolus, tam-

(x) Loccen. *Synopſ. iur. Suecic. Addend. ad Diſſ. XV. quaeſt. I.*

(y) Idem *ibid.*

(z) Hert. *ad* Puffend. *I. N. & G.* III. *6. 5. not. 6.*

(a) Vlp. *Fragm.* XI. 23.

(b) Ill. a Ludewig *Differ. Iur. Rom. & Germ. in Fruct. attribut. Tutel. fruct. Diff. I.*

(c) *Ius Prou. Sax.* I. 31.

(d) *Ibid. ſub fin.*

quam legitimus vxoris tutor, iiſque vtebatur fruebatur aeque, ac ſuis, ſuperſtes vero res mobiles omnes ſibi vindicabat, ſolis vtenſilibus ad proximam cognatam, & immobilibus ad heredes deuoluendis. Qua in re inter dotem & paraphernalia vxoris bona vetere iure Germanico nihil diſcriminis fuiſſe, recte obſeruarunt viri doctiſſimi, illuſtris a BERGER (e) & laudatus paullo ante CAR. GVIL. GAERTNERVS (f). Ex quo ſimul diſcimus, vnde ſit receptus ille moribus Germaniae vſusfructus paraphernalium, quem iura Romana ignorant, niſi ſpeciali pacto antenuptiali diſerte fuerit conſtitutus (g). Quamuis enim, inuecto paullatim iure Romano, vxores Germaniae maritis dotem in parte bonorum conſtituere ſolerent, & ſic fieri non poſſet, quin diſcrimen aliquod bonorum dotalium ac paraphernalium, maioribus noſtris ignotum ſtatuerent: non tamen ideo repudium dederunt iuri patrio, ſed principium iſtud, quod vſusfructus in bonis vxoris omnibus marito debeatur, ſaluum eſſe voluerunt, vt recte illi nobis ſubducere rationes videantur, qui vſumfructum illum paraphernalium non ex iure ciuili Romanorum, ſed ex moribus patriis repetendum eſſe, exiſtimant.

§. XVII.

Libera alienatio ſine conſenſu uxoris.

Ex eodem porro principio eſt, quod, quum vxor nihil rerum ſuarum alienare, vlloue titulo in alium transferre poſſet, ſine conſenſu viri, hic pleriſque locis omnia, pro lubitu & inconſulta vxore, conſtante matrimonio, alienaret. Vidimus ſupra (§. VI. X. XV.) rigidam illam poteſtatem obtinuiſſe apud Burgundos (h), & Normannos (i), & hodienum obtinere apud Belgas (k) & Anglos (l), adeo, vt omnia ſuo arbitrio agat maritus, eiuſque acta vxor irrita reddere nullo modo poſſit conſtante matrimonio. Eo enim ſoluto id licere in Anglia, laudatus aliquoties IO. COWELLVS obſeruauit. Exſtant Conſuetudines Syluaeducenſes inſcriptae: *Coſtumen ende Vſantien von der Hoofſtadt ende Meyerie van s' Hertogenboſche*, in quibus & haec legas (m): *Een Man is Mombair van ſyne Huysvrouvve, ende magh alleen haere Goede-*

[e] Berger. *diſſ. de diſcr. bon. vxor.* §. 17.

[f] Car. Guil. Gaertn. *Diſſ. de diſt. inter dot. & paraph.* §. *VI.*

[g] *l.* 8. C. *de pact. conu.*

[h] *Leg. Burg. Additam.* I. *tit.* XIII.

[i] *Lex Norm.* II. 36. 3. & 4.

[k] Vinn. *Comm. ad Inſt.* §. 19. *de excuſ. tut.*

[l] Cowell. *Inſt. iur. Angl.* I. 22. p. 40.

[m] *Statuta Syluaeducenſia tit.* XIV. *vande Rechten gehouvvelichte Luyden. art.* I.

Goederen, Actien ende Schulden als Momboir vervolgen, heiſſchen ende beſchulden, ende daerenboven magh hy ſowel allen ſyner Huysvrowen Goederen van haer haerent weghen gekomen, als ſyn eyghene Goederen, ſonder conſent ende bywefen van ſyne Huysvrouwe verkoopen, verſetten, veralieneren, belaſten, ende anderſints verbinden, eegene of Leengouderen weſende. Et paullo poſt (n): *Inſgelyk een Vrouwe met haeren Man woonende, en magh haere Erffelyke Goederen niet verkoopen, verminderen, ofte belaſten, noch in Recht ſtaen, noch Procureurmaechtigen, ſonder Conſent van haeren Man.* Qui hoc ſtatutum deſcripſit, V. C. IO. NIC. HERTIVS (o), eam mariti in vxoris bona poteſtatem *inſolitam prorſus* vocat, additque, *cauſſam legis adeo inſolitae conſtanti fama ab indigenis memorari, quod aliquando feminae maritos ſuos e captiuitate bellica liberare renuiſſent.* Sed eſt haec fama ſine auctore, ipſaque illa conſuetudo in Belgio ne ſingularis quidem, nedum prorſus inſolita, poteſt adpellari, quum idem fere in Hollandia & pleriſque Belgii prouinciis obtinere viderimus, quin olim paſſim obtinuiſſe apud gentes originis Germanicae, nemo, morum antiquorum paullo peritior, ignoret. Paſſim dico. Nam quibuſdam locis paullo adſtrictiorem fuiſſe hanc alienandi poteſtatem, vltro fatemur. Tantum enim abeſt, vt vir in Germania res vxoris ſine conſenſu eius alienare potuerit, vt ne ſuas quidem res, ea inconſulta, in alios potuerit transferre. Quod ex innumeris diplomatibus demonſtrare liceret, niſi id iam ab aliis viris doctis eſſet demonſtratum. Enim vero, vtut maritus alienare res vxoris, ea inconſulta, non vbique poſſit: commune tamen id habebant gentes Germanicae originis, vt nec vxoribus, niſi auctoribus maritis, quidquam vel vendere vel oppignorare fas eſſet. Diſerte enim IVS PROVINCIALE SAXONICVM (p): *Ein Weib mag auch ohn ihres Mannes Vrlaub ihr Gut nicht vergeben, noch ihr eigen verkauffen, --- um daſs er mit ihr in der Gewehr ſitzt.* Quod ius reliqua ſtatuta omnia ſequuntur.

§. XVIII.

Nihil neque in iudicio, neque extra illud va-

Nec dubium eſt, quin ſine marito lege agere, vel in iudicio ſtare mulier non potuerit. Femina enim Germanica nec pro ſe quidem poſtulare poterat, ſed ſemper a curatore erat defendenda. Id quod hodienum non modo in Saxonia (q), ſed & Lubecae, &

[n] *ibidem.*
[o] Hert. *opp.* T. III. *p.* 404.
[p] *Ius prou. Sax.* I. 45.
[q] *ibid.* I. 46. II. 63.

lide ſine mariti conſenſu actum.

(r), & Hamburgi (s), immo & in tractu Wurtenbergico (t), in Belgio (u), aliiſque, quarum ſtatuta ſupra recenſuimus, prouinciis obtinet. Itaque aut curatorem litis habere debebat vxor Germana, aut marito auctore in iudicio ſe ſiſtere tenebatur, ſiue voluntariae, ſiue contentioſae iuriſdictionis actus eſſet explicandus. Quae mariti curatela inprimis iure Langobardico requirebatur. Nec dubium eſt, quin idem olim ius viguerit in Saxonia, vt quidquid ageret in iudicio vxor, id ratum eſſet, modo ei adeſſet maritus, & tutoris legitimi munere fungeretur. Neque enim vmquam ius Saxonicum hic diuerſum ſtatuit, ſed potius diſerte ait, nihil eam valide in iudicio tradere, ſine mariti conſenſu, *ſie koenne ihr Gut nicht auſlaſſen, ohn ihres Mannes Vrlaub :* (ergo conſentiente marito poterat,) *um daſs er mit ihr in der Gewehr ſitze* (x). Et quid clarius quaeſo textu WEICHBILDI vel IVRIS MAGDEBVRGICI (y) : *Wenn man dem Mann das Weib vertrauet, und ſie in ſein Bett trit, ſo iſt ſie des Mannes Genoſſin, und er iſt ihr Vormund, wo ſie es bedarff*, id eſt, vbicumque curatore opus eſt, ſiue in iudicio quid peragendum ſit, ſiue extra illud. Nec aliarum ciuitatum leges hic diſtinguunt inter negotia forenſia & priuata, ſed vtriſque explicandis mariti ſufficere conſenſum, ſtatuunt, & ICtos Saxonicos reprehendit MEVIVS (z), quod ius patrium hic corruperint, maritumque, tamquam curatorem legitimum vxoris ſuae ſe ſiſtere volentem, in iudicio, niſi vel caueat de rato, vel tamquam alius litis curator producat curatorium, repulerint (a).

§. XIX.

Ius Romanum in Germania receptum alibi hanc tutelam excluſit.

Nimirum haec tropica inſtituit ius Romanum, ſimul ac illud in fora Germanica penetrare coepit. Eo enim primo factum eſt, vt tutela illa adultarum in quibuſdam Germaniae prouinciis plane exoleſceret; in aliis, vbi ſanctior manſit iuris patrii cuſtodia, eadem priſtinam naturam & indolem non parum amitteret, vt vix hodie ſibi ſimilis videatur. Plane abolita eſt pleriſque locis, vbi, repudiato iure patrio, ius Romanum priuatum primum veluti locum obtinuit. Sic enim de Marchia auctor eſt STRYKIVS (b), mulieres & ſine curatoribus ibi agere omnia, & pro ſe re-

cte

[r] *Ius Lubec.* I. 7. 1. & *ibi* Meu. *n.* 18.

[s] *Ius Statut. Hamb.* I. 9. 1.

[t] *Ius Wirtemb.* I. 18. *Add.* Wibel. *de Contract. Mulier.* III. 8. 135.

[u] Lamb. Goriſ. *Aduerſar.* I. 4. 5.

[x] *Ius prou. Sax.* I. 45.

[y] *Weichb. art.* LXV.

[z] *Ad ius Lubec.* I. 10. 3. *n.* 18.

(a) Carpzou. *P.* I. *Conſt.* I. *Def.* 31.

(b) Stryk. *Vſ. Mod. Digeſt.* III. 1. 5. *p.* 309.

Digitized by Google

cte poſtulare, niſi ſponte ſibi eos petierint, quibus inconſultis deinde vix quidquam valide agant. Sed non ſtatim & veluti praecipiti curſu, ſed paullatim, ibi id iugum excuſſiſſe mulieres, ex iuriſconſultorum Marchicorum ſcriptis probatu facillimum eſt. Refert enim FRID. PRVCKMANNVS (c), in Marchia etiam Brandenburgica feminis curatorem dari ſolere, dum teſtamenta condant, vel actus iudiciales exerceant, idque ius Saxonicum poſt ſe ait reliquiſſe, quo in iſto quoque terrarum tractu patrum memoria vixerint. Cui ſuffragantur etiam IOACH. SCHEPLIZIVS (d) & FRID. MVLLERVS (e). Sed certum tamen eſt, eam mulierum vel tutelam, vel curam, ibi demum in exſilium actam eſſe, adeo, vt hodie ipſa femina pro ſe ſine curatore poſtulet, & ne maritus quidem pro ea admittatur ſine cautione, rem ratam habituram vxorem. Eadem obtinere in Ducatu Brunſuicenſi & Luneburgenſi, idem obſeruat STRYKIVS (f). Nec aliter in aliis Germaniae prouinciis, vbi, adoptato iure Romano, vel plane in deſuetudinem abiit tutela mulierum, veluti in Pomerania (g), arbitrio mulierum relicta eſt; maritalis vero tutelae vocabulum, *die eheliche Vormundſchaft* aeque, ac curatela litis, fere in vmbram abiit: quod vel maxime mireris de Friſia orientali, in qua tutela illa, quamuis ſingulari ſtatuto nitatur, plane tamen euanuit, ceu exemplis forenſibus demonſtrauit EYBENIVS (h), quum tamen in ipſa Friſia, qua nulla fere gens iuris Romani ſeruantior eſt (i), illa etiamnum vſu perpetuo ſeruetur. Tantam morum ac legum diſſimilitudinem in Germaniam inuexit ius Romanum, aliis gentibus patrii moris tenacioribus, aliis iuri Romano plane obnoxiis, & veluti diuina humanaque ei omnia dedentibus. Quid? quod pleriſque locis eo decurſum eſt, vt ICti extra Saxoniam ad ſuſcipiendam probationem obſtrictum putent eum, qui aut feminae perſonam ſtandi in iudicio dubiam reddere (k); aut pro ea maritum, de receptitiis bonis acturum, ſine mandato, vel cautione de rato admittendum eſſe, contendat (l). Quae omnia quam iuris patrii principiis aduerſentur nemo non intelligit.

(c) Pruckmann *lib.* I. *Conſ.* XLVIII. *n.* 191.

(d) Scheplitz. *Conſuet. March.* P. III. *tit.* II. §. 6. *n.* 2. *p.* 172.

(e) Muller. *Prax. For. March. Reſol.* CXXV. *n.* 60.

(f) Stryk. *Not. ad Lau. p.* 105.

(g) Meu. *P.* IV. *Dec.* 99.

(h) Eyben. *de tutel.* I. 1. *p.* 328.

(i) Zach. Huber. *Obſ. Rer. iudicat. Cent.* I. *in praef.*

(k) Stryk. *Vſ. mod. ibid. n.* 5. *p.* 309.

(l) Hahn. ad Weſenb. *tit. de tutel. n.* 5. Esbach. *ad* Carpz. *P. II. Conſt.* 15. *def.* 1.

§. XX.

Alibi plane mutatur in curam.

At ne iis quidem locis omnibus, vbi etiamnum mulieres vel ſub cura, vel ſub tutela ſiue maritorum, ſiue aliorum, eſſe iubentur, ius iſtud Germanicum illibatum manſit. Nam primo, quum ICti ex iure Romano didiciſſent, puberes & viri potentes non in tutela, ſed cura, eſſe poſſe: tutelam illam in curam commutarunt. Quo factum, vt frequenter quidem audias, mulierem contraxiſſe vel egiſſe cum curatore, rariſſime autem, eam tutoris ſui auctoritatem adhibuiſſe. Quod ſine ratione fieri, facile poteſt probari. Nam ignotum maioribus fuiſſe tutorum & curatorum diſcrimen, ſupra (§. II.) vidimus, & tutela illa, quam vel mariti, vel agnati, ex lege apud Germanos ſuſcipiebant, non modo primario ad bona earum, ſed vel maxime ad perſonam, pertinebat: id quod vel inde patet, quod ex plerarumque prouinciarum legibus ne nuptias quidem inire ſine tutorum illorum conſenſu poſſent (m), quum id ſine curatorum conſenſu recte fiat ex principiis iuris Romani (n). Deinde cum vetus illa tutela eſſet legitima, quam ipſo iure acquirebat maritus, ſimul ac vxor in eius torum conceſſiſſet, (*wann ſie in ſein Bett trat*) adeoque nec conſtitutione ſolemni, nec confirmatione magiſtratus, ad explicanda illius tutelae munia opus eſſet; denuo legitimam illam tutelam tantum ad adminiſtrandas vxoris res ſufficere, exiſtimarunt, non ad actiones pro vxore inſtituendas ſuſcipiendaſque. Hinc Saxonici doctores negant, maritum vxoris nomine in iudicio eſſe admittendum, priuſquam produxerit curatorium, vel de rato cauerit (o). Quin ne mandari quidem marito litem ab uxore ſine curatore poſſe, contra RAVCHBARVM (p) contendunt DAN. MOLLERVS (q) & BEN. CARPZOVIVS (r), quorum ſententiam poſtea ordinatione Proceſſus Sax. ratam habuit Saxoniae Elector. (s) Denique pleraque huic tutelae effecta ſubtraxerunt, eatenus, vt illa non amplius ex illa tutela maritali, ſed ex iuribus peregrinis, explicare plerique malint. Sic enim adminiſtrationem rerum illatarum, quam ex tutela maritali diſerte arceſſit ius Saxonicum, ipſi eamdem putant cum adminiſtratione, quam ſecundum ius Romanum

(m) Ill. a Ludewig *de Conſenſu Connub. extra patrem. Diſſ.* II. *p.* 19.

(n) *l.* 8. C. *de nupt.*

(o) Carpz. *P.* I. *C.* I. *Def.* 31. Rauchb. *P.* I. *Quaeſt.* II. *n.* 46. Moller. *Semeſt.* I. 18. 19.

(p) Rauchb. *ibid. n.* 51. *ſequ.*

(q) Moller. *ad Conſt. El. XV.* 62. *ſequ. & Semeſtr.* I. 18.

(r) Carpz. *ibid. def.* 32. *n.* 4.

(s) *Ordn. Proc. tit.* VIII. *pr.*

Digitized by Google

num nouiſſimum marito in paraphernalibus competere nouimus (t), quum tamen haec non ſit fructuaria, niſi pactione conſtituatur vſusfructus, illa, tamquam ex tutela legitima Germanorum profecta, cum uſufructu ſemper coniuncta ſit. Curatoris quoque, vt vocant, conſenſum non amplius putant neceſſarium vel puellae, vel viduae nupturae, quin iniqua atque iniuſta eſſe arbitrantur eiuſmodi ſtatuta, quae a curatorum conſenſu nuptiarum validitatem ſuſpendunt, quem tantum decori cauſſa adhibendum ipſi exiſtimant (u). Quae quam aliena ſint a Themidos Germanicae principiis, ex iis, quae ſupra (§. II.) diſſeruimus, ſatis vnuſquiſque intelliget.

§. XXI.

Quomodo hodie maritus vxoris curator fiat in Saxonia?

Sed iam operae pretium fuerit, hodiernam huius tutelae curaeue indolem cum iuris antiqui principiis, iiſque, quae poſtea ex iure Romano recepta ſunt, quin & praxin Saxonicam cum aliarum ciuitatum legibus & ſtatutis contendere, vt eo magis adpareat, qualia hodienum ſuperſint veteris iſtius tutelae maritalis veſtigia. Et primo quidem iam diximus, vetere iure marito hanc tutelam ex lege competiiſſe, ſimul ac vxor in eius amplexus veniſſet. Itaque non opus erat vel ſingulari conſtitutione, vel confirmatione magiſtratus. At Saxones aliter philoſophari coeperunt. Sufficere putant curam maritalem legitimam, ſi quid agendum contrahendumque ſit extra iudicium, adeo vt ſi vel maxime ſingularem curatorem acceperint a iudice, tamen alterutrius, ſiue mariti ſiue conſtituti curatoris, conſenſus vxori contrahenti ſufficiat, modo ille non diſſentiat (x). Hinc quum Auguſtus Elector Saxoniae (y) vſus ſit verbis: *Ohne Vorwiſſen und auctorität ihrer ehelichen und anderer verordneten Vormünder*: copulam ET disiunctiue interpretandam putant MOLLERVS (z) & BERLICHIVS (a), quamuis veroſimilior ſit ſententia CARPZOVII (b), verba illa accipientis de feminis nuptis & innuptis ſimul, adeoque illa poſtrema: *verordneten Vormünder* referentis ad innuptas. Vnico caſu mariti curatoris conſenſum feminae ſufficere negant, ſi nimirum cum marito, vel in eius commodum, contrahere velit. Quod & iuſtam habet

(t) *l. 8. C. de pact. conu.*

(u) Beuſt. *de Sponſal. cap. XXI. pag.* 15. *&* *de Matrim. cap.* XLIX. *pag.* 92.

(x) Dan. Moller. *ad Conſt. Elect. XV.* 3. Weſenb. *Conſil. Tom. I. Conſ. XI. n.* 17. Carpz. *de Iur. fem. ſing. Decad.* III. *poſit.* 8. *n.* 8. *ſequ.*

(y) *Conſt. Elect. XV. §. gleicherg.*

(z) Moller. *ibid.*

(a) Berlich. II. *Concluſ.* XXVII. *n.* 15.

(b) Carpz. *ibid. n.* 11. *ſequ.*

habet rationem, quum non modo ius noſtrum (c), ſed & ipſa recta ratio non patiatur quemquam auctorem fieri in rem ſuam. Sic Doctores Saxonici maritali iſti ſiue tutelae ſiue curae, adhuc aliquid tribuunt, quoties negotium aliquod extra iudicium gerendum eſt, at ſimul ac in foro pro vxore poſtulare velit maritus, eum aut a magiſtratu confirmandum, aut nonniſi tamquam procuratorem vxoris praeſumtum, praeſtita cautione de rato, admittendum iudicant, ceu paullo ante oſtendimus pluribus. (§. XX.) Quod a iure Germanico vetere adeo abhorret, vt candide ſcribat GE. BEYERVS (d): *Olim cura maritalis in Germania ad lites ſuffeciſſe videtur abſque iudicis confirmatione, quod omnes iuris prouincialis vtriuſque, ſcilicet Sueuici & Saxonici, textus innuunt* (e).

§. XXII.

Quomodo aliis locis? Nemo ergo mirabitur, extra Saxoniam, vbi plerumque iuris patrii decreta turbarunt ICti, ſolius iuris Romani principiis innutriti, eam magiſtratus confirmationem exſulare, ſiue in foro, ſiue priuatos intra parietes vxori aliquid agenti auctoritatem accommodet maritus. In ipſa Luſatia ſuperiore, vbi tamen legibus moribuſque Saxonicis viuitur, maritum, etiam pro vxore poſtulaturum, non indigere magiſtratus confirmatione, ſed ſuo iure tamquam legitimum vxoris ſuae curatorem, admitti, ex STATVTO BVDISSINO (f) obſeruauit laudatus BEYERVS (g). In Belgio quoque maritos non confirmari vxorum curatores, ſiue domi ſuae, ſiue in foro quid gerant, experientia docet. Ex quo etiam collegit doctiſſimus Friſiorum ICtus, VLR. HVBERVS (h) maritalem illam curam, non eſſe curam proprie dictam, ſed poteſtatem ſui generis maritalem: recte profecto & adpoſite, ſi per proprie dictam, curam intelligit eam, quae ex iure Romano eſt. Huic enim diſſimillimam eſſe tutelam illam maritorum in Germania, facile largimur: eſt tamen tutela proprie dicta iuris Germanici, quod inter poteſtatem, tutelam & curam nullum ſtatuiſſe diſcrimen, ſupra iam animaduertimus. (§. II. Cap. II.) Quod ad IVS HAMBVRGENSE (i) attinet, de eo iam ſupra vidimus. (XI.) Tantum enim abeſt, vt maritus eo iure arceatur a foro, ſi vel curato-

(c) *l. 1. ff. de auct. tut. l. 5. ff. eod.* §. 5. *Inſt. eod.*

(d) Beyer. *Spec. Iur. Germ.* I. 17. 14.

(e) *Ius prou. Sax.* I. 31. *Spec. Sueu. cap.* CCCLX.

(f) *Status. Budiſſin. cap.* II. *tit.* VIII.

(g) Beyer. *Spec. iur. Germ. ibid.*

(h) Huber. *Praelect. ad Digeſt.* XXVI. 1. 3.

(i) *Status. Hamb.* I. 9. 1.

Digitized by

ratorium non proferat, vel rem ratam habituram vxorem, non ſatisdet, vt potius haec vxoris tutela eum obſtringat etiam inuitum ad vxorem in iudicio defendendam. *(Der ſie dann im Rechte als ihr Ehe-Vogt und rechter Vormund zu vertreten ſchuldig.)* Quo etiam factum, vt quum ſtatuta illa prudentiſſime ſcripta propinquos intra tertium gradum conſanguinitatis, nec non generum & ſocerum ſine mandato poſtulaturos, cauere de rato iubeant (k), ea cautione ibi onerari non videamus maritum, pro vxore ſine eius mandato agentem, quippe tutorem vel curatorem vxoris ſuae legitimum. Nec aliter ſe rem habere videmus IVRE LVBECENSI. Quamuis enim & illo ſanciatur (l), *Es ſollen Frauen und Iungfrauen zu keinen Zeiten Macht haben Sachen im Gericht zu führen, weder durch Klage noch durch Antwort, ſollen auch nicht auſlaſſen vor dem Rathe noch vollmächtig machen ohne ihrer Vormünder Conſens und Willen*: nuſquam tamen vel mandatum, vel curatorium, vel cautionem de rato a marito exigi animaduertimus, nec vſquam vllum horum exigit MEVIVS, iuris illius interpres, qui alioquin nullam temere, ſtatuta illa ex iure Romano interpretandi, praetermittere ſolet occaſionem. Eamdem tamen labem, quam in Saxonia iuri patrio intulit ius peregrinum, etiam in IVRE WVRTENBERGICO (m) obſeruamus. Quum enim maritus, iure ciuili nouo tantum bonorum receptitiorum nomine ſine mandato acturus, de rato caveat, iure illo Wurtenbergico, neglecto illo bonorum diſcrimine, indiſtincte de rato cogitur cauere, adeo vt ibi dubitent (n), an ab hoc onere cautionis liber futurus ſit, ſi offerat inſtrumenta ſibi ab vxore tradita loco paraphernorum (o). Nec minus LEGIBVS MAGDEBVRGICIS (p) iuris peregrini lacinia acceſſit, quippe quibus cautum: *Es ſollen auch die Ehemänner, wann ſie wegen ihrer Eheweiber in Fällen, welche kein* ſpeciale mandatum *erfordern, erſcheinen, ein* curatorium *vorlegen, oder* de rato *cauiren, oder von ihren Eheweibern, bevorab* in caſibus ſpeciale mandatum requirentibus, *gevollmächtiget ſeyn.* Adeo magis alibi, alibi minus deſcitum eſt a priſco iure patrio, quo maritus ſine magiſtratus confirmatione legitimus erat vxoris ſuae tutor ac proinde ſine vxoris mandato, vel cautione de rato omnia eius negotia in iure aeque, ac inter priuatos parietes, recte explicabat.

(k) *ibid.* I. 10. 1.
(l) *Ius Lubec.* I. 7. 8.
(m) *Ius prou. Wurtenb. Part.* I. *tit.* XVI. §. Item *ein Ehemann.*
(n) Beſold. *Diſſ. ad P. I. Iur. Prou. Wurtenb.* §. 38. Lauterb. *ad P. I. tit.* XVII. §. 34.
(o) *l. fin. C. de pact. convent.*
(p) *Ord. Proceſſ. Magdeb.* XIII. §.

§. XXIII.

Quanta eius poteſtas in Saxonia?

Iam ergo quanta in Saxonia ſit mariti curatoris poteſtas, paucis diſpiciendum. Quum nimirum extra iudicium omnia pro curatore agere poſſit: facile patet primo, vxorem nihil rerum ſuarum alienare poſſe ſine eius auctoritate ac conſenſu. Generatim enim IVS SAXONICVM (q): *Kein Weib mag ihres Gutes ichtwas vergeben ohn ihres Mannes Willen.* Et quidem quum mulier vel res mobiles poſſideat, vel res ſoli: in illis alienandis nemo dubitat, quin mariti conſenſu opus ſit, quia maritus vxoris ſuperſtes earum heres eſt ac legitimus ſucceſſor, quam ſucceſſionem vti nec teſtamenti factione, ita ne alienatione quidem inter viuos, marito interuerti oportet (r). At in fundorum alienatione vxorem hoc conſenſu mariti haut indigere, exiſtimant MOLLERVS (s) & BERLICHIVS (t): quos tamen errare vel ideo recte ſtatuunt alii (u), quod generalis ſit illa iuris Saxonici prohibitio. At eſt & alia, eaque conſultiſſima ratio, quae huiuſmodi res alienari ſine mariti conſenſu non patitur. Quum enim iure Saxonico maritus bonis omnibus vxoris, conſtante matrimonio, vtatur fruatur: mariti ſane quam maxime intereſt, legitimum hunc vſumfructum alienatione bonorum, ſe inconſulto facta, ſibi non interuerti, ceu iam AVCTOR GLOSSAE IVRIS SAXONICI (x) recte animaduertit. At quemadmodum nihil ibi alienare poteſt vxor inconſulto marito: ita nec maritus quidquam ex rebus vxoris, inuita ea, recte alienat (y). Deinde idem de aliis contractibus dicendum, quibus ſe ad dandum praeſtandumque obſtringit vxor. Tantum enim abeſt, vt femina ſe ſine conſenſu curatoris, (cuius vicem & maritum in contractibus ſuſtinere diximus) valide obligare poſſit, ut defectus curatoris obligationi huic vim atque effectum ipſo iure detrahat, adeoque actus plane nullus ſit, nec ulla reſciſſione vel reſtitutione mulieri laeſae opus ſit (z). Quod adeo verum eſt, vt, quum mulier ſine curatore contrahens procul dubio obligetur naturaliter, ac proinde fideiuſſorem pro ea inter-

(q) *Ius prou. Sax. I. art. XXXI.*

(r) Matth. Coler. P. I. *Dec.* LXI. *n.* 5. Carpz. *de iure fem. ſing. Dec.* III. *poſ.* 8. *n.* 19.

(s) Moller. *ad Conſt. Sax. XV. n.* 3.

(t) Berlich. *II. Concl.* XVII. *n.* 16.

(u) Weſenb. *Tom. I. Conſ. XXV. n.* 15. Rauchb. *I. Quaeſt. XXXIV. n.* 45. Carpz. *de iur. ſing. fem. ibid. n.* 23. *ſeq.*

(x) Hartm. Piſt. *Obſ. CLV.* Carpz. *ibid. poſ.* 9.

[y] *Conſtit. Auguſti Elect. Sax. XV.* § *Gleichergeſtalt.* Moller. *ad dictam conſt. n.* 85. Berger. *Diſp. iur. X. theſ. XI.*

(z) Moller. *ibid. n.* 59.

Digitized by Google

interuenientem obligari, nemo dubitet (a), ICti tamen Saxonici etiam condictionem indebiti concedant mulieri, quae ex eiuſmodi obligatione, inconſulto curatore inita, quidquam ſoluit (b). Iusiurandum tantum a muliere praeſtitum, quoad iurantis perſonam, ſupplere ſtatuunt ex iuris canonici principiis (c), & merito addunt, quoties vel in dolo verſetur mulier, vel pecuniam mutuam accipiendo locupletior ſit facta, obligari feminam, etiam ſine curatoris conſenſu contrahentem, quum & indignae ſint legum beneficio, quae dolo alios circumueniunt (d), nec feminae quoque fieri debeant cum aliorum damno locupletiores (e). Nullam erga Saxones vim tribuunt obligationibus nuptarum, ſine curatorum, adeoque & maritorum, conſenſu initis, niſi quod excipiant contractus mulieri vtiles (f), quia & pupillus meliorem conditionem ſuam reddere poſſit ſine tutoris auctoritate (g), itemque ea, ad quae feminae negotiantes circa mercaturam ſe obſtringunt (h). Quod adeo omni dubio caret, vt & cambia eiuſmodi mulieris, & ſine curatorum maritorumque conſenſu ſcripta, perſecutionem cambialem operentur, etiam iis locis, ubi alioquin mulieres nihil ſine iis poſſunt (i), quum alias mulieres & in iis Germaniae prouinciis, vbi illa mulierum cura paene euanuit, vel maritum curatoremue adhibere iubeantur, vel virum ſaltim aliquem, qui eas de effectu negotiationis collybiſticae rigidiſſimo admoneat (k). Quin & tum conualeſcere contractum docent, ſi mulier vel eum, qui negotio interfuit, curatorem ſibi conſtitui in continenti petat (l), vel loco curatorum adhibuerit cognatos proximos, iique contractum illum non improbarint (m): vel denique cum parentibus liberiſque contraxerint (n), inter quas perſonas vel ipſa pietas omnem fraudis ac laeſionis ſuſpicionem excludit (o). Denique feminam illuſtrem, & miniſtrorum vel offi-

 cia-

[a] Hering. *de fideiuſſ.* *XIX.* 3. Carpz. *de iur. ſing. ſem. Dec.* III. *poſ.* 3. *n.* 13. *ſeq.*

[b] Moller. *ibid. n.* 19. Berlich. *ibid. n.* 114. Carpz. *ibid. poſ. II. n.* 6.

[c] Carpz. *ibid. poſ.* 3. *n.* 18. *ſeq.*

[d] *l.* 43. §. 1. *ff. de admin. tut. l.* 37. §. 1. *ff. de minor.*

[e] *arg. l.* 46. *ff. de obl. & act.*

[f] Riuin. *ad Proc. Sax. tit. VIII. enunc.* 37.

[g] *arg. l.* 9. *pr. ff. & pr. Inſt. de auct. tut.*

[h] *Conſt. Elect. XV. in fin.* Carpz. *ibid. poſ.* 4. *n.* 19. *ſequ.*

[i] Ludou. *introd. ad Proc. Camb.* I. 7. *ſequ.*

[k] *Pot. Pruſſ. Reg. allgemein Wechſel-Recht de anno MDCCXXIV. art.* VIII.

[l] Menken. *ad ordin. Proc. tit.* VIII. *th.* 12. *n.* 5.

(m) Carpz. *P. II. Conſt. XV. Def.* 18. Beyer. *ſpec. Iur. Germ.* I. 27. 30. *ſequ.*

(n) Moller. *ibid. n.* 66.

(o) *l.* 17. *C. de poſtl. reuerſ.*

cialium conſilio inſtructam, non indigere in contrahendo curatorum conſenſu, inter omnes conſtat (p): quamuis non deſint exempla, quae & eius conditionis mulieres, in negotiis cum maiore praeiudicio coniunctis, veluti alienationibus vel oppignorationibus immobilium, ſine curatorum conſenſu nihil egiſſe docent (q).

§. XXIV.

Quanta alibi?

At vero aliis locis, vbi mulieres perpetuae tutelae ſiue curae ſubſunt, non eodem modo haec omnia obſeruantur. In Belgio enim laxiorem eſſe maritorum poteſtatem, adeoque & inconſulta vxore eos alicubi vendere ac oppignorare poſſe vxorum bona, iam ſupra oſtendimus (r). In Friſia tamen, vxore non conſentiente, nihil rerum immobilium vxoris alienare licet marito, quum is res mobiles pro lubitu in alios transferat, ipſaſque obligationes, vxore inſcia, valide cedat aliis, ceu variis adlatis ſententiarum exemplis ſolide demonſtrat VLR. HVBERVS (s). Similiter in Belgio vxor ſe, niſi auctore viro, obligare non poteſt, adeo, vt & Friſii, qui alioquin iuri Romano plurimum tribuunt, contractum huiuſmodi nullum iudicent, niſi in vxoris contrahentis vtilitatem manifeſto vergat (t). Adſtrictior quoque eſt mulieris poteſtas alienandi contrahendique apud Lubecenſes, quippe quae ſine marito vel curatore nec venundare quidquam, nec ſe obligare poteſt pro alio vltra binos numos & dimidium (u). Quod & Hamburgi obtinet, vbi vxor ſine mariti conſenſu nihil vel emit vel vendit valide, praeter linum, ac ne ex mutuo quidem, nedum ex alio contractu, tenetur, niſi quod creditor ei tunc ſtolam exteriorem detrahere poſſit, eo vſque, dum nomen expunxerit. Merentur verba ſtatuti legi, quae ita ſe habent (x): *Die frau, ſo der Kauffmanſchafft nicht zugethan, kan ohne ihres Mannes oder ihrer Vormünder Wiſſen und Volbort, auſſerhalb Linnewand und Flachs, zu des Hauſſes Notburfft gehörig, nichts beſtändiglich contrahiren. Hätte ſie aber ohne Conſent ihres Vormundes etwas aufgeborget, oder gekaufft, ſoll dem Gläubiger verſtattet werden, ihr das oberſte Kleid abzunehmen, bis daſs er bezahlt eſt.* Nimirum mercatrix & Hamburgi, & Lubecae, & in Belgio, ſine curato-

re

(p) Carpz. *ibid. Def.* 9.

(q) Carpz. *de iur. ſing. fem. Dec.* III. *poſ.* 5. *n.* 28. *ſequ.*

(r) Grot. *Introd. in Ius Belg.* L. *I.* *P. V. n.* 33.

(s) Huber. *Prael. ad Pand.* XXVI. *1.* 6. & 18.

(t) Huber. *ibid.* §. 6.

(u) *Ius Lubec.* I. 10. 1.

(x) *Stat. Hamb.* II. 8. 1.

Digitized by Google

re contrahit valide, modo Hamburgi tabernam publice habeat, *vvann ſie Kauffmanſchafft gebraucht, offene Laden und Fenſter hält, mit Gevvicht aus oder einvvieget und miſſet.* Contra alibi & bona ſua ſaltim mobilia recte alienat vxor, & ſuper iis contractus quoslibet init etiam inſcio marito vel curatore. Quod & in hoc ducatu Magdeburgico cautum ORD. PROCESSVS EMENDATIORE (y), quae, quamuis ſine curatoribus eas nihil in iure agere patiatur, nec quidquam in foro geſtum ratum eſſe velit ſine curatorum auctoritate, praeterquam ſi in iure quid confeſſa ſit mulier: de negotiis tamen extra iudicium geſtis ſtatim ſubiicit: *Wie denn auch in den extra-iudicial Handlungen als Contracten, ſo mit fremden, und nicht unter Eheleuten ſelbſt geſchloſſen vvorden, Teſtamenten, Schenkungen des Fahrniſſes unter den Lebendigen, oder auf den Todes-Fall, die Gegenvvart und Auctoritaet eines Kriegiſchen Vormundes nicht von nöthen, ſondern es iſt darinnen nach den gemeinen beſchriebenen Rechten zu verfahren, in Veräuſſerung aber unbevveglicher ſtücken ſoll die Auctoritaet und Vollvvort eines kriegiſchen Vormundes allerdings erfordert vverden, und in deſſen Entſtehung der Handel an ſich null und nichtig ſeyn.* Sic facile patet, & hac quoque in re alibi tenaciores fuiſſe Germanos morum patriorum, alibi eoſdem admixtione iuris Romani mirifice fuiſſe vel emendatos, vel interpolatos, vt mirum ſit, toti iſti maritali tutelae non potius ſemel ſimulque nuncium mitti, quam eamdem ita deformari his iuris peregrini laciniis, vt vix ſui ſimilis videatur.

§. XXV.

Ex quibus facile patet, quid in Saxonia ſine curatore poſſit femina, adeo, vt ne mariti quidem conſenſu ad id indigere videatur. Quum enim ICti Saxonici exiſtiment, illam ſiue tutelam ſiue curam in feminarum gratiam inuentam eſſe, ne fraudi illis ſit lubricum iudicii, & innata fere ſexui credulitas: non poterunt non inde colligere, ea omnia mulierem ſine curatoris, vxorem ſine mariti conſenſu recte explicare, ex quibus nullum illi immineat damni vel laeſionis periculum. Hinc non modo rem familiarem ſuo arbitrio adminiſtrat, ſed & inconſulto curatore, teſtamentum condit (z), mortiſque cauſa donat (a), aliaque recte agit, quae ſupremo hominis iudicio fieri ſolent. Quamuis enim *Quid vxor ſine curatore poſſit in Saxonia.*

 de

(y) *Ordin. Proc. Magd. emend. cap.* XIII. §. 1. *Gleichergeſtalt.*

(z) *D. Auguſti Elect. Sax. Conſt.* 15.

(a) Carpzou. *de iur. ſing. fem. Dec.* III. *poſ.* 7. *n.* 9. *ſequ.*

de mortis cauſa donatione dubitent MATTH. WESENBECIVS (b) & MOD. PISTORIS (c) eo, quod eiuſmodi donatio pactis & contractibus quodammodo videatur aequiparanda (d): notum tamen eſt, eamdem inter conuentiones & vltimas voluntates quodammodo fluctuare (e), quumque per omnem donatricis vitam ſit reuocabilis, nec prius, quam ea mortua, donatarius dominium conſequatur, quando iam laeſionis nullum amplius periculum ſubeſt: rationem, ob quam celſiſſimus Saxonum legislator liberam teſtamenti factionem concedit feminis, donationibus his omnino quadrare, nemo temere negauerit. Id ſatis expeditum eſt, ne conſentiente quidem curatore eam in fraudem mariti de rebus mobilibus (f), nec auctore marito alioue curatore de rebus vtenſilibus vel geradicis, in fraudem cognatae, ſupremis tabulis diſponere poſſe (g). Vti enim in illis maritus, ita in his cognata ab ipſa lege ad ſucceſſionem vocatur, neque teſtatricis arbitrio hic quidquam permittitur, quia ſic ſemper eludi ac interuerti poſſet legitima illa ſucceſſio. Cui tamen principio an admodum conſentaneum ſit, quod geradam illam hereditate ad mulierem delatam vel illatam (*geerbte und eingebrachte Gerade*) marito vendi, vel extraneo donari patiantur, etiam nulla vrgente neceſſitate, alii viderint. Quis enim negauerit, & eo modo cognatae illud lucrum a lege deſtinatum ſemper impune poſſe interuerti? Et quis fraudem fieri legi dubitet, quoties saluis legis verbis ſententia eius circumuenitur (h)?

§. XXVI.

Quid extra illam? Extra Saxoniam alibi eadem ſequuntur principia; alibi id, quod res eſt, iudicant, non in feminarum gratiam inuentam eſſe hanc tutelam, ſed in gratiam mariti, quem vetere iure Germanico non minus vxorem, quam liberos, in poteſtate habuiſſe tutoris nomine, ſupra iam animaduertimus. Hinc quemadmodum liberam feminis teſtamenti factionem indulgent etiam LEGES MAGDEBVRGICAE (i), & mores in Friſia recepti (k): ita in Gallia & vxori

(b) Weſenbec. *Paratitl. de mort. cauſſ. don. n. 4.*

(c) Modeſt. Piſtor. *Tom. I. Conſil. 1. n. 23. 24.*

(d) Huber. *Prael. ad tit. Dig. de mort. cauſſ. don.* §. I.

(e) *l. 37. pr. ff. de mort. cauſſ. don.*

[f] *D. Auguſti El. Part. II. Conſt. VII.*

[g] Beyer. *Spec. Iur. Germ. II.* 15. 55.

[h] *l. 29. ff. de Legib.*

[i] *Ordin. Proc. Magd. emend. cap.* XIII. §. *I.*

[k] Huber. *Prael. ad Dig.* XXIV. I. 17.

Digitized by Google

vxori teſtamentum condituræ opus eſt auctoritate viri (l), ne quid in eius liberorumque communium detrimentum diſponat. Nec deſunt leges ſimiles in Germania. Ivre enim hambvrgico (m) cautum eſt : *Keine Frauensperſon, ſie ſey ledig oder verheurathet, möge auch von wolgewonnenem gut, ohne Vormund, in ihrem Teſtament oder lezten Willen etwas vergeben. Was denn aber eine Frau gebe von ihrem gewonnenen Gut durch ihren Mann, als ihren rechten Vormund, ohne Erlaubnis der Erben, das ſolle man entrichten aus dem ſammenden Gut vor allem Theile.* Et ivre lvbecensi (n) adhuc magis reſtricta eſt mulierum teſtamenti factio, & contra tanto plus maritis circa vxorum teſtamenta permiſſum. Sicuti enim ibi non teſtatur femina, niſi mercatrix de bonis induſtria ſua adquiſitis, & vidua : ita priore caſu requiritur conſenſus tutorum vel curatorum : poſteriore poteſtas a marito vxori teſtamento facta. En verba notatu digniſſima : *Es kan keine Frau nach Lübiſchem Recht ein Teſtament machen, es ſey ihr dann die Macht von ihrem verſtorbenen Manne in ſeinem Teſtament gegeben, doch von denen Gütern, welche ihr der Mann gegeben, und zu verteſtiren vergönnet hat, und nicht von Erbgütern. Wäre ſie aber eine Kauff-Frau, und alſo vor dem Rathe gezeuget, ſo mag ſie ein Teſtament machen, von ihrem wolgewonnenen Gute, doch mit ihrer Vormünder und nächſter Erben bewilligung.* De cuius ſtatuti a iure communi vel maxime exorbitantis aequitate quum multis diſputet mevivs, neſcio tamen, an rationem eius genuinam ſatis peruiderit. Nimirum de bonis hereditariis iure Lubecenſi teſtari non licet, ſed de adquiſitis. Adquirere ibi nihil praeſumitur femina, niſi vel mercatrix ſit, vel a marito aliquid teſtamento acceperit. Vtroque ergo caſu teſtari poteſt, illo, ſi curator, qui ex lege maritus eſt, conſentiat, hoc, ſi maritus cum ipſis rebus poteſtatem ſimul ei dederit, de rebus iſtis ſuo arbitrio diſponendi. Ita bene cohaeret ius illud vere Germanicum, nec multum refert, iuri Romano conſentaneum ſit, nec ne, quum cuiuis ciuitati ac reip. integrum fuerit, iuri Romano ita apud ſe ius hoſpitii dare, vt ne ciuibus moleſtum eſſet, moreſque ac conſuetudines patrias, violato hoſpitii iure, ageret in exſilium.

§. XXVII.

[l] Tiraquell. *ad Leg. Connub. Gloſſ. V. n.93. ſequ.* Chaſſan. *Conſuet. Burgund. tit. de iur. coniug. rubr. IV. verb.* ni auſſi par teſtament.

[m] *Ius ſtat. Hamb. III.* 11. 14.

[n] *Ius Lubec. II.* 1. 14.

§. XXVII.

Effectus quidam veteris iuris etiamnum ſuperſtites.

Itaque paſſim effectus quidam ſuperſunt tutelae maritalis legitimae, etiam vbi iuri patrio parum honoris habetur, veluti quod maritus bona vxoris, conſtante matrimonio, adminiſtrat, quod iiſdem vtitur fruitur, quod vxor in alienandis rebus ſuis pleriſque locis mariti conſenſum adhibere tenetur, quod hic pleriſque locis, vbi etiam curatoribus non indigent feminae, maritus vna cum vxore ſubſcribit contractibus, adhibita formula: *In ehelicher Vormundſchafft ſeiner Frauen.* Quae omnia demonſtrari poſſent pluribus, niſi nos promiſſae breuitatis fides, quanto omnia tranſcurſu dicenda ſint, identidem admoneret.

§. XXVIII.

Concluſio diſſertationis.

Sed iam pridem portum reſpicimus. Ne itaque iuſto latius euagemur, ſuffecerit, genuina vtriuſque iuris principia de tutela vel cura maritali oſtendiſſe, comparatiſque ſtatutis moribuſque hodiernis, perſpicue, quantum per alias occupationes licuit, docuiſſe, quae Germaniae gentes ac ciuitates vel ſanctius priſcas leges patrias colant, vel eas aut ex iure Romano interpolarint, aut plane extorres ſolo patrio eſſe iuſſerint. Alia enim, quae ſtudio praetermiſimus, ne vulgus quidem ignorat, & ex libellis in triuio obuiis facile petuntur. Itaque illis miſſis hic figimus ratem, Deoque ſoſpitatori tabulas votiuas pia mente ſuſpendimus.

DE

Digitized by Google

DE PRAESCRIPTIONE ANNALI IVRIS LVBECENSIS A IVRE COMMVNI DIVERSA.

EXERCITATIO XXVI.

§. I. Iuris Lubecenſis celebritas & aequitas. Inſtituti ratio. §. II. Praeſcriptio quatenus ſit iuris ciuilis? §. III. Non tamen ea iuri naturae & gentium contraria eſt. §. IV. Leges ciuiles cuiuſque reip. fini populique genio ſunt attemperandae. §. V. Adeoque & praeſcriptio. Cur ea apud veteres tam varia? §. VI. In emporiis contractiora eſſe oportere praeſcriptionis tempora. §. VII. Hinc & Lubecae fere annalis praeſcriptio obtinet. §. VIII. Quid in iure Lubecenſi annus & dies? §. IX. Primus caſus, quo praeſcriptio annalis obtinet, ſi quis hominem proprium vindicet. §. X. Vindicationi ſeruorum an iure ciuili obſtet praeſcriptio? §. XI. An talis praeſcriptio prodita fuerit vetere iure Germanico? §. XII. An in ciuitatibus ſeruis tutum perfugium fuerit? §. XIII. Praeſcriptio, qua ſe in vrbibus tuentur homines proprii, ex priuilegio eſt. §. XIV. Quale & Lubecenſes obtinuerunt ſimul cum iure Suſatenſi. §. XV. Ipſius periochae, ex iure Lubec. adductae, interpretatio. §. XVI. An & ab aeſtimatione praeſtanda liberet illa praeſcriptio? §. XVII. Alter caſus praeſcriptionis annalis, qua vindicatio rerum immobilium & mobilium excluditur. §. XVIII. Comparatio iuris communis & Lubecenſis. §. XIX. Nec non Lubecenſis & aliorum Germ. iurium. §. XX. Ciuitates quaedam Germanicae annalem praeſcriptionem & in immobilium vindicatione admiſerunt. Aequitas eiuſmodi ſtatuti. §. XXI. Interpretatio ſtatuti de vſucapione rerum immobilium. §. XXII. Nec non alterius de praeſcriptione mobilium. §. XXIII. Tertius caſus

ſus de praeſcriptione bonorum vacantium, & legatorum caducorum. §. XXIV. Differentiae iuris Rom. & Lubecenſis circa haec capita. §. XXV. Lubecenſes hic ſequuntur principia iuris Germanici antiqui. §. XXVI. Interpretatio capitis de bonis vacantibus. §. XXVII. Nec non alterius de legatis caducis. §. XXVIII. Quartus caſus de forma aedificiorum. §. XXIX. Comparatio huius capitis cum iure Romano. §. XXX. Quintus caſus praeſcriptionis annalis in dote. §. XXXI. Comparatio iuris Lubecenſis & iuris Romani. §. XXXII. Sextus caſus praeſcriptionis annalis eorum, quae libro publico inſcripta ſunt. §. XXXIII. Quando & quamdiu ea, quae in hunc librum relata ſunt, impugnari queant? §. XXXIV. Concluſio diſſertationis.

§. I.

Iuris Lubecenſis celebritas & aequitas. Inſtituti ratio.

PErmagnam eſſe in Germania exteriſque prouinciis iuris Lubecenſis auctoritatem, neminem ignorare arbitramur, niſi qui ſe in iuris Germanici hiſtoria plane hoſpitem profiteatur. Non potuit non aliis ciuitatibus admirationi eſſe ſumma iſtarum legum aequitas, ſingularis diſciplinae publicae vigor, ipſaque nobiliſſimae vrbis, quae a tot ſaeculis his inſtitutis excelliſſime floruit, felicitas: ac proinde nemo mirabitur, alias quoque ciuitates certatim inde petiiſſe prudentioris legislationis exemplum, quin pro beneficio duxiſſe, ſeſe participes fieri iſtius, quod ciuitas florentiſſima feliciſſimis condidiſſet auſpiciis, quodque vtiliſſimum eſſe reipublicae, diuturno tot ſaeculorum vſu, ſatis perſpexiſſet. Quae itaque olim laus fuit Rhodi, qua in vrbe STRABO (a), *admirandam fuiſſe*, refert, *legum optimarum conſtitutionem, & induſtriam cum in aliis reipublicae partibus, tum circa rem nauticam, incredibilem, adeo vt imperium maris diu poſſederit, legeſque ab iis repertas cum Romani, tum aliae ciuitates quam plurimae, adoptarint*: idem de LVBECA dicendum, cuius ſtatuta ob inſignem εὐνομίαν prudentiamque legiſlatoriam vrbes municipiaque pleraque per Holſatiam, Pomeraniam, terras Meklenburgicas, quin & Boruſſiam, ſua fecerunt, vt ex inſtituto demonſtrarunt IO. SIBRANDVS (b), MOLLERVS (c), & ERNEST. IOACH. WESTPHALVS (d). Etiamſi ergo alia

(a) Strabo *lib. XIV. p.* 448.

(b) Io. Sibrand. *in iure publ. vrb. Lub. Sect. X. p. 94. ſequ.*

(c) Moller. *Iſagog. ad Hiſtor. Cherſon. Cimbr. Part. IV. cap. I. §. 2.*

(d) Ern. Ioach. Weſtphalus *de Fontibus*

alia deeſſent, quibus celeberrimi iſtius iuris aequitas probaretur; argumenta, quorum plura tamen in promtu ſunt, iam a MEVIO (e) & illuſtri BOEHMERO (f), in medium prolata: vel ipſum tamen tot praeſtantiſſimarum ciuitatum iudicium facile, credo, vnicuique perſuaderet, non poſſe non praeclaras eſſe leges, quas tot florentiſſimae vrbes & olim ciuitate donarunt, & hodienum omnibus aliis inſtitutis, quin, ut cum CICERONE (g) loquar, *omnibus omnium philoſophorum bibliothecis* longiſſime anteponunt. Quum vero multa hoc iure conſtituta ſint, quae a iure communi quam maxime diſcrepant; ego, qui vrbem praeclaram non quidem natalem, ſed altricem atque educatricem benigniſſimam veneror, me operae pretium facturum duxi, ſi ſingulare iuris Lubecenſis caput DE PRAESCRIPTIONE ANNALI exponerem, illudque cum iuris civilis Romani ſanctionibus breui diſſertatione compararem. Quod vt bene vertat ſupremum Numen, in ipſo limine huius ſchediaſmatis, ex animo precor.

§. II.

Praeſcriptio quatenus ſit iuris ciuilis?

Acturus itaque *de* PRAESCRIPTIONE ANNALI IVRIS LVBECENSIS ſingulari & a iure communi diuerſa, actum ſane agere mihi viderer, ſi aliorum expilare ſcrinia, & quidquid de praeſcriptione in genere ICti praecipiunt, hic accumulare conarer. Illud potius hic praemonere viſum eſt, praeſcriptionis aeque ac vſucapionis, qua priuati inter ſe vtuntur, originem non aliunde, quam ex iure ciuili; eſſe repetendam, & hanc proinde a veteribus recte vocari, *modum adquirendi iuris ciuilis* (gg). Equidem & gentes, quae iure ciuili inter ſe non vtuntur, praeſcriptionis praeſidio inter ſe niti, facile largior. Quis enim ignorat, iam illud belli fulmen, IEPHTHAM, Hebraeorum poſſeſſionem aduerſus Ammonitas ſolo temporis longiſſimi lapſu tueri (h)? Et quid aliud Lacedaemoniis, quam exceptionem praeſcriptionis, opponit ISOCRATES (i), dum pro Meſſeniis diſſerens vrget, ὅτι τὰς κτήσεις, καὶ τὰς ἰδίας, καὶ τὰς κοινὰς ἢν ἐπιγένηται πολὺς χρόνος, κυρίας καὶ πατρῴας ἅπαντες εἶναι νομίζουσιν. *Poſſeſſiones ſiue priuatas, ſiue publicas, praeſcriptione longi temporis, & confirmari, & patrimonii loco habendas eſſe,*

bus Iuris Lub. §. VIII. *& Specim. Document. Mecklenb. p.* 224.

(e) Meu. *Proleg. Quaeſt.* I. *n.* 56. *ſequ.*

(f) Boehm. *in diſſ. de Aequitate legiſlatoria iuris Lub. in materia teſtamenti.*

(g) Cicero *lib.* I. *de Orat. cap.* XLIV.

(gg) §. *vlt. Inſt. de vſu & habit. pr. Inſt. de vſucap.*

(h) *Iud. XI. v.* 26.

(i) *in Archidam. p.* 234.

ſe, perſuaſum eſſe omnibus. Omitto iam, quae pro praeſcriptione iuris gentium erudite ſuo more dixerunt HVGO GROTIVS (k), PVFENDORFFIVS (l), &, qui cauſſam plane perorauit, argumentiſque PETRI PVTEANI ſpecioſiſſimis praeclare ſatisfecit, IO. WERLHOFFIVS (m). Enimuero quamuis haec extra omnem dubitationis aleam poſita videantur: illam tamen iuris gentium praeſcriptionem ab hac, qua priuati poſſeſſiones ſuas tuentur, toto coelo diſtare, recte obſeruauit illuſtre olim huius Academiae ornamentum, CHRIST. THOMASIVS (n). Illius enim fundamentum eſt derelictio tacita, quae ex tam pertinace tamque diuturna gentis, poſſeſſione deiectae, patientia colligitur: huius negligentiae poena, quam leges minantur iis, qui, quum iura vigilantibus ſcripta nouerint, in diem veluti ſtertunt, nec de rebus ſuis recuperandis, dum occaſio eſt, cogitant. Illa ad certum tempus non reſtringitur, ſed ſufficit tanto tempore gentem adquieuiſſe, vt ex ea derelictio poſſit colligi. Haec tempori certo legibuſque definito alligata eſt (o). Quin ipſa vſucapionis ac praeſcriptionis requiſita, quae non in omnibus ciuitatibus eadem eſſe animaduertimus, ſatis non conuincunt, eam non ex aeterno illo ac immutabili iure, quod recta ratio inter omnes homines genteſque conſtituit, ſed ex iure cuiuſque reipublicae arbitrario promanaſſe, adeoque eatenus non eſſe iuris gentium, ſed ciuilis.

§. III.

Non tamen ea iuri naturae & gentium contraria eſt.

Quamuis vero iuris ciuilis inuentum ſit illa inter priuatos praeſcriptio: non tamen ideo exiſtimandum eſt, eam iuri naturae & gentium plane aduerſari, quamuis in ea haereſi ſint non modo GVIL. AMESIVS (p), ipſeque, quod mireris, ὁ πάνυ CVIACIVS (q), verum etiam IVSTINIANVS Imp. cui praeſcriptio eſt *impium praeſidium & tutus peccandi locus* (r). Quaſi vero improbum & a recta ratione alienum ſit praeſidium, ſine quo ſocietatis humanae vinculum ſaluum eſſe nequit, quodque, ſi e republica proſcribatur, non poteſt non ſimul pacem ac tranquillitatem ſecum rapere in

(k) Hugo Grot. *de I. B. & P. lib.* II. *cap. IV.*

(l) Puffend. *de Iure Naturae & Gent. lib. IV.* §. *XII.*

(m) Io. Werlhoff. *in Vindiciis dogmat.* Grotiani *de praeſcriptione inter gentes liberas*, *editis Helmſtadii anno MDCXCVI.*

(n) Thomaſ. *Iuriſpr. diu. lib.* II. *cap. X.* §. 171. *ſequ.*

(o) Conf. Henr. Bodini *diſſ. de Praeſcriptione ex lapſu temporis.*

(p) Guil Ameſius *de Conſcient. V.* 45.

(q) Cuiac. *ad l.* 1. *ff. de vſucap.*

(r) *Nou. IX.*

Digitized by Google

in exilium. Id vero euenturum eſſe, ſublata praeſcriptione, nemo non videt, & demonſtratione admodum erudita oſtendit vir clariſſimus KOEHLERVS (s). Tolle praeſcriptionem, nihilque certius continget, quam vt dominia omnia, omneſque poſſeſſiones in dubium vocentur, adeoque lites inter ciues gliſcant ſempiternae, nullaque temporum ſerie vmquam finiendae. Quid ergo aequius eſt, quam vt leges diſcrimen aliquod ſtatuant inter vigilantes & deſides (t), nec induſtriam deſidiae poenas: deſidiam induſtriae praemia ferre patiantur (u)? Quid iuſtius, quam vt *finis aliquis ſit ſollicitudinis & periculi litium*, quemadmodum vſucapionem eleganter vocat CICERO (x), ac proinde is ab actione repellatur, qui alterum quiete tam diu poſſidere paſſus eſt, vt non potuerit non ſe iuſtum dominum putare? maxime, *quum vix ſit*, iudice PAVLLO noſtro (y), *vt non videatur alienare, qui patitur vſucapi, vel non agendo ius ſuum amittit.* Suſpicari quis poſſet, vel eo nomine iniquum videri illud praeſcriptionis praeſidium, quod eo fieri poſſit, vt qui alioquin optimo iure nititur, ſine vlla culpa ſua, ac ideo tantum, quod vindicandi nulla fuerit occaſio, rerum ſuarum dominio excidat. Sed vanus plerumque eſt hic metus. Neque enim tam rigida ſunt iura noſtra, vt & non valenti agere, currere praeſcriptionem patiantur, quin iis, qui abſentes ex iuſta cauſſa, res ſuas vindicare, vel, aduerſario abſente, agere non potuerunt, data reſtitutione in integrum ſubueniunt, & facillimum praeterea produnt remedium, omnem vſucapionem praeſcriptionemque ſine vllo impendio interrumpendi (z). Maneat ergo fixum & firmum, vſucapionem quidem & praeſcriptionem ex iure ciuili eſſe, nec tamen iuri naturae & gentium aduerſari, adeoque & de hoc iuris capite vere dici poſſe, quod de iure ciuili generatim docet VLPIANVS (a), praeſcriptionem *nec totam a gentium vel naturali iure recedere, nec ei per omnia ſeruire.*

§. IV.

Quum ergo, vt hactenus obſeruatum, iuris ciuilis inuentum ſit praeſcriptio: (§. II.) facile mihi hoc largientur omnes rerum ciuilium haud ignari, eam ſingularum ciuitatum fini, ipſique cuiuſque populi genio atque indoli eſſe attemperandam. Si enim vera *Leges ciuiles cuiuſque reſp. fini popu-*

 pru-

(s) Koehl. *in Exercit. Iur. N. Exercit.* VII. §. 1657.

(t) *l. 2. C. de Annal. except.*

(u) *l. 12. C. depoſ.*

(x) Cicero pro A. Caecin. *cap. XXVI.*

(y) *l. 28. ff. de V. S.*

(z) *l. 2. C. de annal. praeſcript.*

(a) Vlp. *l. 6. pr. ff. de iuſt. & iure.*

liquae genio ſunt attemperandae.

prudentia in eo poſita eſt, vt quis genuinum actionum ſuarum finem ob oculos habeat, mediaque, quibus ad eum finem quam facillime poſſit peruenire, & recte reperiat, & repertis dextre vtatur: conſequens omnino eſt, & in legislatoria iuriſprudentia hoc primum, ſecundum, vltimum eſſe, vt leges ad finem & ſalutem ſingularum ciuitatum ſint comparatae. Hinc, beatas eſſe reſpublicas, experientia docet, in quibus leges vigent, fini earum ac populi indoli prudenter attemperatae, infeliciſſimas contra, vbi dum legibus parent ciues, fine ſuo miſeri excidunt, ſimiles nautis, qui aduerſo flumine nauigantes, vincente omnem induſtriam ventorum vi, tanto magis retro feruntur, quanto magis vela contrahunt, remos impellunt, omniaque ex artis nauticae praeſcripto agunt. Recte hoc obſeruauit rerum ciuilium auctor praeſtantiſſimus, ARISTOTELES (b), vbi alias eſſe docet leges, quae ſtatum popularem conſeruant, alias, quibus principatus vel imperium optimatium contineatur, nec fieri poſſe, vt eaedem proſint & imperio paucorum, & ſtatui multitudinis. Nec minus accurate philoſophatur THEOPHILVS noſter (c), dum ius ciuile ideo vocari τοπικὸν καὶ χρειῶδες, *locale & vtile*, ſcribit, *quod loco circumſcribatur, & loci vtilitati conſulat, eaque, quae loco illi pernicioſa ſint, tollat.* Quod deinde auctor prudentiſſimus exemplo Athenienſium, Alexandrinorum ac Spartanorum illuſtrat, qui quum diuerſos fines ob oculos habuerint, ſolumque incoluerint diſſimillimum, quin & ciues habuerint indolis atque ingenii diuerſiſſimi, non potuerint non diuerſis etiam legibus viuere, adeo, vt ſaepe, quod in laude ponerent Athenienſes, id Lacedaemone turpe ac a legibus alienum putaretur, & id contra eſſet vni reipublicae vtiliſſimum, quod cum maximo alterius detrimento coniunctum videretur. Adeo verum eſt, diuerſum ius ciuile producere diuerſum rerum publicarum finem, diuerſum populorum genium, ipſumque tempus, quod ſaepe, mutata reipublicae vtilitate, ipſas etiam leges ciuiles mutare ac refigere neceſſe eſt.

§. V.

Adeoque & praeſcriptio. Cur ea apud vete-

Quum ergo inter omnes conſtet, & luculenter hactenus demonſtratum ſit, ius ciuile vniuerſum, fini cuiusuis ciuitatis & reipublicae eſſe attemperandum: dubitare profecto non licet, quin eadem prudentiae legiſlatoriae regula circa praeſcriptionem quoque ſeruan-

(b) *Ariſtotel. Polit.* III. 7. IV. 1. & V. 9.

(c) *in Paraphraſi* §. I. *Inſt. de iur. nat. gent. & ciu.*

ſeruanda ſit legiſlatori, ſi conſultum velit reipublicae. Et id quidem diligenter factum eſſe animaduerto, dum nulli fere genti idem praeſcriptionis tempus placuit, quod alteri commodum viſum, ſed haec longiore, illa breuiori temporis ſpatio illud circumſcripſit, quaedam gentes eam plane proſcripſerunt e republica ſua, prout id cuique ciuitati ſaluberrimum futurum videretur. Vt rem exemplis illuſtremus, ipſe Deus immortalis, qui rempublicam Hebraeorum, vel Θεοκρατίαν potius, inaudito inter homines exemplo, conſtituit, legibuſque ſapientiſſimis temperauit, ſingularem plane in praeſcriptione rationem ſequutus eſt. Equidem quid circa praeſcriptionem rerum mobilium apud Hebraeos iuris fuerit, non facile dixerim. Aſt de immobilibus cautum erat, ne poſſeſſiones in perpetuum alienarentur, ſed alienatae, ſi non prius, ſaltim circumacta illa quadraginta nouem annorum periodo, quae anno Iubilaeo magno finiebatur, ad priorem dominum redirent (d): de qua agraria Hebraeorum lege, quae vſucapionem & praeſcriptionem rerum ſoli plane excludebat, eamque vindicationem lapſu temporis non elidi patiebatur, ſed in ſuſpenſo eſſe iubebat, erudite egerunt CAR. SIGONIVS (e), FR. VLR. CALIXTVS (f), & PETRVS CVNAEVS (g). Simile fere erat Lycurgi inſtitutum, quem emtionem venditionem rerum fundi plane inhibuiſſe, referunt ARISTOTELES & HERACLIDES apud CRAGIVM (h). Ex quo conſequitur, vt iure Spartanorum nulla prodita fuerit praeſcriptio, ob quam vindicari non potuerint poſſeſſiones, quae vllo caſu in alterius poteſtatem perueniſſent, vt non abſurde laudatus paullo ante CRAGIVS hoc Lycurgi inſtitutum cum illa lege Hebraeorum agraria, de qua modo diximus, compararit. Cur vero hae gentes a reliquis tantum non omnibus ea in re diſceſſerint, facile intelliges, ſi conſideres, vtrique legiſlatori, licet ob diuerſas rationes, eumdem finem ob oculos fuiſſe, puta, vt populus, ſui ſemper ſimilis, nullo exterorum commercio contaminaretur. Quo minus itaque aliarum gentium conſuetudinem deſiderarent ciues reipublicae Hebraicae: Deus terram, rerum omnium feraciſſimam, inter XII. tribus, excepta Leuitica, aequaliter ſorte diſtribuerat: idemque inſtitutum ſequutus Lycurgus, agrum omnem ita viritim diuidi

res tam varia?

(d) Leuit. XXV. 14. *ſeqq.* XXVII. 22. *ſequ.* Ioſeph. *Antiquit. Iud.* III. 12.

(e) Car. Sigon. *de Rep. Hebr.* III. 15. p. 126.

(f) Fr. Vlr. Calixt. *de Iubilaeis Rom. Pont.* §. *CXLVI. ſequ.*

(g) Petr. Cunaeus *de Republica Hebraeor. lib.* I. *cap.* II. & III.

(h) Crag. *de Republica Lacedaemon.* *pag.* 200. *ſequ.*

diuidi iuſſerat inter ciues Lacedaemonios, vt nullus inter eos excelleret opibus, nulli inopia dedecori ac pudori eſſet (i). Ad eam vero *ἰσότητα τῶν κτήσεων* conſeruandam, vel maxime comparatae erant leges, quae rerum illarum, ſi forte in alterius poteſtatem peruenifſent, vindicationem nulla quantiuis temporis praeſcriptione excludi patiebantur. Quam neceſſaria ſit ea prudentiae regula, ipſi quoque Romani ſuo exemplo ſatis ſuperque oſtenderunt. Quum enim initio vrbs eſſet non admodum ſpatioſa, & ager ſatis anguſtis limitibus finiretur, denique ciuibus in acie ſtare, quam in foro litigare, pulchrius atque vtilius videretur: breue valde praeſcriptionis tempus legibus inſtituerant, vt mobiles res anno, immobiles biennio vſucaperentur (k). Quam facile enim erat Romanis, tunc raro longius a patria abſentibus, in res ſuas inquirere, eaſque vindicare illico, nec committere, vt, qui eas detineret iniuſte, in earum poſſeſſione conſeneſceret? Neque exterorum cauſſa longiore temporis ſpatio opus eſſe videbatur, quia ex iuris Romani principiis *aduerſus hoſtes*, id eſt, peregrinos, *perpetua erat auctoritas*, nec vlla ciuibus, aduerſus eos agentibus, obſtabat praeſcriptio (l). Simulac vero Romani arma victricia per vniuerſam fere terrarum orbem circumferre & tot vbique prouincias ſub ſuam poteſtatem redigere coeperant: ſtatim frequentior ciuium abſentia, praediorumque ſitus remotior legem corrigi, tempuſque illud laxari ſuadebat. Hinc inuenta longi temporis praeſcriptio, quae ad praedia prouincialia pertinebat (m): hinc repertum praetoris beneficium, quo abſentibus quibuſdam aduerſus praeſentium, vel praeſentibus aduerſus abſentium vſucapionem ſubueniretur (n). Hinc denique IVSTINIANVS e republica futurum exiſtimabat, vſucapionem in praeſcriptionem longi temporis plane transformari, adeoque rerum mobilium vindicationem non niſi triennii, immobilium inter praeſentes demum decennii, inter abſentes vicennii praeſcriptione excludi (o). Poſſemus idem PLATONIS exemplo firmare, qui, quum rempublicam ex ſuo ingenio fingeret, tamen fuſe de praeſcriptione rerum praecipit, eamque totam ita ordinauit, prout id reipublicae illius fictitiae finis, ciuiumque, quos in eam adlegere conſtituerat, ingenium poſtularet (oo). Sed vel haec, quae hactenus diſſeruimus, vt opinor, probant

(i) Cragius *de republ. Lacedaemon. pag.* 199.

(k) *Pr. inſt. de vſucap.* Cicero *Topic. cap. IV. & pro* A. Caecina *cap. XIX.*

(l) Cicero pro A. Caecina *cap.* XXVI.

(m) *Pr. inſt. de vſucap.*

(n) *tot. tit. ff. Quib. ex cauſ. mai. viginti quinque ann. in integrum reſt.*

(o) *l. vn. C. de vſucap. transform.*

(oo) *lib. XII. de legibus.*

bant, praeſcriptionem a quolibet legiſlatore adcommodari ſolitam eſſe fini formaeque reipublicae, & quemadmodum ius illud, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, immutabile, & in vniuerſo humano genere idem eſt, ita ius ciuile vtilitati ac neceſſitatibus ſingularum gentium ſeruire, ac proinde, pro diuerſitate rerumpublicarum, non poſſe non eſſe diuerſiſſimum.

§. VI.

In emporiis contractiora eſſe oportere praeſcriptionis tempora.

Quibus poſitis, nemo, credo, mirabitur, eas etiam ciuitates, quae terra marique negotiantur, ita plerumque legibus temperare praeſcriptionem, ne illa huic fini ſuo refragetur, ac eam proinde breui admodum temporis ſpatio circumſcribere. Obſeruauit hoc vir πολιτικώτατος, IO. NIC. HERTIVS (p), cuius en ipſa verba: *Apud populos*, inquit, *qui Mercurium prae ceteris colunt, ſiue finem praecipue in flore commerciorum collocant, tempora praeſcriptionum ſolent eſſe contractiora, rerum etiam, quae alias vſucapi nequeunt, furtiuarum*, v. g. *vſucapio facilius permittitur.* Idem (q) vbi ex inſtituto agit de rebuspublicis, quibus commercia pro fine ſunt, inter alia & haec praecipit, *vt tempora vſucapionum in hiſce ciuitatibus ſint contractiora.* Ei ſuffragantur & alii rerum ciuilium periti, veluti IO. SAM. STRYKIVS (r), & interpres iuris Lubecenſis doctiſſimus, MEVIVS (s), qui intereſſe mercaturae docent, vt res quaedam citius, quam iure ciuili definitum eſt, praeſcribantur. Non ſubſiſterent profecto inter homines commercia, niſi iis huius generis legibus ac inſtitutis conſuleretur. Quis enim cum aliis contrahere, vel ab iis contractu quodam oneroſo ſibi quidquam comparare vellet, ſi non niſi poſt longum tempus tuta ac immota foret poſſeſſio? Quis in incerto euictionis promiſſo ſpem aliquam ac fiduciam poneret? Et quam miſera demum futura eſſet mercatorum conditio, ſi ita comparatae eſſent leges, vt, quauis adhibita cautione, nihil emere poſſis, quin periculum ſit, ne contractus poſt aliquot annos reſcindatur, remque amiſſo pretio, alii reddere cogaris? Adde, quod flori commerciorum minime omnium conueniant litium ambages, nihilque magis incommodum ſit mercatoribus, quam ſi plus boni temporis in foro, quam in tabernis ſuis, conſumere cogantur. Id quod tamen nulla animi perſpi-

(p) Hertius *Not. ad* Puffend. *de iure nat. & gent. lib. IV. cap.* XII. §. *V.*

(q) *Elem. polit.* P. II. *Sect.* XI. §. 5. p. 447.

(r) Io. Sam. Stryk. *in diſſ. de praeſcriptione rerum per mare adlatarum ſecundum ſtatuta Hamb.* §. VII.

(s) Meu. *in Comment. ad ius Lub.* L. I. *tit.* VIII. *art.* I.

perſpicacia caueas, niſi id agant legislatores, vt rerum dominia quam citiſſime certa ſint, & litigandi occaſio omnis iis, qui non in tempore vigilarint, praeſcindatur.

§. VII.

Hinc & Lubecae fere annalis praeſcriptio obtinet.

Quae quidem omnia, neſcio, an in vlla ciuitate, vlloue emporio, accuratius obſeruentur, quam LVBECAE, quae iam olim inter celeberrima emporia tantum eminuit,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Ius enim, quod a florentiſſima illa ciuitate nomen tulit, nulla in re magis a iure ciuili diſcrepat, quam in praeſcriptione, ſiquidem eam arctiore temporis ſpatio, quam vllum aliud ius ciuile, circumſcribit. Exempla eius rei exſtant quamplurima. Tres tantum dies apud Lubecenſes viuit iniuriarum actio, ob verbera extra ciuitatem accepta, ſi quis in ciues Lubecenſes velit culpam coniicere, idque triduum a momento, quo pulſatus, verberatusue ad vrbem reuertit, currit (t), vt adeo ad exſtinguendam iniuriarum actionem non maiore ibi tempore opus ſit, quam iure communi requiritur ad interdictum de glande legenda excludendum (u). Eodem iure incolis non niſi trium menſium induciae indulgentur, ad ius ciuitatis impetrandum (x): quum facultas illud ius adquirendi raro cuiquam ob temporis lapſum adimatur in aliis ciuitatibus, & durum ac inhumanum ſane videatur CICERONI (y), M. Iunii Penni vel Papii imitari legislationem, peregrinoſque vrbe vti prohibere. Iusiurandum alicui delatum iniunctumque, niſi intra quatuordecim dies praeſtetur, pro deſerto habetur cauſſaque cadit, qui tantillum temporis praeterire paſſus eſt (z). Contra pignus, eo iure, conualeſcit, ſi decoctor quatuor hebdomadibus, antequam foro ceſſit, more in ciuitate recepto, conſtituit (a). Sed & reliquarum tam rerum, quam actionum praeſcriptio iure Lubecenſium quam breuiſſima eſt, & plerumque anno & die finitur, niſi quod biennium indulgetur marito, intra quod promiſſam, nec numeratam, dotem exigere poſſit, carituro omni actione, ſi has inducias abire paſſus ſit (b). Quin longi ac longiſſimi temporis praeſcriptionem, quae in iure ciuili vtramque paginam facit, fere ignorat ius Lubecenſe, quod (vt verbis vtamur MEVII,) com-

(t) *Ius Lubecenſe lib. IV. tit. 4. art. 2.*
(u) *l. vn. ff. de glande legenda.*
(x) *Ius Lubec. lib. I. tit. II. art. 2.*
(y) Cic. *de Offic. lib.* III. *cap. XI.*
(z) *Ius Lubec. lib. V. tit.* VIII. *art. 2.*
(a) *Ius Lub. lib.* III. *tit.* IV. *art. 1.*
(b) *Ius Lubec. lib. I. tit. V. art. 2.*

(c) *commerciorum libertati, vigori & vtilitati conſulit, & ſubſeruit. quoniam mercaturae, immo omnis forenſis negotiationis intereſt, dominia rerum eſſe certa, & certos eſſe rerum poſſeſſores, qui de iis negotiari cupiant, nec, quae publice & bona fide accipiuntur, retractari, aut in ſuſpenſo eſſe.* Quare eos quam maxime fugit ratio, quibus durum ac paullo iniquius videtur, eos iuſto citius iure ſuo priuari, qui verecundia quadam praepediti, non ſtatim adeant praetorem. Recte enim his reſpondit laudatus MEVIVS (d), *ſi quid iniquitatis breuitati temporis ineſſe putetur, id tollere & emendare tum publicam vtilitatem, tum amittentis negligentiam. Boni patrisfamilias, cuius officia lex merito ab omnibus exigat, aut neglecta iuſte coerceat, eſſe, ex mente* VARRONIS, *rerum immobilium quotannis inire rationem, rerum mobilium ſingulis ſemeſtribus. Quod ſi fieret, rariſſimas fore praeſcriptiones, dum autem non fiat, eas non poſſe non eſſe iuſtiſſimas.* Haec MEVIVS, qui mallem ab aliis rationibus ac argumentis minus idoneis abſtinuiſſet, nec perſuadere lectoribus ſuis voluiſſet, ſtatutorum Lubecenſium auctores ius praetorium habuiſſe ob oculos, iſtique praeſcriptionis ſuae terminum aequare voluiſſe. Quid enim commune cum iure praetorio habet illa praeſcriptio Lubecenſium? Et quis verum praeſtabit, primos ſtatutorum conditores, iuris Romani libros vmquam non dicam euoluiſſe, ſed oculis tantum vſurpaſſe? Accedit, quod ius honorarium poenales tantum ac reſciſſorias actiones, ex edicto profectas, tam breui vnius anni curriculo circumſcribit, rei autem perſequutorias aeque ac ciuiles perpetuas eſſe iubet (e): ius vero Lubecenſe inter actiones rei perſequutorias & poenales nullum plane diſcrimen ſtatuit, ſed vtraſque, fere elapſo anno & die, exſpirare patitur. Et quid opus denique eſt iſtis ambagibus, praeſidioque a praetore Romano petito, quum multo ſolidiore fundamento nitatur iuris iſtius ſtatutarii aequitas? Quum enim ius naturae & gentium praeſcriptioni nullum certum tempus praefigat, integrum eſt cuiuis legislatori, illud lata lege definire, adeoque & Lubecenſis reipublicae patribus illud ita definire licuit, prout id exigere viſus eſt reipublicae ſuae finis, populique ſalus, quam ſemper ſupremam legem eſſe oportere, non potuerunt profecto ignorare.

(c) Meuius *Comment. ad ius Lub. lib. I. tit. VIII. art. 1. n. 7.*

(d) Meuius *n. 9. & 10.*

(e) *l. 35. pr. ff. de oblig. & act.*

§. VIII.

Quid in iure Lubecenſi annus & dies?

Diximus, annalem illam praeſcriptionem in iure Lubecenſi fere ſemper ita exprimi, vt mentio fiat ANNI & DIEI, *Iahr und Tag*. Quare ſemel defungendum eſt eo labore, vt, quantum temporis ex legiſlatorum ſententia formula iſta comprehendat, diſquiramus. Sane ſi per varia veteris Germaniae iura oculos circumferas, nihil reperies frequentius, quam vt annis praeſcriptionis dies, tamquam auctarium quoddam, ſuperaddatur. Fieri hoc animaduertimus, in IVRE SAXONICO (f), SVEVICO (g), AVSTRIACO (h), quin & NORMANNICO (i), & ANGLICANO, quod eleganter deſcripſit IOANNES COWELLVS (k). Quumque hodie viri doctiſſimi non dubitent, quin ius ſuum Lubecenſes primum a Suſatenſibus acceperint: cupiditas animum inceſſit, diſquirendi, an & Suſatenſibus ſollemnis fuerit illa formula? Quod dubium ſtatim exemit codex eius iuris MSC. apographus, quem *illuſtris Dominus* PRAESES mecum communicauit, in quo, quoties de praeſcriptione agitur, fere ſemper iunguntur *annus & dies*, *Iahr und Tag* (l). Praeterea haec formula iam a ſaeculo XII. paſſim occurrit in diplomatibus Bremenſibus, Brunſuicenſibus, Goslarienſibus, Luneburgenſibus, Northuſanis, Tremonienſibus, aliiſque, quae in communi illo vaſtoque imperii tabulario edidit LVNIGIVS (m). Quid vero maioribus noſtris fuerit ANNVS & DIES, ex ipſis medii aeui legibus Germanicis ſatis patet. *Diem* enim vocabant dilationem legitimam, qua elapſa quis in foro vadimonium ſiſtere tenebatur. Quum vero citationes more maiorum ſemper fierent in diem decimum quartum, *(über vierzehn Nächte,)* eaque citatio, antequam contra contumacem ferri poſſet ſententia, ter eſſet repetenda: connumeratis tribus diebus, quibus adeſſe debuiſſet reus, inde emergunt ſex hebdomades & dies tres, quod tempus vno vocabulo dies dicitur, ceu tum ex IVRE WEICHBILDICO SAX. (n) & FEVDALI SAX. (o) tum ex diplomate apud LVNI-

(f) *lib.* III. *iur. prouinc. art.* LXXXIII. *lib.* II. *art.* XXIX. *& alibi paſſim.*

(g) *cap.* XLII.

(h) *Art.* XXVIII. *apud illuſtr.* Ludewig. *reliqu. MSSC. Tom. IV. p.* 12.

(i) *lib.* II. *cap. XVII.* §. *IV. & cap. XX. apud eumdem Tom. VII. pag.* 187. *&* 192.

(k) Cowellus *Inſt. iur. Angl. lib.* II. *tit.* VI. §. III. *pag.* 88.

(l) Veluti *art. XXXVIII. XLI. LXI. LXV. CL. CLXIX. & aliis.*

(m) Lunig. *part. ſpecial. cont. IV. Part. II. p.* 66. 120. 639. *& Part. I. pag.* 220. 308. 443. 855.

(n) *Art. XXI.*

(o) *Art. XIII.*

LVNIGIVM (p), ſatis intelligitur. Iam ne dubitandum quidem videtur, quin eamdem vocabuli notionem retinuerint etiam Lubecenſes, maxime quum multa eos ex iure Saxonico decerpſiſſe, pro certo adfirment viri doctiſſimi, ARTHVRVS DVCK (q) & DAV. MEVIVS (r). Aſt quum iam CALLISTRATVS obſeruarit, *optimam legum interpretem eſſe conſuetudinem (s)* : & hic profecto ratio habenda erit vſus,

Quem penes arbitrium eſt, & norma loquendi.

Auctorem autem habeo MEVIVM (t), diem Lubecae non accipi pro ſex hebdomadibus & tribus diebus, ſed pro viginti quatuor horarum ſpatio, adeoque praeſcriptionem annalem, quae in Saxonia quadringentis & decem diebus abſoluitur, Lubecae dies tantum trecentos & ſexaginta ſex comprehendere.

§. IX.

Primus caſus, quo praeſcriptio annalis obtinet, ſi quis hominem proprium vindicet.

Sed vt demum ad ipſas ſpecies vel caſus, quibus praeſcriptio illa annalis iure Lubecenſi obtinet, progrediamur; prima eaque notatu digniſſima occurrit (u), vbi de tempore, quod hominis proprii, ciuitatis iura adepti, vindicationem excludit, agitur, de eoque ita diſponitur: *Wann aber ein Bürger in einer Stadt, da Lübeckiſch Recht gebraucht wird, Iahr und Tag geſeſſen hat, und alsdann von einem andern, als ſein eigen Mann angeſprochen, und ſolches, daſs er eigen wäre, mit Zeugen beweiſet würde; kan dagegen der Bürger durch Rahtmanne oder beſeſſene Bürger wahrmachen, daſs er über Iahr und Tag am Bürger-Recht, und Bürger geweſen, und in der Zeit unbeſprochen blieben, ſo bleibt er der Anſpruch ledig und frey.* En primum praeſcriptionis annalis, quae ex iure Lubecenſe proficiſcitur, exemplum, quod paucis & cum iure ciuili contendere, & ex ſolidis principiis interpretari, iuuabit.

§. X.

Vindicationi ſeruorum an iure ciuili obſtet praeſcriptio?

Iure Romano permultum intereſt, vtrum quis ſeruum, ab alio poſſeſſum, vindicare, an pro libero ſe gerentem in ſeruitutem retrahere velit. Qui iniuſte aufugit, ſeque alicubi pro libero gerit, ſui ipſius fur habetur (x), nec vmquam ideo libertatem adqui-

(p) Lunig. *ibidem p. 66.*

(q) Arthurus Duck *de vſu & auctoritate iur. ciu. lib. II. cap. XVI.*

(r) Dau. Meuius *proleg. comm. in ius Lub. quaeſt.* I. *n.* 55.

(s) *l. 37. ff. de legib.*

(t) Meu. *ad ius Lub. lib.* I. *tit.* VIII. *art.* I. *n.* 16.

(u) *Lib.* I. *tit.* III. *art.* III.

(x) *l. 60. ff. de furt. l. 1. C. de ſeruis fugitiu.*]

adquirit, quod longiſſimo tempore in libertate moratus eſt. Hinc DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS Auguſti (y) reſcribunt. *Mala fide morato diu in libertate prodeſſe non poſſe longi temporis praeſcriptionem* : Qualia de agricolis etiam & cenſitis, tamquam adſcriptitiis hominibus, ſanxit IVSTINIANVS (z). Contra ſi quis, etiam fugitiuus, in alterius poſſeſſione eſt, non eſt dubium, quin domino eum vindicaturo obſtet longiſſimi temporis praeſcriptio, ceu recte obſeruauit CVIACIVS (a). Nec obſcura eſt huius discriminis ratio. Alio enim ſeruum meum poſſidente, poſſeſſio mea deſinit : non item, ſi a nemine poſſideatur (b). Huius enim poſſeſſionem animo retineo, idque adeo verum eſt, vt fugitiuos quoque, quoties ex lege Fuſia Caninia ſeruorum numerus ineretur, inter ſeruos numerari conſueuiſſe, ſcribat PAVLLVS (c). Non mirum itaque eſt, fugitiuo praeſcriptionem non prodeſſe, quamuis eadem proſit poſſeſſori eius, ſi reliqua omnia recte ſe habeant. Multo minus vero dubitandum, quin iure canonico domino nulla currat praeſcriptio, ſi ſe ei ſeruus ſubduxerit, quia hoc iure expeditum eſt, malam fidem omnem cuiuſcumque temporis praeſcriptionem impedire (d). Ex quo recte colligit ANT. FABER (e), ſeruilis conditionis hominem nullo temporis quantumcumque longiſſimi, ſpatio praeſcribere poſſe, ſi vel centum annorum curricula effluxerint, quod tamen tempus ſufficere credidit HVSANVS (f) : ſemper enim in mala fide eſſe, qui ſuo ſe domino ſubduxerit, nec fugitiuum conditionem ſuam incompertam habere, vel proprii facti ignorantiam obtendere poſſe. Memoriae prodidit DIO CASSIVS (g), Maximum quemdam, quum iam quaeſturam Romae peteret, a domino, tamquam fugitiuum, domum eſſe abductum. Et ſimile VLPIANVS noſter (h) refert de Barbario Philippo, quem dominus ſiue praetorem deſignatum, ſiue, vt SVIDAS (i) mauult, iam e tribunali ius dicentem, herus ad certam crucem domum abſtraxerit. An vero credibile eſt, inter fugam & diem iſtum,

(y) *l. 1. C. de long. temp. praeſcript. quae pro libert.*

(z) Iuſtinian. *l.* 22. §. 1. C. *de agricolis & cenſit. lib.* XI. *tit.* XLVII.

(a) Cuiac. *Not. poſter. ad Inſt. de vſucap.*

(b) *l. 1. §. 14. ff. de adquirenda vel amitt. poſſ. l. 13. pr. l. 15. ff. eod. l. 17. §. vlt. de furtis.*

(c) Paullus *Recept. Sent. lib. V. tit.* XIV. §. III.

(d) *Cap. 1. de regul. iuris in 6.*

(e) Ant. Faber *in Codice lib. VII. tit. IV. def. 1.*

(f) Huſanus *de hom. propr. Quaeſt. V. n. 8.*

(g) Dio Caſſius *lib.* XLVIII. *p.* 377.

(h) *l. 3. ff. de off. praet.*

(i) Suid. *in* Βαρβ. φίλιππος.

iſtum, quo in tantum euectus faſtigium fortuna ſubito deſtituit, pauxillum temporis intercesſiſſe? An ſeruos fugitiuos, Romam venientes, ſtatim ad honores viam ſibi munire potuiſſe, exiſtimemus? Fieri profecto non potuit, quin diu prius in luce ciuiumque oculis verſati ſint, antequam iis honoribus digni viderentur. Quin Barbarium Philippum prius quaeſtura ac aedilitate functum oportuit, quam ei praeturam liceret petere. Quod omne intra paucos dies contigiſſe non poteſt. Et tamen neque vitam anteactam, neque honores, neque tot annorum lapſum miſeris illis quidquam profuiſſe ad libertatem, animaduertimus, luculento ſatis argumento, domino ius ſuum ab ipſo fugitiuo nullius temporis praeſcriptione interuerti iure Romano potuiſſe.

§. XI.

An talis praeſcriptio prodita fuerit vetere iure Germanico?

Nec alio iure Germanos antiquitus vſos eſſe circa homines proprios arbitramur. Quamuis enim apud Langobardos ſeruus fugitiuus triginta annorum praeſcriptionem opponere poſſet domino: ſingulari tamen lege edixerat CAROLVS M. id ius, tamquam Langobardis proprium, alias gentes Germanicas non obligaturum. *Vbicumque*, inquit, *intra Italiam ſiue regius, ſiue eccleſiaſticus, vel cuiuſque alterius hominis ſeruus fugitiuus inuentus fuerit a domino ſuo, ſine vlla annorum praeſcriptione vindicetur, ea tamen ratione, ſi dominus Francus, ſiue Alamannus, aut alterius cuiuslibet conditionis & nationis ſit. Si vero Langobardus aut Romanus fuerit, ea lege ſeruos ſuos, vel adquirant vel amittant, quae inter eos antiquitus eſt conſtituta* (k). Francis ergo, Alamannis, aliiſque Germanis, ſeruos ſuos, ſiue pro liberis ſe gerentes, ſiue ab aliis poſſeſſos, vindicantibus, nulla obſtabat praeſcriptio, quamuis ea obſtaret Langobardis ex lege ſua. Poſtea mitiſſimi ingenii princeps, LVDOVICVS PIVS (l), paullo aliter quidem iniit rationes, eoque caſu triginta annorum praeſcriptionem valere voluit, non vt ea prodeſſet ſeruo, ſed ei, *qui alienum colonum triginta annos in re ſua habuiſſet.* Quam quidem legem a iuris ciuilis ſanctione parum diſcrepare, nemo non videt. Hinc multae exſtant veteres formulae apud BALVZIVM (m) & GOLDASTVM (n), ex quibus diſcimus, fugitiuorum liberos non minus, quam ipſos fugitiuos,

(k) *Addit.* Caroli M. *ad leg. Langob. cap.* VIII.

(l) *Capitular. lib. V. cap.* III.

(m) Baluz. *Adpend. Marculfi form.* VI. & XXXII.

(n) Goldaſt. *in Chartis Alam. cap.* VIII.

tiuos, vindicari potuiſſe, nulla, vti videtur, obſtante temporis praeſcriptione.

§. XII.

An in ciuitatibus ſeruis tutum perfugium fuerit?

Sed fortaſſis locus ſaltim, vbi fugitiuus tantiſper delituit, vel ciuitas, in quam ſeſe recepit, tutum ei praebuerit receptaculum, maxime ſi, impetrato ciuitatis iure, ibi ſatis diu commoratus ſit? Immo ne id quidem impedimento domino fuit, quo minus ſeruum ſuum vbicumque repertum ſibi adſereret. Tantum enim abeſt, vt exceptio illa ſeruum domino eriperet, vt illi fugitiuo, ne in ipſorum quidem regum praefecturis ac praediis tutum perfugium eſſet. Patet hoc ex CAPITVLARIBVS *regum Francorum* (o), in quibus & haec legimus: *Si ſerui eccleſiaſtici, vel quorumlibet liberorum hominum, in fiſcum noſtrum confugerint, & a dominis vel aduocatis eorum repetiti fuerint, ſi actor fiſci noſtri intellexerit, quod eos iuſte non poſſit tenere ad noſtrum dominium, eiiciat illos de eodem fiſco, & recipiant eos domini eorum.* Interiecto tempore, quum vrbes in Germania etiam ciſrhenana ampliſſimae conderentur, multique, vitae elegantioris illecebris capti, intra moenia, quam ruri, lares ſibi ac fortunarum ſedem conſtituere mallent: publicis imperii legibus cautum fuerat, ne ulli homini ſeruilis conditionis tutus ad iura ciuitatum acceſſus eſſet, exſtatque eam in rem non modo aurea FRIDERICI II. Imp. bulla, in curiae Hallenſis tabulario adſeruata, editaque ab illuſtri Academiae noſtrae Cancellario, IO. PETRO A LVDEWIG (p) *qua* Imperator *principum, nobilium, miniſterialium & eccleſiarum homines proprios in ciuitatibus admitti*, vetat: ſed & eamdem legem ſubinde in vſum reuocatam legimus ab HENRICO VII. Rege & SIGISMVNDO Imper. cuius diploma, itidem aurea bulla ornatum, recitauit MELCHIOR GOLDASTVS (q). Quin tum peruulgatum apud maiores noſtros hoc fuit, vt de eo inoleuerit paroemia iuris elegantiſſima: *Keine Henne* (quo vocabulo ob gallinam, in conditionis ſeruilis ſignum ab vnoquoque homine proprio quotannis praeſtandam, vulgo *das Raub-oder Leib-Huhn*, ipſe homo proprius denotabatur) *flieget über die Mauer*: id eſt, *nemini alteri conditione ſeruili obnoxio vel adſcriptitio in ciuitatibus locus eſt* (r). Quis ergo ſibi perſuaſerit, aufugientibus in ciuitates ſeruis, ibique aliquamdiu

(o) *Lib.* III. *cap.* LXXXIII.

(p) Io. Pet. a Ludewig *Reliqu. MSSC.* *Tomo VII. pag.* 517.

(q) Melch. Goldaſtus *Conſt. imp.* *Tom.* I. *p.* 167.

(r) Hert. *Paroem. iur. lib.* II. *paroem.* XI. *pag.* 657.

Digitized by Google

quamdiu latitantibus, libertatem fugae praemium fuiſſe, quum ne via quidem ſeruis lege pateret ad ciuitates, & perinde in leges committere viderentur ciues, qui ſeruum recepiſſent intra moenia, ac ipſi ſerui, quos fuga eo abſtuliſſet? Nec ignorabant hoc ciuitatum duumuiri & decuriones, experientia quippe edocti, quoties aliqua ciuitas fugitiuis receptum dediſſet, id facinus adeo indignum viſum eſſe principibus & equeſtris nobilitatis viris, vt arma, more ſaeculi, ideo corriperent, ferroque & flammis repeterent ſeruos, quos iure vindicari ciuitates prohibuiſſent. Qualia exempla bellorum, ob eam cauſſam illatorum ciuitatibus florentiſſimis, habes apud LEHMANNVM (s) & IO. HERTIVM (t) qui etiam obſeruat, inde inoleuiſſe conſuetudinem, exigendi a nouis ciuibus publicum ingenuitatis teſtimonium, quod vocant *das Mann-Recht*, vel *den Geburths-Brieff*, eam ob cauſſam inuentum, ne homines proprii furtim in tabulas cenſuales irreperent, & ciues imprudentes patrocinium ſuſcipientes fugitiuorum, in leges imperii, tamquam in caſſes, inciderent. Quae quum ita ſint, ne in ciuitatis quidem iuribus furtim impetratis quidquam fugitiuis praeſidii fuiſſe, nec dolum hunc iſtis ad conſequendam libertatem in Germania profuiſſe, facile vnusquiſque intelliget.

§. XIII.

Praeſcriptio, qua ſe in vrbibus tuentur homines proprii, ex priuilegio eſt.

Quum itaque haec praeſcriptio, qua ſerui Lubecae libertatem ſuam aduerſus dominos tuentur, & iuri communi Romano, & moribus Germanicis aduerſetur: (§. X. ſequ.) fieri non poteſt, quin ſingularis illa diſpoſitio, quam ſupra (§. IX.) recenſuimus, ex priuilegio aliquo, ſeu iure, ad exemplum non trahendo, quod Lubecenſibus a ſuperioribus fuerit conceſſum, ſit repetenda. Quum enim intereſſet principum, vrbes florere excelſius, ciuiumque numero quam maxime adfluere: hoc ſe illi non facilius conſequuturos exiſtimabant, quam ſi ad libertatem vocarent homines proprios, qui migrarint in ciuitates, ibique certum tempus quiete exegerint, maxime quum hi dominorum truculentia in deſperationem acti, certatim ad vrbes, tamquam in portum, confugerent. Hinc paſſim ciuitatibus huiuſmodi priuilegia conceſſa videmus, quibus ciues ſuos, ſtatus quaeſtionem paſſuros, ſolo temporis, aliquando ſatis exigui, lapſu in libertate defenderent. Tale priuilegium Niceae, Sabaudiae municipio, datum eſſe, teſtatur ANT. FABER (u) qui

(s) Lehmann. *Chron. Spir. lib. VII. cap. LXXI.*

(t) Io. Hertius *de Homin. propr. Sect. III. §. X.*

(u) Ant. Faber *in Cod. lib. VII. tit. IV. def. II. & lib. I. tit. XII. def. VIII.*

tamen diſerte monet, praeſcriptionem annalem dominis ibi non diutius obſtare, quam dum fugitiui in ciuitate deliteſcant, contra ea hos non minus, quam eorum liberos, ſi extra pomoeria deprehendantur, iure a dominis vindicari. Inter Rigenſium quoque priuilegia tale ſe reperiſſe ſcribit MEVIVS (x), vt ciuis a domino in ſeruitutem reuocari nequeat, ſi biennio continuo iure ciuitatis vſus eſſet ſine vllius contradictione. Sed multo plura eius generis priuilegia in ipſa Germania reperias, quamuis, quod ad tempus praeſcriptionis attinet, ſibi non per omnia ſimilia. Ratiſponenſibus ſane an. MCCXXX. id tantum indulſit FRIDERICVS II. Imp. vt decem annorum praeſcriptio dominis, ciues Ratiſponenſes vindicaturis, opponi poſſet. (y) quale priuilegium & Hamburgenſes impetraſſe conſtat, quia eorum STATVTIS (z) cautum eſt. *Da dieſer Stadt Bürger von einem andern, als ſein eigen Man angeſprochen, und ſolches bewieſſen würde; kan dagegen der Bürger wahr machen, daſs er über zehen Iahr ohne Anſprüche in dieſer guten Stadt ſich aufgehalten, ſeine Wohnung und Weſen allhie gehabt, ſoll er ſeiner ruhſahmen Beſitzung genieſſen, und ferner Anſprach ledig und frey bleiben.* Pleriſque tamen ciuitatibus ipſa praeſcriptio annalis conceſſa, veluti anno MCLXXXVI. Bremenſibus a FRIDERICO I. Imp. (a) anno MCCV. Argentoratenſibus a PHILIPPO Imperatore (b): anno MCCXIX. Goslarienſibus a FRIDERICO II. (c) an. MCCXXXVII. Viennenſibus ab eodem Imperatore (d): anno MCCLXXV. Lindauienſibus a RVDOLPHO I. Rege (e): anno MCCXC. Nordhuſanis ab eodem Rege (f): anno MCCCXXXII. Tremonienſibus a LVDOVICO Bauaro (g): anno MCCCXCVII. Spirenſibus a WENCESLAO Rege (h): fortaſſis & aliis vrbibus, quarum chartae nondum in lucem prodierunt. Saltim Magdeburgenſes huiuſmodi priuilegium, quamuis Lubecenſi paullo adſtrictius, obtinuiſſe colligi poteſt ex loco IVRIS WEICHBILDICI (hh): *Welcher Mann binnen Weichbild-Recht geſeſſen hat Iahr und Tag ohne*

(x) Meu. *Comm. ad ius Lub. lib.* I. *tit.* III. *art.* III. *no.* 56.

(y) Lunig *Reichs-Archiu. Part. Spec. Cont.* IV. *P.* II. *p.* 262.

(z) *P.* I. *tit.* II. *art.* II.

(a) Limn. *Addit. iuris publ. Tom. I. pag.* 173.

(b) Iac. Wencker. *Diſſ. de Pfalburgeris* §. *XI.*

(c) I. M. Heineccius *Antiqu. Goslar. ad ann.* 1219.

(d) Lambec. *Bibl. Vindob. lib.* II. *cap. V. p.* 81.

(e) Conring. *Cenſur. Diplomat.* Lindou. *cap. XIV. p.* 267.

(f) Lunig *Reich-Archiu. ibid. p.* 66.

(g) Lunig *ibid. p.* 443.

(h) Lehman. *Chron. Spir. lib. VII. cap. LXX.*

(hh) *Art.* IV.

Digitized by Google

ohne iedermans Anſprache, der mag ſeine Freyheit behalten ſelb ſiebend ſeiner nächſten Magen (der ſollen drey ſeyn von Vater, drey von der Mutter, wer ſie auch ſeyn,) denn daſs ihn iemand zu eigen behalten möge. Denique & id obſeruamus, non modo Imperatores & Reges vrbibus huiuſmodi priuilegia dediſſe, verum etiam principes. Nam Luneburgenſibus Otto Puer, Dux, anno MCCXLVII. id inter alia conceſſit, *vt ſi quis in ipſa ciuitate annum & diem tranſegerit, non requiſitus a domino ſuo, pro libero homine teneretur & a nemine in poſterum impeteretur* (i). Et inſequentis ſaeculi anno XIV. Otto, Dux Brunſuicenſis, notabili diplomate vniuerſos ciues Brunſuicenſes manumiſit, qui ibi pro veris ciuibus morati ſunt, per annum & diem, eoſque ab omni dominorum vindicatione ſecuros praeſtat apud eumdem LVNIGIVM. (k) Ex quibus ſane conſequitur, vt omnes fere ciuitates florentiores a ſaeculo XII. ſibi de eiuſmodi priuilegiis proſpexerint, & Imperatores aeque ac Principes in concedendis illis indulgentiores paene fuerint, quam aequitatis & prudentiae praecepta paterentur.

§. XIV.

Quod vero tot aliis per Germaniam ciuitatibus obtigit beneficium, id Lubecae quoque obtigiſſe, ſemper exiſtimauimus. Neque nos fefelliſſe hoc augurium, poſtea didicimus ex priuilegio FRIDRICI I. Imp. (l) LVBECENSIBVS conceſſo anno MCLXXXVIII. XIII. KAL. OCTOBRES. In eo enim cum alia iura, quae hodienum in ſtatutis eorum ſuperſunt, tum & hoc occurrit: *Si quiſquam extraneorum ſuperueniens aliquem ciuem de ſua libertate pulſauerit, ciuis vicinior eſt ad obtinendam ſuam libertatem ſola manu, quam extraneus ad ipſum conuincendum. Si vero quiſpiam de terra ipſorum aliquem de libertate pulſauerit, & pulſatus probare poterit, quod annum & diem in ciuitate ſine pulſatione ſubſtiterit, pulſatus euadit.* Sed quamuis hoc dubio careat: non tamen exiſtimandum eſt, eam demum eſſe huius priuilegii Lubecenſis originem, quum facile probari poſſit, illud multo eſſe antiquius, & iam antea ciuitati datum, tum nouum duntaxat vigorem nouumque robur a FRIDRICO I. Imp. accepiſſe. ARNOLDVS enim LVBECENSIS (m) auctor eſt, *capta ab Imperatore vrbe, priusquam ei ciuitatem aperirent, ciues ad eum exiiſſe, rogantes, ut libertatem ciuitatis, quam a Duce* (*Hen-*

Quale & Lubecenſes obtinuerunt ſimul cum iure Suſatenſi.

(i) Lunig. *ibid. p.* 639. *Adpend. von Hanſee-Städten.*
(k) *ibid. pag.* 220.
(l) *apud* Lunigium *ibid. pag.* 1330.
(m) *Lib. II. Chron. Slav. c.* XXXV.

(Henrico Leone) prius traditam habuerint, & iuſtitias, quas in priuilegiis ſcriptas habeant, ſecundum iura Soſatiae, & titulos, quos in paſcuis, ſiluis, fluuiis, poſſederint, ipſius auctoritate & munificentia poſſideant. Addit auctor grauiſſimus, *adnuiſſe victorem, omniaque illa vetera iura ac priuilegia rata habuiſſe.* Id quod vere ſcripſiſſe ARNOLDVM, ex hoc ipſo, quod laudauimus, FRIDRICI I. Imp. diplomate ſatis intelligitur, in quo quippe profitetur Imperator, *ſe opportunitatibus Lubecenſium adquieſcentem, omnia iura, quae primus loci fundator Henricus, quondam Dux Saxoniae, eis conceſſerit, & priuilegio ſuo firmauerit, ſe quoque illis conceſſiſſe.* Ea vero ab Henrico Duce profecta priuilegia fuſius deinde recenſet Imperator, in iiſque etiam praeſcriptionem illam annalem loco haud poſtremo ponit. Non igitur a Fridrico I. Imp. eſt hoc priuilegium, ſed ab Henrico Leone, Duce Sax. & Bauariae, principe prudentiſſimo, & incomparabili profecto, niſi virtutem eius fortuna deſtituiſſet. Quum vero a MEIBOMIO (n), MOLLERO (o), aliſque viris doctiſſimis, luculenter demonſtratum ſit, Henricum Ducem Saxoniae iura ac priuilegia, quae Lubecenſibus dederit, Suſato, Weſtphalica urbe, adſciuiſſe: veroſimillimum profecto eſt, inde etiam profectam eſſe annalem hanc de qua loquimur, praeſcriptionem. Simile enim quid in IVRE SVSATENSI MSC. cuius ſupra iam meminimus, reperiſſe nobis videmur (p), cuius ipſa verba adſcribere operae pretium fuerit: *Hedde ock ein eigen Menſch de Burſchop hier gewonnen, würde em de van de Hershop binnen Iaar unde Dage beſprocken, ende verwunnen, alſe en Recht is, de ſoll ſich mit de Hershop verſünen, alſo, dat ſe eme de Woninge allhie vergünnen. Duet he des nichts, de ſoll na ſes wecken hier nicht länger bliven, ende ſoll ſin Geld verloren hebben, dat he umme Burſchop geven hevt.* Ex quo loco colligitur, circumacto anno & die ius heri exſpiraſſe, adeoque ſimile fuiſſe Suſatenſium ac Lubecenſium priuilegium, quin hoc ex illo, vt iam monuimus, procul dubio expreſſum eſſe.

§. XV.

Ipſius periochae, ex iure Lubec. ad-

Supereſt, vt ipſam, quam ſupra (§. IX.) adduximus, ſanctionem iuris Lubecenſis paullo accuratius contemplemur. Ea primum exigit, vt homo proprius iura ciuitatis ſiue Lubecae, ſiue in vrbe [illegible] aliqua,

(n) Meibom. *Introd. in Hiſt. inf. Sax.* p. 81. *ſequ.*

(o) Moller. *Iſagog. ad Hiſt. Cherſ. Cimbr. P. IV. cap. VI.*

(p) *Art. CXLIX.*

Digitized by Google

aliqua, quae iure Lubecenſi vtatur, impetrarit. Initio enim ſtatim loquitur de ciue. *Wann ein Bürger in einer Stadt, da Lübeckiſch Recht gebraucht wird, Jahr und Tag geſeſſen hat.* Hinc nihil in hoc iure praeſidii eſt fugitiuis, qui ſe clam ſubduxerint dominis, & intra moenia in receptatoris cuiuſdam improbi aedibus latitauerint, ſed illis, qui Lubecae palam & in oculis ciuium verſati ſint, & iam ante annum & diem iura ciuitatis obtinuerint, nec ab eo tempore vllam ſtatus quaeſtionem paſſi ſint. Ne id quidem tuliſſent leges Romanae. Tantum enim abeſt, vt ratum eſſe paſſae ſint ius ciuitatis, quod ſeruus clam & dolo malo eſſet conſequutus, vt ipſi ſocii ac Latini nominis, quamuis liberi homines, ſi clam in tabulas cenſuales irrepſiſſent, non modo ſeueris magiſtratuum edictis, ſed & latis legibus, quales CLAVDIA & LICINIA, itemque PAPIA fuerunt, domum intra certum tempus redire cogerentur, vt docet LIVIVS (q), ASCON. PAEDIANVS (r), & qui has leges ſingulari ſtudio ex inſtituto expoſuit *illuſtr. Dn.* PRAESES (s). Liber quidem & ciuis Romanus fiebat ſeruus, ſi nomen ſuum in cenſum contuliſſet, ſed tum demum, ſi id feciſſet iuſſu domini (t), & poſtea luſtro, quod publice condebatur, interfuiſſet (u). Alioquin, ſi clam irrepſiſſet in cenſum, nec libertatis, nec ciuitatis fiebat particeps, ac proinde quouis tempore a domino recte vindicabatur, ceu iam ſupra Maximi & Barbarii Philippi exemplis oſtendimus. At Lubecae ſeruo ius ciuitatis, etiam quod inſcio atque inuito domino impetrauit, praeſidio eſt aduerſus dominum. Quum enim in eo Germaniae tractu ſita ſit vrbs, in quo olim Slaui & Venedi longe lateque dominabantur: his a Germanis oppreſſis, quidquid ruri communem cladem effugerat, ſeruitutem triſtiſſimam ſeruiebat (x). In tanta vero hominum propriorum colluuie, quae vicinas regiones inundauerat, fieri ſane non potuit, quin aliquando & ſeruilis conditionis homines, ingenuam mentiti originem, in vrbem migrauerint, iuraque ciuitatis variis artibus impetrarint, maxime, quum nondum fortaſſis conſuetudo illa, teſtimonium ingenuorum natalium a nouellis ciuibus exigendi, inualuiſſet. Iam horum quidem improbitas id priuilegium non merebatur: at tanto magis id merebatur ciui-

ductae, interpretatio.

Xxxxx 5 tas,

(q) Liu. *Lib. XLI. cap. XII. ſeq. lib. XLII. cap. X.*

(r) Aſcon. Paedianus *ad Orat. pro L. Cornelio p. m.* 1309.

(s) *In Commentar. ad Leg. Iul. & Pap. lib. I. cap. I. p. 8. ſequ.*

(t) Vlpian. *Fragm. tit. I. §. VIII.*

(u) Cicer. *de Orat. lib. I. cap. XI.*

(x) *Vid.* Helmold. *Chron. Slau. lib. I. cap.* LXXXVIII. *& lib.* II. *cap.* XIII.

Digitized by Google

tas, cuius miſera profecto futura fuiſſet conditio, ſi ciues ſuos quotidie pati vidiſſet quaeſtionem ſtatus, ciues, inquam, qui fortaſſis vxores in vrbe duxerant, liberos in ciuitate procrearant, nec male meriti fuerant de republica. Haec enim omnia contingere potuiſſe, ſi ius vindicandi hos homines nullo temporis lapſu vnquam excluſum eſſet, facile quiſque animaduertit. Proſpectum ergo ciuitati cupiens HENRICVS, Dux Saxoniae, praeſcriptionem hanc inuenit, & quidem breuiſſimam vnius anni, *Iahr und Tag*. Permultum itaque intereſt, ante annum quis hominem proprium repetat, an eo iam exacto. Priori caſu, probato dominio procul dubio ei reddendus eſt ciuis, vel ſi dubia eſt eius conditio, iureiurando praeſtito, liber & ingenuus pronunciatur. Qua de re IVS LVB. (y) ita loquitur: *Würde ein Bürger angeſprochen, daſs er eines andern eigen wäre, kan er mit ſeinem Eyd erhalten, daſs er des Klägers eigen nicht ſey, ſo iſt er der Anſprach loſs.* Quia enim reus eſt in poſſeſſione libertatis, ac proinde maxima pro eo militat libertatis praeſumtio (z): actori incumberet probatio, reum ſibi ſeruili conditione eſſe obnoxium. Hoc non probante, reus eſſet abſoluendus (a), adeoque multo minus iniquum videri poterat, rem eius religioni vel iuriiurando committi, ad quod merito prae altero admitti debet is, pro quo maior eſt praeſumtio (b). Quod ad poſteriorem caſum attinet, praeſcriptio annalis domini actionem plane perimit, modo probet reus, ſiue per Senatores, qui ſenatui, quum ciuium numero adſcriberetur, interfuerint, ſiue per ciues, rerum immobilium poſſeſſores, *daſs er über Iahr und Tag an Burger-Recht und Bürger geweſen*, nec non, *daſs er in der Zeit unbeſprochen blieben.* Siquidem notum eſt, non prodeſſe cuiquam praeſcriptionem, ſiue naturaliter, ſiue ciuiliter interruptam. Id vero praeclare monet MEVIVS (c), non aliter procedere hanc praeſcriptionem, quam ſi ſeruus ſaltim probabilem e fundo diſcedendi cauſſam poſſit allegare, veluti quod dominus eum eiecerit praedio, quod ipſe alium in locum ſuum ſurrogarit, quod dominus ſit proſcriptus, vel ipſe ferre non potuerit eius ſaeuitiam, quod ob belli iniurias, fundiue ſterilitatem, ferias ibi egerit eſuriales, & quae ſunt cauſſae huius generis

(y) *lib.* I. *tit.* III. *art.* III.

(z) *l.* 7. §. *vlt. ff. de lib. cauſſa l.* 15. C. *de probat.*

(a) *l.* 6. *ff. de probat.*

(b) Sichard. *in l.* 3. C. *de reb. cred. n.* 12. Menoch. *de arbr. iudic. Quaeſt. lib.* I. *Quaeſt.* LXXXI. *ſequ.*

(c) Meu. *Comment. ad h. l. n.* 34. *ſequ.*

ris aliae. Vti enim iniquiſſimum eſſet, homines improbos e fraude ſua fructum capere: ita merito leges ſubueniunt illis, qui ſaltim ex probabili cauſſa ſatis diu in libertate palam morati ſunt. Idque ſibi volunt verba vltima: *Daſs er alsdann der Anſpruch ledig und frey bleiben ſolle.*

§. XVI.

An & ab aeſtimatione praeſtanda liberet illa praeſcritio?

Defendendum itaque in libertate eſſe hominem proprium, ſatis expeditum videtur: aſt illud merito quaeritur, an & a praeſtanda aeſtimatione hac praeſcriptione liberetur? Affirmare id video illuſtrem MEVIVM (d), quamuis alios in alia omnia ire, ipſe lubens fateatur. Et ſane quamuis ego adſurgam tam illuſtri nomini, & ab eius ſententia, non ſine verecundia quadam, meam ſeiungam: neſcio tamen, an non iuſtiorem rationem habeat eorum, quos refellit, ſententia. Quid enim durius videri poteſt, quam dominum, probato dominio ſuo, non homine tantum, ſed & eiuſdem aeſtimatione carere debere? An non ſatis magnum hoc eſt beneficium, quod homo proprius domino non redditur, vt hic & pretium amittere cogatur? Moderatius olim ac benignius fuit ANTONINI PII imperatoris iudicium, qui, quum ex Iulii Sabini familia quidam, infami affecti iniuria, ad ſtatuam principis confugiſſent, eos quidem in domini poteſtatem reuerti noluit, ſed venire tamen eos, pretiumque domino, quamtumuis improbo, reddi iuſſit, perelegantem ſubiungens rationem, *nulli hominum ius ſuum detrahi oportere* (e). Quidni ſimili temperamento locus eſſet, quoties homo proprius ob ſolum temporis lapſum in poſſeſſione libertatis defenditur, vt quidem in domini poteſtatem non reuertatur, aſt iuſto tamen pretio redimere ſe teneatur? Fuiſſe enim hanc Imperatorum, talia priuilegia concedentium, ſententiam, non obſcure innuere videntur in diplomatibus Lindauienſibus, & Buchhornenſibus apud LVNIGIVM (f). Et IVS SVSATENSE, ex quo Lubecenſe promanaſſe diximus, vix alioque omine, liberum aliquem eſſe iudicat, quam praeſtita domino, qui dominium ſuum probauerit, aeſtimatione. Vrget quidem laudatus MEVIVS verba STATVTI: *So bleibet er der Anſpruch ledig und frey*, additque: *Libertas, quae ex praeſcriptione alicuius facta eſt, non poteſt ei amplius ex pretio aut redemtione adquiri, &, quod eius proprium eſt, amplius eius fieri non poteſt.* Sed

(d) *ibid. n. 28. ſequ.*

(e) *l. 2. ff. de his, qui ſui vel alieni iur. §. 2. Inſt. eod.*

(f) *ibid. p. 308. & 1298.*

Digitized by Google

(g) Sed ego praeſcriptionem illam ex iure Lubecenſi non rei, id eſt, libertatis, ſed actionis eſſe puto: adeoque, ſeruus ille non tam libertatem adquirit, quam domini actionem excludit. Iuris autem analogiae non repugnat, actionem in rem eſſe exſtinctam, & tamen dominum agere ad conſequendam aeſtimationem, vt vel actio tigni iuncti demonſtrat, qua duplum perſequimur, quamuis tignum ipſum vindicari non poſſit (h). Quidni ergo & domino, cui vindicanti ſeruum praeſcriptio annalis obſtat, integrum eſſet, ius petendi aeſtimationem, quum ipſe dominium plene probauerit? Denique & verba STATVTI eam interpretationem ferunt, quum & is maneat ab omni perſequutione liber, *aller Anſpruch ledig und frey*, qui iam in ſeruitutem amplius vindicari nequit, quamuis aeſtimationem eum iudex praeſtare iuſſerit.

§. XVII.

Alter caſus praeſcriptionis annalis, qua vindicatio rerum immobilium & mobilium excluditur.

Sed diutius fortaſſis, quam permittere videbatur inſtituti ratio, illi ſeruitutis perſonalis praeſcriptioni immorati, iam ad alia maiora prouehimur. Libertati adeo fauiſſe legislatores noſtros, vt vel puſillum temporis ad eam adipiſcendam ſufficere exiſtimarent, non omnino inauditum eſt. Maximus enim apud omnes gentes fuit fauor libertatis, quam DIONYSIVS HALICARNASSENSIS (i) πάντων τὸ μέγιϛον τῶν ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν, *omnium humanorum bonorum maximum* eſſe, cenſet, eoque factum eſt, vt & *praetores fauerent libertatibus* (k), & ipſi principes *eius fautores eſſent*, ac proinde, illius ſeruandae cauſſa, permulta contra ius commune ſtatuerent, fauorque libertatis, vt ait POMPONIVS, haud raro benigniores ſententias exprimeret (m). Enimuero id paullo durius atque inhumanius videri poterat, quod IVS LVBECENSE, & aliarum rerum, immobilium aeque ac mobilium, dominio priuat eos, qui illas intra annum & diem, non vindicarint. De praeſcriptione enim immobilium ita cauent STATVTA (n). *Will jemand verkauffte liegende Grunde, ſtehende Erbe, und Rente anſprechen, der ſoll es binnen Iahr und Tag thun; Nach dieſer Zeit ſoll es nicht zugelaſſen vverden, er bevveiſe dann, daſs er auſſerhalb Landes gevveſen, ſo hat er noch* a tempore ſcientiae *Iahr und Tag.* De mobilibus autem ſimilia fere legas (o): *Alles Gut, vvelches in dieſe*

(g) *l. 159. ff. de R. I. §. 10. Inſt. de Legat.*

(h) L. XII. *Tabul. §. 29. Inſt. de rer. diuiſ.*

(i) *Antiqu. Rom. lib. XI. p. 712.*

(k) *l. 3. §. 1. ff. de alien. iudic. mut.*

(l) *l. 2. C. de comm. ſeru. manumiſſ.*

(m) *l. 32. §. vlt. ff. ad Leg. Falcid.*

(n) *lib. III. tit. VI. art. 3.*

(o) *lib. I. tit. VIII. art. 1.*

Digitized by Google

dieſe Stadt kômpt, doch nicht über See und Sand, und ein Mann bey ſich hat Iahr und Tag, mag er ſolches bevveiſen, ſo kan ihm das niemand mit Recht abgevvinnen, oder vor geſtohlen und geraubt Gut anſprechen, doch ſo derienige, der ſolch Gut anſprechen vvill, auch binnen Landes gevveſen. Quum vero, exſtincto omni iure agendi, ac ceſſante rei amittendae periculo, ad euictionem obligatus eſſe non poſſit auctor: ex hac iuris diſpoſitione manifeſto fluit altera (p): *Würden liegende Gründe und ſtehende Erbe verkaufft, ſo müſſen dieſelbe vor den Raht verlaſſen, und dem Kâuffer Iahr und Tag gevvâhret vverden.* Et haec quidem eſt altera ſpecies, in qua iure Lubecenſi praeſcriptio illa annalis obtinet, ex inſtituto noſtro, paullo accuratius interpretanda.

§. XVIII.

Quantum hic inter ius commune & Lubecenſe ſit diuortium, nemo non intelligit. Primo enim illud, res ſoli a mobilibus quam maxime ſeiungit, illaſque longo demum tempore decem annorum, inter praeſentes, viginti, inter abſentes; has, triennio vſucapi vel praeſcribi patitur (q). Quum enim iure antiquo, paullo contractiora eſſent vſucapionis tempora, & res mobiles anni, immobiles biennii poſſeſſione adquirerentur (r): id mutare viſum eſt IVSTINIANO, ne domini maturius rebus ſuis defraudarentur (s), ſuiſque poſſeſſionibus citius, quam par eſſet, caderent (t). Nimirum immobilia communi hominum aeſtimatione maioris pretii habentur, quam alia quaecumque, ceu recte obſeruauit V. CL. CORN. VAN BYNKERSHOECK (u), quippe quae non modo nobiliſſimam facultatum partem conſtituunt, ſed & certioris multo ac ſtabilioris, quam res mobiles, poſſeſſionis eſſe videntur. Quemadmodum ergo & aliis caſibus legislatores plus curae ac ſollicitudinis adhibuerunt rebus ſoli, quam mobilibus conſeruandis, eiuſque rei inſigne exemplum obſeruamus in eo SCto, iiſque conſtitutionibus, quibus res immobiles minorum ſine decreto alienari prohibentur (x): ita eamdem διαίρεσιν IVSTINIANVS in vſucapionibus & praeſcriptionibus obſeruandam exiſtimauit, vt fundi difficilius, quam res mobiles, vſucapione amitterentur: At nihil

Comparatio iuris communis & Lubecenſis.

(p) *lib.* III. *tit. VI. art.* 1.

(q) *pr. Inſt. de vſucap. l. vn. C. de vſucap. transf.*

(r) Cic. pro A. Caecin. *cap. XIX.* 26. *& Topic. cap. IV.*

(s) *d. pr. Inſt. de vſucap.*

(t) *d. l. vn. C. de transf. vſucap.*

(u) Bynkershoeck *de rebus mancipi, cap. II. & III.*

(x) *l. 1. pr. §. 1. ff. de rebus eorum, qui ſub tut. vel cur. ſunt, l. 22. C. de adminiſtrat. tut.*

nihil horum placuit LVBECENSIBVS, qui nec res mobiles ab immobilibus ſeiungunt, & has non minus, quam illas, annali poſſeſſione adquiri patiuntur, nihilque intereſſe putant, ſiue quis lebetem vel cacabum, ſiue aliquod pinguiſſimae glebae praedium, vel domum aliquam ſplendidiſſimam, intra annum & diem vindicare neglexerit. Deinde & alterum diſcrimen inter ius commune & Lubecenſe non minus notatu dignum arbitramur. Romanae equidem leges diſcrimen aliquod inter abſentes & praeſentes admittunt, ſed tantum in vſucapione rerum ſoli. Quod ad res mobiles attinet, perinde eſſe cenſent, ſiue praeſens quis res ſuas neglexerit, ſiue abſens eas paſſus ſit vſucapi (y). At ius Lubecenſe vtrobique id diſcrimen ſtatuit, & ei, qui extra prouinciam peregre egit, laxius res ſuas tum mobiles, tum immobiles, vindicandi ſpatium indulgent, id quod & PLATONEM circa rerum mobilium praeſcriptionem obſeruaſſe, animaduertimus (z). Accedit & tertia inter ius Romanum & Lubecenſe differentia. Illud enim ita conſulit abſentibus, vt iis duplo maioris temporis inducias ad res vindicandas indulgeat, non modo ſi toto illo tempore legibus definito, verum etiam ſi aliquamdiu interim abfuerint. Nam & hoc caſu abſentiae annos duplicari, vel, quod perinde eſt, alios tot annos, quot quis ex ipſo decennio peregre egit, ſuper decennium adiici iuſſit IVSTINIANVS Imperator (a). Quid vero IVS LVBECENSE? Hoc tempus abſentiae non duplicari tantum iubet, ſed & abſenti praeſcriptionem currere vetat, niſi a die ſcientiae. Itaque elapſo anno & die, ſi quem fata, veluti alterum Vlyſſem, diutius patria arceant, contingatque ei, quod Sinon conqueritur apud VIRGILIVM (b):

Nec mihi iam patriam antiquam ſpes vlla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumque parentem,

non ideo alter circumactus annus eum facultate vindicandi res ſuas priuat, ſed iſte alter annus demum a die ſcientiae currere incipit. *Er hat noch* a tempore ſcientiae *Iahr und Tag.* Itaque quum tempus duplicatum, quod abſentibus, rerum immobilium dominis, conceſſerat IVSTINIANVS, ſit continuum, & a momento in momentum currat: ius Lubecenſe abſentibus indulſit annum vtilem, qui ab eo demum momento, quo primum experiundi poteſtas futura eſſet, id eſt a die notitiae, curreret, eoque prudentiſſimo temperamento ſanctionis illius rigorem mirifice emolliuit.

§. XIX.

(y) *pr. Inſt. de vſucap.*
(z) Plato *lib.* XII. *de legibus.*
(a) *Nou.* CXIX. *cap.* VIII.
(b) Aeneid. *lib.* II. *v.* 137.

Digitized by Google

§. XIX.

Quum ergo hic nihil Lubecenſibus commune ſit cum iure ciuili Romanorum: operae pretium fuerit, diſquirere, an non ſaltim aliorum Germanorum mores atque inſtituta ea in re ſequuti ſint? Enimuero & hic dici non poteſt, quantopere a iure illo leges gentium Germanicarum fere omnium diſcrepent. Equidem commune id habet ius Lubecenſe cum aliorum moribus, quod annuae poſſeſſionis auctoritate, tamquam trabali clauo, rei mobilis dominium figit. Id enim & aliis quibuſdam placuiſſe animaduertimus, maxime SAXONIBVS (c). Nam ALAMANNI hic ad Romanos transfugerunt, mobileſque res vſucapi triennio ſtatuerunt (d). Aliae Germanicae originis gentes inter res ſoli & mobiles nihil omnino diſcriminis ſtatuunt, veluti LANGOBARDI, de quibus ANDR. BARVLO (e) recte tradit, *de eorum iure eam praeſcriptionem requiri in re mobili, quae in immobili.* Verum, rerum immobilium praeſcriptionem annalem, tantum abeſt, vt vlla gens, vllaue ciuitas originis Germanicae probauerit, vt nec Iuſtinianeum decennium, vel vicennium ſufficere exiſtimarint, ad ius veri domini excludendum, ac proinde, veluti ex compacto, receperint praeſcriptionem tricennalem, vel ex Germanica computandi ratione, annorum triginta, anni & diei, id eſt annorum triginta & vnius, ſex hebdomadum, & trium dierum. Plerumque tamen leges numerum praeferentes rotundum, triginta tantum annos definiunt, quod ſpatium maioribus noſtris pro ſaeculo fuiſſe, memoriae prodidit PLINIVS (f). Sic ſane LEX BVRGVNDIONVM (g): *Si quis terram ab altero violenter dixerit & conuicerit eſſe ſublatam, priuſquam XXX. annorum numerus compleatur, res, quam conſtiterit, eſſe occupatam, requiri poterit, & repetentis partibus reformari. Ceterum ſi impletis XXX. annis terra a quocumque etiam peruaſa fuiſſe dicatur, non fuerit reſtituta, nihil ſibi reddendum eſſe cognoſcat.* Quale triginta annorum ſpatium poſtea §. V. & actionibus reliquis in perſonam praefigitur, addita ratione, *ſatis vnicuique ad requirendum & recipiendum, quod ei debitum fuerit, iſtum annorum numerum poſſe ſufficere.* WESTGOTHORVM quoque LEX (h) *omnes cauſſas, ſiue bonas, ſiue malas aut etiam criminales, quae intra*

Nec non Lubecenſis & aliorum Germ. iurium.

(c) *Ius Prou. Sax. lib.* I. *art. XXIX. ſequ.*

(d) *Ius Prou. Sueu. cap. CCLXIII.*

(e) *Comment. in leg. Langob. tit.* XXXVI.

(f) *Plin. Hiſt. nat. lib. XVI. cap. XLIV.*

(g) *Tit. LXXIX.* §. II. *ſequ.*

(h) *lib. X. tit.* II. §. III.

intra XXX. annos definitae non fuerint, vllo modo repeti, vetat, in eo tamen BVRGVNDICA humanior, quod & neceſſariae abſentiae rationem haberi vult, ac proinde §. VI. omne illud tempus, quo quis in vinculis, vel exſilio fuerit, connumerari prohibet. Multa ſingularia hic habet ius LANGOBARDICVM (i). Si quis enim rem ſoli emtam per quinque annos, inter perſonas praeſentes, poſſedit, alter vero negat, ſe vendidiſſe, & contractum tantum libellaticum interceſſiſſe contendit, nec tamen libellum producere poteſt, poſſeſſor iurare iubetur, ſe fundum pretio ſuo comparaſſe, eoque facto, firmiter poſſidere, quod ſibi comparauerit. Sin cauſſam ab ipſo vindicante non habeat poſſeſſor, ſed a tertio, hic ſi per quinquennium rem iſtam, ſiue mobilem, ſiue immobilem, poſſederit, aut ſacramentum praeſtare tenetur, aut *per pugnam ſe defendere, ſi potuerit.* Denique, ſi quis per triginta annos bona fide poſſedit caſas, familias & terras, & de ea tricennali poſſeſſione certo conſtat, non lis amplius ſingulari certamini committenda eſſe dicitur, ſi tamen de bona fide poſſidentis dubitatur, illi eam in rem iusiurandum deferri oportere ſtatuitur. Itaque, primo & ſecundo caſu, titulus; tertio, bona fides probanda eſt, primoque & tertio, ea probatio per iusiurandum; ſecundo, per ſingulare certamen, priſco more germanico, erat explicanda. Exſtat porro DECRETIO CHILDEBERTI apud LINDENBROGIVM (k) cuius §. III. cautum: *vt quaslibet res, ad vnum ducem vel iudicem pertinentes, per decem annos quicumque inconcuſſo poſſedit, nullam habeat licentiam intertiandi, niſi tantum cauſſa orphanorum*, quibus, *vſque ad XX. annos intertiandi licentia conceditur*, addita comminatione, *eum, qui ſuper hoc iudicium praeſumſerit intertiare, ſolidos XV. ſoluturum, & rem intertiatam amiſſurum.* INTERTIARE, vt luculenter docuit IO. GEORG. ECCARDVS (l), idem eſt, ac ſequeſtrare, adeoque ſenſus huius legis eſt, eum, qui vindicaturus ſit rem quamcumque, (nam & hic mobiles ab immobilibus non diſcernuntur) ac proinde, illam ſequeſtrari petiturus ſit, a poſſeſſore decem annorum praeſcriptione excluſum iri, niſi ſit orphanus, cuius dominium non niſi viginti annorum praeſcriptione interuertendum ſit. Itaque Franci decennalem quidem praeſcriptionem contra actiones in rem admittebant, in eo tamen illis cum reliquis Germanis conueniebat, quod aliae actiones omnes, vti

ſtatim

(i) *lib. II. tit. XXXV. §. I. ſeqq.*

(k) *Cod. Leg. antiqu. p. 346.*

(l) *ad Legem Salic. tit. XL. §. I. p. 75. & ad leg. Ripuar. tit. XXXIII. p. 216.*

ſtatim additur, apud eos *lege tricennaria excludebantur.* Sed haec antiquiora ſunt, quae diuturnitas temporis, vti fit, iam dudum excluſit. Hinc merito recentiora quaedam, & quorum hodienum ſanctior cuſtodia eſt, addimus. Talia vero ſunt, quae de rerum immobilium praeſcriptione in IVRE PROVINCIALI SAXONICO (m) legimus: *An eigen und Erbe mag ſich der Sachſs verſchweigen bey dreyſig Iahren, Iahr und Tag, und eher nicht.* Idem fere Belgae obſeruant, apud quos, modo viginti annorum inter praeſentes, triginta inter abſentes, modo tanti temporis, quantum tertia pars ſaeculi, *de deerte deel van hondert laren*, complectitur, ſpatium exigitur, ad rei immobilis vindicationem excludendam. De qua praeſcriptione Belgica, plura ex inſtituto diſſerunt GROTIVS (n), LAMBERTVS GORIS (o), & FRANC. ZYPAEVS (p) qui generatim de moribus Belgicis: *Mobilium vſucapio fere vbique hodie deſiit, & cum rebus ſoli eodem tempore praeſcribuntur, quod annis fere paſſim triginta abſoluitur. Vt & actiones perſonales annis durant triginta.* Qualia & de Gallis illis, qui moribus potius, quam iure ſcripto, reguntur, obſeruant BOERIVS (q) & IO. IMBERTVS (r).

§. XX.

Neque tamen exemplo caret annalis illa rerum immobilium praeſcriptio, neque illa ideo, quod plerisque gentibus tempus multo longius placuit, pro iniqua habenda eſt. Nimirum alienationes rerum immobilium Lubecae, non niſi ad acta & interueniente auctoritate eorum, qui iuri dicundo praeſunt, fiunt, ac proinde vix contingere poteſt, vt dominus rei ſuae poſſeſſorem ignoret, aut res, eo inuito, in cuiuſquam poſſeſſionem peruenire poſſit. Hinc articulum iſtum de praeſcriptione rerum immobilium annali (s) [illegible] praecedunt verba: *Wann einer liegende Gründe, ſtehende Erbe, auch Rente verkaufft, die ſollen dem Kâuffer vor den ſitzenden Rathe verlaſſen werden: Sturbe der Verkâuffer, ehe die Verlaſſung in der Stadt Erbebuch geſchrieben würde, ſo ſollen doch nichts deſtoweniger deſſelben Erben dem Kâuffer nochmahls verlaſſen, und zu Buche bringen laſſen.* Quid vero iniqui ineſt ſtatuto, quod obſeruata illa ſolemnitate ſecurum eſſe iubet emtorem, ſimulac an-

Ciuitates quaedam Germaniae annalem praeſcriptionem & in immobilium vindicatione admiſerunt. Aequitas eiuſmodi ſtatuti.

(m) *Lib. I. art. XXIX.*

(n) Grotius *Introd. ad Iuriſp. Batau. Lib. II. cap. VII.*

(o) Lambert. Goris *Aduerſ. iur. tract.* III. *cap.* IX.

(p) Franc. Zypaeus *Notit. iur. Belg. p.* 77.

(q) Boerius *in Conſuet. Bituric. tit. de praeſcript.* §. VII.

(r) Io. Imbertus *Enchirid. iur. Gall. p.* 376. *ſeq.*

(s) *Lib.* III. *tit.* VI. *art.* II.

nus & dies exierit? *Eſt enim* teſte MEVIO (t) *ea vis communis illorum, quae libro publico ciuitatis inſcribuntur, vt poſt annum & diem ab omni impugnatione immunia ſint, vti generaliter ſtatutum* (u): *Wird etwas in des Raths oberſtes Stadt-Buch geſchrieben, und ſolches würde in Iahr und Tag nicht angefochten, ſo kan darauf künfftig niemand Einrede thun.* Hinc & alias ciuitates, quae fundos ad acta alienari iubent, tam breuem vnius anni praeſcriptionem probare animaduertimus, IVRE ſane HAMBVRGICO (x) ſimilia leges: *Nach Ausgang Iahres und Tages kan niemand verkauffte, verlaſſene, in der Stadt Buch zugeſchriebene Erbe anfechten, es ſey dann, daſs er durch rechtmäſſige Sache ausheimiſch geweſen, ſo hat er billig von Zeit der Wiſſenſchafft noch Iahr und Tag zu genieſſen.* Quin HVGO GROTIVS (y) auctor eſt, Batauos quoque, qui alioquin non niſi tertia parte ſaeculi praeſcribi rerum vindicationibus permittunt, eam tamen conſuetudinem plerisque locis obſeruare, vt vnius anni & diei ſpatium ſecurum reddat poſſeſſorem, qui praedium, interueniente auctoritate ac cognitione ſcabinorum, aliorumue, qui iuriſdictioni praeſunt, traditum accepiſſet. Equidem non eadem in alienatione rerum mobilium intercedit ſollemnitas: & proinde harum ſaltim praeſcriptio videri poſſet paullo iniquior. Verum ne eam quidem dicam Lubecenſibus quiſquam ſcripſerit, quin ſimul iniquitatis coarguat & ius Saxonicum, & ipſum Romanum, quo ante IVSTINIANI tempora non aliam, quam annalem, rerum mobilium vſucapionem proditam fuiſſe, nemo, vt opinor, ignorat, qui vel *principium Inſt. de vſucapione* vmquam perlegit attentius.

§. XXI.

Interpretatio ſtatuti de vſucapione rerum immobilium.

Sed nihil iam ſupereſt, quam vt & has ſtatutorum periochas paucis interpretemur. Prior, vt diximus, eſt de vſucapione rerum immobilium, *von liegenden Gründen, und ſtehenden Erbe*, id eſt, de praediis tam ruſticis, quam vrbanis, quibus tamen aequiparantur annui reditus, vel *Renten*, quippe qui iure LVBECENSI (z) rebus immobilibus accenſentur, ſi ſint irredimibiles (a). Nec tamen hae res promiſcue annali vſucapione adquiruntur, ſed ſi ſint venditae, & ea quidem adhibita ſollemnitate, quam ius illud Lubecenſe

(t) Meu. *ad h. l. p.* 633.
(u) *Art. I. tit. VI. lib. V.*
(x) *Part.* II. *tit.* VIII. *art.* VII.
(y) Hug. Grotius *Introd. ad Iuriſp. Batau. cap.* VII.
(z) *Lib.* III. *tit. V. art. V.*
(a) *vid.* Koeppen *Deciſ. XXIV. n.* 7. & Meu. *ad Ius Lub. lib.* III. *tit.* VI. *art.* VIII. *n.* 21. *ſequ.*

Digitized by Google

becenſe requirere, diximus. Quod accuratius exprimit IVS HAMBVRGENSE, Lubecenſi hic ſimile, dum mentionem facit *verkaufſter, verlaſſener, und in der Stadt-Buch geſcriebener Erbe.* Ex quo recte colligit MEVIVS, rem ad ius commune redire, ſi venditor ſollemnitatem illam neglexerit, vel contractus ex perſona contrahentium, aliaue ſimili cauſſa, ipſo iure nullus ſit, quia, quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere (b). Si quis itaque rem huiuſmodi, inſtituta actione, petit, ei intra annum & diem id faciendum eſt: *Der ſoll es binnen Iahr und Tag thun*, id eſt, intra anni & viginti quatuor horarum ſpatium, quod iſta phraſi ex vſu forenſi Lubecenſium intelligi, iam ſupra (§. VIII.) monuimus. Id vero quaeritur, a quo momento id tempus currat, & ſitne a die, quo res vendita, an, a quo venditor rem in iure ceſſit, computandum? Quod poſterius merito probabilius videtur MEVIO (c), partim, quod non titulo alienationis, ſed libro publico, is effectus attribuitur, vt emtor, elapſo anno, ſecurus ſit (d), partim, quod non prius res tradi, adeoque nec alter eam ciuiliter poſſidere cenſetur, quam facta in iure ceſſione. Res ergo, ita emtas & per annum & diem poſſeſſas, nemo poſtea actione aliqua perſequi poteſt. Quamuis enim verbum *anſprechen*, quo legis iſtius conditor vſus eſt, rei potiſſimum vindicationem ſignificare videatur: non abſurde tamen MEVIVS (e) exiſtimat, actionem etiam hypothecariam hac annali praeſcriptione excludi, ſi quis ea aduerſus nouum poſſeſſorem vti velit. Quamuis enim non adeo ſtringere videantur rationes, ex iure Romano adductae (f): ſufficere tamen ad rei ſummam videtur, quod verbum *anſprechen*, ad omnes actiones in rem, adeoque & ad quaſi Seruianam, quae ipſa quoque inter vindicationes eſt, pertinere videatur (g). Quum denique legi ſubiiciatur limitatio: *Er bevveiſe dann, daſs er auſſerhalb Landes gevveſen, ſo hat er noch* a tempore ſcientiae *Iahr und Tag*; merito quaeritur, quid hic ſit: *Auſſerhalb Landes*? Sane enim, quum plerarumque ciuitatum imperialium, nedum municipalium, quae iura Lubecenſia adoptarunt, non adeo amplus ſoleat eſſe ager, in quem illis ſit iuriſdictio, ac proinde ille partem facere ſoleat prouinciae cuiuſdam maioris: exiſtimare quis poſſet, eum, qui e. g. in Holſatia moratur, Lubecae; qui Gryphs-

(b) *l. 29. ff. de diu. reg. iur.*
(c) Meu. *in Comment. ad h. art. no. 20. ſequ.*
(d) *Lib. V. tit. VI. art. I.*
(e) Meuius *ibid. n. 7. ſequ.*
(f) *l. 2. C. de remiſſ. pign. & l. 12. C. de pactis.*
(g) §. 15. *Inſt. de act.*

Gryphswaldiae, Stralſundi, non poſſe pro abſente extra prouinciam cenſeri. Enimuero, tam varia eſt vocabuli (*Land*) notio, vt & agrum, qui in ciuitatis alicuius ditione eſt, & prouinciam, qua tractus ille cingitur, & ipſum, cuius prouincia illa pars eſt, imperium denotet. Res ipſa vero ſummaque aequitatis ratio ſuadet, vt ſolum ciuitatis cuiuſque territorium in ſtatuto intelligamus. Quum enim tam breues ſint, quae hic actori conceduntur, induciae: iniquum profecto eſſet, abſentem excludi ideo, quod in eadem prouincia, vel in Germania interim moratus eſſet. Quaſi, qui e. g. in extremis Holſatiae finibus degit, quid rerum in curia Lubecenſi agatur, aeque facile ſcire poſſit, quam qui pedem vrbe per totum annum non extulerit. Hinc MEVIVS (h) obſeruat, Stralſundi abſentem habitum & eum, qui Gryphswaldiae conſtituerat domicilium, quum Stralſundum & Gryphswaldia non modo in eadem Pomerania ſitae eſſent, ſed & eidem principi parerent. Denique annus ille alter, abſentibus conceſſus, non continuus eſt, ſed vtilis, & a tempore ſcientiae currit: quod & praetorem animaduertimus obſervaſſe, cuius ex edicto annale tempus ignoranti non magis, quam iure Lubecenſi, currit (i). Ceterum vti abſens rem alibi geſtam ignorare praeſumitur: ita non audiendus videtur, qui praeſens rei palam, id eſt, coram pluribus, quin publice geſtae, ignorantiam obtendit (k), niſi tam probabilis allegetur cauſſa ignorantiae, vt iudex eum ad iusiurandum admittendum exiſtimet (l). Nam ita ſe habent mores ciuitatis, vt aditus cuiuis pateat ad librum publicum, & nemo fere ibi diu, quid rei geſtum contractumque ſit, niſi ſupina ſit eius negligentia, poſſit ignorare.

§. XXII.

Nec non alterius de praeſcriptione mobilium.

Quum eadem fere omnia ſint, quae de rerum mobilium immobiliumque praeſcriptione ſtatuit IVS LVBECENSE: actum profecto agere nobis videremur, ſi alteram, quam ſupra (§. XVII.) attulimus, periocham eadem diligentia interpretaremur. Ceſſat ſane & mobilium perſequutio, ſi quis eas integro anno & die poſſederit; & ne haec quidem praeſcriptio abſenti currit, vt parum ſit diſcriminis inter hanc & ſuperiorem periocham. Quare id modo expendendum videtur, de quibuſnam rebus hic loquatur ſtatutum? Videmus enim, hic ipſos ſitire fontes, & ne eos quidem

(h) Meuius *ibid. n.* 27.

(i) *l.* 15. §. 5. *ff. quod vi aut clam. l.* 6. *ff. de calumniat. l.* 2. *pr. ff. quis ordo in poſſ. obſeru.*

(k) *l.* 33. *ff. de verb. ſignif.*

(l) Meuius *ibid. n.* 30.

Digitized by Google

dem; quos nihil paene fugit, rem ſatis expoſuiſſe. Primum, quin de mobilibus hic agatur, dubitari vel ideo nequit, quod diſerte vocantur : *Gut, welches in die Stadt kömpt.* Aſt quando ſtatim adiicitur ; *Doch nicht über See und Sand* : non ſane adeo expeditum eſt, quid ea exceptione opus ſit. Nam de rebus per mare adlatis ſingulare quid conſtitutum eſſe, non reperimus : nec nos intelligere, fatemur, quid ſibi velint pleraque, quae alii ad elucidandum hunc articulum attulerunt. Quare quum res paullo videatur obſcurior : dicamus nos, quid ſentiamus. Cautum eſt IVRE LVBECENSIVM (m) : *Giebt ein Burger oder Gaſt einem andern Bürger oder Gaſt, ſein Gut mit zunehmen über See und Sand, ſolche zu verkauffen, und damit ſein beſtes zu wiſſen und zu ſchaffen, derienige, welchem das Gut gethan, iſt mächtig, damit zu thun und zu laſſen gleich dem ſeinen, denn wer ihm das ſeine vertrauet, muſs ihm auch die Rechenſchafft vertrauen.* Itaque res eiuſmodi, trans mare aduectae, vindicari a domino plane non poſſunt, ſemel venditae : quia iura Lubecenſia receperunt vetus illud Germanorum principium, eleganter expoſitum ab HERTIO (n), *Hand muſs Hand wahren*, ex eoque collegerunt, rem, quam quis alteri, trans mare auehendam, dederit, non poſſe a tertio poſſeſſore vindicari, ſed quemque cum eo, cuius ipſe fidem ſequutus ſit, agere debere. Eo vero poſito, conſequens omnino erat, vt poſſeſſori rerum trans mare adlatarum non opus eſſet praeſcriptione annali aduerſus dominum, rem, tamquam ſuam, vindicaturum, & hinc merito adderetur exceptio : *doch nicht über See und Sand.* Nam magis legis noſtrae ſenſum adſequuti videntur, qui eam ad praeſcriptiones rerum furtiuarum pertinere negant. Quid enim clarius verbis : *So kan ihm das niemand vor geſtohlen und geraubt Gut anſprechen.* Nec obſtant, quae IVRE LVBECENSIVM (o) de rerum furtiuarum vindicatione cauentur. Annalem enim illam praeſcriptionem cum bona fide poſſeſſoris coniunctam eſſe oportet, quae praeſumitur, ſi quis res, publice venum proſtantes, mercatus eſt. Sin poſſeſſor furti conſcius ſit : domino rei ſuae vindicatio deneganda haud videtur. Eamque διάληψιν Lubecenſes in praxi forenſi ſeruare, obſeruat MEVIVS (p). Vnde recte NIC. GOTHOFR. STEVRNAGEL (q) docet, *iure Lubecenſi & Ham-*

(m) *Lib.* III. *tit.* VI. *art.* XX.

(n) *Hert. in Paroem. iur. lib* I. *par.* XVIII. *Hand muſs Hand vvahren. add.* Amſel *in diſſ. Hand muſs Hand vvahren.*

(o) *Lib.* III. *tit.* VI. *art.* 17. *& lib.* IV. *tit.* I. *art.* III.

(p) Meuius *Comment. ad h. art. in addit. ad n.* 26.

(q) Steurnagel *Memorab. Statut. Lubec. & Hamb. Axiom.* XVIII. *pag.* 26.

burgenſi furtiuarum etiam rerum vſucapionem eſſe, quamuis ea in re ſtatuta iſta a iure communi, quin ius Lubecenſe hodiernum ab antiquiore, quale KOLLIVS (r) edidit, non parum diſcrepare, vltro fateamur.

§. XXIII.

Tertius caſus, de praeſcriptione bonorum vacantium, & legatorum caducorum.

Sed de rerum mobilium atque immobilium vſucapione haec ſuffecerint. Itaque iam ad tertium caſum, quo iure Lubecenſi annali praeſcriptioni locus eſt, progredimur, & de quo (s) ita cauetur: *Stierbet iemand ohne Kündige Erben, ſein nachgelaſſen Gut ſoll man dem Raht überantworten zu bewahren Iahr und Tag. Würde ſich aber binnen Iahr und Tag niemand angeben, noch wie Recht dazu zeugen laſſen, ſo iſt das Erbgut dem Raht heimgefallen.* Pertinent haec ad bona VACANTIA, id eſt eorum, qui ſine herede decedunt, quae STRABO (t) eleganter ἀδέσποτα, CONST. HARMENOP. (u) ἀκληρονόμητα vocat. Sed ſimilia & alibi leguntur de legatis, quae antiquitus CADVCORVM nomine veniebant, id eſt, quae per leges non ſubſiſtebant, *ſed in caſum cadebant*, ceu loquitur CONSTANTINVS M. Imp. (x) De iis enim idem IVS LVBECENSE (y): *Giebt iemand in ſeinem Teſtament ſeinen nebeſten Erben ein legatum, doch mit dem Beſcheide, daſs ſie ſich die nâbeſten dazu zeugen laſſen, ſo müſſen ſie dem alſo nachkommen, und ſich in gebührender Zeit binnen Iahr und Tag von dem Tage an zurechnen, auf welchen der teſtator verſtorben, zu deſſelben Gütern die nâbeſten zeugen laſſen, geſchicht das nicht, ſo iſt ſolch legatum dem gemeinen Gut verfallen.* Vbi ſimul monemus, priorem textum tantum non iiſdem verbis deſcriptum eſſe ex praeclaro illo FRIDRICI I. Imp. diplomate, apud LVNIGIVM (z), niſi, quod bona vacantia ibi non fiſco ciuitatis, ſed ipſius Imperatoris addicuntur: *Si quiſquam* (ait Imperator) *mortuus ibi fuerit, & forte heredem non habuerit, omnem hereditatem & ſupellectilem ipſius annum & diem integraliter in domo, in qua moritur, reſeruandam cenſuimus, niſi forte aliquis ei proximus intra tempus denunciatum adueniat, qui hoc iure ciuitatis obtineat. Si vero intra tempus illud nullus proximorum ſuorum venerit, quaecumque hereditauit, Regiae poteſtati ſoluantur.* Sed vti omnes Principes & ordines

(r) Kollius *art. CLXXXIII.*
(s) *Lib.* II. *tit.* II. *art. XIV.*
(t) Strabo *lib.* XVII,
(u) Conſt. Harmenop. *Promtuar. lib.* III. *tit.* I. §. *XVIII.*
(x) *l. pen. C. de delatorib.*
(y) *Lib. II. tit. I. art. IX.*
(z) *Lunig. in Reichs-Archiv. Part. Spec. Contin.* IV. p. 1331.

Digitized by Google

dines Imperii iura fiſci, olim ſolis Imperatoribus adſerta, ſibi paullatim vel priuilegio vel praeſcriptione, vel aliis titulis adquiſiuerunt, ceu decerptis ex omni antiquitate exemplis praeclare demonſtrarunt HERTIVS (a) & PFEFFINGERVS (b): ita ius *ἀδεσπότων* & caduca ſibi vindicandi, etiam florentiſſimam Lubecenſium rempublicam ſibi adſeruiſſe, eo minus mirandum eſt, quo certius conſtat, ciuitates etiam municipales quaſdam hoc ius, vel diuturno vſu, vel ex principum ſuorum priuilegio, iam pridem obtinuiſſe.

§. XXIV.

Differentiae iuris Rom. & Lubecenſis circa haec vacantia.

Haec quoque iura a Romanis haud parum diſcrepare, nemo non animaduertit. Quamuis enim & hoc iure bona, quorum nullus heres eſt, fiſco cedant (c), & aequum iam AVGVSTO viſum fuerit, *parentem omnium, populum, vacantia tenere* (cc): ante omnia tamen certum eſſe oportebat, heredem nullum exſtare, nec fraudi erat abſenti, quod eam hereditatem aliquamdiu iacere paſſus eſſet, quia aditioni & petitioni eius non niſi triginta annis praeſcribebatur (d). Et licet fiſco praefiniatur quadriennium, intra quod agnoſcere eum oporteret bona vacantia (e): id tamen quadriennium non a morte, ſed ex die, quo certum eſſe coeperit, neque heredem, neque bonorum poſſeſſorem exſtare, computari oportere, Caelio Amaranto reſcripſerat ANTONINVS PIVS. (f) Quorum nihil omnino iure Lubecenſi obſeruari animaduertimus, quod heredi, ſi quis forte exſtiterit, annum & diem praefigit, intra quod temporis ſpatium & heredem ſe probet, eo vero elapſo, bona illico pro vacantibus haberi, & fiſco cedere iubet. Non magis iuri Romano conſentaneum eſt, quod ius Lubecenſe de legatis caducis ſtatuit. Erat quidem tempus, quo ex LEGE IVLIA & PAPIA caducaria caduca omnia fiſco cedebant, niſi quod quidam tantum fiſco ex priuilegio praeferrentur, de quibus ex inſtituto egimus in comment. noſtro ad Leg. Iul. & Pap. (g) Sed nemo ignorat, pleraque caduca ſuſtuliſſe IVSTINIANVM, eumque praeter bona vacantia, & quae tamquam indignis auferantur, nihil

(a) Hertius *de Superioritate territoriali §. LII.*

(b) Pfeffinger. *ad Vitr. Inſt. iur. publ. lib. III. tit.* XXIII. §. 71. *not. b. pag.* 1511. *ſequ.*

(c) *l. 1. pr. ff. de ſucceſſ. edict. C. de bon. vac. l. 1. §. 2. ff. de iure fiſci.*

(cc) Tacit. *Annal. lib.* III. *c.* XXVIII.

(d) *l. 7. C. de petit. hered.*

(e) *l. 10. §. 1. ff. de diuerſ. temp. praeſcript.*

(f) *l. 1. §. 2. ff. de iure fiſci.*

(g) *in Comment. noſtro ad Leg. Iul. & Pap. lib. III. cap. III. p. 383.*

hil omnino ex hereditatibus fiſco vindicatum voluiſſe (h). Si cui ergo legatum ſub quacumque conditione relinquitur, eaque conditio deficit: ex iure nouo non fiſco illud cedit, ſed in hereditate ſubſidit, niſi legatarius coniunctum habeat collegatarium, ad quem illud iure accreſcendi perueniat (i). At in alia omnia hic eunt STATVTORVM LVBECENSIVM conditores, qui non modo *inuidioſam illam legis caducariae obſeruantiam*, vt IVSTINIANVS vocat, in vſum reuocarunt, & legatum relictum ſub conditione, ſi ſe proximum cognatum eſſe probauerit legatarius, non adimpleta conditione, pro caduco habuerunt, illudque adſeruerunt fiſco, ſed & breuiſſimum anni vnius tempus ſtatuerunt, intra quod legatarius, niſi conditioni paruerit, iure ſuo privaretur.

§. XXV.

Lubecenſes hic ſequuntur principia iuris Germanici antiqui.

Sed quo magis a iure Romano hic ſeceſſionem faciunt Lubecenſes: eo religioſius priſci iuris Germanici principia, ſaltim, quod ad bona vacantia attinet, ſequuntur. IVRE LANGOBARDICO, *ſi quis ſine herede mortuus eſſet, res ipſius ad curtem regis perueniebat*, & ita quidem, vt circumacto tempore, quod tamen non exprimitur, nec donanti nec creditori ius eſſet, fiſcum conueniendi (k). Propius ad ius Lubecenſe accedit SAXONICVM, quod de bonis vacantibus ita ſtatuit: *Was ſolches Dinges erbloſs ſtierbet, als Herrgevvedt, Erb oder Gerad, das ſoll man antvvorten dem Richter oder Frembdten, ob er es heiſchet nach den dreyſigſten, das ſoll dann der Richter behalten, Iahr und Tag unverthan; und vvarten, ob ſich iemand dazu ziehen vvolt mit Recht. Kommt da niemand, ſo kehre es der Richter zu ſeinem Nutz* (l). In eo tantum diſcrimen aliquod ſupereſt, quod iure Lubecenſium inter res ſoli & mobiles hic nihil intereſſe cenſetur, quum contra SPECVLATOR SAXO ſub finem articuli diſerte addat: *dies iſt aber geredt von fahrender habe.* Cuius differentiae ratio ſatis liquida videtur. Vti enim immobilium rerum vindicationi iure Saxonico triginta demum annis anno & die praeſcribitur: ita iure Lubecenſium, vti paullo ante oſtendimus, in vtriſque praeſcriptioni annali locus eſt, adeoque, vertente anno, fiſcus non minus fundos & praedia, quam res mobiles & ſuppellectilem, occupat. Luculentiſſimus porro eam in rem exſtat locus in IVRE PROV. ALAMANNICO

(h) *l. vn. C. de caduc. toll.*

(i) *d. l. vn. §. 7. C. de cad. toll.*

(k) *Lex Langob. lib. II. tit. XIV. §. 17.*

(l) *vid. Ius Prou. Sax. lib. I. art. XXVIII.*

MANNICO (m), qui in editione Bergeriana ita ſe habet: *Wo ein Menſch ſtierbt, es ſey Weyb oder Man, die an erben ſterbent, vvas ſy gutes hinder in laſſent, es ſey liegendes, oder varendes Gut, vnd iſt daz ſy ainen herren habent, des ſy aigen ſind, dem ſoll mans antvvurten, ob er es vordert, oder iſt er eins Gotzhaus, ſo iſt es daſſelbe Recht: vnd vordert es nieman, vnd iſt es auf dem Lande, ſo ſoll ſich ſein der Richter vntervvinden, vnd iſt es in ainer Stadt, ſo vndervvind ſich ſein der Stetherre, oder ſein Richter, vnd er ſoll es Iar vnd Tag behalten in ſeiner Gevvalt, ob iemand darnach kam, der ſich mit dem Rechten darzu ziech innerhalb iar und tags, dem ſoll man es an ſchaden vvider laſſen.* Vbi ſane eadem omnia, quae ius Lubecenſe ſancit, obſeruamus. Quid? quod & IVRE SVSATENSI (n) ita cautum eſt: *Vort mehr: verſtrecken Guth, dat den Richter vvard geantvvort, dat ſoll he verkündigen laten dry Sündagen vppe den olden Kerck-Hove, und kommt dar vvey na binnen Iare und Dage, deme ſoll he dat vvedder geven, und de ſoll dem Richter vveder geven, dat he daran geleget heft.* Atque hinc ſatis conſtare arbitramur, & commune hoc ius fuiſſe Germanis omnibus, & Lubecenſes illud ab vrbis primordiis cum ipſo iure Suſatenſi adoptaſſe. Sed haec de bonis tantum vacantibus vera eſſe fatemur. Quod enim ad caduca adtinet, ea iuris Lubecenſis diſpoſitio, niſi nos omnia fallunt, paullo videtur recentior, & ab eo demum tempore repetenda, quo teſtamenta a Germanis condi legataque relinqui coeperunt, quod a ſaeculo XIII. demum, inualeſcente paullatim inter Germanos iure eccleſiaſtico, factum eſſe, veroſimile eſt.

§. XXVI.

Interpretatio capitis de bonis vacantibus.

Vt ergo & haec capita ex inſtituto noſtro paucis interpretemur, prius agit de bonis vacantibus, quae a Germanis *erbloſe Güter* vocari ſolent. Talia vero ſunt, non ſolum, quorum nullum heredem eſſe, conſtat, ſed & quorum aliquem heredem eſſe, non conſtat. Quod accurate exprimunt iura Lubecenſia. *Stirbt iemand ohne kundige Erben.* Contingere ſane poteſt, vt peregrinus Lubecae diem obeat ſupremum, de quo, quis, cuiaſue ſit, quoſue cognatos reliquerit, nemini compertum eſt. Fieri etiam ſolet, vt ciuis caelebs & orbus decedat, cuius de cognatis nemini conſtat. His ergo caſibus, heredes quidem reliquit mortuus: ſed de quibus non conſtat. Tunc vero hereditatem iacentem per an-

(m) *Cap.* CCLXVIII. (n) *Art.* XXXVIII.

num & diem cuſtodit adminiſtratque ſenatus, adeoque dubitari non poteſt, quin & inuentarium confici, & accepta expenſaque in rationes referri oporteat, vt ſi forte interea ſuperueniat heres, qui ſe proximum ad hereditatem rite probare poſſit, iſti integra omnia ſeruentur. Quin & prudenter monuit MEVIVS, recte & ordine facturos magiſtratus, qui propoſito palam edicto vel programmate denuncient abſentibus, vt adſint intra annum & diem, & ius ſuum probent. Non enim quemquam abſentem temere iure ſuo priuandum arbitramur, niſi vel edicto ſaltim, vt ſibi in tempore conſulat, praemonitum. Quare in Belgio aliiſque locis, eo caſu, non modo programmata proponuntur, ſed & in relationibus diurnis, quae publicantur, datur rei notitia, heredeſque abſentes monentur, vt adſint, hereditatemque ad ſe pertinere demonſtrent. His vero omnibus obſeruatis, ſi nemo adſit intra annum, vel is, qui ſe heredem proximum adfirmat, ius ſuum liquido probare nequeat: tunc vniuerſam hereditatem occupat fiſcus, ſalua tamen coniugi ſuperſtiti praerogatiua, quam illi ius commune prae fiſco indulget (o), quamque contra COTHMANNVM (p), qui coniugem a fiſco excludi cenſuit, praeclare vindicauit DAV. MEVIVS (q). Sed merito quaeritur, ſit ne IVS LVBECENSE tam rigidum, vt abſentes omnes, licet in iuſta ignorantia verſentur, tam breui praeſcriptione ab hereditate excludat? Id quoque merito negat MEVIVS, motus potiſſimum IVRE SAXONICO, ex quo fonte ſua hauſiſſe Lubecenſes, exiſtimat, ac proinde non abs re ſtatuens, heredi intra triginta annos ſuperuenienti non denegandam eſſe reſtitutionem in integrum. Aſt ſi id promiſcue ſtatuas, vereor, ne tum in fumum abitura ſit annalis iſta praeſcriptio, quum raro praeſentes tam futuri ſint rerum ſuarum incurioſi, vt fatale illud anni ſpatium negligant. Iure ſane Saxonico non ob quamlibet abſentiam reſtitutio promittitur, ſed ob certas tantum abſentiae cauſſas: *Es vvâre dann, daſs der Erbe gefangen vvaer, oder in des Reichs-Dienſt gezogen, oder in Gottesdinſt auſſer des Landes, ſo muſs er ſein vvarten mit dem Erbe, bis daſs er vviederkomme: Denn er kan ſich an ſeinem Erbe dievveil nicht verſchvveigen.* Quibus fere gemina ſunt haec iuris ALAMANNICI, niſi quod & abſentiam ob morbum ſonticum ibi iuſtis abſentiae cauſſis accenſeri animaduertimus: *Kümbt aber yemand nach dem Iar, der ſoll bereden, das er in ehehaſſter Not geirret hab, dem ſoll*

(o) *l. vn. ff. vnde vir & vxor.*
(p) *Conſil. LI. n. 80. ſequ. Vol. II.*
(q) Dan. Mev. in Comm. ad h. art. *n. 35. ſequ.*

ſoll man es antwurtten. Ehehaffte Not iſt vnknuzz, und ob ain Man an des Reichs-Dinſt iſt, oder in ſeines Herren-Dinſt, oder in Gottes-Dinſt, oder wen ſiechtumb irret. Vnd wer ehehafft not bereden ſoll, welcher er der aines beredet mit ſeinen tzwain vingern, ob er des ſtat hat; ſo ſoll man im recht thun vmb ſein Gut, vnd ſoll der Menſch gelten, das ſoll man bey den erſten abrichten. Quae quum ita ſint, in eo quidem MEVIO plane adſentimur, quod heres abſens contra lapſum iſtius anni merito reſtituendus ſit in integrum, at hic tamen vel maxime locum fore arbitramur edicto Praetoris, SI QVA ALIA IVSTA MIHI CAVSSA VIDEBITVR, IN INTEGRVM RESTITVAM (r), adeoque non ſuffecturam putamus ſolam abſentiam, niſi iuſta eius ratio reddi queat.

§. XXVII.

Nec non alterius de legatis caducis.

Quibus explicatis, non iam obſcura poteſt eſſe alterius capitis, quod erat de legatis caducis, ſententia. Nimirum non omne legatum, deficiente conditione, caducum putatur, ſed vnicum, ſub ea relictum conditione, ſi ſe proximum defuncto eſſe probet legatarius. Solent enim ditioribus, maxime quos gratioſos facit coelibatus & orbitas, facile obrepere obſcuriſſimi homines, qui ſe non modo cognatos, ſed & cognatorum proximos, repetita ab vltima ſtirpe genealogia, ferunt, captandaeque hereditatis cauſſa nullum vel officii vel obſequii genus praetermittunt, qualem neceſſitudinem adfectabant, qui Periplectomenis, ſenis, hereditatem iam creuerant animo, & de quibus ille lepide apud PLAVTVM (s):

Quando habeo multos cognatos, quid opus mihi ſit liberis?
Nunc bene viuo, & fortunate, atque vt volo, atque animo vt lubet,
Mea bona morte COGNATIS *dicam, inter eos partiar.*
Illi apud me edunt, me curant, viſunt, quid agam? ecquid velim?
Priuſquam lucet, adſunt, rogitant, noctu vt ſomnium ceperim.
Eos pro liberis habeo: quin mihi mittunt munera:
Sacrificant, dant inde partem maiorem mihi, quam ſibi,
Adducunt ad exta, me ad ſe ad prandium, ad coenam vocant.
Ille miſerum ſe retur, minimum qui miſit mihi:
Illi inter ſeſe certant donis: ego hoc muſſito mecum:
Bona mea inhiant, certatim mittunt dona & munera:

Vbi

(r) *l.* 26. §. 8. *ff. ex quibus cauſſ. maior. vig.*

(s) Plaut. *Milit. glor. Act. III. Scen. I. v.* 111. *ſequ.*

Vbi ſane vnuſquiſque intelligit, non de veris cognatis loqui ſenem PLAVTINVM, ſed de fictitiis, qui opulentis vna nocte, tamquam fungi, naſcuntur. Iam finge, horum vni legatum relinqui, ſed addita conditione: SI SE COGNATVM PROXIMVM, qualem ſe eſſe viuo teſtatori perſuaſerat, PROBAVERIT: tunc ius Lubecenſe ei prudenter praefigit annum, intra quem conditioni ſatisfaciat. Deficientem in probatione indignum legato iudicat, adeoque ei lucrum eripit fiſcus, tamquam qui teſtatorem mendaciis, aliiſque captatoriis artibus, ad relinquendum ſibi legatum turpiter pellexerit. Bene ſane ac prudenter, ſi quid aliud. Si enim iuris Romani conditores legatum, vt indignis auferendum, putant iis, qui de hereditate viuentis & ignorantis pacti ſunt (t), vel qui legatum adulterio (u), vel accommodata in fraudem legum fide meruerunt (x): an iniquum videbitur lucrum mendaciis & dolo malo quaeſitum huiuſmodi captatori extorqueri? Sane ſi eadem ſeueritate vſi eſſent Romanorum legislatores, non tantus apud eos heredipetarum fuiſſet prouentus, nec auditae eſſent querelae PETRONII ARBITRI (y) de Crotone, quo nomine Romam derideri putant: *In hac vrbe non litterarum ſtudia celebrantur, non eloquentia locum habet, non frugalitas ſanctique mores laudibus ad fructum perueniunt: ſed quoſcumque homines in hac vrbe videritis, ſcitote in duas partes eſſe diuiſos. Nam aut* CAPTANTVR, *aut* CAPTANT. *In hac vrbe nemo liberos tollit, quia quiſquis ſuos heredes habet, nec ad coenas, nec ad ſpectacula admittitur, ſed omnibus prohibetur commodis, inter ignominioſos latitat. Qui vero nec vxores vmquam duxerunt, nec proximas neceſſitudines habent, ad ſummos honores perueniunt, id eſt, ſoli militares, ſoli fortiſſimi, atque etiam innocentes habentur. Videbitis, inquit, oppidum, tamquam in peſtilentia campos, in quibus nihil aliud eſt, niſi cadauera, quae lacerantur, aut corui, qui lacerant.* Nimirum talem eſſe oportet rerum faciem, niſi prudentes legislatores dent operam, vt corui deludantur hiantes.

§. XXVIII.

Quartus caſus, de forma aedificiorum. Singularis porro ſpecies, in qua praeſcriptioni annali ſecundum IVS LVBECENSE locus eſt, talis exſtat (z): *Wann über Iahr und Tag ein Gebäude unangeſprochen geſtanden, daſs kan nach Iahr und Tag*

(t) *l. 2. §. 3. ff. de his, quae vt indign.*
(u) *l. 13. ff. & l. 14. ff. eod.*
(x) *l. 10. pr. l. 18. pr. l. 23. ff. eod. l. 103. de legat. I.*
(y) *in Satyr. p. 105.*
(z) *Lib. I. tit. VIII.*

Digitized by

Tag nicht mehr angefochten vverden. Qui ius illud diffuſo commentario illuſtrauit, DAV. MEVIVS, articulum hunc, modo de praeſcriptione ſeruitutum, modo de noui operis nunciatione, interpretatur, adeoque vertente anno nec actioni confeſſoriae, nec noui operis nunciationi amplius locum eſſe, contendit. At nos primo non videmus, quomodo noui operis nunciationi Lubecae locus eſſe poſſit etiam intra annum & diem, *vvan unter Iahr und Tag ein Gebâue geſtanden hat*, quum id vel maxime ad naturam huius nunciationis pertineat, vt ſtatim initio, & nondum perfecto opere, fiat (a). Deinde generaliora ſunt verba ſtatuti, quam vt ad ſolas ſeruitutes praediorum reſtringi poſſint, quum potius de omni forma aedificiorum loquantur, cui alioquin vicinus iuſte ſeſe opponeret. e. g. Si quis aedificando vicini fundum occuparit, ſi ſeruitutibus tigni immittendi, proſpectus, luminum, aliiſque, quae vicino competunt, praeiudicium fecerit, ſi officinam aliquam, quam inconſultis vicinis, aedificare per IVS LVBECENSE (b) non licet, exſtruxerit, nouas porticus, feneſtras, ianuas, cellas ſubterraneas, caminos, horrea, contra priſtinam formam, aedificarit, quod itidem non permittit ius Lubecenſe (c). His omnibus caſibus vicinus alioquin iure agit, vt aedificium vel deſtruatur, & ad priſtinam formam reducatur, vel, vti olim, ſeruiat vel denique ſeruitute liberum eſſe iubeatur, quorum primum interdicto *quod vi aut clam*, alterum actione *confeſſoria*, tertium *negatoria* fieri, nemo ignorat. At eas actiones omnes ius Lubecenſe intra annum & diem iubet inſtitui, & alias exceptione praeſcriptionis ſubmotum iri actorem, minatur.

§. XXIX.

Comparatio huius capitis cum iure Romano.

Itaque iam facile patet, quid inter ius ciuile & Lubecenſe hac in re interſit. Si quid contra priſtinam formam factum fuerit, nulla plane erit inter vtrumque ius differentia, niſi quod Lubecenſe ciuili paullo liberalius anni ſpatio diem, vel viginti quatuor horas, ſuperaddit. Nam & iure Romano, interdictum *quod vi aut clam*, cui tunc locus eſt, annum duntaxat viuit, eoque vertente exſpirat (d). At tanto magis ius illud a Romano diſcrepat eo caſu, quo ſeruituti libertatique praedii vicini aedificando nocitum eſt. Quum enim ſeruitutibus, ſublata lege Scribonia, decem annis inter praeſentes, viginti inter abſentes praeſcribatur (e),

[a] *l. 1. §. 1. ff. de nou. op. nunc.*
[b] *Lib. III. tit. XII. art. XII.*
[c] *Lib. III. tit. XII. art. XIII.*
[d] *l. 15. §. 3. 4. ff. quod vi aut clam.*
[e] *l. 4. §. fin. ff. de vſurp. & vſucap. l. 10. ff. ſi ſeru. vind. iuncta. l. vlt. C. de long. temp. praeſcrips.* Iac. Raeuardus *de lege Scribonia.*

adeoque & actiones confeſſoria & negatoria longum tempus durent (f): ius Lubecenſe id temporis ſpatium coanguſtat, & non niſi annum & diem ſtatuit, intra quem hae actiones cum effectu poſſint inſtitui. Intereſt enim reipublicae, vrbes ruinis non deformari. Id vero euitari vix poſſet, ſi ius agendi aduerſus aedificantes nullo, aut longo demum tempore exſtingueretur. Ceterum quum de priuatis procul dubio aedificiis agat hic articulus: recte hic notauit MEVIVS, publicae vtilitati tam breui temporis ſpatio non praeſcribi, nec derogari hoc articulo eleganti reſponſo, quod exſtat *in l. 6. C. de operib. publicis.*

§. XXX.

Quintus caſus praeſcriptionis annalis in dote.

Nullae fere lites alibi terrarum magis fatigant iudices, quam quae de dotibus inter ſocerum & generum, nec non inter maritum & vxorem, eorumue heredes ſeruere ſolent. Saepe enim gener dotem promiſſam, ſaepe non promiſſam, petit. Aliquando vxori eamdem repetenti opponitur exceptio dotis non illatae: aliquando ipſam apocham in dubium vocat gener, dotemque cautam, non numeratam eſſe, contendit. Reſecandam vero hanc litium materiam exiſtimarunt LVBECENSES, idque ſe non facilius conſequuturos ſperarunt, quam ſi ſponſos Graeca fide mercari iuberent, eoſque & actione, & exceptione non numeratae dotis priuarent, qui dotem promiſſam non exegerint in tempore. Qua de re ita cauerunt (g): *Verehlicht ſich ein Mann mit einer Iungfrauen oder Wittvven, den Brautſchatz, vvelcher ihr mit gelobet vvird, ſoll man mahnen binnen den erſten zvveyen Iahren. Thut er aber das nicht, ſo iſt man ihm nichts pflichtig, dievveil er denſelben zuvvieder den Lübeckiſchen Rechte ſtehen laſſen. Stirbet alſo der Mann, ob nun vvohl ihr Brautſchatz in ſein Gut nicht gefloſſen iſt, vvann ſie aber gleichvvoll ervveiſen vvürde, daſs ihr ſolcher Brautſchatz mitgelobet, vvann ſie es ihr nicht trauen vvollen, ſo ſoll ihr dennoch derſelbe aus ſeinen geſamten Gütern folgen, es konten dann ſeine Freunde ervveiſen, daſs er den Brautſchatz gemahnet habe, und habe denſelben mit guten Willen ſtehen laſſen, oder aber auch innerhalb Iahr und Tag, ſich bey den Bürgermeiſtern angegeben, und davon proteſtiret, daſs er ſolches in der Güte gefordert, aber nichts erhalten können.* Multa hic occurrere ſingularia, & quae iuri Romano minus conueniant, facile patet, adeoque operae pretium fuerit, iura iſta inter ſe paucis contendere, & paullo accuratius oſtendere vtriuſque differentiam.

§. XXXI.

[f] *Stryk. de Praeſcript. act. Memb.* III. *axiom.* I. *n.* 9. 10. Donellus *Comment. Iur. lib. XI. cap. XI.* [g] *Lib. I. tit. V. art.* II.

§. XXXI.

Comparatio iuris Lubecenſis & iuris Romani.

Primum dos rite promiſſa iure Romano peti poteſt actione ex ſtipulatu, eaque tamquam perſonalis & ciuilis eſt perpetua, nec quidquam impedit, quominus intra triginta annos inſtituatur (h). Et quamquam alioquin dotis periculum penes maritum eſt, ſi extraneum non in tempore interpellarit: aliud tamen dicendum, ſi quando gener ſocero pepercerit, eumque moras nectentem non vrſerit ad exſolutionem (i). Hinc ſi dotem promiſſam non exegit gener, & ſocer interea bonis labitur: dos non genero, ſed ei, cui adquiritur, id eſt, mulieri periiſſe cenſetur, quia agnoſcendum videtur pietati generi, aequo animo ferentis ſoceri auaritiam, eique ex quadam verecundia plus iuſto indulgentis (k). At quum haec verecundia lites innumeras pariat: iuris Lubecenſis conditores eam arcto biennii ſpatio circumſcribere maluerunt, eum iure dotem petendi excludentes, qui diutius eam petere ceſſarit. Quale exemplum MEVIVS (l) factum refert anno MDLXXXV. Id. Octobr. in cauſſa *Hanſs Cramers* contra Anton. Bellingshauſen. Deinde ius Romanum, ne quidem ſi dos cauta ſit, tam breui tempore maritum eiuſque heredes priuat exceptione non numeratae dotis, ſed ſoluto intra biennium matrimonio, per annum, ſoluto eodem intra decennium, per tres menſes eam adhuc permittit, eamque adeo circumacto demum decennio exſpirare iubet. (m) Contra ius Lubecenſe maritum biennii anguſtiis circumſcribit, & dotem, eo poſt biennium mortuo, illatam eſſe, praeſumit, ita, vt non admittatur probatio in contrarium, modo probet vxor, dotem eſſe promiſſam. Hinc dos etiam non numerata tunc repetitur, adeoque ex eius iuris principiis magno cum heredum detrimento coniuncta eſt mariti verecundia, dotem promiſſam a ſocero intra biennium non exigentis, ſaltim Lubecae. Nam ſi femina Lubecenſis nupſerit extraneo, in vrbe vel prouincia, vbi ius Lubecenſe non viget, commoranti: nemo dubitarit, quin ceſſare oporteat diſpoſitionem de repetitione dotis, non autem ceſſaturum ſit, quod ſtatuta de praeſcriptione dotis promiſſae cauent. Quemadmodum enim gener in exigenda dote forum promittentis & recepta ibi iura ſequi cogitur: ita vxor vel eius heredes, ſoluto matrimonio repetituri dotem, forum & iura mariti defuncti

[h] *l. 3. & l. 7. C. de praeſcript. trig. vel quadr. ann.*

[i] *l. 33. ff. de iure dotium.*

[k] *Conf.* Cuiac. *obſ. lib. XII. cap. XVII.*

[l] Meu. *ad h. art. n. I.*

[m] *Auth. quod locum C. de dote cauta non numerata.*

merito ſequuntur (n). Dura haec videri poterant, ac proinde duae exceptiones ſubiiciuntur, quarum tamen altera, quae proprius ad inſtitutum noſtrum pertinet, de nouo acceſſit, nec in KOLLII editione (o) habetur. Ibi tantum prima haec exceptio occurrit: *Sunder können ſyne Fründe dat tügen, dat he danach gemahnet hebbe, ſi dat mit guten Willen ſtahn latten, ſo moht man dat afſchlahn in dem Brutſchatte.* Primo itaque poſt biennium datur exceptio non numeratae dotis, ſi mariti heredes docere poſſint, exactionem intra biennium factam, & conueniſſe tamen inter ſocerum generumque, vt dos inſoluta penes ſocerum maneret. Id enim fieri poſſe, diſerte cauetur articulo proxime antecedente I. Deinde & tunc poſt biennium ſalua eſt exceptio non numeratae dotis, ſi doceri poſſit, generum intra annum & diem interpellaſſe ſocerum, & coram conſulibus de non facta ſolutione eſſe proteſtatum. Quum enim & alioquin interpellatio, ſiue ad acta, ſiue extra iudicium facta, ad debitorem in mora conſtituendum ſufficiat (p), quis dubitet, quin interpellatio cum obteſtatione tam ſollemni coniuncta generum a mora abſoluat eamque culpam retorqueat in ſocerum? Ceterum non ineleganter quaerit MEVIVS (q), an hoc ſtatutum ei quoque marito fraudi ſit, qui dotem, ab ipſa muliere promiſſam, intra biennium exigere ceſſarit? Idque recte negat, partim quod lex tam rigida non proferenda ſit ad caſum verbis non expreſſum, partim quod non ferenda ſit vxor, obiiciens marito moram in exigenda dote admiſſam, quem quotidie ferre matrimonii onera viderit, nimis iniqua, ſi beneuolentia mariti abuti velit. Si cui paullo argutior videatur haec ratio, quam verior: malim dicere, non adeo neceſſarium videri, maritum dotem ab ipſa vxore conſtitutam, vrgere, quum IVRE LVBECENSI, communia cum illa habeat bona omnia, oneraque matrimonii non ipſe ex ſuis, ſed ex communibus bonis ferat, praetereaque ipſi mulieri repetenti dotem, quam ſe numquam intuliſſe probe norit, exceptio doli mali, manifeſto obſtet.

§. XXXII.

Sextus caſus, praeſcriptionis annalis tertius,

Supereſt ſextus caſus, quo quis praeſcriptione annali tutiſſimus eſt, ſi nimirum actus quidam in librum publicum ſit relatus. De eo enim ſancitur (r): *Wird etvvas in des Rahts oberſte Stadt-Buch geſchrieben, und ſolches vvürde in Iahr und Tag nicht angefochten, ſo*

(n) *l. 65. ff. de iudiciis.*
(o) *Art.* XLI.
(p) Struu. *Exercit.* XXVII. *th.* LXVII.
(q) Mevius *ad lib.* I. *iur. Lubec. tit.* V. *art.* II. *n.* 13.
(r) *Lib.* V. *tit.* VI. *art.* I.

ſo kan darauf künfftig niemand einige Anrede thun, es vvâre denn, daſs derjenige, vvelcher daran intereſſiret, auſſerhalb Landes gevveſen, der vvird a tempore ſcientiae *innerhalb Iahr und Tag billig zugelaſſen.* Non eſt, quod hic prolixam inſtituamus comparationem iuris Lubecenſis & Romani. Neque enim Romanos eiuſmodi librum publicum habuiſſe, conſtat, qualis hic memoratur. Neque de quibusuis actis ac codicibus publicis loquuntur ſtatuti conditores, quales ſunt *Rahts-Bücher, Straf-Bücher, Zinſs-und Schoſs-Regiſter, Gerichts-Cantzeley-Vrthel, Vormundſchaffts-Bücher*, ſed de libro praecipuo, qui ideo κατ' ἐξοχὴν vocatur *der Stadt-Buch, der Stadt-Erb-Buch* (s), itemque *des Rahts oberſtes Stadt-Buch*, in quem emtiones venditiones rerum immobilium, hypothecae in iis conſtitutae, ceſſiones in iure, aliaque huius generis referuntur. Quale quid Romae factum eſſe, non meminimus, niſi forte huc referre velis tabulas cenſuales, quarum teſtimonio ſaepe vtebantur veteres, ſi vel de natalibus cuiuſquam, vel de bonis, quaeſtio incideret (t), adeo, vt & eccleſiae doctores, veluti IVSTINVS MARTYR (u), TERTVLLIANVS (x) & CHRYSOSTOMVS (y), ad eas prouocent, quoties Seruatorem Bethlehemi natum demonſtrare cupiunt. Non autem mirabitur quiſquam, tantum fidei tantumque ponderis ineſſe publico Lubecenſium libro, qui paullo accuratius expendere voluerit ritum, ſollemnitatemque, quae in huiuſmodi inſcriptione adhiberi conſueuit, quamque ita deſcribit DAV. MEVIVS (z): *Forma huius ceſſionis haec eſt, quod venditor vna cum emtore coram conſenſu Senatus publice pro tribunali ſedentis*, vor ſitzenden Rahte, *vt habent verba art. II. h. t.* wann er öffentliche Audientz hält, *comparet, ibi contractum intimat, ſuamque voluntatem de cedenda re vendita declarat, rogans porro, vt ſollemniter ceſſio*, die Verlaſſung, *admittatur, eiuſque in librum publicum inſcriptio fiat. Iis precibus cuilibet licet intercedere, cui inde praeiudicium imminet. Si nulla eius cauſſa vel manifeſto iniqua reperitur: reiici ſolet contradictio non iuſtificata. Si aliquid cauſſae praetexitur, ſiquidem poſt auditam vtramque partem, in loco de veritate & iure decernere liceat ſtatim ſenatus, quid faciendum, decernit. Vbi ampliori diſcuſ-*

quae libro publico inſcripta ſunt.

(s) *Lib. III. tit. VI. art. II.*
(t) *l. 6. C. de fide inſtr. l. vlt. C. ſine cenſu & reliqu. l. 2. §. 1. ff. de excuſat. l. 16. ff. de probat.*
(u) Iuſtinus Martyr. *Apol. II. pag.* 75.
(x) Tertullian. *lib. IV. adu. Marcion. cap. XIX.*
(y) Chryſoſtomus *Serm. de diuerſ. noui teſtam. loc. XXXI.*
(z) Dau. Meuius *lib. III. Iur. Lubec. tit. VI. art. I. n.* 17.

ſione indiget, ad eum, qui ad hanc rem, proceſſus ſummarius vel ordinarius, pro circumſtantiarum qualitate neceſſe eſt, partes remittuntur. Facta deciſione, & contradictione reiecta, decernitur a ſenatu illa ſollemnis ceſſio, die Verlaſſung, *& abſente ſeu contumace altera parte, eius loco, publico miniſtro eam facere iniungitur, eiuſque nomine ab aliquo Senatorum (certi enim ſenatoris muneris portio id eſſe ſolet) conſueta quadam formula & ritu expeditur. Hoc peracto, rogari ſolet inſcriptio in librum ciuitatis*, die Einſchreibung in das Stadt-Buch, *quae coram cuſtodibus iſtius libri, veluti apud nos (Stralſundenſes) coram camerariis, expeditur, ſed a ſenatu aeque decernitur. Quia vero haec ſollemnitas inſignis effectus eſt, ne forſan illis, quorum intereſt, ignorantibus ſub & obreptitie impetretur: prudens magiſtratus inquirere ſolet, an vendita res libera ſit, an aeri alieno obnoxia, an litigioſa, cui in libro publico ante fuerit adſcripta, anne etiam venditori; ſi inde quid grauioris ſuſpicionis emergat, vſque ad vlteriorem inueſtigationem rem differre. Quae ſi exactius ſemper obſeruarentur, multis difficilibus litibus ſuperſedere liceret.* Quodſi ergo plenam fidem & iure Romano merentur inſtrumenta publica (a) in primis tabulae cenſuales, quibus liber hic Lubecenſium eſt ſimillimus (b), non aliam ob cauſſam, quam quia omnia accuratiſſime & adhibita ſumma induſtria illis inſcripta eſſe, praeſumitur: quis miretur, ſimilem auctoritatem Lubecenſes ineſſe velle libro ſuo publico, in quem nihil, niſi adhibita omni circumſpectione, & re accurate diſcuſſa, refertur. Ceterum ſimilem Lubecenſi eſſe animaduertimus legem Hamburgenſium, quae his verbis (c) comprehenditur, *Was für dem Rahte in offener Audientz an Erb-und Eigen, Hauptſtuhl und Rente verlaſſen und in dieſer Stadt Erb-oder Rent-Buch geſchrieben, und in Iahr und Tag nicht angefochten, und davon unter des Secretarii Hand ein Extract im Gericht fürgeleget wird, dagegen kan niemand einige Einrede thun, es vvâre dann derjenige, vvelcher daran intereſſiret, auſſerhalb Landes gevveſen, der vvird von der Zeit an, daſs er ſolches erfahren, innerhalb Iahres und Tages billig zugelaſſen.*

§. XXXIII.

Quando & quamdiu, ea Quum vero in rebus humanis nihil tam diligenter atque accurate fieri poſſit, vt non aliqua fugiant magiſtratum etiam Argo oculа-

(a) *l. 10. ff. de probat. l. 31. C. de donat. l. 15. C. de fide inſtrument.*
(b) *l. 3. C. ſine cenſu vel reliqu. l. 7. 8. 30. C. de donat.*
(c) *Stat. Hamb. Part. I. tit. XXX. art. III.*

Digitized by Google

quae in hunc librum relata ſunt, impugnari queant?

oculatiorem; ipſa aequitas ſuaſit iuris Lubecenſis auctoribus, vt iis, quibus inconſultis vel abſentibus aliquid in librum publicum relatum eſt, quod iis detrimento eſſe poſſet, puſillum laxamenti indulgerent ad ius ſuum perſequendum. Verum & hic ſufficere viſus eſt annus & dies, & quidem non continuus, ſed vtilis, quippe quem a tempore ſcientiae currere voluerunt. Quum vero ſaepe contingat, vt quis negligentiae praetexat ignorantiam, ſeque ſero admodum rem comperiſſe contendat, quum eam iam pridem habuerit exploratiſſimam: nemo dubitat, quin ſaltim iureiurando firmanda ſit illa ignorantia (d). Id quod diſerte his verbis expreſſerunt Hamburgenſes (e), *die Zeit aber ſeiner erlangten Wiſſenſchafft, ſoll er auf des Gegentheils ſein Begehren, mit ſeinem Eyde erhalten.* Vix enim alia ſperanda eſt eorum, quae intra mentis receſſus latent, probatio, quam quae ſit per iusiurandum (f). Nec quaeuis prodeſſe poteſt ignorantia, etiam adfectata (g), ſed quae in virum diligentiſſimum cadere poſſit, qualis eſt abſentium. Vnde in textu noſtro: *daſs derjenige, vvelcher daran intereſſiret, auſſerhalb Landes gevveſen.* Quis enim ferret, eum, qui pedem extra pomoeria interea numquam extulit, ignorantiam praetexere earum rerum, quae publice atque in conſpectu omnium geſta ſunt, quum ignorantiae rerum publice geſtarum nulla ſit praeſumtio (h)? *Quid enim, ſi omnes in ciuitate ſciant, quod ſolus ignorat?* inquit PAVLVS ICtus (i). Si vero iuſta fuerit ignorantiae cauſſa, iſque, cuius in detrimentum aliquid libro publico inſcriptum eſt, interea ſub alio ſole ſit peregrinatus: quis dubitet, quin ei fas futurum ſit, illud, tanquam quod clam ac furtim in librum illum irrepſerit, impugnare? Non autem abs ratione addimus, ei impugnationi tum demum locum fore, ſi quid in abſentis detrimentum factum. Quemadmodum enim & iure communi tum demum ignorantia prodeſt intra tempus annale, ſi quis non de lucro captando, ſed de euitando damno cum alio contendit (k); ita nec iura Lubecenſium ſubuentura credimus illis, qui inſignis cuiuſdam lucri ac compendii cauſſa actum in librum publicum relatum impugnare

(d) Heig. *Part.* I. *Quaeſt.* XL. *n.* 20. Carpz. *Iuriſpr. Forenſ. Part. I. Conſt. XXII. deſ. 6.* Meu. *ad ius Lub. h. t. n.* 29.

(e) *ibid.*

(f) Felin. *in c.* 16. X. *de homicid. n.* 2. Maſcard. *de Prob. Vol.*I. *concl. XCIV. n.* 4. Sturk. *de Iure ſenſ. diſſ. X. cap.* II. *n.* 8.

(g) *l.* 2. §. *vlt. ff. ſi quis caut. in iud. ſac.*

(h) Menoch. *lib.* VI. *de praeſumt. praeſ. XIII. n.* 96. Gail. *de pace publica lib.* II. *cap. X. n.* 10. *ſequ.*

(i) *l.* 9. §. 2. *ff. de iur. & facti ignorantia.*

(k) Tiraquell. *de retract.* §. *XXXV. gloſſ.* IV. *n.* 27.

nare conentur (1). Denique & id recte monet iuris Lubecenſis interpres celeberrimus, annalem hanc praeſcriptionem non pertinere ad ea negotia, quae ipſo iure ita nulla ſunt, vt ne contrahentium quidem conuentione conualeſcant. Ea enim & circumacto anno nullius eſſe momenti, nec magiſtratuum confirmationem ad eiuſmodi actus eſſe porrigendam, quos ipſae leges conſiſtere haud patiuntur, facile vnuſquiſque animaduertit.

§. XXXIV.

Concluſio diſſertationis.

Enimuero dum de inſigni illa Lubecenſium prudentia legislatoria, quae in annali iſta praeſcriptione vel maxime elucet, diſſerimus, vix ſentimus, tantum iam chartae abſumtum, quantum deſtinari ſolet exercitationi academicae. Et quis dubitet, quin hoc acturo, non defutura ſit vberrima de rebus pulcherrimis diſſerendi materia? Sed ne CALLIMACHI incurramus reprehenſionem, cui *βιϐλίον μέγα μέγα κακὸν*, *magnus liber*, *magnum malum* videbatur; hic quidem ferias calamo indicimus, Deumque precamur, vt LVBECAM, inferioris Saxoniae ocellum, religionis puritate, pietate ciuium, iuſtitiae laude, ac commerciorum amplitudine excelſiſſime florere iubeat, donec decretorius ille dies vniuerſum hoc aboleat, aeuumque hoc omne hauriat abſorbeatque aeternitas!

(1) Meuius *ad h. art. n.* 32.

DE

Digitized by Google

DE TESTAMENTIFACTIONE IVRE GERMANICO, ARCTISSIMIS LIMITIBUS PASSIM CIRCUMSCRIPTA.

EXERCITATIO XXVII.

§. I. Libertas teſtandi homini iure naturali & gentium deberi dicitur. §. II. Hinc Romanae leges omnibus facultatem teſtandi liberrimam indulſerunt. §. III. Teſtamenta rectae rationi non conueniunt. §. IV. Nec regulae prudentiae ciuilis, quae leges publicas priuati arbitrio tolli non patitur. §. V. Teſtamentifactio plerumque ex ira, odio, inuidia, aliiſque vitiis, proficiſcitur. §. VI. Hinc aliae gentes Teſtamenta vel exſulare voluerunt ex rebuſp. ſuis, vel eadem arctis limitibus circumſcripſerunt, veluti Hebraei. §. VII. Athenienſes. §. VIII. Lacedaemonii. §. IX. Germani. §. X. Quando teſtamenta in Germania condi coeperint? §. XI. Quaedam Germanicae originis gentes vel ſero, vel plane non, admiſerunt teſtamenta. §. XII. Quaedam eam facultatem admodum reſtringunt. Quot modis id fiat? §. XIII. Non omnes promiſcue in Germania teſtantur. Alicubi requiritur conceſſio Principis. §. XIV. Comparatio huius iuris cum Romano. §. XV. Alibi teſtari non poſſunt lectulo adfixi. §. XVI. An id iuri communi & Germanico conſentaneum? §. XVII. Alibi feminis non indiſtincte liberrima teſtandi facultas permittitur. §. XVIII. Pubertas non vbique ſufficit teſtamentum condituris. §. XIX. Heredes ab inteſtato exſtantes paſſim teſtamentifactionem impediunt. Ius recadentiae quid? §. XX. Teſtari alicubi non poſſunt peregrini, caelibes & ſpurii. §. XXI. Non de omnibus bonis teſtari licet.

licet. Regula, quae neminem pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere patitur, in Germania non vbique valet. §. XXII. *Quibuſdam locis de certa tantum bonorum parte teſtari licet.* §. XXIII. *Alibi de mobilibus tantum.* §. XXIV. *Alibi inter bona adquiſita & hereditaria diſtinguitur.* §. XXV. *Mulieres Saxonicae de Gerada: viri de rebus expeditoriis diſponere non poſſunt.* §. XXVI. *Vbique fere prohibita diſpoſitio de feudis.* §. XXVII. *Quod ad formam attinet, quibuſdam locis non admittuntur teſtamenta, niſi publica.* §. XXVIII. *Itemque alicubi non valent teſtamenta, niſi in quibus ad piam cauſſam, vel rei publicae vtilitatem aliquid relictum.* §. XXIX. *Quin & agnatis legitima alicubi adimi non poteſt.* §. XXX. *Si quis aliquo loco ſecundum iſtius leges teſtatus ſit, an & alibi ſubſiſtat teſtamentum?* §. XXXI. *Heredis inſtitutio multis locis haut neceſſaria.* XXXII. *Alibi ne permiſſa quidem.* §. XXXIII. *Cur tam multae Germaniae prouinciae peregrinos, quam maiorum, mores ſequi maluerint?* §. XXXIV. *Effectus receptae teſtamentifactionis liberrimae.* §. XXXV. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Libertas teſtandi homini iure naturali & gentium deberi dicitur.

QVO vehementiore viuendi deſiderio natura omnes tenemur: eo magis ipſa vnumquemque noſtrum conuincit experientia, vitam nobis non mancipio, ſed veluti vſui, datam eſſe, tempuſque imminere, quo conclamanda vaſa, & ex hac vita, tamquam ex diuerſorio quodam, ſit emigrandum. Quid mentem hominis, de decretorio illo die cogitantem, erigat, vt laeta componat ſarcinulas, & ex hac rerum humanarum caligine ad caeleſtem lucem ſine perturbatione euolet, non alia, quam Chriſtianorum, diſciplina docemur, quae ſola id veluti praecipuum habet, vt ne cum morte quidem colluctantes deſtituat, ſed viuos formet ac praeparet, vt & viuere deſinant aequo animo, extremamque illam horam ſine formidine praeſtolentur. Enimuero quum olim vniuerſum paene terrarum orbem paganiſmi oppreſſiſſent tenebrae: ſollicitum de imminente illa hora humanum genus cum alia excogitauit mortalitatis ſuae ſolatia, tum illud in primis, vt morientibus veluti poſteritati intereſſe, &, quid poſt mortem ſuam fieri vellent, ante mortem anxie praecipere, permitterent. Hinc non aliam ob cauſſam inuenta eſt teſtamentifactio, quam vt homines inde qualecumque fragilitatis ſuae caperent

rent ſolatium, & poſt mortem quoque ſibi victuri viderentur, ſi, voluntatem ſuam & poſt fata ratam fore praeſcirent. Philoſophatur hunc in modum ipſe CONSTANTINVS M. Imperator (a), dum, quae quiſque eccleſiae ſupremis tabulis ſit relicturus, vel eo nomine praeſtanda exiſtimat, *quod nihil magis hominibus deberi videatur, quam vt ſupremae voluntatis, poſtquam iam aliud velle non poſſint, liber ſit ſtilus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium.* Quam in ſententiam & QVINCTILIANVS (b): *Non aliud*, inquit, *videtur ſolatium mortis, quam voluntas vltra mortem. Alioqui poteſt graue videri & ipſum patrimonium, ſi non integram legem habet, & quum omne ius nobis in id permittatur viuentibus, auferatur morientibus.* Et ſane id argumentum tanti viſum eſt quibuſdam, vt & ex iure naturae & gentium profectam exiſtiment teſtandi libertatem, tum quod teſtamentorum ſubſtantia cognata ſit dominio, tum quod & inter viuos ita quiſque diſponere poſſit, vt effectus & poſt mortem duret, tum denique, quod teſtamentorum vſus pleriſque gentibus communis fuerit. Iis enim ſimilibuſque argumentis vtuntur, qui teſtamentifactionem ex ipſo iure naturae & gentium arceſſendam eſſe exiſtimant, veluti VIGLIVS ZVICHEMIVS (c), COVARRVVIAS (d), BRONCHORSTIVS (e), GROTIVS (f), VINNIVS (g) aliique, quos turmatim, vti ſolent, adducunt HILLIGERVS (h), GILKENIVS (i), & PINELLVS (k), quibuſque omnibus iam e veteribus THEOPHILVM (l) praeluſiſſe, animaduertimus, quippe *τὸ συγγράφεσθαι διαθήκας* ſeu *teſtamentifactionem* ad *ἐθνικὸν νόμιμον*, id eſt, *ius gentium*, diſerte referentem.

§. II.

Et haec quidem tanti momenti viſa ſunt Romanis, vt non modo morientibus, ſed & de mortalitate ſua cogitantibus, id qualecumque ſolatium concederent, quin & *publice expedire* exiſtimarent, *ſuprema hominum iudicia exitum habere* (m). Lata enim

Hinc Romanae leges omnibus facultatem te-

(a) *L. 1. C. de ſacroſ. eccl.*

(b) Quinctilian. *Declam.* CCCVIII.

(c) Vigl. Zuichem. *ad* §. 2. *Inſt. de teſtam.*

(d) Couarruu. *Var. III. 6. n. 6.*

(e) Bronchorſt. *Enantioph. Cent. III. enant. 20.*

(f) Grot. *de Iure belli & pac. Lib. II. Cap. VI.* §. *vlt.*

(g) Vinn. *ad pr. Inſt. de teſtam. ord. n. 3.*

(h) Hillig. *ad Donell. Comment. Iur. Lib. VI. Cap. V. litt. A.*

(i) Gilken. *in l. 1. C. de teſtament. n. 5. & 32.*

(k) Pinell. *Select. Lib. II. cap. X.*

(l) Theophil. *ad princ. Inſt. de Iure nat. gent. & ciu.*

(m) *l. 5. ff. teſt. quemadm. aperiantur.*

ſandi liberrimam induſerunt.

nim fuerat lex decemuiralis : PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER FAMILIA , PECVNIA , TVTELAVE SVAE REI , ITA IVS ESTO, *iiſque legis verbis latiſſimam ciuibus poteſtatem tributam nouimus & heredes inſtituendi, & legata , & libertates dandi , tutelas quoque conſtituendi* (n) , quin & ſubſtituendi , exheredes ſcribendi , omniaque agendi pro arbitrio. Quin vere dici poteſt, legislatoriam poteſtatem , in qua alioquin τὸ κύριον in republica conſiſtit, hac lege cum vnoquoque ciue Romano eſſe communicatam. LEGARE enim , teſte VLPIANO (o), eſt LEGIS MODO *aliquid relinquere*, adeoque , qui teſtamentum condebant , vere ac proprie dicebantur νομοθετεῖν (p) , *legem ferre* , quemadmodum & ipſum teſtamentum vere & proprie νόμον ſeu legem adpellari obſeruamus a veteribus (q). Quemadmodum enim legislator ſuo omnia arbitrio praecipit , quae ipſi e republica futura videntur , ciuibuſque tunc in obſequio gloria relicta eſſe cenſetur : ita Romani non minus obſequium deberi exiſtimabant ſupremis cuiuſcumque patrisfamilias tabulis , vt PLINIVS (r) iunior hinc vel maxime laudet amicum , qui *religioſiſſime ſoleret cuſtodire defunctorum voluntatem , quam bonis heredibus intellexiſſe pro iure ſit.* Quemadmodum deinde tanta eſt legislatoris poteſtas , vt & antiquiori legi , & conſuetudini , iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus receptae derogare, quin vtramque plane abolere , & e republica proſcribere poſſit : ita teſtatori fas eſt, non modo ſuas, quas antea condiderat, tabulas, nouis confectis, rumpere, ſed & ipſas euertere leges publicas, de ſucceſſione inteſtatorum latas. Quid ? quod priuatis multo maior ac laxior poteſtas fuerit legem dicendi rebus ſuis, quam ulli legislatorum, quum horum poteſtati idem, ac ipſius vitae, finis contingat , nec quisquam legem ſcripturus ſit, ſe mortuo demum in ciuitate valituram, illi autem, quid & ſequuturis ſaeculis fieri velint , recte ſanciant , &, vt cum SENECA (s) loquamur , *nihil vmquam ſanctiore cura componant , quam quod ad ſe non pertinet.* Quae quum ita ſint, recte omnino legem cum teſtamento compoſuit CICERO (t), ſcripſitque : *In publicis nihil eſt* LEGE *grauius ; in priuatis firmiſſimum eſt* TESTAMENTVM.

§. III.

(n) *l.* 120. *ff. de verb. ſign.*
(o) Vlpian. *tit. XXIV.* §. 1.
(p) Chryſoſt. *in Act. Apoſtol. homil.* I. p. 615. *Graec. Nou. XXII. Cap. II.*
(q) *Excerpta de Legation. p.* 62.
(r) Plin. *Lib. IV. Epiſt.* 10.
(s) Seneca *de Benef. Lib. IV. Cap. XI.*
(t) Cic. Philipp. *II. Cap. XLII.*

Digitized by Google

§. III.

Teſtamenta rectae rationi non conueniunt.

Enimuero ſi recte pones calculum, non facile adſentieris illis, qui teſtamentorum originem ad ius naturae & gentium referunt, ac proinde ampliſſimam illam de rebus ſuis diſponendi facultatem, qua Romani vſi ſint, ſi a forma & ſollemnitatibus diſceſſeris, ipſam rectam rationem omnibus peraeque hominibus dediſſe arbitrantur. Primo enim iam pridem vir perelegantis ingenii, EMVNDVS MERILLIVS (u), poſt eumque & alii, in primis CHR. THOMASIVS (x) & perilluſtris huius prouinciae Praeſes, IO. GOTHOFREDVS DE COCCEIIS (y) recte viderunt dominii quidem eam eſſe naturam, vt domino, quoad viuit, liceat ius ſuum in quemcumque transferre, eaque translatio, illo etiam rebus humanis exemto, rata ac firma ſit: at ex eo tamen non conſequi, vt & ab eo tempore initium capere poſſit translatio dominii, quando quis iam dominus rerum ſuarum eſſe deſiit. Potius *contra naturalem rationem eſt*, inquit MERILLIVS, *vt voluntas hominis poſt mortem valere incipiat: nam mors omnia ſoluit. Igitur & poteſtatem, de rebus noſtris ſtatuendi, ſoluit, vt etiam mandatum morte mandantis ſoluitur. Et ita voluntas hominis cum vita exſpirat, niſi poteſtate legis* (ciuilis) *in teſtamento poſt mortem confirmaretur.* Quae, vt intelligas, paullo attentius, quaeſo, expende, quid moliatur, quiſquis ſupremas tabulas ſcribit. Viuus nihil iuris, ac ne ſpem quidem certam in alterum transfert, ſed omnia ſibi integra ſeruat, nec quidquam ſibi voluntatem mutaturo impedimento eſſe cupit. At tum demum res vult in heredem translatas, quando transferre amplius nihil poteſt, adeoque vult in eum euentum, quo velle amplius non licet. Quae ſane a recta ratione adeo abhorrent, vt qui teſtamentorum originem ex iure naturae & gentium repetunt, iis ſe tricis inuoluant, quibus ſe ipſos expedire nullo modo queant. GROTIVS (z) ſane & VINNIVS (a), teſtamenta cum iuris naturalis, id eſt, rectae rationis principiis in gratiam reducere non alia ratione potuerunt, quam vocabulo notionem plane aliam & ab vſu remotiſſimam ſubiiciendo, & per teſtamentum intelligendo alienationem in mortis euentum, ante eam reuocabilem, retento interim iure poſſidendi & fruendi. Quaſi vero

(u) Merill. *Obſeru. Lib. VI. c. XXV.*

(x) Thomaſ. *Not. ad tit. Inſt. de teſtam. ord. p. 173.*

(y) *Diſſ. de Teſtament. Principum Part. I. §. XXII. ſequ.*

(z) Grot. *de Iure belli & pac. Lib. II. Cap. VI. §. vlt.*

(a) Vinn. *ad pr. Inſt. de teſt. ord. n. 2.*

ro id cenſeri poſſit alienatum, de quo prior dominus poſt alienationem aeque libere, ac antea, diſponit : & quaſi vſumfructum tantum ſibi retineat teſtator, qui in heredem nihil proprietatis transtulit. Sed & ſagaciſſimi vir ingenii, GOTTOFR. GVIL. LEIBNITIVS (b), expedire ſe alia ratione non potuit, quam vt teſtatores ob mentis immortalitatem vere rerum ſuarum dominos manere, fingat, relictos vero ab illis heredes concipiendos exiſtimet, tamquam procuratores in rem ſuam. Quaſi vero mens, corporis exſoluta vinculis, fluxa haec ac terrena curet, & dominium adfectet earum rerum, quibus ipſa non magis, quam gallina vnionibus, vti poſſit.

Id cinerem & Manes credis curare ſepultos?

recte quaerit apud VIRGILIVM (c) Anna. Et quid multa, quaeſo, hic accumulemus? Si rerum dominium aut ius vllum ex teſtamento in heredem tranſit, id aut viuo teſtatore in eum transfertur, aut eo iam mortuo. Viuo teſtatore ius hereditarium transferri non dixeris, quum nec vlla ſit viuentis hereditas, nec ipſe teſtator heredi, ſe ſuperſtite, ius aliquod eſſe velit. Nec eo mortuo fieri poteſt illa translatio, quum teſtator tunc nec velit quidquam transferre, nec poſſit, quippe cuius dominium cum vita omnino deſiit. Quem nodum plus quam Gordium quum ſatis animaduerterent iuris conſulti Romani, eum ſecare, quam ſoluere maluerunt, variis excogitatis fictionibus, quas ne quidem ab ANT. DADINO ALTESERRA (d) ſatis explicatas, non melius, quam perilluſtris de COCCEIIS (e) verbis deſcribere licebit : *Et ſane ita eſt,* inquit vir doctiſſimus. *Tota Teſtamentifactio, prout non tantum iure Romano formata, ſed & inter gentes ab omni memoria recepta eſt, meris iuris poſitiui fictionibus abſoluitur & ſuſtinetur. Primo enim fictione iuris momentum teſtamenti cum momento mortis iungitur, & vltima voluntas cum vltimo vitae halitu expoſita intelligitur* (f). *Deinde momentum quoque aditae hereditatis retrotrahitur ad momentum mortis* (g). *Haec igitur tria tempora, teſtamenti, mortis & aditionis, naturaliter inter ſe diſtincta, fictione iuris ita iunguntur, atque pro vno eodemque tempore habentur, vt & teſtator eodem mortis momento bona ſua, prout luberet, heredi conceſſiſſe, & hic ab eo accepiſſe*

(b) *Auct. nouae methodi iuriſprud. p.* 56.

(c) Aeneid. *IV. v.* 92.

(d) Alteſerra *de Fiction. iur. tract. IV. cap. II. p.* 143.

(e) *ibid.* §. *XXIV. ſequ.*

(f) *l.* 1. *C. de ſacroſ. eccl.*

(g) *l.* 54. *ff. de adquir. vel omitt. l.* 193. *ff. de reg. iur.*

Digitized by Google

poſſe fingatur. Quis vero ex iure naturae deriuet actum, qui ne explicari quidem poteſt, niſi excogitatis tot fictionibus, naturae rei plane repugnantibus?

§. IV.

Accedit & alterum, quod ampliſſimae illi teſtandi facultati iure opponitur, argumentum. Nullam vmquam gentem fuiſſe arbitramur, quae non de hereditatibus in liberos alioſque cognatione proximos deuoluendis leges accurata diligentia ſcripſerit. Quum enim prudentum legislatorum ſit, naturam, optimam vitae magiſtram, ducem ſequi: veriſſimum autem deprehendamus, quod olim cecinit PINDARVS (h): *Nec regulae prudentiae quae leges publicas priuati arbitrio tolli non patiuntur.*

Πλοῦτος, ὁ λα-
χὼν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον,
θνάσκοντι στυγερώτατος,
Diuitiae, quae nactae ſunt
Dominum ac heredem, adſcitum aliunde;
Morienti ſunt triſtiſſimae.

nihil illi fecerunt reliqui, vt, quo ordine liberi ad parentum; ad liberorum parentes, eaque deficiente neceſſitudine, agnati cognatique ad mortuorum hereditates vocandi ſint, legibus quam diligentiſſime definirent. Enimuero dum ampliſſima teſtandi libertas vnicuique conceditur, ei ſimul datur arbitrium, leges illas, pro lubitu euertendi. Quod quam alienum ſit a prudentiae ciuilis principiis, nemo non animaduertit. Negat PAPINIANVS (i), *ius publicum priuatorum pactis mutari poſſe.* Cur vero magis mutetur arbitrio vnius, legem contra leges priuatim condentis? *Contra legem nec ſtipulationem tenere* ſtatuunt THEODOSIVS & VALENTINIANVS (ii), *nec mandatum vllius eſſe momenti, nec ſacramentum admitti.* Cur magis ergo admittatur teſtamentum? Sane ſi ea demum beata eſt reſpublica, in qua potentiora ſunt legum, quam hominum, imperia, & in qua ne magiſtratibus quidem aduerſus eas quidquam permittitur: quis non in iis prudentiam deſideret, qui arbitrium in ipſas leges priuatis permiſerunt, eaſque tam impune ab vnoquoque euerti paſſi ſunt, vt & paroemia inde nata ſit: *prouiſionem hominis tollere prouiſionem legis.* Ipſi ſane, qui naſcenti Romae praeerant, multo ſapientius, quam poſteros, rationes ſubduxiſſe, animaduertimus. Hi enim heredes quidem nuncupandi

(h) Pindarus *Olymp. X.*
(i) *l. 38. ff. de pact.*
(ii) *l. 5. §. vlt. C. de Legib.*

cupandi poteſtatem faciebant ciuibus ſuis, ſed quum *nihil ſit tam naturale, quam eodem modo vnumquodque diſſolui, quo colligatum eſt* (k), recte ſtatuebant, leges de ſucceſſione inteſtatorum non poſſe, niſi nouis legibus, mutari, ac proinde heredem illum eſſe in comitiis calatis, rogante populum magiſtratu, centuriiſque ſuffragantibus, nuncupandum, vt ſic lex in cauſſa inteſtati noua lege, in cauſſa teſtati lata, abrogaretur, ceu recte animaduertit vir ampliſſimus CORN. VAN. BYNKERSHOEK (l). Quin quum iam ab eo maiorum inſtituto deſciuiſſent decemuiri: cautio adhuc erat iis, qui legis actiones componebant, ne leges de inteſtatorum ſucceſſione priuata teſtatorum auctoritate tolli viderentur. Hinc enim excogitarunt ritum teſtandi per aes & libram, ab VLPIANO (m) accuratius deſcriptum, vt teſtator non tam legem, poſt mortem demum valituram, rebus ſuis dicere, quam inter viuos bona ſua alienare videretur. Quae omnia hodie in vmbram abiere, ex quo, abolitis iſtis ritibus, quaedam tantum ſollemnitates, tamquam veteris illius teſtamentifactionis ſimulacra, retentae, & cuiuis data eſt poteſtas heredem vel ſcribendi, vel nuncupandi pro lubitu, adeoque legem contra leges publicas priuato arbitrio ferendi.

§. V.

Teſtamentifactio plerumque ex ira, odio, inuidia, aliiſque vitiis, proficiſcitur.

Iam ſi quis porro cauſſas, quibus impulſi plerique homines, praeteritis proximis agnatis cognatiſque, extraneos heredes ſcribant, paullo accuratius conſideret: & has ita comparatas eſſe animaduertet, vt, rectius facturos fuiſſe decemuiros, faſſurus ſit, ſi introducta teſtandi licentia improbitati non praeſtitiſſent patrocinium. Quamuis enim *actum hominis & praecipuae curae, & vltimi temporis eſſe teſtamentum*, ſcribat VALERIVS MAXIMVS (n), &, ex SENECAE (o) ſententia, *numquam diligentius demus beneficia, numquam magis iudicia noſtra torqueamur, quam vbi, remotis vtilitatibus, ſolum ante oculos honeſtum poſitum eſt, & mors, intercludens omnia, ad ferendam ſententiam incorruptum iudicem mittit*: neſcio tamen an vmquam latitantia hominum vitia magis erumpant foras, quam dum teſtes ad ſignandas tabulas coguntur. Tunc vero vel ira & odium, vel inuidia & liuor, vel inertiſſimum vitiorum, voluptas, vel ſtolidiſſimum omnium, ſuperſtitio animum vel maxime in diuerſa rapiunt, vt tunc praecipue omnia improbe agantur, quando homines, mortalitatis ſuae memores, ſe

(k) l. 35. ff. de reg. iur.
(l) Bynkersh. Obſeru. II. 2.
(m) Vlpian. tit. XX. §. IX.
(n) Valer. Max. lib. VII. cap. VII.
(o) Seneca de Benef. lib. IV. cap. XI.

ſe omnia ſanctiſſima cura agere, ſimulant. Iam pater durior & impius a prima ſaepe offenſa animum inducit, vt naturam ipſam eiuret, amoremque penitus inſitum eiici ex animo, &, parentem ſe eſſe obliuiſcatur. Iam alius, *nouercalibus delinimentis inſtigationibuſque corruptus, iniuriam aduerſus liberos ſuos teſtamento inducit, & maligne circa ſanguinem ſuum infert iudicium* (p). Iam liuor miſerum excruciat teſtatorem, nec ille aequo animo ferre poteſt cognatos, quorum ipſe inopia ſemper laetatus eſt, & quibuſcum ſimultates per omnem vitam exercuit, bonis ſuis potituros. Hinc extraneus ſcribitur heres, qui vel ſtupro aliiſue probris id beneficium meruit, vel miluii inſtar teſtatorem captauit, demiſſoque ad humillimum obſequium animo, & hamatis beneficiis, eum ad expungendas proximas neceſſitudines pellexit, qui deinde voti compos factus, vti eleganter ait poëta (q),

Stat domo capta cupidus ſuperſtes,
Imminens lethi ſpoliis, & ipſum
Computat ignem.

Quum multi porro, non pietate quadam, ſed turpiſſima ſuperſtitione, impulſi hereditatem miſeris cognatis praeripiunt, iiſque piam, quam vocant, cauſſam praeferendam exiſtimant? Praeclarum profecto eſt, & laude digniſſimum, bona elargiri pauperibus, vel ea ita diſpenſare, vt ad eccleſiam, ſcholas, & miſerabiles perſonas aliqua inde redundet vtilitas. At plerique id eum in finem faciunt, vt oblata aliqua bonorum, ſcelere ſaepe quaeſitorum, parte, tranſigant cum Deo, quem peccatis ſuis offenſum eſſe ſentiunt, eademque opera & cognatis aegre faciant, & gloriolam aliquam poſt fata conſequantur, non minus ſtolidi Romanis, quos DIONYSIVS HALICARNASSENSIS (r) tota ſaepe ſeruitia ſupremis tabulis manumiſiſſe teſtatur, tantum vt liberalitatis laudem poſt mortem ferrent, & in eorum funere eo plures pileati nebulones lecticam ſequerentur. Sic raro admodum contingit, vt vltimae teſtatorum voluntates ex recta ratione, virtutiſque ac honeſtatis ſtudio, & non potius ex odio, liuore, alioque impotente animi impetu. proficiſcantur, nihilque ſapientius dici poſſet, quam quod Belgis ſaepe in ore eſſe audiui:

De zalig will ſterven,
Moet laeten vererven
Aen t' naeſte Bloedt
Syn tydlik Goedt

(p) *l. 4. ff. de inoffic. teſtam.*
(q) Papin. *Sat. Silu. lib. IV.*
(r) Dionyſ. Halic. *Antiqu. Rom. lib. IV. p.* 228.

§. VI.

Hinc aliae gentes teſtamenta vel exſulare voluerunt ex rebuſpub. ſuis, vel eadem arctis limitibus circumſcripſerunt, veluti Hebraei.

Quae quum ita ſint, nemo mirabitur, gentes pleraſque aliter, quam Romanos, philoſophatas, teſtamenta vel plane proſcripſiſſe ex rebuspublicis ſuis, vel ea admiſſa arctiſſimis limitibus circumſcripſiſſe, ne in cuiuſuis arbitrio poſitum eſſet, legeſne de ſucceſſione inteſtatorum migrare, an ſanguini honorem habere mallet. *Singuli enim*, vt ait PLATO (s), *multa & inter ſe diuerſa, & legibus & viuentium & ſuis ipſorum moribus contraria ſtatuerent, ſi quis poteſtatem daret, ita ſimpliciter condendi teſtamentum, vt ratum ſit, quodcumque quis diſponat, quomodocumque adfectus ad finem vitae, ſtolidi enim & fracto praediti animo ſumus plerique, quum iam morituros nos eſſe putamus.* Vt auſpicium faciamus ab Hebraeis, quorum rempublicam ipſe Deus Optimus Maximus conſtituerat, in vniuerſo veteris teſtamenti codice teſtamentariae diſpoſitionis nec volam nec veſtigium deprehendimus. Profitetur equidem Abraamus (t), ſe, liberis legitimis deſtitutum, hereditatem Eleaſaro ſeruo relicturum: ſed teſtamento vel ſcripto, vel nuncupatiuo id ſe facturum, non addit. Probabilius itaque eſt, eum id exſequi voluiſſe per donationem. Nam & poſtea, quum ex altera vxore Cethura ſuſcepiſſet liberos, iis non condito teſtamento, ſed donatione inter viuos de parte bonorum proſpexit. (u) Non putamus etiam, quemquam futurum, qui vltimum illud elogium Iacobi (x) patriarchae pro teſtamento ſit habiturus, quum non tam bona ac terras, (quales tum nullas poſſidebat,) (y) liberis leget, quam futura, quae eorum poſteris imminebant, fata diuino actus ſpiritu canat vt vates. Denique ne IESAIAE (z) quidem verba, quae vulgo de teſtamentifactione interpretantur, ita comparata ſunt, vt ex iis teſtamentorum vſum apud Hebraeos tuto liceat probare. Quis enim dubitet, quin & alia ratione, quam conditis ſupremis tabulis, domus potuerit diſpenſari. Quare non videntur errare, qui, veteres Hebraeos teſtamenta plane ignoraſſe, exiſtimant (a). At poſtea teſtamentariam etiam ſucceſſionem admiſerunt magiſtri, ſed tot ſanctionibus coanguſtatam, vt a Romanorum inſtitutis toto caelo diſtare videatur. Primo enim non eum, qui ſano corpore eſt, teſtamentum condere patiuntur;

(s) Plato *de Legib. lib.* II.
(t) *Geneſ. XV.* 3.
(u) *Geneſ. XXV.* 6.
(x) *Geneſ. XLIX.*
(y) *Act. VII.* 5. *Hebr. XI.* 9. 10.
(z) *Ieſ. XXXVIII.* 1.
(a) Lael. Mancin. *Collat. Leg. Moſ. lib. X. cap. XLVII. n.* 4.

tiuntur ; ſed fatali lectulo adfixum mortique proximum (b). Deinde ea vltima voluntas non pertinet ad bona, voto vel Corbane obſtricta, (quod votum grauiter reprehendit SERVATOR,) (c) quippe quae abſciſſe Deo deberi videbantur. Denique quum a SALOMONE (d) praeclare dictum ſit : *Qui turbat propinquum ſuum, eſt crudelis* : nefas putant, excluſis proximis ab inteſtato heredibus, extraneum inſtituere, ac proinde inculcant principium אין לעקיר הירושה מן היורש ליורשו ולא אדם יכול להוריש למי שאין ראוי *Nemo poteſt alium inſtituere praeter eum, qui ex eis eſt, ad quos hereditas pertinet, nec hereditatem ab herede funditus tollere* (e). Id vnum ergo licebat teſtatori, vt ex pluribus heredibus proximis, veluti pluribus filiis vel fratribus, vnum alterumue inſtituere poſſet, non tamen per modum exheredationis, v. g. *Filius meus exheres eſto inter fratres ſuos* : ſed per modum inſtitutionis, e. g. *Ruben, filius, mihi heres eſto ante omnes filios meos* (f). Id enim vel ideo non iniquum putabant, quod ipſe Deus non quidem excluſionem proximorum heredum, ſed diuiſionem tamen hereditatis inter proximos heredes morientibus conceſſiſſet (g) : quamuis, ſi dicendum, quod res eſt, non adeo bene haec cohaerere videantur, partim, quod nemo hereditatem inter heredes diuidi crediturus ſit, quam vnus totam praeripit, partim quod reipſa parum interſit, verbis quis, an ipſo facto, exſors hereditatis fiat. Ceterum his omnibus rite obſeruatis ratam eſſe vltimam hominis voluntatem exiſtimant magiſtri, adeo vt bona ex ea ad heredem translata perpetuo penes heredem maneant, & ne ex lege quidem agraria, quae, circumacta quadraginta nouem annorum periodo, omnia prioribus dominis eorumue heredibus reſtitui iubet (h), vindicentur. Haec Iudaeorum magiſtri de teſtamentifactione praecipiunt, quae quin noua plane ſint, ex eorum interpretamentis potius, quam iure diuino, profecta, duobus argumentis conſtare arbitramur, primo quod Antipater apud IOSEPHVM (i) neget, teſtamento, quod Herodes in ipſo fere diiugio corporis & animi ſcripſiſſet, rumpi poſſe ſuperius, a ſano & vegeto conditum : altero, quod magiſtri ne vocabulum quidem,

(b) Selden. *de Succeſſ. ad Leg. Hebr. cap. XXIV.*
(c) *Marc. VII.* 11.
(d) *Prou. IX.* 7.
(e) *Piruſch Miſnai ad Baba bathra cap. XI.* apud Selden. *ibid.*
(f) Selden. *ibid. p.* 79.
(g) *Deut.* XXI. 16.
(h) *Leuit. XXV.*
(i) Ioſeph. *Antiq. Iud. lib. XVII.*

quo teſtamentum adpellitent, in lingua Hebraica reperiant, ac proinde illud vocabulo Graeco דיתיקי, id eſt, διαθήκη exprimere cogantur.

§. VII.

Athenienſes.

Idem Athenis contigiſſe animaduertimus. Antiquiſſimis enim temporibus heredes ſui cuique liberi ac cognati erant, nullumque teſtamentum, quippe quod Solonis demum aetate innoteſcere coepit. Teſtem eius rei locupletiſſimum habemus PLVTARCHVM (k), quippe diſerte ſcribentem: Πρότερον οὐκ ἐξῆν, ἀλλ' ἐν τῷ γένει τοῦ τεθνηκότος ἔδει τὰ χρήματα καὶ τὸν οἶκον καταμένειν. *Initio non erat ius* (teſtamentum condere,) *ſed familiae defuncti pecunia & hereditas relinquenda erat.* Enimuero quemadmodum SOLON totam fere veterem DRACONIS legislationem euertit: ita & teſtamenti condendi poteſtatem dedit ciuibus Atticis, ſed limitibus tamen ſatis anguſtis circumſcriptam. Qua de re iterum PLVTARCHVS: ὁ δὲ Σόλων ᾧ βούλεταί τις ἐπιτρέψας, εἰ μὴ παῖδες εἶεν αὐτῷ δοῦναι τὰ αὑτοῦ, φιλίαν τε συγγενείας ἐτίμησε μᾶλλον, καὶ χάριν ἀνάγκης. Καὶ τὰ κτήματα τῶν ἐχόντων ἐποίησεν, οὐ μὴν ἀνέδην γε πάλιν, οὐδ' ἁπλῶς τὰς δόσεις ἐφῆκεν, ἀλλ' εἰ μὴ νόσων ἕνεκεν, ἢ φαρμάκων, ἢ δεσμῶν, ἢ ἀνάγκῃ κατασχεθεὶς, ἢ γυναικὶ πειθόμενος. *Hic Solon liberum fecit, non exſtantibus liberis, cui viſum eſſet, ſua donare, amicitiamque propinquitati, & gratiam praetulit neceſſitati, pecuniamque eo ipſo mancipium fecit poſſeſſorum. Nec indefinite tamen citra delectum dare indulſit, ſed, ſi non per morbum, vel medicamentum, vel vinculis, vel vi adſtrictus, vel vxoris adductus eſſet blanditiis.* Ipſa SOLONIS lex integra exſtat apud DEMOSTHENEM (l), ex cuius verbis patet, ſenſum eius ſatis commode expreſſiſſe PLVTARCHVM niſi quod Solon addiderat, non valituras etiam ſupremas tabulas, ὑπὸ τούτων τοῦ παρανόμων, *earum rerum aliqua, quae legibus interdictae ſint*, extortas. Primo itaque teſtari non poterant, quibus eſſent liberi. Hinc ſtatim ſubiicit DEMOSTHENES: τοῦ μὲν νόμου τοίνυν ἀκηκόατε, ὃς οὐκ ἐᾷ διαθήκας διαθέσθαι, ἐὰν παῖδες ὦσι γνήσιοι. *Legem audiuiſtis, quae teſtamenta condere non ſinit, ſi liberi ſint germani.* Et ISAEVS (m): ὁ νόμος αὐτὸς ἀποδίδωσι τῷ υἱῷ τὰ τοῦ πατρὸς, καὶ οὐδὲ διαθέσθαι ἐᾷ ὅτῳ ἂν ὦσι παῖδες γνήσιοι. *Lex ipſa ea, quae ſunt patris, permittit filio, & non patitur eum teſtari, cui filii ſunt legitimi.* Quin ne quis forte exiſtimet, filiis tantum, non aeque

(k) Plutarch. *in Solone p.* 90.
(l) Demoſthen. *Orat.* II. *in Steph. p.* 953.
(m) Iſaeus *Orat. V.*

Digitized by Google

aeque filiabus, proſpexiſſe Solonem: alibi idem ISAEVS (n) ſcribit: οὔτε γὰρ διαθέσθαι, οὔτε δοῦναι οὐδενὶ οὐδὲν ἔξεστι τῶν ἑαυτοῦ ἄνευ τῶν θυγατέρων, ἐάν τις καταλιπὼν γνησίας τελευτᾷ. *Non enim cuiquam licet aut diſponere aut donare ſua, inuitis filiabus, ſi quis legitimas relinquens deceſſerit.* Id quod deinde ita explicat, patrem, non exſtantibus filiis, diſponere potuiſſe ſuo arbitrio: ſin filiae eſſent ſuperſtites, harum conſenſu opus fuiſſe, ſi cui bona relinquere vellet. Itaque recte intellexit SOLON, quod & a PAVLLO (o) noſtro obſeruatum eſt, *rationem naturalem, quaſi legem quamdam tacitam, liberis parentum hereditatem addicere.* Deinde Solon teſtamentifactionem negauit, non modo furioſis & mente captis, ſed & aegrotantibus, lectulo adfixis, ac confectis ſenectute, veritus, ne vel

Vis morbi diſtracta per artus
Turbet, agens animam,

vel ob deuexam aetatem ita iam deſipiat teſtator, vt malignum de agnatis iudicium inferat. Hinc denuo ISAEVS (p): Δύναι γὰρ ὁ νόμος οὐδενὶ ἐξῆ τὰ ἑαυτοῦ, ἐὰν ὑπὸ γήρως, ἢ ὑπὸ νόσου παρανοήσῃ. *Non enim lex permittit donare ſua, ſi aut ſenectute, aut morbo deſipiat.* Ex quo tamen loco patet, morbum & ſenectutem non omnem impedimento fuiſſe teſtamenta condituris, ſed eum ſtatum, quo quis prae morbo vel ſenio deſipere videretur. Quum porro venenis magiciſque ſuſurris eam vim tribuerent veteres, vt & animum iis ad amorem vel odium inflecti poſſe exiſtimarent: non mirum profecto eſt, Solonem & eorum teſtamenta irrita eſſe voluiſſe, quos ſuſpicio ſit veneficio ad huiuſmodi ſupremum iudicium perpulſos eſſe. Denique & vim, & vincula, & ipſas blanditias vxorias abeſſe iuſſit Solon, quum eae alias, iure Romano, ſi minus importunae ſint, teſtamentis non obeſſe credantur. (q) Itaque limitibus ſatis anguſtis circumſcripta apud Athenienſes fuit teſtamentifactio, nec parum falluntur, qui Atticae originis eſſe exiſtimant illud πολυθρύλητον: PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO.

§. VIII.

Progredimur ad Lacedaemonios, apud quos eadem teſtamentifactionis fata fuerunt, ac apud Athenienſes, niſi quod vbi illa ſemel inoleuit, multo plus libertatis indultum eſt ciuibus, quam Athe- *Lacedaemonii.*

(n) Idem *Orat.* II.
(o) *l.* 7. *ff. de bonis damnat.*
(p) Iſaeus *Orat.* III.
(q) *l. vlt. ff. ſi quis aliquem teſt. prohib. l.* 70. *ff. de hered. inſt.*

Athenis, adeo vt & ſuos quiſque liberos exheredes pro lubitu ſcriberet. Hinc ſummus prudentiae ciuilis auctor, ARISTOTELES, (r) Spartanorum expendens inſtituta & rempublicam, id vel maxime reprehenſione dignum exiſtimat, quod, quum ſortes, ſeu agri portiones, ciuibus ſingulis a republica attributas, penes familias manere voluerit Lycurgus, ac proinde earum alienationem lege prohibuerit, libera tamen ciuibus conceſſa ſit facultas teſtandi, ſorteſque illas pro lubitu transferendi in alios. Τοῦτο δὲ, inquit, καὶ διὰ τῶν νόμων τέτακται φαύλως, ὠνεῖσθαι μὲν γὰρ ἢ πωλεῖν τὴν ὑπάρχουσαν, ἐποίησεν οὐ καλὸν, ὀρθῶς ποιήσας· διδόναι δὲ καὶ καταλείπειν ἐξουσίαν ἔδωκε τοῖς βουλομένοις· καί τι ταὐτὸ συμβαίνειν ἀναγκαῖον ἐκείνως τε καὶ οὕτως. *Hoc autem etiam legibus conſtitutum eſt perperam. Fecit enim lator legis* (Lycurgus,) *vt patrimonium aut ſuum vendere, aut alienum emere, haberetur non honeſtum : atque hoc recte. Donandi autem & teſtamento relinquendi poteſtatem licentiamque permiſit iis, qui vellent. Atqui idem euenire neceſſe eſt & hoc & illo modo.* Enimuero hoc non eſt ex LYCVRGI inſtitutis, qui quum auri argentique vſum, veluti omnium ſcelerum materiam, ſuſtuliſſet, eoque loco eſſe voluiſſet ciuium ſuorum fortunas, vt virtute potius ac laborum tolerantia, quam opibus excellerent (s), nihil illis minus, quam teſtandi de rebus ſuis licentiam permittendam cenſuit. Aſt quum iam Spartani, deſerta ſeueriore Lycurgi diſciplina, non gradu, ſed praecipiti curſu a virtute deſciſcere, & ad vitia tranſcurrere coepiſſent : tum demum hanc teſtandi licentiam lege lata inuexit Epitadeus ephorus, vir factioſus, & acerbis moribus, qui ſimultate ſibi cum filio exorta rhetram, teſte PLVTARCHO (t), *promulgauit, ius vt cuique eſſet, hereditatem ſuam & ſortem cuicumque vellet, inter viuos donandi, & relinquendi teſtamento.* Quae lex quibus malis turbiſque deinde inuoluerit rempublicam, idem PLVTARCHVS fuſius narrat, idque vnuſquiſque, vel a mediocri prudentia inſtructus, praeſagire facile potuiſſet, quum lex illa primis Lycurgi inſtitutis quam maxime eſſet aduerſa, quin ea deſtrueret in ſolidum, adeoque & ipſam rem publicam non poſſet non eadem inuoluere ruina. De reliquis Graeciae ciuitatibus non eſt, quod multa addamus, quum iam pridem fere vbique recepta fuerit teſtamentifactio, vt ſcribere non dubitet ISOCRATES (tt) : Νόμος ταῖς διαθήκαις βοηθῶν δοκεῖ τοῖς Ἕλλησι

(r) Ariſtot. *Polit. lib.* II. *cap.* IX.

(s) Iuſtin. *Hiſtor. lib.* III. *cap.* II. & III.

(t) Plutarch. *in Agid. & Cleom. p.* 797.

(tt) Iſocr. *in Aeginet. p.* 778.

Ἕλλησι καλῶς κεῖσθαι, τεκμήριον δὲ μέγιστον· περὶ μὲν γὰρ ἄλλων διαφέρονται, περὶ τούτου πάντες ταὐτὰ γινώσκουσι. *Lex graecis omnibus probata teſtamentis ſuffragatur : cuius rei maximum illud argumentum eſt, quod, quum aliis de rebus diſſentiant, de hoc ſtatuunt idem omnes.*

§. IX.

Non iam vacat aliarum gentium mores expendere ; alioquin enim diſpiciendum etiam eſſet de Aegyptiis, quos populis, qui teſtamenta ignorarint, accenſere videmus IO. SCHILTERVM (u), quamuis auctorem ſuum, vnde haec hauſerit, non nominantem. Quare de GERMANIS tantum quaedam addimus, de quibus TACITVS (x) : *Heredes*, inquit, *ſucceſſoreſque ſui cuique liberi*, NVLLVM TESTAMENTVM. Hunc locum, dici non poteſt, quam varie interpretati ſint viri docti, aliis non ipſa teſtamenta, ſed vel nimia ac miſera diligentia condita, apud Germanos exſulaſſe exiſtimantibus (y), aliis tum demum ea Germanis in vſu fuiſſe, negantibus, ſi liberi, aut cognati exſtarent : quam ſententiam non ſine adparatu defendit STRYKIVS (z). Praeterquam enim quod eum ſenſum verba TACITI ferre videntur, difficillimum creditu videtur viro doctiſſimo, Germanos ſolos a communi gentium vſu receſſiſſe, tamque barbare fuiſſe ſtupidos, vt ne deficientibus quidem liberis & cognatis bona ſupremo iudicio in alios transferre, ſed ea veluti in medio poſita cuiuſuis rapinae relinquere voluiſſent. Quin fide LEHMANNI (a) refert, Carolum M. victorem Germanis, difficili bello perdomitis, teſtamentifactionem ademiſſe, reſtitutam poſtea beneficio Ludouici Pii. Ex quo conſequi putat, vt & antea eos modum aliquem teſtandi in vſu habuiſſe, fatendum ſit, quamuis ille cum Romana iſta ac ſollemni teſtamentifactione nihil omnino commune habuiſſe videatur. Sed non videntur tanti eſſe hae rationes, vt ideo vadimonium deſerendum cenſeamus. Non negat TACITVS, ſollemnia tantum vel ſcripta teſtamenta Germanos ignoraſſe : ſed nullum ibi teſtamentum fuiſſe, contendit. Nec ſequitur ſane, vt, dum ſuos cuique liberos & cognatos heredes fuiſſe ait, iis non exſtantibus, teſtamenta in vſu fuiſſe fateatur. Neque etiam quiſquam facile concedet, communem gentibus omnibus fuiſſe teſtamentorum vſum, neque barbarae

Germani.

(u) Schilt. *Exercit. XIV.* §. III.

(x) Tacit. *de Morib. Germ. cap.* XX.

(y) Marqu. Freher. *de Tutel. Elect.* p. 415.

(z) *De ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. VIII. cap.* I. §. II. III.

(a) Lehmann. *Chron. Spir. lib.* II. *cap. XX.* p. 98.

barae ſtupiditatis argumentum ſatis idoneum ſunt leges & mores; quibus illa teſtandi facultas morientibus adimitur, quum ipſe laudatiſſimus STRYKIVS alibi (b) fateatur, ſatis beatas fuiſſe reſpublicas, quae illam litium innumerarum materiam penitus ſublatam voluerint, nulloſque vlli heredes eſſe permiſerint, quam legitimos. Accedit, quod ſi vel maxime non exſtet teſtamentum, non tamen ideo verendum ſit, ne hereditas, nullo ſuperſtite cognato, veluti pro derelicto habita cuiuis occupanti pateat, quum donationibus, traditionibus, pactiſque ſucceſſorem ſibi nominare legibus patriis non prohiberentur. Quod ad poſtremum attinet argumentum, teſtamentifactionem Germanis a Carolo M. ademtam, & a Ludouico Pio reſtitutam eſſe, non ſcripſiſſet vir doctiſſimus, ſi ſcriptores eiuſdem aetatis, quam LEHMANNVM & PAVLLVM AEMILIVM, conſulere maluiſſet. Totius enim rei fundus eſt locus veteris auctoris, qui VITAM LVDOVICI PII (c) reliquit. Is enim non quidem de vniuerſis Germanis, ſed de Saxonibus & Friſiis, ob reſumta ſaepius arma in Galliam deportatis, ita ſcribit: *Quo tempore Saxonibus atque Friſonibus* IVS PATERNAE HEREDITATIS, *quod ſub patre ob perfidiam legaliter perdiderant, imperatoria clementia reſtituit.* Non ergo teſtamentifactio ademta fuerat his gentibus, ſed *ius paternae haereditatis*, id eſt bona auita, quae antea fiſco ob eorum perfidiam fuerant adiudicata, id quod & inde facile intelligitur, quod idem auctor refert, miram illam Ludouici Pii benignitatem multorum incurriſſe reprehenſionem, exiſtimantium, gentibus illis, rerum nouarum ſtudioſiſſimis, ſubtrahi potius perfidiae inſtrumenta, quam vltro ſubminiſtrari oportere. Quid vero periculi, quaeſo, inde imminuiſſet, ſi miſeris hominibus, omnique facultate paterna ſpoliatis, liberam tantum permiſiſſet teſtandi facultatem? Quare tam certum eſſe arbitramur, quam quod certiſſimum, Germanos TACITI temporibus teſtamenta plane ignoraſſe. *Neque adparet*, vt recte inquit PVFENDORFFIVS (d), *quare tantopere teſtamenta deſiderare debuerit gens, theſauros tunc cumulare neſcia, & paupere ſupellectile contenta, cui ex ſegete, pecore & venatu vix amplius quaerebatur, quam quod victui quotidiano, eique ſimplici, ſufficeret*: maxime quum leges & ſucceſſores deſignaſſent, & non ita clauſiſſent poſſeſſorum liberalitatem, vt his in promtu non eſſet modus, ſibi inter viuos de ſucceſſore proſpiciendi.

§. X.

(b) Stryk. *Cautel. Teſtam.* cap. I. §. *VIII.*
(c) Vita *Ludou.* Pii *ad an.* DCCCXIV.
(d) Puſendorff. *de Iure Nat. & gent. lib. IV.* cap. XI. §. *XVIII.*

Digitized by Google

§. X.

Quando teſtamenta in Germania condi coeperint?

Equidem fatendum eſt, non tam diligentem maioribus noſtris manſiſſe moris iſtius patrii cuſtodiam, vt & poſteris plane ignota fuerint teſtamenta: ſed ſi tamen dicendum, quod res eſt, non tam omnes Germani, quam illi, qui a faeculo quarto ſe in prouincias Romanorum infuderant, teſtamentifactionem, exemplo Romanorum, admiſerunt, vel potius eam in prouinciis, quas occuparant, iam receptam retinuerunt. Hinc eius mentionem paſſim faciunt leges WISIGOTHORVM (e), OSTROGOTHORVM (f), BVRGVNDIONVM (g), quin & in monimentis Francicis varia exſtant prouincialium teſtamenta, veluti apud MARCVLFVM (h), ceteroſque FORMVLARVM SCRIPTORES (i), GREGORIVM TVRONENSEM (k), & alios, qui inter chartas veteres varia etiam teſtamenta e ſaeculo quinto & ſequentibus protulerunt. Sed ſero admodum ea teſtandi conſuetudo penetrauit in Germaniam magnam, nec ibi teſtatos deceſſiſſe reperimus alios, quam principes, quamuis & hi mortis magis cauſſa res quaſdam ſingulares donare, quam de vniuerſis bonis diſponere, ſolerent. Talia ſane fuiſſe dixeris teſtamenta HENRICI Aucupis apud WITICHINDVM CORBEIENSEM, (l) Ottonis IV. Imp. apud MEIBOMIVM (m), aliaque, quorum paſſim veſtigia exſtant in antiquitatibus Germanicis. Inter privatos ignota fere fuiſſe teſtamenta, vel id argumento eſt, quod quum in Brabantia iam ſaeculo XIII. (mm) in Friſia ſaeculo XIV. (n) in vſu fuerint, nuſquam eorum mentionem faciant LEGES SAXONICAE, ſed quaedam iis ſanciantur, quae facultati teſtandi plane aduerſantur, qualia ſunt illa in IVRE WEICHBILDICO (nn): *Kein Mann aber, noch kein Weib, mögen im Siechbette ihres Gutes nichts vergeben, das über fünff Schilling werth ſey, ohne der Erben Vhrlaub, noch auch ein Weib, ohne ihres Mannes Vhrlaub.* Quibus gemina etiam occurrunt in IVRE PROVINCIALI (o), ideo inter articulos reprobatos relata a GREGORIO PAPA (p), quippe *erronea*,

(e) *Lex Wiſigoth. lib.* II. *tit. V.* §. *XII. ſequ.*

(f) *Edict. Theodorici* §. *XXVIIII.*

(g) *Lex Burgund. tit. XLIII.*

(h) Marculf. *Form. lib.* II. *cap.* XII. *ſequ. & Adpend. cap. LII.*

(i) *Formul. Lindenbrog. cap. LXXII.*

(k) Greg. Turon. *Hiſt. lib. VI. cap. XXXVI. lib. VII. cap. VII. lib. X. cap. XII. & XXIX.*

(l) Witichind. *lib. I. extr.*

(m) Meibom. *in Apolog. pro Ottone IV. p.* 148. *Tomo III.*

(mm) Mir. *Dipl. Belg. lib. I. cap. LXXXII.*

(n) *Leg. Conu. Opſtalbom.* §. *XV.*

(nn) *Ius Weichb. art. LXV.*

(o) *Ius prou. Sax. lib. I. art. LII.*

(p) *Bulla Gregorii Papae poſt Spec. Sax. art. XIV.*

nea, vt Papa loquitur, *in quantum eleemoſynas, teſtamenta, & alia pia opera reſpiciunt.* Itaque medio illo aeuo paene extra vſum erant teſtamenta, &, quamuis nihil reliqui facerent epiſcopi & clerici, vt eiuſmodi ſuprema iudicia morientibus ſuaderent, quippe in rem ſuam vel maxime futura: vix tamen tam dociles experti ſunt Germanos, vt de vniuerſitate bonorum teſtamenta conderent, quamuis, vti Langobardi loquuntur (q), plerumque *iudicarent pro anima*, & morientes aliquid donarent caelitibus, vt animae igne purgatorio vſtulandae inducias quaſdam impetrarent. Vocabantur huiuſmodi codicilli *Seelen-Geräthe*, vel *Seelen Geſchäffte*, eaeque donationes medio aeuo tam videbantur neceſſariae, vt, ſi quem mors inteſtatum oppreſſiſſet, etiam a legitimis eius heredibus deberentur, ceu ex SPECVLO SVEVICO (r) pluribus demonſtrauit IO. SCHILTERVS (s). Itaque idem tunc de vniuerſa Germania dici potuit, quod de Dania teſtatur INNOCENTIVS Papa III. (t) *eam* nimirum *quantum ad ea quae ius fori contingant, conſuetudinibus ſuis & inſtitutionibus principum ſuorum omnino rectam eſſe, nullumque habuiſſe teſtamentorum vſum, qui alibi in vltimis decedentium voluntatibus ſecundum legalem obſeruantiam cuſtodiebatur.*

§. XI.

Quaedam Germanicae originis gentes vel ſero, vel plane non, admiſerunt teſtamenta.

Quum ius Romanum paullatim in fora ac tribunalia Germaniae penetraret: teſtandi quoque libertatem mirifice hominibus placuiſſe, nemo mirabitur. Et tamen eam non ſemel ſimulque, ſed alibi tardius, alibi plane non admiſſam eſſe, nouimus: Sane VDALR. ZASII (u) temporibus tam rarae in ſuperiore ſaltim Germania erant ſupremae tabulae, vt ipſe *teſtamentorum vſum apud mediae plebis Germanos inſolentem eſſe, ſeque numquam vidiſſe*, ſcribat. Multo tardius, id eſt, anno demum MDCXVI. Nouiomagi ciuibus publica lege permiſſam eſſe teſtamenti factionem, memoriae prodidit FRIDR. A SANDE (x). In reliqua Geldria, quae prouinciis foedere *συσπονδιακῷ* vnitis acceſſit, teſtamentorum & hodie nullum vſum eſſe, praeter laudatum SANDIVM teſtatur IO. ISAACVS PONTANVS (y), & PETR. BVSIVS (z), quorum iſte patriae hanc mentem mirifice gratulatur, eamque paene ſolam hoc inſtituto viam reperiſſe putat, qua

(q) *II. Feud. 9. §. I.*
(r) Ius Sueu. *Cap. IV.*
(s) Schilter. *Exerc. XI.* §. 25.
(t) *Cap. 2. X. de conſuet.*
(u) Zaſ. *Reſponſ. Lib. I. reſp. III. n. 76.*
(x) Fr. a Sande *Deſcript. Gelr. p. 147.*
(y) Pontan. *Hiſt. Gelr. Lib. I. p. 47.*
(z) Buſ. *ad l. 1. ff. qui teſtam. cond. poſſ. n. 7.*

qua calumniae pleraeque forenſes in exſilium ire cogerentur. *Non itaque hic*, inquit, *atteruntur ſubditorum bona litibus de teſtamentorum internis vel externis vitiis, vel ſuorum heredum de inoſſicioſo teſtamento ac praeteritione liberorum non emancipatorum querelis, nec controuerſiis de fideicommiſſis, vnde paſſim alibi patronis forenſibus eſt opima meſſis.* Quaeſtionem equidem ea occaſione mouet BVSIVS, an valeant huiuſmodi ſtatuta vel conſuetudines, quibus ciuibus teſtandi facultate interdicatur? eiuſque quaeſtionis definitionem pendere exiſtimat ab altera, iuriſne naturae gentiumque primaeui illa ſit, an poſitiui? ac demum, quum poſterius ipſi videatur veroſimilius, merito inde colligit, rata eſſe eius generis ſtatuta, eaque iniquitatis coargui a nemine poſſe. At nos Domitianam hanc quaeſtionem dixerimus, ſi vel maxime, teſtamenta ex iure naturali & gentium primum permanaſſe, fingas. Quum enim ſic quoque iuri non praeceptiuo, ſed tantum permiſſiuo, ceu vocant, tribui poſſit, ea autem, quae ius illud ſempiternum permittit, legibus ciuilibus coanguſtari poſſe, nemo dubitet (a): nihil omnino impedire arbitramur, quo minus huiuſmodi ſtatuta ac mores valerent, ſi vel maxime daremus, quod dare tamen non poſſumus, teſtamenta ipſi iuri naturae ac gentium originem debere.

§. XII.

Quaedam eam facultatem reſtringunt. Quos modis id fiat?

Quamuis vero non vbique mores maiorum tanta religione ſequuti ſint poſteri, ſed vbi ius Romanum ſemel ciuitate donatum eſt, idem fere pleriſque locis contigerit, quod conqueritur FRANC. HOTOMANVS (b), *vt materia teſtamentaria eſſet fons & nutricula maximae litium partis, captionumque, quae iſtic fieri ſolent, vbi ius ciuile viget*: non tamen omnes Germani teſtamentifactionem Romanam ita admiſerunt, vt libertatem omnibus darent conſtituendi de bonis ſuis per vltimam voluntatem, ſed eam licentiam variis limitibus, ex priſco iure patrio fere deſumtis, prudenter circumſcripſerunt, adeo, vt in quibuſdam Germaniae prouinciis ac ciuitatibus nihil minus valeat, quam carmen illud decemuirale: PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO. Id vero quatuor potiſſimum modis fieri animaduertimus. *Primo* enim alicubi non omnes perſonae ſuo arbitrio, & quandocunque collibitum eſt, teſtamenta condunt. *Deinde* quibuſdam locis non de omnibus quiſque bonis ſuis diſponere poteſt. *Tum porro* leges quaedam non quoſuis heredes inſtitui patiuntur. *Denique* alibi certus

Dddddd 2 teſtan-

(a) *l. 6. pr. ff. de iuſt. & iur.* (b) Hotoman. *in Antitribon. Cap. VI. p. 20.*

teſtandi modus ab eo, quem leges Romanae inculcant, diuerſiſſimus, praeſcribitur, quo non obſeruato irritum habetur ſupremum iudicium, quantumuis de enixa teſtatoris voluntate conſtet. Quae omnia ex iure Germanorum ſtatutario gentiumque Germanicae originis legibus, illuſtrare animus eſt. Quamuis enim non dubitemus, quin plura eius generis proferri poſſent ab iis, quibus maior eiuſmodi legum adparatus ad manus eſt: tamen, quum id fortunae magis ſit, quam ingenii, vel paucis exemplis rem illuſtrare, eaque cum iure Romano comparare ſuffecerit, maxime quum nec inſtituti ratio, nec temporis anguſtiae, ſingula fuſius perſequi nos, patiantur.

§. XIII.

Non omnes promiſcue in Germania teſtantur. Alicubi requiritur conceſſio Principis.

Quod ad perſonas, quae teſtamenta condere poſſunt, adtinet, ſunt ſane leges & ſtatuta, quae ciues vel generatim, vel certis ſaltim caſibus non niſi Principis indulgentia de rebus ſuis vltima voluntate conſtituere patiuntur. Retulit ſane DN. PRAESES, ex Iutia & Ducatu Sleſuicenſi ſibi aliquoties oblata eſſe acta priuata, ex quibus didicerit, facultatem teſtandi de rebus ſuis ciues a potentiſſimo Danorum Rege impetraſſe, & in ipſo tabularum exordio profeſſos eſſe, ſe, facta ſibi a Rege poteſtate, teſtamenta condidiſſe. Et quamuis ex iiſdem actis conſtiterit, FRIDERICVM Regem die XXI. Ianuar. MDCCVII. patriae illi conſuetudini derogaſſe eatenus, vt omnibus orbis ius eſſet, in coniugum ſuperſtitum commodum de bonis ſuis diſponendi: non tamen dubitandum arbitramur, quin ad alias ſpecies proferenda non ſit illa optimi Principis indulgentia. Simile quid obſeruatur in Belgio, ſaltim ſi quis de bonis, alteri nexu clientelari obſtrictis, ſupremas tabulas velit ſcribere. Quamuis enim, vti FRANC. ZYPAEVS (c) docet, *in Brabantia liberrima ſit diſpoſitio, & arbitrium rerum ſuarum, inter viuos & per teſtamentum, adeo vt vi vſus etiam feuda, nec domino, nec agnato conſentiente, alienet: teſtamento tamen de feudo, indulgente duntaxat Principe, diſponere fas eſt.* In Geldria ne de allodio quidem teſtamenta valere, ſupra vidimus. Multo minus itaque ea valere ſuper feudis, facile intelligitur. Et tamen prouinciae ordines anno MDC. teſte FRID. A SANDE (d), decreuerunt, *vti quiſque de ſuis feudis inter liberos vel collaterales diſpoſuerit*, ACCEDENTE SVPERIORIS, *vel* PROXIME INFERIORIS DOMINI *conſenſu, ita ius fore.* Id quod & in Brabantia, Flandria,

(c) Zypæus *Notit. Iur. Belg.* p. 181.
(d) Fridr. a Sande de *Feud. Geldr. Tract.* II. *Cap.* II. §. 4.

dria, Hollandia, ditione Traiectenſi, & in plerisque aliis Belgii partibus, obtinere, ſcribit, quamuis CORN. NEOSTADIVS (e) ſcribat, & rei iudicatae auctoritate probet, in Hollandia, ſi quis de ſubfeudo teſtari velit, domini ſubalterni auctoritatem non ſufficere, & Principis vel Ordinum conſenſum requiri contendat, & de Flandria ZYPAEVS (f) teſtetur, *ibi de feudo teſtaturis non aeque obuiam eſſe veniam Principis.* Quod tamen in eam partem accipimus, poſſe quidem ibi de ſuo quemque feudo teſtamento diſponere cum conſenſu principis, ſed eum conſenſum impetratu difficiliorem eſſe, quam in aliis prouinciis. In omnibus vero his prouinciis id vel maxime notatu dignum eſt, quod non domini duntaxat, vel agnatorum, quorum in primis intereſt, feuda teſtamentaria diſpoſitione in extraneos non deuolui, ſed Principis conſenſus requiritur. Quae cauſſa nos etiam mouit, vt hanc conſuetudinem hic omittendam non exiſtimaremus, vbi de teſtamentifactione, alicubi ſine indulgentia Principis illicita, agimus.

§. XIV.

Comparatio iuris germanici cum Romano.

Haec quidem non parum diſcrepare a iuriſprudentiae Romanae nouae principiis facile vnusquiſque animaduertit: aſt tanto propius accedunt ad antiquum ius Quiritium, quod ante decemuiros Romae viguit. Tunc enim non priuata auctoritate, ſed in comitiis calatis, magiſtratu populum iure rogante, populoque iure ſciſcente, teſtamenta condita eſſe, iam ſupra vidimus (ff). Nemo itaque tum teſtabatur, niſi auſpiciis eius, quem penes tum τὸ κύϱιον erat in republica, id eſt, populi Romani: nec validum erat teſtamentum, niſi populi ſuffragiis confectum. Perlatis legibus XII. Tabularum, priuati quidem arbitrii eſſe coepit teſtamentifactio: at ii tamen, qui legis componebant actiones, id dabant operam, vt ius vetus nouis etiam ritibus quodammodo adumbraretur. Hinc teſtamento per aes & libram praeter libripendem & anteſtatum adhibendi erant quinque teſtes, ciues Romani, quibuſcum erat teſtamentifactio (g). Eos vero quinque teſtes totidem ciuium Romanorum claſſes, quae centuriatim ſuffragia ferebant, (ſextae enim, ad quam proletarii & capite cenſi referebantur, nullam Romae habitam eſſe rationem, aliunde conſtat,) (h) re-

 prae-

(e) Neoſtad. *Obſeru. Feud. Dec. I. obſ. I. p.* 35.

(f) Zypaeus *ibid.*

(ff) §. 1. *Inſt. de teſt. ordin.*

(g) d. §. 1. & Vlpian. *Tit. XX.* §. 1. *& VIII.*

(h) Meurſ. *Crit. Arnob. Lib. II. Cap. XVI.*

praeſentaſſe, recte viderunt OB. GIPHANIVS (i) & REIN. BACHOVIVS (k), idque vel inde patet, quod ideo teſtes idonei, quibuſcum erat teſtamentifactio, CLASSICI vocari ſolerent, quaſi vni ex quinque claſſibus adſcripti. Vnde FESTVS (l): *Claſſici teſtes dicebantur, qui ſignandis teſtamentis adhibebantur.* Sunt equidem, quae huic ſententiae obuertit vir doctiſſimus, ARN. VINNIVS (m): ſed iis & VLR. HVBERVS (n) abunde ſatisfecit, & DN. PRAESES (o) quaedam non vulgaria repoſuit. Ceterum ex eo ritu, quod quinque illi teſtes populum Romanum repraeſentarent, reddi poteſt ratio, cur ſcripſerit PAPINIANVS (p): *Teſtamenti factio non priuati, ſed* PVBLICI IVRIS *eſt*, curque P. FALCIDIVS (q), quod teſtamento relinquitur, IVRE PVBLICO *dari legari*, dixerit. Non enim ſatisfacit ratio, a CVIACIO reddita, quod nimirum ius publicum ſeu leges ciuibus facultatem teſtandi indulſerint. Nam eaedem etiam dederunt ius contractuum & connubiorum, & nuſquam tamen, quod meminerimus, contractus & nuptiae dicuntur iuris publici. Vera itaque ratio potius a ritu illo teſtandi vetere eſt repetenda. Quum enim olim in comitiis inſtituendus eſſet heres: *teſtamentifactio* vere *non priuati, ſed publici iuris erat:* idque principium & poſtea non videbatur abiiciendum, quum iam liberrima ciuibus poteſtas teſtandi data eſſet, quia quinque teſtes populum Romanum repraeſentare videbantur. Enimuero ſi quis rei veritatem, quam illam fictionis nubem, amplecti malit, ei omnino fatendum erit, non publici, ſed privati arbitrii iuriſque fuiſſe teſtamentifactionem ciuium, praeterquam ſurdorum & mutorum, de quo AEMIL. MACER (r): *Si mutus*, inquit, *aut ſurdus, vt liceret ſibi teſtamentum facere, a Principe impetrauerit, valet teſtamentum.* Quamuis & hoc a IVSTINIANO (s) mutatum eſſe, nemo ignoret, & proinde principis indulgentia eo demum caſu opus eſſe videatur, ſi mutus recte quidem exaudiat, at ſcribendi tamen ſit imperitus, adeoque non litteris, ſed aliis adhibitis ſignis, vltimam voluntatem velit ſignificare (t). Itaque, quod apud Romanos dicis cauſſa adfirmabant iure-

(i) Ob. Giphan. *ad* §. 1. *Inſt. de teſtam. ord.*

(k) Bachou. *ad Treutl. Vol. II. Diſp. X. theſ. V. litt. A.*

(l) Feſt. *in Claſſici p. XXXV.*

(m) *Vinn. ad* §. 2. *Inſt. de teſt. ord. n.* 1.

(n) Vlr. Huber. *Digreſſ. Part. I. Lib. IV. cap. XXXII.* §. *II. & III. p.* 420.

(o) *In Addition. ad Vinn. ibid.*

(p) *l.* 3. *ff. qui teſt. cond.*

(q) *l.* 1. *pr. ff. ad L. Falcid.*

(r) *l.* 7. *ff. qui teſt. fac. poſſ.*

(s) *l.* 10. *C. eod.*

(t) Stryk. *Caut. Teſt. Cap. IV.* §. *XXXIII.*

iureconſulti, teſtamentifactionem eſſe iuris publici: id vere dici poteſt iis locis, vbi non niſi permittente Principe teſtamenta iure conduntur, vel ſaltim de certo bonorum genere, eo inconſulto, nihil recte conſtituitur.

§. XV.

Quum porro pleraeque gentes teſtamenta qualecumque mortalitatis ſolatium eſſe exiſtimarent, & proinde ea teſtandi libertas vel maxime deberi videretur iis, qui lectulo fatali decumbentes, mox ſe rebus humanis exceſſuros, cogitarent: hic quoque multo aliter philoſophari videmus Germanos quoſdam, qui ſubſiſtere non patiuntur teſtamenta aegrotantium, ſed ea integra adhuc ſanitate, ac vegeto corpore, fieri prudenter iubent. Sic IVRE PROVINCIALI Friſiae orientalis (u) cautum eſt: *So lange ein menſch geſund vnd mechtig is, mag he ſyn Guht geven, weme he will, buten der Erfgenamen wille.* Et capite inſequente: *De man, de op ſyn Kranckbedde ligt, de mag nicht mehr vergeuen buten de Erfgenamen willen, dann den billigen und den Herren ein Engelſch Marck.* Denique interiectis plurimis (x): *Wann einer vp ſyn Kranckbedde oder laſte ligt, ſo mag he ſyn Guht im Teſtament ſynen Erfgenemen nicht onteruen.* Et quamuis pragmaticos quoſdam ibi dubitaſſe ſciamus, an non haec iuris patrii diſpoſitio, recepto iure ciuili, iam pridem in exſilium acta ſit: retulit tamen DN. PRAESES, non modo illuſtrem ICtorum ordinem in hac academia nuper admodum eam normam in concipienda ſententia eſſe ſequutum, ſed & in iiſdem actis adductam eſſe ſpeciem, ex qua conſtabat, teſtamentum, quod *Hilken Amels*, morti iam proxima, condiderat, ante aliquot annos non modo in iudicio Dornumenſi, ſed & in ſupremo dicaſterio, adeoque per omnes inſtantias, a cognatis reſciſſum eſſe. Equidem coniugibus eodem IVRE PROVINCIALI (y) permittitur, etiam lectulo adfixis, vt bona ſua ſeparaturi coram parocho & aliquot teſtibus vltimam voluntatem enuncient, at non aliter tamen valituram, quam ſi ratam eam habuerint heredes. En enim verba, a viro etiam conſultiſſimo, ENGELBERTO KETTLERO (z), laudata: *So ein Mann vp ſyn Kranckedde befald, vnd alsden beede Ehelude vor ôbrem Prieſter vnd gude Lueden von ôbre Guederen eine Scheidung macken, ſo ſall dat alſo blyuen. Syn auerſt de Erffgenaemen dar nit met tho freden,*

Alibi teſtari non poſſunt lectulo adfixi.

(u) *Ius prov. Oſtfriſ. Lib. II. Cap.* 172.
(x) *Ibid. Cap.* 197.
(y) *Ibid. Lib. II. art.* 211.
(z) Ketler *Deciſ. Oſtfriſ. Cent. I. deciſ. XXIV. n.* 32.

den, ſo macken ſe wedderung ôbrer beyden Guederen, ſo gut als die wehren, do thoſamen quemen, vnd deelen dan bathe vnd ſchade tho hope. Dat is Landrecht vnd ſteit in Pennings-Sculd. Simile quid apud Cliuenſes & Colonienſes inter ruſticos, qui poſſident praedia, Koofs-Güder dicta, nec non in prouincia Grôningenſi Omlandica, obſeruari teſtantur FELTMANNVS (a) & A. A. PAGENSTECHERVS (b) eoque pertinent, quae ex NAVTAE ſchedis adfert HVBERVS (c): *Non licet Groningae puberibus infra XX. annos, nec tempore morbi fatalis, neque de bonis hereditariis vltra partem dimidiam teſtari.* Sed & IVRE COLONIENSI (cc) ſancitur: *So wer einig ſein Erbe oder Erb-Renthen binnen der alten Mauren in unſer Stadt, vnd auch in Ausburger-und Nieder-Gericht gelegen, durch Teſtament oder Vormâchtniſs vergeben oder beſetzen wolte, der ſoll vngehalten und vngeleitet 7 Fuſs lang gehen, als das von Alters gewôhnlich geweſt iſt, es wâre dann, daſs er einige kânntliche Lâhmde hâtte, darum er mit ſeinem Fuſs nicht gahn kunte; ſonder Argeliſt.* Iniquum itaque viſum eſt Germanis, iam demum de morte cogitare homines, vbi iam agant animam, & bona ſua veluti noxae dare heredibus extraneis, quando iam ipſi illis frui nequeant: ac proinde teſtamenta, aegre admiſſa, non niſi a ſanis & corpore vegetis condi permiſerunt, vt non iam pro derelictis bona ſua habere, quam ſano iudicio, & adhibita in conſilium ratione, ea alteri deſtinare viderentur.

§. XVI.

An id iuri communi & Germanico conſentaneum?

Hic non poſſumus non profecto mirari tam diuerſa gentium inſtituta, diuerſaſque, quas ſequutae ſunt, rationes. Hebraeorum enim magiſtros ſanorum: Athenienſes aegrotantium teſtamenta improbaſſe vidimus. Illos, quia ſerio agi videntur, quae imminente morte aguntur; hos, quia parum prudenter fieri ſolent, quae fiunt ab aegrotantibus, ita ſanxiſſe veroſimile eſt: Solent enim per morbos incidere alienationes mentis, quae ſenſum & intelligentiam turbant, & tunc fere contingit, quod vel in aliis, vel in ſeipſo, animaduertit LVCRETIVS (d):

Quin etiam morbis in corporis avius errat
Sæpe animus: dementit enim, deliraque fatur,

Inter-

(a) Feltmann *ad tit. Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſt. & de Iure in re Cap. V.*

(b) Pagenſtech. *Aphoriſm. Iur. ad Inſt. Lib. II. Tit. XII.* §. 98. p. 166.

(c) Huber. *Præl. ad Pand.* l. 3. p. 27.

(cc) *Ius Colon. tit. von Teſtamenten und Vermâchtniſſe.*

(d) *Lucret. de Rer. nat. Lib.* III. v. 464.

Digitized by

Interdumque graui lethargo fertur in altum,
Aeternumque ſoporem, oculis vultuque cadenti:
Vnde neque exaudit voces, nec noſcere vultus
Illorum potis eſt, ad vitam qui reuocantes,
Circumſtant, lacrymis rorantes ora genaſque.
Quare animum quoque diſſolui, fateare neceſſe eſt;
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.

Romani, neutram ſequuti rationem, & eos, qui iam rebus humanis valedicturi videntur, modo mens nondum loco emota eſſet, recte teſtari, ſtatuebant, & *mente* tantum *in aduerſa valetudine captos eo tempore teſtamentum iure facere*, *negabant* (dd), quod *integritas mentis*, *non ſanitas corporis eius temporis*, *quo teſtamentum facit*, in teſtatore *exigeretur* (e). Obſeruaſſe ſane videntur, corpus aliquando, vi morbi oppreſſum, ſenſim tabeſcere, feruido adhuc & compote mentis pectore, vti eleganter loquitur iureconſultus eximius, CAR. HANNIB. FABROTVS (f). Sed id rarius contingere, & plerumque *vitium corporis vſque ad animum peruenire*, *eumque vitiare*, ipſi iuris auctores fatentur (g). Quare nemini mirum videbitur, Germanos ex his, quae forte vno aliquo caſu accidere poſſunt, iura non duxiſſe conſtituenda (h), ac proinde morbo confectis veluti bonis interdicere maluiſſe, ne animo fatiſcente potius, quam integro iudicio, verba ſuprema effutiſſe viderentur. Nimirum ne inter viuos quidem quidquam ſine conſenſu heredum alienari patiebantur, niſi & ſano vegetoque corpore eſſet dominus, & edito virium ſpecimine, oſtendiſſet, nondum ſibi eueniſſe, quod de ſenibus canit LVCRETIVS (i), quibus

Iam validis quaſſatum eſt viribus aeui
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaque menſque.

Sic IVRE PROVINCIALI SAXONICO (k) cautum legimus, vt nemini ius ſit fundos ſuos ſine heredum conſenſu, & extra acta vlli tradere, traditos vero heredes perinde, ac ſi mortuus eſſet donator, iure vindicare poſſint. Mobiles autem res donare poſſe vnumquemque, ſtatuitur, *allein daſs er ſich alſo vermôge, daſs er begürt mit einem Schwerdt, vnd mit einem Schild auf ein Roſs kommen*

(dd) Pauli *Recept. Sentent. Lib.* III. *tit. IV*. §. 11. *l.* 17. *ff. qui teſt. fac. poſſ.*
(e) *l.* 2. *ff. eod. l.* 3. *C. eod.*
(f) Fabrot. *Exerc. IV. in Theſaur. Iur. ciu. Tom.* III. *p.* 1185.
(g) *l.* 1. §. 9. *ff. de Aedil. edict.*
(h) *l.* 4. *ff. de legib.*
(i) *Lucret. Lib.* III. *v.* 452.
(k) *Ius Prouinc. Sax. Lib.* I. *art.* LII.

men môg, von einem Stein oder Stock, einer Daumellen hoch, ohn Hulff, als daſs man ihm das Roſs und den Stegreiff halte. Wenn er das nicht thun mag, ſo mag er ſein Gut weder vergeben, noch verlaſſen, noch geleihen, dadurch ers iemand entfremde, der es wartent wâre, nach ſeinem Tode. Haec gloſſatores recte monent ad equeſtris dignitatis viros pertinere. Nam quod ad vrbium ciues adtinet, eos res ſuas immobiles recte tradere aiunt, *ſo lange ſie ſo vermôgend ſind, daſs ſie ohne Hülffe zu Wege vnd Straſſen gehen, vnd ſo lange ſtehen mögen, biſs ſie in gehegten ding dieſelbe Gabe gethan haben*: mobiles vero, liberrime quidem alienari inter viuos, mortis cauſſa non plus tradi poſſe, quam aegrotus e lectulo porrigere poſſit. *Doch ſagen etliche, daſs er auch auf ſeinem Siech-Bette die ding vergeben môge, vvelche er über das Bett-Brett hinvveg reichen kônne.* Ruſticum denique eiusmodi res in alium recte transferre aiunt, *alldievveil er einen Vmbgang verpflügen mag, eines Morgens lang*, feminam, *vvann ſie zu der Kirchen gehen mag, von vvelcher ſi zvvanzig Ruthen geſeſſen iſt.* Quod itaque de donationibus aliiſque alienationibus inter viuos ſanxerant leges Germanicae: id, receptis paullatim teſtamentis, ad haec quoque ſtatutis quibusdam prolatum eſt, vt teſtamenta condere poſſint, qui recte valent, non, qui iam in ipſo vitae limine conſtituti, nec animo nec lingua ſatis vtuntur.

§. XVII.

Alibi feminis non indiſtincte liberrima teſtandi facultas permittitur.

Iure ciuili inter maſculos ac feminas teſtamenta condituras vix quidquam diſcriminis eſt. Quamuis enim EM. MERILLIVS (l) exiſtimet, feminas olim non in ſcriptis teſtari potuiſſe, ſed nuncupatis propalam heredibus: id tamen non aliunde collegit vir doctus, quam ex ſpecie, a PAPINIANO (m) relata, in qua pater *mandat filiae, pro ſalute ſollicitus ipſius, vt, quoad liberos tollat, teſtamentum non faciat, ita enim fore, vt ipſa ſine periculo viuat.* Id vero conſilium non ex ea cauſſa proficiſci, quod mulieri non niſi propalam heredem nuncupare liceret, ſed quod ne ſcriptus quidem ab ea heres in occulto eſſe poſſet, pluribus alibi docuit DN. PRAESES (n). Vnde & tabularum, a feminis ſcriptarum, exempla paſſim exſtant apud VALERIVM MAXIMVM (o), SVETONIVM (p), PLINIVM (q), quemadmodum & ſcriptorum ab iis heredum ipſae leges

(l) Merill. *Obſ. Lib. II. Cap. I. & lib. IV. Cap. XXXI.*
(m) *l. 77. §. 24. ff. de legat. 2.*
(n) *Comment. in Leg. Iul. & Pap. Lib. II. Cap. IX. p. 240.*
(o) *Valer. Max.* VII. 8. 2.
(p) Sueton. Galb. *Cap. V.*
(q) Plin. *Epiſt.* II. 20.

Digitized by Google

leges noſtrae paſſim faciunt mentionem (r). At quamuis iure nouiſſimo nulla inter maſculos feminaſque differentia ſit: permagna tamen fuit iure antiquo. Primo enim, qui in manum conuenerant, teſtamentifactionem non magis habebant, quam filiae familias, ceu recte viderunt viri eximii, M. AVREL. GALVANVS (s) & ANT. SCHVLTINGIVS (t). Deinde & quae ſui iuris erant, teſte VLPIANO (u), non aliter teſtabantur, quam auctoribus tutoribus, idque adeo verum eſt, vt vel ideo maxime apud PAPINIANVM ſuſpicatus ſit pater, filiam, antequam liberos ſuſtuliſſet, ſine periculo teſtamentum non condituram, quod heres ignotus eſſe non poſſet tutori, eius vero auctoritas iure liberorum finiretur, & tunc ſuo arbitrio & ſine diſcrimine ſalutis, & mulier teſtari poſſet. Ita ergo ius Romanum & olim comparatum fuit, & hodie comparatum eſt, vt olim feminae, quoad in manu maritorum eſſent, plane non teſtarentur, reliquae, non niſi auctoribus tutoribus; hodie aequo iure de bonis ſuis teſtentur feminae puberes ſui iuris, ac maſculi. Hinc vero denuo mireris, ſtatuta quaedam Germanica propius ad ius antiquum, quam nouum, accedere. Nam IVRE LVBECENSI (x) feminis non eſt libera teſtamentifactio, niſi duobus caſibus: primo, ſi viduae eam teſtandi facultatem dederit prior maritus, quo caſu tamen non niſi de bonis a marito relictis iure diſponit: altero, ſi qua mulier mercatrix, quae ſe talem eſſe Senatui probauit, teſtari velit de bonis adquiſitis, ſiquidem tunc, vti legaſſit, ita ius eſt, dum id fecerit, adhibito proximorum cognatorum curatorumque conſenſu. Et verba Statuti: *Es kan keine Fraw nach Lubiſchem Recht ein Teſtament machen, es ſey ihr dann die Macht von ihrem verſtorbenen Manne in ſeinem Teſtament gegeben, doch von den Gütern, welche ihr der Man gegeben, vnd zu verteſtiren gegönnet hat, vnd nicht von Erbgütern. Wäre ſie aber eine Kauff-Fraw, vnd alſo vor dem Rahte gezeuget, ſo mag ſie ein Teſtament machen von ihrem wohlgewonnenen Gute, doch mit ihrer Vormündere, vnd nächſter Erben Bewilligung.* Hinc quamuis alibi in Germania frequentiſſima inter coniuges ſint teſtamenta reciproca: tamen ne ea quidem Lubecae rata ſunt, niſi vxor iam maritum habuerit, iſque ei teſtamento poteſtatem teſtandi diſerte dederit: *Sofern die Frau zuver*

(r) *l. 19. ff. de inoffic. teſt. l. 33. ff. de vulg. & pupill. ſubſt. l. 37. §. 6. ff. de legat. 3.*

(s) Galuan. *de Vſufr. Cap.* IX. *extr.*

(t) Schulting. *Iuriſprud. vet. Anteiuſtin. p. 632.*

(u) Vlpian. *Tit.* XX. §. 15.

(x) *Ius Lubec. Lib.* II. *tit.* I. *art.* XIV.

vor einen Mann gehabt, der ihr von dem Gute, welches er in ſeinem Teſtament ihr beſcheiden, auch ein Teſtament zu machen, ausdrücklichen erlaubet hat, ſo mag ſie ſich ſolcher ihres verſtorbenen Mannes gegebenen Macht gebrauchen, vnd von gemeinen Gütern ihrem andern Manne, oder weme ſie will, Legata verordnen (y). Vtroque tamen loco obſeruauit MEVIVS, id ius tantum intra moenia cuſtodiri, Roſtochii vero, Stralſundi, Gryphswaldiae aliiſque locis, vbi ceteroquin iure Lubecenſium viuitur, feminas quaſcunque & ſine curatorum cognatorumque conſenſu teſtamenta iure condere, quod & de ciuitatibus Holſaticis, iure Lubecenſi vtentibus, adfirmat NIC. GOTOFR. STEVRNAGEL (z). Sed & IVS HAMBVRGENSE (a) feminas de bonis adquiſitis cum conſenſu curatorum vel maritorum, *als ihrer rechten Vormunder*, etiam non adſtipulantibus proximis heredibus, teſtari ſinit. Quod & alibi obtinere, docet FRANC. ZYPAEVS (b), vbi de Belgio: *In aliquibus his locis*, inquit, *feminis, vt ſine marito contrahere non licet, ita nec teſtari: alibi & frequentius teſtari ſine marito licet; etſi non contrahere.* Qualia ſtatuta etiam Galliae & Italiae, ex moribus procul dubio Germanicis profecta, recenſet CHOPINVS (c).

§. XVIII.

Pubertas non vbique ſufficit teſtamentum condituris.

Porro iure Romano puberes omnes ſui iuris teſtamenta recte condere, tralatitium eſt (d). Quamuis enim minor ſit haec aetas, quam vt negotium tanti momenti a puero quatuordecim, vel puella duodecim annorum, ſatis prudenter explicari poſſe credibile ſit: ſufficere tamen hi anni viſi ſunt Romanis, ex ea, niſi fallimur, ratione, quod, ſi vel maxime lubrico aetatis lapſi, male conſuluiſſe poſteritati dicantur, nullum tamen inde laeſionis periculum teſtatoribus immineret. Quin WISIGOTHI (e), qui alioquin, leges ſequuti Romanas, non niſi puberibus teſtandi facultatem indulgent, tamen & decennes pueros eo caſu ſupremas tabulas condere patiebantur, ſi morbus grauior eos vetet ſpes inchoare longas: quamuis eiuſmodi puerorum teſtamentis non perpetuum robur ineſſe, ſed ea corruere voluerint, ſimul ac eluctati morbum cum valetudine rediiſſent in gratiam. Quod neſcio an

(y) *Ius Lubec. ibid. art. X.*

(z) Steurnagel *Memorab. Statut. Lubec. & Hamb. Axiom. XXIV. p.* 44.

(a) *Ius ſtatut. Hamb. Part.* III. *tit.* I, §. *XIII. XIV. & XVII.*

(b) Zyp. *Notit. Iur. Belg. p.* 182.

(c) *Chopin. de Mor. Pariſ. Lib.* II. *tit. IV. de teſtam. n.* 21.

(d) *l.* 5. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.*

(e) Lex Wiſigoth. *Lib. II. tit. V.* §. *XI.*

an vlla alia gens conceſſerit paganis. Tribunis enim militum impuberibus, (quales plures ſub Caeſaribus in exercitu fuiſſe ex VEGETIO) (f) docent CORRASIVS (g) & IAC. CVIACIVS (h), & iure Romano fas erat, vltimum conficere elogium, priuſquam hoc priuilegium illis adimeret IVSTINIANVS (i). Sed fortaſſis bellicoſa gens Wiſigothorum, pueris ſuis, inter ipſa fere arma enutritis, priuilegium, quod tribunos illos codicillares Romanorum vſurpare animaduertebat, multo potiore iure deberi exiſtimauit, quam imbellibus iſtis militibus. Vtcumque ſe res habeat: reliqui Germani, poſtquam teſtamentifactionem ciuitate donarunt, multo aliter ſunt philoſophati. Tantum enim abeſt, vt puberes teſtari paſſi ſint, vt ne puberibus quidem vbique conceſſerint facultatem de rebus ſuis ſtatuendi. IVRE HAMBVRGENSI (k) ſancitum: *Ferner mag auch von wohlgewonnenem Gut kein Knabe vnter achtzehen Iahren in ſeinem Teſtament oder letzten Willen etwas vergeben.* Idem terminus & IVRE PRVSSICO (l) pueris praefinitus eſt, puellis, exacto anno aetatis quarto-decimo, teſtamentifactione conceſſa. Simile ſtatutum CELLENSE memorat STRYKIVS (m), cuius in fraudem teſtamentum conditurus ſedecim annorum adoleſcens, quum in exordio ſupremi iſtius elogii diſerte profeſſus eſſet, ſe non ad iuris ſtatutarii Cellenſis, ſed iuris ciuilis normam, teſtaturum, ICtorum Viadrinorum ordo, eum nihil egiſſe, merito pronunciauit, quia ſatis conſtat, *neminem poſſe teſtamento ſuo cauere, ne leges in ſuo teſtamento locum habeant* (mm). Ceterum huius generis ſtatuta fortaſſis quamplurima paſſim exſtant: nec dubito, quin hoc ius ſit commune iis omnibus, apud quos anno demum decimo octauo maſculi puberes habentur. At id non aeque vulgare eſt, quod, anno demum vigeſimo exacto, puberes teſtari poſſunt: quale exemplum tamen ex NAVTAE ſchedis & HVBERO iam ſupra adtulimus, hic non repetendum.

§. XIX.

Heredes ab inteſtato exſtantes paſſim

Eſt, vbi & ii, quibus cognati heredes ab inteſtato ſunt, de bonis ſuis teſtari nequeunt. Quod tantum abeſt, vt legibus Romanis conueniat, vt ex earum principiis ne liberi quidem & heredes

(f) *Veget. de Milit. Rom. Lib. I. cap. IV.*

(g) Corraſ. *Lib. V. Miſcell. cap. XXII.*

(h) Cuiac. *Obſ. XVII. 36.*

(i) *l. 18. C. de teſtam. mil.*

(k) *Ius Hamburg. ibid. art. XIII.*

(l) *Ius Pruſſ. Lib. V. tit. I. Art. I. §. IV.*

(m) Stryck. Cautel. *Teſtam. Cap. III. §. LXVI. p. 84.*

(mm) *l. 55. ff. de legat. I.*

teſtamentifactionem impediunt. Ius recadentiae quid?

redes ſui teſtamentifactioni impedimento eſſent, dum hi vel inſtituerentur ſaltim in portione legitima, vel nominatim exheredes ſcriberentur. Quin & hos iure antiquo impune praeteribant, & quosuis extraneos recte inſtituebant Romani, adeoque multo minus cognatis ius erat reſcindendi ſuprema teſtatorum iudicia, quippe ſumtibus ſe ipſos vexaturis inanibus, nullamque obtinendi ſpem habituris, ex praeſagio VLPIANI (n). At Germanicae originis gentes nonnullae, exſtantibus heredibus ſuis & cognatis, vel teſtamenta plane prohibuerunt, vel certam tantum bonorum partem vltima voluntate relinqui voluerunt. Eleganter neceſſitudinis gradus diſtinguunt LEGES SVECICAE, quibus cautum (o): *Si vir aut mulier condere teſtamentum velit, ſiue bene valens, ſiue in morbo decumbens, & poſt ſe liberos habeat: ei ſit poteſtas legandi decimam partem ex omnibus ſuis bonis, mobilibus & immobilibus. Si non habeat liberos, ſed alios heredes intra regnum, ei ſit poteſtas legandi tertiam partem omnium bonorum, vt ante dictum eſt. Si ille vel illa non habeat indigenas heredes, ſed extraneos; poteſtatem habeat legandi dimidium omnium bonorum, vt prius dictum eſt: non tamen legandi aut donandi, in fraudem ſuorum heredum vel liberorum vel extraneorum heredum, domum, praedium, aut fundum, ſi huc migrare, & hic in regno habitare velint: ſed ita, vt heredes intra annum & diem, ſi velint, iſthaec redimere poſſint.* Sed & IVRE LVBECENSI cautum reperimus (p): *Nach Lübiſchem Rechte muſs ein ieglich Teſtament inſtitutionem heredis haben, welche in dieſer Clauſul in forma begriffen ſeyn ſollen: vnd giebt ſeinen nâbeſten Erben, ſie ſeynd eines, zwey oder mehr, die ſich wie rechte nächſten zeugen laſſen werden N. N.* ex quo nonnulli collegerunt, exſtantibus cognatis, extraneos inſtitui non poſſe, quin ne rite quidem confectum videri teſtamentum, in quo proximi cognati heredes non ſint inſtituti. Sed id refellit MEVIVS (q), heredis inſtitutionem in hac periocha minus proprie pro donatione certae rei accipi exiſtimans. Sed quum ipſe vir doctiſſimus fateatur, ius Lubecenſe hic firmare ius commune, quod *heredis inſtitutionem caput & fundamentum totius teſtamenti* eſſe ſtatuit (r): non videmus profecto, qui heredis inſtitutio hic donationem certae rei ſignificare poſſit. Sed contortas eiuſmodi ſtatutorum interpretationes nobis peperit regula: *Statuta ita eſſe inter-*

(n) *l. 1. ff. de inoffic. teſt.*
(o) Loccen. *Suec. regni Leges ciuiles tit. III. Cap. XIX. p. 65.*
(p) *Ius Lubec. Lib. II. Tit. I. Art. XII.*
(q) Meuius *in Commentar. ibid. n. 3. 6.*
(r) §. 54. *Inſt. de legat.*

Digitized by Google

interpretanda, vt a iure communi quam minime exorbitent. Adeoque hodie non impedit hoc ſtatutum, quo minus vnuſquiſque Lubecae, praeteritis proximis neceſſitudinibus, extraneos heredes ſcribere poſſit, dum certi quid reliquerit proximis heredibus, quod tamen infra octo ſolidos & quatuor denarios eſſe non poſſe, ex aliis STATVTI locis colligunt (s). Sed vel maxime huc pertinet IVS RECADENTIAE, quod vocant, *das Ruckfalls-Recht*, id eſt, conſuetudo, in quibuſdam Germaniae prouinciis, veluti in Ducatibus Iuliacenſi & Montenſi, recepta, ſecundum quam bona immobilia non exeunt e familia, ſed eo, vnde profecta ſunt, reuertuntur: *Die Güter müſſen erben vnd fallen hinter ſich an die nächſten Erben, daher ſie kommen.* Idque adeo expediti iuris habetur, vt ne teſtamento quidem de iis aliter ſtatuere liceat (t). De quo Iuliacenſium & Montenſium iure ex inſtituto egit MELCH. VOETIVS. Simile ius in Friſia obtinere nouimus. Quum enim LEGIBVS CONVENTVS OPSTALBOMICI (u) anno MCCCXXIII. cautum eſſet, vt *praedia emenda vel vendenda cederent viro vel mulieri, a cuius patribus vel auis proceſſerint: ſucceſſiones vero hereditatum, quocumque modo euenerint, proximo ſecundum leges & canones ſuccederent ſucceſſori, niſi diſcedens cum conſilio rectoris in vltimo teſtamento aliter duxerit ordinandum*: poſtea Ezardus I. Comes in iure prouinciali OSTFRISICO (x), priorem diſpoſitionem etiam ad hereditates porrexit ſtatuitque: *Alles Erbgut fället wieder auf die Seiten, woher es erſtlich angekommen iſt, und nicht auf die Siebbe oder nächſte Freunde, daher es nicht gekommen iſt* (y). An vero ibi ius cognatorum interuerti poſſit per teſtamentum, quod CONVENTVS OPSTALBOMICI leges diſerte indulgent, pro certo adfirmare non poſſumus. Ceterum & in Belgio ſimile ius paſſim vigere, colligere nobis videmur ex verbis his FRANC. ZYPAEI (z). *Pleriſque conſuetudinibus immobilia paterna paternis, materna maternis ſeruantur: Iure Romano originis bonorum ratio habita non fuit.*

§. XX.

Denique & iis omnibus teſtamentifactionem reipſa negarunt Germani, quorum morientium bona ad fiſcum pertinere cenſuerunt. *[Teſtari alicubi non poſſunt pe-*

(s) *Lib. I. tit. VI. art. 2. & tit.* IX. *art.* II.

(t) Hert. *de colliſ. Leg. Sect. IV. §. XXVI. & de fratr. germ. querel. inoff. Sect. II. §. XII.*

(u) *Leg. Conu. Opſtalbom. §. XIV. XV.*

(x) *Ius Oſtfriſ. prou. Lib. II. tit. CXXXV. CXXXVIII. CLIV. CLXV.*

(y) *Add. Hert. paroem. iur. LXXXIII. §. IV.*

(z) Zypaeus *Notit. Iur. Belg. p.* 187.

regrini, caelibes & ſpurii. runt. Tales primo olim erant, qui peregrinantes in Germania deceſſerunt, quippe quorum bona omnia fiſcus, non modo in Italia, Sicilia, & Gallia, vbi & hodie vetus iſta conſuetudo ſub vocabulo IVRIS ALBINAGII, viget (a), ſed & in ipſa Germania, occupabat. Exſtat enim apud MABILLONIVM (b) & ECCARDVM (c) vetus CAROLI M. diploma, coenobio Hohnaugienſi conceſſum, quo *commendat omnibus, qui acceperunt aliquid de eccleſia Scotorum, quae eſt in inſula Honaugia, vt iterum reddant omne, quod acceperint, vel quod rapuerint ſine ſcientia Abbatis Beati, & ſi quis retentet parum, commendet omnibus iudiciis terrae illius, vt illi quaerant omnes res eccleſiae cum ratione, ſecundum legem Francorum, quia* RES PEREGRINORVM *propriae ſunt regis.* Enimuero id ius inhumanius viſum eſt Germanis, quam vt eo vti diutius vellent. Potius id celeberrima iſta *authentica* OMNES PEREGRINI *C. communia de ſucceſſ.* ſuſtulit FRIDRICVS II. Imp. Ea enim lex quamuis ad Italos potiſſimum videatur pertinuiſſe: certum tamen eſt, quod ſcribit BODINVS (d), apud Germanos eius iuris nullum uſquam vſum ſupereſſe, niſi huc referre velis Comitatum Hannonienſem, quem vicinae Galliae mores, veluti contagione quadam, infecerunt. De eo enim FRANC. ZYPAEVS: *Apud Hannones idem ſeruatur rigor aduerſus Francos, alioſque, qui vltra Scaldim ſub eis fuerint: non aduerſus Brabantos, Leodienſes, Germanos.* De quo iure albinagii Hannonienſium & GVDELINVS (e) & NIC. BVRGVNDVS (f) teſtantur. Vbi itaque inoleuit haec conſuetudo: ibi ius nullum teſtandi eſt peregrinantibus, & inutiles ſunt, quas fecerunt, tabulae, quas fiſcus valere non patitur ratione earum rerum, quas ſecum in iſtam prouinciam intulerunt. Deinde ſimile ac non minus inhumanum fuit IVS HAGESTOLZIATVS, quod eos, qui in caelibatu conſenuerunt, priuauit teſtamentifactione, eorumque bona fiſco principis vindicauit. Sed huic non eſt, cur iam immoremur. Perorauit cauſſam illuſtris academiae noſtrae CANCELLARIVS, cuius doctiſſimis argumentis quidquam addere, eo minus neceſſarium videtur, quo notius eſt, hageſtolziatum illum & iis locis, vbi diutiſſime haeſit, exturbaſſe aequi-

(a) Petr. Gregor. Tholoſan. *Synt. Lib.* III. *Cap. XII. n.* 8. 9. & 14. Gudelin. *Iur. Nouiſſ. Lib. V. Cap. X. n. XI.* Bodin. *de Republ. Lib. VI. n.* 61.

(b) Mabillon. *Annal. Benedictin. Tom. II. p.* 697.

(c) Ge. Eccard. *Orig. Habſp. p.* 105.

(d) Bodin. *ibid.*

(e) Gudelin. *Iur. nouiſſ. Lib. V. Cap. X.*

(f) Burgund. *ad Conſt. conſuet. Flandr. tract. XIV.*

Digitized by Google

aequitatem Principum, adeoque non eſſe, cur ei, iam non modo exſuli, ſed & extorri, σϑπμαπικὸν ſcribere velimus. Quare id potius tamquam ſcitu dignius notamus, quibuſdam locis & ſpuriorum res ad fiſcum pertinere, adeoque & his ibi adęmtum eſſe ius teſtandi, niſi illud ſpeciali Principis indulgentia impetrarint. Mentio eius iuris fit in diplomate Henrici II. Lotharingiae & Brabantiae Ducis, apud AVB. MIRAEVM (g), ſed ita, vt primo hoc ius tantum ad aduentitios reſtrictum, & deinde eorum libertati teſtandi nihil detractum velit. En verba: *Promiſimus etiam ſimiliter, fide corporaliter praeſtita, quod volumus & obſeruare debemus in perpetuum, vt in bonis illorum, qui vulgo* HAVESCOOT, SPVRII *dicuntur, ſi de terra noſtra nati fuerint, & proximos habeant, ſuccedant in dictis bonis proximiores, ſecundum legem terrae & conſuetudinem. Si vero fuerint aduentitii, bona talium ſecundum legem terrae, huc vſque ſeruatam, noſtra ſint & ſucceſſorum noſtrorum, ſaluo tamen per omnia tam de alienigenis, quam indigenis talibus, quod* TESTAMENTA, *quae condiderint, robur habere debeant, & fortitudinem.* Quum etiam ſimile ius ad Rhenum ſibi vindicet Sereniſſimus Elector Palatinus, illud non minus reſtringit MAXIMILIANVS I. Imp. priuilegio, anno MDXVIII. Electori conceſſo, (h) quo inter alia voluit, *vt Electori baſtardorum, quum abſque deſcendentibus aut legitimo, rito, firmoque* TESTAMENTO *deceſſerint, omnis hereditas & bona, mobilia ac immobilia, nomina & pignora, aliaque, vbicumque, abſque vllius rei exceptione, ceu Principi Territoriali, hereditario iure obueniant.* Enimuero neſcio, an non ab illa maiorum inhumanitate in vtraque prouincia aliquid remiſerint poſteri. Nam de Brabantia ſaepe laudatus ZYPAEVS (i): *Moribus*, inquit, *fiſcus baſtardo ſuccedit: niſi a principe facultatem teſtandi obtinuerit: alicubi teſtari ei licet, & inteſtato mater & ex ea nati ſuccedunt: ſi liberos habet, vbique heredes ſunt.* Et IVS PROVINCIALE PALATINVM (k) nulla facta teſtamenti mentione ita diſponit: *Daſs dieſelben Baſtart, wo ſie ohn Leibes-Erben mit Todt abgegangen ſeind, in allen ihren verlaſſenen haben und Gütern, liegend und fahrenden, auch an Schulden, Pfanden vnd andern, wo die gelegen ſeyn, nichts ausgenommen, an die Pfalz, als Lands-Fürſten geerbet ſeyn, vnd ſie auch zu ihren Handen einziehen vnd nehmen, die gebrauchen, nutzen und nieſen, vnd in alle*

(g) Mir. *Diplom. Belgic. Lib. I. Cap. LXXXV.*

(h) Thulemar. *de Octouiratu Cap.* XVIII. §. 37. *p.* 257. *ſequ.*

(i) Zyp. *Notit. Iur. Belg. p.*186. *ſeq.*

(k) *Pfälz. Landes-Ordnung Tit. VIII.*

wege damit, als andern ihren eigenen Gütern nach deren Willen vnd Wohlgefallen handeln ſollen vnd mögen.

§. XXI.

Non de omnibus bonis teſtari licet. Regula, quae neminem pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere patitur, in Germania non vbique valet.

Sufficere haec exempla videntur, ad probandum, quod ſupra poſuimus, teſtamentifactionem apud Germanos, quod ad teſtatoris PERSONAM adtinet, arctioribus legibus, quam apud Romanos, fuiſſe circumſcriptam. Aeque facile demonſtrari poteſt, nec de omnibus rebus teſtamenta apud Germanicae originis gentes valere. Apud Romanos inoleuerat iuris regula: *neminem paganum pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere poſſe:* eaque tanti momenti videbatur veteribus, vt earum rerum naturalem inter ſe pugnam eſſe ſcribat POMPONIVS (l). Contingere equidem poteſt, vt teſtamento, inſtituta querela inofficioſi, pro parte reſciſſo, aliquis pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus deceſſerit, idque eo caſu non abſurdum videtur PAPINIANO (m), & VLPIANO (n): at reliquis caſibus id omnino inciuile videbatur, adeo, vt ſi quis in re certa vnum inſtituiſſet heredem, cauſſa teſtati cauſſam inteſtati ad ſe traheret, & heres totam hereditatem caperet. (o) Nimirum lege illa decemuirali: PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO, optio data erat vnicuique, ipſe legem dicere rebus ſuis, an, quae iam ſanxiſſent leges, rata habere malit, & valde inconueniens videbatur, duos eſſe legislatores, quibus, licet diuerſa in eadem cauſſa praecipiant, nihilominus praeſtandum eſſet obſequium. Aut itaque de vniuerſis bonis condendum erat teſtamentum, aut ea probanda ſucceſſio, quam iam legibus ſanxiſſet ciuitas. Ita Romani philoſophantur. Germanos contra non vbique recepiſſe hoc principium, recte obſeruarunt GVDELINVS (p), CHRISTINAEVS (q), ipſeque celeberrimus *Vſus hodierni pandectarum* auctor (r). Dum enim iſti vel certum bonorum genus ita exceperunt, vt de eo nefas eſſet ſupremis tabulis diſponere, dumque alibi non niſi de parte quota bonorum teſtamentifactionem permiſerunt: fieri non potuit, quin homines pro parte teſtatos, pro parte inteſtatos decedere vellent, adeoque tantum abeſt, vt his locis naturalis earum rerum pugna videatur, vt iſte demum cum legibus pugnare velle videretur, qui de vniuerſis bonis teſtari conatus eſſet.

§. XXII.

(l) *l. 7. ff. de diu. reg. iur.*
(m) *l. 15. §. vlt. ff. de inoff. teſt.*
(n) *l. 24. ff. eod.*
(o) *l. 1. §. 4. ff. de her. inſt.*
(p) Gudelin. *Iur. nouiſſ. Lib. I. Cap.* V.
(q) Chriſtin. *Vol.* I. *Deciſ.* LI. *n.* 48.
(r) *Vſ. modern. Digeſt. lib.* XXVIII. *tit.* V. §. VIII.

Digitized by Google

§. XXII.

Quibuſdam locis de certa tantum bonorum parte teſtari licet.

Eſſe autem ſtatuta, quae de certa tantum bonorum parte teſtamentifactionem permittunt, nemo vt opinor, dubitauerit, quum iam ſupra tale ex LOCCENII iure Suecico adduxerimus. (§. XIX.) Iam addimus legem Flandricam, quae itidem teſtamentifactionem non concedit ciuibus, niſi ſuper certa parte bonorum immobilium, tum adquiſitorum, tum hereditariorum. Qua de re FRANC. ZYPAEVS (s): *Rerum immobilium in Flandria non eſt libera teſtantibus diſpoſitio, quia trientem duntaxat veteris patrimonii: adquiſitorum autem herediorum binum trientem dare legare licet.* Similes his ſunt leges DANICAE (t), quae a patrefamilias, deſtituto liberis, viduaque improli dimidiam bonorum partem legari, tantumdemque etiam ab iis, qui liberos habent, templis, ſcholis & pauperibus relinqui permittunt, plura vero dari legari omnino vetant. Talia fortaſſis & in ipſis Germanorum ſtatutis paſſim occurrunt, quae iam curioſius inueſtigare non vacat. Id modo addimus, IVRE HAMBVRGENSI (u) mulieri quoque non licere marito plus legare, quam tertiam bonorum adquiſitorum partem, vniuerſa bona adquiſita non aliter, quam iure vſusfructus, & praeſtita a marito cautione fructuaria. Semper itaque iniquum viſum eſt maioribus noſtris, cognatis omnem ſpem hereditatis inuidia teſtatoris interuerti, ac proinde recepto iure Romano multi ſtatutis cauerunt, vt certa ſaltim bonorum pars, tamquam legitima abſciſſe relinqueretur proximis heredibus, de eaque omnis irrita eſſet teſtamentaria diſpoſitio.

§. XXIII.

Alibi de mobilibus tantum.

Sunt porro ſtatuta, quae de certo tantum bonorum genere teſtamenta condi permittunt, certum genus excipiunt, idque proximis heredibus ab inteſtato relinqui iubent. Sic quum bona ſint vel IMMOBILIA ſeu SOLI, vel MOBILIA, *liegende Gründe, vnd Fahrniſs* vel *fahrende Habe:* omnibus fere gentibus nobiliſſimam fortunarum partem conſtituere viſi ſunt fundi, quorum & certior ac ſtabilior poſſeſſio, & fructus minus, quam rerum mobilium, incerti habentur. Non itaque mirum eſt, Germanos dediſſe operam, vt non tam facile res immobiles a familia alienarentur, ac mobiles. Quemadmodum itaque illas & difficilius, & nonniſi adhibitis quibuſdam ſollemnitatibus, inter viuos alienari paſſi ſunt: ita & teſtamenta de iis condita non vbique rata eſſe voluerunt,

 exi-

(s) Zypaeus *Notit. Iur. Belg. p.* 182. ſequ.

(t) *Ius Danic. Lib.V. Cap.IV.* §. *XIV. ſeq.*

(u) *Ius Hamb. Part.* III. *Tit.* I. §. *XIV.*

exiſtimantes id, quod res eſt, non tam acerbam familiae eſſe iacturam pecuniae aliarumque rerum mobilium, quae facilius aere redimuntur, quam agrorum & herediorum, a quibus ſaepe & ſplendor familiae & fortuna poſterorum vnice pendet. Iam ſupra adferre nos meminimus legem eiuſmodi Groningenſium; quamuis hi ſimul diſtinguant, bonane iſta immobilia poſſeſſori ex hereditate maiorum obuenerint, an eius virtute ac labore parta ſint. Quin & in Flandria diſpoſitionem de immobilibus arctioribus limitibus circumſcriptam eſſe, quam de mobilibus, paullo ante monuimus. Iam ergo addimus, IVRE MVNICIPALI RIGENSIVM (x) diſerte cautum eſſe: *Stehendes Erbe oder Erdveſt eigen mag weder Mann noch Fraw, ohne der Erben Vrlaub, vergeben, noch legiren.* Hinc vbi legandi donandique poteſtas conceditur ciuibus, diſerte additur: *Auſſerhalb ſeinen liegenden Gründen, vnd unbeweglichen Erbgütern.* Ex quibus facile intelligitur, his locis, vbi huiuſmodi ſtatuta vigent, nullius momenti eſſe teſtamenta, quibus bona immobilia aliis deſtinata ſunt, quam proximis heredibus, niſi horum conſenſus & auctoritas acceſſerit.

§. XXIV.

Alibi inter bona adquiſita & hereditaria diſtinguitur.

Non minus frequens in legibus Germanicis eſt diſtinctio bonorum ADQVISITORVM & HEREDITARIORVM, quam ſingulari diſſertatione in hac academia explicauit noſter olim LVDOVICI (y). Eius vero vſus non modo in alienationibus, iure retractus, ſimilibuſque negotiis inter viuos ſeſe exſerit: verum etiam in teſtamentis vltimiſque voluntatibus. In eo enim permultis legibus Germanicis conuenit, quod de illis teſtamentum condi poſſit, de his non poſſit, niſi impetrato proximorum cognatorum conſenſu. IVRE ſane LVBECENSIVM (z), bona hereditaria heredibus ab inteſtato relinquenda ſunt, ſed immobilia tantum: de mobilibus & adquiſitis vnuſquiſque recte diſponit pro lubitu, *vvann er zuvor ſeinen nechſten Erben giebet 8. Schilling, 4. Pfennige* (a). Contra HAMBVRGENSIVM (b) ſtatuta nullum diſcrimen ſtatuunt inter bona mobilia & immobilia, ſed generatim diſponunt: *Von Erbgut iſt niemand, vermöge dieſer Stadt-Rechte, ohne ſeiner nächſten Erben Erlaubniſs oder Bewilligung zu teſtiren bemächtiget, ſondern daſſelbe*

(x) *Iuſ. Rigenſ. Lib.* III. *tit.* IV. *art.* IV.

(y) Ludou. *Diſſert. de diſcrim. bon. adquiſ. & heredit.* & *ibi Meu. n. 69.*

(z) *Ius Lubec. Lib.* I. *Tit.* X. *art.* VI.

(a) *Ibid. Lib.* I. *Tit.* IX. *art.* II.

(b) *Ius Hamb. Part.* III. *Tit.* I. *art.* IV.

daſſelbe ſeinen Erben ungeſchmälert zu laſſen ſchuldig; & paucis interiectis, vbi quaeritur, quae referenda ſint ad bona hereditaria, reſpondetur, ad illa pertinere omne, quod quis a parentibus vel cognatis iure hereditario acceperit, itemque quidquid liberis datum, vel ſeparatis, vel elocatis, ac denique quod ex praemortui coniugis rebus hereditariis ad ſuperſtitem peruenit, vbi denuo nihil diſcriminis ſtatuitur inter bona mobilia & immobilia. In IVRE BREMENSI EQVESTRI (c), eamdem obſeruamus διάφορον inter bona hereditaria, *Erb-Stamm-Güter*, & adquiſita, quorum illa ſolis agnatis, nulla poſſeſſori data libertate diſponendi, cedere iubentur, haec ad cognatos & agnatos perueniunt, niſi quis condito teſtamento aliud ſtatuerit. Denique & iure DITHMARSICO (d), MINDENSI (e), GRONINGANO & FLANDRICO eadem fere cauta eſſe reperimus, niſi quod Groningae, & in Belgio reliquo, itidem inter bona immobilia & mobilia ſimul diſtinguitur, & poſſeſſori etiam de certa hereditariorum bonorum parte teſtari permittitur, ceu ſupra iam ex ZYPAEO & HVBERO obſeruauimus. Adeo maioribus noſtris familiarum ſplendor curae cordique fuit, vt, quidquid maiores poſſediſſent, id poſteris ſimul partum eſſe crederent, ſatis gnari, veriſſime ſcripſiſſe PLATONEM (f), ἡμᾶς οὔτε ἡμῶν αὐτῶν εἶναι, οὔτε τὴν οὐσίαν ταύτην. ξύμπαντος δὲ τοῦ γένους ἡμῶν τοῦ τε ἔμπροσθεν καὶ τοῦ ἔπειτα ἐσομένου· *non eſſe nos, nec quod ad perſonam, nec quod ad bona, noſtros, ſed gentis ac familiae praeſentis & futurae.*

§. XXV.

Mulieres Saxonicae de Gerada: viri de rebus expeditoriis diſponere non poſſunt.

Inter ea bonorum genera, quae teſtatorum arbitrio ſubiicere noluerunt leges Germanicae, merito etiam referimus RES VTENSILES & EXPEDITORIAS, *die Gerade vnd das Heergewette*, quae in Saxonia, aliiſque vicinis prouinciis, & noſtris temporibus antiquam naturam atque indolem ſuam retinent. Antiquam eas naturam retinere, dicimus. Neque enim id ius heri demum aut nudius tertius natum eſt, ſed iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus in Germania etiam extra Saxoniam viguit. Nota eſt LEX ANGLIORVM & WERINORVM (g): *Ad quemcumque hereditas terrae peruenit*, (peruenit autem ad filios & agnatos,) *ad illum veſtis bellica, id eſt, lorica, & vltio proximi, & ſolutio leudis debet*

 pertine-

(c) *Brem. Ritter-Recht tit.* I. *von Succeſſion und Erbnehmung.*
(d) *Ius Dithm. Art. XXVII.*
(e) *Ius Mind. Lib.* II. *tit.* I. *art. V.*
(f) Plato *de Legib. Lib. XI.*
(g) *Lex Angl. tit.* VI. §. V. *&* VI.

pertinere. Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat, filiae vero ſpolia colli, id eſt, murenas, monilia, inaures, veſtes, armillas, vel quidquid ornamenti proprii videbatur habuiſſe. Quum ergo hae res eximantur ab hereditate : (*ſie gehören nicht ins Erbe,*) conſequens erat, vt nec ad heredes transmitterentur, relicta alicui per teſtamentum hereditate, adeoque res vtenſiles & expeditoriae teſtamento vlli deſtinari non poſſent. Quum enim res expeditoriae ex ſpeciali iuris prouiſione & priuilegio filiis & agnatis debeantur (h) : recte colligunt, eam illis nec teſtamento nec donatione mortis cauſſa interuerti poſſe (i). Idemque obtinet in rebus vtenſilibus, quarum dominium ipſo momento mortis ad filiam vel cognatam tranſire fingunt. Inualida ergo ac irrita etiam de his eſt diſpoſitio teſtamentaria (k), quamuis ſi filia vel cognata ſit heres inſtituta, eaque hereditatem adierit, legatum rerum vtenſilium alii relictum ex duplici fundamento vtile ſit, primum quod heredem voluntatem defuncti praeſtare oporteat (l), deinde quod expeditiſſimi iuris ſit, teſtatorem etiam res heredis proprias, quin & plane alienas, cuicumque vtiliter legare poſſe (m). Quod inprimis illuſtrat incluti ordinis Iurisconſultorum Wittebergenſium reſponſum, a GOTHOFR. AVG. HOFMANNO (n) editum, Dreſdamque verſus datum Menſe Iunio MDCCXII. Quid vero, ſi quis, nullo relicto filio vel agnato, de rebus expeditoriis, vel nulla relicta filia vel cognata de vtenſilibus teſtamento conſtituerit ? an tunc ſaltim vtilis eſt eiuſmodi diſpoſitio ? Id quoque vel ideo negandum, quod deficientibus illis perſonis, in earum locum fiſcus ſuccedit (o), earumque iure vtitur, adeoque teſtamentum in fraudem fiſci conditum non magis vtile eſſe poteſt, quam quod in fraudem perſonarum illarum factum eſt (p). Cui definitioni non obſtat, has res iure alienari, earumque nec venditionem nec donationem inter viuos prohiberi. Quum enim, ceu iam paullo ante diximus, rerum iſtarum dominium ipſo mortis momento in perſonas illas, quibus debentur, tranſire fingatur : teſtamentum mortisue cauſſa donatio effectum

(h) *Mod. Piſtor. Part. IV. qu.* 131. *n.* 33.

(i) *Richter de Succeſſ. ab inteſt. Sect.* III. *membr.* I. *n.* 111.

(k) *Conſt. Elect. Part.* II. *Conſt.* XIV.

(l) *l.* 10. *ff. de reg. iur. l.* 149. *ff. eod.*

(m) *l.* 67. §. 8. *ff. de legat.* 2. §. 4. *Inſt. de legat.*

(n) Hoffmann, *ausführl. Beſchreibung von der Gerade vnd Heergew. Part.* II. p. 352.

(o) *Part.* II. *Conſt. Sax.* XIV. Carpz. *ibid. Def.* I. & II.

(p) Stryck. *de Succeſſ. ab inteſt. Diſſ.* III. *Cap.* III. §. II.

fectum ſortiri nequit, quia vtrumque negotium demum a morte teſtatoris vel donatoris capit ſubſtantiam (q). At viuus teſtator donatorue procul dubio gaudet iuſto earum rerum dominio, adeoque nihil impedit, quo minus hoc dominium in alium rite ac valide transſcribat, nec rerum in bonis defuncti defunctaeue non amplius ſuperſtitum dominium aliquod vel in filium agnatumue, vel in filiam aut cognatam, tranſire ipſo iure poteſt, ceu iam ab aliis ſatis ſuperque eſt explicatum.

§. XXVI.

Vbique fere prohibita diſpoſitio de feudis.

Denique inter illius generis bona, de quibus iure Germanico teſtamento conſtitui nequit, etiam feuda eſſe, in vulgus notum eſt. Quare rei peruulgatae inhaerere nihil adtinet. Quibuſdam equidem locis, veluti in Belgio, etiam de feudis cum conſenſu Principum teſtamenta fieri poſſe, iam ſupra monuimus (r): ac proinde in Hollandia clientelaria eiuſmodi bona vocantur *vnſterfſelyke Erf-leen* (s). Sed & Biturigum, Burgundorum (t), Delphinatenſium (u), immo & totius fere Franciae moribus (x) teſtamenta etiam ſuper feudis condita rata eſſe, ſatis conſtat, vt iam omittamus, quae Luſatis anno MDLXXV. conceſſit MAXIMILIANVS II. Imp. (y) quaeque POTENTISSIMVS PRVSSORVM REX noſtra memoria vaſallis per omnes prouincias indulſit. At ordinarie tamen in feudis ceſſat teſtamentaria ſucceſſio, niſi in antiquis & agnatorum & domini; in nouis ſolius domini conſenſus acceſſerit (z), vel niſi feudum ſit vere hereditarium, quippe quod allodio aequiparatur, iiſdemque modis, ac illud, in alios transferri poteſt, modo inſtituatur heres, qui ſit ad ſuccedendum in feudo habilis, niſi vaſallo plus indultum ſit a domino (a). Denique quamuis in feudis quibuſdam improprіis valere teſtamentifactionem contendant doctores, eoque referant feuda cenſualia, & oppignorata: vere tamen poſterius huc non pertinet, quia tunc teſtator non de feudo diſponit, ſed de credito ſuo, eoque ſoluto feudum reuertitur ad eum, ad quem illud vel iure hereditario, vel ex pacto & prouidentia maiorum pertinet. Iam quum latiſſime

(q) Weſenbec. *Parat. tit. Dig. de ſuppellect. leg. n. vlt.*

(r) Frid. a Sande *Comm. in Conſuet. feud. tit.* II. *Cap.* II. 3. 5.

(s) Neoſtad. *Obſ. Feud. Dec.* I. *obſ.* I. p. 35.

(t) Greg. Tholoſan. *Synt. Iur. vniu. Lib.* VI. *cap.* XVIII. *n.* 3.

(u) Guido Papa *Deciſ. Q.* LIX. *n.* 2.

(x) Boer. *Deciſ.* CCII. *n.* 3.

(y) Richt. *Part.* I. *Dec.* XXV. *n.* 10.

(z) Stryk. Cautel. *Teſt. Cap.* VI. *Memb.* II. §. III. *ſequ.*

(a) Stryk. *ibid.* §. VIII. *ſeq.*

latiſſime in Germania pateat feudorum vſus, & multi olim ipſa allodia, quae poſſidebant, principibus, eccleſiis, aliiſque in feudum ex variis cauſſis obtulerint (b): quam arctis limitibus in Germania adſtricta ſit teſtandi facultas, facile vnuſquiſque, vt opinor, intelligit.

§. XXVII.

Quod ad formam attinet, quibuſdam locis non admittuntur teſtamenta, niſi publica.

Hactenus de *materia* diſpoſitionis teſtamentariae, quantum ſatis eſt, egimus. Dicendum iam porro de ſtatutis, quae, quod ad FORMAM adtinet, eamdem variis limitibus circumſcribunt. Iure Romano in cuiusuis poſitum eſt arbitrio, publicane, an priuata fide niti velit teſtamentum ſuum. Quemadmodum enim vnuſquiſque priuatos intra parietes recte condit teſtamentum, adhibitis ſeptem teſtibus, reliquiſque obſeruatis ſollemnitatibus, quas leges a teſtatore exigunt: *ita omnem ſollemnitatem ſuperare videtur, quod inſertum mera fide precibus inter tot nobiles probataſque perſonas etiam conſcientiam Principis tenet*, nec minus *ſecurus eſt, qui actis cuiuſcumque iudicis aut municipum, mentis ſuae poſtremum publicauit iudicium* (c). Prius tamen Romae faciebant plerique, quumque in tantis ſollemnitatum ambagibus facilis eſſet lapſus hominis priuati, & negotiorum ciuilium imperiti: plerumque vtebantur conſilio iuriſperiti, adeo vt ſcribere non dubitet ARRIANVS (d): *Διαθήκην μὲν οὐ γράφει μὴ εἰδὼς, πῶς δεῖ γράφειν, ἢ παραλαβὼν τὸν εἰδότα. Teſtamentum nemo ſcribit, niſi aut ipſe ſciat, quomodo ſcribendum ſit, aut eius rei peritum adhibeat.* Vt iam non dicamus, *iuris ſtudioſorum* & *iuris peritorum teſtamenta ſcribentium aut dictantium* mentionem fieri & apud SVETONIVM (e), & in ipſo iure noſtro (f). At optionem illam ſuis non vbique indulgent iura ſtatutaria, ſed publica duntaxat teſtamenta fieri permittunt, partim vt ſi forte male conſulere poſteritati decreuerint, magiſtratui ſit occaſio, iis meliora ſuadendi, partim vt compendium fiat tot litium, quae de ſollemnitatibus teſtamentorum externis plerumque agitantur. Sic ſane IVRE LVBECENSI (g) nuncupatiuum teſtamentum condi oportet *in gegenwärtigkeit zweyer Rathmannen*, ſed & ſi in ſcriptis quis teſtari malit, tabulae offerendae ſunt Senatui, ceu patet ex verbis (h): *Ordnet ein Mann ſein*

(b) Hert. & Thomaſ. *Diſſ. de feud. oblat.*

(c) *l.* 19. *C. de teſtam.*

(d) Arrian. *Diſſ. in Epictet. Lib.* II. *Cap.* XIII.

(e) Sueton. *in Neron. Cap.* XXXII.

(f) *l.* 88. §. 17. *ff. de legat.* 2.

(g) *Ius Lubec. Lib.* II. *Tit.* I. *art.* II.

(h) *Ibid. art.* IV.

ſein Teſtament, vnd übergiebt daſſelbe den Rathmannen, welche es auch, wie gebräuchlichen, empfangen. Equidem hanc IVRIS LVBECENSIS diſpoſitionem non impedire exiſtimat MEVIVS (i), quo minus & adhibitis ſollemnitatibus, iure Romano praeſcriptis, quis recte de rebus ſuis diſponat, idque etiam viſum eſt SIBRANDO (k): ſed non aliam habent huius ſententiae ſuae rationem, quam quod Lubecenſes ſollemnitates iuris, introducta illa teſtandi ratione, non abrogarint. Ego vero me vix intelligere fateor, cur de caſu, ſi duorum Senatorum non ſit copia, addiderint: *Könte man aber ſo eilends die Raths-perſonen nicht haben, ſo können zweene beſeſſene Bürger ein ſolch Teſtament bezeugen, doch allein von zehen Marck Silber, darunter, vnd nicht darüber.* Cur enim non potius teſtatori commendaſſent, vt ſeptem rogatis teſtibus coram iis vltimam voluntatem enunciaret, ſi admittere intra moenia voluiſſent teſtamentifactionem Romanam? De HAMBVRGENSIVM tamen IVRE (l) nullum eſt dubium. Quamuis enim & illud moneat, maiores, pertaeſos litium, quae de teſtamentorum ſollemnitatibus ſuboriri ſolent, iam inde ab antiquiſſimis vſque temporibus formam teſtandi ſimpliciſſimam praeſcripſiſſe, puta, vt, adhibitis duobus Senatoribus & Secretario, teſtator vltimam voluntatem vel viua voce enunciet, vel ſcriptam offerat: paucis tamen interiectis additur (m); *Wolte auch iemand aus ſonderbaren bevvegenden Vrſachen lieber nach Ordnung und Zierlichkeit der gemeinen Rechten ſein Teſtament aufrichten, dann obgeſetzter heilſamer Form ſich gebrauchen: ſo ſoll ihm ſolches auf ſeine Gefahr hinführo zugelaſſen, iedoch die Notarien dabey gevvarnet ſeyn, allen möglichen Fleiſs anzuvvenden, &c.* IVRE COLONIENSIVM (n) teſtamenta fieri oportet, adhibitis tabellione, duobus teſtibus, viris honeſtis, totidemque Scabinis, qui & audiant teſtatorem & eius tabulas, ſi in ſcriptis teſtetur, ſignent, eo tamen obſeruato diſcrimine, vt, ſi quis de fundis & reditibus annuis teſtetur, eius tabulae in ſcrinio vel archiuo Scabinorum reponantur, ſin de mobilibus, in arbitrio teſtatoris poſitum ſit, an id ad acta deponere, an domi ſuae adſeruare malit. Zittauiae, quae mihi patria contigit, STATVTIS municipalibus (o) cautum eſt, *daſs vver ſein*

[i] Meu. *Comm. ad Ius Lubec. Lib. II. tit. V. art. II. n. 162.*

[k] Sibrand. *de Iure publ. Lubec. Part. I. ſect.* VII. *n. 61.*

[l] *Ius Hamb. Part. III. tit. I. Art. I.*

[m] *Ibid. art. III.*

[n] *Ius Colon. tit. von Teſtamenten und Vermächten.*

[o] *Statut. tit. von Teſtamenten.*

teſtament vnd lezten vvillen bey geſunden Leibe oder im Siechbette machen vvill, das thun ſolle guter Vernunfft, mit vvohlbedachten Muthe, vnd mit Vorvviſſen eines Ehrbaren Rahts, in Gegenvvertigkeit zvveyer oder mehr hierzu von einem Rath, oder den Gerichten, erforderten Perſonen. Quumque paullo poſt moneant ſtatuentes, teſtamentum, hac forma obſeruata, conditum ratum fore, quid, neglecta hac forma, futurum ſit, ita docent: *Was aber ſonſt vor Teſtament gemachet vverden, ohn Vorvviſſen oder Beyſeyn des Raths, oder der Gerichte, die ſollen keine Krafft noch Macht, auch keinen Nahmen eines Teſtaments haben, ſondern vor nichtig, krafftloſs, vnd unbündig angeſehen, vnd gehalten vverden.* Sed id & aliis permultis locis obſeruatur, vt ſuperuacuum videatur, ei teſtandi formae diutius inhaerere.

§. XXVIII.

Itemque alicubi non valent teſtamenta, niſi in quibus ad piam cauſſam, vel rei publicae vtilitatem aliquid relictum.

Id quoque ſingulare, ac Germanis proprium eſt quod, quum ius Romanum, ſi a perſonis, quibus legitima debetur, diſceſſeris, nulli mortalium imponat neceſſitatem, alicui quidquam legandi, ſed id omne teſtatoris arbitrio relinquat, in Germania teſtamenta paſſim irrita habeantur, niſi iis aliquid piae cauſſae vel reipublicae fuerit relictum. Hinc ſaepe in teſtamentis legas, teſtatorem primo omnium aliquid legare ad reficiendas vias pontesque, & alia opera publica, ſarta tecta ſeruanda, itemque eccleſiis, ſcholis, pauperibus. Id quod non vbique voluntatis, ſed plerisque neceſſitatis habetur. Quod vt exemplis quibuſdam illuſtremus: primo omnium nobis ſuccurrunt STATVTA ZITTAVIENSIA (p), paullo ante laudata, quae in primis teſtatoribus commendant, vt gloriam Dei ſibi ſupremam legem ſtatuant, deinde vt & ciuitatis vtilitati ſtudeant, & aliquid legent, *zu Erbauung Wege vnd Stege, auch zu Erhaltung Mauren, Thürne, Pforten, Graeben vnd Brücken, neben dem, das zum Gottesdienſte verordnet.* Quod ſi quis neglexerit, ſub finem ſubiicitur clauſula: *Was aber ſonſt vor Teſtament gemacht vverden--- darinnen Gottes Ehre vnd gemeinen Nutzes vergeſſen vvird, die ſollen keine Krafft noch Macht, auch keinen Namen eines Teſtaments haben, ſondern nichtig, krafftloſs vnd vnbündig angeſehen vnd gehalten vverden.* Similis quodammodo eſt diſpoſitio IVRIS HAMBVRGENSIS (q): *Ferner ſoll von einem ieglichen Teſtament zum vvenigſten ein Marckſtücke zu Wegen vnd Stegen gegeben vverden. Vnd da Frau vnd Mann ein Teſtament zuſammen*

(p) *Statuta Zittav. ibid.*

(q) *Ius Hamb. Part.* III. *tit.* 1. *art.* XVI.

men machen, ein ieder ſo viel zu geben ſchuldig ſeyn, vnd ſolches vnverzüglich in die Kammerey gelieffert vverden. Enimuero, quum hic lex certam ſummam exprimat, infra quam nemo legatum aliquod relinquere poſſit ad vtilitatem publicam: non dubito, quin ea diſpoſitione neglecta, ratum tamen futurum ſit teſtamentum, modo heredes tantumdem in aerarium publicum conferant. Sed talia paſſim reperias in STATVTIS ciuitatum, quae argumento eſſe poſſunt luculentiſſimo, Germanos multo arctioribus legibus circumſcripſiſſe teſtatores, quam Romanos, adeo vt & quae legata ab iis relicta vellent, legibus definiuerint.

§. XXIX.

Quin & agnatis legitima alicubi adimi non poteſt.

Sed id multo magis ex eo intelligitur, quod & agnatis cognatiſque legitima relinquenda eſt iure Germanico. Iure Romano portio legitima non aliis debetur, quam liberis, parentibus & fratribus ſororibuſque, ac ne his quidem omnibus, ſed iis duntaxat, quibus perſona infamis, vel leuis notae macula laborans praelata eſt *(r)*. Ac proinde recte ac prudenter monet VLPIANVS (s): *cognatos proprios, qui ſint vltra fratres, teſtamenta tamquam inofficioſa accuſaturos, melius facere, ſi ſe ſumtibus inanibus non vexent, quum obtinendi ſpem non habeant.* Itaque agnati & cognati hoc iure non melioris conditionis erant, ac extranei, quos teſtamento vel praeterire licebat, vel inſtituere, prout id mereri teſtatori viderentur. Multo maiorem vero eorum curam ſuſceperunt legislatores Germanorum plerique, quibus aequiſſimum viſum eſt, cognatis non minus, quam liberis, parentibus ac fratribus ſororibuſque, legitimam aliquam bonorum portionem relinqui. Quum enim iam ſupra demonſtratum ſit, in multis Germanicae originis ciuitatibus de bonis auitis ac hereditariis, vel omnino non, vel pro parte duntaxat, teſtamenta condi poſſe, conſequens ſane eſt, vt cognati reliqua accipiant non beneficio teſtatoris, ſed ex prouiſione legis, adeoque legitimam portionem apud Germanos quoſdam multo latius patere, quam apud Romanos, & non modo liberis, parentibus, fratribuſque & ſororibus, verum etiam, illis non exſtantibus, cognatis competere: vt dubitari poſſit, an non iis locis, vbi de certa tantum bonorum parte teſtamenta valent, etiam non inſtituta turpi perſona, fratres & ſorores poſſint conqueri, & annon eadem querela, iis deficientibus, etiam proximis cognatis dari debeat? Sed quum plerumque teſtamenta pro illa

 parte,

(r) *l. 27. C. de inoff. teſt.* (s) *l. 1. ff. eod.*

Digitized by Google

parte, quam relinqui prohibent, pro nullis habeant STATVTA, & ICti eorum locorum iam adſueti ſint iurisprudentiae Romanae, neganti, eos, qui vltra fratres ſunt, teſtamentum tamquam inofficioſum accuſare poſſe: non mirum profecto eſt, & iis locis Romanas phraſes in foro perſonare, quum res ipſa a iuris Romani principiis quam maxime abhorreat.

§. XXX.

Si quis aliquo loco ſecundum iſtius leges teſtatus ſit, an & alibi ſubſiſtat teſtamentum?

Sed quum tam varia ſit apud Germanos teſtandi ratio: quaeſtio hic ſuboritur, an teſtamentum ſecundum cuiuſque loci ritus & conſuetudines conditum, aliis etiam locis, vbi eiuſmodi mos teſtandi extra vſum eſt, valeat? Vbi merito, adhibita diſtinctione, reſpondendum videtur. Si enim de ſolemnitatibus quaeritur: nullum eſt dubium, quin ſufficiat, eo ritu conditum eſſe teſtamentum, qui iſto loco, vbi tabulae factae ſunt, legibus moribusue receptus eſt. In omnibus enim negotiis, quae vel inter viuos per modum contractum, vel mortis cauſſa explicantur, ad conſuetudinem eius regionis, in qua geſtum negotium, reſpiciendum eſſe, ipſae leges noſtrae inculcant (t). Sin de bonis quaeſtio eſt; non quidem erit dubium, quin ea diſpoſitio porrigatur ad bona etiam alibi ſita, ceu recte obſeruarunt STRYKIVS (u) & HVBERVS (x). At id quidem ceſſaret procul dubio, ſi teſtatorem diſponere de certis bonis prohibeant leges, & ſtatuta illius regionis & vrbis, vbi bona iſta ſita ſunt. Hinc recte obſeruat HVBERVS (y), ciuem Friſium fruſtra teſtari de agris & fundis, quos in agro Groningano poſſideat, quia Groninganorum legibus teſtamenta de rebus ſoli, ſeu immobilibus, prohibeantur. Et STRYKIVS (z), elegantem adducit ſpeciem, quod quum aliquis Lubecae, ſed in aedibus Senatui non ſubiectis, habitans, & principis cuiuſdam Germanici conſiliarius, teſtamentum condidiſſet de bonis hereditariis, Lubecae & in vrbis iſtius territorio ſitis, irritae fuerint tabulae, quod ad illa bona adtinet, quia de illis teſtamento conſtituere per leges Lubecenſes nemini omnino liceat. Nec magis ratum ſane eſſet teſtamentum, apud nos conditum, quo quis bona auita, Lubecae vel Hamburgi ſita, heredi extraneo relicta vellet, quia illa qualitas, quod extraneo relinqui nequeunt bona haec ibi ſita, ita adficit, vt eam teſtamento alibi facto iſtis adimere nullatenus poſſit.

(t) *l. 6. ff. de euict.*
(u) Stryk. *Cautel. Teſt. Cap. XV.* §. XIII.
(x) Huberus *de Colliſ. Leg.* §. III. & IV.
(y) Huber. *ibid.* §. XV.
(z) Stryk. *ibid.* §. XV.

Digitized by Google

poſſit. Idem denique dixerim, ſi quaeſtio moueatur, an eius teſtamentum, qui apud nos habilis habetur, de illis etiam bonis valeat, quae reperiuntur alibi, vbi per leges inhabilis cenſetur? Adfirmat & hoc HVBERVS (a), praeterquam vnico caſu, ſi id manifeſto in fraudem legum patriarum feciſſe teſtatorem adpareat. Hinc ſi quis e. g. anno aetatis decimo quinto condidiſſet teſtamentum: dubitandum vix putarem, quin illud valiturum ſit & de bonis alibi ſitis, vbi exacto demum anno decimo octauo vel viceſimo teſtamentum facere poſſet. At ſi quis domo Hamburgenſis, quindecim annorum puer, eo conſilio ſe ad nos conferret, vt teſtamentum condat, cuius condendi facultatem Hamburgi decimo octauo demum aetatis anno habiturus eſſet: eae tabulae in patria procul dubio non habiturae eſſent effectum, quia alioquin nihil foret facilius, quam leges patrias a ciuibus eludi, & penitus propemodum euerti.

§. XXXI.

Sed vt e diuerticulo redeamus in viam: quam diuerſa principia fuerint iuris Germanici Romanique circa teſtamentifactionem, vel ex eo colligitur, quod quum his teſtamentum ſine heredis inſtitutione nullius momenti eſſet, illis eiuſmodi tabulae nihil abſurdi prae ſe ferre viderentur. Romanis heredis inſtitutio erat *caput & fundamentum totius teſtamenti* (b), quia ſine ea *nihil in teſtamento ſcriptum valebat* (c), niſi quod legata relicta, inductis heredum nominibus, ex benigniore interpretatione admiſiſſe Antoninum Imp. refert MARCELLVS (cc). Hinc ſecundum ius Romanum capita omnia reliqua ſine periculo abeſſe poſſunt, veluti ſubſtitutiones, legata, donationes, fideicommiſſa, tutorum datio; at ſi abeſt heredis inſtitutio, non id teſtamentum eſt, ſed codicillus, ad heredes legitimos ſcriptus, licet vel maxime omnia facta ſint rite ac ſollemniter. Ex quo patet, quid ſibi velit VLPIANVS, (d) dum alicubi teſtamentum quinque, tribus, duobus, immo denique vno verbo abſolui poſſe ſubtiliter ſcribit. En eius verba, quae ideo integra adferre iuuabit, vt ſimul elegantem doctiſſimi, qui ſaeculum noſtrum illuſtrat, iureconſulti, CORNELII VAN BYNKERSHOEK (e), emendationem, qua perplexo huic loco medicinam fecit, commendemus, maxime quum nouum illud ac incom- *Heredis inſtitutio multis locis haud neceſſaria.*

Gggggg 3 parabile

(a) Huber. *ibid.* §. XII. & XIII.
(b) §. 34. *Inſt. de legat.*
(c) *l.* 1. §. *vlt. ff. de vulg. & pup. ſubſt.*
(cc) *l.* 3. *ff. de his, quae in teſt. del.*
(d) *l.* 1. §. 3. 4. *ff. de hered. inſt.*
(e) Bynkerſh. *Obſ. Lib. V. Cap. I.*

Digitized by Google

parabile obſeruationum volumen, quod nuper admodum prodiit, nondum in omnium manibus verſetur: *Qui neque legaturus quid eſt, neque quemquam exheredaturus, quinque verbis poteſt facere teſtamentum, vt dicat:* LVCIVS TITIVS MIHI HERES ESTO. Ita SABINVS, cuius ad verba iam haec addit VLPIANVS: *Haec autem ſcriptura pertinet ad eum, qui non per ſcripturam teſtatur, qui poterit etiam tribus verbis teſtari, vt dicat:* LVCIVS HERES ESTO: *nam &* MIHI *&* TITIVS *abundat.* Siccine vero haec SABINI verba tantum ad teſtamenta nuncupatiua pertinent? Quae vero ratio eſt, cur de teſtamentis ſcriptis aliud ſtatuendum videatur? Praeclare ergo laudatiſſimus CORN. VAN. BYNKERSHOEK ex regula geminationis legit: *Haec autem ſcriptura pertinET ad eum*, id eſt, *pertinet & ad eum.* Pergit VLPIANVS: *Si autem ſic ſcribat:* LVCIVS HERES, *licet non adiecerit:* ESTO, *credimus, plus nuncupatum, minus ſcriptum:* & ſi ita: LVCIVS ESTO, tantumdem *dicimus.* Itaque & duo vocabula conſtituere teſtamentum, animaduertit. Denique tentat, an non vnum ſufficiat vocabulum, de eoque ita ſuam depromit ſententiam: *Ergo & ſi ita*, LVCIVS, *ſolummodo? Marcellus non inſubtiliter non putat hodie hoc procedere. Diuus autem Pius, quum quidam portiones inter heredes diſtribuiſſet ita:* ILLE EX PARTE TOTA, ILLE EX TOTA, *nec adiecisſet*, HERES ESTO: *reſcripſit, valere inſtitutionem, quod &* IVLIANVS *ſcripſit.* Itaque contra Marcellum defendit VLPIANVS, & vno verbo conſtare poſſe integrum teſtamentum, idque ex ea ratione, quod ex Antonini Pii Imp. & Saluii Iuliani ſententia intelligantur verba HERES ESTO, ſi vel maxime ea ſubticuiſſet teſtator. Vbi neminem turbare debet φράσις EX PARTE TOTA, quaſi ſibi inuicem repugnent TOTVM & PARS, adeoque ſine manifeſta contradictione coniungi nequeant. Nam & hic oſtendit vir, quem paullo ante laudauimus, eruditiſſimus (f), *totum* hic non eſſe *ſolidum, integrum, indiuiſum*: ſed, priore ſyllaba correpta, correlatum τῷ *quotum*, adeoque partem quotam ſignificare, vti apud MANILIVM (g)

> *Detrahitur ſummae* TOTA PARS, *quota demit vtrimque*
> *Omnibus ex horis.*

Adeo ergo neceſſaria Romanis viſa eſt heredis inſtitutio, vt ab illa ſubſtantiam capere teſtamentum videretur, ac proinde vnum verbum totum abſolueret, modo illud teſtator, ſeptem adhibitis

(f) Bynkersh. *ibid. p.* 4.

(g) Manil. *Lib. III. v.* 447.

Digitized by Google

tis teſtibus, obſeruatiſque reliquis ſollemnitatibus, vel ore enunciaſſet, vel in ſcripturam retuliſſet. At ab hac quoque Romanorum philoſophia alieniſſimas ſe oſtenderunt quaedam Germaniae ciuitates, in quibus & ſine heredum inſtitutione valet teſtamentum, quia, vt iam ſupra obſeruauimus, medio etiam aeuo, quum primum teſtamenta in Germania innoteſcerent, ea magis donationes & legata, quam heredis inſtitutionem complecti viderentur. Hinc VINNIVS (h): *Multorum locorum legibus*, inquit, *aut moribus nunc ita comparatum eſt, vt heredis inſtitutio ad ſubſtantiam teſtamenti non videatur neceſſaria, quo ſenſu hodie teſtamenta adpellamus: nam & id teſtamentum dicitur, in quo, relictis tantum legatis, nulla heredis inſtitutio facta eſt.* Quum vero VINNIVS ea de re teſtimonium denunciet ſcriptori peregrino, IOANNI DE CASTILLO SOTOMAYOR (i), atque inde quis facile ſuſpicari poſſet, non Germanicum hoc eſſe, ſed peregrinum, & non niſi in Hiſpania vſu receptum: adferemus nos legem vere Germanicam, quae, teſtamentum & ſine heredis inſtitutione ratum eſſe, diſerte ſtatuit. Eſt illa ex IVRE HAMBVRGENSIVM (k), atque ita ſe habet: *Ob wohl auch in gemeinen Rechten die Erbſetzung in einem ieden Teſtament für das Haupt-Stück gehalten vvird: ſo ſollen doch nach dieſem vnſerm Stadt-Recht, zu Hamburg, des Teſtatoris vvillen, darinn kein Erbe benennet vvird, für kräfftig gehalten, vnd vollſtrecket vverden.* Ita & ſupra vidimus, quamuis IVS LVBECENSE (l) ſanciat, vt teſtamentum quoduis heredis inſtitutionem contineat, quin & formulam inſtituendi praeſcribat, doctores tamen, & inter eos MEVIVM (m), heredis inſtitutionem in hoc articulo improprie accipere pro donatione certae rei, & nihilominus totum textum, tantum vt iuri Romano congruat, ita interpretari, ex Lubecenſium ſtatutis teſtamentum requirere heredis inſtitutionem, & tamen non opus eſſe, vt inſtituatur cognatus proximus, modo huic quidquam donetur, veluti octo ſolidi & quatuor denarii, ne plane praeteritus videatur. Mihi vero verba ipſa conſideranti non videtur dubitandum, quin illud, quod de heredis inſtitutione neceſſaria praecipitur, de nouo ex iure Romano acceſſerit, ius tamen vetus in eo ſeruatum ſit, quod nemo, niſi ex cognatis, poſſit inſtitui. Quem ſenſum turbaſſe interpretes recentiores,

(h) Vinn. ad §. 12. *Inſt. de hered. inſt.*

(i) Io. de Caſtillo *de Vſufr. cap. LX.*

(k) *Ius Hamb. Part. III. tit. I. art. XXII.*

(l) *Ius Lubec. Lib. II. tit. I. art. XII.*

(m) Meu. *ad Ius Lubec. Lib. II. Tit. I. art. XII. n. 6.*

tiores, non ſane mirum eſt, quum id ſibi negotii crediderint ſolum dari, vt ius patrium contortiſſimis interpretationibus peruerterent, & ad iuris Romani ſenſum, quoad fieri poſſet, inflecterent. Ceterum & alibi in Belgio non neceſſariam videri heredis inſtitutionem, teſtamentumque vocari, in quo legata tantum reperiantur, iam obſeruarunt GVDELINVS (n) & FRANC. ZYPAEVS (o), quorum ſcrinia iam expilare nolumus.

§. XXXII.

Alibi ne permiſſa quidem.

Quin tantum abeſt, vt heredis inſtitutio Germanicae originis gentibus caput & fundamentum teſtamenti viſa ſit, vt quibuſdam locis ne quidem permittatur per leges, heredem inſtituere. Romanis *& vnum hominem, & plures, vſque in infinitum, quot quis vellet, heredes facere licebat* (p): Germanis quibuſdam ne vnum quidem, quia non patiebantur alios defunctis ſuccedere, quam ſuos cuique liberos, proximoſque cognatos. Quamuis itaque paullatim & teſtamentifactionem receperint, ac ciuitate veluti donarint; noluerunt tamen quidam ideo nuncium mittere legibus patriis, ac proinde teſtatores tantum legata, fideicommiſſa, donationes teſtamentis ſuis relinquere paſſi ſunt, nemini conceſſa facultate heredem, ſucceſſorem vniuerſalem futurum, inſtituendi. Adduxit quaedam eius moris exempla VINNIVS (q) qui & GVDELINVM (r) & CHRISTINAEVM (s) teſtes laudat, eorumque nixus auctoritate ſcribit: *Quin etiam ſecundum quarumdam ciuitatum leges ne locum quidem in teſtamentis habet heredis inſtitutio. Sic enim dictant leges Pariſienſium, Aurelianenſium, Gandauenſium, Cortracenſium. Quod tamen ita paſſim accipitur, vt, ſi heres inſtitutus ſit, pro legatario tantum his habeatur.* Quamuis vero priora exempla non tam ad Germanorum, quam Francorum, mores & leges pertinere videantur: iam pridem tamen obſeruarunt viri docti, in Francia quoque quam luculentiſſimas ſupereſſe iuris veteris Germanici reliquias, quas, a veteribus Francis Galliae illatas, non ſine cura ſeruarunt poſteri, quin aliquando religioſius, quam ipſi Germani, cuſtodiuerunt.

§. XXXIII.

(n) Gudelin. *Iur. Nou. Lib. II. Cap. V.*

(o) Zypaeus *Notit. Belg.* p. 182.

(p) §. 4. *Inſt. de hered. inſt.*

(q) Vinn. ad §. *vlt. Inſt. de hered. inſt. n.* 1.

(r) Gudelin. *Iur. nouiſſ. Lib. II. Cap. V.*

(s) Chriſtin. *Vol. I. Deciſ.* CCXLVII. *n.* 8. *&* *Deciſ.* CCCV. *n.* 17.

§. XXXIII.

Cur tam multae Germaniae prouinciae peregrinos, quam maiorum, mores ſequi maluerint?

Nimirum iamdudum Germanos pleroſque inceſſit neſcio quae nouandi libido, vt, priſcis moribus magis magiſque paullatim damnatis, nullam fere iuris prudentiae Romanae partem cupidius reciperent, quam, quae de teſtamentis praecipit. Eo factum eſt, vt pauca illa, quae ex variarum prouinciarum ciuitatumque ſtatutis collegimus, tamquam fractae quaedam nanteſque in gurgite vaſto tabulae, ſuperſint, iura autem communia reliquam Germaniam fere omnem veluti inundarint. Cauſſae eius rei variae ac multiplices. Eſt enim primo ita natura comparatum, vt homines nihil omnino libertati putent eſſe anteferendum. Quid itaque Germanis iucundius eſſe potuiſſet, quam liberrimum illud de rebus ſuis ſtatuendi arbitrium? quid gratius, quam facultas indulgendi adfectibus, alioſque vel honorandi, vel excludendi pro lubitu? Id quod ſane hoc ipſo perſpicue oſtendunt Germani, quod ſuprema illa iudicia vocant *ihren letzten und* LIEBSTEN *Willen*. Deinde et nemo eſt, quin de futuris temporibus magis fere, quam de praeſentibus, ſollicitus ſit. Ob hanc quoque cauſſam non poteſt non iucunda videri poteſtas illa diſponendi in tempus futurum, poſteriſque etiam leges, prout viſum fuerit, praeſcribendi. Hinc diuites animaduertimus in eo non adquieſcere, quod heredem ſibi ſcripſerint, ſed et, quid heredibus heredum, horumque poſteris, faciendum ſit, ſollicite praecipere, quaſi Deo haec curae non eſſent, vel ipſi ſaltim prudentius haec omnia diſpenſare poſſint, quam prouidum illud Numen. Nullum ergo fere reperias teſtamentum, in quo non teſtator familiae, quam poſt ſe futuram ſperat, per multa ſaecula leges ferat, incredibili, vt putat, prudentia ſcriptas, quum poſtea doceat euentus, fruſtraneam hanc fuiſſe teſtatoris ſollicitudinem, nihilque homines poſſe contra ſapientiſſima illa Dei decreta, quibus rerum humanarum ordo voluitur. Denique vel praecipua cauſſa, cur tam facile teſtamentifactionem Romanam in ciuitates ſuas admiſerint Germani, in eo poſita videtur, quod iuri ciuili iam antea viam veluti muniuiſſet ius pontificium. Perſuaſum erat hominibus, eum, qui ſeiunctae a corpore animae conſultum velit, non poſſe quidquam facere rectius, quam ſi moriens locupletaret eccleſias, coenobia, ptochotrophea, ſimiliaque collegia, quae piae cauſſae adnumerarentur. Id vero non modo ad immortalem mortuorum gloriam, ſed et ad expiationem delictorum, per omnem vitam admiſſorum, pertinere credebatur. Hinc primum de ſalute ſua ſolliciti, teſtamenta condere coeperunt pro remedio animae, ſed ſimplicia admodum, adhibitis parocho et aliquot teſtibus, viris bonis, qui de enixa illa voluntate ſua, ſi quid humani contingat, teſtimonium perhiberent. Ab his vero initiis facilis profecto fuit progreſſus ad vlteriora. Quum enim deinde Germanica pubes, neſcio quo adflata ſidere, certatim Bononiam addiſcendi iuris ciuilis gratia confluerer, ea ICtorum colonia, reuerſa domum, nihil prius, nihilque antiquius habuit, quam vt doctrinas de teſtamentis, quibus ſub alio caelo imbuta fuerat, in rem ciuium ſuorum verteret, eoſque ſollemnius ad legum Romanarum normam teſtari doceret. Ita demum factum eſt, vt vbique iuſta teſtamenta more Romanorum ſcriberentur, et miraretur Germania, ſe tam breui tempore factam eſſe Romanam.

§. XXXIIII.

Effectus receptae teſtamentifactionis liberrimae.

Ea vero rerum conuerſio quam multa ſimul incommoda inuexerit in Germaniam, facile intelligitur, idque agnouere iureconſulti cordatiores tantum non omnes, quibus nimius iuris peregrini amor non omnem intelligentiae aciem praeſtrinxit. Iam enim iudices in foris omnibus quam maxime fatigarunt lites de teſtamentorum ſollemnitatibus, de ſubſtitutionibus, legatis, fideicommiſſis, vnde tam opima aduocatis meſſis ſuccreuit, vt Baldum gloriatum eſſe ſciamus, ſe ſolis controuerſiis de ſubſtitutionibus XV. millia aureorum lucratum (t). Nec ignotum eſt ALBERICI ROSCIATIS elogium, quo illud iuris caput de ſubſtitutionibus commendauit auditoribus (u): *haec materia inter omnes eſt, ſicut mare Anglicanum, ſcilicet profunda, vtilis, ſubtilis, & per conſequens periculoſa, quotidiana, & vtilis quoad burſas aduocatorum, ſicut expertus ſum in magnis hereditatibus. Vnde poteſt dici mare magnum & ſpacioſum, in quo ſunt reptilia quaſi ſine numero.* Sane, quod de ſubſtitutionum materia profeſſi ſunt doctores, id de omnibus cauſſis teſtamentariis verum experimur, quod nullae temere vberiorem litibus materiam, nullae aduocatis, quibus in turbido conſilium eſt, occaſionem promtiorem praebeant lucrum faciendi, quam illae, quae ex vltimis hominum elogiis oriuntur. *Quo cautius quis*, inquit STRYKIVS (x), *poſteritati ſuae teſtando conſulere intendit, eo maiorem litibus ſuppeditat occaſionem, ex quo non raro contingit, vt maxima patrimonii pars ob iurgia inſtitutorum ſubſtitutorumque, vt et legitimorum heredum, ſuper voluntate defuncti oriunda, aduocatorum praeda fiat.* Hinc multi auctores fuere principibus, vt teſtamentifactionem plane proſcriberent e re publica: alii ad reſecandas tot litium tricas conſultiſſimum fore cenſuerunt, ſi nimiae illae ſollemnitatum ambages omnino tollerentur, et pagano cuiuis tribueretur priuilegium, quod militibus datum nouimus (y). Sed vana fuere haec ſimiliaque conſilia, quia iam adeo inueteratus eſt morbus, vt paene impar ei omnis medicina videatur.

§. XXXV.

Concluſio diſſertationis.

Sed iam tot pagellas nobis procedere animaduertimus, quot diſſertationi academicae deſtinari ſolent. Quare non diutius immorabimur quaeſtioni licet pulcherrimae, maxime quum excluſis temporis anguſtiis, pleraque nobis attingere potius, quam pro dignitate pertractare licuerit. Deo vero ſoſpitatori, quod vnum ſupereſt, gratias agimus immortales, votaque pro praeſtito auxilio flagrantiſſima pietate nuncupamus.

(t) Dauth. *de teſtam. ad l. 1. D. de vulg. et pupill. ſubſtit. pag.* 503.
(u) Dauth. *ibid.* (x) Stryk. *Cautel. teſtam. cap.* 1. §. 1.
(y) Stryk. *ibid.*

FINIS Sylloges I.

Digitized by Google

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

POTENT. PRVSSORVM REGIS quondam a Conſil. ſanctior. Iur. ac Philoſoph. in ill. Frideric. Profeſſoris publ. ord.

OPVSCVLORVM VARIORVM SYLLOGE II.

ACCEDVNT

INDICES LOCVPLETISSIMI.

GENEVAE,

Impenſis HERED. CRAMERI ET FRATR. PHILIBERT.

CIↃIↃCCXXXXVI.

Digitized by Google

HONORATISSIMO LECTORI

S. P. D.

BIBLIOPOLAE.

QVOD illuſtri HEINECCIO in votis erat, illeque ſine dubio, ſi Deus O. M. longioris vitae ipſi conceſſiſſet vſuram, praeſtitiſſet iam nunc, id aliquatenus facere, atque adeo mereri de publica vtilitate conſtituimus, in vnum faſciculum colligentes Diſſertationes reliquas, quae poſt primam illam Halae ſeparatim prodierant. Et exteris inprimis gratum hoc erit, quos ſaepiſſime conquerentes audiuimus, id Diſſertationum in academiis Germaniae habitarum fatum eſſe, vt vix ad extraneos perueniant. Quamuis vero hic faſciculus priori mole cedat, non tamen cedet materiarum vtilitate ac ſelectu, ſiquidem tales in iis pertractantur, quae quotidianum in foro vſum habent. Quod ne gratis dictum tibi, honoratiſſime lector, videatur, dabimus materiarum, quae in Diſſertationibus his ſumma cum cura pertractantur, indicem, *de pecunia in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus, alioque remedio vtentibus, de-*

ponenda: de reductione monetae ad iuſtum pretium, ad l. 1. C. de veter. numiſmat. poteſt.: de iure principis circa commerciorum libertatem tuendam: de iure principis circa ciuium ſtudia: de cauſſa ſeruitutum perpetua: de locatione conductione iurisdictionis: de venditione illicita fructuum in herbis: de dominis, ſubditos ſuos in iudicio proprio conuenientibus. Adiici curauimus indices ad vtramque ſyllogem pertinentes locupletiſſimos, alterum titulorum, alterum rerum & verborum vtriuſque ſylloges, vt vno loco commode iam inueniri poſſint, quae alias duobus locis fuiſſent quaerenda. Haec monenda habuimus: iam, lector honoratiſſime, vtere hac ſylloge, nobiſque faue. Scrib. GENEV. *a. d.* 1. *Dec.* 1745.

IO. GOT. HEINECCII, IC.

OPVSCVLORVM VARIORVM

SYLLOGE II.

Nunc primum in unum faſciculum collecta.

DE PECVNIA, IN CASVM, SI CAVSSA CECIDERINT, AB ADPELLANTIBVS ALIISQVE, SENTENTIAS IMPUGNANTIBVS, DEPONENDA.

EXERCITATIO XXVIIII.

---

§. I. *Lites non oportet eſſe ſempiternas, & cauſſae tamen accurate decidendae.* §. II. *Hinc varia a Romanis inuenta ſunt remedia ſuſpenſiua & deuolutiua : veluti* INTERCESSIO. §. III. ADPELLATIO. §. IV. SVPPLICATIO & RESTITVTIO IN INTEGRVM. §. V. *Attamen temere adpellandi pruritus coercebatur; praefinito adpellationibus certo tempore.*

§. VI. *Adpellatione non niſi bis conceſſa.* §. VII. *Ea quibuſdam caſibus plane prohibita.* §. VIII. *Inſtituti ratio & conſilium agendi de pecunia, ſuccumbentiae, quam vocant.* §. IX. *Origo huius pecuniae, an ab Athenienſibus ?* §. X. *An a Romanis, & quidem ex L. 5. C. quorum adpell. non recip.* §. XI. *An ex L. 6. §. 4. C. de adpell. & L. 10. C. Theod. de adpell. non recip.* §. XII. *An ex Paulli receptis ſententiis ?* §. XIII. *Depoſitio illa vere eſt ex iure Germanico.* §. XIV. *Quod probatur ex legibus antiquis.* §. XV. *Itemque ex iure Saxonico.* §. XVI. *Et ex ſtatutis vetuſtioribus.* §. XVII. *Huius pecuniae ſuccumbentiae vſus, natura & indoles.* §. XVIII. *Eam, deficiente lege, exigere non poſſunt iudices.* §. XIX. *Niſi priuilegium eam exigendi acceperint.* §. XX. *Ea exigitur tum ab adpellantibus, tum ab alio vtentibus remedio.* §. XXI. *Non tamen promiſcue ab omnibus.* §. XXII. *Leges de hac depoſitione & extendi, & reſtringi poſſunt.* §. XXIII. *An, pluribus ſententiam impugnantibus, a ſingulis deponenda ſit pecunia ?* §. XXIV. *Quanta deponenda ſit ?* §. XXV. *An idonea cautio pro depoſitione ſit ?* §. XXVI. *Quando deponenda haec pecunia ?* §. XXVII. *Tempus hoc poteſt prorogari, maxime abſente prouocante.* §. XXVIII. *Victor hanc pecuniam repetit.* §. XXIX. *Eamdem amittit victus. An & is qui adpellationi renunciauit, quiue fatalia neglexit ?* §. XXX. *An, qui pendente adpellatione cum aduerſario tranſegit ?* §. XXXI. *Cui cedat illa pecunia pro commiſſa habita ?* §. XXXII. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Lites non oportet eſſe ſempiternas, at cauſſae tamen accurate cognoſcendae.

INTEREST reipublicae, diligenter & accurate cognoſci litigantium cauſſas, nec quidquam, quod ad indagandam excutiendamque veritatem pertinere videatur, a bono iudice praetermitti, ne vel indicta, aut non ſatis diſcuſſa cauſſa, condemnetur reus, vel actor iure ſuo praecipiti ſententia priuetur. At non minus reipublicae intereſt, lites non eſſe ſempiternas, ſed quam primum, ſi fieri poſſit, iuſta atque aequa ſententia finiri. Nam vti recte iudicat philoſophorum πολιτικώτατος, ARISTOTELES, (a) οὐδὲν ὄφελος γίνεσθαι μὲν δίκας περὶ τῶν δικαίων, ταύτας δὲ μὴ λαμβάνειν τέλος. *fruſtra iudicantur cauſſae, niſi hae demum ad finem perducantur.* Praeterea moleſta illa litium diuturnitate non modo

(a) *Ariſtot. Politic. Lib. VI. Cap. VIII.*

do hominum fortunae euertuntur, amicitiae diſtrahuntur; odiaque internecina inter cognatos & ciues gliſcunt, ſed & id euenit, vt homines tribunalia, tamquam ſcopulos, fugiant, ſibique manu ius dicere malint, ne pro vna leuiore iniuria vindicanda duplo maiorem deuorare cogantur. *Properandum* itaque recte *viſum eſt* IVSTINIANO (b), *ne lites fiant paene immortales, & vitae hominum modum excedant*: ſed nobis ita merito videtur properandum, ne accuratae cauſſarum diſcuſſioni quidquam decedat. Qua in re quaecumque ciuitates iuſtum tenuerunt modum, quaeque ita conſtituta habuerunt iudicia, vt nec accuratior cauſſae cognitio celeritati iudicis, nec haec illi obeſſet: eas demum ter quaterque beatas dicendas, exiſtimamus, quum ſolae id, cuius cauſſa homines in reſpublicas coaluerunt, ex voto conſequutae eſſe videantur.

§. II.

Hinc varia a Romanis inuenta remedia ſuſpenſiua ac deuolutiua, veluti interceſſio.

Quandoquidem vero ad diligentem atque accuratam cauſſarum cognitionem & id pertinet, vt ne ab vnius iudicis arbitrio vita, fortunæ, atque exiſtimatio hominum pendeant, ſed iis, qui ſe vel aduerſarii calumniis ac potentia, vel iudicis iniquitate, oppreſſos conqueruntur, in alterius æquitate perfugium ſit: non mirum profecto eſt, gentes fere omnes varia inueniſſe remedia, quibus cauſſa vel ad ſuperiorem, vel ad alium ſaltim deuolueretur iudicem, ſententiaque iniqua, cauſſa cognita, reſcinderetur. Talis apud Romanos erat INTERCESSIO, quae, quomodo ab adpellatione diſcernenda ſit, erudite, vti ſolent, oſtenderunt ὁ πάνυ CVIACIVS (c) & CAROLVS BRETVS (d). Solebant enim adpellantes prouocare ad iudicem maiorem (e), eo conſilio, vt retractaretur ſententia iniquior. At INTERCEDERE litigantis rogatu poterant & ii, quibus aequale vel minus erat imperium, in primis collegae, idque non faciebant eo conſilio, vt ſententiam reſcinderent, ſed vt eam executioni mandari, vimque fieri eo nomine, prohiberent. Ius enim intercedendi apud Romanos non ſolum Tribunis plebis, ſed & aliis magiſtratibus erat, vt ſaepe collega collegae decretis intercederet, idque, quod extremum in iurisdictione eſt, impediret, ac proinde idem contingeret, quod cecinit OVIDIVS (f):

 Saepe,

(b) *l.* 13. *pr. C. de iudic.*

(c) Cuiac. *obſeru. Lib. XXI. Cap. XXXIII.*

(d) Car. Bret. *de ord. perant. iudic. ciuil. Cap. XLII.*

(e) *l.* 1. §. 3. *ff. de adpellat. l.* 28. *ff. eod.*

(f) Ouid. *Triſt. Lib. I. eleg. II. v.* 4.

Saepe, premente Deo, fert Deus alter opem.

Exemplum habemus apud CICERONEM (g) qui Piſonem Praet. peregrinum C. Verris, Prætoris vrbani decretis interceſſiſſe, refert his verbis: *Itaque L. Piſo multos codices impleuit earum rerum, in quibus ita interceſſit, quod iſte aliter, atque vt edixerat, decreuiſſet: quod vos oblitos eſſe non arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Piſonis ſellam, iſto praetore, ſolitus ſit conuenire. Quem iſte collegam niſi habuiſſet, lapidibus coopertus eſſet in foro. Sed eo leuiores iſtius iniuriae videbantur, quod erat in aequitate prudentiaque Piſonis paratiſſimum perſugium, quo ſine labore, ſine moleſtia, ſine impenſa, etiam ſine patrono, homines vterentur.* Ad quae CICERONIS verba notauit ASCONIVS: *Intercedere, vt vides, etiam praetor praetori ſolet, vt Piſo Verri, adpellatione cauſſae ad collegam facta.* Et FRANC. HOTOMANNVS, antiquitatis non minus, quam iurisprudentiae, callentiſſimus: Et *Praetor praetori, & conſul conſuli, & par denique omnis poteſtas pari, item & ſuperior inferiori intercedebat. Cicero de legibus III. Par maiorque poteſtas plus valeto.* Quin & alio, eoque eximio C. Trebonii exemplo res illuſtrari poteſt, de quo CAESAR (h); *Iiſdem temporibus Romae M. Coelius Rufus, praetor, cauſſa debitorum ſuſcepta, initio magiſtratus, tribunal ſuum iuxta C. Trebonii praetoris vrbani ſellam collocauit, &, ſi quis adpellaſſet de aeſtimatione & de ſolutionibus, quae per arbitrum fierent, vt Caeſar conſtituerat, fore auxilio, pollicebatur.* Et hoc quidem primum idemque praeſentiſſimum remedium erat, quo Romani, ſi iniqua ſententia oppreſſi eſſent, vtebantur.

§. III.

Adpellatio. Nec minus frequens apud Romanos erat ADPELLATIO. Libera enim republica litigantes modo ad tribunos plebis prouocabant, quorum vox veluti vox populi videbatur (i): modo ad conſules, qui tunc inferioribus magiſtratibus iuriſdictionem abrogabant: modo ad ipſum populum, ſummum rerum arbitrum: neque quemquam magiſtratum Romani ſine prouocatione eſſe patiebantur (k). Et ſane adpellatorum Tribunorum plebis exempla exſtant apud CICERONEM (l) & VALERIVM MAXIMVM (m): conſulum apud eundem VALERIVM (n). De prouocatione vero ad populum, cui potiſſi-

(g) Cic. *in Verr.* I. *cap.* XLVI.
(h) Caeſ. *de bello ciuil. Lib. III. cap. XX.*
(i) Lipſ. *de magiſtrat. Rom. Cap. V.*
(k) Sigon. *de iure ciu. Rom. Lib. I. Cap. VI.*
(l) Cic. *pro Quinctio Cap. VII.*
(m) Val. Max. *Lib. VI. Cap. V. Exemplo IV.*
(n) *Lib.* VII. *Cap.* VII. *ex. VI.*

Digitized by Google

potiſſimum in cauſſis, ad caput ciuis Romani pertinentibus, erat locus, pluribus agunt viri docti ad LIVIVM (o) & SENECAM (p). Poſteaquam deinde in principatum declinare coepit reſpublica, varia, ac plane alia eſſe coepit adpellationum ratio. Quum enim Caeſarem Auguſtum, de reddenda retinendaue republica ſollicitum, prudenter monuiſſet Mecaenas, neminem ita ſummum merumque imperium obtinere in ciuitate debere, vt non prouocari ab eo poſſet (q): morem ei geſſit Auguſtus, *& adpellationes*, teſte SVETONIO (r), *quotannis vrbanorum quidem litigatorum praetori vrbano*, (vel, vt CASAVBONVS mauult, *praefecto vrbi*,) *prouincialium conſularibus viris, quos ſingulis cuiuſque provinciae negotiis praepoſuiſſet, delegauit.* Deinde Nero, Senatui gratificaturus, conſtituerat, vt adpellationes a iudicibus ad ſenatum fierent. (s) Denique paullatim inualuit, vt ab ordine decurionum ad praeſidem (t); a praeſidibus aliis ad praefectum praetorio (u); ab aliis ad praefectum vrbi (x); denique a praetoribus, conſulibus (y), praefecto vrbi (z), praefecto annonae (a), proconſulibus (b), ipſoque ſenatu, antequam aliud conſtitueret Hadrianus, (c) ad principem prouocaretur: quamuis & tunc ad Caeſarem extra ordinem prouocari potuiſſe in cauſſis, ad caput ciuium Romanorum pertinentibus, exemplo PAVLLI, Apoſtoli (d), luculenter poſſit demonſtrari.

§. IV.

Supplicatio & reſtitutio in integrum.

Placuit poſtea principibus, tribunalia quaedam ea praerogatiua donare, vt ab iis nulla eſſet prouocatio: quali priuilegio praeter Senatum, cui Hadrianus illud conceſſerat (e), gaudebant praefecti praetorio. Quum enim tanta eorum eſſet auctoritas, vt ea dignitas a ZOSIMO (f) *ἡ ἀρχὴ δευτέρα μετὰ σκῆπτρα*, *magiſtratus a principatu ſecundus*; ab HERODIANO (g) vero *πρᾶξις οὐ πολὺ τι ἐξουσίας καὶ δυνάμεως βασιλικῆς ἀποδέουσα*, *poteſtas, non multum diſtans*

 a prin-

(o) Liu. *Lib.* I. *Cap.* XXVI. *Lib.* VIII. *Cap.* XXXIII.
(p) Seneca *Epiſt.* CVIII.
(q) *Dio Caſſ. Lib. LII. p.* 487.
(r) Suet. *Aug. Cap. XXXIII.*
(s) Sueton. *Neron. Cap. XVII.*
(t) *L. I. ff. quando adpell.*
(u) *l.* 29. *C. de adpell.*
(x) *l.* 23. *C. eod.*
(y) Iul. Capitolin. *in Marco Cap. X.*
(z) *l.* 38. *ff. de min.*
(a) *l. vlt. ff. quod cum eo, qui in al. pot.*
(b) *l. vlt. ff. de condit. & demon.*
(c) *l.* 1. *ff. a quibus adpell.*
(d) *Actor. Apoſt. XXV.* 11. 12.
(e) *l.* 1. *ff. a quibus adpell.*
(f) Zoſim. *Lib. II. Hiſt. Cap. XXXII.*
(g) Herodian. *Lib. V. Cap. I.*

Digitized by Google

a principatu vocaretur: noluerunt ab iis prouocari poſſe Imperatores, credentes, *eos, qui ob ſingularem induſtriam, explorata eorum fide & granitate, ad huius officii magnitudinem adhibentur, non aliter iudicaturos eſſe pro ſapientia ac luce dignitatis ſuae, quam ipſi forent iudicaturi* (h). Ne tamen & ii, qui ab horum tribunalibus triſtiores diſceſſerant, omni auxilio deſtituerentur: his in promtu erat beneficium SVPPLICATIONIS, vel ipſi praefecto praetorio intra decendium, vel Imperatori intra biennium, offerendae (i). Praeterea & ei, qui intra minorennitatem ſententia praefecti praetorio laeſus ſibi videbatur, fas erat, ab ipſo praefecto petere RESTITVTIONEM IN INTEGRVM, quia nullus aliorum magiſtratuum aduerſus præfecti ſententiam quemquam reſtituere poſſet (k). Tot remedia Romani indulgebant litigantibus, ne ſe quisquam iniqua vllius iudicis ſententia oppreſſum eſſe, iure conquereretur.

§. V.

Attamen temere adpellandi pruritus coercebatur praefinito adpellationibus certo tempore.

Enimuero vti rariſſime homines ſatis cauti eſſe ſolent aduerſus bona ſua, ſed beneficiis huiusmodi plerique in aliorum detrimentum nefarie abutuntur: ita nullum eſt dubium, quin & interceſſionibus, adpellationibus, ſupplicationibus, reſtitutionibusque in integrum & olim ſaepenumero non ad ius ſuum perſequendum, ſed ad aduerſarios diuturnis litibus macerandos turpiter vſi ſint, & hodie quoque vtantur, ceu libello ſingulari, eoque prudentiſſime ſcripto, oſtendit vir eximius, LVDOLPHVS HVGO (l). Quam ob rem Romani nihil fecerunt reliqui, vt illum adpellandi pruritum, quoad eius fieri poſſet, compeſcerent. Eo enim merito retuleris, quod non modo arctiſſimo temporis ſpacio circumſcriberent illam prouocandi licentiam, ſed & fatalia ac peremtoria eſſe vellent interponendae, introducendae, proſequendaeque adpellationis tempora, adeo ut prouocaſſe fruſtra videretur qui non ſeruiiſſet temporibus, quibus, ceu fato ſuo, adpellandi facultas perimitur atque exſpirat. Olim ſane ſuo nomine litigans a ſententia intra biduum; alieno, veluti procurator, defenſor, tutor, intra triduum adpellationem interponere debebat, niſi excludi vellet eo beneficio (m). At IVSTINIANVS (n), laxaturus adpellandi

(h) *l. vn. §. 1. ff. de off. praef. praet.*

(i) *l. vn. C. de off. praef. praet. Nouell. CXIX. Cap. V.*

(k) *l. vn. §. vlt. ff. de off. praef. praet.*

(l) Lud. Hugo *de adpellat. abuſu tollendo. Guelpherb. 1661. 4.*

(m) *l. 1. §. 6. 11. 13. ff. quando adpell. l. pen. ff. eod. l. 6. C. de adpell.*

(n) *Nou. XIII. Cap. I. Auth. hodie C. de adpellat.*

Digitized by Google

pellandi ſpacium, omnibus promiſcue decem dies indulſit, ſiue a tempore latae ſententiae, ſiue a die notitiae, ſi quis forte non fuiſſet ad audiendam ſententiam rite vocatus, dinumerandos. Quas inducias et hodie per vniuerſum imperium litigantibus concedi, ipſa docet experientia (o). Sic et tempora petendorum apoſtolorum ſeu litterarum dimiſſoriarum, ſatis anguſta, et fatalia tamen erant, puta quinque dierum (p), quamuis id temporis ſpatium poſtea ad triginta dies prorogarint VALENTINIANVS & VALENS A. A. (q). Denique & interponendae & exercendae adpellationi certum tempus erat praefinitum, & illi quidem, ſi prouocans in eadem prouincia degeret, trium; ſin quis extra prouinciam, vel ad principis auditorium prouocaſſet, ſex menſium, vel vnius anni (r): huic anni vnius, & poſtea biennii (s). Quae adpellationum tempora tam accurate erant ab omnibus obſeruanda, vt, qui in eo fuiſſent negligentiores, ii praeſcriptione ſubmouerentur, niſi iuſtum iis obiectum eſſet impedimentum, ſiquidem tunc nouae indulgebantur induciae, quas REPARATIONEM ADPELLATIONVM vocabant veteres, (t) de qua plura viri docti, inprimis IAC. CVIACIVS (u), CAR. BRETVS (x), & IAC. GOTHOFREDVS (y). Quae omnia eo pertinebant, vt fraena, quoad fieri poſſet, iniicerentur litigantibus, neque cuiuis integrum eſſet, ſub legum praeſidio calumniari, liteſque reddere immortales.

§. VI.

Adpellatione non niſi bis conceſſa.

Ob eamdem cauſſam conſtitutum fuerat, ne liceret in eadem cauſſa tertium adpellare. Tanta enim multorum litigantium pertinacia eſt, vt PLATO (z) eos veteres palaeſtritas imitari velle, ſcribat, qui non niſi tertium proſtrati victos ſeſe eſſe profitebantur. Nam nec litigatores ſemel iterumque cadentes, victas dant manus, ſed ſubinde inſtaurant cum victoribus certamen, non prius porrecturi herbam, quam omni collapſi fortuna, vires ſibi deficere, neruumque inciſum eſſe rerum gerendarum, animaduertunt. Eorum

(o) Rittershuſ. *ad Nou. Part. X. Cap. I. §. IV.*

(p) Paull. *Recept. ſentent. Lib. V. tit. XXXIV. §. I. & II.*

(q) *l. 24. C. de adpell.*

(r) *l. vlt. pr. §. 2. C. de temp. adpell.*

(s) *L. vlt. §. 4. C. eod.*

(t) Symmach. *Lib. X. epiſt. LII. tit. C. Iuſtin. & Theodoſ. de tempor. & reparat. adpell.*

(u) Cuiac. *Paratitl. C. Lib. VII. tit. LXIII.*

(x) Bret. *de peraiit. iud. ord. Cap. XLII.*

(y) Iac. Gothofred. *ad Cod. Theodoſ. Tom. IV. p. 280. ſeq.*

(z) Plato *de leg. Lib. V.*

Eorum ergo ferociam cohibendam ratus, IVSTINIANVS (a) prudenter ſanxit, *vt, ſi quis in quacumque lite iterum prouocaſſet, non liceret ei tertio in eadem cauſſa, ſuper eodem capite, prouocatione vti, vel ſententias excellentiſſimorum praefectorum retractare.* Exiſtimare quis poſſet, IVSTINIANVM hac notiſſima conſtitutione dilatare magis adpellandi licentiam, quam coanguſtare, voluiſſe, quum CVIACIVS (b) ante eius tempora vnam tantum adpellationem, veluti a duumviris ad praeſidem, permiſſam fuiſſe contendat, idque tum ex lege aliqua CODICIS THEODOSIANI (c), tum ex CASSIODORI (d) teſtimonio colligi poſſe, cenſeat. Enimuero videtur hic ſomnus obrepſiſſe magno illi Homero, vt non meminerit, ex ipſis legibus noſtris luculenter poſſe probari, ſaepe & ante Iuſtiniani tempora non ſemel, ſed iterum eſſe prouocatum. Praeterquam enim quod Aemilii Lariani heredem, Rutilianam, victam tum apud praetorem, tum apud praefectum vrbi, iterum prouocaſſe, refert IVL. PAVLLVS (e): etiam SCAEVOLA (f) teſtatur, heredem quemdam apud iudicem tutelarem victum, ad iudicem competentem, & ab eo quoque ad ipſum principem adpellaſſe. Nec lex ipſa, quam ex Codice Theodoſiano attulit vir incomparabilis, ad rem facit, quum ibi VALENTINIANVS & imperii collegae non prohibeant, gemino iudicio ſuperatum, tertium aleam experiri, ſed id tantum ſanciant, *vt, ſi iterum prouocandum eſſe duxerit, ab eo ad petitorem mox poſſeſſio transferatur*, id eſt, vt repetita illa adpellatio exſequutionem non moretur, ceu conſtitutionem illam erudite interpretatus eſt IAC. GOTHOFREDVS (g). Nec plus praeſidii CVIACIO eſt in CASSIODORI teſtimonio, quippe qui Gothorum ius deſcribit, a Romano ſaepe diuerſiſſimum. Quare potius certiſſimum eſt, poſt Iuſtiniani tempora tantum hominibus fuiſſe litigandi pruritum, vt non contenti, ſemel iterumque prouocaſſe, tertium quoque ipſum fatigare Imperatorem non dubitarent, idque impuliſſe IVSTINIANVM, vt tertiam prouocationem ſeuera lege prohiberet, quamuis recuſari iudicem, a praefecto praetorio datum, ante litis conteſtationem permitteret, neque eam recuſationem litiganti pro noua inſtantia vellet imputari.

§. VII.

(a) *l. vn. C. ne lic. in vna ead. cauſſa.*

(b) Cuiac. *paratitl. Cod. Lib. VII. tit. LXX.*

(c) *l. 1. C. Theod. de poſſeſſ. ab eo, qui bis prouoc. transferenda.*

(d) Caſſiodi *Variar. Lib. IX. Cap. XVIII.*

(e) *l. 38. ff. de minor.*

(f) *l. 122. §. 8. ff. de verbor. obligat.*

(g) Iac. Gothofred. *ad Cod. Theodoſ. Tom. IV. p. 317.*

Digitized by Google

§. VII.

Et quibuſdam caſibus plane prohibita & adpellatione & ſupplicatione.

Sunt & alia huius generis, eodem conſilio a legislatoribus reperta, in primis, quod non permitterent, vt prouocaretur in omnibus cauſſis, ſed quasdam vna ſententia definitiua terminari iuberent. Sic non recipiebantur adpellationes facinoroſorum, ſi iam vel conuicti, vel ſine tormentis confeſſi eſſent (h): nec eorum, qui illi remedio vltro renunciaſſent (i): nec contumacium, quippe indigniſſimorum tanto beneficio (k). Nec magis admittendas putabant adpellationes in cauſſis alimentorum, ſimilibusque, quae moram ferre non videbantur: veluti debitorum fiſcalium, (l) & tributorum (m). Denique adpellari vetabant tum ab interloquutionibus, niſi vim definitiuarum habentibus, damnumque inferentibus irreparabile (n), tum a definitiuis in cauſſis poſſeſſionum (o), tum ab exſequutione ſententiarum, niſi forte exſequutor vel modum iudicati excederet, vel turbato ordine procederet (p). Similiter & ſupplicationis beneficium non paſſim omnibus indulgeri placuerat. Ne enim vileſceret tanti auxilii dignitas, non recipiebantur ſupplicationes in cauſſis, in quibus nec prouocatio erat permiſſa, veluti in crimine perduellionis (q), ruptorum Nili aggerum (r), ac ſimilibus. Obiter monemus, CAROLVM BRETVM (s) tamquam rem notatu dignam obſeruare, ſollemne fuiſſe Romanis, precibus, principi offerendis tamquam ex formula ſubiungere verba: VOTA PRO SALVTE TVA FACIMVS, eaque tam viſa eſſe neceſſaria, vt quum Rhodii magiſtratus illa aliquando omiſiſſent, ea adiici iuſſerit Tiberius. Sed quamuis res ipſa nota ſit ex DIONE CASSIO (t), & SVETONIO (u): nihil tamen illa facit ad ſupplicationem illam, qua ſententias, ſibi aduerſas, euertere conabantur litigantes, nec quemquam ideo illo beneficio priuatum eſſe legimus, quod verba iſta ſollemnia omiſerit: vt adeo non pertineant ad fraenum illud, quod temere prouocantibus iniiciendum eſſe exiſtimabant principes Romanorum.

(h) *l. 15. ff. de adpell.*

(i) *l. 1. §. 3. ff. a quib. adpell. non lic.*

(k) *l. 23. §. vlt. ff. de adpell.*

(l) *l. vlt. pr. ff. de adpell. recip.*

(m) *l. 4. C. quorum adpell. non recip.*

(n) *l. 36. C. de adpell.*

(o) *l. vn. C. ſi de moment. poſſ.* Symmach. *Lib.* X. *epiſt.* XLI.

(p) *L. 4. pr. ff. de adpell.*

(q) *l. 5. C. ad leg. Iul. maieſt.*

(r) *l. 1. C. de Nili agger.*

(s) *Car. Bret. de perant. iudic. ordine* Cap. XLIII.

(t) *Dio Caſſ. Lib.* LVII. *p.* 608.

(u) Sueton. *Tiber.* Cap. XXXII.

§. VIII.

Inſtituti ratio, & conſilium agendi de pecunia ſuccumbentiae.

Omittimus iam alia, quibus fraena iniici poſſe hodie credunt iis, qui remediis tam ſapienter repertis abuti, litesque ex litibus ſerere conantur, quale etiam eſt iusiurandum calumniae, alicubi ab adpellantibus praeſtandum. Nobis enim de PECVNIA AB ADPELLANTIBVS, ALIISQVE REMEDIIS SENTENTIAM IMPVGNANTIBVS, DEPONENDA quaedam diſſerere conſilium eſt. Neſcio enim, an ſit quidquam, quod praeceps adpellandi conſilium magis impediat, quam illa pecuniae depoſitio, quam vulgo vocant *die Succumbenz-Gelder*. Nam quum ea ſit hominum quorumdam indoles, vt illis minoris ſit fama atque exiſtimatio, quam pecunia, aliique huic ne mentem quidem recti conſciam anteponendam eſſe ſtatuant: facile eſt ad exiſtimandum, homines, quos nec pudor ac verecundia, nec religio a litigandi pruritu cohibet, non tamen ad remedia iſta temere eſſe prouolaturos, ſi certam pecuniae ſummam, cuius iacturam aequo animo ferre non poſſint, veluti aleae exponendam eſſe videant. Quamuis vero probe meminerim, in academia Ienenſi hoc thema iam occupaſſe iureconſultum olim celeberrimum, CHRISTIANVM WILDVOGEL (x), ego tamen, quantum in me fuit, operam dedi, ne actum agerem, vel viro doctiſſimo quaedam ſublegerem, ſed ea potiſſimum, quae ille vel praetermiſit, vel non ſatis expoſuit, conſectarer. Quis vero poſt meſſem prohibeat ſpicilegium?

§. IX.

Origo huius pecuniae an ab Athenienſibus?

Primum ergo, vt de ipſa rei origine ſimus ſolliciti, non nouum eſſe hoc inſtitutum, nec heri aut nudius tertius natum, ſed iam inde ab antiquiſſimis ductum temporibus, & ſapientiſſimarum gentium firmatum conſenſu, animaduerto. Iam enim a viro doctiſſimo, NIC. HERTIO (y), obſeruatum eſt, ipſis Athenienſibus illam litigandi pertinaciam cohibendi rationem non plane ignotam fuiſſe. Sane Athenis ab iis, qui in iudicio Heliaſtico de iure experiri vellent, deponendae erant certae ſummae pecuniae, quarum aliam παράστασιν, aliam ἐπωβελίαν, aliam πρυτανεῖα, aliam denique παρακαταβολὴν vocabant. PRYTANEA vero, quae vel maxime huc pertinent, ita deſcribit CAR. SIGONIVS (yy): *Prytanea Pollux cum Harpocratione conſenſit pecuniam fuiſſe, quam ante iudicium actorem* &c.

(x) Wildvogel *Diſſ. de pecunia ſuccumbentiae Ien.* MDCCVIII.
(y) Hertius *de iudicio reuiſorio* §. XXVI.
(yy) *Car. Sigon. de republ. Athenienſ. Lib. III. Cap. IV.*

& reum deponere oportuit ; qui vero iudicio facto victus eſſet, pro vtroque iudicibus perſoluit, moriſque fuiſſe, addit, vt, qui de ſumma centum drachmarum vſque ad mille contenderent, tres drachmas deponerent, qui de mille vſque ad decem millia ; triginta. Sed ſatius fuerit ipſa legere IVLII POLLVCIS (z) verba, quae ita ſe habent: Τὰ μὲν πρυτανεῖα ὡρισμένα, ὅ, τι ἔδει καταβαλεῖν πρὸ τῆς δίκης τὸν διώκοντα, καὶ τὸν διωκόμενον. εἰ δὲ μὴ, διέγραφον τὴν δίκην οἱ εἰσαγωγεῖς· ὁ δὲ ἡττηθεὶς ἀπεδίδου τὸ παρ' ἀμφοτέρων δοθὲν· ἐλάμβανον δὲ αὐτὰ οἱ δικασταί. *Prytanea definita erat pecunia, ante actionem ab actore & reo deponenda. Quod ſi non fieret, actionem hanc introductores cauſſarum debebant : victus vero vtrumque depoſitum perſoluebat, illudque cedebat iudicibus.* Quibus gemina ſunt haec SVIDAE (a): πρυτανεῖα πρόσοδος εἰς τὰ δημόσια καταπιπτομένη, ἣν οἱ δικαζόμενοι πᾶσι, καὶ ἡττηθέντες κατέβαλλον, ὡρισμένην ζημίαν καταπιθέντες ἕκαστος. *Prytanea, pecunia, quae in aerarium inferebatur : quam illi, qui litigabant, & cauſſa cadebant, in iudicio depoſitam, vt ſtatutam mulctam ſoluebant.* Quamuis vero fatendum omnino ſit, haec prytanea non multum diſcrepare a pecunia illa, quam hodie in euentum litis deponi nouimus : diſcrepare tamen, nemo, qui vtrumque inſtitutum inter ſe contenderit, inficiabitur. In noſtris enim foris non in prima inſtantia, ſed in ſequentibus demum haec pecunia deponitur : apud Athenienſes ſub ipſum litis exordium. Apud nos non vtraque pars eam deponit, ſed alterutra, quae adpellatione alioue remedio ſententiam impugnat : apud Athenienſes eadem erat amborum litigantium conditio. Denique ſi vel maxime ſimillimi hac in re eſſent Athenienſium ac Germanorum mores, neminem tamen arbitramur futurum, qui hanc pecuniae depoſitionem Germanos ab Athenienſibus accepiſſe exiſtimet, qui nullam iam pridem habebant rempublicam, quum Germani Romanis innoteſcere coepiſſent.

§. X.

Quare laudatiſſimus WILDVOGELIVS (b) potius a Romanis hunc morem ad Germanos permanaſſe, ſuſpicatur, eoque refert conſtitutionem VALENTIS, GRATIANI, & VALENTINIANI AAA (c). *Sciant autem prouocatores, ſe vel ab exſequutione adpellantes, vel ab articulo, ſi, eos perperam intentionem cognitoris ſuſpendiſſe, claruerit,*

An a Romanis & quidem ex l. 5. C. quor. ad pell. non recip.

(z) Iul. Pollux *Lib. VIII. Onomaſt. Segm. XXXVIII.*

(a) Suid. *ſub. voce* πρυτανεῖα *T. III. p. 280. edit. Kuſteri.*

(b) Wildvogel *Diſſ. de pecunia ſuccumb. §. XV.*

(c) *l. 5. fin. C. quor. adpell. non recip.*

rit, quinquaginta librarum argenti animaduerſione mulctandos. Sed veremur, ne haec lex parum ad rem faciat. Ne enim iam non vrgeamus, pecuniam hanc non deponi in anteceſſum, ſed poſtea: non omnem adpellandi temeritatem hac pecunia coercebant Romani, ſed eam dumtaxat, quando *ab exſequutione*, vel *ab articulo* interponebatur. *Articulos* autem, quem & *praeiudicium* vocabant veteres, hic idem eſt, ac interloquutio (d): vnde & in BASILICIS (e) vel ab articulo vertitur κατὰ διαλαλιᾶς: quo vocabulo graecos interpretes ſemper deſcribere interloquutionem, vel ex DIONYSII GOTHOFREDI *gloſſario*, *Harmenopuli Procheiro ſubiuncto patet*. Denique quando poena illa quinquaginta argenti libris definitur, ne id quidem moribus noſtratibus quadrat, ac proinde non modo GROENEWEGIVS (f), ſed & alii, vllum huius conſtitutionis vſum eſſe, negant, quum depoſitionem illam pecuniae paſſim receptam eſſe, non ignorarint.

§. XI.

An ex l. 6. §. 4. C. de adpellat. & L. 10. C. Theod. de adpell. non recip.

Equidem magis ad rem facere videtur altera, quam laudatiſſimus WILDVOGEL ad partes vocat, DIOCLETIANI & MAXIMIANI conſtitutio (g), quae talis eſt: *Ne temere te paſſim prouocandi omnibus facultas praebeatur, arbitramur, eum, qui malam litem fuerit proſequutus, mediocriter poenam a competente iudice ſuſtinere.* Hic ſane non iis tantum, qui ab exſequutione vel articulo prouocauerint, ſed omnibus temere adpellantibus mulcta irrogatur: non a ſuperiore iudice, ſed ab inferiore, a quo adpellatur, ceu ex variis CODICIS THEODOSIANI locis (h) demonſtrauit IAC. GOTHOFREDVS. (i) Denique non quinquaginta libris, aliaue certa ſumma, hanc pecuniam aeſtimant principes, ſed eam mediocrem eſſe volunt, ac proinde eam iudicis relinquunt arbitrio, quem ex perſonae conditione, cauſſaeque qualitate aeſtimare oporteat, quantam a temere adpellante mulctam exigendam exiſtimet. At quum ne hic quidem vel de deponenda illa mulcta, vel de cautione eo nomine praeſtanda quidquam caueatur: ne hanc quidem conſtitutionem occaſionem huic inſtituto dediſſe, veroſimile eſt. Minime omnium vero de hac pecuniae depoſitione agit tertia, quam idem vir doctiſſi-

(d) Iac. Gothofr. *ad Cod. Theod. Tom. IV. p. 295.*

(e) Baſilic. *Lib. IX. tit. I. §. CXLV.*

(f) Groeneweg. *de leg. abrog. tit. de adpell. non recip.* Cypr. Regn. ab Oeſterga *Cenſ. Belgic. Cod. Lib. VII. tit. LXV.*

(g) *l. 6. §. 4. C. de adpell.*

(h) *l. 10. l. 44. l. 50. l. 60. C. Theodoſ. de adpell. l. 15. l. 16. l. 30. Cod. Theod. quor. adpell. non recip.*

(i) Iac. Gothofr. *ad Cod. Theod. Tom. IV. p. 262.*

Digitized by Google

doctiſſimus laudauit, CONSTANTII conſtitutio (k) tantum enim abeſt, vt illa mulctam irroget adpellantibus, vel eam ab his deponi iubeat, vt potius Imperator, indignatus, Proclianum, Africae Proconſulem, prouocationem aduerſus fiſcum admiſiſſe, eum quinquaginta argenti pondo poenae nomine inferre velit, *quod prouocationem contra commodum fiſci receperit, ſolutionemque vitanti praebuerit culpabilem conniuentiam.* Adpellationes enim huiusmodi recipi grauiter vetuerat ipſe CONSTANTINVS (l) ac proinde non tam prouocans, quam proconſul, qui prouocationi contra leges locum dederat, mulctam illam commeruiſſe videbatur.

§. XII.

An ex Paulli receptis ſententiis.

Quum itaque in iure tum IVSTINIANEO, tum THEODOSIANO fruſtra quaerant pecuniae iſtius, ab adpellantibus deponendae, originem: operae pretium fuerit, diſpicere, an non ſaltim in iure vetere, quod ante Theodoſium & Iuſtinianum in foro viguit, quaedam eius veſtigia ſuperſint? Talia vero, eaque expreſſiſſima notare nobis videmur in fragmentis PAVLLI (m), qui titulum ſingularem inſcripſit *de cautionibus & poenis adpellantium.* In eo obſeruat iureconſultus, prouocantes intra quinquaginta dies vtiles, a tempore acceptorum apoſtolorum dinumerandos, cauere, aut certam pecuniam, vel pignus deponere debuiſſe in eam legem, vt ſi contra eos fuerit pronunciatum, perderent, quod depoſuiſſent. Addit (n) „ recte exprimi oportere huius mulctae quantitatem, adſertores vero, & qui in cauſſis pecuniariis adpellauerint, in iudicati partem cauere, vel eam deponere conſueuiſſe. Habes hic ſane pecuniam ab adpellantibus in anteceſſum deponendam, vel a fideiuſſoribus promittendam, & in commiſſum poſtea caſuram, ſi contra adpellantem fuerit pronunciatum; quae ipſa eſt illa depoſitio, quam hodie vocant *Succumbenz-Gelder.* Praeterea haec tam amare exigebatur, vt, ſi cui nec pecuniae, nec fideiuſſorum eſſet copia, eum ipſa egeſtas a facultate adpellandi excluderet, ceu ex teſtimonio VLPIANI (o) luculenter demonſtrauit CVIACIVS (p). Meminit eiuſdem pecuniae vel mulctae CORNELIVS TACITVS (q), ex quo ſimul diſcimus, iam ante Neronis tempora, eos tantum,

 qui

(k) *l. 10. C. Theod. quor. adpell. non recip.*

(l) *l. 6. l. 8. l. 9. C. Theod. quor. adpell. non recip. l. 6. C. de iure fiſci.*

(m) Paul. *recept. ſentent. lib. V. tit. XXXIII.* §. 1. 2.

(n) *ibid.* §. *VI. VII.*

(o) *l. 8. §. 8. ff. mandati.*

(p) Cuiac. *obſeru. Lib. XXI. Cap. XXXIII.*

(q) Tacit. *Ann. Lib. XIV. Cap. XXVIII.*

qui ad principem prouocaſſent, certam pecuniae ſummam aleae exponere coactos, poſteaque eam legem ad illos quoque, qui ad Senatum adpellaſſent, porrectam eſſe. Ita enim intelligenda ſunt auctoris grauiſſimi verba: *Auxit patrum honorem, ſtatuendo, vt, qui a priuatis iudicibus ad ſenatum prouocaſſent, eiuſdem pecuniae periculum facerent, cuius ii, qui Imperatorem appellauere, nam ante vacuum id, ſolutumque poena fuerat.* Quo tempore haec poena ad reliquas adpellationes demum porrecta ſit, nondum liquet: id vero tam certum, quam quod certiſſimum eſt, poenam hanc, quatenus in anteceſſum deponenda, vel per fideiuſſores ſpondenda erat, poſtea ſublatam, & primum in mulctam arbitrariam (r), poſtea in quinquaginta argenti libras conuerſam eſſe: vltra quam ſummam quidquam ab adpellantibus extorqueri vetuerunt Imperatores (s).

§. XIII.

Depoſitio illa vere eſt ex iure Germanica.

Quamuis vero ea, quae ex PAVLLI receptis ſententiis decerpſimus, tam gemina ſint illis, quae de pecunia ab adpellantibus ſententiasque impugnantibus deponenda in hodiernis conſtitutionibus occurrunt, vt vix ouum ouo ſimilius eſſe videatur: tamen hoc ipſum ius antiquum Romanorum huic inſtituto non magis occaſionem dare potuit, quam illa prytanea Athenienſium, de quibus ſupra diximus. In iure enim Iuſtinianeo, quod ſolum in fora recepimus, nullum eius rei vel vola vel veſtigium exſtat. PAVLLI vero receptae ſententiae non modo tardius, anno puta MDXXVIII. cura IO. SICHARDI primum in lucem prodierunt, ſed & poſtea tantum CVIACIO, paucisque aliis iureconſultis humanioribus, fuerunt in deliciis, nec umquam aliquam in foro auctoritatem ſunt conſequutae. Quumque ne ius quidem canonicum & pontificium, ex quo alioquin pleraque, quae ad litigandi rationem atque ordinem pertinent, in fora noſtra promanarunt, hanc pecuniae depoſitionem exigat: conſequens eſt, vt eius origo ex ipſo iure patrio ſit repetenda. Quidquid enim in Germanorum foro deprehendimus, quod nec in iure Romano, nec in canonico vel pontificio praeſidium reperit, id fere ex vetere iurisprudentia patria retinuiſſe poſteros, recte vidit acutiſſimus HERM. CONRINGIVS (t), ſimul obſeruans, *quamuis paſſim per Germaniae fora Romanum ius coeperit, & multae priſcae leges & conſuetudines obſeruari deſierint: non tamen vſquam locorum hoc ius ſolum receptum eſſe,*

(r) *L. 6. §. 4. C. de adpell.*
(s) *L. 43. C. Theod. eod.*
(t) Conring. *de orig. iur. Germ. Cap. XXXIII.*

Digitized by Google

eſſe, omnibus priſcis moribus atque inſtitutis abrogatis. Id quod vel inde manifeſtum fieri ait, *quod hodieque paſſim per vniuerſam Germaniam plurima edicantur, & promulgentur, quae a Romanis inſtitutis immane quantum diſſideant.* Sed hoc quidem tot exemplis in *elementis iuris Germanici* probauit PRAESES doctiſſimus, vt cauſſam omnino peroraſſe videatur.

§. XIV.

Quod probatur ex legibus antiquis.

Noua igitur ſcena hic nobis panditur, diſquiſituris, an non inſtituti huius origines multo certius ex ipſis patrii iuris fontibus deriuare liceat? Et hic vero primum incidimus in LEGEM hanc LANGOBARDICAM (u) vere Germanicam: *Si quis cauſſam habuerit, & ſculdais aut iudex ei ſecundum edicti tenorem & per legem iudicauerit, & ipſe ſtare in eodem iudicio minime voluerit: componat illi, qui iudicauit, ſol. XX.* Quae, vt rectius intelligantur, in memoriam reuocandum eſt, maiores noſtros non habuiſſe certum temporis ſpacium, quo demum elapſo ſententia vires rei iudicatae adquiſiuerit: ſed iudicem, promulgata ſententia, protinus quaeſiuiſſe ex litigantibus, vtrum in ea adquieſcere, an eam impugnare, vel, vti veteres loquebantur, BLASPHEMARE mallent? Alterutrum in continenti fieri oportebat, &, ſi tergiuerſarentur advocati, ii in vinculis publicis tantiſper habebantur, dum vel ratam haberent, vel oppugnarent ſententiam. Hinc CAROLVS M. (x): *De clamatoribus & cauſſidicis, qui nec iudicio ſcabinorum adquieſcere, nec blaſphemare volunt, antiqua conſuetudo ſeruetur, id eſt, vt in cuſtodia recludantur, donec vnum e duobus faciant:* quae totidem paene verbis in LEGE LANGOBARDICA (y) repetuntur. Iam ſi prius faciebant litigantes, eorumue aduocati, qui hic a clamore ſollemni iudiciali *clamatores* vel *reclamatores* vocantur: (z) nec cauſſam retractare fas erat, *nec flagitare iudicium, de cauſſa quae definita, vel iudicata fuerat*: (a) idque, ſiquis facere non dubitaret teſtibuſque vel certamine ſingulari conuinci poſſet, cauſſam iam eſſe iudicio terminatam, apud Alamannos XL. (b) apud Langobardos XV. ſolidis mulctabatur, immo ex horum lege, ſi ſoluendo non eſſet, totidem flagra corpore, excipere cogebatur. (c) Sin quis improbaret ſententiam, ab eaque temere prouocaret, victus XX. ſolidis mulctabatur, de eoque caſu

(u) Lex Langob. *Lib. II. tit. XLI. §. IV.*

(x) Capitular. *Lib. III. Cap. VII.*

(y) Lex Langob. *Lib. II. tit. LIII. §. XXII.*

(z) Dn. Praeſes *in Elem. Iur. Germ. Lib. III. §. LXXXII.*

(a) Capitular. *Lib. VII. §. CCLI.*

(b) Lex Alam. *tit. CIV.*

(c) Lex Langob. *Lib. II. tit. XX.*

caſu lex noſtra loquitur. Equidem vtrum deponenda ſtatim haec mulcta, an eo nomine ſatis dandum fuerit, non ſatis conſtat. Poſterius tamen tanto probabilius videtur, quanto certius eſt, iudices apud Langobardos omnibus fere caſibus, quibus litigantes facere quid vel dare oportebat; vel pignora, ſeu *Vadia*, vel fideiuſſores exegiſſe (d). Itaque recte ANDR. DE BARVLO (e), hanc LEGIS LANGOB. diſpoſitionem comparat cum *L.* 5. *C. quor. adpell. non recip.* eamque adeo ad poenam temere adpellantium pertinere fatetur.

§. XV.

Ex iure Saxonico. Multa luculentiora ſunt, quae in medii aeui iuribus deprehendimus, huius pecuniae, ab adpellantibus deponendae, veſtigia. Nam & SAXONIBVS non erant certi dies, intra quos in rem iudicatam tranſiret ſententia: ſed illa in continenti aut rata habenda, aut impugnanda erat. Hinc ius PROV. SAXONICVM (f), *welche Gabe der Mann ſiehet vergeben wieder ſich, oder welche Vrtheil er finden höret wieder Recht: Wiederredet er das zur Hand nicht, ſo mag ers hernach nicht wiederreden*, vbi quidem MELCHIOR KLINGIVS (g) illud *zur Hand* explicat *zu gebührender Zeit, als in zehen Tagen*, ſed perperam, & ex genio illorum temporum, quibus doctores tunc demum optime ſibi functi videbantur interpretum officio, ſi iura patria ex Romanis interpretarentur. Sane enim illud *zur Hand* non idem eſt, ac intra decendium, ſed in continenti, quandoquidem & apud Saxones interrogabantur litigantes ratamne habere, an impugnare, illa protinus pro re iudicata erat. Hinc *Gloſſa: Nach Sachſen-Recht fragt man allezeit, ob einer ein gefunden Vrtheil vollworten volle? In welches, da er alſo eins verwilliget, billig mag er es darnach nicht wieder ſchelten.* Quid ſi illud impugnare mallet? Id quoque in continenti fieri oportebat, eodem fere modo, quem deſcribit MACER, iure conſultus (h). Quemadmodum enim, *ſi quis apud acta adpellaret, ſatis eſſe videbatur, ſi diceret:* ADPELLO: ita apud Saxones is, cui iniqua videbatur ſententia, ſtans (nam qui ſedens id faciebat, mulctam debebat iudici, (i) hac ſimiliue vtebatur formula: *Das Vrtheil, dar des Mann funden hat, iſt unrecht das ſchelte ich, vnd ziehe mich des, da ich das durch*

(d) Lex Langob. *Lib.* II. *tit.* XXI. §. *XVIII.*

(e) Andr. de Barulo *in Leg. Langob. tit. XXIX.*

(f) *Ius prou. Saxon. Lib.* II. *art.* VI.

(g) Kling. *in Sachſen-Spiegel fol.* LIV.

(h) *l.* 2. *ff. de adpell.*

(i) Ius prou. Sax. *Lib.* II. *art.* XII. Ius prou. Suevic. *Cap.* LXXIX. & LXXX. §. IV.

Digitized by Google

durch Recht billig hinziehen ſoll, vnd bitte eines Antheils, wohin ich das billig ziehen ſoll? (k) Interpoſita hoc modo adpellatione, & cauſſa ad iudicem ſuperiorem, veluti Regem vel Imperatorem deuoluta, cauſſae adpellationis reddendae erant in proxima curia ſollemni, quae intra prouinciam indicebatur, ſed ita ut res ageretur inter prouocantem & iudicem, cuius officium erat, ſententiam ſuam tueri, & in curiam mittere viros aliquot ingenuos, (*ſchoeppenbar-freyeleute*) eoſque cum famulitio & equis commeatu inſtruere (l). Quod, quantis cum ſumtibus coniunctum fuerit, facile vnus quiſque animaduertit. Redditis in curia cauſſis adpellationis, protinus ferebatur ſententia, neque hanc inſtantiam durare oportebat, vltra ſex hebdomades, intra quas legati ſententiam domum referre tenebantur (m). Haec, ſi eſſet reformatoria, ſcabinus prioris ſententiae auctor, & quotquot ipſi ſuffragati fuerant, argenti libram victori debebant: In confirmatoria: is, qui calumnioſe ſententiam impugnauerat, non modo ſumtus reſtituere, verum etiam mulctam & iudici & ſcabino, ſententiae auctori, exſoluere cogebatur: IVS PROV. SAXONICVM (n): *Wer das Vrtheil geſcholten hat, vollkommet er das nicht, er muſs darum wetten dem Richter, und ienem ſeine Buſſe geben, des Vrtheil er geſcholten hat, vnd dem Richter ſeine Koſt gelten, die er mit ſeinem Bothen verthan hat.* En poenam temere adpellantium, quam vel deponi in anteceſſum, vel a fideiuſſoribus ſpondendam fuiſſe, eo minus videtur dubitandum, quo certius conſtat, iudices apud Saxones, imminente mulcta, non ſequutos eſſe fidem litigantium, ſed eos fere ſemper ad cautionem eo nomine praeſtandam adegiſſe (o).

§. XVI.

Moris huius patrii poſteris quoque ſanctiſſimam manſiſſe cuſtodiam, argumento ſunt ſtatuta paullo antiquiora, quorum quaedam tantum hic euoluere iuuabit. Exſtant apud LEIBNITIVM *leges municipales Goslarienſes*, in quibus cum alia priſci moris, tum & poenae illius temere adpellantium expreſſiſſima veſtigia deprehendimus. Nam quemadmodum Goslarienſes in eo imitabantur Saxones, quod ſententiam in continenti vel ratam haberi, vel ſtante

Ex ſtatutis antiquioribus.

(k) Ius prou. Sax. *Lib. II. art. XII.* Sueu. *Cap.* CVIII. §. *IV.*

(l) Ius prou. Sax. *ibid.* Sueu. *Cap.* CVI. §. *II.*

(m) Ius prou. Sax. *ibid.* Sueu. *Cap.* CVI. §. *II.*

(n) Ius prou. Sax. *Lib. II. Art. XII.*

(o) Ius prou. Sax. *Lib. III. art. XII.* & *Lib. II. Art. X.*

ſtante pede (*ſtander ſtedte*) impugnari vellent (p): ita & poenam eorum exemplo irrogabant prouocantibus, ſi prior ſententia a iudice ſuperiore confirmaretur. Hinc ibidem legimus (q): *Schilt man eyn Ordel, de dat heuet geſchulden, de mot deme Voyde wedden, vnde deme Sackwolden boten deme dat Ordel to vromen geunden is, off he dat weder drenen wert, dat he dat to unrechte geſchulden hebbe:* vti id notatu dignum videtur, quod apud Goslarienſes mulcta non iudici & ſcabino, qui ſententiam tulerat, ſed iudici & victori eſſet exſoluenda. Ceterum & in hac vrbe vnumquemque, a quo mulcta exſpectabatur, cautionem eo nomine praeſtare debuiſſe, ex alio ſtatutorum iſtorum loco patet (r). Gemina paene his ſunt STATVTA vetuſta COLONIENSIVM (s) quibus cauetur, vt impugnaturus ſententiam, id faciat per tabellionem in continenti, & ſtante pede, (*vnverwandten Fuſſes*) nudo capite, ſine armis, formula recepta, eique, quam ſupra ex IVRE SAXONICO & SVEVICO adduximus, fere per omnia ſimile. Ne vero impune quis ferat prouocantis temeritatem, adpellans ſatisdare, aut poſito pignore cauere iubetur, ſe, ſi ſuccubuerit, iudici marcam argenti & ſcabino duas marcas exſoluturum, addita comminatione, pro deſerta habitum iri adpellationem, niſi ita cautum ſatis datumque fuiſſet. Denique & IVS STATVTARIVM HAMBVRGENSE (t) neminem ab inferiore iudicio ad Senatum prouocare patitur, niſi depoſita pecunia, exigua illa quidem & coercendae prouocantium pertinaciae vix idonea, at quae tamen priſcam conſuetudinem referre videtur. *Wer von geſprochenen Vrtheil des Vntergerichts an den Rath appelliren will, der ſoll ſolches nach* ALTER GEWOHNHEIT *mit Darlegung ſechs Schilling lübiſch auf ſtehenden Fuſs alsbald thun.* Ex quibus ſane omnibus facile intelligi poſſe arbitramur, & poenam illam temere adpellantium, & eiuſdem depoſitionem non eſſe ex iure Romano, ſed patrio, & prius illam in Germaniae foris obtinuiſſe, quam ius Rom. in illa paullatim penetrarit.

§. XVII.

Huius ſuccumbentiae vſus, na-

Quemadmodum vero iuris ciuilis Romanorum, poſtquam ſemel ſibi viam in Germaniam muniuit, non eadem vbique fata fuerunt, ſiquidem alibi priſcos patriae mores paene in exilium egit, alibi,

(p) Statuta Gosl. *tit. van Ordelen* §. *CCXXI. ſequ. ap.* Leibnit. *Script. rerum Brunſu. Tom. III. p.* 524.

(q) *ibid. CCXXVII.*

(r) *ibid. tit. wes men vvreren ſchall* §. *CCI. ſequ. p.* 524.

(s) Statuta Colon. *tit.* 1.

(t) Ius Statut. Hamb. *Part.* I. *tit. XXXVII.* §. 1.

alibi, ſaluis illis, vel pleriſque ſaltim non abrogatis in ſubſidium receptum eſt : ita idem in hac pecunia ab adpellantibus aliiſque, qui ſententias impugnant, deponenda contigiſſe animaduertimus. Alibi enim illam ignorant, alibi hodieque amare exigere ſolent. Et ſane ei locum eſſe, obſeruamus in ipſa Camera Imperii, ſi quando reuiſio actorum petitur in prouinciis Moguntinis, Pruſſicis, Palatinis, Wurtenbergicis, Haſſiacis, Saxonicis, extra Electoratum, Holſaticis, comitatu Lippiae, vrbibus item Colonienſi, Hamburgenſi, Lipſienſi & aliis, quarum magnum recenſum, ex actis ad illuſtrem ICtorum ordinem, tum Viadrinum tum Halenſem tranſmiſſis, contextum, mecum communicauit PRAESES grauiſſimus. Quamuis vero non eadem vbique ſit huius inſtituti ratio : ſunt tamen, in quibus vel omnibus vel pleriſque inter ſe conuenit. Nimirum, I. quod temere adpellantes, vel alio remedio impugnantes ſententiam, poena quadam pecuniaria mulctandos, veluti ex compacto ſtatuunt : II. Quod poenae illius quantitatem legibus, vel ſaltim ἐν πλάτει definiendam putant : III. Quod de ea pecunia vel ſatis dari, vel eam in iudicio deponi iubent : quamuis poſterius vel ideo magis pleriſque placeat, quod a depoſitione & repraeſentatione pecuniae magis abhorrere ſolent homines, quam ab eiuſdem promiſſione, quippe quam ſe variis artibus poſtea eliſuros, nefarie plerumque ſperant. IV. Quod, ea non praeſtita conditione, prouocandi aliiſque remediis vtendi facultas denegatur : Denique : V. quod committitur illa pecunia, ſi ex euentu conſtat, temere & calumniae cauſſa prouocatum, aliudue remedium adhibitum eſſe. Quibus poſitis, nemo non intelligit, PECVNIAM SVCCVMBENTIAE (ita enim eam vocare ſolent pragmatici) eſſe poenam pecuniariam, legibus definitam, ab iis, qui vel adpellatione vel alio remedio vſuri ſunt, niſi ea facultate priuari velint, in anteceſſum deponendam, ea lege atque omine, vt ſi eos temere illo remedio vſos eſſe adpareat, pecunia iſta in commiſſum cadat.

tura & indoles.

§. XVIII.

Eam, deficiente lege vel conſuetudine, exigere non poſſunt iudices.

Quum itaque haec pecunia legibus definiatur, leges vero ferre ſit eorum, quos penes ſummum in republ. imperium eſt : merito inde colligimus, non eſſe iudicis cuiuſcumque, hanc poenam pecuniariam exigere, niſi eam exigi permittant iubeantque ipſi legiſlatores. Iam pridem GRATIANVS Aug. cum collegiis ſanxerat (u) : *Prouocantibus mulctas, niſi ex noſtris* DECRETIS, *non*

(u) *l.* [illegible] *Cod. Theod. de adpell. & conſult.*

patimur imponi. Decretum vero ibi, obſeruante IAC. GOTHOFREDO (x) nihil aliud eſt, quam conſtitutio principum, vt merito mireris, in mentem venire potuiſſe IAC. RAEVARDO (y), ex huius conſtitutionis ſententia in iudicum ſuperiorum arbitrio fuiſſe mulctam & quantam temere prouocantibus imponere. Potius res omnis redit ad leges & ſtatuta vel conſuetudines cuiuſuis prouinciae, &, his mulctam non exigentibus, ea nullo iure exigitur a iudicibus, quibus non imperium in leges, ſed earum cuſtodia data eſt. Hinc recte MEVIVS (z): *Quum ſtatuto nihil tale introductum: non poteſt index adpellantem onerare, nec pars petere.* Accedit, quod haec pecuniae depoſitio, ſicubi recepta eſt, ſollemnibus adpellationum aliorumque remediorum accenſeatur. *Non vero permittendum eſt, iudici a quo*, inquit idem MEVIVS (a), *vt adpellantes oneret & adpellationes arctet, niſi cum ſuperioris adſenſu id fiat.* Vnde & paullo poſt refert, quum in Ducatu Bremenſi eiuſmodi ſollemnia introducerentur a conſiliariis, ſicque prouocantes, qui pecuniam deponere detrectauerant, a tribunali ſupremo Wiſmarienſi repelli peterent, non placuiſſe dominis, illorum adplaudere deſiderio, niſi probarent, pecuniam illam ibi ex lege vel conſuetudine eſſe deponendam.

§. XIX.

Niſi iudices priuilegium tam exigendi impetrauerint.

Quandoquidem vero & priuilegium pro lege eſt, quippe quod a ſumma poteſtate vel legislatore proficiſcitur, & neceſſitatem imponit ciuibus, priuilegiatum in vſu iuris ac priuilegii exercitio non turbandi: nemo temere negauerit, tunc quoque locum eſſe depoſitioni pecuniae, ſi iudici inferiori id indultum ſit beneficio principis, vt non niſi depoſita certa pecuniae ſumma, ab iis ad ſupremas curias poſſit prouocari. Tale priuilegium a potentiſſimo Brandenburgico Electore FRIDERICO III. anno MDCLXXXIV. conceſſum eſt ciuitati Magdeburgenſi, quo cautum (b), *daſs niemand künftig von Magiſtrat gedachter Stadt unter der Summa von 30. Thaler adpelliren, und wer wegen höherer Summen adpelliren würde, zuförderſt 30. Thaler in caſum ſuccumbentiae würcklich erlegen, oder an ſtatt deſſen nebſt ſeinem Aduocaten das iuramentum abſchweren ſolle*, ſimili priuilegio florentiſſimam Lipſiam, Saxoniae ocel-

(x) Iac. Gothof. *ad Cod. Theod. Tom. IV. p.* 261.
(y) Raeuard. *Varior. Lib. V. Cap. X.*
(z) Meu. *Part. IV. Dec.* CCCLXIV.
(a) Meu. *Part. II. Dec. VIII.*
(b) Mylius *Corp. Conſt. Magdeb. Continuat. Num. II. p.* 3.

ocellum, gaudere nouimus. Quamuis enim alias in Saxonia electorali illam pecuniae depoſitionem poenae ignorent: prouocatio tamen a Lipſienſium praetorio non admittitur ex priuilegio FRIDERICI GVILIELMI, Ducis & adminiſtratoris Saxoniae, anno MDXCVIII. conceſſo, niſi L. florenos depoſuerit prouocans. Quod priuilegium, aliquoties confirmatum ab Electoribus Saxoniae, & hodie obſeruari, exemplis & rebus iudicatis probat RIVINVS (c). Addimus & tertium exemplum priuilegii, quatuor Holſatiae ciuitatibus iure Lubecenſium vtentium, Kilonio, Itzehoae, Rendsburgo, & Oldesloae, dati, vt quatuor caſibus ab illis ad principes plane non poſſit prouocari, reliquis caſibus non aliter, quam expoſitis aleae L. Marcis Lubecenſibus (d). Quis vero dubitauerit, quin tale priuilegium, rite impetratum aeque ratum ſit, ac lex, vel alia conſtitutio principis? Hinc ex actis ſaepe ſe obſeruaſſe, retulit doctiſſimus PRAESES, magiſtratum Magdeburgenſem apoſtolis inſerere ſolere clauſulam, *ſe in honorem illuſtris Regiminis adpellationi dediſſe locum, ita tamen, vt prouocans ante omnia priuilegio ſatisfaceret, ac proinde rogare ſe, ne, priuſquam id factum eſſe probetur, recipiatur adpellatio.*

§. XX.

Ea exigitur tum ab adpellantibus, tum ab alio remedio vtentibus.

Quum porro ſupra monuerimus, hanc depoſitionem pecuniae poenam eſſe temere adpellantium, adeoque ad coercendam eorum temeritatem comparatam, ea vero ratio non minus in leuterationem, quam vocant, aliaque remedia ſuſpenſiua, quam in prouocationem cadat: non mirum eſt, in illis aeque, ac in adpellationibus eam pecuniae depoſitionem exigi ſolere. Quod de reis vulgo aiunt, *eorum eſſe fugere* (e): id de iis, aduerſus quos litem ſemel dedit iudex, iure dixeris. Semel enim ſententia parum propitia conterriti, non vano anguntur metu, ne iterum ſimili fulmine proſternantur. Itaque in eo ſibi ſolatium quaerunt, vt bellum trahant, omnibuſque, quae leges indulgent, remediis vtentes, aduerſarios, fortaſſis non admodum pecunioſos ad incitas redigant, ſi forte tunc ſe eo adduci patiantur, vt vel litem deſerant, vel admiſſa qualicumque tranſactione, quouis damno tam intolerabilem moleſtiam redimere ſtatuant. Quum igitur non modo adpellando, ſed & leuterando, ſupplicando, reſtitutionem

 in

(c) Riuin. *Spec. except. forenſ.* Cap. *XXX. n. XVI. ſeq.*

(d) Reuidirte Land-Gerichts-Ordnung der Herzogthumer Schleswig und Holſtein, *Part. IV. tit. VI.* §. *III. pag.* 107.

(e) *l.* 13. §. 2. C. *de Iudic.*

in integrum vel reuiſionem actorum petendo, id conſequi ſtudeant; aequiſſimum eſt, vt de his remediis non impune abutantur homines litigioſi, ac proinde in caſum ſi cauſſa ceciderint, certam pecuniae ſummam deponant. Sic in ducatu Magdeburgico non modo *de* ADPELLATIONIBVS cautum eſt, *daſs wenn von keiner gewiſſen Summa adpelliret wird, in caſum ſuccumbentiae derienige, welcher an Ihro Maieſtät adpelliret*, 20. *Thaler, in übrigen aber von ieden* 1000. *Thaler* 20. *Thaler deponiren ſolle* (f): verum etiam de leuterationibus & oberleuterationibus *daſs von Leuteranten und oberleuteranten, jedesmal in caſum ſuccumbentiae nach Gelegenheit der Sachen, und nachdem die grauamina der Leuterung erheblich, oder nicht*, 5. *bis* 10. *Thaler binnen der ihnen bemelten zeit ſub poena deſertionis deponiret werden ſollen* (g). Immo & de QVERELA NVLLITATIS, ſiue intra decendium, ſiue intra triginta annos, a lata primum ſententia inſtituatur, praecipitur, *daſs* 50. *Thaler in caſum ſuccumbentiae erleget, und ehe darauf nichts verordnet werden ſolle* (h), quod poſtremum FRIDERICVS I. Rex Boruſſiae, die XXI. Febr. MDCCVIII. ſingulari reſcripto & ad eos, qui non tam ſententiam quamdam, quam alium iudicis actum tamquam nullum impugnare conentur, extendit (i). Similiter & alibi certam pecuniae ſummam deponere coguntur *leuterantes* & *oberleuterantes*, veluti Altenburgici (k) & Iſenaci (l): & reuiſionem petentes, non modo in ſupremo Imperii dicaſterio (m), verum etiam Hamburgi, vbi ſententiae adpellationis, a qua reuiſio petitur, ſubſcribi ſolet a conſule: *Hievon hat beklagter reuiſion geſuchet den* 19. *Ian.* 1736. *P. R. D.* a Secretario vero: *Beklagter hat zu reuiſions-Geldern* 5. *Thaler ſpecies deponiret. den.* 19. *Ian.* 1736. *I. C. S.* Praeterea & in Marchia, patria mea iucundiſſima, pecuniam hanc deponi oportet non tantum ab ADPELLANTIBVS, ſed & a SVPPLICANTIBVS, RESTITVTIONEM IN INTEGRVM vel REVISIONEM petentibus & QVERELAM NVLLITATIS inſtituentibus, quae remedia omnia ibi EXTRAORDINARIORVM nomine venire nouimus (n). Denique & Erfurti eos, qui ſiue QVERELA NVLLITATIS,

(f) Neuverbeſſ. Proceſs - Ordnung, *Cap. XLIII.* §. *VIII.*

(g) Ibid. *Cap. XLII.*

(h) Ibid. *Cap. XLIV.* §. *I.*

(i) Myl. Corp. Conſt. Magd. *Part. II. n. XLVIII.*

(k) Altenb. Proceſſ-Ordnung, *Part. I. Cap. XIV.*

(l) Eiſenach. Proceſſ-Ordnung, *tit. XIX.* §. *VII.*

(m) Ord. Cam. *P. III. tit.* LXIII. §. *VII.* Rec. Imp. *MDCLIV.* §. *CXXXVI.*

(n) Königl. Preuſſ. Cammer-Gerichts-Ord. *tit.* LIII. §. *VII.*

Digitized by Google

TIS, ſiue reſtitutione in integrum ſententiam impugnant, tres vel quatuor imperiales deponere iubet Elector Moguntinus eminentiſſimus (o). Vt adeo ex tot exemplis luculenter conſtet, in remediis tum ſuſpenſiuis, tum deuolutiuis, vti vocant, locum eſſe huic depoſitioni pecuniae, quamuis ea alibi plane exſulet, alibi non niſi in vno alteroue obtineat remedio.

§. XXI.

Non tamen promiſcue omnibus.

Sed quaeri praeterea ſolet, an iis locis, vbi hic mos deponendi pecuniam viget, haec mulcta promiſcue ab omnibus, qui adpellatione ſimiliue remedio vti cupiunt, deponenda ſit? quod adfirmandum omnino, niſi ipſae leges gratiam quibusdam eius rei faciant, vel ipſa aequitas naturalis, cui plus ſemper, quam ſummo ſtrictoque iuri tribuendum eſt, mitius cum quibusdam agere ſuadeat. Sane quum hoc inſtitutum ad coercendam adpellantium temeritatem comparatum ſit: merito onere deponendi pecuniam leuantur, quos ipſa officii ratio agere, adeoque & his remediis vti iubet, veluti aduocati fiſci & magiſtratus, quia in eos non cadit vlla aduerſarium vexandi ſuſpicio. Deinde fieri poteſt, vt ſententia, quam quis impugnaturus eſt, tam abſona atque iniqua ſit, vt ipſi iudices, qui fortaſſis eius auctores non ſunt, praeuideant, eam non poſſe non, interpoſita adpellatione, euerti. Quam iniquum vero tunc eſſet, prouocantem, cuius de iure in anteceſſum conſtat, depoſitione pecuniae onerare; maxime ſi tantae non ſint eius fortunae, vt ea pecunia ſine incommodo ſuo carere poſſit? Praeterea quum & paupertae preſſi bonisque euoluti eo gaudere ſoleant priuilegio, vt, demonſtrata paupertate, eiurataque bona copia, ab omni ſportularum onere tantiſper immunes ſint, dum vel victoria potiantur, alioue modo ad meliorem fortunam perueniant, vel conuicti de litigandi temeritate, poenas dent calumniae: quidni & huius oneris gratia illis fieret? Quin vel ideo aequiſſimum eſt, illos superſedere poſſe hoc onere, quod alias facile poſſet contingere, vt deſtituti pecunia in iure ſuo perſequendo impedirentur. Nec eſt, quod vereamur, ne ita facultas detur pauperibus, aduerſarios infinitis litibus vexandi: ſiquidem alia tanto acriore poena adfici poſſunt, ſi eos per calumniam doloque malo litem traxiſſe, adpareat, quemadmodum in camera imperii eo caſu obtinere poenam carceris, (*des weiſſen Thurms*) teſtatur ANDR. GAILIVS (p). Ceterum has ſimileſque cauſſas in emendata ordinatione proceſſus

(o) Erf. Gerichts-Ord. *tit. XXII.* §. *XX.*
(p) Gail. *Lib. I. obſeru. CLV. n. IV.*

proceſſus Magdeburgica coniunxit potentiſſimus legislator, dum ſanxit (q). *Es wäre dann, daſs wir hierunter auf einer oder der andern Parthey unterthänigſtes Anſuchen, nach Beſchaffenheit der Sachen Umſtände diſpenſiren würden, oder wenn ein Officialis oder Magiſtrat ratione officii Leuterung einwenden würde, oder die Leuteranten und Oberleuteranten arm und unuermögend wären, auf welche Fälle ſie mit angeregter diſpoſition zu verſchonen.* Quae regulae limitationes, quamuis ad leuterantes potiſſimum pertineant, procul dubio tamen, & ad alia remedia, in quibus eadem per omnia ratio eſt, ſunt proferendae. Sic & Lipſiae, quum pauper a praetorio Lipſienſi ad iudicium ſuperius prouocaret, ſenatuſque depoſitionem L. florenorum ex priuilegio paullo amarius vrgeret: Electorem Saxoniae anno MDCLIV. reſcripſiſſe, refert laudatus RIVINVS (r). *Daſs wofern Supplicant auf 50. fl. caution beſtellen, oder, daſs er über allen angewandten Fleiſs von den Seinigen, oder anderswo ſo viel an baaren Gelde nicht aufzubringen, ihm getrauete, eydlichen erhalten würde, ihm auf ſolchen Fall die gebetene Apoſtoli reuerentiales gebührlich ertheilet werden ſollen.*

§. XXII.

Leges de hac depoſitione & extendi & reſtringi poſſunt.

Nec dubium porro eſt, quin principes ſummaeque poteſtates non ſolum contra leges de deponenda iſta pecunia latas aliquid indulgere, ſed & easdem vel ad ſimiles caſus proferre, vel reſtringere ſuo iure poſſint. Hinc iam laudatus WILDVOGEL (rr). obſeruauit, quum antea hoc inſtitutum in terris Haſſiacis tantum Caſſellis obſeruaretur, non Marpurgi & Rintelae, poſtea & Rintelenſi regimine id ſingulari conſtitutione conceſſum eſſe vt a ſententiis ſuis prouocantibus depoſitionem certae pecuniae imponere poſſint. Sic & quum in conſiſtorio Ducatus Magdeburgici extra vſum eſſet ad annum MDCXCVII. poſtea & ibi adpellantes vel leuterantes id data in periculum certa pecuniae ſumma facere iuſſit Frider. I. Rex Pruſſiae (s). Contra & reſtrictionis inſigne exemplum haec prouincia vidit anno MDCXCVII. Quum enim antea leuterantes omnes ad deponendam hanc pecuniam adigerentur, ſiue in inferioribus iudiciis, ſiue in ſuprema curia, eo remedio vterentur: id tunc ad leuterationes & oberleuterationes, a regiminis ſententiis interpoſitas, eſt reſtrictum ſingulari reſcripto, quod illuſtris MYLIVS ſeruauit

(q) Neuverbeſſerte Proc. Ord. *cap. XLII.* §. *VI.*
(r) Riuin. *Specim. except. forenſ.* §. *XXXIX.*
(rr) Wildvogel *de pecun. ſuccumb.* §. *XXXIX.*
(s) Mylius *Corp. Conſt. Magdeb. Part. II. num.* LIII. *p.* 297.

Digitized by Google

uit (t), quamuis, quum hodie ex inferioribus tribunalibus apud nos exſulet leuterationis remedium, eius reſtrictionis nullus amplius vſus poſſit ſupereſſe.

§. XXIII.

An pluribus impugnantibus ſententiam haec pecunia a ſingulis deponenda ſit?

Ceterum quum haec pecunia a prouocantibus, leuterantibus ſimilique vtentibus remedio deponenda ſit, & aliquando tamen contingat, vt plures vnam eamdemque ſententiam impugnent: dubitari poſſet, omnibus-ne ſimul, an ſingulis ſeorſum hoc onus incumbat? Quod iam olim ita definiuit PAVLLVS; (u) *Si plures adpellant, vna cautio ſufficit, & ſi vnus caueat, omnibus vincit: quum a pluribus ſententiis prouocatur: ſingulae cautiones exigendae ſunt, & de ſingulis poenis ſpondendum eſt.* Quamuis vero hae receptae PAVLLI ſententiae, ex quibus hoc fragmentum decerptum eſt, in foro noſtro non ſint receptae: ratio tamen, qua haec deciſio nititur, etiam in iure noſtro praeſidium reperit. Quoties enim plures ab eadem ſententia eodemque illius capite ex eadem cauſſa prouocant: toties vna tantum haec adpellatio eſt (x), reſcriptumque eſſe memorat VLPIANVS (y), *in communi cauſſa, quoties alter adpellat, alter non, alterius victoriam ei proficere, qui non prouocauit, dum vna eademque cauſſa ſit defenſionis.* Quid ergo aequius eſt, quam vt vnus hoc caſu pro omnibus, vel omnes ſimul vna cautione defungi poſſint. At diuerſa ratio eſt, ſi qui ſeparatim vel vna vel pluribus ſententiis condemnati adpellent. Tunc enim plures eſſe prouocationes, idem docet VLPIANVS (z), ac proinde ne dubitandum quidem videtur, quin & ſinguli deponere legitimam pecuniae ſummam cogendi ſint, ſi vel maxime ex eadem cauſſa condemnentur. Multo magis ergo hoc adfirmandum fuerit, ſi plures ex diuerſis cauſſis, & a diuerſis ſententiis, vel diuerſis eiuſdem ſententiae capitibus prouocent. Tunc enim alter non vincit alteri, nec tam diuerſae prouocationes pro vna haberi poſſunt (a). Ex quibus principiis non adeo difficile intellectu eſt, depoſitione hac non onerandum eſſe eum, qui aduerſarii adpellationi tantum adhaeret, quum, vti recte obſeruat laudatus WILDVOGEL (b), huic non praeſumatur eſſe animus protrahendi litem, ac proinde, deficiente cauſſa, effectum quoque ceſſare oporteat.

(t) ibidem *num.* XVI. *p.* 254.

(u) Paull. *recept. ſentent. lib. V. tit. XXXIII. §. IV. & V.*

(x) C. 72. *X. de adpellat.* l. 10. §. *vlt. ff. de adpellat. & relat.*

(y) *d. l.* 10. §. *vlt. ff. de adpell.*

(z) *d.* L. 10. *pr. ff. eod.*

(a) *d. l.* 10. §. *vlt. l.* 17. *pr. ff. de adpell.*

(b) Wilduogel *de pecun. ſuccumb.* §. *XXXI.*

porteat. Quare STRYCKIVS (c): *Ex adhaeſione etiam id commodi habebit adpellatus, vt, ſi per ſtatutum adpellans certam pecuniae ſummam in caſum ſuccumbentiae deponere teneatur, ad id tamen non teneatur adhaerens.* Quae omnia & de leuteratione, ſupplicatione, aliiſque remediis, quae per leges prouinciales, non niſi depoſita pecunia legitima pecuniae ſumma indulgentur, repetenda eſſe, facile vnus quiſque intelligit.

§. XXIV.

Quanta deponenda ſit pecunia.

Quantitas huius pecuniae maior alibi, alibi minor eſt, plerumque tamen legibus ſaltim ἐν πλάτει definita. Ipſae enim prudentiae regulae generatim ſuadent, vt nihil, vel parum admodum permittatur iudicum arbitrio. At maxime rationem hoc iuſtiſſimam habet in iis rebus, quae ad ſportulas & rem pecuniariam pertinent. *Hinc enim eſt*, inquit CASSIODORVS (d), *quod legum reperta eſt ſacra reuerentia, vt nihil manu, nihil proprio agretur impulſu*: vbi *manum* pro arbitrio dici, erudite obſeruat V. A. CORN. VAN BYNCKERSHOEK (e). Quid vero futurum credis, ſi in iudicis cuiuſque, etiam auari & ſordidi, arbitrio poſitum eſſet, quantas adpellantibus poenas pecuniarias imponere velit? Quam multum hic amori, quam multum odio, quam multum inexplebili habendi cupiditati daturi eſſent iudices, maxime ſi ex pecunia illa, vti paſſim fieri animaduertimus, lucrum aliquod caperent? Attamen pecuniae huius ſummam aliquando ἀπηρίμως & ſtricte, aliquando ἐν πλάτει ac cum latitudine quadam, legibus definiri, animaduertimus. Prioris exemplum eſt, in priuilegiis Lipſienſium, Magdeburgenſium, & quatuor Holſatiae ciuitatum, quae ſupra (§. XIX.) deſcripſimus. Poſterius ita fieri ſolet, vt vel perſonae eiuſque conditionis, vel cauſſae obiectiue litis habeatur ratio. Sane enim quemadmodum olim ſportularum hanc rationem iniri voluerant Romani, vt ſi actor quantitatem centum aureorum vel pauciorum libello complexus eſſet, a reo dimidius aureus ſportularum nomine exigeretur (*f*): ita & poenam temere adpellantium plerique legiſlatores ex ſumma, libello comprehenſa, aeſtimari iuſſerunt. ORDINATIONE CAM. MARCH. (g) cautum eſt, vt, ſi nulla certa ſumma libello comprehendatur, XX. impe-

(c) Stryck. *Introd. ad prax. Cap. XXIII. §. XX.*

(d) Caſſiodor. *Lib. IV. var. Cap. X.*

(e) Bynckershoeck *praetermiſſ. ad L. 2. ff. de orig. iur. pag. 16.*

(f) Theophil. §. 24. *Inſt. de act.* Franc. Iuret. *ad Symmach. Lib. IV. epiſt. LV.*

(g) *Ord. Cam. March. tit. LII. §. X.*

Digitized by Google

imperiales ; alioquin totidem pro ſingulis millibus deponantur : quod & in ORD. MAGDEB. PROC. (h) repetitur. Ex Haſſiacis quoque actis obſeruaſſe ſe, mihi retulit ILLVSTRIS PRAESES, ibi interpoſita, introductaque adpellatione vel reuiſione, iudicium aeſtimare ſolere, quantum pecuniae deponendum ſit, quod & in CAM. IMPERII fieri ſolere a reuiſoribus, teſtantur BENDERVS (i), BLVMIVS (k), & HERTIVS (l). Denique aliquando arbitrio iudicum aliquid relinqui ſolet, ſed ita, vt ſimul quouſque ſe illud porrigere debeat, lege exprimatur. Quale quid factum animaduertimus in Conſtitutionibus MOGVNTINIS (m) & MAGDEBVRGICIS (n), quarum illae imperiales tres vel quatuor, hae quinque vel plures ad decem vſque exigi patiuntur. Vbi rationem habendam eſſe tum perſonarum, tum cauſſarum, nemo non animaduertit.

§. XXV.

An non idonea cautio pro depoſitione ſit ?

Operae porro pretium fuerit, diſquirere, neceſſario-ne illa pecunia deponenda ſit, an & ii ſatisfeciſſe officio videantur, qui de illa in poſterum praeſtanda ſatisdederint, vel pro pecunia aliud quid eiuſdem pretii depoſuerint, vel denique, non repertis pignoribus vel fideiuſſoribus, iureiurando cauerint ? Negat celeberrimus WILDVOGEL (o), partim quia lex vltra mentem legislatoris ad alia non ſit proferenda (p) : partim quod conſtitutiones de hac pecuniae depoſitione ſint correctoriae, ac proinde tam ſtricte omnino interpretandae (q), vt quidquid in eiuſmodi legibus non exprimatur, id pro omiſſo ſit habendum (r) : partim denique, quod finis legislatorum, qui ad coercendam litigantium pertinaciam eſt comparatus, vix obtineretur, ſi cautio hic ſolutionis vel depoſitionis vice fungeretur, quum ſemper poſſit quaeſtio oriri, an cautio ſit idonea ? ſuper qua dum contendant litigatores, fieri non poſſit, quin ipſa cauſſa principalis in longius tempus ducatur. (s) At quum priores rationes ſint ſatis generales, ac totidem fere exempla proferri poſſint, quibus leges, ſiue correctoriae ſint, ſiue confirmatoriae, ad alios caſus proferantur : nec intelligere

(h) *Ord. proc. Magd. emend. cap. XLIII.* §. VIII.

(i) Bender *de reuiſione Concl. V. num. XIII.*

(k) Blum. *Proceſſ. Cameral. tit. LXXIX.* §. XXVI.

(l) Hertius *de iudicio reuiſor.* §. XXVI.

(m) *Ord. iud. Erfurt. tit. XXII.*

(n) *Ord. proc. Magd. emend. Cap. XLII.* §. *I.*

(o) Wilduogel *Diſſ. de pecun. ſuccumb.* §. *XXIV.*

(p) *l. 16. ff. de legibus.*

(q) Meu. *Part.* I. *Deciſ.* CC. n. IV.

(r) *l. 64.* §. *9. ff. de ſolut.*

(s) Meu. *Part. II. Deciſ. LXXI.*

nos fateamur, cur cautio, maxime per fideiuſſores & pignora praeſtanda, non aeque moleſta accidere poſſit adpellantibus, quam ipſa paratae pecuniae depoſitio, vel cur denique mora ac litis protractio, datis prouocanti breuibus induciis non aeque euitari poſſit, ac depoſitione pecuniae: potius ad leges & mores ſingulorum iudiciorum, nec non ad perſonas, a quibus ea depoſitio exigitur, attendendum videtur. Paſſim ipſae leges ac conſuetudines hanc cautionem, ſiue fideiuſſoriam ſiue pignoratitiam admittunt, maxime ſi tanta deponenda ſit pecunia, quantam prouocans tam cito expedire nequeat. Tunc enim durum atque inhumanum eſſet, illi ideo adimi remedium iuris communis, quod non ſtatim in numerato habeat pecuniam. Ipſos Romanos hoc caſu cautionem tum fideiuſſoriam, tum pignoratitiam, admiſiſſe, teſtis eſt PAVLLVS (t), qui de fideiuſſoria: *Quoties*, inquit, *in poena adpellationis cauetur: tam vnus, quam plures fideiuſſores, ſi idonei ſunt, dari poſſunt*: de pignoratitia vero ſcribit (u): *poſſe prouocantem vel poenam*, vel ALIVD PRO EA, *deponere*. Nec minus cauere litigatorem, qui reuiſionem actorum petit, patitur ORDINATIO CAMERALIS (x), qua ſancitur: *Es ſollen ſolche anhaltende Partheyen zuvor, und ehe ſolche revision vorgenommen, eine ſumma Geldes, welche nach Gelegenheit der perſonen und Sachen durch die verordnete Viſitatoren gemäſſiget werden ſoll, im fall, daſs die geſprochene Vrtheil gerecht erfunden, dem Kayſerlichen Fiſco zur Straffe und zu Errichtung des Koſtens, ſo iederzeit auf ſolch Syndicat und reuiſion gehet, erlegen, und damit genugſamlich verbürgen.* Quae poſtrema verba, quamuis copulatiua, alternatiue tamen accipienda eſſe, monent iuris cameralis interpretes (y) ſimul obſeruantes, ſaepe pauperes, quibus nec fideiuſſorum, nec pignorum copia ſit, iurato tantum promittere, ſe, ſi temere eo remedio vſi in poſterum eſſe videantur, poenam illam, vel quamcunque irrogaturi ſint viſitatores, daturos (z). Denique & in Holſatia cautionem pro depoſitione eſſe, patet ex conſtitutionibus iſtius prouinciae (a), quibus de iis, qui a quatuor vrbibus, iure Lubecenſium vtentibus, prouocaturi ſunt, cauetur, *es ſolle ihnen folgender geſtalt*

(t) Paull. *recept. ſent. Lib. V. tit.* XXXIII. §. *III.*

(u) *ibidem* §. *II.*

(x) Ord. Cam. *Part. III. tit. LXIII.* §. VII.

(y) Roding. *pand. cameral. Lib. III. Tit.* LXI. *p.* 1017.

(z) Harprecht *de caut. iurat.* §. *XLVI.*

(a) Revidirte Land-Gerichts-Ordn. der Hertzogth. Schleſw. und Holſt. *Part. IV. tit.* VI. §. III.

geſtalt und maſſen freygelaſſen ſeyn, daſs ſie die adpellanten verborgen oder mit hingelegten gnugſamen Pfanden Verſicherung thun ſollen, da ſie der adpellation verluſtig würden, daſs ſie 5. Marck Lubiſch den vier Stâdten erlegen und abtreten vvollen. Und ob ſie, die Adpellanten, Bürgen nicht konten bekommen, oder auch keine gnugſame Pfande zu hinterlegen hâtten, ſollen ſie die iuratoriam cautionem beſtellen. Denique & alibi aliquando inopia prouocantis mouet iudices, vt tam amare non vrgeant depoſitionem pecuniae, ſed qualicumque cautione contenti eſſe malint. Nam licet in priuilegio Lipſienſium abſciſſe requiratur depoſitio pecuniae: cautionem tamen ſiue fideiuſſoriam, ſiue iuratoriam, a paupere praeſtitam, non adſpernandam eſſe, cenſuit Sereniſſimus Saxoniae Elector apud RIVINVM (b), cuius iam verba ſupra dedimus.

§. XXVI.

Quando deponenda ſit haec pecunia?

De eo vero minus licet dubitare, quod intra certum tempus deponenda ſit huiusmodi pecunia, niſi impugnaturus ſententiam remedio ſuo priuari cauſſaque cadere velit. Spacium iſtud temporis modo laxius, modo adductius eſt, eaque in re ſingularum prouinciarum leges ſunt conſiderandae. In camerali imperii dicaſterio, pecuniam illam reuiſionis cauſſa, non ſtatim, petito hoc remedio, deponi, ſed demum, facta a viſitatoribus moderatione, quam vocant, deponenda eſt (c). Prouocantibus ad ſuprema imperii iudicia in ORD. PROC. MAGD. EMEND. (d) induciae dantur quatuor hebdomadum a die interpoſitae adpellationis, addita comminatione, pro deſerta habitum iri prouocationem, niſi pecunia intra hoc tempus deponatur. Ibidem (e) iis, qui ſibi nullitatis querela vtendum eſſe exiſtimant, non quidem certum tempus conſtituitur, quo deponi oporteat pecuniam, ſed additur tamen, *es ſolle ehe darauf nichts verordnet werden.* Denique eadem conſtitutione prouinciali (f) & leuterantibus iniungitur, vt definitam pecuniae ſummam die a regimine conſtituto, (*binnen der in der auf die Leuterungs-oder Oberleuterungs-Schedul ertheilten Verordnung beniemten Zeit*,) ſub poena deſertionis deponant. Nimirum inter ſollemnia adpellationis aliorumque remediorum referenda eſt haec pecunia. Sollemnibus vero illis neglectis, perinde eſt,

 ac

(b) Riuin. *ibid.*
(c) Blum. *proceſſ. cam. tit. LXXIX. n.* XXVI.
(d) Ord. proc. Magd. emend. *Cap.* XLIII. §. XIX.
(e) ibid. *Cap. XLIV.* §. *I.*
(f) ibid. *Cap. XLII.* §. VI.

ac ſi non eſſet prouocatum (g) : ſiquidem paria ſunt, aliquid non eſſe factum, & non rite, eoque, quo oportebat, modo factum eſſe (h).

§. XXVII.

Tempus hoc poteſt prorogari, maxime abſente prouocante.

Enimuero quemadmodum hae ſollemnitates, non ita comparatae ſunt, vt prorogari a iudice nequeant : ita nec dubitari poteſt, quin & ad expediendam hanc pecuniam aliquando puſillum laxamenti concedi queat. Id quod tum potiſſimum fieri memini, ſi prouocante procuratore, vel aliud interponente remedium, abſente domino, locisque tam diſſitis, ſperari vix poſſet, pecuniam tam cito ſubmiſſum iri. Quamuis enim exiſtimet beatus WILDVOGEL (i), ſyndicos quoque & procuratores non minus, quam ipſos mandantes, ad deponendam hanc pecuniam eſſe obſtrictos, eamdem tamen illos ideo, quod officium ſuum nemini damnoſum eſſe debet (k), iure repetere : tamen, quum procuratores hodie non ſint domini litis, nec vlterius, quam quatenus mandatum ſuſceperunt, teneantur, denique non adpareat eos ſuſcepiſſe mandatum, impenſas pro domino faciendi : vix arbitramur, quemquam ſiue ſyndicum, ſiue procuratorem, inuitum cogi poſſe ad pecuniam illam pro vniuerſitate vel domino deponendam, niſi forte ab his ei certa pecunia data vel adſignata ſit, *zum künftigen Vorſchuſs*, eaque ad exſoluendam hanc ſummam ſufficiat. Tunc enim tantum abeſt, vt ab hoc onere immunis ſit, vt ad reſarciendum omne damnum teneatur domino, ſi mora ac tergiuerſatione ſua effecerit, vt remedium, quod interponi oportuit, pro deſerto haberetur : quamuis & hoc caſu beneficium reſtitutionis in integrum domino non ſit denegandum, ſi excuſſo procuratore, inanem aduerſus illum actionem eſſe adpareat (l). Neque obſtat, ad pecuniam hanc deponendam teneri negotiorum geſtorem, tutorem, maritum. Quum enim hi omnes abſentium pupillorum vxorumque bona adminiſtrent, ac proinde & inde pecuniam petere ſoleant : id dici non poteſt de procuratore, cui ſolum id negocii datum eſt, vt cauſſam in iudicio peragat. Ceterum & procuratorem, ſi ſine mandato calumnioſe prouocarit, & tutorem curatoremue damnum ferre debere, nec regreſſum habere aduerſus dominum, pupillum, vel minorem, ſatis patet ex loco VLPIANI : *Si procurator tuus,*

vel

(g) Mev. *Part. II. deciſ.* VIII.

(h) *l. 6. ff. qui ſatisd. cog.*

(i) Wilduogel *de pecun. ſuccumbent.*

(k) *l. 7. ff. teſt. quemadm. aper.*

(l) *l. 8. §. 1. ff. mand. l.* 13. §. *vlt. C. de iud.*

§. *XXXII.*

Digitized by Google

vel tutor vel curator ius dicenti non obtemperauerit, ipſe punitur, non dominus vel pupillus (m). Neque enim alia ratio eſt poenae, a contumace, quam a temere prouocante ſoluendae, quia vtrobique plectitur litigantis peruicacia.

§. XXVIII.

Victor hanc pecuniam repetit.

Haec de depoſitione huius pecuniae dicta ſunto. Quod ad effectum iſtius depoſitionis attinet, ille ex fine elucet. Quum enim ideo deponenda ſit haec pecunia, vt poenam & damnum ſentiat is, qui calumnioſa prouocatione, alioue remedio abuſus, litem immortalem reddere ſtuduit: conſequens eſt, vt ei, qui iuſtam adpellandi ſententiamue impugnandi rationem habuerit, & ſecundum quem litem dederit tribunal ſuperius, pecunia illa reſtituenda. Neque enim ſine delicto poena intelligitur (n). Et quamuis mulctae, ſemel depenſae, repeti non ſoleant (o): id tamen tunc demum verum eſt, ſi culpa vel fraus anteceſſit (p), ſine qua poena eſſe non poteſt (q). Et hinc diſerte praecipiunt legislatores quidam, vt prouocanti, alioue remedio impugnanti ſententiam, ſi victoria potiatur, depoſita pecunia reſtituatur. Veluti in ORD. PROC. HASSIACA: *Da denn daſelbſt vor den Appellanten geurtheilet vvird, ſoll ihm ſolch deponirt Geld vvieder gefolget und erſtattet vverden.* Et in ORD. CAMERALI (r): *Vnd im fall, da die urtheil aus überſehen der Richter als nichtig oder ungerecht reformiret vvürde, ſoll der Parthey ihr erlegt Geld vviederum zugeſtellet, und mit der execution ſolcher reformirten Vrtheil an dem Cammer-Gericht vollfahren vverden.* Sufficere autem ad repetendam pecuniam videtur, ſi ſemel ſequuta ſit ſententia reformatoria, quamuis poſtea, interpoſita ab aduerſario leuteratione, vel alio remedio, cauſſa poſtea ceciderit prouocans. Quia enim vt in poenam temerariae prouocationis cedat, deponi ſolet haec pecunia: in eum ſane cadere non poteſt calumnioſae prouocationis ſuſpicio, pro quo lata eſt ſententia, quamuis ea poſtea nouo remedio euerſa ſit. Quare quum & expenſae ſoleant compenſari, ſi pars vtraque litigans pro ſe habeat ſententiam (s), idque ex ea ratione, quod

(m) *l. vn. §. 2. ff. ſi quis ius dic. non ob. temp.*

(n) *l. 2. §. pen. l. 6. ff. de decurion. l. 22. C. de poen.*

(o) *l. 42. l. 49. ff. de condictione indebiti.*

(p) *l. 1. §. 2. ff. ſi is, qui teſtam. lib. eſſe iuſſ.*

(q) Auguſtin. *Retractat. Lib. I. Cap. IX.*

(r) Ord. Cam. *Lib. III. tit. LXIII. §. XII.* Lynck. *Deciſ.* DCCCCXXXV.

(s) Gail. *Part. I. obſeru. CLII. n. IV. ſequ.*

quod pro temere litigante non videatur habendus : cur quaeſo temere videretur prouocaſſe, ſecundum quem lis ſemel data eſt? Idem multo magis dicendum fuerit de eo caſu, ſi qui prouocauit, alioque remedio impugnauit ſententiam, ſaltim vnum alterumue grauamen tam iuſtum habuerit, vt in quibuſdam capitibus prior ſententia reformetur. Solent enim adpellantes etiam iniqua petere, vt aequa obtineant : & tunc ſatis purgaſſe pudorem videntur, ſi in vno alteroue capite vicerint, vt temere & per calumniam prouocaſſe haud videantur (t).

§. XXIX.

Eamdem amittit victus, an & is, qui adpellationi renunciauit, & qui fatalia poſtea negligit?

Contra nullum eſt dubium, quin in commiſſum cadat haec pecunia, ſi male ceſſerit adpellatio, ſententiaque prior confirmata ſit. Hinc enim in caſum ſuccumbentiae, ceu vulgo loquuntur, deponi dicitur, vt poena in hunc caſum depoſita procul dubio committatur, ſi ex euentu conſtet, male ac temere eſſe prouocatum (u). Quum vero aliquando prouocationem ſuam miſſam faciant, eique renuncient adpellantes : aliquando ea, neglectis fatalibus, pro deſerta habeatur : denique aliquando tranſactione lis finiatur : merito diſquiritur, an tunc quoque pro commiſſa ſit pecunia illa depoſita ? Primam quaeſtionem adfirmat laudatiſſimus WILDVOGEL, (x) ex ea ratione, quod adpellatione interpoſita iudici ratione poenae ius quaeſitum eſſe videatur (y), quod illi auferri nequeat, (z) nec poenitentiae facile locus relinquatur, quum res non amplius ſit integra (a). Enimuero ſi rationem huius poenae conſideres, ea, vti iam ſupra monuimus, in eo conſiſtit, vt adpellandi temeritas, quae cum iudicis inferioris iniuria quodammodo coniuncta eſt, coerceatur. Quis vero eum ſemper temere adpellaſſe vel iniuria adfeciſſe iudicem dixerit, qui prouocationi ſuae renunciat, quum id aliquando ex verecundia potius & odio litis faciat, quam quod depoſitam conclamatamque cauſſam ſuam eſſe, exiſtimet ? Verum deinde eſt, ius quaeſitum nemini, adeoque nec iudici, eſſe interuertendum : ſed iudici vllum in poena ius quaeſitum eſſe, vbi delictum non admittitur, vix crediderim, neque id leges a Dno WILDVOGELIO adlatae probare videntur. Denique quidni hic poenitentiae locus ſit, quum in fauorem adpellantium inducta ſit adpellatio, & quiſque iuri in fauorem ſui introducto licite renunciet?

(t) Meu. *Part.* VII. *Deciſ.* CCXLI.
(u) Arg. *l.* 12. §. 1. *ff. rem rat. hab.*
(x) Wilduogel *de pecunia ſucc.* §. XLII.
(y) *l. vlt. pr.* C. *de adpell.*
(z) *l.* 11. *ff. de reg. iur.*
(a) *l.* 23. *ff. de recept. arbitr.*

Digitized by Google

renunciet ? Quod obſeruans vir doctiſſimus, ipſe demum concedit, diſtinguendum eſſe, fueritne ante citationem ad cauſſas adpellationis reddendas inſinuatam, an, ea iam inſinuata, prouocatum, & priore caſu id impune fieri; poſteriori poenam depoſitam merito pro commiſſa haberi, exiſtimat. Idque rectiſſime ob Conſtitutionem ARCADII & HONORII AA. (c) *ſi quis libellos adpellationis ingeſſerit, ſciat, ſe habere licentiam arbitrium commutandi, & ſuos libellos recuperandi, ne iuſta* POENITVDINIS *humanitas amputetur.* Cuius vero rei licentiam indulgent leges, id nec pro delicto, ne poena dignum poteſt exiſtimari. Magis de adpellatione deſerta dici poteſt, ob eam committi pecuniam depoſitam, quum omnino vel malitiam, vel culpam quandam prouocantis inuoluat, eaque merito coercenda ſit (d). Vno quidem caſu & deſertionem a poena immunem eſſe ſtatuit laudatus WILDVOGEL (e), ſi iuſta adpellandi cauſſa ſit, ſiquidem tunc deſertio potius ex odio atque exſecratione litium, laudanda potius, quam vituperanda (f), facta eſſe intelligatur. Sed quum tunc ſuper grauaminibus non pronuncietur, nec proinde conſtare poſſit, iuſtaene ſint prouocandi cauſſae, an iniuſtæ, vix vmquam fortaſſis ab eo recuperabitur pecunia, cuius adpellatio ob neglecta tempora adpellationis pro deſerta habetur.

§. XXX.

An is, qui cum aduerſario tranſegit pendente adpellatione?

Eamdem diſtinctionem ac *διαίρεσιν* & tunc ſeruandam eſſe cenſet vir doctiſſimus (g), ſi pendente adpellatione tranſactum fuerit. Id enim ſi factum ſit, antequam citatio decreta, impune factum videri: ſin citato adpellato, pecuniam depoſitam merito pro commiſſa habendam eſſe. Sed malim ego ipſam tranſactionem expendere. Si quis enim, qui antea a ſententia prouocauit, poſtea dato aliquo, vel relicto, liti & cauſſae renunciarit: quis dubitet, quaeſo, quin ipſe quaſi confeſſione ſua ſe condemnari, ſeque temere & litigaſſe & prouocatione ſimilibusque remediis vſum eſſe, agnouerit? Quid vero ſi aduerſarius pendente adpellatione vel vltro, vel ſuadente iudice, prouocanti huiusmodi offerat conditionem, vt accepto aliquo vel retento a proſequenda adpellatione deſiſtat, & hic, ſimiliter perſuaſus a iudice, liti & cauſſae renunciet? Quis, quaeſo, hunc temere prouocaſſe contendat? An non ipſe potius euentus oſten-

 dit,

(c) *l. 28. C. de adpell. & conſult.*
(d) *l. vlt. C. quando prou. non eſt neceſſ.*
(e) Wilduogel *de pecun. ſuccumb.* §. XLIV.
(f) *l. 4. §. 1. ff. de alien. iudic. mut. cauſſ.*
(g) Wilduogel *ibid.* §. XLIII.

dit, ponderis haud exigui fuiſſe grauamina, quae metuens adpellatus tam iniquis conditionibus tranſegit? Praeterea, ſi iudice conciliante, ei tranſactioni locum dedit prouocans: qui fieri poſſit, vt id tamquam delictum & calumnia habeatur, quod auctore iudice factum eſt, cuius ad religionem atque officium pertinet, dare operam, vt quouis modo lites finiantur (h)? Tranſactio ſane non modo, quod ad auctoritatem & effectum attinet, ſed & quod ad deciſionem, vim rei iudicatae obtinet (i). Hinc qui tranſigunt cauſſam DECIDERE dicuntur, eaque loquutio in iure noſtro vbique obuia eſt (k). Quemadmodum ergo non decidi poteſt cauſſa, quin vel ſecundum vnam, vel alteram partem lis detur: ita nec tranſigi fere vmquam poteſt, quin adpareat, vtrius cauſſa ſit iuſtior, niſi forte ea lege fiat tranſactio, vt rem litigioſam aequa lance inter ſe diuidant: quamuis & hoc caſu prouocatio non videri poſſit temere interpoſita, qua tantum lucrum is, qui prouocauit, eſt conſequutus.

§. XXXI.

Cuinam cedat pecunia illa, ſi pro commiſſa habeatur?

Ceterum operae pretium fuerit, ſub finem adhuc quaerere, cuinam pecunia illa commiſſa cedat? Eam vero fiſco vindicat ſaepe laudatus WILDVOGEL (l), quippe cui regulariter mulctae debentur (m). Quamuis enim alioquin mulctae, tamquam fructus iurisdictionis, ei, cuius eſt iurisdictio, competant: id tamen de ordinariis tantum iurisdictionis fructibus, non de his extraordinariis, intelligendum eſſe, monet. Quamuis vero nondum me intelligere fateor, cur magis pro extraordinario fructu iurisdictionis habenda ſit mulcta illa temere adpellantium, quam aliae: veriſſimum tamen eſt, leges ac conſuetudines quarumdam prouinciarum ac tribunalium hanc pecuniam ſiue totam, ſiue pro parte, fiſco vindicare. Sic ORD. CAM. IMP. (n) ſaltim partem pecuniae ab iis, qui reuiſionem petunt, deponendae fiſco addicit, dum diſponit: *Daſs im im fall, daſs die geſprochene Urtheil gerecht erfunden würde, das erlegte Geld dem Kayſerlichen fiſco zur Straffe und Erleichterung der Koſtens &c. verbleiben ſolle.* Eodem exemplo & in

(h) Meu. *Part. III. deciſ.* CCXLV. n. III.

(i) *l. 2. C. de tranſact. & ibi Brunnemannus.*

(k) *l. 46. ff. de rei vind. l. 29. §. 1. ff. de inoff. teſt. l. 23. C. de tranſact. l. 7. ff. de condict. furt. l. 3. ff. ad L. Falcid. l. 13. C. de furt. l. 7. l. 19. l. 14. C. de tranſact.*

(l) Wilduogel *ibid.* §. *XLI.*

(m) *l. 5. C. de modo mulct. quae a iud. infig.*

(n) *Ord. Cam. Imp. Part.* III. *tit.* LXIII. §. VII.

Digitized by

in Haſſia fiſco cedere hanc pecuniam commiſſam, ex ipſis conſtitutionibus Haſſiacis iam obſeruauit Dn. WILDVOGELIVS (o). At ſicuti in aliis, ita & hac in re, diuerſae ſunt diuerſarum prouinciarum leges & conſuetudines. Alicubi enim pecunia illa, non fiſco, ſed illi, qui acta recenſuit, ſententiamque concepit, quem vocant *den Referenten*, cedit. Alicubi pauperibus, aliiſque piis cauſſis, adplicatur. Saltim in tribunali eccleſiaſtico Magdeburgico poſterius obſeruari voluit legislator potentiſſimus, dum anno MDCCIX. reſcripſit (p): *Daſs in Zukunft bey dem Conſiſtorio die Succumbentz-Gelder, gleichwie bey der Regierung geſchiebet, bey denen eingewandten leuterationen erleget, und die davon fallende Gelder zur Armen-Caſſa verwendet werden ſollen.* Vbi municipiis id per modum priuilegii conceſſum eſt, vt adpellari ab eorum ſententiis non poſſit, niſi depoſita pecunia: ibi commiſſam hanc mulctam eorum aerario inferendam eſſe, ſatis conſtat, idque ipſa priuilegia ſupra a nobis recenſita, loquuntur. Itaque res redit ad ſingularum prouinciarum leges ac conſuetudines, vt nihil, quod in vniuerſum & vbique obtineat, ſtatui poſſe videatur.

§. XXXII.

Concluſio diſſertationis.

Plura, eaque non inutilia, dici poſſent de hac pecunia in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus, alioue vtentibus remedio deponenda, niſi & temporis & ipſius chartae, huic exercitationi deſtinatae, habenda eſſet ratio. Enimuero, quum non niſi ſpicilegium eorum, quae iam laudatus Dn. WILDVOGEL delibauit, dare decreuerim: ego, ne illud in iuſtam meſſem euadat, calamum pono, Deoque optimo maximo pro gratia, qua ſtudia mea adhuc proſequutus eſt, gratias, quas poſſum concipere, maximas ago.

(o) Wilduogel *ibid.* §. *XXXIX. XL. XLI.*
(p) Myl. *Corp. Conſt. Magdeb. Part. II. n. XIII. pag.* 297.

DE MONETAE REDVCTIONE AD IVSTVM PRETIVM.

AD LEG. I. COD. DE VET. NVMISM. POTEST.

EXERCITATIO XXVIIII.

§. I. *Numi vel pecuniae neceſſitas.* §. II. *Eiuſdem requiſita.* §. III. *Ad pretium & valorem numorum conſeruandum pertinet Lex I. C. de vet. numiſm. poteſt.* §. IIII. *Legis huius chronologia & hiſtoria.* §. V. *Pars eius prior de numis principum non detrectandis.* §. VI. *Quinam in illa dicantur,* NVMOS DISTRAHERE? §. VII. *Lex noſtra ad collybiſtas, menſarios, collectarios, pertinuit, & in oriente diu viguit.* §. VIII. *Similes leges & in occidente latae.* §. VIIII. *Poena eorum, qui probum numum reiecerint.* §. X. *Pars legis poſterior de improbis numis reiiciendis.* §. XI. *Cuiusnam apud Romanos iudicium de bonitate numorum fuerit?* §. XII. *Axiomata ex hac lege. In magnis imperiis principum numi non reiiciendi ſunt a ſubditis.* §. XIII. *An idem & in Germania ſeruari poſſit? Leges Germ. de re numaria ſaluberrimae.* §. XIIII. *Saepe numi in Germania ad iuſtum pretium reducendi. Quae cura laude digniſſima.* §. XV. *Ius hoc initio fuit penes priuatos.* §. XVI. *Poſtea ad publicam curam reuocatum eſt.* §. XVII. *Partim ſingulorum Imperii ordinum.* §. XVIII. *Partim circulorum, ſiue ſingulorum, ſiue foederatorum, &, qui iis praeſunt, Directorum.* §. XVIIII. *Laus decreti de re monetaria nuper a variis Circulis editi.* §. XX. *Partim totius Imperii.* §. XXI. *Numorum emendatio & reductio ad iuſtum pretium requirit morbi cognitionem.* §. XXII. *Statuenda certa norma, quae vocatur der Müntzfuſs.* §. XXIII. *Ea attemperanda auri argentique pretio.*

Digitized by Google

tio. §. XXIIII. *Quae fuerit auri argentique analogia apud Hebraeos & Graecos?* §. XXV. *Quae apud Romanos?* §. XXVI. *Quae apud Germanos veteres & recentiores?* §. XXVII. *Ob diuerſitatem pretii norma haec aliquoties mutata.* §. XXVIII. *Pretium hoc maxime intenditur ob luxuriam.* §. XXVIIII. *Nec non ob licentiam aurum argentumque diſtrahendi, promiſcue conceſſam.* §. XXX. *Conſtituta rite norma, cogitandum eſt de ſurrogato.* §. XXXI. *Tunc reliqua facile obtinebimus. Votum pro felice publicorum conſiliorum exitu.*

§. I.

POSTEAQVAM, aucto in immenſum genere humano, dominia diſtinguere, agris terminos ponere, commercia denique & obligationes inſtituere placuit: nihil vnquam ab ingenio humano excogitatum eſt praeſtantius, nihil ſalutarius, quam numus, quo, tamquam communi menſura atque eminente rerum omnium pretio, aeſtimare res omnes, eaſque, quibus indigemus, nobis ſine vllo damno poſſimus comparare. Quanta enim cum vtilitate inſtitutum hoc coniunctum ſit, non facilius quiſquam intelliget, quam comparatis inter ſe commerciis, qualia ea ante inuentum numum eſſe oportuit, & qualia ſunt ab eo tempore, quo inſtitutum iſtud paene communi omnium gentium ſuffragio probatum eſt. Quod dum facit PAVLLVS noſter (a), ſummam ille hanc cogitationum ſuarum facit: *Origo emendi vendendique a permutationibus coepit. Olim enim non ita erat numus, neque aliud merx, aliud pretium: ſed vnusquiſque ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum vtilibus inutilia permutabat, quando plerumque euenit, vt quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non ſemper & facile conueniebat, vt, quum tu haberes, quod ego deſiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia eſt, cuius publica ac perpetua aeſtimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis ſubueniret, eaque materia, forma publica percuſſa, vſum dominiumque non tam ex ſubſtantia praebet, quam ex quantitate, nec vltra merx vtrumque, ſed alterum pretium vocatur.* Quo loco, ex ARISTOTELE (b), vt videtur, expreſſo, prudenter monet iureconſultus, principio rerum homines auri argentique, maximarum peſtium,

Numi vel pecuniae neceſſitas.

(a) L. 1. *princ. D. de contrah. emt.*
(b) Ariſtotel. *Ethic. ad Nicom. Lib. V. Cap.* VIII. *&* *Polit. Lib.* I. *Cap.* VI.

ſtium, ignaros, vice rerum commercia exercuiſſe, hoc vero commerciorum genus id praecipue difficultatis incommoditatiſque habuiſſe, quod nec ſemper alteri ſupereſſet, quod deeſſet alteri, & ſaepe alter id, quod alter dare vellet, adſpernaretur, & ipſarum denique rerum, quas inter ſe permutare vellent, tam lubrica atque incerta eſſet aeſtimatio, vt non poſſet non alteruter damni incurrere periculum, immo plerumque contingeret, quod de permutatione Glauci ac Diomedis memoriae prodidit HOMERVS (c), vt permutarent

> Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων
>
> *Aurea aereis, centena nouenariis.*

Quare demum ipſam neceſſitatem inuexiſſe numi vſum, eoque vno his difficultatibus potuiſſe ſubueniri, quum is non ſubſtantia, ſed quantitate, aeſtimetur, & recipiatur ab omnibus ob pretium, quod publica auctoritate illi tributum eſt, & aequalitas denique, ac mutua inter res & pretium relatio in numo, vt in quantitate, facillime poſſit reperiri. Et haec quidem eſt PAVLLI ſententia, quam erudite, vt ſolet, expoſuit V. C. PERIZONIVS, (d) minime omnium vero ceperunt GVIL. BVDAEVS (e), & CLAVD. SALMASIVS (f), quorum ille textum ſollicitat, & pro *ex quantitate* reſcribi iubet *ex qualitate*, vim hanc iniuſtam merito prohibente FRANC. DVARENO (g), hic autem per quantitatem intelligit numerum, quum manifeſtum ſit, quantitatem iureconſulto eſſe aeſtimationem vel pretium, quod numo veluti ex compacto ſtatuerunt gentes, inter quas intercedunt commercia.

§. II.

Eiuſdem requiſita. Quantacumque vero ſit numi vel pretii eminentis vtilitas; manifeſtum tamen eſt, eam ſperari non poſſe, niſi de duobus capitibus inter omnes conueniat, puta, vt numo probo iuſtum ab omnibus pretium ſtatuatur, deinde vt numis, quibus in commercio vtimur, ſua conſtet bonitas interna, & pondus legitimum. Nam quemadmodum nullus numi vſus eſt inter gentes, quae nihili faciunt pecuniam, quod ſua adhuc aetate de maioribus noſtris obſeruauit TACITVS (h), de Satarchis, Scythiae Europaeae populo,

(c) Homer. *Iliad.* II. *v.* 236.

(d) Iac. Perizon. *de aere graui* §. II. *p.* 6. *ſequ.*

(e) Guil. Bud. *ad l.* 1. *ff. de contrah. emt.*

(f) Cl. Salmaſ. *de Vſur.* Cap. XV. *p.* 443.

(g) Duaren. *Diſput. anniuerſar.* Lib. I. Cap. VI.

(h) Tacit. *de morib. German.* Cap. V.

lo, POMP. MELA (i), de Colchis BVSBEQVIVS (k), de gentibus Americanis tantum non omnibus ſcriptores, qui de illarum moribus atque inſtitutis exſtant, plurimi, de Lapponibus denique OLAVS (l): ita ſi interna ſua bonitas ponduſque non conſtat numo, reperiri non poterit illa aequalitas, ob quam ille inuentus eſt, ac proinde alterutrum contrahentium non parum detrimenti capere oportebit, quin id potius continget, quod de ſua aetate refert CICERO (m): *Iactatur numus, ſic, vt nemo poſſit ſcire, quid habeat.* Hinc antiquiſſimis temporibus, quum adhuc rude aurum, argentum, aes pro pecunia daretur, vel certe nondum ad eam perfectionem perducta eſſet ars ſignandi monetam, vt numis certa & aequalis forma, certumque pondus eſſet, mercatores non ſolum explorabant metallum, probumne, an adulterinum eſſet, verum etiam illud ſibi inuicem non adnumerabant, ſed adpendebant. Quem ritum iam ab Abraami temporibus obſeruatum eſſe, nouimus (n): idemque de Iobi aetate pluribus demonſtrauit FRIDERICVS SPANHEMIVS (o). Et quis ignorat, ipſos etiam Romanos, multo poſt, quum iam numo vterentur, vetuſtum illud commercii genus adumbraſſe per aes & libram in mancipationibus, eoſdemque & *pendere* & *adpendere numos* dixiſſe pro adnumerare (p), quin ne tunc quidem, quum gentes omnes arte cudendi numiſmata ſuperarent, a vetere illo ritu prorſus abſtinuiſſe (q)? Quae omnia argumento ſunt luculentiſſimo, gentes vetuſtas nihil prius, nihilque habuiſſe antiquius, quam vt numi probi tantum iuſtique ponderis expenderentur.

§. III.

Ad pretium & valorem numorum conſeruandum pertinet l. 1. C. de

Quapropter vtrumque illud caput ad curam ſuam pertinere ſemper exiſtimarunt boni principes, dederuntque operam, vt nec probi numi ab hominibus callidis & lucricupidis temere reprobarentur, nec furtim ſub lectorum bonorumque ſchemate vel adulterini, vel iuſto pondere internoue valore deſtituti, magno reipublicae malo iactarentur. Argumento ſunt eorum leges, etiam hodie ſuperſtites, ex quibus iam vnam ſeligere iuuat VALENTI-NIANI

(i) Pompon. Mela *de ſitu orb. Lib.* II. *cap.* I.

(k) Busbequ. *Epiſt.* III. *p.* 205.

(l) Olaus *Lib.* IV. *Cap.* V.

(m) Cicero *de Offic. Lib.* III. *Cap. XX.*

(n) *Geneſ. XXIII.* 16.

(o) Frider. Spanhem. *Hiſt. Iob. Cap. XI.* §. *XIII. & XIV.*

(p) *L.* 34. *D. de iur. dot. l.* 52. §. 15. *D. pro ſoc.* Ezech. Spanhem. *de vſu & praeſt. numiſm. Diſſ.* I. *pag.* 13. *Tom.* I.

(q) Caſſiodor. *Variar. Lib.* VII. *cap. XXXII.*

vet. numiſm. poteſtate.

NIANI & VALENTIS Imperatorum (r), cuius occaſione de iure monetas ad iuſtum valorem vel pretium reducendi quaedam diſſeramus: non, quod talia iuris publici vel vniuerſalis, vel Germanici, capita ex iure Romano cum IO. OTTONE TABORE cenſeamus eruenda: ſed vt vel eo exemplo demonſtremus, principia, quibus hodie in conſtituenda re numaria vtuntur principes ceterique Imperii ordines, tam eſſe ipſi rectae rationi conſentanea, vt nec olim vlla fuerit gens paullo ſapientior, quae non iiſdem vſa ſit iam pridem, facemque praetulerit poſteris, ne, quid factu opus ſit, ignorarent. Verba autem legis noſtrae ita ſe habent: *Solidos, veterum principum veneratione formatos, ita tradi ac ſuſcipi ab ementibus & diſtrahentibus iubemus, vt nihil omnino refragationis oriatur: modo vt debiti ponderis ſint, & ſpeciei probae: ſcituris vniuerſis, qui aliter fecerint, haud leuiter in ſe vindicandum.* Quamuis vero haec lex abſit a CODICE THEODOSIANO: tamen & illi geminam paene CONSTANTINI M. conſtitutionem inſertam reperimus (s), nec abſimilis ipſius Valentiniani lex inter eius NOVELLAS (t) occurrit. Praeterea & multo poſt Valentiniani tempora eadem paene conſtituit non modo IVSTINIANVS, ſanctione illa pragmatica, quam ad Vigilii, Epiſcopi Romani, petitionem edidit (u): verum etiam LEO Sapiens Imperator (x); cui & noſtra haec, quam expendere iam decreuimus conſtitutio, digna viſa eſt, quae tamquam lex perpetuo valitura in vaſto illo ac aeterno opere ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ (y) integra legeretur.

§. IIII.

Legis huius chronologia & hiſtoria.

Anni, quo haec VALENTINIANI & VALENTIS conſtitutio edita eſt, nullum prope exſtat veſtigium, quia cum in reliquis huius tituli conſtitutionibus, tum in hac quoque, ſubſcriptiones plane deſiderantur. Attamen indemnes nos quodammodo praeſtat inſcriptio: IMPP. VALENTINIANVS ET VALENS AA. GERMANO P. P. Ex ea enim colligimus, editam eſſe hanc conſtitutionem inter annum erae Chriſtianae CCCLXV. qua praefectura praetoriana Galliarum fungi coepit *Germanianus*, vti in Codice Theodoſiano &

(r) LEX I. C. DE VET. NVMISM. POTEST.

(s) *l.* I. *C. Theod. ſi quis ſolidi circ. exterior. incid.*

(t) *Nouella Valentiniani XXV.*

(u) Iuſtinian. *ſanctio pragm. ad petit. Vigilii cap. XX. de mutatione ſolidorum, i. e. monetae.*

(x) *Nouell. Leon.* LII.

(y) Baſilic. *Lib.* XIV. *tit.* XVIII. *lege* I.

(z) & apud AMMIANVM MARCELLINVM (a) vocatur, vel *Germanus*, vti perpetuo adpellatur in codice Iuſtinianeo (b), & annum CCCLXVII. quo, iam alius, nomine Florentius, ad ſublime iſtud honorum faſtigium adſpirauerat. Nec minus ea inſcriptio nos docet, conſtitutionem illam non tam ad orientem, quam ad occidentem, cuius pars haud poſtrema erat praefectura Galliarum, pertinuiſſe. Tanta enim, obſeruante IAC. GOTHOFREDO, (c) in illo imperii tractu tum erat rei metallicae ac numariae perturbatio, tanta confuſio, vt Valentinianus Imp. qui in rem praeſentem venerat, totumque paene annum haeſerat Remis in Gallia, (d) morbo iſti peſtilentiſſimo mederi ſtuderet pluribus conſtitutionibus; quarum quaedam adhuc in CODICE THEODOSIANO (e) exſtant. Earum vero haud poſtrema fuit haec noſtra, quae cur ad hunc Germanianum potiſſimum miſſa ſit, intellectu non adeo difficile eſt, quum ex illis codicis Theodoſiani fragmentis pateat, eum non tantum praefectura praetoriana functum eſſe, ſed & *comitem* fuiſſe *ſacrarum largitionum* (ee) cuius ad diſpoſitionem & metallorum omnisque rei pecuniariae & commerciorum cura pertinebat (f). Vnde in NOTITIA IMPERII ORIENTALIS (g) & OCCIDENTALIS (h) ſub eius diſpoſitione eſſe dicuntur *comites commerciorum*, *comes metallorum per Illyricum*, *procuratores monetarum*, *comes auri*, *procuratores brambaricariorum ſiue argentariorum*, & ſimiles. Et CASSIODORVS (i) inter alia id quoque negotii datum eſſe teſtatur ſacrarum largitionum comiti, *vt figura vultus principalis metallis vſualibus imprimeretur, monetamque faciendam curaret, de ſuis temporibus futura ſaecula commonituram*: vt dubitare non liceat, quin & rei monetariae curam geſſerit ille ſacrarum largitionum comes, adeoque ad Germanianum noſtrum iure meritoque mitti debuerit illa de re numaria conſtitutio.

§. V.

(z) *l. 9. C. Theod. de diuerſ. offic.*

(a) Ammian. Marcellin. *Hiſtor. Lib.* XXVI. *cap. V.*

(b) *l. 1. C. de vet. num. poteſt. l. 39. C. de decurion.*

(c) Iac. Gothofred. *Chronol. Cod. Theodoſ. ad ann.* CCCLXVII. *p.* LXXIX. *ſeqq.*

(d) Ammian. Marcell. *ibid.*

(e) *l. 4. C. Theodoſ. de metall. l. 13. C. Theod. de ſuſceptor.*

(ee) Quod neſcio cur in dubium vocarit Tillemont. *Hiſt. des Empereurs Tom. V. Part.* I. *p.* 336. *ſequ.*

(f) Iac. Guther. *de Offic. dom. Aug. Lib. III. cap. XVI. pag. 655. ſequ.*

(g) Notit. imp. orient. *p. 117.*

(h) Notit. imp. occid. *p. 64. ſequ. edit. Panciroli.*

(i) Caſſiod. *Var. Lib. VI. Cap. VII.*

§. V.

Pars eius prior de numis principum non detrectandis.

Eius vero, vt ad rem ipſam progrediamur, duae potiſſimum partes ſunt. Altera enim Imperatores probam monetam veterum principum reiici ac detrectari in commercio vetant; altera, quae exceptionis loco eſt, numos, quibus iuſtum pretium & pondus deeſt, eximunt commercio. Quod ad priorem attinet; *Solidos*, inquiunt, *veterum principum veneratione formatos, ita tradi ac ſuſcipi ab ementibus & diſtrahentibus iubemus, vt nihil omnino refragationis oriatur.* Solidi ſunt numi aurei, de quorum interno valore ac pondere ſub Conſtantino M. & Valentiniano ſeniore aduerſus IAC. GOTHOFREDVM (k) ſubtiliter diſputat IO. FRID. GRONOVIVS (l). Quum enim olim Romanis vna eſſet forma numi ex auro, ac proinde huiusmodi numus non niſi aureus vocaretur: poſtea Alexander Seuerus, teſte LAMPRIDIO (m), cudit aureos, primum ſemiſſes, ac poſtea tremiſſes, etiam quartarios facturus, ſi per rationem temporum licuiſſet. Quum ergo ex eo tempore circumferrentur aurei diuerſi pretii & ponderis: magnus ille, qui aſſem aereum pondere aequabat, *ſolidus* coepit adpellari, quaſi integer, vt ab aureis ſemiſſibus & tremiſſibus diſtingueretur, ceu luculenter oſtendit vir, quem paullo ante laudauimus, in his litteris incomparabilis, IO. FR. GRONOVIVS (n). Non omnes autem ſolidos ſine diſcrimine valere iubent Imperatores, ſed *veterum principum veneratione formatos*, id eſt, ἐὰν ἐχέτωσαν τύπον βασιλέως, *ſi imperatoris alicuius* eorum, qui ante Valentinianum & Valentem floruerant, *formam vel vultum praeferrent*, vti haec verba exprimi videmus ab auctoribus ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ. (o) Id enim ſufficere videbatur ad auctoritatem numis conciliandam, ſi ſignati eſſent Caeſarum Auguſtorum charagmate, dum nulla cauſſa eſſet, quamobrem pro adulterinis haberentur. Hinc illa CHRISTI interrogatio: Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη ἡ ἐπιγραφή; *cuius eſt imago haec & inſcriptio?* (p) Elicit enim a Iudaeis confeſſionem ſeruitutis, dum reſpondent: Καίσαρος. Si ergo, inquit, numi Caeſaris Auguſti ſignati imagine, a qua alioquin tantopere abhorretis, in ciuitate veſtra vbique ſine detrectatione recipiuntur, qui

(k) Iac. Gothofred. *Diſſert. de mut. & augm. mon. aur.* Gen. 1654.

(l) Io. Frid. Gronou. *de vet. pec. Lib. IV. cap. XIII.*

(m) Lamprid. *Alex. cap.* XXXIX.

(n) Gronou. *ibid. Lib. IV. cap. XIII.* p. 798.

(o) Baſilic. *Lib. LIV. tit.* XVIII. §. I.

(p) *Matth. XXII.* 20.

qui dubitare quaeſo poteſtis, vobis imperare Caeſarem? *Reddite ergo Caeſari, quae ſunt Caeſaris, &, quae Dei, Deo.* Eodem pertinet inſignis ARRIANI (q) locus: Τὸ τοῦ καίσαρος νόμισμα οὐκ ἔξεστιν ἀποδοκιμάσαι τῷ τραπεζίτῃ, οὐδὲ τῷ λαχανοπώλῃ, ἀλλ' ἂν δείξῃς, θέλει, οὐ θέλει, προέσθαι αὐτὸν δεῖ τὸ ἀντ' αὐτοῦ πωλούμενον. *Numulario non licet pro adulterina reiicere monetam Caeſaris, aut, qui vendit olera: ſimul ac enim effigiem oſtenderis, ſiue velit, ſiue nolit, mercem tradere eum oportet.* Idem ergo & hac conſtitutione cauetur, ne fas ſit vlli mortalium reiicere vel reſpuere ſolidum, in qua veteris alicuius principis vultus conſpiciatur, ſed ille *ita tradatur ac ſuſcipiatur ab ementibus & diſtrahentibus, vt nihil omnino refragationis oriatur.* Recte enim CASSIODORVS (r): *Quidnam erit tutum, ſi in principis peccetur effigie, &, quam ſubiectus corde venerari debet, manu ſacrilega violare ſuſtinet?*

§. VI.

Enimuero id mirum alicui videri poterat, hanc legem, vt numi hi ſine refragatione ſuſcipiantur, dici non modo *diſtrahentibus*, id eſt, venditoribus, quorum omnino eſt, numos vel pretium pro re vendita recipere, verum etiam *ementibus*, qui non recipiunt numos, ſed tradunt. Quis vero emtor tam eſſet inepte ſtolidus, vt *numis veterum principum veneratione formatis*, minus, quam per leges licet, pretium ſtatuere non dubitet? Hoc quemquam mortalium facturum, adeo non ſit veroſimile, vt emtores potius vel maxime iniuriam ſibi fieri querantur, ſi qui numos, quos offerunt, tamquam minoris pretii, reiiciant. Ac inde factum arbitramur, vt auctores ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ, nulla facta vel *ementium*, vel *diſtrahentium* mentione, generatim huiuſmodi numos ἀδιαστρόφως καὶ παρέχεσθαι, καὶ ἀγοράζεσθαι, *ſine omni refragatione tradi ac ſuſcipi debere*, tradant. Iam recte equidem obſeruatum eſt a viris doctiſſimis (s), non raro in iure noſtro confundi emtorum venditorumque nomina, eamque obſeruationem veram ac ſolidiſſimam eſſe, exemplis probari poteſt quampluribus: (t) ſed ne hoc quidem colore vti licebit huius conſtitutionis interpreti, quia Valentinianus & Valens Imperatores non *ſuſcipi* tantum ſine refragatione iubent numos, quod eſt venditoris, ſed

Quinam dicantur diſtrahere numos?

 &

(q) Arrian. *Epictet. Lib. III. cap. III.*
(r) Caſſiodor. *Var. Lib.* VII. *Cap. XXXII.*
(s) Radulph. Forner. *Rer. quotid. Lib. IV. Cap. VIIII. & Lib. III. cap. XXVIII.* Schulting. *Iuriſpr. vet. anteiuſtin. p.* 491.
(t) §. *vlt. Inſt. de vſucap. l. 13. §. 16. D. de act. emt. l. 26. l. 66. §. pen. D. de Aedil. edict.*

& *tradi*, quod manifeſto emtoris eſt. Vere ergo & emtoribus & venditoribus hanc legem tulerunt Valentinus & Valens Imperatores, vt non detrectarent proba veterum principum numiſmata, ac proinde facturi nobis videmur operae pretium, ſi genuinam huius ſanctionis ſpeciem paullo diligentius eruerimus.

§. VII.

Lex noſtra ad collybiſtas, menſarios, collectarios pertinuit, & in oriente diu viguit.

Nimirum lex noſtra non modo ad regulares emtiones venditiones, verum etiam ad negotiationem collybiſtarum, menſariorum, numulariorum, & argentariorum, id eſt, ad emtionem pecuniae, vel maxime pertinet. Solebant enim, qui numos veteres maiores ac probos habebant, eos vendere collybiſtis, vt aliquantulum lucri facerent, ſi creditoribus minoribus ſatisfacerent numis, maioribus paullo maiore pretio venditis. Hinc ZONARAS (u) collybiſtas definit, τοὺς τὰ λεπτὰ νομίσματα πωλοῦντας, *qui vendunt minuta aera.* Minuta ergo aera dabant pro maioribus, & quidem pretio paullo maiore, quod hodie vocamus *agio*, olim vero *collybum* vel *aſpraturam* adpellabant. Hinc *collybus* HIERONYMO (x) eſt *munus, quod pro cambio datur.* Et gloſſae: *Aſpratura negotiatio argentariorum.* De vtroque vero vocabulo plura paſſim obſeruauit vir rei trapeziticae veterum peritiſſimus, CLAVD. SALMASIVS (y). Iidem homines, qui pro minimo illo lucello, quod venditoribus maiorum numorum dabant, multo maius ſolebant adfectare, inſequente aetate dicti etiam ſunt *collectarii*, quorum certum Romae corpus fuiſſe teſtatur SYMMACHVS (z). Hos eleganter deſcribit SVIDAS (a): κολλεκτάριος ἀργυραμοιβὸς, ἤτοι κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος, τραπεζίτης, ὁ ἀργυροπράτης. *Collectarius, qui numos viliores & minutiores argento permutat, menſarius, argentarius.* Et in voce, ἀργυραμοιβὸς (b) ἀργυραμοιβός· ὁ κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος ὁ τραπεζίτης, ὁ ἀργυροπράτης κολλεκτάριος. *Argentarius, qui monetam minorem, vel aeream argentea permutat, trapezita, numularius, collectarius.* Hi ergo collectarii, trapezitae, argentarii, numularii, dici non poteſt, quam multis variiſque fraudibus circumuenerint illos, quos maiora numiſmata minoribus permutare cogebat neceſſitas. Modo enim

(u) Zonar. *ad Synod. Trullenſ. can.* CLXXVI.

(x) Hieronym. *Comment. ad Matth. Cap. XXI.*

(y) Claud. Salmaſ. *de vſur. p.* 454. 492.

(z) Symmach. *Lib. X. Epiſt. XLII.*

(a) Suid. *voce* κολλεκτάριος. *Tomo II. pag.* 338. *edit. Kuſteri.*

(b) Idem *ſub* ἀργυραμοιβός. *Tomo I. p.* 312.

enim cauſſabantur, nimis veteres eſſe numos, modo, eos iuſto minores videri, modo diuturno vſu ita detritos eſſe clamabant, vt ſine damno emi non poſſent, niſi de pretio legitimo aliquid ab emtore remitteretur. Cui numulariorum cupiditati cum aliis legibus, tum hac noſtra conſtitutione occurſum eſt, cautumque, vt ſolidi, veterum principum vultu ſignati, neque ſi emerentur, neque ſi venderentur, alio pretio, quam quod iis ſemel ſtatutum eſſet, ſuſciperentur traderenturue, nec vel forma, vel magnitudo, vel aetas ſpectaretur, ſed ſola eius bonitas pondusque legitimum. Sic iam anno CCCXVII. CONSTANTINVS M. (c) *Omnes ſolidi in quibus noſtri vultus veneratio una eſt, vno pretio aeſtimandi ſunt, atque vendendi, quamquam diuerſa formae menſura ſit. Nec enim, qui maiore habitu faciei extenditur, maioris eſt pretii : nec, qui anguſtiore expreſſione concluditur, minoris haberi credendus eſt, quum pondus idem exiſtat.* Paullo poſt Valentiniani tempora THEODOSIVS (d) : *Vniuerſos auctoritas tua propoſito edicto commoneat, obryzatorum omnium ſolidorum vniforme pretium poſtulare.* Hinc Valentinianus III. (e) : *Frequens ad nos, Quirites, temerarii auſus querela peruenit, vt in parentum noſtrorum contumeliam inſigniti ſolidi eorum nominibus, ab omni emtore recuſentur. Quod diu eſſe impunitum non patimur.* Porro & IVSTINIANVS (f), *Quum autem ſcimus, veterum Romanorum principum ſolidos per illa loca facile inueniri, comperimus autem, negotiatores, vti alios quoſdam, propter mutationem ſolidorum diſpendium aliquod collatoribus noſtris inferre : ſancimus, ſolidos, Romanorum principum forma ſignatos, ſine permutationis diſpendio per omnes prouincias ambulare, & per eos celebrari contractus.* Et hoc ius etiam poſt Iuſtinianum ad tempora Phocae viguiſſe, teſtem habemus GE. CEDRENVM (g), qui inter huius imperatoris vitia & hoc maxime reprehendit, quod numiſma attenuauerit, tetartero excogitato, quumque eo modo duplex eſſet numus, pro publicis penſionibus grauiorem exegerit, minorem in ſumtibus faciendis diſſiparit, *νόμῳ καὶ ἔθους ὄντων, πάντα χαραχθέντα βασιλέως, εἰ μὴ τῷ σταθμῷ ἐλαττοῖντο, δύναμιν εἰσφέρειν καὶ ἔχειν ἰσότιμον. quum autem eſſet lege & conſuetudine receptum, vt omnes numi, imagine imperatoris alicuius ſignati, modo ponderi iuſto nihil deeſſet, idem valerent.* Quae ipſa eſt conſtitu-

(c) *l. vn. C. Theod. ſi quis ſol. circ. ext. circumcid.*

(d) *l. 3. C. de vet. num. poteſt.*

(e) *Nouell. Valentin. XXV.*

(f) Iuſtinian. *Sanct. pragm. ad petit. Vigilii Cap. XX.*

(g) Cedren. *in Nicephoro Phoca p. 546. edit. Guil. Xylandri.*

ſtitutionis noſtrae, quam iam exponimus, diſpoſitio. Quamuis vero illa infauſtis Nicephori Phocae temporibus aliquamdiu exoleſceret, quin & poſtea in maxima illa rerum per orientem perturbatione rem etiam numariam valde perturbatam fuiſſe, probabile ſit: veterem tamen ſanctionem ſaeculo nono in vſum reuocauit LEO Imp. (h) qui grauiter inuectus in anteriorum principum ſordes, qui depreſſo veterum numorum pretio, nouis & a ſe cuſis tanto maius attribuerint, (quod ipſum Phocam feciſſe CEDRENVS obſeruauit,) demum grauiter ſancit, *vt ſecundum benignum maiorum reique publicae commodiſſimum iudicium numiſmatis omne genus, quod quidem formam materiamque non adulteratam & plenum pondus habeat, ſiue vetuſtioris cuiuſdam principis, ſiue recentioris ſit, aequaliter & aeſtimetur, & in republica tractetur.* Atque ita nos luculenter demonſtraſſe exiſtimamus, legis noſtrae ad ſaeculum vſque nonum in oriente ſanctiſſimam manſiſſe cuſtodiam, & quamuis illam peſſimo exemplo Phocae Imp. aliquamdiu euerterit auaritia, Leonem tamen eam reuocaſſe in vſum. Quum ergo his nouellis Leonis, quamdiu Byzantinum ſtetit imperium, ſua conſtiterit auctoritas: dubitare nefas eſt, quin & conſtitutioni iſti ad illa extrema imperii tempora ibi non fuerit ab vllo ſucceſſorum derogatum.

§. VIII.

Similes leges & in occidente latae.

Quid vero de occidente, in cuius gratiam conſtitutionem hanc ediderat Valentinianus, dicamus? In eum ſane iam ab Honorii Imp. temporibus ſeſe infundere coeperant gentes barbarae, quae non modo exitium paullatim attulerunt potentiſſimo imperio, praeſtantiſſimaſque prouincias ſub ſuam redegerunt poteſtatem, ſed & omnem litterarum, humanitatis, legumque ſplendorem, tamquam caligine quadam ſubito exorta, exſtinxerunt. Hinc non ſane mirum videretur, ſi & conſtitutionis noſtrae tam infelicibus temporibus nec vola nec veſtigium ſuperfuiſſet. Et ſuperfuit tamen inter ipſos barbaros, quibus ſe illa ſua aequitate adeo commendauit, vt eam in leges ſuas, quas paullatim exemplo Romanorum ſcribere coeperunt, recipere non dubitarint. LEX ſane WISIGOTHORVM (i), quam pleraque cum Romanis communia habere, iam CVIACIVS (k) obſeruauit, iſtam manifeſto reuocauit in vſum, ſtatuitque, *vt ſolidum aureum integri ponderis, cuiuſcumque mone-*

tae

(h) Leon. *Nouell.* LII.

(i) Lex Wiſigoth. *Lib.* VII. *tit.* VI.

(k) Cuiac. *ad* 2. *Feud. II. pag.* 1248. *Tom. II. Oper.*

Digitized by Google

tae ſit, ſi adulterinus non fuerit, nullus audeat recuſare, nec pro eius commutatione, aliquid monetae requirere, propter hoc, quod minus forte penſauerit. Nec minus LEX GVNDOBADA, vel BVRGVNDICA (l), hanc ſanctionem Valentiniani non modo probat, ſed & ſolidos quoſdam, qui iuſto pretio ac pondere deſtituantur, recenſet. Ait enim legislator: *De monetis ſolidorum praecipimus cuſtodire, vt omne aurum, quodcumque penſauerit,* (id eſt, quodcumque iuſti ponderis eſt) *accipiatur, praeter quatuor tantum monetas Valentiniani Gennauenſis, & Gothium, qui a tempore Alarici Regis adaerati ſunt, & Ardaricanos.* Quales hi fuerint ſolidi, quos e republica ſua proſcribendos putarunt Burgundiones, pluribus alibi diſputauit ILLVSTRIS DOMINVS PRAESES (m), oſtenditque *Valentinianos* eſſe ab hoc ipſo Valentiniano noſtro Imp. cuſos, quem anno CCCLXVII. nouam λογαρικὴν inſtituiſſe obſeruat DION. PETAVIVS (n): Gothios aureos ab Alarico potiſſimum, Gothorum Rege, cuſos: de Genauenſibus nihil pro certo adfirmari poſſe: Ardaricanos denique non ab Alarico, quod CAR. DV FRESNE (o) ſuſpicatus eſt, ſed ab Ardarico, Gepidarum Rege, nomen inueniſſe (p). Sic & barbari illam Valentiniani legem ſequuti ſunt: idque tanto notatu dignius eſt, quod illa, vti ſupra diximus, in Codice Theodoſiano non exſtat, cuius alioquin ſolius notitiam vſumque aliquem habuiſſe dicuntur populi iſti Germanici (q).

§. VIIII.

Sed vt ex hoc diuerticulo redeamus in viam: expendenda iam porro erit ſanctio poenalis, quam conſtitutioni huic ſubiecerunt Imperatores. Eo enim pertinent verba: *Scituris vniuerſis, qui aliter fecerint, haud leuiter in ſe vindicandum.* Poenam ergo ſtatuit non fixam & definitam, ſed arbitrariam, conſilio ſatis prudente, quod plura incidere poſſint, ob quae poena vel mitior vel acerbior ſit infligenda. Et hac in re a veteribus legibus quodammodo diſcrepat conſtitutio noſtra, quae certam, eamque ſatis atrocem poenam comminatae ſunt illis, qui probos ſolidos reiecerint.

Poena eorum qui probum nummum reiecerint.

(l) Leg. Burgund. *Additam. II.* §. *VI.*

(m) *Elem. Iur. Germ. Lib. II. Part. II.* §. CCCXII. *

(n) Dionyſ. Petau. *ad Epiphan.* p. 436.

(o) *Car. du Freſne Gloſſar. med. & inf. Latin. voce Ardaricanus.*

(p) Hadr. Valeſ. *Hiſt. Franc. Tom. I. p.* 408.

(q) Herm. Conring. *Orig. Iur. Germ. cap. IV. & V.* Io. Selden. *Diſſ. ad Flet. V.* 2. *ſequ.* Innoc. Ciron. *Obſeru. iur. Can. V.* 2.

cerint. Et ſane ex PAVLLI (r) ſententia *lege Cornelia de falſis tenetur, qui vultu principum ſignatam monetam, praeter adulterinam, reprobarit.* Poena vero legis Corneliae olim erat aquae & ignis interdictio: poſtea honeſtiores deportabantur in inſulam, humiliores autem in metallum damnabantur, aut in crucem tollebantur: Serui etiam, poſt admiſſum facinus manumiſſi, capite puniebantur, ceu idem PAVLLVS (s) teſtatur. Atrocius poſtea ſupplicium ſtatuit CONSTANTINVS M. (t) quippe qui hanc ſanctionem poenalem ſubiecit conſtitutioni ſuae: *Quod ſi quis aliter fecerit, aut capite puniri debet, aut flammis tradi, vel alia poena mortifera.* Vbi non male IAC. GOTHOFREDVS (u): *Atrox haec poena valde in crimine, vt videri poteſt, non adeo atroci.* Et ſane quis igne expiandum credat facinus, ſi numus, veteris alicuius principis vultu ſignatus, ab aliquo reprobetur, niſi forte cum Stoicis omnia delicta paria exiſtimet? At haec quidem philoſophia non eſt publici ſaporis, de eaque recte iudicauit HORATIVS (x):

Nec vincet ratio hoc, tantumdem vt peccet, idemque,
Qui teneros caules alieni infregerit horti,
Et qui nocturnus ſacra Diuum legerit. Adſit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas:
Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.
Nam, vt ferula caedas meritum maiora ſubire
Verbera, non vereor: quum dicas eſſe pares res,
Furta latrociniis, & magnis parua mineris,
Falce reciſurum ſimili te, ſi tibi regnum
Permittant homines.

Attamen cur repudiantibus aureos tam dirum ſupplicium ob tam leue delictum irrogatum voluerit CONSTANTINVS M. intellectu non adeo difficile eſt, ratioque in ipſis verbis: *noſtri vultus veneratio* latitat. Principum enim imagines veteres diuinis proſequebantur honoribus, vocabantque *vultus aeternales* (y), immo & *diuinos* & *ſacros*, veluti PAPINIVS STATIVS (z):

Quae Diuum in vultus igni formanda liqueſcat,
Maſſa, quid Auſoniae ſcriptum crepet igne monetae.

Quare non modo crimen maieſtatis, ſed & ſacrilegium, admiſiſſe vide-

(r) Paull. *Recept. Sent. Lib. V. tit. XXV. §. I.*

(s) Idem *ibid.*

(t) *l. vn. Cod. Theod. ſi ſolidi circ. inter.*

(u) Iac. Gothofr. *Comment. in Cod. Theodoſ. Tomo III. p.* 181.

(x) Horat. *Lib. III. Serm. ſat. III. v.* 115. *ſequ.*

(y) *l. vlt. C. de vet. num. poteſt.*

(z) Papin. *Stat. Lib. III. ſilu. III. v.* 104.

videbatur, qui principis imaginem parum reuerenter habuerat, cuius rei inſignia exempla ſunt apud SENECAM (a), alioſq̃e ſcriptores antiquos, qui infeliciſſima Tiberii, Neronis & Domitiani tempora viderunt. Nec exiſtimandum eſt, in Conſtantinum M. tantam non cadere ſuperſtitionem, vt violationem ſacri vultus pro ſacrilegio habuerit. Eum enim, etiam ex quo Chriſto nomen dederat, multa retinuiſſe ex priſtinis moribus, quae Chriſtiano vix digna videntur, cum alii ex eius numis, marmoribus, conſtitutionibus luculenter probarunt, tum inprimis illuſtris SPANHEMIVS (b). Inde ergo atrox haec poena, quam poſtea conſtitutione ſua ratam habuerunt THEODOSIVS (c) & VALENTINIANVS iunior (d), & ipſi capitale ſupplicium interminati illis, *qui aeternales vultus, dum fraudibus ſtuduerint, duxerint violare.* Reliqui tamen Principes paullo mitiores ſe ſe oſtenderunt, poena arbitraria vel pecuniaria contenti, exemplo Valentiniani ſenioris. IVSTINIANVS enim *eum, qui diſpendium aliquod permutationi ſolidorum inferre praeſumſerit, pro vnoquoque ſolido alterum tantum eis, cum quibus contraxerit, inferre cogit.* LEO Sapiens (e) eum, *qui rebelli animo decretum ſuum contemſerit, flagris caeſum, cute tenus tonderi, inſuperque tres auri libras dependere* iubet. Ex LEGIS WISIGOTHICAE (f) praeſcripto a iudice diſtrictus is, qui probum ſolidum reſpuerat, alteri cuius ſolidum recuſauerat, tres ſolidos exſoluere tenebatur. Denique apud BVRGVNDIONES (g) idem rem venalem perdebat. Adeoque pleriſque Imperatoribus regibusque diſplicuiſſe animaduertimus illam CONSTANTINI M. truculentiam, magisque ſe probaſſe prudentiam VALENTINIANI I. cui, tamquam paullo mitioris ingenii principi, *pro magno peccato paullulum ſupplicii ſatis eſſe*, videbatur.

§. X.

Haſtenus de priore conſtitutionis noſtrae capite, quod omnes ſolidos, anteriorum principum vultu ſignatos, in commercio eſſe, iuſtoque pretio tradi ac ſuſcipi iubet. Sequitur poſterius, quod exceptionem ſuggerit his verbis: *Modo vt debiti ponderis ſint, & ſpeciei probae:* quae totidem verbis expreſſa animaduertimus in BASILICIS: *μόνον ἵνα τὸν ςαθμὸν καὶ τὸ εἶδος καλὸν ἔχῃ.* Per *ςαθμὸν* *Pars poſterior de improbis numis reiiciendis.*

(a) Seneca *de Benefic. Lib. III. Cap. XXIII.*

(b) Ezech. Spanhem. *de vſu & praeſt. numiſm. Diſſ. XII. p. 415.*

(c) *l. 3. C. de vet. numiſm. poteſt.*

(d) *Nouell. Valentin. XXV.*

(e) Leon. *Nouella LII. fin.*

(f) Lex Wiſigoth. *ibid.*

(g) Lex Burgund. *ibid.*

vero vel *pondus* hic merito intelligimus id, quod ii, qui auro, argento, aeri flando feriundo praeſunt, vocare ſolent *Schrot* vnd *Korn*, id eſt, metalli bonitatem iuſtamque quantitatem. Per εἶδος vero vel *ſpeciem* ipſam γνησιότητα, vt numus non ſit falſus vel adulterinus. Ita enim ſpeciem interpretantur leges quaedam & anteriores, & inſequentes. Nam & CONSTANTINVS reprobari patitur *ſolidum adultera imitatione figuratum*, & LEO conſtitutione ſua diſerte excipit numos, *qui formam materiamque adulteram, nec plenum pondus habeant.* Itaque iure reiiciebantur adulterini, ſiue probum eſſet metallum, ſiue male temperatum. Iure etiam reiiciebantur iuſto leuiores, quamuis non adulterini. Variae enim erant falſariorum artes circa monetam etiam publicam; quam modo conflabant, quod prohibetur titulo CODICIS THEODOSIANI: *ſi quis pecunias conflauerit* (h), modo ſeparato ab aere argento pretio iuſto ſpoliabant, quod maiorinae potiſſimum pecuniae, id eſt ex argento & aere conflatae, contigiſſe obſeruat IAC. GOTHOFREDVS (i), qui & de ipſa hac arte deteſtabili fuſius ibidem diſſerit: modo, exteriore numi circulo abraſo, iuſtum illi pondus detrahebant, quod facinus eodem viuicomburii vel alio capitali ſupplicio expiari iuſſerat CONSTANTINVS (k): quemadmodum iam antea libera adhuc republica poenae legis Corneliae de falſis locus erat aduerſus eos, qui monetas abraſerant (l); vel vti eleganter vocabant Graeci, aduerſus περιψαλιστάς. Eſt enim ψάλις *forceps*, qua ad abradendum numi circulum vtebantur falſarii. Quum enim ea forcipe dexterrime vteretur Alexander quidam impoſtor, eum a Byzantinis eleganter cognominatum eſſe ψαλίδιον, ſeu forcipulam, ſcribit PROCOPIVS (m). Sed ne hodie quidem proh dolor hanc artem dedidicerunt falſarii, & Iudaei maxime, qui non minus ingenioſa manu numos aureos, quam pueros ſuos, circumcidunt, eoque rem redigunt hac digniſſima quouis ſupplicio ſolertia, vt ad priſtinum aureos non adnumerandi, ſed adpendendi morem dudum redierimus. Quis vero vitio vertat hominibus diligentioribus ſi & hos reprobent numos, quibus abraſo circulo detractum eſt pretium, quum recte obſeruarit

CHRY-

(h) Cod. Theodoſ. *Lib. IX. tit. XXIII.*

(i) Iac. Gothofred. *ad l. 6. C. Theod. de falſa mon. Tomo III. p. 176. ſeqq.*

(k) *l. 1. C. Theod. ſi quis ſol. circ. exter. circumcid.*

(l) *l. 8. D. ad Leg. Corn. de falſ.* Paull. *Recept. ſent. Lib. V. tit. XXV. §. I.*

(m) Procop. *de bello Goth. Lib. III.* Cuiac. *Obſeru. Lib. XIX. Cap. XXV.*

CHRYSOSTOMVS (n). ἐν τοῖς βασιλικοῖς νομίσμασι τὸν μικρὸν τοῦ χαρακτῆρος περικόψαντα ὅλον τὸ νόμισμα κίβδηλον ἐργάζεσθαι, *cum qui ex Caeſaris numo vel minimam partem abraſerit, totum numum videri corrupiſſe?*

§. XI.

Quisnam apud Rom. iudicium de numorum bonitate fuerit?

Ceterum hoc de aureorum probitate iudicium praecipue ſibi adrogabant ipſi argentarii vel numularii, qui & praeceptis magiſtrorum, & diuturna exercitatione, eam ſibi dexteritatem atque εὐστοχίαν in exploranda numorum bonitate adquiſiuerant, vt eos non temere quiſquam falleret, ſed ſtatim veluti ex tripode dicerent, probusne ſit numus, an dubius, ſuſpectusue, ponderisne legitimi, an maligni, integer an adroſus, circumciſus vel ſtrictus, obryzus an inquinatus, vel ſubaeratus. Omnia enim haec non modo oculis, pondere, lapide Lydio, ſed & tinnitu deprehendebant, probe attendentes,

Si qua ſubaerato mendoſum tinniat auro:

vti ait PERSIVS (o). Variis THEOCRITI (p), ARISTOTELIS (q), PHILONIS (r), MAXIMI TYRII (s) & LVCIANI (t) teſtimoniis hoc probauit iureconſultus eximius, MARQV. FREHERVS (u): quibus nos addimus vnum elegantiſſimum ARRIANI (x): ὁρᾶτε ἐπὶ τοῦ νομίσματος, ὅπου δοκεῖ τι εἶναι πρὸς ἡμᾶς, πῶς καὶ τέχνην ἐξευρήκαμεν, καὶ ὅσοις ὁ ἀργυρογνώμων προσχρῆται κατὰ δοκιμασίαν τοῦ νομίσματος· Τῇ ὄψει, τῇ ἁφῇ, τῇ ὀσφρασίᾳ, τὰ τελευταῖα τῇ ἀκοῇ, ῥίψας τὸ δηνάριον τῷ ψόφῳ προσέχει. καὶ οὐχ ἅπαξ ἀρκεῖται ψοφήσαντος, ἀλλ᾽ ὑπὸ τῆς πολλῆς προσοχῆς μουσικὸς γίνεται. *Videtis, vt in numiſmate, quum pertinere ad nos videatur, & artem inuenerimus, & quot rebus argentarius ad eius explorationem vtatur, vt viſu, tactu, olfactu, auditu, denique proiecto denario ſonitum obſeruat, neque vnico ſonitu contentus, prae crebra attentione fit quodammodo muſicus.* Sed hi quidem priuata auctoritate, & in ſuam potiſſimum rem hanc artem faciebant, ac proinde ſi quando de numorum bonitate & pondere incideret controuerſia, ad numularios ibatur, ceu & AFRICANVS noſter (y), obſeruat, & varia apud veteres exempla docent

(n) Chryſoſtom. *homil. ad Galat. I. p. 972. edit. Comelin.*
(o) Perſius *Sat. V. v.* 106.
(p) Theocrit. *Eidyll. XII. v.* 35.
(q) Ariſtot. *Rhetor. Lib. I. Cap. XV.*
(r) Philo *de iudice p.* 722.
(s) Maxim. Tyr. *Serm.* VIII.
(t) Lucian. *in Paraſito Tom. II. p.* 242.
(u) Marqu. Freher. *Parerg. Lib. I. c. XIV.* Theſaur. *iur. Tom. I. p.* 880.
(x) Arrian. *Diſſ. Epictet. Lib. I. cap. XX.*
(y) *l. 39. pr. D. de ſolut.*

docent (z). Enimuero quum poſtea intereſſe videretur reipublicae, publica potius auctoritate has lites dirimi: primus IVLIANVS Imp. (a) anno CCCLXIII. per omnes ciuitates *conſtitui iuſſit zygoſtatas, qui pro ſua fide atque induſtria neque fallerent, neque fallerentur, vti ad eorum arbitrium & ad eorum fidem, ſi qua inter vendentem emtoremque in ſolidis exorta fuerit contentio, dirimeretur.* Ita enim ſe ſe in CODICE THEODOSIANO (b) habent verba IVLIANI, quae non integra in CODICE ſuo IVSTINIANVS exhibuit. Ceterum zygoſtatas iſtos vocabant etiam *ponderatores*, ad eoſque pertinere videtur formula apud CASSIODORVM (c), qua alicui monetae cura committitur. Vnde titulus vtriuſque codicis *de ponderatoribus & auri inlatione*, ad quem multa interpretes, quae hic, aliis intenti, non repetimus.

§. XII.

Axiomata ex hac lege. In magnis imperiis principum numi non reiiciendi ſunt a ſubditis.

Sic defuncti nobis videmur labore pulcherrimo explicandi conſtitutionem, quam plerique interpretes non adeo dignam iudicarunt induſtria ſua, quidam etiam male, vti fieri ſolet ſunt interpretati. Iam proximum eſt, vt ad rem ipſam, cuius cauſſa hanc operam in nos ſuſcepimus, progrediamur. Duo nimirum quum hic inculcari videamus axiomata, alterum, *numos principum ſiue veterum, ſiue nouorum, ſi probi ac iuſti pretii ſint, non poſſe a ſubiectis ſine principis iniuria repudiari, eamque detrectationem eſſe poena digniſſimam*: alterum, *intereſſe reipublicae vt numi adulterini & quibus iuſtum pretium deeſt, & detegantur, & vel proſcribantur penitus, vel ad iuſtum pretium reducantur*: neutrum horum ita comparatum eſt, vt non ipſi rectae rationi reguliſque prudentiae ciuilis conueniat, neque adeo ſit mirandum, vtrumque vbique obſeruari, ſi vel maxime ipſius huius conſtitutionis tamquam ad ius publicum Romanorum pertinentis, vſum aliquem hodie eſſe, negemus. Et quidem in magnis imperiis, vbi raro numi alii, quam ab ipſis imperantibus cuſi, viſuntur: nullum eſt dubium, quin haud leui delicto ſeſe obſtringant, qui numos illos, publica auctoritate ſignatos, repudiant reiiciuntue. Quum enim inter cetera iura maieſtatis & hoc ſit, vt rectores ciuitatum poſſint numos non ſolum cudere, ſed & iuſtum iis valorem pretiumue imponere, (quod quibus cautionibus fieri oporteat, iam ab aliis traditum

(z) Apulei. *Lib. X. Metamorphoſ. p.* 243. *edit. Elmenh.* Hieron. *in Epiſt. ad Epheſ. Lib. III. Cap. IV. fol.* 184.

(a) *l.* 2. *C. Theod. de ponderator.*

(b) *l.* 2. *C. eod. tit.*

(c) Caſſiodor. *Var. Lib.* VII. *Cap.* XXXII.

Digitized by Google

ditum eſt (d): fieri non poteſt, quin is ipſum principem eiuſque iura contemtui habere, commerciaque ſimul mirifice turbare videatur, qui eius numos probos & iuſti ponderis temere reiicit. Non enim conſiſtunt exempla, vbi coeperunt, ſed latius euagandi viam ſibi faciunt. Hinc quod numorum genus vnus repudiat, ab eo & alii, tum rurſus alii, abhorrere incipiunt, donec vniuerſam rempublicam peruagetur id malum, & vbique ſuſpecti fiant numi, non ſine grauiſſima principis iniuria. Omnis ergo tunc cura in eo ſita eſt, ne adulterini iactentur, ne probis ſuum pondus detrahatur, ne peregrini nequiores & ſubaerati inuehantur in rempublicam, iiſue pretium idem, ac probis domeſticis, ſtatuatur. Id enim ſi impune fiat, prohiberi non poteſt, quo minus probae numorum ſpecies ad vicinos migrent, & in eorum locum ſuccedant nequiores, ac proinde ciues tanto pauperiores fiant, quanto probi numi noſtri fuerunt peregrinis meliores: qua de re egregia ſunt, quae monuit laudatus CONRINGIVS (e).

§. XIII.

An idem & in Germania ſeruari poſſit? Leges Germ. de re numaria ſaluberrimae.

At miſera eſt in eo Germanici imperii conditio, quod quia eius territoria & reſpublicae ſpeciales pleraeque non adeo late patent, & tamen ius cudendi monetam cum pluribus non modo imperii ordinibus, ſed & cum mediatis quibusdam quas vocant, ciuitatibus eſt communicatum, fieri non poſſit, quin vicinorum ordinum monetae ſaepius non minore numero expendantur quam domeſticae, ac proinde aegre impediri queat, quo minus & improbi & nequiores numi paullatim inundent Germaniam. Equidem prudentiſſimas leges huic malo oppoſuit Imperium, quibus ſi ſua conſtaret auctoritas, non poſſet profecto tam perturbata eſſe res numaria: at impares fere huic malo eſſe leges, ipſa ſatis iam pridem docuit experientia. Quales enim paſſim iactantur numi? quam leues? quam improbi & ſubaerati? Quam pauci adparent veteres & probi? Nimirum ad tantas ſordes prolapſum eſt ſaeculum, vt id vere, ſi non ferreum, at aeneum ſaltim, dixeris, ad cuius infelicitatem ipſi numi veluti erubeſcunt. Prudenter cautum eſt in COMITIIS AVGVSTANIS anno MDLXVI. (f), vt quisquis iure cudendi monetas abuſus, aduerſus leges publicas peccet, is iure ſuo priuetur: idemque repetitum anno MDLXX. in COMITIIS

 SPIREN-

(d) Herm. Conring. *de re num. in quauis rep. recte conſtit.* §. *X. XXXV.* *ſequ.* Pufend. *de Iure Nat. & Gent.* *Lib. V. Cap. I.* §. *XIV.*

(e) Conring. *ibid.* §. XXI.

(f) Receſſ. Imp. Auguſtan. MDLXVI. §. CLIV.

SPIRENSIBVS (g), eique grauiſſimo decreto & id adſtructum eſt, vt ne poenitenti quidem ius ſemel ereptum reſtituatur. Quin vt eo magis legis illius ſaluberrimae vigeret auctoritas, ea ab anno MDCXII. migrauit in CAPITVLATIONEM MATTHIAE IMP. (h) & inſequentes omnes (i), quin in poſtrema (k) noua addita eſt ſanctio poenalis, vt ordines, qui improbis numis cudendis iure ſuo abutantur, non modo iure illo auri, argenti, aeris, flandi feriundi priuentur, ſed & iiſdem de communi ordinum ſententia iure comitiorum & ſuffragii interdicatur. Huc pertinent & aliae imperii leges ciuibus imperii, ſi adcuratius obſeruarentur, admodum ſalutares futurae: veluti vt nemini id ius monetam cudendi de nouo concedatur, niſi de Electoralis collegii ſententia, & circuli, cuius intereſt, conſilio (l): vt auream monetam nemo, niſi ſpeciali priuilegio munitus, vel propriis aurifodinis beatus, ſignet; (m) vt vnciales octo vna argenti marca dependantur (n): quamuis is valor internus poſtea in tractu Germaniae inferiore partim anno MDCLXVII. per *pedem*, quem vocant *Zinnenſem* (o), partim anno MDCXC. per *Lipſienſem* mutatus ſit (p): porro vt imperio praeter certas officinas monetarias, circuli cuiuſuis auſpiciis inſtitutas, non tolerentur aliae, a ſingulis ordinibus inſtitutae, quae vocantur *Heckemunzen* (q): vt ne numi maiores in minores mutentur, poteſtaſque minutiores cudendi numos, (*Landmunzen*) certis legibus certaque λογαριαϲμῷ circumſcripta ſit (r): ne monetae ius vlli vel vendatur, vel locetur (s): monetarii & zygoſtatae, (*die waradeins*) in leges iurent (t): vt ab ordinibus vel ſingulorum circulorum, vel plurium ſimul, quos vocant *correſpondirende creyſe*, bis quotannis inſtituantur conuentus, explorandae monetae cauſſa, & res numaria conſtituatur, prout id leges imperii & circulorum

(g) Receſſ. Imp. Spir. MDLXX. §. CXXVII.

(h) Capitul. Matthiae §. XXXIV.

(i) Capitul. Ferdinandi II. *art. XXXIII.* Capitul. Ferdinandi III. *art. XXXVII.* Capitul. Ferdinandi IV. *art.* XXXV. Capitul. Leopoldi *art. XXXIV.* Capitul. Ioſephi I. *art. XXXIII.*

(k) Capitul. Caroli VI. *art. IX.*

(l) Capitul. Caroli VI. *ibid.*

(m) Receſſ. Imp. *MDXLI.* §. *XLVIII.* & *MDLXXVI.* §. LXXVIII.

(n) Receſſ. Imp. *ann.* MDLXVI. §. *CL.*

(o) Lunig. *Reichs-Archiu. Part. Spec. IV. Sect. II. p.* 200.

(p) Idem *ibid. p.* 235.

(q) Receſſ. Imp. *ann.* MDLXVI. §. *CLXXII.* & *ann. MDLXX.* §. *CXXXIII.*

(r) Receſſ. Imp. MDLXVI. §. *CLIV.* & *CLXII.* & *MDLXX.* §. *XXXIII.*

(s) Receſſ. Imp. *ann. MDLI.* §. *XLVI.* & *MDLXX.* §. *CXXXII.*

(t) Receſſ. Imp. *MDXCIV.* §. *CIII.*

Digitized by Google

culorum exigere videatur vtilitas (u). Quis ergo tam praeclaras ac ſalubres leges non ſufficere exiſtimet conſeruandae rei numariae, omnibuſque fraudibus, quas turpis lucri cupiditas quotidie excogitat, coercendis? Sed nuſquam tamen magis peccatur inter ipſas leges, quam in Imperio Rom. Germanico, vbi, legum repagulis fortaſſis ab vno potentiore ſtatu ruptis, & reliqui ſibi licere exiſtimant, quod huic libuit, ac ſic non gradu, ſed praecipiti curſu, ad eas decurritur, ſordes, vt conflatis probis, nequiſſimi numi vbique circumferantur. Hinc pudor angit bonos imperii ciues, dum legunt querelam HERMANNI CONRINGII (x), viri profecto patriae amantiſſimi: *omnia haec prudenter legibus in Germania eſſe conſtituta, at leges illas minus ſancte obſeruari.*

§. XIIII.

Saepe numi in Germania ad iuſtum pretium reducendi. Quae cura laude digniſſima.

Quandoquidem ergo ea eſt Imperii Romano-Germanici conditio, vt acriora illa legum ſaluberrimarum vincula vix ſufficiant recte conſtituendae conſeruandaeque rei monetariae: id vnum ſupereſſe videtur, vt ea perturbata rite emendetur, numique nequiores & leuiores partim proſcribantur, quod vocant *verruffen*, vel ad iuſtum reducantur pretium, quod vocant *die Munz-valuation* vel *devaluation*, procul dubio a valuis publicis, in quibus edicta illa monetaria, tamquam in albo, proponuntur. Eſt vero haec deualuatio ius cum Imperatori & Imperio, tum circulis iiſdem competens, numos, vel materia vel pondere improbos, inſtituto eorumdem examine, ad iuſtum pretium reducendi, irrogandique poenas omnibus, qui vel illos iniquo pretio aliis obtrudere, vel priſtinum eorum valorem reducere conantur. Quo iure, ſi illud rite & adhibitis prudentiae regulis, exerceatur, nihil poteſt eſſe ſalubrius. Proditum eſt memoriae (y), extremis liberae reip. temporibus re numaria Romae mirifice corrupta, Tribunos plebis, adhibito in conſilium Praetorum collegio, & in primis M. Mario Gratidiano, qui artem nouam probandi denarios inuenerat (z), rem monetariam de communi vtriuſque collegii ſententia emendaſſe, conſcriptoque communiter edicto, conſtituiſſe, vt omnes ſimul in roſtra poſt meridiem deſcenderent, & ceteros quidem alium alio digreſſos. Marium a ſubſelliis recta iuiſſe in roſtra, idque quod communiter compoſitum fuerat, ſolum

(u) Receſſ. Imp. *ann. MDLI.* §. *XL.* & *ann. MDCIII.* §. *LI. ſequ.*

(x) Herm. Conring. *de re num. in rep. recte conſtit.* §. *LXI.*

(y) Cicero *de offic. Lib. III. cap. XX.*

(z) Plin. *Hiſt. nat. Lib. XXXIII. cap. IX.*

lum edixiſſe : eamque rem ei tanto fuiſſe honori, vt omnibus vicis ſtatuae ponerentur, ad eaſque tus & cerei collucerent. Iam quidem CICERO recte reprehendit id facinus cognati ac municipis ſui, quod collegis tribuniſque plebis popularem hanc gratiam eripuerit : at monere tamen nos illud poteſt, conſtitutionem illam rei monetariae, qua numi ad verum pretium reducuntur, eſſe rem & vnice neceſſariam, & vniuerſae reipublicae ſaluberrimam. Quid enim magis neceſſarium, magiſque e republica eſt, quam ciuium opibus veluti circumponere praeſidium, eos ab exterorum fraudibus tutos praeſtare, commercia reſtituere in integrum, quin publicum dedecus a republica prudenter amoliri ? Quae omnia, re numaria ſemel perturbata, ſperari non poſſunt, niſi numis nullius pretii proſcriptis e ciuitate, ceteriſque ad iuſtum pretium reductis.

§. XV.

Ius hoc initio fuit penes priuatos.

Ceterum ex definitione illa, quam ſuperiore paragrapho praemiſimus, facile intelligitur, quem penes ſit ius numos improbos ad iuſtum reducendi pretium ? Imperatores Romanorum, vti ſupra oſtendimus, id negotii dederant argentariis & zygoſtatis, vel ponderatoribus, publica auctoritate per ſingulas ciuitates conſtitutis, quorum arbitrio priuati ipſi ſuſpectis numis iuſtum pretium ſtatuebant. Quin & ipſis Imperatoribus & Regibus Rom. ſimile inſtitutum placuiſſe animaduertimus ſaeculis vndecimo & inſequente. Paſſim enim in vrbibus celebrioribus florebat corpus monetariorum, cui ius erat, non modo priuatis auſpiciis cudendi monetas, verum etiam ab aliis cuſas examinandi, iiſque iuſtum ſtatuendi pretium. Tales monetarios fuiſſe Argentorati, patet ex iure vetere Argentoratenſium, (*den alten Stadt-Articuln,*) edito a SCHILTERO (a), quod vir doctus ex aliis vetuſtis monimentis paſſim illuſtrat. Sed & alibi, veluti Francofurti, Weiſſenburgi, Spirae, Wormatiae, huiusmodi floruiſſe collegia, teſtes ſunt HERZOGIVS (b), & CHR. LEHMANNVS (c), quorum poſterior, ipſis productis diplomatibus, eo pertinentibus, Spirae corporatos illos anno demum MCCCXLVII. eo ſe iure abdicaſſe, docet. Id vero & alibi paullatim factum eſſe, veroſimile eſt, quum & Colonienſibus monetariis anno MCCLVIII. hoc ius, cauſſa cognita, ademiſſe Conradum Archiepiſcopum, argumento ſit diploma

(a) Schilter. *ad Iac. Königsh. Chron. cap. IV. & Lib. X. Cap. VII. p.* 707. 813. 836. 842. 856.

(b) Herzog. *Chron. Alſat. Lib. VIII. Cap. XIV. p.* 277. *ſeqq.*

(c) Lehmann. *Chron. Spir. Lib. IV.*

ma apud LVNIGIVM (cc). Simile quid de Goslarienſibus conſtat. Exſtat enim inſigne diploma FRIDRICI II. anno MCCXIX. III. Id. Iul. datum (d), quo primum cauetur, vt *nulla ſit in vrbe coniuratio, nec promiſſio, vel ſocietas, quae Teutonice dicatur Eyninge vel Ghilde, niſi ſolum* MONETARIORVM, *ea de cauſſa, vt* CAVEANT de FALSIS MONETIS: deinde, ne hi homines iure tam eminente abuterentur, inſerta eſt ſanctio poenalis: *Si ſub monetario falſi numi fuerint deprehenſi, vbi eos alicui dat, ſi non poterit exhibere illum, qui eoſdem numos ſibi dederit, de falſo conuictus eſſe iudicatur: quod ſi gratiam apud iudicem inuenerit, auro, argento vel cupro, ſeu quocumque cenſu poterit, manum redimat, quod tamen non ſaepius, quam ſemel, ei facere licebit. Quod ſi falſarius ſemel manum redemerit, exlex vel infamis erit, quod vulgariter echtloſs dicitur, ac ſi pro falſo manum perdidiſſet.* Quae omnia ex hoc priuilegio in ipſas LEGES GOSLARIENSES, a viro illuſtri, GOTFR. GVIL. LEIBNITIO editas (e), tranſlata eſſe, iam beatus HEINECCIVS (f) obſeruauit. Ibi verba adduntur notatu digniſſima: *Diſſe vare ne dreget neman, ſunder de müntere, de van Sülver penninge maken kan.* Hoc periculum nemo ſubit praeter monetarium, cui ius eſt, numos argenteos cudendi. Et ſic ſuperioribus ſaeculis, nondum fortaſſis excogitatis gliſcentibusque tot fraudibus, tanti non viſa res numaria, quam ad curam ſuam reuocaret vniuerſum imperium, ſed ſufficere credita eſt illa monetariorum, in praecipuis Germaniae vrbibus huius rei ſatagentium, ſollertia, quos adeo, tamquam oracula, adire oportuit eos, qui ſibi conſulere vellent.

§. XVI.

At demum animaduerſum eſt, maioris momenti eſſe rem numariam, eamque propius attingere rempublicam, quam vt eius cura priuatis poſſit demandari. Quum enim circa rem numariam, vt recte obſeruat HERM. CONRINGIVS (g), duo poni neceſſe ſit quaſi fundamenta, quibus illa vniuerſa nititur, primum, vt numus quilibet probus cedat in commercia, & loco omnium, id eſt, rerum omnium pretium eminens ſit: alterum, vt numus in poteſtate ſit maieſtatis ciuilis, eaque omnia circa rem numariam conſti-

Poſtea ad publicam curam reuocatum eſt.

(cc) Lunig. *Spicil. archiui Imp. Tom. II. p.* 343.

(d) Io. Mich. Heineccius *Antiquit. Goslar. Lib. II. p.* 218. *ſequ.*

(e) Leg. Gosl. *Lib. II. tit. van Vredebracke* §. LVIIII. *apud* Leibnit. *Script. Rer. Brunſu. Tom. III. p.* 500.

(f) Heineccius *Antiqu. Gosl. Lib. II. p.* 212.

(g) Herm. Conring. *ibid.* §. *X.*

conſtituat ac dirigat : neutrum ſane obtineri poſſe docuit experientia, ſi priuatis tantum id negotium demandetur. Hinc quamuis ius cudendi monetam non omnibus imperii ordinibus commune ſit, immo ne illis quidem proprium, ſed plures etiam mediati id ius vel praeſcriptione vel priuilegio adquiſiuerint (h): ipſius tamen monetae cura & ius eamdem ad iuſtum pretium reducendi proprium eſſe coepit ordinibus imperii immediatis, ita tamen, vt pars quaedam huius poteſtatis ad ſingulos, pars ad circulos eorumque directores, pars ad Imperatorem & imperium pertineat (i), quorum ſingulorum iura paullo accuratius expendere operae pretium fuerit, maxime quum haec parum accurate vulgo diſcerni ſoleant.

§. XVII.

Partim ſingulorum ordinum Imperii.

Ordines imperii omnibus ſuperioritatis territorialis iuribus gaudere, nemo eſt, qui ignoret, de eoque vel ipſae imperii leges, & maxime celeberrima illa PACIS OSNABRVGENSIS ſanctio (k) neminem dubitare patiuntur. Quum vero ſuperioritas illa iura omnia, quae ad conſtituendam, ordinandam conſeruandamque rempublicam pertinent, ſuo ambitu complectatur : conſequens eſt, vt nec poteſtas numum ad valorem & pretium legitimum reuocandi, principibus ordinibusque imperii denegari poſſit (l). Et ſane iam olim eo iure vſos eſſe animaduertimus Bauariae Duces. Nam anno MCCLV. *Dux Bauariae, Henricus, cum Epiſcopo Ratisbonenſe plene concordans, monetam Lanısbutenſem, quam pater ſuus fabricari iuſſerat, caſſauit: & innouatam monetam Ratisbonenſium denariorum dari, ſicut prius, per ſuum diſtrictum permiſit & praecepit:* inquit auctor CHRONICI AVGVSTENSIS (m). Sed poſtea ipſis imperii legibus excitati ſunt Imperii ordines, darent operam, ne quid prouinciae ſuae caperent detrimenti. Nam anno MDXCIV. in comitiis Ratisbonenſibus non tantum circulis, ſed & ſingulis Imperii ordinibus, id negotii datur, vt edictis in ſuo quisque territorio propoſitis, rem numariam conſtituant, dum ne quid ex legibus imperii deminuatur: (n) *Darneben ſollen die Creyſſe vnd eine iede Obrigkeit ſchuldig ſeyn,*

(h) Arniſ. *de iure Maieſt. Lib. II. Cap.* VII. *n.* VI. Ill. Henric. a Bunau *de iure circa rem monetar. in Germ. cap. II.* §. XLVI.

(i) Idem *cap. III.* §. *XV. ſequ.*

(k) Inſtrum. Pacis Oſnabr. *Art.* VIII. §. *I.*

(l) Hert. *de ſuperiorit. territ.* §. XX. *p.* 238.

(m) Chronic. Auguſt. *ad an. MCCLV. apud Freher. Script. Rer. Germ. Tom. I. p.* 531. *edit. nou.*

(n) Rec. Imp. Raiſp. *an. MDXCIV.* §. *CIV.*

Digitized by Google

ſeyn, damit der ſchaedlichen Einſchleichung oder Einführung der boeſſen Müntze abgewehret vnd vorkommen werde, in den Creyſſen, auch ieder Obrigkeit vnd Gebieten, ſonderbare Edicta, Gebot vnd Verordnungen, welche gleichwohl dem Müntz-Edict nicht zuwieder ſeyn, fürzunehmen, vnd ins Werck zu richten. Itaque dubitari non poteſt, quin ſinguli imperii ordines, quoties monetas vel adulterinas, vel improbas in prouincias ſuas inferri animaduertunt, dare debeant operam, ne quid ciues inde detrimenti capiant, ac proinde eas vel proſcribere e territorio ſuo, vel iuſtum iis pretium ſtatuere poſſint tantiſper, dum de communi Imperatoris & Imperii ordinum ſententia certum quid, & in vniuerſum valiturum, ſtatuatur. Quod & ſingulari circuli Saxonici ſuperioris decreto anno MDCLXVII. ſingulis eius circuli ſtatibus permiſſum eſſe, memoriae prodidit IO. SEB. MVLLERVS (o). Deinde quum & mediati quidam Status ius cudendi monetam iam antiquitus nacti ſint: quis territorii dominis negauerit facultatem inueſtigandi numorum, ab iis cuſorum, valorem, eoſque, ſi improbi ſint, vel proſcribendi, vel ad iuſtum reducendi pretium, quin & Status illos mediatos, iure illo abuſos, ex legum praeſcripto coercendi? Sane & id permittunt leges publicae, etiam nouiſſimae, puta CAPITVLATIO CAROLI VI. Imp. Auguſtiſſimi (p), qua cautum, *daſs woferu ſich dergleichen miſsbräuche der Muntz Gerechtigkeit bey mediat-Staenden vnd andern ſo dem Reich immediate nicht vnterworffen, begaeben, alsdann durch dero Landes-Fürſten vnd Herrn wieder ſie, wie ſichs gebühret, verfahren, vnd ſolche Muntz-Gerechtigkeit ihnen gaentzlich geleget, caſſiret, vnd ferner nicht ertheilet werden ſolle.* Multo magis ergo eo caſu, quando ipſum Imperium de communi ſententia ſtatuit, vt certae numorum ſpecies prohibeantur, Principum ordinumque imperii eſt, propoſitis edictis monere ciues, vt intra certum tempus illos numos expendere ſtudeant, ne deinde publicata imperii lege tanto maius capiant detrimentum. Quod itidem imperii ordinibus concedit RECESSVS IMP. AVGVSTANVS (q): *Nachdem dann wie vor geordnet, die geſchwächten geringen Munzen vnſerer vnd des Reichs verordnung vngemäſs geſchlagen, laenger nicht auf ihrem in angeregter valuirung geſezten Werth, dann ſechs Monath nach dato dieſes vnſers Reichs-Abſchieds gangbar ſeyn ſollen: damit dann nach ausgang*

(o) Io. Sebaſt. Muller. *Annal. Sax. ad ann. MDCLXVII. p.* 472.

(p) Capitulat. Caroli VI. *Art. IX.*

(q) Receſſ. Imp. Auguſt. *an. MDLXVI. §. CLXVI.*

gang der benannten ſechs monat dieſelbige vntüchtige Munz gänzlich abgeſchafft, aus ihrem Gang, vnd den gemeinen haenden kommen, ſo ſoll eine iede Obrigkeit ihre Vntertbanen deſſen zeitlich verwarnen, auch auſſerlegen vnd befehlen, daſs ſie dieſelbige verworffenen vnd verbothenen Munzen, immittelſt der ſechs Monathen, nach Gelegenheit ausgeben, verhandthieren vnd fortbringen. Et ſane quum in vniuerſum ius leges ferendi Imperii ordinibus denegari nequeat; quo, quaeſo, obtentu iis denegaretur ius & circa rem numariam ea ſtatuendi, quae e republica videantur, maxime ſi ipſum imperium rem non reuocet ad curam ſuam, publicoque malo non ea, qua par erat, ſollicitudine quaerat remedium?

§. XVIII.

Partim circulorum, ſiue ſingulorum, ſiue foederatorum, &, qui iis praeſunt Directorum.

At ſaepe tamen contingit, vt parum ad rei ſummam proficiant ſinguli imperii ordines. Aliorum enim tam anguſtum eſt imperium, vt vix pares videantur conſtituendae rei numariae, ſed vicinorum numis illud in commerciis ſtatuere cogantur pretium; quod iſtis attribuit vſus. Alii, vicinorum Principum ordinumque veriti potentiam, iure ſuo non vtuntur, ſexcentis obnoxii futuri vexationibus, ſi ſibi de eorum numis iudicandi arbitrium adrogarent, cuius rei exempla & noſtra tempora viderunt luculentiſſima. Itaque omnino conſultius viſum eſt, rei monetariae curam praecipue demandari circulis, tum ſingulis, tum quibuſdam ſimul, quos communis vtilitas veluti vinculo quodam coniunxit, vocatis ideo *correſpondirende Kreyſſe*, tum aliquando omnibus (r): quamuis fatendum ſit, rarius communi circulorum conſilio aliquid de re numaria ſtatui, & pleraque vel ad ſingulos vel ad conſociatos circulos (*die correſpondirende Kreyſse*) redire. Tales ſunt primo Auſtriacus, Bauaricus, Sueuicus & Franconicus: deinde Electoralis vel Rhenanus inferior, Rhenanus ſuperior & Weſtphalicus: denique Saxonici ſuperior & inferior, quamuis hi & cum Weſtphalico vetus commercium (*die alte correſpondence*) renouandi ius ſibi integrum eſſe velint (s). Saepe & ſingulorum circulorum ordines de re monetaria conſulunt in medium, idque ex lege imperii publica bis quotannis fieri deberet, quos conuentus vocant *Münz-probations-taege*: quamuis & huius ſaluberrimi moris alibi ſanctior, alibi nulla paene maneat cuſtodia, cauſſaeque, cur paſſim in deſuetudinem abierint, non adeo obſcurae cuiquam

(r) Receſſ. Imp. *ann. MDLI.* §. *XL.* Rec. Imp. *ann. MDCIII.* §. *LI. LII.*

(s) Wilduogel *Diſſ. de conuent. monetal. de trium ſuperior. correſp. circulor.*

quam eſſe poſſint. Ceterum hos conuentus indicunt ſingulorum circulorum directores (t), iiſque intereſſe ſolent non omnes circuli cuiuſque ordines, ſed quibus ius cudendae monetae eſt (u), (*ihre mit-creyſs-verwandten, ſo Münzens Freyheit haben.*) Hi ergo auditis zygoſtatis, quos vocant *waradeynen*, non modo, quid quantumque numorum quotannis a ſingulis circuli ordinibus cuſum ſit, inquirunt, ſed & ipſos numos, obſtrictis iureiurando zygoſtatis, examinant, eoſque, prout res eſt, vel probant, vel proſcribunt (x), omnia denique, quae vniuerſo concilio placuerunt, in SC. quod receſſum vocant, redigunt. Quamuis ergo nouas leges vbique valituras non condant circuli: improbos tamen numos iure reiiciunt, leges publicas aduerſus eos, qui iſtas violarunt, exſequuntur, quin & alia, quae circulo profutura cenſent, quaeque legibus imperii communibus non aduerſantur, conſtituunt, vt adeo ſatis ampla ſit circulorum poteſtas circa rem monetariam (y). Praeterea circulo electorali Rhenano ſingulare illud ius prae aliis competit, vt eius delegati vna cum commiſſario Imperatoris in nundinis Francofurtanis dent operam, ne quid ibi contra publicas de re numaria leges fiat, &, ſi quid ſecus factum viderint, id ope ſenatus illico emendent, numoſque improbos occupent. Quale ius & Electoribus Saxoniae & Brandenburgico in ſuis emporiis, Caeſari in ſuis & imperii ciuitatibus datum eſt (z). Eſt & circulorum directoribus ſua praerogatiua, puta, vt & poenas contra eos, qui iure monetandi abuſi ſint, exſequi, & officinis monetariis, quae vocant *Heckemünzen*, curam impendere poſſint (a). Vt adeo nihil reliqui feciſſe videantur Imperator & imperii ordines, quod ad valida remedia aduerſus gliſcens malum numarium inuenienda pertineat, feliciſſimamque omnino eſſe oporteret Germaniam noſtram, ſi tanta cura ſeruarentur leges publicae, quanta ſapientia feruntur.

§. XVIIII.

Laus decreti de re monetaria

Et vidimus ſane, Imperii circulos non paucos miſere iam perturbatis rei numariae rationibus nuper admodum excitatos eſſe, vt

(t) *Ord. monet.* Ferd. I. Imp. *ann. MDLIX.* §. CLVIII.

(u) Receſſ. Imp. *MDLI.* §. *XL. ann.* MDLXVI. §. *CLXX. & an. MDLXX.* §. CXXXVIII.

(x) Budelius *de Diaet. probat. in Actis monetariis.* Thomani ab Hagelſtein *Tom. I. p.* 169.

(y) Nitſch *ad capitulat. Ioſephi I. Act. XXXII.* §. *III. p.* 527.

(z) Receſſ. Imp. *anni MDLXX.* §. CXLVII. *ſequ.*

(a) Capitulatio Caroli VI. Imp. *Artic. IX.*

nuper a variis circulis editi.

vt de re maximi momenti conſulerent in medium, & numos, qui incredibili reipublicae malo vbique circumferebantur, ad iuſtum pretium reuocarent, quoſdam etiam plane prohiberent tantiſper, dum ab Imperatore Auguſtiſſimo, ordinibuſque Imperii certi quid, & quod in vniuerſo imperio obſeruandum eſſet, ſtatueretur. Quae ſalutaria circulorum decreta quamuis turbis quibuſdam & querelis occaſionem dederint, (vt ſolent ea, quae quorumdam compendiis obſtant, non aeque omnibus probari,) ita tamen omnino comparata ſunt, vt nec legibus imperii, nec ſuperioritati vicinorum ordinum aduerſari videantur. Nihil enim egerunt Circuli, niſi quod publica Germaniae calamitas, quod leges imperii, quod reipublicae ſalus, ipſaque recta ratio efflagitauit. Nec tam noui quid ſanxerunt circulorum ordines, quam ea, quae iam pridem Imperii leges ſanxerunt, exſequuti ſunt, non minore profecto laude prouinciarumque ſuarum plauſu digni, quam quo ciues Romanos Marium Gratidianum proſequutos eſſe, ſupra diximus. Praeterea quum circuli ſinguli de decretis ſuis certiorem fecerint Imperatorem auguſtiſſimum, eumque de publice gliſcente malo grauiter monuerint, (quod fieri, ipſae imperii leges iubent,) (b) ac praeterea, ſe his decretis non officere velle conſiliis ab vniuerſo Imperio capiendis, quin potius ea tantiſper duntaxat, dum aliud viſum fuerit Imperatori & Imperii ordinibus, ſe rata habituros, profeſſi ſint: vix in illis circulorum decretis quidquam a viris reipublicae amantibus, legumque ac conſuetudinum patriarum gnaris, deſideratum iri, exiſtimamus.

§. XX.

Partim totius Imperii.

At veriſſimum tamen eſt, omnia haec remedia, ſiue a ſingulis principibus, imperiique ordinibus, ſiue a circulis, vel ſingulis, vel pluribus, inuenta, vix paria eſſe morbo, qui, vt ita dicam, totum paene imperii Romani corpus inuaſit. Nullus enim eſt Germaniae tractus, qui non alterius ope indigeat: vt vere in variis Germaniae partibus contingat, quod de vniuerſo terrarum orbe cecinit VIRGILIVS (c):

Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuae,
Arborei foetus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina.

In perpetuis vero tot prouinciarum commerciis fieri non poteſt, quin

(b) Receſſ. Imp. ann. MDLXX. §. CXXXIX. *ſequ.*

(c) Virgil. *Georgic. Lib. I. v.* 54. *ſequ.*

Digitized by Google

quin mira ſequatur rerum omnium perturbatio, niſi res monetaria de communi omnium ſententia conſtituatur. Quemadmodum igitur illuſtriſſimi ac potentiſſimi Belgii foederati ordines, quamuis ſingulis prouinciis ius cudendi monetas ſaluum eſſe voluerint, in foederis tamen VLTRAIECTINI tabulis (d) prudenter pacti ſunt, vt eamdem omnes normam legemque ea in re ſequerentur, ne ſcilicet inter ſocios, tam arcto foedere iunctos, commercia turbarentur: ita idem ſibi faciendum putarunt Imperator & Imperium, vt communi omnium conſilio, quod vbique & apud omnes valeret, conſtitueretur. Id iam inde ab antiquiſſimis temporibus in pluribus Imperii comitiis factum eſſe animaduertimus. Equidem Maximilianum I. Imp. primum eam rem dignam habuiſſe, de qua ad totum Imperium referret, obſeruat celeberrimus HERTIVS (e), idque ex RECESSV IMPERII FRIBVRGENSI an. MCCCCXCVII. quem DATTIVS (f) edidit, nec non ex inſequentium comitiorum hiſtoria probat, ſimulque exiſtimat, vix quidquam, quod operae pretium eſſet, ab Imperio praeſtitum eſſe ante annum MDLIX. quo Ferdinandi I. Imp. conſtitutio de re monetaria prodierit. At vir non eruditus minus, quam illuſtris, HENR. DE BVNAV (g) multo antiquiora collegit teſtimonia, ex quibus conſtet, multo prius hanc rem numariam ad curam ſuam reuocaſſe vniuerſum Imperium. Quum enim infauſtis interregni temporibus, omnia miſcente procaciore ordinum libertate, tam miſeri prodirent numi, vt iis nec valor nec pondus legitimum conſtaret: anno MCCLXXXVII. in comitiis Herbipolenſibus vna comitiali lege omnes numos, a Fridrici II. Imp. temporibus cuſos, proſcribere placuit, teſte IO. CHRISTOPH. LEHMANNO (h). Similes totius Imperii conſtitutiones monetarias anno MCCCCII. ex comitiis Moguntinis, an. MCCCCIX. ex comitiis Spirenſibus ac Colonienſibus, anno MCCCCXXXIII. ex Francofurtanis, an. MCCCCXXXVII. ex Egranis, anno MCCCCXXXVIII. ex Noribergenſibus, denique an. MCCCCXLII. ex Francofurtanis prodiiſſe, ipſa teſtantur acta illorum comitiorum, quae ex variis archiuis depromſerunt WENKERVS (i), DATTIVS (k), & MVLLERVS (l). Nec dubitare

(d) Vnio Vltraiect. *art. XII.*

(e) Hert. *de ſuperior. territor.* §. *XX. p.* 234. *ſequ.*

(f) Datt. *de pace publica Lib. IV. Cap. X. n. XXXIX. ſequ.*

(g) Henr. de Bunau *Diſſ. de iure circa rem monetar. in German.* Cap. *II.* §. *LI. p. 76.*

(h) Lehmann. *Chron. Spir. Lib. V. cap.* CVIII. Du Mont. *Corp. Dipl. Tom. I. Part. I. p.* 273.

(i) Wencker. *Adparat. Archiu. p.* 357. *&* 359.

(k) Datt. *de pace publica Lib. I. Cap. XXVI.* p. 178.

(l) Muller. *Reichs-Tags-Theatrum Part. I. Cap. X.* §. *XIX. p.* 142.

dubitare licet, quin plura, eaque antiquiora non defutura eſſent exempla, ſi acta comitiorum plura tuliſſent aetatem, vel ex archiuis, vbi cum blattis & tineis luctantur, in lucem protraherentur. Ceterum ad Imperatorem & imperium pertinere curam rei monetariae, eo minus quiſquam negauerit, quo magis Receſſus Imperii maxime ab anno MDLIX. pleni ſunt ſaluberrimarum huiuſmodi legum. Et ſane quum publicae Imperii leges (m) & in his INSTRVMENTVM PACIS OSNABR. (n) facultatem leges, per vniuerſum Imperium valituras, condendi Imperatori & Imperio diſerte vindicent: quidni & de re monetaria, quam rite conſtitui totius Imperii intereſt, leges ferrent Imperator & Imperii ordines? Et quis, quaeſo, ignorat, hoc ipſo tempore, quo haec in chartam coniicimus, nihil paene magis occupare ſplendidiſſimum, qui in patria mea tot annos pro ſalute ac ſecuritate Imperii excubat, conſeſſum, quam rem monetariam corruptiſſimam? Quae conſilia vt vniuerſae Germaniae felicia, fauſta, fortunataque eſſe iubeat ſupremum numen, omnes boni nobiſcum precantur!

§. XXI.

Numorum emendatio & reductio ad iuſtum pretium requirit morbi cognitionem.

Sed ſupereſt, vt & de ipſis rem numariam conſtituendi emendandique mediis quaedam ſubiiciamus. Ea vero non rectius inueſtigabimus, quam ipſo veluti morbo, cui hoc remedium quaeritur, adcurate cognito. Eum vero dudum intellexit Germania, de quo quippe iam pridem in omnibus fere comitiis conqueſti ſunt Imperii ordines: immo non potuiſſet iſte ab vllo luculentius deſcribi, quam a Valentiniano I. Imp. factum eſt in lege ſupra expoſita (o): *modo vt debiti* PONDERIS *ſint, &* SPECIEI *probae.* Per PONDVS intelligendum eſſe monuimus id, quod ii, qui auro, argento, aeri, flando feriundo praeſunt, vocare ſolent *Schrot vnd Korn.* (§. X.) At pondus ſuum non conſtat numis, primo, ſi non habent tantum materiae, quantum a lege exigitur: deinde ſi illa, prohibente lege, vel miſceatur ac interpoletur alio metallo, vel plus adiiciatur aeris, quam leges publicae permittunt. Siue enim iuſto leuiores numi iactentur, ſiue iis iuſto plus metalli vilioris adiiciatur, ii, qui illos recipiunt non parum detrimenti capiunt. Quod quum probe animaduerterint Imperator & Imperii ordines, cum in RECESSV IMPERII AVGVSTANO

(m) Receſſ. Imp. *anno MDLIX.* §. *XXXVIII. Ann. MDLXX.* §. *XLII. Ann. MDLXIV.* § *XIII. Addat.* Schwedor. *Iur. publ. Part. Spec. Sect. I. cap. XXV.* §. *II.*

(n) Inſtrum. Pac. Oſnabr. *Art. VIII.* § *Gaudeant.*

(o) *l. I. C. de vet. numiſm. poteſt.*

NO ann. MD. (p) cauerunt, vt monetae ex puro auro argentoque fiant: (*eine beſtaendige gold vnd ſilberne Müntz von ſeinem Gold vnd Silber, ohn allem Zuſatz,*) tum poſtea additamentum vilioris metalli ad certum modum redegerunt, legemque condiderunt: (q) *Es ſolten auf die Coelniſche Marck geben neunzig Stück Reichs-Gülden von ſechtzig Kreuzern, vnd ſein halten vierzehn Loth, ſechzehn Gren.* Qua de re & in ſequentibus Edicti Ferdinandei capitibus praeclara multa conſtituta animaduertimus. Praeterea fieri non poteſt, quin cum magno purioris monetae diſpendio conflentur maioris moduli numi, & in minores ſpecies redigantur, quod vocant *die Müntze brechen* (r), niſi forte id eo fine ac conſilio fiat, vt numi improbi peregrini in ſpecies minores in Imperio receptas mutentur (s), quum minoribus ſpeciebus plus accedat vilioris materiae, quam grandioribus, ac proinde illi minus ſoluatur, cui in minoribus, ſpeciebus adnumeratur ſumma debita. Vnde & grauiter de reipublicae detrimento, quod ex nimia numorum minutorum multitudine oriatur, conqueſti ſunt Imperii ordines, vt non ſine iuſta cauſſa lege illa publica, ſeu Ferdinandi I. Imp. EDICTO MONETARIO (t), cautum ſit: *& ſolten alle vnd iede Kreyſs-oder Müntz-Herrn fleiſſigs Auffſehens haben, damit in allen denen mindern Sorten, vnter den fünff-Creutzern, bis an die Pfennig vnd Heller dieſe Beſcheidenheit gehalten werde, damit die nicht gehäuffet, vnd die andern höhern Müntzen dadurch in Auffſteigen gebracht werden.* Denique & in eo morbus haud leuis conſiſtit, ſi SPECIES non probae ſint, id eſt, ſi tales circumferantur cudanturque ſpecies, quae nec legibus moribuſque Imperii conſentaneae ſunt, nec ad noſtram λογικὴν iuſtam rationem habent. Sic ſane iam in comitiis Spirenſibus anno MDLXX. is morbus animaduerſus, ac proinde lege publica cautum eſt (u), *daſs im H. Reich keine andere ſilberne Müntz-Sorten, dann die darin beſtimmte an Schrot vnd Korn probirte Reichs gantze, halbe vnd viertheil-Thaler, auch Reichs gantze vnd halbe Gülden, Zehen-Creutzer, halbe Batzen, Creutzer, Pfenning, vnd etliche benamte Landmüntzen gemüntzt, noch im Kauffen, Verkauffen, oder andern Handlungen vnd Bezahlungen in ihrem vnterſchiedlich geſetzten Werth*

(p) Receſſ. Imp. *Ann. MD. tit. XXI.* §. *I.*

(q) Ferdinandi *I. Munz-Ordnung.* §. *III.*

(r) Receſſ. Imp. *MDLXXVI.* §. *LXXI.*

(s) Ferdinandi I. Imp. *Edict. monet.* §. *LII. LXXII. & CLXXII.*

(t) *Ibid.* §. *XXXII.*

(u) Rec. Imp. *MDLXX.* §. CXLI.

Werth gegeben vnd genommen werden ſollen. Gleichfals daſs auch im H. Reich nur Rheiniſche Gold-Gülden vnd Reichs-Ducaten innhalt des Edicts gemünzet, dieſelbige ſowohl, als etliche andere im Edict ſpecificirte Ducaten vnd Cronen, in ihrem Werth fur Wehrſchaft genommen werden mögen. Quae aliquoties repetita, nouisque atque acrioribus ſanctionibus munita reperimus, veluti in REC. DEPVT. FRANCOF. MDLXXI. (x) in REC. IMP. MDXCIV. (y) quamuis alibi (z) & ſpecies aliae, quam quas Imperium probauit, cudi permittantur, dummodo id fiat conſentientibus circulis conſociatis, *wann ihnen daſſelbige aus erheblichen, nothwendigen, wahren vrſachen von gemeinen Creyſs-Correſpondenz-Müntz-Staenden ſämptlich erlaubt ſey.*

§. XXII.

Statuenda certa norma quae vocatur der Müntz-Fuſs.

Tot malis vero, quae pridem ſenſit, & remedia iam olim inuenit imperium Germanicum, vt ea aliunde arceſſere minus ſit neceſſarium, modo iis viueremus temporibus, quibus remedia facilius, quam morbum, pateremur. Quum enim in eo ſe vel maxime exſerat rei numariae morbus, quod monetae tantum non ineſt auri argentique, tamquam nobilioris materiae, quantum leges publicae exigunt: (§. XXI.) ei malo aliter mederi non licet, quam ſi iuſta conſtituatur norma, quam vniuerſi, quibus ius cudendi monetam eſt, ſequantur, quam vocare ſolemus, *den Müntz-Fuſs.* Per illam intelligimus iuſtam inter pretium metalli & numorum quantitatem proportionem, vt ſtatim vnicuique, qui auro, argentoque flando, feriundo praeeſt, conſtare poſſit, quot certorum numorum ſpecies ex marca argenti cudendi ſint. Quomodo enim fieri poſſet, vt numus ſit pretium rerum omnium eminens, ſi ipſa materia, e qua percutitur, vulgari pretio deſtituatur? Verum eſt, ab impoſitione hominum pendere numorum pretium, ac proinde non defuiſſe olim integras gentes, quae inſuper habito metalli vſu, rebus etiam viliſſimis huiuſmodi pretium attribuerent. Fecerunt id ſane Carthaginienſes, aliaeque gentes, de quibus inſignis eſt locus AESCHINIS Socratici (zz): Αὐτίκα γὰρ οὗτοι Καρχηδόνιοι νομίσματι χρῶνται τοιῷδε· ἐν δερματίῳ μικρῷ ἀποδέδεται ὅσον τι στατῆρος τὸ μέγεθος μάλιστα. ὅ, τι δὲ ἐστι τὸ ἀποδεδεμένον, οὐδεὶς γινώσκει, εἰ μὴ οἱ ποιοῦντες. εἶτα κατεσφραγισμένῳ τούτῳ νομίζουσι, καὶ ὁ πλεῖστα τοιαῦτα κεκτη-

(x) *Rec. Deput. Francof. MDLXXI.* §. XVII. *ſequ.*

(y) *Receſſ. Imp. MDXCIV.* §. CI.

(z) *Rec. Imp. MDLXXXII.* §. LXX.

(zz) Aeſchin. *dial. de diuit. Cap. XXIV. pag. 78. edit. Petr. Horrei.*

κεκλημένος, ὅπως πλεῖστα δοκεῖ χρήματα κεκτῆσθαι καὶ πλουσιώτατος εἶναι. *Nam Carthaginienſes tali vtuntur numiſmate : in pellicula exigua illigari ſolet aliquid, quod magnitudinem fere ſtateris habet ; quid vero ſit, quod illigatum eſt, nemo nouit, praeter eos, qui hoc faciunt. Deinde hoc obſignato vtuntur pro numiſmate, & qui plurima talia poſſidet, is plurima bona poſſidere, & ditiſſimus eſſe cenſetur.* Et paucis interiectis (a) : Ἐν δὲ Λακεδαίμονι σιδηρῷ σταθμῷ νομίζουσι, καὶ τούτῳ μέν τοι τῷ ἀχρείῳ τοῦ σιδήρου. Ἐν δὲ τῇ Αἰθιοπίᾳ λίθοις ἐγγεγλυμμένοις χρῶνται. *Lacedaemone vero ferreo pondere vtuntur, pro numiſmate, & quidem inutili ferro. In Aethiopia lapidibus vtuntur inſculptis.* De ferrea Lacedaemoniorum moneta plura habes apud PLVTARCHVM (b) : quemadmodum & aliarum gentium, conchis ſimilibuſque rebus pro pecunia vtentium, inſtituta, non ſine adparatu deſcripſit PVFENDORFFIVS (c). Enimuero vti haec omnia vſum aliquem praeſtant in calamitate publica, in qua ſaepe charta, corium, ſimileſque materiae, publico ſigno notatae, pecuniae vice funguntur (d), nec non in commerciis minutis inter ciues eiuſdem reipublicae expediendis : ita nemo temere extra rempublicam, immo nec extra illam calamitatem, rebus iſtis, in quouis triuio obuiis, pretium aliquod eminens attribuerit. Itaque materia placuit gentibus prudentioribus, quae interno pretio ſuo homines alliceret, vt pro illa res quaſcumque dare non dubitarent, qualis pleriſque videbantur metalla nobiliora. Eſt ergo pecunia, ceu eleganter obſeruauit ARISTOTELES (dd), οἷον ἐγγυητής, *veluti ſponſor ac fideiuſſor*, quo interueniente omnia nobis vnuſquiſque crediderit. Sicuti vero nemo fideiuſſorem accipit, niſi locupletem : ita nec pecuniam quiſquam pro re, quae ipſi cara eſt, accipiet, niſi cui internum ſuum pretium conſtet, quum non ſoleant homines, niſi emotae, mentis ſuum iactare (e). Ex quibus omnibus omnino conſequitur, non eſſe quidquam de emendatione rei monetariae ſperandum, niſi certa placeat norma, ad quam pecuniae pondus & valor internus aeſtimetur. Quin tanto magis neceſſaria haec eſt, quo certius alias continget, quod de ſua aetate conqueſtus eſt CICERO (f), *vt iactetur numus ita, vt nemo ſciat, quid habeat.*

(a) *Ibid. p.* 80.

(b) Plutarch. *Lycurg. p.* 51.

(c) Pufend. *Libr. V. de Iur. nat. & gent. Cap. I.* §. XIII.

(d) Polyaen. *Stratag. Lib.III. Cap.X.* §. I. Seneca *de Beneſic. Lib.V. Cap.XIV.*

(dd) Ariſtot. *ad Nicomach. Lib. V. Cap.* VIII.

(e) *l.* 25. *D. de probat.*

(f) Cic. *de offic. Libr. III. Cap. XX.*

§. XXIII.

Ea attemperanda auri argentique pretio.

Ad inueniendam certam hanc atque aequiſſimam normam primo omnium ad auri argentique pretium, quod pro copia vel raritate ſua diuerſis temporibus diuerſiſſimum eſſe ſolet, eſt reſpiciendum. Quemadmodum enim numus, cuius interna materia ralorem externum, qui ei attribuitur, non attingit, omnibus ſordet: ita ſi leges publicae plus valoris interni exigant, quam argenti pretium ferat, vix cudi poterit numus ſine inſigni diſpendio, ac proinde tanto rarior ille erit, quanto minus principes a ſe impetrabunt, vt ius cudendae monetae non modo ſine ſpe compendii cuiuſdam, ſed & cum magno diſpendio, exerceant. Diximus, nobiliorum metallorum pretium nec vbique, nec ſemper, idem eſſe, ſed pro copia vel raritate metallorum remitti, vel intendi. Quod ſane probatu non adeo difficile, hic vero tanto iucundius fuerit, quo magis inde conſtabit, quantum pretium & olim, & poſtea extremis temporibus apud varias gentes auro argentoque ſtatutum ſit. Et multa quidem hanc in rem diſſeruerunt viri doctiſſimi, MATTH. HOSTVS (g), IO. FR. GRONOVIVS (h), GVIL. BVDAEVS (i), & TIL. FRISIVS (k), quorum obſeruationes, partim in nucleo exhibere, partim emendare ac veluti reuocare ſub limam iuuabit. Fuere primum, qui exiguum vtrique pretium ſtatuerent, veluti vetuſtiſſimi Germani, de quibus TACITVS: (l) *Argentum & aurum propitii, an irati Dei negauerint, dubito... eiuſque poſſeſſione & vſu haud perinde adficiuntur*, nec non Scythae, qui, teſte IVSTINO (m), *aurum & argentum, non perinde ac reliqui mortales, adpetebant.* Alii ſaltim vilius, ſed vſu praeſtantius metallum, quale eſt ferrum, auro argentoque vel praeferebant, vel aequiparabant, ſi abundarent illo, hoc carerent. Sic de Arabibus memoriae prodidit DIODORVS SICVLVS (n), eos pro aere & ferro aequale pondus auri dare, quia hoc abundarint, illius laborarint inopia. Immo STRABO (o) & AGATHARGIS, multo maioris pretii iis fuiſſe argentum, aes & ferrum, quam aurum,

(g) Matth. Hoſtus. *Rei num. vet. Lib. V. cap. IV. p.* 324.

(h) Io. Fr. Gronou. *de pec. vet. p.* 224. 233. 234. 235. 311. 380. 760. *edit.* 1656.

(i) Bud. *de Aſſe. Lib. IV. p.* 403. *edit. Rechenb.*

(k) Til. Friſ. *im Müntz-Spiegel. Lib. I. Cap. IX. apud* Thomam ab Hagelſtein *Actor. Monet. Tom. I. p.* 10.

(l) Tacit. *de mor. Germ. Cap. V.*

(m) Iuſtin. *Lib. II. Cap. II.*

(n) Diod. Sic. *Bibl. Lib. III. Cap.* XLV.

(o) Strabo *Geograph. Lib. XVI. p.* 1124. *edit. noviſſ.*

rum, referunt. Πωλοῦσι δὲ, inquit STRABO, καὶ πρὸς τοὺς ἀστυγείτονας ὤνιον τὸν χρυσὸν τριπλάσιον ἀντιδόντες τοῦ χαλκοῦ, διπλάσιον δὲ τοῦ σιδήρου, καὶ δεκαπλάσιον τοῦ ἀργύρου, διά τε τὴν ἀπειρίαν τῆς ἐργασίας, καὶ τὴν σπάνιν τῶν ἀντιλαμβανομένων, ὧν ἡ χρεία πρὸς τοὺς βίους ἀναγκαιότερα. *Vendunt id aurum vicinis vili pretio, aeri triplum auri rependentes, ferro autem duplum, & argento decuplum, tum propter operandi inſcitiam, tum quod indigent iis, quae contra accipiunt, quorumque vſus magis eſt ad vitam neceſſarius.* Sed haec quidem rariſſima, non niſi apud illas gentes locum habere potuerunt, quae vel pecuniae vſum nullum habuerunt, mercium duntaxat permutatione vſae, vel naturam tam liberalem expertae, vt reliquorum metallorum neceſſariorum inopiam ſolo auro penſaret. Vnde & de Peruuianis ſuis ſimile quid refert YNCA GARCILLASSVS DE LA VEGA (p).

§. XXIIII.

Quae fuerit auri argentique analogia apud Hebraeos & Graecos?

At reliquas nationes, quae numos pro pretio eminente habuerunt, tantum non omnes magis auro, quam argento aliiſque imperfectioribus metallis, pretium ſtatuiſſe comperio. Apud Hebraeos ſane aurum ad argentum δωδεκαστάσιον, ſeu in proportione duodecupla fuiſſe, cenſet MATTH. HOSTVS (q), quamuis TILEM. FRISIVS (r) decuplam tantum in ſacris litteris ſibi reperiſſe videatur. Ad Graecos quod attinet, antiquiſſima auri argentique analogia eſt illa apud HERODOTVM (s): τὸ δὲ χρυσίον τρεισκαιδεκαστάσιον λογιζόμενον τὸ ψῆγμα εὑρίσκεται, ἐόν, Εὐβοϊκῶν ταλάντων ὀγδόκοντα καὶ ἑξακοσίων καὶ τετρακισχιλίων. *Aurum autem ramentitium, ſi ramentum argento ter & decies rependatur, inuenietur talentorum Euboicorum quatuor millium ſexcentorum & octoginta.* Sed PLATONIS (t) aeuo aliquid iam deceſſerat auri pretio. Is enim argentum ad aurum facit δωδεκαστάσιον, hoc eſt *duodecuplum*, vt duodecies tantum argenti pro auro rependatur. Ait enim philoſophus: Ἐάν τις χρυσίου σταθμὸν ἥμισυ ἀναλώσας, διπλάσιον λάβῃ ἀργύριον, ἀντὶ δωδεκαστασίου διστάσιον αὐτῷ καθίσταται τὸ χρυσίον. *Siquis, dimidiam auri libram erogans, duplum reportet argenti, pro* DVODECVPLO *duplum ſolummodo capit.* At ne hoc quidem pretium admodum fuit diuturnum. Menandri enim, poetae comici, temporibus, qui non multo poſt Platonem floruit, aurum decies tanto argento commutaba-

I 3

(p) Garcillaſſ. *Hiſtoire des Yncas. Liv. V. chap. VII. p.* 425.
(q) Matth. Hoſt. *ibid. p.* 327.
(r) Tilem. Friſ. *ibid. p.* 10.
(s) Herodot. *Lib. III. p.* 127. *edit. Henr. Steph.* 1570.
(t) Plato *in Hipparcho.*

mutabatur. Qua de re IVL. POLLVX (u) : Τὸ δὲ χρυσίον, ὅτι τοῦ ἀργυρίου δεκαπλάσιον ἦν, σαφῶς ἄν τις ἐκ τῆς Μενάνδρου παρακαταθήκης μάθοι· προειπὼν γὰρ· Ὅλου ταλάντου χρυσίον σοι παιδίον. Ἔστηκα τηρῶν. ἐπάγει μετὰ ταῦτα περὶ τούτου λέγων. Μακάριος ἐκεῖνος, δεκατάλαντον καταφαγών. *Aurum vero argento decuplo praeſtantius fuiſſe, manifeſto quis ex Menandri Depoſito diſcat. Praefatus enim : opes talenti aurei tibi ſunt, o puer, expenſae: bis ſtatim de iiſdem loquens ſubiungit : Diues hic, decem talenta (* puta *argenti) abliguriens.* Ad quem praeclarum locum plura diſſerunt ALEXANDER SARDVS, (x) IOS. SCALIGER (y), & MATTH. HOSTVS (z), qui hanc auri argentique rationem decuplam etiam ex POLVBIO, SVIDA, HESYCHIO, & LIVIO confirmant.

§. XXV.

Quae apud Romanos?

Sed & apud Romanos non minorem pretii, quod auro argentoque ſtatuebatur, varietatem animaduertimus. Auctor ſane eſt PLINIVS (zz), quum primum aureus numus Romae percuteretur, rationem argenti ad aurum fuiſſe quindecuplam. Quamuis hunc locum ita ſollicitent critici, vt, eorum perpenſis rationibus, multo incertior futurus ſis, quam dudum. Nec tamen mirandum fuerit, immodicum fuiſſe auri pretium, in maxima illa auri inopia. Hinc quo magis gliſcebant Romanorum opes, eo minus factum eſſe auri pretium, veteres annales docent. Teſtis enim eſt POLVBIVS (a), foederis, quod M. Fuluius cum Aetolis inierat, etiam hanc fuiſſe legem : δότωσαν Αἰτωλοὶ ἀργυρίου μὴ χείρονος Ἀττικοῦ παραχρῆμα μὲν τάλαντα εὐβοϊκὰ, σ' τῷ στρατηγῷ τῷ ἐν τῇ Ἑλλάδι· ἀντὶ τρίτου μέρους τοῦ ἀργυρίου χρυσίον, ἐὰν βούλωνται, διδόντες, τῶν δέκα μνῶν ἀργυρίου χρυσίου μνᾶν διδόντες. *Argenti quod Attico deterius non eſſet, ducenta Euboica talenta in praeſentia proconſuli in Achaia agenti, Aetoli darent. Pro tertia argenti parte aurum, ſi dare mallent, darent, dum pro argenteis decem minis vnam auri penderent.* Factum hoc eſt anno V. C. DLXIV. adeoque eo tempore argentum ad aurum fuit δεκαπλάσιον, id eſt, decuplum, ceu & LIVIVS (b), dum illud foedus ex ipſo POLYBIO deſcribit, adfirmat. At in immenſum id auri pretium non ita multo poſt decreuerit;

(u) Iul. Pollux *Lib. IX. Sect.* 76.
(x) Alex. Sard. *de Num. p.* 12.
(y) Scalig. *de Re numar. p.* 13.
(z) Matth. Hoſt. *ibid. Lib. V. Cap. IV. p.* 325.
(zz) Plin. *Hiſt. Natural. Lib. XXXIII. Cap. III.*
(a) Polyb. *Excerpt. legat. c. XXVIII. p.* 1157. *Tom. II. edit. Gronou.*
(b) Liu. *Lib. XXXXVIII. Cap. XI.*

Digitized by

creuerit, ſi viri docti recte intelligunt locum SVETONII (c), vbi de Caeſaris rapinis Gallicanis: *In Gallia fana templaque Deorum, donis referta, expilauit, vrbes diruit, ſaepius ob praedam, quam ob delictum: vnde factum, vt* AVRO *abundaret, terniſque millibus numum in libras promercale per Italiam prouinciaſque diuenderet.* Sic enim inter annos ab V. C. DCXCIV. & DCCI. quando Caeſar Gallos perdomuit, proportio inter aurum & argentum ſeptupla fuiſſet cum ſemiſſe, ceu recte calculum poſuerunt IO. BAPT. EGNATIVS (d), MATTH. HOSTVS (e), & ISAAC. CASAVBONVS (f). Sed ſiue aurum Gallicanum deterioris venae eſſet, ſiue, quod IO. FR. GRONOVIVS (g) mauult, ipſa auri inde aducti abundantia tantae vilitatis cauſſa fuerit: non diu ſane ſaeculum iſtud aureum manſit. Nam ſub Galba argenti ad aurum ratio fuit duodecupla cum ſemiſſe. Quum enim de Othone ſcribat TACITVS (h). *Quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos numos diuiſit:* SVETONIVS (i), & PLVTARCHVS (k) Othonem vnum aureum cohorti dediſſe viritim, referunt. Quum vero aureus Romanis fuerit didrachmus, C. autem numi pendeant XXV. drachmas: conſequens eſt, vt proportio argenti ad aurum tum fuerit duodecupla ſeſquipla, id eſt, vt XXV. ad duo. Nimirum tantam auri vim Nero domi ſuae aureae illeuerat, (l) vt rarius, quam antea, reperiretur, ac proinde neceſſario intenderetur eius pretium. Sed felicioribus iam temporibus ad priſtinum modum paullatim rediit auri valor, auctorque eſt PLINIVS, (m) qui ſub Veſpaſiano floruit, auri ſcripulum ſua aetate ſeſtertiis ſedecim aeſtimari conſueuiſſe. Iam quum ſedecim ſeſtertii ſint quatuor denarii: ſcripulum auri aequiparabitur quatuor denariis, tres ſcripuli XII. denariis, ac proinde illo tempore ratio argenti ad aurum denuo fuit duodecupla. Immo poſtremis temporibus, ſiue ob abundantiam ſiue ob deteriorem venam adeo euiluit auri pretium, vt demum ratio argenti ad aurum eſſet decupla. Eo enim pertinet conſtitutio haec ARCADII & HONORII (n): *Iubemus, vt pro argenti ſumma, quam quis theſauris fuerit illaturus, inferendi auri*

(c) Sueton. *Iul. cap.* LIV.
(d) Io. Bapt. Egnat. *ad Sueton. ibid.*
(e) Matth. Hoſt. *ibid. pag.* 328.
(f) Iſaac. Caſaub. *ad Sueton. Caeſ. Cap.* LIV.
(g) Io. Fridr. Gronou. *de pec. vet.* p. 905.
(h) Tacitus *Hiſt. Lib. I. Cap.* XXIV.
(i) Sueton. *Othon. Cap. IV.*
(k) Plutarch. *in Galba pag.* 1062.
(l) Suet. *Ner. Cap.* XXXI.
(m) Plin. *Hiſt. Nat. Lib.* XIX. *Cap.* I.
(n) *l. vn. C. de arg. pret. quod theſaur. infert. Lib. X. tit.* LXXVI.

auri accipiat facultatem, ita, vt pro ſingulis LIBRIS *argenti quinque ſolidos inferant.* Quam rationem eſſe decuplam eique & SVIDAE temporibus fuiſſe locum, ſolide demonſtrauit MATTH. HOSTVS (o). Adeo & apud Romanos non idem ſemper fuit auri argentique pretium, quum vel intendi, vel remitti coeperit, prout alterutrius metalli vel maior, vel minor eſſet prouentus, vti in annona aliiſque rebus, quarum non eadem ſemper vbertas eſt, contingere ſolet.

§. XXVI.

Quae apud Germanos veteres & recentiores?

Id vero & in Germania viciniſque prouinciis docuit experientia. Nam vt iam non eam per vetuſtiores annales, ſaeculo Chriſtiano IX. argentum & aurum in regno Francorum fuit δωδεκαϛάσιον, id eſt, in ratione duodecupla. Anno enim DCCCLXIV. prodiit EDICTVM PISTENSE (p), quo inter alia cautum, vt in omni regno (Caroli Calui) *non amplius venderetur libra auri, puriſſime cocti, niſi XII. libris argenti de nouis & meris denariis.* At aliquot ſaeculis poſt, ſaltim in Germania vilius pretium placuit. Nam ante ſaeculum XII. quo ius Saxonicum a REPKOVIO compilatum eſt, pretium auri, cum argento comparatum decuplum duntaxat fuiſſe videtur. Is enim (q) vbi de mulcta, ſingulis, qui delicto alterius laeſi eſſent, ſoluenda diſſerit, de mulcta principibus laeſis ſoluenda ita diſſerit. *Fürſten, Freyherrn vnd Schoeppenbarfreye Leut die ſind gleich an Buſse vnd Wehr-Geld zu nehmen. Doch ſo ehret man Fürſten vnd Freyherrn mit Gold-geben zu Buſse, vnd giebt ihnen zwoelff güldene Pfennige, der ſoll ein ieglicher drey Pfennige Gewicht Silbers wiegen. Das Pfennig-Gewicht Goldes nahm man für Zeit vor zehen Pfennige Silber.* Idem paene repetit SPECVLATOR SVEVVS (r) haud paullo recentior: *Fürſten vnd Freyen, ſind gleich an ihrer Puzz, man püſt in hieuor mit guldem Phennig, die waren pfündig, vnd der phenning nam man einen für zehen grozz ſilbrein phenning.* Sed vterque, ne quid diſſimulemus, ita loquitur, vt non tam ſuorum, quam anteriorum temporum, mores deſcribere velle videatur. Nam auctor iuris municipalis, quod WEICHB. MAGDEB. (s) vocatur, diſerte *marcam vnam auri duodecim marcis argenti valere*, ſcribit. Poſt ea tempora

(o) Hoſtus *de re numar. Lib. V. Cap. IV. p.* 326.

(p) Edict. Piſtenſe *Cap. XXIV. apud Steph. Baluz. Capitular. Reg. Franc. Tom. II. p.* 185.

(q) Ius Prou. Sax. *Lib. III. Art. XLV.*

(r) Spec. Sueu. *Cap.* CCCXCVII. *p.* 336. *edit. Bergeri.*

(s) Weichb. *Art. XIII. & Art. XV.*

tempora varium denuo fuit auri argentique pretium, & hodie eſt, prout alterutrum metallum vel frequentius, vel rarius reperitur. Saltim quod TILEM. FRISIVS (t) de ſua aetate monuit, rationem vel analogiam inter vtrumque metallum non multo maiorem, quam vndecuplam, fuiſſe: id adeo non fuit perpetuum, vt & ante illa tempora, & poſtea, non minorem in illis, quam in aliis rebus, quarum inaequalis prouentus ac copia eſt, pretii diuerſitatem reperiamus. Raris enim immenſum; vulgo obuiis leue ac modicum pretium ſtatuere ſolet hominum cupiditas.

Sicuti quum primiter ficos propalam recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primum paucas.

vt ait apud NONIVM (u) LVCILIVS.

§. XXVII.

Quum ergo vel haec ſola auri argentique analogia argumento ſit luculentiſſimo, non idem ſemper eſſe auri argentique pretium: conſequens eſt, vt & norma illa, ad quam monetae in Germania cudendae ſunt, (*der Muntz-Fuſs*) non eadem eſſe poſſit, ſed illa pretio argenti aurique omnino ſit attemperanda. Hinc & ea in re variatum eſſe, intelligimus. De certa norma primum conuentum in COMITIIS AVGVSTANIS anno MDLXVI. (x) eaque in Receſſu ita deſcribitur: *Demnach haben wir vns mit ihnen, vnd ſie ſich hinwieder mit vns entſchloſſen, ſetzen, ordnen, vnd wollen, daſs berührte Thaler, gantz, halb, vnd Oerter neben andern in dem Müntz-Edict angeordneten Stücken vnd Sorten, jedoch denſelben in gleicher Güte, vnd Gehalt gemünzt, geſchlagen, vnd in Bezahlungen für Wehrſchafften, inhalt vielberührter Muntz-Ordnung, gegeben vnd genommen werden ſollen. Als nemlich ein gantzer Thaler, derer ein Stuck ſechtzig acht Creützer gelten, ſollen auf die Coelniſche Marck gehen acht Stück, vnd fein halten vierzehen Loth vnd 4. Gren, wird die fein Marck ausgebracht, vmb zehen Gulden vnd 12. Creutzer. Am andern, halben Thaler, deren ein Stuck vier vnd dreyſsig Creutzer gelten, ſollen auf die Coelniſche Marck gehen ſechzehen Stück, vn fein halten 14. Loth 4. Gren, wird die fein Marck ausgebracht, wie iezt gemeldt. Am dritten viertheil Thaler, deren ein Stuck ſiebenzehen Creutzer gelten, ſol-*

Ob diuerſitatem pretii norma haec aliquoties mutata.

(t) Tilem. Friſ. *Müntz-Spiegel Part. I. Cap. IX. p.* 11. apud Thoman. *Act. publ. Monet. Tom. I.*

(u) Non. *de propr. verb. Cap. II. pag.* 521. *edit. Dion. Gothofr.*

(x) Rec. Imp. *ann.* MDLXVI. §. CLI. CLII. & CLIII.

len auf die Coellniſche Marck gehen zwey vnd dreyſsig Stück, vnd fein halten vierzehen Loth, vier Gren, wird die feine Marck ausgebracht, wie obgeſetzt. Quamuis vero ſaluberrima tum videretur haec norma: magnae tamen paullo poſt auditae ſunt querelae, illam inſuper haberi, cauſſantibus pleriſque, eam non conuenire pretio argenti, nec poſſe huiuſmodi numos ſine ordinum diſpendio percuti. Itaque in Circulo Saxonico vtroque VI. Kal. Sept. ann. MDCLXVII. conſilia ſociarunt tres ſereniſſimae Domus, Saxonica, Brandenburgica & Brunſuicenſis, & Zinnae inter ſe pactae ſunt, *daſs, da zuuor die Marck fein Silber zu neun Thaler* 2. *Groſchen ausgemüntzt worden, hinführo dieſelbe auf* 10. *Thr.* 12. *gl. erhöhet vverden ſolte* (y). Hanc normam Zinnenſem, quippe temporibus iſtis conuenientiſſimam, paullo poſt probarunt circuli Bauaricus, Sueuicus & Franconicus, quorum decretum eodem anno ratum habuit Imperator. Enimuero ne id quidem ad rei conſummationem profuit. Paullo poſt enim viſi ſunt numi tam leues ac improbi, vt ex vna argenti marca eorum XIII. XIV. XV. vel XX. conficerentur (z). Id quod eoſdem Electores & Principes ſereniſſimos permouit, vt d. XVI. Ian. MDCXC. Lipſiae de noua norma inter ſe conuenirent, conſtituerentque, *daſs eine iede Marck* $\frac{1}{3}$ $\frac{2}{3}$ *vnd* $\frac{1}{6}$ *Stück auf* 12. *Thaler ausgemuntzet, vnd aus vielen erheblichen Vrſachen bis naechſt künfftigen Michaelis damit continuiret, immittelſt aber von keinem derer hohen Herrn Correſpondenten weiter hierunter gegangen werden ſolle, da man denn umbſelbige Zeit vvieder zuſammen zu kommen, vnd einen verhoffenden nähern vnd beſſern Muntz-Fuſs feſt zu ſtellen die Abrede genommen* (a). Et quamuis eam normam ad tempus initio conſtitui placuerit: poſtea tamen non alia vel melior reperta eſt, immo & hanc iamdudum peruertit habendi cupiditas, leuioris notae numis tanta copia cuſis, vt meliores fere omnes ab argyropolis redemti deinde in deteriores in monetis clandeſtinis (*auf denen Hecke-Müntzen,*) commutarentur.

§. XXVIII.

Pretium hoc maxi- Quum ergo emendari & ad iuſtum pretium reduci non poſſit moneta, niſi certa norma, *ein beſtaendiger Muntz-Fuſs* ab vniuerſo

(y) Lunig. *Reichs-Archiu. Part. ſpec. IV. Abth. p.* 200. *Europaeiſcher Herold. Part. I. p.* 959.

(z) Thoman. ab Hagelſt. *Act. Monet. Part. II. p.* 366.

(a) Thoman. ad Hagelſtein. *ibid. p.* 365. Lunig. *ibid. n. LXXIII. p.* 235. Ziegler. *de maieſt. Lib. I. Cap. XLIV.* §. *XIII.*

Digitized by Google

ſo Imperio conſtituatur, in eo autem conſtituendo ad argenti pretium, quale tum apud nos, tum apud vicinos eſt, reſpiciendum ſit: conſequens eſt, vt ea cura vel maxime iam iis debeat pectore fixa eſſe, qui de emendanda re numaria conſilia conferunt. At, ſiue Zinnenſis, ſiue Lipſienſis probetur, ſiue plane noua inueniatur: experientia iam pridem docuit, nihil inde vtilitatis peruenturum ad rempublicam, niſi prius ea omnia, quae pretium auri argentique intendunt, prudenter remoueantur. Eſt talis praecipue luxuria, fatale omnibus rebuspublicis & imperiis malum, quo fit vt aurum argentumque male diſſipetur, ac proinde metallis iſtis, tamquam rarioribus, immane pretium ſtatuatur. Videmus, aurum argentumque in lamellas & filamenta duci, magnam partem templis, epitaphiis, libris, ſupellectili, nec minorem veſtimentis ornandis, adhiberi. Ex illo auro argentoque vix quidquam; ex hoc parum admodum ſeruatur. Quis vero dubitet, quin demum rariora fieri oporteat ea metalla, quorum maſſa quotannis luxu humano deminuitur? Exſtat integer libellus, inſcriptus: *Schatz der Welt*, quo demonſtratum iuit auctor, non poſtremam raritatis metallorum nobiliorum cauſſam eſſe in abuſu iſtorum quaerendam, puta quod in lamellas tenuiſſimas & filamenta duci ſoleat, & ita fiat, vt maxima eius copia paullatim profundatur, abſumatur, ac plane intereat. Hoc auctor ille BONIFAC. TERMINAEVS (c), hoc alter ANONYMVS (d) &, qui primo loco nominandus erat, TOB. OELHAFFEN A SCHELLENBACH (e) luculenter demonſtrarunt, rationibuſque probabiliter ſubductis oſtenderunt, in ſex dumtaxat emporiis, puta Noribergae, Auguſtae Vindelicorum, Vratislauiae, Argentinae, Magdeburgi & Vlmae quotannis ab artificibus in lamellas duci poſſe & ſolere centum & quinquaginta ſex millia cum octogenis aureorum, quos Ducatos vocamus, adeoque intra triginta annorum ſpacium quatuor myriades & ſeptingenta ac quatuor millia aureorum. Ex qua immenſa auri mole vix centeſimam partem lucri fieri ab hominibus, & reliqua omnia male perire, nemo eſt, qui non intelligat. Cui ſi addas, quantum auri argentique in filamenta ducti depereat: adeo non miraberis horum metallorum raritatem, vt mirandum videa-

me intenditur ob luxuriam.

 tur.

(c) Bonifac. Terminaeus. *von dem groſſen Schatz der Welt. Arg.* MDCXXIII.

(d) Auctor libelli: *Welcher geſtalt ein Land, ſo durch Krieg, oder in andere Weg verderbt, wiederum aufzubringen?*

(e) Tob. Oelhaffen *de rei monet. ſtatu hodierno Cap. V.* 201. *ſeqq. apud* Thoman. *Tom. I. Actor. monetal.*

tur, illa non multo rariora eſſe. Quare merito mireris in alia omnia hic iuiſſe virum harum rerum peritiſſimum, PAVLLVM VELSERVM (f), ex ea ratione, quod ſatius omnino ſit, aliquid auri argentique hoc modo perire, quam huiuſmodi merces multo maiore pretio ab exteris peti. Quamuis enim inde colligi poſſit, paullo minus eſſe hoc malum, quo nunc premimur, quam ſi exteros luxu noſtro locupletaremus: non tamen inde ſequitur, vt non & illud ſit malum ſatis magnum. Sane ſiue ab exteris redimamus has merces, ſiue eas ipſi conficiamus: certum tamen eſt, permultum auri argentique perire, ac proinde fieri non poſſe, quin metallorum iſtorum pretium quotidie intendatur. Accedit, quod eo iam ſaeculo viuimus, quo priuatis etiam mediocris conditionis vix ſatis nitida videtur ſupellex, niſi argentea, immo quibuſdam ne haec quidem ſufficit. Quotusquiſque hodie non gladio argenteo? quammulti aureo cinguntur? Quotusquiſque non ſiue aurea ſiue argentea circumfert horologia, capſas argenteas aureaſue puluere ſternutatorio oppletas, fibulas argenteas aureaſue, baculos aureis argenteiſue manubriis praemunitos? Cuinam vero ſatis ſapidus videtur liquor ex herba Sinica, vel lupinis Turcicis decoctus, ſi non ex vaſis argenteis diluatur? Quot ergo aureorum argenteorum numorum millia quotidie conflari oportet, vt aurum argentumque non deſit hominum luxuriae? Eat iam aliquis, & auri argentique raritatem pretiumque quotidie gliſcens, miretur, quum & plumbea ingenia, ferreaeque frontes auro argentoque fulgeant, & ii etiam, qui Cynica traducunt tempora coena, latrantem ſtomachum argenteo aliquo vaſculo vel veſtibus auro argentoque ſplendidis placare, & genium defraudare, quam auro argentoque carere malint?

§. XXVIIII.

Nec non ob licentiam aurum argentumque diſtrahendi promiſcue conceſſam.

Praeterea ipſa quoque auri argentique negotiatio pretium eiusdem mirifice intendit. Ea enim fere ad Iudaeos, & hos quidem opulentiores, rediit, qui ſoli fere & monetis publicis aurum argentumque praebent, & metalla iſta vendunt aurificibus, iisque, qui artem illa metalla in tenuiſſimas lamellas ac filamenta ducendi exercent. Hi vero homines, quum veluti monopolium quoddam materiae iſtius nobiliſſimae ſibi iam dudum vindicarint: quid facilius eſt, quam vt omnia agant ex compacto, & tamquam in Velabro olearii mercibus ſuis pretium quodcumque ſtatuant? Itaque omnino vix ſpes vlla ſupereſt, fore, vt aurum argentumque

(f) Velſer. *Diſcurs vom Müntz-Weſen. ibid. Tom. III. p. 13.*

que ad iuſtum pretium reducatur, niſi negotiationis illius curam paullo maiorem habeant ii, quorum eſt, operam dare, ne quid reſpublica detrimenti capiat. Nerui autem, ſi quid video, inciderentur iniquiſſimo illi commercio, ſi qui aurum argentumque vendunt, illud non aliis, quam monetis publica auctoritate inſtitutis offerre cogerentur, ſeueriusque animaduerteretur in eos, qui priuatis monetis, quas vocant *Hecke-Müntzen*, metalla multo luculentioribus conditionibus, quam aliis, vendunt. Quo plures enim inde prodeunt numi improbi, eo magis intendi oportet auri argentique pretium, & eo certius bonae ac probae ſpecies veluti euaneſcunt, vt vere dici poſſit, quemadmodum olim vaccas pingues a macilentis deglutiri per ſomnum viderat Rex Aegyptiorum: (g) ita probas iuſtique ponderis & valoris monetas ab improbis illis ac leuioribus veluti deuorari. Vnde & nemo eorum, qui de conſtituenda emendandaque re numaria conſultationes ſuas ediderunt, quorumque non poenitendum numerum Tomo III. Actorum monetariorum inſeruit DAV. THOMANVS ab HAGELSTEIN, ſpem aliquam oſtendit, meliora nobis imminere tempora, quamdiu Imperator & Imperium leges ſaluberrimas de officinis monetariis clandeſtinis, vel auctoritate circulorum non conſtitutis, (*von Hecke-Muntzen*) non maiore ſeueritate exſequantur, illaeque demum penitus maximo Germaniae bono ſupprimantur.

§. XXX.

Alterum, quod conſtituta certa rei pecuniariae norma, factu opus eſt, in eo conſiſtit, vt ſtatim antequam improbi numi vel penitus proſcribantur, vel ad iuſtum reducantur pretium, inſignis quaedam proborum numorum copia publica auctoritate ad illam normam communi Imperii ſuffragio receptam, percutiatur, quae ſit loco SVRROGATI, quod vocant, & cuius bonitas efficiat, vt homines improbas illas ſpecies facile adſpernentur. Quid enim vtilitatis ex improborum numorum proſcriptione & reductione ad iuſtum pretium capiant ciues, ſi non ſint alii probi, qui pretii eminentis vice in rerum commerciis fungantur? Sane tunc alterutrum fieri oportet, vt aut commercia omnia ceſſent, maximaque inde naſcatur rerum omnium perturbatio, aut numi, publica lege proſcripti, in vſum vltro reuocentur, priſtinumque recipiant valorem, & non ſine legum contemtu a ciuibus iactentur. Fingamus, quaeſo, ruſticos Germanos ſaeculo XVI, veluti Furiis quibusdam ad bellum nefarium inſtinctos, feliciterque profligatos,

Conſtituta rite norma cogitandum eſt de ſurrogato.

(g) Geneſ. XLI. 18. 19. 20.

vna eademque ſententia ferali capitis fuiſſe damnatos, aut ad vltimos Garamantas proſcriptos; quam miſera futura fuiſſet Germaniae facies, dum deerant, qui eorum loco agrum colerent? Nonne ipſa neceſſitas tum ad clementiam inflexit principes, ſatius fore exiſtimantes, malis agricolis parci, quam nullos ſupereſſe, qui agros colerent? Sic ſane ipſa neceſſitas etiam bonos ciues inter leges peccare coget, niſi melior ſuppetat numus, quo loco praui ac improbi vtantur, quia vnuſquiſque qualeſcumque, quam nullos, numos habere malet.

§. XXXI.

Tunc reliqua facile obtinebimus. Votum pro felice publicorum conſiliorum exitu.

Sic demum nullo negotio numi improbi ad iuſtum pretium reducentur. Si enim exſtat norma, ad quam exigantur; ſi non deſunt numi probi, quibus vtantur ciues: quam facile erit, adhibitis zygoſtatis artis ſuae peritiſſimis ſingulorum improborum pretium ac valorem internum explorare, eosque, prout res fuerit, vel plane proſcribere, vel iuſtum illis ſtatuere pretium? Sua ſponte etiam tunc ciues dabunt operam, vt intra certum tempus expendant hos numos, melioresque adquirant. Quin ipſe numus improbus, veluti oculos hominum reueritus, paullatim euaneſcet, & conflatus in meliorem commutabitur. Quin, his obſeruatis, nullo alio Germaniae opus erit remedio, praeter leges ſaluberrimas, quas iam pridem maiores tulerunt, quarum ſi diligentior manſiſſet cuſtodia, iam non laboraremus: immo nec laborabimus in poſterum, ſi eum animum Imperatori Auguſtiſſimo Imperiique ordinibus dederit ſummum. quod omnia moderatur, Numen, vt leges illas ſeuerius exſequantur. Vtinam vero ſplendidiſſimo illi conſeſſui, qui iam in vrbe patria pro ſalute vniuerſi imperii incomparabili diligentia excubat, eam gloriam deſtinaſſet prouidum Numen, vt Germaniam inueterato hoc ac deſperato morbo leuet, & his aliisque multo ſalubrioribus remediis Imperio priſtinas opes, priſtinamque fidem, qua ſola florent commercia, reddat. Quam perpetua atque immortalis ad poſteros futura eſſet tanti meriti memoria? Quam grato animo ciues tanti boni auctores, vti Romani Marium Gratidianum non quidem thure & ſuffitu, ſed incorruptis laudibus eſſent proſequuturi? Et quam felix fortunataque futura eſſet inclyta Ratispona, e qua tam inſignis vtilitas ad vniuerſam Germaniam, redundaret! Faxit hoc bonorum omnium auctor, Deus, conſiliaque publica, quae iam agitantur, ita ſecundet, vt Germani pro aeneo ferreoque faeculo aureum argenteumque ſibi rediiſſe, iure glorientur, eaque felici temporum reparatione quam diutiſſime laeti perfruantur!

DE

DE IVRE PRINCIPIS CIRCA COMMERCIORVM LIBERTATEM TVENDAM.

EXERCITATIO XXX.

§. I. *Inſtituti ratio.* §. II. *Commercii definitio, & cur illud vocetur rerum operarumque cum aliis communicatio?* §. III. *Cur communicationem illam ex obligatione perfecta oriri dicamus?* §. IIII. *Commerciorum neceſſitas inter ciues eiuſdem reipublicae.* §. V. *Nec non inter gentes liberas.* §. VI. *An ea ſemper libera eſſe oporteat?* GROTII *aliorumque ea de re ſententia.* §. VII. *Eam non firmo ſatis talo ſtare, oſtenditur.* §. VIII. *Libertas commercandi qualis eſſe debeat inter eiuſdem reipublicae ciues?* §. VIIII. *Princeps quibuſdam ius negotiandi & dare, & adimere poteſt.* §. X. *Idem definire poteſt, quaenam res in commercio eſſe debeant.* §. XI. *Nec non ipſis commerciis certum modum praeſcribere.* §. XII. *Ceſſat porro libertas commerciorum cum hoſtibus.* §. XIII. *Cum gentibus dubiae amicitiae ea admodum reſtricta eſſe ſolent.* §. XIIII. *Immo & cum gentibus amicis commercia per foedera reſtringuntur.* §. XV. *Nullo exſtante foedere, liberum eſt vnicuique genti, quid alteri concedere velit.* §. XVI. *An gens gentem commercio cum alia gente iure prohibeat?* §. XVII. *Id negandum eſſe, probatur.* §. XVIII. *Praeterquam quibuſdam caſibus,* §. XVIIII. *Quid commerciorum libertas, a principe tuenda?* §. XX. *Quot modis illa turbari ſoleat?* §. XXI. *Principis eſt, illam commerciorum libertatem tueri.* §. XXII. *Quod fit legibus,* §. XXIII. *Itemque priuilegiis,* §. XXIIII. *Nec non iudiciis mercatoriis & nauticis,* §. XXV. *Foederibus,* §. XXVI. *Munimentis in ſolo extero exſtructis,* §. XXVII. *Legationibus,*

§. XXVIII.

§. XXVIII. *Claſſibus,* §. XXVIIII. *Aliquando & repreſſaliis,* §. XXX. *Ac denique bello.* §. XXXI. *Vota pro potentiſſimo Danorum Rege, optimo Principe, & libertatis commerciorum vindice acerrimo, concepta.*

§. I.

Inſtituti ratio. SI libellis ob ſolam nouitatem raritatemque materiae pretium eſſet ſtatuendum: ſubuererer omnino, ne acturus de COMMERCIIS, & abundare ocio, &, quod ſolent ocioſi, actum agere velle videar. Siue enim de eo, quod circa commercia iuſtum eſt, ſiue de ciuilis prudentiae praeceptis, quae ad illa recte inſtituenda, conſeruanda, amplificandaque pertinent, incidat quaeſtio: adeo omnia a viris doctis occupata, & non modo diſſertationibus, ſed & iuſtis voluminibus, explicata illuſtrataque ſunt, vt poſt tantam meſſem vix vlli ſpicilegium aliquod relictum eſſe exiſtimem. Enimuero, ſi quis aliorum meditationes cum his noſtris contenderit, is profecto, nec aliorum ſcrinia a nobis expilata, nec operam in quaeſtiunculis protritis ac vulgaribus enodandis collocatam, animaduertet. Qui enim ſuperioribus ſaeculis de commerciis quaedam commentati ſunt, iureconſulti id ſibi negotii crediderunt ſolum dari, vt, quidquid de commerciis & mercaturis in iure Romano vaſtisque gloſſatorum operibus occurrit, id omne, nulla habita ordinis ratione, coaceruarent. Quo profligato labore, ab iis, qui cauſſis in foro agendis occupantur, tanto maiorem ſibi gratiam iniiſſe videbantur, quanto plus Accurſiani abſinthii vbique adſperſiſſent. Et tales profecto ſunt ſcriptores tantum non omnes, quorum opuſcula in grandi *Deciſionum variorumque tractatuum de mercatura* volumine (a) locum inuenerunt. Veluti NIDERVS, BALDVS, STRACCHA, ZVARIVS, VANDERANVS, HIPPOL. DE MARSILIIS, IAC. DE ARENA, BENED. DE PLVMBINO, DAMHOVDERVS & reliqui, qui cum in hoc opere, tum in vaſtiſſimo illo *Iuris oceano* ſeu *Tractatu tractatuum* (b) vtramque faciunt paginam, ipſis plerumque nominibus terribiles. Habes enim ibi LVPOS, CACCIALVPOS, CANES, CABALLINOS, & neſcio quae alia nominum terriculamenta, quae quidem, ne cui dirum aliquod

(a) Prodiit haec collectio *Lugduni anno erae Chriſtianae MDLXXXXII.* cura Petri Landry, typographi non indocti, in forma maiore.

(b) In primis *Tomis VI. & VII.*

Digitized by Google

aliquod carmen ordiri videamur, recitare iam nolumus. Palmam his praeripiunt, qui poſt felicem illam iurisprudentiae reparationem animum ad ſcribendum adpulerunt, CAR. MOLINAEVS (c), IO. MARQVARDVS (d), IAC. SAVARY (e), & ſimiles, ſed quorum omnium tamen induſtria magis in decidendis priuatorum controuerſiis, quam in ipſo commerciorum iure ex iuris gentium principiis explicando, eluxit. Quidam & de hoc iure, ſed non niſi generatim, diſſeruerunt, vt IO. STRAVCHIVS (f) & CASP. ZIEGLERVS (g). Alii de commerciis prudenter inſtituendis praecepta dederunt, vt HERMANNVS CONRINGIVS (h). Alii de libertate, priuilegiis, foederibus commerciorum (i), ſimilibusque quaeſtionibus, erudite commentati ſunt, taliumque libellorum ac diſſertationum inſignem prouentum debemus ſaeculo noſtro, maxime ex quo controuerſiae de libertate commerciorum inter gentes potentiſſimas gliſcere, & non ſine inſigni animorum motu agitari coeperunt (k). Horum & ego ſequutus exemplum, DE IVRE PRINCIPVM CIRCA LIBERTATEM COMMERCIORVM TVENDAM quaedam in chartam conieci, quae non omnino ingrata lectoribus fore, eo certiore augurio praeſentire mihi videor, quo magis & hodie lites illae fatigant conſilia Principum, quoque minus quisquam dubitat, quin operae facturi ſint pretium, qui ſubtiles illas & non parum ſpinoſas de libertate commerciorum quaeſtiones paullo accuratius expenderint, diuerſaſque diuerſorum ſententias inter ſe, adhibita in conſilium ratione, compararint.

 §. II.

(c) Car. Molinaei *Tractatus commerciorum, contractuum & vſurarum* ſaepiſſime praela fatigauit. Ad manus iam eſt editio *Pariſina MDLV.* 4.

(d) Io. Marquardi *de iure commerciorum & mercaturae* opus prodiit *Francof. MDCLXII. fol.*

(e) Iac. Sauary *Conſilia & reſponſa de praecipuis & maxime arduis commerciorum cauſſis. Pariſ.* MDCLXXXVIII. 4.

(f) *Diſſ. de iure commerc.* Ien. 4.

(g) Caſp. Ziegleri *Diſſ. de iure commercior. Witteb.* MDCLXVI. & *de Iur. maieſtat. Lib. I. Cap. XXXXI.*

(h) Herm. Conring. *diſſ. de commerc. maritim.* Helmſt. *MDCLXXX.*

(i) Vid. inſignis diſſertatio, *de foederibus commerciorum*, quam *Lipſ. MDCCXXXV.* ſub praeſidio viri eximii, Iac. Maſcouii, defendit illuſtris dominus Chriſt. Siegfr. de Pleſſen, Eques Danus.

(k) Quo pertinent Io. Frid. L. B. Bachoffii ab Echt *Diſſ. de eo quod iuſtum eſt circa commercia.* Ien. *MDCCXXX.* P. Mac. Neny *Refutation des argumens avancés de la part de Meſſ. les Directeurs des Compagnies d'Orient & d'Occident des provinces vnies, à Bruxelles* 1723. & Io. Barbeyraci *Défenſe du Droit de la Compagnie Hollandoiſe des Indes Orientales contre les nouvelles prétentions des Habitans des Pays-bas Autrichiens. à la Haye* 1725.

§. II.

Commercii definitio, & cur illud dicatur rerum operarumque cum aliis communicatio.

Per COMMERCIVM intelligo communicationem rerum operarumque cum aliis, non ex ſola humanitate & beneficentia, ſed ex obligatione perfecta profectam (l). Ex quo enim ipſa neceſſitas homines impulit, vt primaeuae illi rerum omnium communioni mitterent nuncium, & ſuas ſibi quiſque ſedes, ſuos agros, ſuas denique, quibus indigeret, res occuparet: fieri non poterat, vt mutua ope non indigerent, neque ea peterent aliunde, quae ſibi quiſque deeſſe animaduertebat. Multa autem deeſſe oportebat omnibus & ſingulis, quia in natura comparatum eſt, vt non omnis ferat omnia tellus, ſed quarum rerum alibi magnus prouentus eſt, earum maxima alibi ſit inopia. Notiſſima ſunt illa VIRGILII (m):

Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuae:
Arborei foetus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina. Nonne vides, croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua tura Sabaei?
At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges aeternaque foedera certis
Impoſuit natura locis:

nec non quae alibi idem poëta eruditiſſimus (n) canit de diuerſis diuerſarum prouinciarum arboribus:

Nec vero terrae omnes omnia poſſunt.
Adſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoaſque domos Arabum, pictoſque Gelonos,
Diuiſae arboribus patriae. Sola India nigrum
Fert ebenum, ſolis eſt turea virga Sabaeis.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſamaque, & baccas ſemper frondentis acanthi?
Quid nemora Aethiopum, molli canentia lana?
Velleraque vt foliis depectant tenuia Seres?

Quae quidem quum veriſſima eſſe non tantum in diuerſis prouinciis, ſed & in vnius diuerſis tractibus, experiamur, quumque recte obſeruarint rei ruſticae ſcriptores (o), neque in pingui terra omnia recte ſeri, neque in macra nihil, aliaque in montoſo, alia in plano,

(l) Vid. Cel. Domini Praeſidis *Elem. iur. nat. & gent. Lib. I. §. CCCXXVII.*

(m) Virgil. Georg. *Lib. I. v.* 54. *ſequ.*

(n) Idem *Lib. II. v.* 109. 114. *ſequ.*

(o) Varro *de re ruſt. Lib. I. Cap. XXIII.* Columella *de re ruſt. Lib. II. Cap. II.* Pallad. *de re ruſt. Lib. I. tit. V.*

plano, alia in aprico, alia in vmbroſo agro felicius prouenire: conſequens ſane eſt, vt vnicuique regioni permulta & deſint, & ſuperſint, quibus inter ſe communicatis nihil, quod ad neceſſaria vitae ſubſidia pertinet, vlli deeſſe poteſt. Non tamen res tantum homines debent communicare cum hominibus, verum etiam operas. Quotuſquiſque enim eſt mortalium, qui poſſit omnia? Pro monſtro ſane eſt, quod memoriae prodiderunt APVLEIVS (p) & HIERONYMVS (q), Hippiam, ſophiſtam, praeter eximiam artium omnium ingenuarum cognitionem, omnium etiam opificiorum callentiſſimum, quae ſecum circumtulerit, ſua omnia manu confeciſſe, vt indumenta, tunicam interulam elegantiſſimam, baltheum, pictura Babylonica mirifice variegatum, pallium, crepidas, annulum aureum, faberrimo ſignaculo, ampullam oleariam, & quidquid reliquae haberet ſupellectilis. Quin Daedalum hunc a Iulio Caeſare Bottiſanga ingenio ſuperatum dixeris, quem IAN. NIC. ERYTHRAEUS (r) refert non modo ipſum ſibi femoralia, thoraces, calceos, confeciſſe, ſed & omni inſtrumento muſico ceciniſſe egregie, eaque quouis artifice melius atque accuratius elaboraſſe, penicillo porro pictores, acu pingendi arte Arachnen ipſam ita prouocaſſe, vt, quae artem illam profitebantur, mulierculis ruborem excuſſerit. At tales μυριοτεχνίτας, ſi vera ſunt, quae de iis iactantur, natura producit pauciſſimos, &

Vix totidem, quot
Thebarum portae, vel diuitis oſtia Nili.

Et ſi vel maxime plures reperirentur, quibus, vt ANT. MATTHAEI (s) verbis vtar, ingenium omne in digitos abiiſſe dixeris: tamen nec tantum ocii vlli futurum eſſet, vt ſufficeret tot laboribus illiberalibus, & pleroſque ipſa dignitas, vitaeque conditio ab operis tam ſordidis auocaret; nec virum honeſtum caminos purgare, calceos conſuere, columnas aedium nitidas praeſtare, pateretur. Indiget ergo alter alterius operis, nihilque certius eſt, quam manum a manu lauari, adeoque commercia in operarum non minus, quam rerum communicatione conſiſtere.

§. III.

Nec ſine ratione in definitione noſtra expreſſimus, communi- *Cur com-*

(p) Apulei. *Florid. p. 346. edit. Elmenh.*

(q) Hieron. *Epitaph. Nepotiani.*

(r) Ian. Nic. Erythr. *Pinacoth. Lib. II. Cap. XVII.* & Morhoff. *Polyhiſt. litterar. Lib. I. Cap. I. n. 6.*

(s) Ant. Matthaei *de Criminib. ad Libr. Dig. XXXXVII. tit. XI. n. 3.*

municationem illam ex obligatione perfecta oriri dicamus?

cationem illam rerum operarumque cum aliis, in qua commercium conſiſtere diximus, non ex humanitate & beneficentia, ſed ex obligatione perfecta proficiſci. Eſt enim & alia communicatio, quae ex ſolo illo humanitatis ac beneficentiae fonte promanat, quaeque efficeret profecto, vt omnibus commerciis aequo animo careremus, ſi homines omnes, naturae ſuae memores, virtutem colerent. Iam pridem Stoici, ex naturae, quae in omnibus hominibus deprehenditur, aequalitate collegerunt, *communem eſſe hominum inter homines naturalem commendationem* (t), vel, vt EPICTETI (u) verbis vtamur, φυσικὴν κοινωνίαν πρὸς ἀλλήλους, *naturalem inter ſe inuicem communionem*, de qua eleganter ſuo more SENECA (x): *Natura nos*, inquit, *cognatos edidit, quum ex iiſdem, & in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit. Illa aequum iuſtumque compoſuit: ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam laedi.* Ex naturali illa hominum cognatione recte quidem collegit FLORENTINVS, iureconſultus (y), *hominem homini inſidiari, nefas eſſe.* At multo fertilius eſſe hoc principium, facile vnusquiſque animaduertit. Ex eo enim conſequitur, *vt hominem, ob hoc ipſum, quod homo eſt, non oporteat ab homine alienum eſſe* (z), ſed alteri, quidquid ſibi fieri cupit ab alio, quam libentiſſime faciat. Iam ſi tanta eſſet generis humani felicitas, vt omnes amore virtutis peraeque flagrarent; non vllo profecto opus eſſet commercio, quia & nihil habentibus, nihil tamen ad vitam bene beateque tranſigendam eſſet defuturum. Sane enim amicorum, (quales ſunt omnes virtute praediti,) omnia forent communia, nemoque quidquam alteri venderet vel locaret, ſed vltro & gratis concederet. Immo idem tunc omnino eueniret, quod de primo in orbe coetu Chriſtianorum ſcripſit LVCAS (a): οὐδὲ ἐνδεής τις ὑπῆρχεν ἐν αὐτοῖς· διεδίδοτο γὰρ ἑκάστῳ, καθότι χρείαν εἶχεν. *Nemo eorum indigebat. Diſtribuebatur enim vnicuique, quod opus eſſet.* Enimuero fuere aurea illa tempora, quibus homines

Vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege, fidem rectumque colebant (b).

Nunc aliis viuitur moribus, amorque ille vel caritas, ex qua haec potiſſi-

(t) Cicero *de finib. Lib. III. Cap. XVIIII.*

(u) Apud Arrian. *Diſſert. Epict. Lib. II. Cap.* 20.

(x) Seneca *Epiſt.* LXXXXV.

(y) *l.* 3. *de iuſt. & iure* vbi vid. Merill. *Obſeru. iur. ciuil. Lib. I. Cap. XI.*

(z) Cic. *de Finib. Lib.III.Cap.XVIIII.*

(a) *Act. Apoſt. V.* 34.

(b) Ouid. *Metamorph. Lib. I. v.* 90.

Digitized by Google

potiſſimum officia, tamquam ex limpidiſſimo fonte promanant, adeo paullatim inter homines refrixit, vt vix quiſquam hodie alterius humanitate ac beneficentia poſſit fiduciam aliquam collocare. Itaque interpoſitis contractibus obligandi fuerunt homines, ad ea, quibus abundarent, cum aliis communicanda. Et ſic nata demum ſunt inter eos commercia, quae pactis ac contractibus contineri, iam pridem obſeruarunt ISOCRATES (c) & ARISTOTELES (d).

§. IIII.

Commerciorum neceſſitas inter ciues eiuſdem reipublicae.

Quum ergo ipſa indigentia homines ad inſtituenda cum aliis commercia adegerit: (§. II. & III.) conſequens ſane eſt, vt ea inter maxime neceſſaria generis humani inſtituta ſint referenda. Quemadmodum vero omnis neceſſitas ſuos admittit gradus: ita idem dicendum videtur de commerciis, puta, vnum illorum genus altero magis eſſe neceſſarium, gentemque vnam illis magis, quam alteram, indigere. Primo enim res ipſa docet, commercia vel inter *eiuſdem reipublicae ciues*, vel *inter gentes*, communi imperio non ſubiectas, intercedere. Prioribus nulla fere gens, quae coaluit in rempublicam, quaeque a primaeua illa rerum omnium communione receſſit, carere poteſt, quantumuis ſimplicem, & ab omni luxu alienam vitam colere dicatur: poſteriora gliſcente demum luxuria reperta ſunt. Et ſane, quod ad priora attinet, exemplo eſſe poſſunt maiores noſtri, recti exempli, vt inter barbaros, homines, qui licet ſimplici ac parabili cibo, agreſtibus pomis, recente fera, lacte concreto, ſine adparatu & blanditiis famem expellerent, nec alio potu, quam vel aqua, vel corrupto ex hordeo in vini ſimilitudinem liquore, vterentur (e), licet caſas habitarent, ex materia informi citra ſpeciem aut delectationem conſtructas (f), veſtes denique illis omnibus eſſent ſagulum, fibula aliqua vel ſpina conſtrictum, ferina pellis vel linum (g), commercio tamen omni inter ſe carere non poterant, quippe permutatione, teſte TACITO (h), vice contractuum vſi. Gemina fere ſunt, quae de Satarchis refert POMPONIVS MELA (i), eos, licet feris moribus, & ab omni cultu alienos, *vice* tamen *rerum commercia mutaſſe*. Soli fortaſſis populi nomades, quia & pleraque neceſſaria veluti in medio poſita habebant, nec plura ipſi deſidera-

(c) Iſocrat. *Except. aduerſ. Callimach.* p. 742.

(d) Ariſtotel. *ad Nicom. Lib. V. Cap. VIII. & Polit. Lib. I. Cap.* VI.

(e) Tacit. *de mor. Germ. Cap. XXII.*

(f) Idem *ibid. Cap. XVI.*

(g) Idem *ibid.* Cap. *XVII.*

(h) Idem *ibid.* Cap. *V.*

(i) Pompon. Mela *de ſitu orb. Lib. II. Cap. I.*

ſiderabant, paullo minus indiguiſſe commerciis videntur: veluti apud eumdem POMPONIVM (k) Sarmatae, nec non Scythae, de quibus IVSTINVS (l): *Hominibus*, inquit, *inter ſe nulli fines, neque enim agrum exercent, nec domus illis vlla, aut tectum, aut ſedes eſt, armenta & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines errare ſolitis. Vxores liberoſque ſecum in plauſtris vehunt, quibus coriis imbrium hiemiſque cauſſa tectis pro domibus vtuntur. Aurum & argentum non perinde, vt reliqui mortales, adpetunt. Lacte & melle veſcuntur. Lanae iis vſus ac veſtium ignotus, &, quamquam continuis frigoribus vrantur, pellibus tamen ferinis aut murinis vtuntur. Haec continentia illis morum quoque iuſtitiam edidit, nihil alienum concupiſcentibus. Quippe ibidem diuitiarum cupido eſt, vbi & vſus.* Ita vero viuentibus Scythis, omniaque, quae ad luxum voluptatemque pertinent, adſpernantibus, quid, quaeſo, opus fuiſſet commerciis? quid mercatoribus & propolis? quid foro communi? quod primum Athenis conſpicatus Anacharſis, Scytharum ſapientiſſimus, illud *ὡρισμένον τόπον εἰς τὸ ἀλλήλους ἀπατᾷν καὶ πλεονεκτεῖν*, *deſtinatum ad fallendum captandumque lucrum locum*, vocare non dubitauit (m).

§. V.

Nec non inter gentes liberas.

Quod ad ea, quae inter gentes intercedunt, commercia attinet, iis paullo facilius videntur caruiſſe gentes, quae vel ob morum ſanctitatem rerumque ad luxum pertinentium abſtinentiam, agri ſui vbertate contentae, exterorum delicias nihili fecerunt, vel ob barbariem plane inhoſpitales factae, peregrinos omnes, tamquam hoſtes, a ſe repulerunt. Quod poſtremum olim eo frequentius potuit contingere, quo minus gentes, etiam ceteris humaniores, latrocinari ac praedas agere puduit (n). Quis enim vitio vertiſſet populis, ſuo contentis, alienaque non adpetentibus, quod ad ſe aditum concedere nollent exteris, rapinae ſuſpectis, ex quibus aduenientibus quaerendum erat (o):

Ὦ ξεῖνοι τίνες ἐςὲ; πόθεν πλεῖθ᾽ ὑγρὰ κέλευθα
Ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε,
Οἷά τε ληϊςῆρες ὑπεὶρ ἅλα τοίδ᾽ ἀλόωνται,
Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες;

O

(k) Pompon. Mela *ibid. Lib. III. Cap.* IIII.
(l) Iuſtin. *Hiſtor. Lib. II. Cap. II.*
(m) Diog. Laert. *Lib. I. ſegm. CV.*
(n) Grot. *de iure belli & pac. Lib. II. Cap. XV. §. V. & de veritate relig. Chriſt. Lib. II. §. XII. in not.*
(o) Homer. *Odyſſ. Lib.* III. *v.* 71.

O hoſpites, quinam eſtis? vnde nauigatis humidas vias?
Vtrum ob aliquod negotium? an temere erratis
Tamquam praedones, per mare qui errant,
Animam periclitantes, malum alienis ferentes?

Interrogationem enim hanc veteribus ſollemnem, & neque interroganti, neque interrogato indecoram viſam eſſe, e veteribus THVCYDIDES (p) & PHILOSTRATVS (q), & recentiorum plurimi (r) teſtantur. An ergo vlli mirum videatur, gentes olim quasdam tanto odio perſequutas eſſe omnes exteros, vt metuerent etiam dona ferentes, eosque omnes procul faceſſere a finibus ſuis iuberent? Tales olim Scythae, accolae Ponti, quem ideo veteres non *Euxinum*, ſed ἄξενον, id eſt, *inhoſpitalem* dictum eſſe, referunt, (s) quamuis in alia omnia eat BOCHARTVS (t), qui mari iſti potius ab Aſcenace, gentis auctore, Euxini nomen haeſiſſe exiſtimat. De aliis populis inhoſpitalibus ex inſtituto egit IO. SCHILTERVS (u), qui tamen bene ſperat de humano genere, nullamque nationem tam immanem fuiſſe putat, vt ab omni hoſpitali humanitate abhorruerit. Vt iam ad priorem cauſſam, ob quam gentes quaedam commercia exoſa habuerunt, perueniamus, eam in ſanctioris vitae ſtudio abſtinentiaque a rebus omnibus, ad luxum comparatis, conſtitiſſe diximus. Cuius rei vix illuſtrius aliud exſtat exemplum, quam Hebraeorum, de quibus IOSEPHVS (x): ἡμεῖς οὔτε χώραν οἰκοῦμεν παράλιον, οὔτ' ἐμπορίαις χαίρομεν, οὐδὲ ταῖς πρὸς ἄλλους διὰ τούτων ἐπιμιξίαις. *Quod ad nos attinet, terram habitamus, quae neque mari vicina eſt, neque negotiationibus gaudemus, neque earum cauſſa nobis conſuetudo cum aliis gentibus eſt.* Multa praeterea fuiſſe addit IOSEPHVS, quae Iudaeos negotiari cum aliis gentibus prohibuerint, veluti agri bonitatem vbertatemque eximiam, pietatis liberorumque recte educandorum ſtudium, diuerſam denique a reliquis gentibus viuendi rationem, & ſi qua ſunt eiuſdem generis alia. Attamen ſi dicendum, quod res eſt, haec omnia magis comparate, quam abſolute, accipienda eſſe, arbitramur. Neque enim nulla fuerunt Hebraeorum cum Phoenicibus, Aegyptiis,

(p) Thucydid. *Hiſtor. Lib. I. p.* 4.
(q) Philoſtr. *vit. Apollon. Tyan. Lib. II. Cap. XXVIIII.*
(r) Eu. Feith. *Antiqu. Hom. Lib. II. Cap. VIII.* Olear. *ad Philoſtr.* p. 81.
(s) Strabo *Geogr. Lib. VII. p.* 460.
(t) Bochart. *Phaleg. Lib. III. Cap.* VIIII.
(u) Schilter *Diſſ. I. de iure hoſpit.* § VI.
(x) Ioſeph. *Lib. I. aduerſ. Apion. Cap. XII.*

ptiis, ipſiſque Ophiritis (y), gente Indica, commercia. Et quum praeterea eorum terrae quaedam proferrent, quibus exteri pretium ſtatuebant, vt balſamum & bitumen: eam lucrum faciendi occaſionem praetermiſiſſe Iudaeos, nec gentis ingenium, nec veterum credere nos patitur auctoritas.

§. VI.

An commercia ſemper libera eſſe oporteat? Grotii aliorumque ea de re ſententia.

Quum igitur ex iis, quae diximus, (§. IIII. ſequ.) an & quatenus neceſſaria ſint commercia, ſatis adpareat: nec difficile ſane erit iudicium, an ea ſemper libera eſſe oporteat? Adfirmant hoc GROTIVS (z), SIG. SCACCIA (a), P. MAC. NENY (b), & alii, idque ex ea potiſſimum ratione, quod non poſſit non liberum eſſe id omne, quo genus humanum carere nequeat. Hoc praecipue telo aduerſus Luſitanos vtitur GROTIVS, dum ſcribit: *Deus hoc ipſe per naturam loquitur, quum ea cuncta, quibus vita indiget, omnibus locis ſuppeditari a natura non vult, artibus etiam aliis alias gentes vult excellere. Quo iſta? niſi quod voluit, mutua neceſſitate ac copia humanas foueri amicitias, ne ſinguli ſe putantes ſibi ipſis ſufficere, hoc ipſo redderentur inſociabiles. Nunc factum eſt, vt gens altera alterius ſuppleret inopiam, diuinae iuſtitiae inſtituto, vt eo modo, ſicut* PLINIVS (c) *dicit, quod genitum eſſet vſpiam, apud omnes natum diceretur. Poetas itaque canentes audimus* (d):

Nec vero terrae ferre omnes omnia poſſunt.

Item (e):

Excudent alii ſpirantia mollius aera:
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſſas melius, coelique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
(Hae tibi erunt artes) paciſque imponere morem.

Hoc igitur qui tollunt, illam laudatiſſimam tollunt humani generis ſocietatem: tollunt mutuas benefaciendi occaſiones, naturam denique ipſam violant. Haec GROTIVS, ſequutus, ex mea quidem ſententia, SENECAM (f), qui & ipſe maximis laudibus proſequitur *ſum-*

(y) *I. Reg.* VIIII. *16. ſequ.*

(z) Grot. *de mari libero Cap. I. & de iure belli & pac. Lib. II. Cap. II. §. XIII. n. 5.*

(a) Sigiſm. Scacc. *de Commerc.* §. I. *quaeſt. I. n. XXXXVII.*

(b) P. Mac. Neny *dans la refutation* §. VII. *p. 44. & §. VI. p. 39.*

(c) Plin. *Panegyr. Cap.* XXVIIII.

(d) Virgil. *Georg. Lib. II. v. 109.*

(e) Idem *Aeneid. Lib.* VI. *v.* 448.

(f) Seneca *Natur. Quaeſt. Lib. V. Cap.* XVIII.

Digitized by Google

ſummum illud naturae beneficium, quod & vento gentes locis diſſipatas miſcuit, & ſua omnia in regiones ita deſcripſit, vt neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos commercium : & alibi (g), adductis, quos ſupra laudauimus, poëtae Mantuani verſibus, ſubiicit : *Iſta*, inquit, *in regiones deſcripta ſunt, vt neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos commercium, ſi inuicem alius ab alio aliquid peteret.* Talia & apud alios, veluti ARISTOTELEM (h), PHILONEM (i), EVRIPIDEM, (k) SENECAM tragoedum (l) legimus : quos duces ſequutus GROTIVS libera, nulliſque legibus circumſcribenda, nulla vi prohibenda eſſe ſtatuit commercia. Quin, quum qui in ſtatu naturali alterum iure ſuo vti non patitur, iuſto bello in ordinem cogi poſſit : inde porro collegit, non minus iuſtam arma corripiendi cauſſam habere eos, qui ab aliis negotiari prohibeantur. Iure enim Megarenſes bellum intuliſſe Athenienſibus, quippe conqueſtos apud PLVTARCHVM (m) & THVCYDIDEM (n), *πάσης μὲν ἀγορᾶς, πάντων δὲ λιμένων, ὧν Ἀθηναῖοι κρατοῦσιν, εἴργεσθαι καὶ ἀπελαύνεσθαι, παρὰ τὰ κοινὰ δίκαια καὶ τοὺς γεγενημένους ὅρκους τοῖς Ἕλλησιν*, *ſe praeter ius gentium & iuſiurandum, inter Graecos datum, omnibus emporiis, omnibuſque portubus, quas obtinerent Athenienſes, arceri & prohiberi.* Nec minus celebre eſſe bellum inter Venetos & Bononienſes, quod ob turbatam tantum commerciorum libertatem exarſiſſe, referat CAR. SIGONIVS (o).

§. VII.

Haec eſt illa GROTII, aliorumque, qui eius veſtigia legunt, philoſophia de libertate commerciorum. Sed quamuis illa, ſi de commerciis generatim quaeritur, veriſſima ſit, & omnino generis humani intereſſe videatur, illorum libertatem inter homines ſaluam eſſe : tamen inter ipſos Belgas, libertatis iſtius vindices acerrimos, iam pridem viri quidam docti obſeruarunt (p), illa omnia, quod ad ſingulas gentes attinet, nimis laxe, nimiſque liberaliter pronunciari. Sane enim nimio cauſſae, quam tuetur, ſtudio ac feruore diſputandi eo abripitur vir doctiſſimus, vt hanc

Eam non ſatis firmo talo ſtare demonſtratur.

(g) Idem *Epiſt.* LXXXVII.
(h) Ariſtot. *ad Nicom. Lib. V. Cap.* VIII. *Polit. Lib. I. Cap.* VI.
(i) Philo *legat. ad Caium Imp. p.* 998.
(k) Euripid. *ſupplic. v.* 209. *ſequ.*
(l) Seneca *Herc. fur. v.* 49.
(m) Plutarch. *in Pericle p.* 168.
(n) Thucydid. *Lib. I. p.* 92.
(o) Car. Sigon. *de reb. Ital. Lib. vlt.*
(p) Io. Fridr. Gronou. *Not. ad Grot. de iure belli & pac. Lib. II. Cap. II.* §. XIII. *n. V.* Barbeyrac *dans la défenſe des droits de la Compagnie Hollandoiſe Chap.* IIII. §. III. *p.* 18.

libertatem veluti inalienabilem ac nulli mutationi obnoxiam eſſe, ſtatuat, eamque vllo pacto vel lege coerceri poſſe, omnino neget. Ita ſane ille ſubducit rationes, vbi ex inſtituto demonſtrare nititur, mercaturam inter quoſuis iure gentium liberam eſſe oportere. *Oportet*, inquit, *negotiationem communem eſſe iure gentium, non tantum* PRIVATIVE, *ſed & POSITIVE, vt dicunt magiſtri, ſiue* ADFIRMATIVE. *Quae autem illo modo ſunt iuris gentium, mutari poſſunt: quae hoc modo*, NON POSSVNT (q). Et extremo eodem capite: *Commercandi libertas ex iure eſt primario gentium, quod naturalem & perpetuam cauſſam habet, ideoque* TOLLI NON POTEST, *&, ſi poſſet, non tamen poſſet, niſi* COMMVNI OMNIVM GENTIVM CONSENSV: *tantum abeſt, vt vllo modo gens aliqua gentes duas, inter ſe contrahere volentes, iuſte impedire poſſit.* Si vero ea, quae ſupra diſſeruimus, (§. IIII. & V.) paullo accuratius, adhibita in conſilium ratione, expenderis: facile animaduertes, GROTIVM hic eſſe ſui quodammodo diſſimilem, nec ad libellum iſtum adornandum eum attuliſſe animum, quem prae ſe fert alibi, dum ſcribit (r): *Vere profiteor, ſicut mathematici figuras, a corpore ſemotas, conſiderant, ita me in iure tractando ab omni ſingulari facto abduxiſſe animum.* Eſt ea libertatis natura ac indoles, vt, ſi nullius, quam qui illa fruitur, intereſt, a quolibet abdicari, eique renunciari omnino poſſit (s). Quum ergo nullius interſit, commercia eſſe libera, quam ipſorum commercantium, vtilitatemque inde ſentiat, vel qui

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare, pauperiem fugiens:

vel gens, cui ob ſoli ſterilitatem idem expedit, quod olim Athenienſibus, *πολλοὺς καταπλεῖν ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν, vt in Atticam nauigarent quam plurimi* (t): quis dubitet, quin vtriſque liceat inſuper habere vtilitatem ſuam, libertatique illi vel modum ſtatuere, vel plane mittere nuncium? Sic ſane nemo ius gentium violaſſe dixerit Scythas & Sarmatas, dum nec aliarum gentium delicias & opes concupiſcerent, nec ipſi pelles ſuas communicarent cum aliis, ſed ipſi illis ad expellendum frigus vterentur (u). Nec magis id iure exprobrari poteſt Sueuis & Neruiis, quorum illos vinum ad ſe importari non ſiuiſſe (x), hos mercatoribus nullum plane

(q) Grot. *de libert. mar. Cap.* VIII.

(r) Grot. *proleg. iur. bell. & pac.* §. LVIII.

(s) *l. 19. D. de pact.*

(t) Theophil. *Paraphraſ.* §. *I. Inſt. de iure nat. gent. & ciu.*

(u) Iuſtin. *Hiſt. Lib. II. Cap. II.*

(x) Caeſar *de bello Gall.* Lib. IIII. *Cap. II.*

Digitized by Google

plane aditum ad ſe dediſſe, refert CAESAR (y). Illud quoque ſatis abſonum eſt, quod vir doctiſſimus eam renunciationem non niſi communi gentium conſenſu fieri poſſe contendit. Quemadmodum enim ille gentium conſenſus ius gentium non conſtituit: (z) ita nec eodem opus eſt illi, qui libertati, iure gentium conceſſae, renunciat. Quum ergo ipſa commercandi libertas in dubium vocari non poſſit, & nihil tamen impediat, quo minus abdicari, & arctioribus limitibus circumſcribatur: quouſque porrigenda ſit illa libertas, paullo diſtinctius erit explicandum.

§. VIII.

Libertas commercandi qualis eſſe debeat inter ciues eiuſdem reipublicae?

Omnis negotiatio, ceu iam ſupra vidimus, (§. IIII.) vel inter eiuſdem reipublicae ciues, vel inter gentes diuerſas, communique imperio non ſubiectas, inſtituitur. Priore caſu illam libertatem facile tolli non poſſe, vel inde patet, quod commercia ciuibus ſint neceſſaria, iiſque ſublatis illi rebus quamplurimis neceſſariis eſſent cariturі. (§. IIII.) At quum tamen non omnia perinde neceſſaria, quaedam etiam ciuibus noxia potius, quam vtilia ſint: ea ſane cura ad rectores cuiuſuis reipublicae pertinet, vt, quid in commercio eſſe, vel non eſſe debeat, legibus definiatur. Eoque ſaepenumero contingit, vt legibus ciuilibus arctioribus limitibus circumſcribatur quotidianum illud inter ciues commercium, quam iure gentium. Neque quemquam tam iniquum rerum aeſtimatorem fore arbitror, vel huiuſmodi leges iniquas eſſe, cenſeat. Qui enim in communem rempublicam coaluerunt, ciues ita voluntatem ſuam ſubmiſerunt ſummo imperio, vt, qui illud tenent libertati ciuium naturali eatenus modum ſtatuere poſſint, quatenus id exigit ſalus populi ac reipublicae. Quidni ergo imperantibus liceat, & ciuium dirigere commercia, iiſque leges, prout e republica videatur, praeſcribere? Et quis, quaeſo, hanc facultatem dirigendi commercia ad iura maieſtatis pertinere neget? (a) Permultum profecto intereſt reipublicae, florere commercia: at non minus intereſt, ea ita florere, ne cum ſummo reipublicae detrimento ipſorumque ciuium pernicie coniuncta ſint. Hoc vero quum triplici potiſſimum ratione contingat, primum, ſi omnibus promiſcue ſit negotiandi licentia: deinde, ſi res omnes ſine diſcrimine in commercio ſint: poſtremo, ſi negotio non eo modo, quem

M 2

(y) Idem *ibid. Lib. II. Cap. XV.*

(z) Celeb. Praeſid. *Elem. iur. nat. & gent. Lib. I.* §. *LXXI.*

(a) Caſp. Ziegler *de iur. maieſt. Lib. I. Cap.* XXXXI.

quem iuſtitia prudentiaque praeſcribit, inſtituatur: in his omnibus cura ſollicitudoque principis tanto magis eſt neceſſaria, quanto ea in re peccatur periculoſius, quantoque certius eſt, quod obſeruauit vir recti iudicii, CASP. ZIEGLERVS (b), *tam ingenioſe & ſubtiliter plerumque damnum a negotiatoribus dari, vt illud non prius perſentiſcat reſpublica, quam vbi in immenſum iſtud excreuerit, & iam deſperata ſint remedia.* Cuius rei triſte ſane experimentum noſtra memoria dedit Europa, inuento a quibusdam modo, teſſeras chartaceas, quas vocabant *Actien*, parata pecunia vendendi, &, ne nihil vendidiſſe viderentur, ſparſo rumore mendaciſſimo de aureis Miſiſippae montibus tam immenſum pretium chartulis illis conciliandi, vt homines pecunioſi, veluti peſtilenti quodam ſidere adflati, de illis redimendis inter ſe contenderent. Ita ſpes pretio emebatur, hominesque, emuncti pecunia, ad incitas redigebantur: quin tanta cum potentiſſimorum regnorum ciuitatumque clade coniuncta erat breuis illa inſania, vt ne ipſa quidem Salus illas potuiſſet ſeruare, ſi illis, qui hanc ſcenam ita inſtruxerant, diutius frui hoc ſtupore hominum, eosque ex inſanis furioſos reddere licuiſſet. Si ergo, quod inter omnes conſtare arbitror, principum eſt, dare operam, ne quid reſpublica detrimenti capiat, maximo vero detrimento illi eſſe poſſit promiſcua commercandi licentia: nemo ſane negauerit, iisdem ius eſſe, commercia ad curam ſollicitudinemque ſuam reuocandi, iisque talem ſtatuendi modum, qualem reipublicae ſuae intellexerint eſſe ſaluberrimum futurum.

§. VIIII.

Princeps quibuſdam ius negotiandi dare ac adimere poteſt.

Primum ad ſummorum imperantium curam hoc pertinere diximus, vt, quibus in ciuitate perſonis negotiandi libertas concedenda adimendaue ſit, prudenter diſpiciant. (§. VIII.) Quamuis enim quibusdam reipublicae vel maxime expedire videatur, omnibus promiſcue licere negotiari, & GROTIVS (c) eo trahat illud HESIODI (d): ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν *Bona lis mortalibus haec eſt*: male tamen conſuleretur reipublicae, ſi ciues omnes ad quaeſtum mercatura faciendum animum adpellerent. Primo enim ita non futura eſſet eorum copia, qui capeſſerent rempublicam, qui docendi munere fungerentur, qui ſectarentur militiam, & pro patriae ſecuritate ſub pellibus excubarent. Deinde fieri non poſſet,

(b) Ziegler *de iur. maieſt. ibid.*
(c) Grot. *de mari libero Cap. XII.*
(d) Heſiodi *Opera & dies v. 24.*

ſet, quin ipſa negotiantium multitudo mercaturam parum lucroſam redderet. Quod enim agris contingere animaduertimus, vt, ſi pleniore, quam par eſt, manu ſementem facias, aruum ipſa ſegete maceſcat, tantoque minor ſit prouentus, quanto plus ſeminis ſparſeris: idem in mercatura fieri docet experientia, quippe quam ipſa ſaepe commercantium multitudo euertit. Praeterea reip. ſalus aliquando non patitur, vt inter ciues eiuſdem quidem imperii, at diuerſarum prouinciarum, commercia permittantur, ſi nimirum prouinciales, victi potius, quam perdomiti, nouis rebus ſtudere videantur, ac proinde periculum ſit, ne ſub commerciorum obtentu aduerſus imperantem vel rempublicam coniurent. Sic ſane inter leges, quas L. Aemilius Paullus victis a ſe Macedonibus dediſſe fertur, & haec fuit, teſte LIVIO (e), *vt, quum in quatuor regiones deſcripſiſſet vniuerſam Macedoniam, nulli connubium, agrorumque & aedificiorum commercium extra fines regionis ſuae eſſet, neue ſale inuecto vterentur.* At non minus incommoda rebuſpublicis eſſe ſolet tum mercatorum, tum opificum, quos mercatura nutrit, paucitas, quippe quae facile degenerat in monopolium. Quemadmodum enim pauci ex compacto omnia agunt, tamquam in velabro olearii (f), & inter eos facile conuenit, vt merces ſupra pretium vendantur, ne maior importetur copia, eaque, quae in promtu eſt, clam habeatur, donec ipſa raritas pretium intendat: ita non poteſt non inde naſci monopolium, vt tota reſpublica vel vnius hominis, aliquando ſordidiſſimi, vel ſocietatis cuiuſdam exactionibus exponatur, iique homines, vt LYSIAS (g) conqueritur, non modo belli temporibus ciuibus vna cum hoſte inſidientur, ſed & in pace eoſdem turpiter diripiant. vt vero primum, quod e mercatorum multitudine oritur, vitium *polypolium*, alterum, quod ex eorumdem paucitate, *monopolium* adpellatur: ita non minus plerumque noxium eſt *propolium*, ſi qui merces praeſtinare poſſunt minore pretio, mox tanto maiore illas vendituri. Sunt hae ſane tres commerciorum peſtes (h), quibus niſi in tempore medicina paretur, ilicet actum eſt. Quis vero remedium his malis inueniat, praeter Principes, rectoreſque reipublicae? Horum ergo eſt, ſtatuere, quibuſnam in ciuitate permitti mercaturam oporteat, coërcere nimiam negotiantium multitudinem, ſi pauciores illi rei ſtudeant, plures, propoſitis prae-

 miis,

(e) Liu. *Lib. XXXXV. Cap. XXX.*

(f) *Eraſm. Adag. Chiliad. III. Cent. VII. adag.* LXXX.

(g) Lyſias *Orat. XXI. contra frumentar. p.* 360.

(h) Hert. *Elem. polit. Part. II. ſect. XI.* §. III.

miis, priuilegiis, immunitatibus, vel inſtitutis ſocietatibus, ad excolenda commercia incitare, monopolia & propolia veterum principum exemplo (i) prohibere, iis, qui aduerſus leges negotiantur, vel doli & fraudis comperti ſunt, foro interdicere (k), reliquos, qui hanc operam reipublicae grauiter & incorrupta fide nauant, fouere ac defendere. Quod principis officium tanti viſum eſt Theophilo Imperatori, vt quum auguſtam coniugem quaeſtum mercatura maritima facere intellexiſſet, nauem eius, ſimul ac in portu adpuliſſet, cum ipſis, quibus onuſta erat, mercibus comburi iuſſerit, indignum hoc eſſe facinus, clamitans, quod, quum a Deo ad ſummum inter homines faſtigium euectus ſit, per vxorem nauclerus fiat (l).

§. X.

Idem definire poteſt, quae res in commercio eſſe debeant.

Deinde & in eo non minus vertitur reipublicae vtilitas, vt res non omnes promiſcue ſint in commercio ciuium. (§. VIII.) Ideoque & hoc iuſtiſſimam cauſſam praebere poteſt principi, cur commercandi libertatem arctioribus finibus circumſcribendam eſſe exiſtimet. Sunt ſane quaedam merces ita comparatae, vt vel ciuium ſanitati noceant, vel eoſdem ad ocium, luxum, aliaque vitia, quae in dedecus publicum vergere ſolent, pellicere poſſint: quas ſi quis promiſcue in ciuium commercio eſſe debere ſtatuerit, nae is, ex mea ſententia, & occidendi corrumpendique licentiam nemini adimendam eſſe ſtatuet. At iura noſtra venire recte vetant mala venena, quae adiectione alterius materiae nullo modo uſui eſſe poſſint (m). Quin & illa, quae aliis mixta materiis nocendi naturam exuunt, & ex quibus antidota aliaque ſalubria medicamenta conficiuntur, non niſi cum ſumma circumſpectione venalia eſſe patiuntur leges (n), iiſque, qui incautius talia diſtraxerint, poenam merito comminantur. Et quotuſquiſque ignorat, quam ſeuera lege nuper ſupremum Regis regnique Britannici ordinum concilium liquorum quorumdam venditionem prohibuerit, & quem in furorem ſaluberrima iſta conſtitutio egerit faecem hominum, ſuaui illi inſaniae iam pridem adſuetam. Quis vero vitio vertat bono Principi, ſi earum rerum commercium adimat ciuibus, quas hi, ſi mens non laeua eſſet, vltro & ſine lege cane peius

(i) *l. vn. C. de monopol. & conu. negot. illicit. Can. 109. Cauſſ. XIIII. qu. IIII.*

(k) *l. 9. §. 9. 10. D. de poen. l. 1. §. 13. D. de offic. praef. vrb.* Caſſiodor. *Var. Lib.* VIIII. *Cap.* V.

(l) Zonar. *Annal. Tomo III. fol.* 146.

(m) *l. 35. §. 2. D. de contrah. emt.*

(n) *Conſtitutio crimin. Caroli V. Imp. Art.* XXXVII. *& ibi interpretes.*

peius & angue fugerent? Eodem iure ille reſtringit commercium earum rerum, quarum vſum, vel ſibi ſoli reſeruauit, vel reipublicae. Sic, quum apud Romanos purpura Auguſtis propria & ſummi imperii παράσημον eſſet: merito ſeueriſſima lege prohibuerant Imperatores, ne quis priuatorum conficeret purpuram, eamue venalem aut domi haberet (o). Et quamuis forte nimis rigida videri poſſit capitis poena, quam GRATIANVS, VALENTINIANVS & THEODOSIANVS AAA. legis iſtius transgreſſoribus interminantur: paullo minus tamen hanc ſeueritatem mirabuntur ii, qui ſeditioſos potiſſimum ciues purpura abuſos eſſe, eamque ideo detraxiſſe ſignis militaribus, non ignorauerint (p). Sic & frumentum publici canonis, populi Romani exercituſque vſibus deſtinatum, propoſita proſcriptionis, publicationiſque bonorum, immo & capitali poena, prohiberi animaduertimus ab ARCADIO & HONORIO Imperatoribus (q), quia vel maxime expediebat reipublicae, populum exercitumque non agere ferias eſuriales, ipſaque fame atque inopia ad ſeditionem conſternari (r). Quum porro incidere poſſint tempora, quibus periculoſum ſit ciues habere armatos, & illos maxime, qui nuper demum perdomiti, omnes occaſiones iugum excutiendi ſpeculantur: non raro ciuibus cum armorum, tum ipſius ferri, vſu ac commercio interdictum eſſe, animaduertimus (s): eoque pertinet etiam lex IVSTINIANI Imperatoris, (t) qua arma priuatis venire prohibuit, ſupplicium fabricenſibus, ea non inferentibus armamentariis publicis, emtoribus vero publicationem mercimonii interminatus. Talem enim legem tempora exegiſſe, vel inde colligimus, quod olim priuati arma promercii cauſſa habere nulla lege prohiberentur (u). Quae quidem omnia nos exempli tantum cauſſa adduximus, vt oſtenderemus, multas eſſe poſſe rationes, quae moueant bonum Principem, ne ciuibus liberum rerum omnium commercium concedat, ſed quaſdam venire plane vetet, quaſdam, non niſi certis adhibitis cautionibus, venum proſtare patiatur.

§. XI.

(o) *l. 1. C. quae res ven. non poſſ.* Iul. Caeſ. Bulenger. *Imperat. Rom. Lib. II. Cap. IIII.*

(p) Lindenbrog. & Hadr. Valeſ. *ad Ammian. Marcellin. Lib. XV. Cap. V. p. 63.*

(q) *l. 3. l. 4. C. quae res ven. non poſſ.*

(r) Boecl. *Diſſ. de annona ſub Imperatoribus Tom. II. p. 512.*

(s) *1. Sam.* XIII. 22. *Plin. Hiſt. nat. Lib. XXXIIII. Cap.* XIIII. Flor. *rer. Rom. Lib. II. Cap.* III. *&* XVIII.

(t) *Nouell. LXXXV.*

(u) *l. 2. D. ad leg. Iul. de vi publica.*

§. XI.

Nec non ipſis commerciis certum modum praeſcribere.

Denique & ipſum commercandi modum formamque legibus, accurate ac diligenter ſcriptis, temperari, aliquando e republica eſt. (§. VIII.) Quum enim, qui dies noctesque de lucro faciendo cogitant, eo demum prolabi ſoleant, vt nec fidei nec iuſtitiae vllam amplius rationem habeant, & hinc SYRACIDES (x), vir ſapientiſſimus, iam pridem obſeruarit, *ἀναμέσον ἁρμῶν λίθων πηγήσεται πάσσαλος, καὶ ἀναμέσον πράσεως καὶ ἀγορασμοῦ συντριβήσεται ἁμαρτία*, *ſicuti clauus inter duos lapides, ita peccatum inter emtionem venditionemque fixum eſſe*: ad officium Principum pertinet, leges ferre de contractibus, iiſque hunc modum imponere, ne alteruter defraudetur contrahentium, damnumque ullum ex alterius calliditate ſentiat. Ne hic quoque deſit exemplum, tale adferre iuuabit, idque belliſſimum, cuius in marmore apud GRVTERVM (y) ſeruata eſt memoria. Mos Romae inoleuerat, vt carnes in macellis non ad trutinam, ſed per micationem digitorum venderentur. Micatio vero erat ſortitionis genus, quo per digitos, ab vtroque ſubito proiectos, ad liquidum perducebatur, venditorne emtoris, an hic illius numerum atque aeſtimationem ſequi deberet (z). Hinc VARRO apud NONIVM MARCELL. (a) *Micandum erit cum Graeco, vtrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur.* Et ſane hic ſortiendi modus apud veteres erat frequentiſſimus, adeo vt NONNVS non modo in *Dionyſiacis* (b) Cupidinem & Hymenaeum micando inter ſe contendiſſe fingat, verum etiam in *Paraphraſi euangelii S. Ioannis* (c) ſortitionem ſuper tunica Chriſti inconſutili micando factam eſſe, credat, ac milites proinde ita loquentes inducat:

ἀλλ' ὑπὲρ αὐτοῦ
Δάκτυλα χειρὸς ἀφέντες, ἑκηβόλα σύμβολα νίκης,
Λαχμῷ πάντες ἴδωμεν ἀδήριτοι, τίνος ἔσται.

Sed ſuper illa
Digitos manus iacientes, procul iacta ſigna victoriae,
Sorte omnes videamus, contentionis expertes, cuius futura ſit.

Quemadmodum ergo hoc micandi ritu veteres plerumque in ſponſionibus,

(x) *Syracid.* XXVII. 2.

(y) Gruter. *Inſcript.* p. DCCXXXXVII. 6.

(z) Eraſm. *Adag. Chiliad.* I. *Cent.* VIII. *adag.* XXIII.

(a) Non. Marcell. *de propriet. ſerm.* Cap. IIII. *n.* 303. *edit. Dionyſ. Gothofr.*

(b) Nonn. *Dionyſ. Lib.* XXXIII. *v.* 77. *ſeqq.*

(c) Idem *Paraphr. euangel. Ioann.* XVIIII. 24.

ſionibus, diuiſionibus, certaminibus, aliiſque, quae aleam continere videbantur, negotiis vti ſolebant: ita eodem ſortiendi ritu pecora & carnes in macellis venibant, non ſine alterutrius contrahentis laeſione. Quia vero teſte VLPIANO (d), *cura carnis omnis, vt iuſto pretio praeberetur, ad curam praefecturae vrbanae pertinebat, & ideo & forum ſuarium ſub ipſius cura erat, ſed & ceterorum pecorum, ſiue armentorum, quae ad huiusmodi praebitionem ſpectant, fora ad ipſius curam pertinebant*: Turcius Apronianus, Praefectus vrbi anno erae Chriſtianae CCCXXXVIIII. (e) hunc carnes diſtrahendi modum edicto elegantiſſimo aboleuit, cuius partem e marmore huc transferre haud pigebit:

EX ✠ AVCTORITATE TVRCI APRONIANI
V. C. PRAEFECTI VRBIS.

RATIO DOCVIT, VTILITATE SVADENTE, CONSVETVDINE MICANDI SVBLATA, SVB EXAGIO POTIVS PECORA VENDERE, QVAM DIGITIS CONLVCENTIBVS TRADERE, VT ADPENSO PECORE, CAPITE, PEDIBVS ET SEVO LACTANTE ET SVBIVGVLARI LANIO CEDENTIBVS, RELIQVA CARO CVM PELLE ET INTERANEIS PROFICIAT VENDITORI SVB CONSPECTV PVBLICO, FIDE PONDERIS COMPROBATA, VT, QVANTVM CARO PECORIS OCCISI ADPENDAT, ET EMTOR NOBIT, ET VENDITOR. Cui edicto, paucis interiectis, ſanctio haec poenalis ſub finem ſubiungitur: QVAE FORMA INTERDICTI & DISPOSITIONIS SVB GLADII PERICVLO PERPETVO CVSTODIENDA MANDATVR. Habes elegans exemplum certae formae, venditioni carnis ac pecorum praeſcriptae, quam generali conſtitutione ratam poſtea habuit VALENTINIANVS Imperator (f): vt adeo dignum videatur hoc quantiuis pretii monimentum, cuius quaedam verba a nobis illuſtrentur. AVCTORITAS hic idem eſt ac edictum, quod ſub finem etiam FORMA INTERDICTI & DISPOSITIONIS adpellatur, vocabulo cum in illius aeui ſcriptoribus (g), tum in ipſo iure noſtro (h), paſſim obuiis. Pro DIGITIS CONLVCENTIBVS aliqui legi mallent *conludentibus*, ſed nulla vrgente neceſſitate. *Collucere* enim veteribus idem fuit, ac *micare*. GLOSSA VETVS (i): *Micat*,

(d) *l.* 1. §. 11. *D. de offic. praef. vrb.*

(e) De eo videndi Ammian. Marcellin. *Lib.* XXIII. *Cap.* I. Almeloueen *Faſt. conſular.* *p.* 306. & Lud. Ant. Muratorius *Anecdot. Tom.* I. vbi vitam Turcii Aproniani accuratiſſime deſcripſit.

(f) *l.* 4. *C. Theod. de ſuariis.*

(g) Vid. Iuret. *ad Symmach. Lib.III. Epiſt.* LXVIIII.

(h) *l.* 9. *C. de aquaed. l.* 3. *C. de edendo. l.* 10. *C. Gregor. de pact. & tranſact. l.* 19. *C. de annon.*

(i) Henr. Steph. *Theſaur. Graec. Tomo* VII. *p.* 238.

Digitized by Google

Micat, λαγχάνει, λάμπει, *id eſt*, *ſortitur*, *lucet.* Porro EXAGIVM eſt trutina (k), ἀπὸ τοῦ ἐξαγιάζειν, quod idem eſt, ac *examinare vel perpendere.* Quod de VENDITORE in hoc edicto dicitur, id ad *emtorem* manifeſto pertinet: ſed haec vocabula ſaepenumero & in iure noſtro vel confundi, vel promiſcue vſurpari, exemplis quamplurimis demonſtrarunt IAC. CVIACIVS (l) & RAD. FORNERIVS (m). Ceterum ſupplicii atrocitas eo minus cuiquam mira videbitur, quo notior eſt Romanorum, qui tum viuebant, peruicacia, ad tantas quippe ſordes prolapſa ciuitate, rerum olim domina, vt eam ex AMMIAN. MARCELLINI (n) iudicio *ne Epimenides quidem Cretenſis, ſi fabularum ritu ab inferis excitatus rediſſet; ſolus purgare ſuffeciſſet.* Non ſufficientibus autem poenis leuioribus, acrioribus opus eſſe, nemo negauerit. Sic vel hoc exemplum demonſtrat, circa commercandi formam & modum permulta incidere poſſe, quae legibus emendanda videantur, qualia & hodie incidere animaduertimus quotidie, veluti, quae ad rem collybiſticam, pecuniae valorem, calculum vſurarium, contractus adſecurationis, bodmeriae, auariam, ſimiliaque negotia pertinent, quae legibus prudenter definienda eſſe, neminem inficias iturum, arbitramur.

§. XII.

Ceſſat libertas commerciorum cum hoſtibus.

Quum ergo inter eiusdem reipublicae ciues tot ſint cauſſae, quae naturalem illam commercandi libertatem legibus coerceri ſuadeant: multo plures profecto erunt, cur Principes ciuium ſuorum commercia cum exteris vel lege prohibenda, vel arctioribus limitibus circumſcribenda exiſtiment. Gentes enim illae, quae cum ciuibus noſtris negotiantur, vel pacifice nobiſcum viuunt, vel iuſti hoſtes ſunt, vel ita colunt pacem, vt quamuis occaſionem belli ſpeculentur. Quod ad HOSTES attinet, cum iis omne ceſſare ſolet commercium, nec fieri profecto poteſt, vt cum illis negotiemur, quibuscum bellum gerimus, quum nec illis ad nos, nec nobis ad illos tutus acceſſus ſit, & perſonis captiuitas, rebus publicatio immineat, ſi in hoſtico deprehendantur. Quod adeo verum eſt, vt in ipſis belli indictionibus moneri ſoleant ciues, ne cum hoſtibus quidquam habeant commercii, ceu pluribus exemplis

(k) *Nouell. Theodoſii & Valentin. XXV.*
(l) Cuiac. *Lib.* XII. *Obſ. Cap. XXIII.*
(m) Rad. Forner. *Rer. quotid. Lib.* III. *Cap.* XXVIII. *&* *Lib.* IIII. *Cap.* VIIII.
(n) Ammian. Marcellin. *Lib.* XXVIII. *Cap.* IIII.

plis probat vir illuſtris, CORN. VAN BYNKERSHOEK (o). Fieri equidem aliquando ſolet, vt & ingruente bello commerciorum libertati pactionibus conſulatur, cuius rei exempla itidem collegit vir ille eximius: ſed tunc quoque illam libertatem non pertinere ad merces, quibus hoſtis fiat inſtructior ad bellum perſequendum; veluti ad arma, tormenta, puluerem nitratum, equos, eorumque adparatum, res ipſa docet. Quin ea de re eo minus dubitandum eſt, quo magis conſtat, flagrante inter duas gentes bello, ne ciuitatibus quidem in bello mediis licere alterutri hoſti talia ſuppeditare, quibus aduerſus alteram partem fiat validior (p). Quamuis enim hoc ius temperandum exiſtimet GROTIVS (q), ſi gentes amicae aliquid faciant, *quo is fiat validior, qui* IMPROBAM *foueat* CAVSSAM, *aut quo* IVSTVM *gerentis* BELLVM *motus impediantur*: eam tamen limitationem recte reiicit laudatus BYNKERSHOEKIVS. (r) Quis enim tantum indulgeat genti amicae, vt de bellorum iuſtitia iniuſtitiaque veluti ex tripode pronunciet? Et quis iudex ſedebit, ſi gens, quae bellum gerit, naues & res gentis amicae, hoſti ſubuehendas, ideo interceperit, quod ſe iuſtam cauſſam armis tueri contendat? Ius ergo illud impediendi gentes amicas, quo minus hoſtibus res neceſſarias ſubuehant, non ex iuſtitia iniuſtitiaque belli, ſed ex ipſis legibus amicitiae naſcitur, quae non permittunt, vt gens amica *bello ſe interponat*, vti loquitur LIVIVS, (s) alterique belligerantium offerat arma, quae in alterius iugulo defigat. Sed vt iam ad ciues cum hoſtibus negotiantes reuertamur: iam olim Romae capitale erat, arma, ferrum, frumenta, ſalem, hoſtibus vendere (t). Poſtea, mutata bellandi ratione, prohibitio illa ad plures res, quibus hoſtis redderetur inſtructior, prolata eſt, veluti ad vaginas, baltheos, ocreas, herbam Nicotianam, & ſimilia, de quibus conſulendi ZOVCHEVS (u) & PETR. BELLVS (x). Magnum ſane aliquando momentum in bellis habent res etiam minimi momenti, ſi hoſtis laboret inopia, nec rerum iſtarum aliunde copia ſit. Saepe vrbes munitiſſimae ob herbae iſtius combuſtibilis vel vini aduſti inopiam deditionem fecerunt,

(o) Bynkershoek *Quaeſt. iur. publ. Lib.* I. *Cap.* III.

(p) Vid. Cel. Dom. Praeſidis inſignis Diſſ. *de nauibus ob merc. illicit. vecturam commiſſis.*

(q) Grot. *de iure belli & pac. Lib.*II. *Cap.* XVII. §. III.

(r) Corn. van Bynkersh. *ibid. Lib. I. Cap.* VIIII. *p. 69.*

(s) Liu. *Lib. XXXV.* C. *XXXXVIII.*

(t) *l. 11. D. de public. & vectig.*

(u) Zouch. *de iure feciali. Part. II. ſect. VIII. quaeſt.* VIII. *ſequ.*

(x) Petrin. Bell. *de re milit. Part.* VIIII. *n. 26. ſequ.*

cerunt, & famem facilius tolerare militem praeſidiarium, quam rerum illarum deſiderium, multis exemplis compertum eſt. Quis ergo neget, tum ciues, tum exteros male mereri de republica, qui talia ſuppeditent hoſtibus noſtris, ſine quibus facile adigi ad deditionem potuiſſent? Adeo verum eſt, belli temporibus commercia non modo inter hoſtes ceſſare, verum etiam amicis & neutrarum partium gentibus non promiſcue permitti negotiationem cum hoſtibus, niſi ſibi hae ſecuritatem a belligerante vtroque ſtipulentur: qualia exempla ex ZENTGRAFIO (y) & monimentis patriis attulit illuſtris VAN BYNCKERSHOEK (z).

§. XIII.

Cum gentibus dubiae amicitiae ea admodum reſtricta eſſe ſolent.

Sunt praeterea gentes, quibuſcum nobis numquam firma ac ſtabilis amicitia, ſed aut pax infida, aut bellum, aut belli praeparatio eſt. Tales olim Romanis videbantur omnes barbari, quibus orbis Romanus, tamquam indagine, circumdabatur, maxime quum quorumdam *tanta eſſet barbaries, vt pacem non intelligerent*, ceu de Illyriis ait FLORVS (a). Cum his negotiantibus duo potiſſimum cauenda eſſe videbantur: primum ne quid eorum, quibus Romanis viribus pares fierent, ſubueheretur, qualia erant arma (b) & aurum (c), ſub quo & argentum comprehendi, ſtatuit BENEV. STRACCHA (d): alterum ne quidquam earum rerum cum illis communicaretur, quarum admiratione ad nouas in orbe Romano ſedes quaerendas pellici poſſe viderentur. Quo pertinet inſignis VALENTIS & GRATIANI conſtitutio (e): *Ad barbaricum tranſuehendi vini, olei, & liquaminis, nullam quiſquam habeat facultatem, nec guſtus quidem cauſſa, aut vſus commerciorum.* Romanis enim praeter vinum, quod palatum per ſe ſollicitare ſolet, nihil magis erat ad guſtum, quam oleum & liquamen. Et oleum quidem quid ſit, nemo ignorat. *Liquamen* autem, quod & *garum* vocabant (f), nihil erat aliud, quam muria, ex ſanie piſcium, veluti ſcombrorum vel thynnorum, ſale maceratorum confecta; de quo menſarum Romanarum condimento praeter PLINIVM (g), alioſque

(y) Zentgraf. *de orig. verit. & oblig. iur. gent. Art.* VII. §. VIII. *p.* 296. *ſequ.*

(z) Bynckersh. *ibid. Lib.* I. *Cap. X. p.* 77.

(a) Flor. *rer. Rom. Lib.* IIII. *Cap. XII.*

(b) *l.* 2. *C. quae res export. non poſſ.*

(c) *l.* 2. *C. de commerc.*

(d) Straccha *de mercat. Part.* IIII. *n.* 15.

(e) *l.* 1. *C. quae export. non poſſ.*

(f) *l.* 3. *D. de penu leg.*

(g) Plin. *Hiſt. nat. Lib.* VIIII. *Cap. XVII.*

Digitized by Google

alioſque a BRISSONIO (h) excitatos auctores, legi meretur ille deliciarum Romanarum promus condus, APICIVS COELIVS (i), qui varios gari vel liquaminis emendandi modos fuſius deſcripſit. Ne vero barbaros, ſpecierum iſtarum ſuauitate illectos, cupido incederet, inuadendi Romanorum prouincias, in quibus res tam praeſtantes prouenirent: talia *ne guſtus quidem cauſſa*, nedum ad vſum commerciorum, ad eos transuehi patiebantur leges. Non facile equidem dixerim, an conſtitutionem hanc promulgantibus VALENTI & GRATIANO Auguſtis in animo fuerit exemplum Gallorum Senonum, quos LIVIVS (k) *dulcedine frugum, maximeque vini noua tum voluptate captos, Alpes tranſiſſe, agroſque ab Hetruſcis antea cultos poſſediſſe*, quin & *in Galliam vinum illiciendae gentis cauſſa inuexiſſe*, refert. At id tam certum eſt, quam quod certiſſimum, principes, huius conſtitutionis auctores, ea, quae multo poſt acciderunt, ceciniſſe vt vates. Proditum enim memoriae eſt, (l) Langobardos, quum a Narſete ſollicitati, diu ſatis dubitaſſent, an in Italiam irrumperent, demum ſubmiſſis Alboino Regi plurimis pomorum generibus, aliarumque rerum, quarum Italia ferax eſt, ſpeciebus illectos hanc expeditionem ſuſcepiſſe, neque prius poſuiſſe arma, quam prouinciam iſtam cultiſſimam totam ſub ſuam redegiſſent poteſtatem. Vtinam vero eadem cum circumſpectione cum Turcis & Sarracenis commercia inſtituiſſent poſteri! vtinam non ipſi Chriſtiani ſubuectis nauibus ac tormentis eos aduerſus Chriſtianos armaſſent! Staret adhuc & floreret imperium Byzantinum, ipſorum procul dubio Chriſtianorum artibus euerſum, neque iam maxima orbis pars barbarorum ſub iugo gemeret. Ceterum obſeruatu digniſſimum eſt, quod contrario plane inſtituto vtantur Hiſpani ad Americanos in officio continendos, & plurimum vini oleique Hiſpanici iis aduehant, non conceſſo vites & oleas habendi iure, vt eo magis neceſſarium illis videatur commercium cum Hiſpanis, iugumque eorum tanto aequiore ferant animo, quanto aegrius ferrent rerum tam praeſtantium deſiderium (m). Habes ergo nouas cauſſas, cur commercandi libertatem cum gentibus quibuſdam coërceri ſuadeant ciuilis prudentiae regulae, etiamſi bellum cum illis aperto Marte non geramus, immo potius illos vel ſociorum, vel ſubditorum loco habeamus.

N 3 §. XIIII.

(h) Briſſon. *de verb. ſignificat. voce garum.*

(i) Apic. Coel. *de arte coquin. Lib. I. Cap.* VII. vbi addatur Mart. Liſter. *in Notis p.* 19. 198. 121.

(k) Liu. *Lib. V. Cap. XXXIII.*

(l) Paull. Warnefrid. *de geſt. Longob. Lib. II. Cap. V.*

(m) Larrea *Deciſ. Granat.* XI. *n.* 24.

§. XIIII.

Immo & cum gentibus amicis commercia per foedera reſtringuntur.

Progredimur ad gentes amicas & pacificas, quibuſcum abſciſſe libera eſſe debere commercia, contendunt GROTIVS (n) & SIG. SCACCIA (o), eo in primis freti argumento, quod iam ſupra tetigimus, id quod ad conſeruandam generis humani ſocietatem ſit neceſſarium, id nulla ratione oportere prohiberi. Enimuero huic argumento, & ipſi ſupra ſatisfeciſſe videmur, (§. VII.) & idem iam pridem fecit CASP. ZIEGLERVS (p). Saepe enim contingere poſſe, docet experientia, vt principes ex iuſtiſſimis cauſſis vel hanc commercandi cum exteris libertatem adimant ciuibus, vel exterorum merces importare in prouincias ſuas prohibeant. Aut enim foedus nobis intercedit cum gente amica ac pacifica: aut nihil cum ea de commerciis pacti ſumus. Priore caſu tantum abeſt, vt ſemper nullis legibus circumſcripta ſit illa negotiandi libertas, vt potius plerumque foedera eiuſmodi eo fine percutiantur, ne gentes exterae commerciorum obtentu quiduis ſibi licere in alieno territorio exiſtiment. Hinc aliquando inter foederum leges fuit, ne gens extra certum promontorium promercii cauſſa nauigaret. Quale quid placuiſſe nouimus Romanis & Carthaginienſibus, quos inter ſe pactos eſſe refert POLYBIVS (q), *τοῦ καλοῦ ἀκρωτηρίου, Μαςίας, Ταρσηΐου μὴ ληΐζεσθαι ἐπέκεινα Ῥωμαίους, μηδὲ ἐμπορεύεσθαι· ne Romani vltra Pulcrum promontorium, Maſtiam & Tarſeium praedas agerent, vel mercaturam facerent.* A quo non admodum abludit foedus famoſiſſimum inter Hiſpanos & Luſitanos, quo orbem nauigabilem auctore pontifice Romano inter ſe partiti ſunt (r), nec non illud inter Romanos & Perſas (s), quo conuenerat, *ne quis vtrique imperio ſubiectus vltra Niſibin, Callinicum & Artaxatam emendi ſeu vendundi ſpecies cauſſa proficiſci auderet*, vbi & ratio redditur, *ne quis, quod nemini conueniat, alieni regni arcana ſcrutetur.* Aliquando foederatis libera conceditur nauigatio, ſed ea lege, vt naues nonniſi certo loco adpellant, nec alibi merces, quam in certo emporio, venum exponantur, qualem conditionem olim, teſte HERODOTO (t) exteris omnibus cum populo ſuo negotiantibus tulerat Amaſis, Rex Aegyptiorum, vt non ad aliud emporium, quam Naucratim, liber acceſſus

(n) Grot. *de mari lib. Cap. I. ſequ.*

(o) Scacc. *de Commerciis* §. *I. quaeſt. I. n.* XXXXVII.

(p) Ziegler. *de iurib. maieſt. Lib. I. Cap. XXXXI.* §. *XXIIII.*

(q) Polyb. *Lib. III. Hiſt. Cap. XXIIII.*

(r) Solorzan. *de iure Ind. Lib. I. Cap. VI.* & *Lib. II. Cap. XIIII.*

(s) *l. 4. C. de commerc. & mercat.*

(t) Herod. *Lib. II. Cap.* CLXXXVIII.

acceſſus eſſet, & qui alibi adpuliſſent, ii iurarent, eo ſe veniſſe inuitos, ventis compellentibus, & tunc nauigare liceret ad Canopium oſtium, vel, ſi id fieri non poſſet, onera fluuialibus nauigiis Naucratim portare. Nec hodie exemplo carent huiuſmodi foedera, notumque eſt, reges Indicos Europaeorum naues non vbiuis admittere, ſed in certis portubus, nec ipſos mercatores, vbicumque velint, ſed in certis tantum emporiis negotiari permittere (u). Exſtant foedera, quibus & certum iter exteris praeſcribitur, quale eſt illud Luſitanorum, cum Anglis percuſſum anno MDCLXXXXVI. quo ſibi ſtipulati ſunt Luſitani, ne Angli via recta nauigent in Braſiliam, ſed in itu redituque ad Portum Callenſem adpellant, vectigalque idem, quod Luſitani pendant. (x) Sed maxime frequens eſt illa pactio, ne certas merces exportare vel importare liceat exteris: quemadmodum de Sueuis & Neruiis ſupra vidimus, quod vinum ad ſe importari non ſiuerint, eius vſu animi corporisque vires elangueſcere rati, de Nabataeis vero refert STRABO (y), *εἰσαγώγιμα εἶναι τὰ μὲν τελέως, τὰ δ' οὐ παντελῶς. Importare ad eos quasdam res licere, quasdam non item:* vt iam non dicam de foedere, quod anno MDCLXII. inter Hiſpanos & Anglos percuſſum, quoque cautum eſt, ne Hiſpani ex Anglia numos Anglicanos, vel lanam & terram fullonum; Angli ex Hiſpania aurum argentumue ſiue ſignatum, ſiue non ſignatum, exportarent (z). Talia pacta ac foedera, quantumuis libertati commercandi quodammodo inimica, religioſe tamen ſeruanda eſſe, quis, quaeſo, negauerit? Ex quibus ſimul patet, quam parum accurate GROTIVS (a) & ex parte PVFENDORFFIVS (b) commerciorum foedera accenſeant iis, quae parum, vel nihi ſuperaddant iuri naturali, quum iis commerciorum libertas magis plerumque reſtringatur, quam firmetur, & nulla omnino gens, vti ſupra demonſtrauimus, obligetur iure gentium ad promiſcuam commercandi licentiam reliquis concedendam, & ipſe GROTIVS alibi (c), *cuilibet liberum eſſe debere,* fateatur, *ſtatuere, quid velit adquirere, aut non.*

§. XV.

(u) Tauernier *Itinerar. Indic. Lib. I. Cap. I.*

(x) Maſcou. *Diſſ. de foed. commerc. §. XVII.*

(y) Strabo *Geogr. Lib. XVI.* p. 1130. *ędit. nou.*

(z) Maſcou. *ibid. §. XVIII.*

(a) Grot. *de iure belli & pac. Lib. II. Cap. XV. §. V. n.* 3.

(b) Pufendorff. *de iure nat. & gent. Lib. VIII. §. II.*

(c) Grot. *de iure belli & pac. Lib. II. Cap. II. §. XX.*

§. XV.

Nullo exſtante foedere liberum eſt vnicuique genti, quid alteri concedere velit.

Sunt denique gentes, nullo vmquam foedere de commerciis mutuis inter ſe inſtituendis quidquam pactae, quibus adeo & nulla cum aliis negotiandi, exterorumque merces admittendi neceſſitas incumbit. Quemadmodum enim in cuiusuis patrisfamilias arbitrio poſitum eſſe animaduertimus emere ac vendere velit, nec ne, itemque, cum hoc, an cum alio, contrahere malit: ita multo magis cuiusque reip. ac ciuitatis eſt, ſtatuere, an, & quibuscum, commercia inſtituere, quas admittere merces, quibus ad ſe acceſſum denegare velit. Et ſane in eo maxima elucet imperantium prudentia, ſi prouinciis ſuis inferri non patiantur quasuis res futiles, ſuperfluas, ad ſolum luxum voluptatemque comparatas, niſi ciuibus ſuis tantum ſuperſit exportandarum mercium, vt eae importandarum pretium haud parum excedant. Niſi enim id fiat, nihil impedit, quo minus argentum e ciuitate noſtra paullatim migret ad exteros, adeoque veluti neruus incidatur reipublicae. Praeterea materiam rudem ab exteris exportari non patiuntur prudentiae ciuilis praecepta, quum ita interuertatur lucrum, quod ex ſpecierum elaboratione ac diſtractione tot ciues noſtri capere potuiſſent. Nemo profecto ignorat, quam tenues fuerint Britannorum opes, quamdiu lanam illam, quam eorum oues ferunt, praeſtantiſſimam ad Belgas exportari patiebantur, & quantum illis diuitiarum acceſſerit, ex quo, animaduerſo illo errore, ciues lanificio ac texturae adſuefacere coeperunt (d). Accedit, quod vulgus communi mortalium vitio, exterorum tantum bona mirari, ſua contemnere ſoleat, adeoque vitio id vertendum non ſit bono principi, ſi non faueat iſti ciuium ſuorum inſaniae, nec res illas ab exteris peti patiatur, quae domi, ſi non meliora, at non multo deteriora naſcuntur. Praeterquam enim, quod ita exteris non eſt occaſio, pecuniam intercipiendi, hoc interdicto non parum exacuitur ciuium induſtria, vt illa, quae patria producit, tanto magis curent, & colant eo diligentius, quanto maius inde lucrum ſperare iis licet, ſi exterorum merces ſuarum veluti luminibus non officiunt. Quae omnia profecto ita ſunt comparata, vt ea ipſa reipublicae ſalus, quae bono Principi pro ſuprema lege eſt, flagitet, nec ideo gens iniuriae aut inhoſpitalitatis iure poſſit coargui, quod non promiſcue omnia ad ſe patiatur deuehi, quum is, qui iure ſuo vtitur, nemini omnino iniuriam feciſſe videatur.

§. XVI.

(d) Ziegler a Kliph. *Schaupl. der Zeit* p. 318.

§. XVI.

An genti gentem commercio cum alia gente iure prohibeat?

Id vero praecipue quaeritur, an gens vna alteram, cum tertia commercium inſtituere volentem iure prohibeat? Vbi merito praemonemus, quaeſtionem hanc non pertinere ad gentes inimicas, quarum alterutra nobiſcum bellum gerit. Quum enim hoſti in hoſtem in infinitum omnia liceant, quae ad debellandum illum ſunt neceſſaria: licebit ſane & gentem amicam impedire, quo minus hoſti res, quibus validior inſtructiorque ad bellum gerendum fiat, aduehere poſſit, ceu iam ſupra vidimus. Sin hoſtes noſtri cum gente extera nobisque amica negotiantur: eo minus dubitare licet, quin fas nobis eſſe oporteat, illa commercia turbare, & id agere, ne quid ex illis lucri ad hoſtes noſtros redeat. Recte enim obſeruauit POLYBIVS (e), iure belli non modo munitiones, portus, vrbes hoſtium, ſed & naues, fructus, &, ſi quae ſint ſimilia, comprehendi, ac proinde licere nobis ea omnia perdere, vt & res inimicorum hoc modo atteratur, & noſtra magis magiſque adaugeatur. Nihil ergo obſtat, quo minus mare claſſibus occupemus, itum reditumque hoſtilium nauium impediamus, quin eorum res & opes cum ipſis, quibus vehuntur, nauibus intercipiamus; dummodo vi illa aperta non violetur gentis cuiusdam amicae territorium (f). Quamuis enim veriſſimum ſit illud EVRIPIDIS (g):

Νόμος γὰρ ἐχθρὸν δρᾷν, ὅπου λάβῃς, κακῶς.
Vbicumque prenſum laedi iura hoſtem ſinunt,

ſemper tamen gentes cultiores legem hanc religioſe ſeruandam putarunt, vt in amicorum portubus & territoriis ab omni vi abſtinerent, adeo, vt ne Poeni quidem, teſte LIVIO (h), naues Romanorum in portu regis Numidiae adgredi auderent. Interdum tamen eo porrectam eſſe illam belligerantium licentiam nouimus, vt & integras hoſtium claſſes in amicarum gentium portubus inuaſas flammiſque abſumtas, legamus: iure, an iniuria, eleganter ſuo more diſputat V. A. CORN. VAN BYNKERSHOEK (i). Enimuero de hoſte, vti diximus, nulla hic quaeſtio eſt. Immo ne de eo quidem caſu diſceptatur, ſi qua gens, inito nobiſcum pacto, commerciis cum extera quadam gente vltro renunciarit. Id enim vnumquemque iure facere poſſe, ſupra iam contra GROTIVM probaui-

(e) Polyb. *Lib. V. Cap. XI.*
(f) Grot. *de iure belli & pac. Lib. III. Cap. IIII.* §. VIII. *n. 1.*
(g) Eurip. *Heracl. v. 965.*
(h) Liu. *Lib. XXVIII. Cap. XVII.*
(i) Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. iur. publ. Lib. I. Cap.* VIII.

bauimus, idemque aduerſus P. MAC. NENY feciſſe meminimus BARBEYRACIVM (k). Id ergo hic vnice quaeritur, an vlla gens gentem amicam, quae nulla huiusmodi pactione renunciatiua ius ſuum abdicauit, iure impedire poſſit, quo minus cum tertia gente commercia de nouo inſtituat? Qua de re quid ſtatuendum ſit, paullo accuratius hic videtur diſquirendum.

§. XVII.

Id negandum eſſe, probatur.

Qui adfirmandam eſſe exiſtimant quaeſtionem, ſuperiore paragrapho propoſitam, ii in poſſeſſione potiſſimum ac praeſcriptione iuris gentium praeſidium quaerunt, quippe qua fieri arbitrantur, vt iuri ſuo & tacite quis renunciaſſe videatur. Si enim, qui in fluminis publici diuerticulo pluribus annis piſcatus eſt ſolus, alterum ibidem piſcaturum iure prohibet (l), &, qui aquam per alterius fundum ſciente domino duxit, ſeruitutem exemplo rerum immobilium tempore quaeſiuit (m): quidni & is, qui cum gente aliqua per longiſſimum tempus, nemine contradicente, commercium ſolus habuit, ius illud commerciorum, aliosque illius vſu ac conſortio excludendi, ipſa poſſeſſione diuturna dicatur adquiſiuiſſe? Deinde maxime vrgent diſpendium illud, quod rebus ſuis non poſſit non metuere gens, ſi & aliae gentes eam de poſſeſſione deiicere, vel ſaltim vna cum illa in poſſeſſionem ire audeant. Neminem autem, qui ſibi vigilauit, aequo animo ferre, vt iuſte quaeſito lucro ab aliis ſpolietur, nec genti liberae vitio verti poſſe, quod hoc rerum ſuarum detrimentum quouis modo a ſe amoliri, ſeque in poſſeſſione iuris, quam maiorum virtuti atque induſtriae debeat, quauis honeſta ratione defendere conetur. Sed his merito obuertitur, primo eum, qui iure ſuo vtitur, nemini facere iniuriam (n). Licuit vni genti alias praeuertere, & cum extera quadam natione inſtituere commercium: licebit vero & alteri, prioris exemplum ſequi, & ad eamdem gentem negotiandi cauſſa excurrere, nec prior reliquas excludendi vllum ſibi ius poteſt adrogare. Quis quaeſo ferret mercatorem, qui prior ad nundinas vel mercatum publicum profectus alios paullo tardius eo confluentes prohibere audeat, eo obtentu, quod ipſe ſibi vigilans, ac iam in poſſeſſione conſtitutus, pati non poſſit, vt lucro ſuo quidquam propter alios, tardius aduenientes, decedat? An vero minus iniquos eſſe dixeris eos, qui gentem amicam ideo com-

(k) Barbeyrac *dans la déſenſe. Chap. III. §. III.*

(l) *l. 7. D. de diuerſ. temp. praeſcrips.*

(m) *l. 2. C. de ſeru. & aqua.*

(n) *l. 55. D. de reg. iur. l. 1. §. 12. D. de aqua & aquae pluu. arc.*

commercio cum gente extera prohibere conantur, quod ipſi illud commercium prius non ſine inſigni quaeſtu exercuerint? Nec ſolidi quidquam ineſt argumentis, quibus freti aliqui id ſibi ius cum ſumma aliorum iniuria vindicant. Si enim vel maxime largiamur, praeſcriptioni inter gentes eſſe locum, (de quo tamen non ſine idoneis rationibus dubitant viri doctiſſimi:) ei tamen locus eſſe non poteſt in rebus arbitrii noſtri, meraeque facultatis. (o) Quemadmodum ergo via publica eundi ius non vtendo nemo amittit (p), etiamſi alii ante eum via iſta vſi ſint, & adhuc vtantur: ita nemo ideo iure ac libertate ſua cum aliis negotiandi excidit, quod alii eo iure ante ſe vſi ſint. Accedit, quod praeſcriptio nulla ſine poſſeſſione, poſſeſſio nulla ſine animo ſibi rem habendi intelligitur: is vero, qui cum gente extera negotiatur, nihil vel vere vel quaſi poſſidet. Prudenter PAVLLVS (q) noſter negat, *eum, qui iure familiaritatis fundum amici ingreditur, poſſidere videri, quia nec eo animo ingreſſus ſit, vt poſſideret, licet corpore in fundo ſit.* An vero qui cum extera gente negotiantur, alio iure negotiantur, in eiuſque portus & emporia ingreſſi ſunt, quam iure familiaritatis? Ergo vti nec portus nec emporia poſſident, ita neque ius commercandi, neque facultatem alios illo iure excludendi quaſi poſſeſſione ſeſe vmquam adquiſiuiſſe dicere poſſunt, niſi frons e rebus perierit. Aeque ficulneum eſt alterum, quo vtuntur argumentum, quod genti, quae alteram praeuertit, non poſſit non multum de quaeſtu ac lucro ſuo decedere, ſi & aliae cum eodem populo negotiari coeperint. Primo enim eum, qui iure ſuo vtitur, nemini facere iniuriam, paullo ante monuimus, idque non modo Hiſpanis & Luſitanis, Belgas eo colore commercandi cum Indis libertate priuare auſis, opponit GROTIVS (r), ſed & VASQVIVS (s), ipſe licet Hiſpanus, verum eſſe, candide agnoſcit. Deinde ne de damno quidem conqueri poſſunt, quorum lucro per alios iure ſuo vtentes, aliquantulum decedit. Eſt ſane haec PROCVLI philoſophia, quam, tamquam ſolidam veriſſimamque probat VLPIANVS (t), *non debere eum damnum facere videri, qui eo veluti* LVCRO, *quo adhuc vſus ſit, prohibeatur: multumque intereſſe, vtrum* DAMNVM *quis faciat, an* LVCRO, *quod adhuc fecerit prohibeatur.* Senſus iureconſulti eſt,

(o) Interpretes *ad l. 41. D. de adqu. vel amitt. poſſeſſ.*

(p) *l. 2. D. de via publ. & itin. publ.*

(q) *l. 41. D. de adquir. vel amitt. poſſ.*

(r) Grot. *de mari libero* Cap. XII.

(s) Vaſqu. *Controuerſ. illuſtr.* Cap. X. *n. XI.*

(t) *l. 26. D. damni infect.*

eum qui damni infecti nomine repromiſerit, teneri, ſi alter e re ſua damnum paſſus ſit (u), at ob lucrum alteri ſine iniuria interceptum teneri neminem, ſi vel maxime damni infecti nomine cautum repromiſſumue ſit, quia inter damnum datum, lucrumque ſine iniuria interceptum permultum interſit: quam διαίρεσιν & VASQVIVS (x) probat, controuerſiiſque inter gentes adplicat prudenter. Quo iure enim gens conqueratur de gente amica, iure ſuo libertateque naturali vſura, quod per eam ſibi quid de lucro deminutum ſit, quum ne priuatus quidem, cui damni infecti nomine repromiſſum eſt, de lucro ſibi intercepto vllam habeat actionem?

§. XVIII.

Praeterquam quibuſdam caſibus.

Attamen aliud dicendum videretur, ſi gens, cum gente extera inſtitutura commercium, tranſitum liberum per territorium noſtrum peteret, & nos ipſi cum illa negotiantes lucrum noſtrum hoc ipſo deminutum iri vereamur. Tunc vix dubitandum videtur, quin in arbitrio noſtro futurum ſit, vtrum concedere tranſitum, an denegare eumdem, malimus. Quamuis enim in alia omnia eat GROTIVS (y), exiſtimans, eum tranſitum omnibus veluti natura deberi: iam ab aliis tamen obſeruatum eſt, eum hic iuſto eſſe liberaliorem, ſibique nimium in coërcendis principum iuribus indulgere (z). Intereſt enim plerumque reipublicae, per cuius territorium tranſitus petitur, ipſam potius lucro, quod ex commercio cum gente extera ſperari poteſt, frui, quam gentem vicinam. Quo iure ergo tunc alii a nobis peterent, quod non niſi cum incommodo noſtro praeſtare poſſemus? Eleganter iura noſtra obſeruant, iure gentium feram captam ſtatim fieri capientis, nec intereſſe, feras beſtias & volucres vtrum in ſuo fundo quis capiat, an in alieno. Et tamen ſtatim additur: *Plane qui* ALIENVM FVNDVM *ingreditur venandi & aucupandi gratia, poteſt a domino, ſi is praeuiderit,* PROHIBERI, *ne ingrediatur* (a). Quod, paucis interiectis, de apibus quoque & examine, in alienum fundum euolante, repetitur. Nulla vero ratio eſt, cur cuilibet priuato plus iuris in fundo ſuo eſſe ſtatuamus, quam Principi in territorio ſuo, aut cur illi quidem fas eſſe exiſtimemus, alium, cum ſuo incommodo ingreſſurum, prohibere, huic vero non licere, tranſitum negare

(u) *l. 7. §. 1. & 2. D. damn. inf. & de ſuggrund.*

(x) Vaſqu. *controu. illuſtr.* Cap. *IIII. n. 3.*

(y) Grot. *de iure belli & pac. Lib.* II. *Cap. II. §. XIII. n. V.*

(z) Ziegler. *Not. ad Grot. h. t.*

(a) §. 12. *Inſt. de rer. diuiſ. l. 3. §. 1. D. de adqu. rer. dom.*

Digitized by

negare iis, qui cum reipublicae ſuae incommodo negotiari cum gente vicina velint. Quod ſane prudenter ſuperiore ſaeculo animaduertit FRIDERICVS, Dux Sleſuici & Holſatiae, qui id agens, vt ſubditi ſui cum Perſis negotiarentur, nihil prius, nihilque antiquius habuit, quam vt Ruſſorum monarchae, cuius per prouincias proficiſcendum erat mercatoribus, conſenſum, miſſa legatione ſatis ſplendida, impetraret (b). Quod vero in ſuo cuique licet, nempe vt poſſit ingredientes prohibere; id non pertinet ad eam quaeſtionem, quam ſupra propoſuimus, de gente, quae ita cum alia gente extera negotiari cupit, vt vel per oceanum, cuius

Herum natura nec vllum,
Nec me nec quemquam ſtatuit (c),

vel per aliam viam, intacto noſtro territorio, ad exteros excurrat. Tunc enim non magis vlli ius prohibendi eſt, quam ne quis aere communi fruatur, neue per vicini fundum, domino non prohibente, ambulet.

§. XVIIII.

Quid commerciorum libertas, a principe tuenda?

Et hactenus quidem, quousque porrigatur illa a tot grauiſſimis ſcriptoribus celebrata commerciorum libertas, luculenter, vt opinor, oſtenſum eſt. Quemadmodum enim omnes homines tam liberos natura producit, vt quidquid nec iure prohibitum, nec pactis conuentis aliter definitum eſt, id iis facere omnino liceat: ita, qui quid contra leges vel pacta agit, is non libertate, ſed licentia, vti intelligitur. Hinc PLVTARCHVS (d): τῷ λόγῳ τοὺς ἑπομένους ἄξιόν ἐστι μόνους ἐλευθέρους νομίζειν, μόνοι γὰρ ἃ δεῖ βούλεσθαι, μαθόντες, ὡς βούλονται, ζῶσι. Ταῖς δὲ ἀπαιδεύτοις καὶ παραλόγοις ὁρμαῖς καὶ πράξεσιν ἔνεστι καὶ μικρὸν ἐν πολλῷ τῷ μετανοοῦντι ἑκούσιον. *Rationi qui parent, ſoli digni ſunt, qui pro liberis habeantur. Soli enim hi viuunt, vt volunt, qui, quid velle debeant didicerunt. Ineruditae autem & rationis expertes animi incitationes atque actiones exilem quamdam ignobilemque voluntatis libertatem, multa cum poenitentia coniunctam, habent.* Quod pluribus argumentis, more ſuo, demonſtrauit EPICTETVS apud ARRIANVM (e). Sic ſane & liberis gentibus non tam abſoluta nulliſque legibus circumſcripta commercandi libertas tribuenda eſt, quantam illis a GROTIO, aliiſque, tribui animaduertimus: ſed talis, quae nec legibus, & in

(b) Olear. *Itin. Moſcou. Perſ. Itin. L* p. 1.

(c) Horat. *Serm. Lib. II. ſat. II. v. 129.*

(d) Plutarch. *de audit. p. 37.*

(e) Arrian. *Diſſ. Epictet. Lib. I. Cap. XII.*

in primis gentium iuri, nec pactis ac conuentionibus, refragetur. Ac proinde per LIBERTATEM COMMERCIORVM hic nos quidem intelligimus ius vel facultatem tum ſingulorum, tum integrarum gentium, commercia cum aliis hominibus gentibusque, quatenus per leges & pacta licet, inſtituendi.

§. XX.

Quot modis illa turbari ſoleat?

Quam multis vero modis ſaluberrima haec libertas & poſſit turbari, & turbetur quotidie, ipſa rerum omnium magiſtra experientia ſatis ſuperque docet. Quum enim totum illud commercium ad parandas opes comparatum ſit, nulla vero re homines magis, quam inſatiabili accumulandarum opum cupiditate, adficiantur: quis dubitet, quin mille artes excogitaturum ſit ingenium humanum, quibus lucrum vel intercipiatur aliis, vel ſaltim deminuatur? Saepenumero haec fuit cauſſa alios laceſſendi, nulla iniuria vlli cognitos; & neſcio, an non multa, quae Romani geſſerunt, bella haec ipſa habendi cupiditas conflarit. Saltim de iis ſcribere non dubitauit PETRONIVS (f):

Si quis ſinus abditus vltra,
Si qua foret tellus, fuluum quae mitteret aurum:
Hoſtis erat, fatiſque in triſtia bella paratis
Quaerebantur opes.

Et iam pridem grauiſſimus auctor, TACITVS (g) obſeruauit, opes & *praecipuam belli cauſſam, & belli praemia victoriae* eſſe. Haec fabula & hodie luditur, mutatis tantum perſonis. Saepe enim nihil aliud reſpublicas florentiſſimas collidit, quam concepta ex alterius opibus commerciiſque lucroſiſſimis inuidia. Ea vel vi, vel dolo euertere, vel ſibi vindicare, adeo non iniuſtum quibusdam videtur, vt potius magnam prudentiae laudem in eo poſitam exiſtiment, ſi vberrimum illum diuitiarum fontem vel turbare, vel plane in ſuum veluti fundum deriuare poſſint. Alii id agunt, vt certarum rerum monopolia ſibi vindicent, &, vt ZENO Imp. (h) loquitur, *inter ſe coniurent, ac paciſcantur, vt ſpecies diuerſorum corporum negotiationis, non minoris, quam inter ſe ſtatuerint, venumdentur.* Quod quanto cum commerciorum detrimento coniunctum, quamque eorum libertati inimicum ſit, nemo non intelligit. Aliquando vel perditorum quorumdam hominum colluuies, vel integra ciuitas operam dat piraticae & latrociniis, & vel nauibus, vel mercibus,

(f) Petron. *Satyric. Cap.* CXVIIII.
(g) Tacit. *Hiſt. Lib. IIII. Cap. LXXIIII.* & *lib. XI. Annal. Cap. XVIII.*
(h) *l. vn. C. de monopol.*

Digitized by Go

mercibus terra transferendis, inſidias ſtruit, veluti olim inſulani in mari Aegeo (i), Cilices (k), aliae, que gentes, de quibus ex inſtituto egit GROTIVS (l). Quamuis non opus eſſe videatur petitis ex antiquitate exemplis, quum & hodie iniuſtiſſimo illi lucro inhient Afri, Tartari, Arabes, gentes commerciis inimiciſſimae, quibus hoc perpetuo, ſi non in ore, at in animo eſt:

Trux ventilet ignes
Tiſiphone, quatiatque ſuos irata colubros:
Prouehimur, quo lucra vocant.

Quid vero magis turbat commerciorum libertatem, quam viui illi ſcopuli, piratae, qui *ſic maria bello, quaſi tempeſtate, praecludunt?* (m) Quid magis horrent mercatores, quam audaciſſimorum graſſatorum globos, a quibus & in continente naufragium metuunt? Non minus ſaepe contingit, vt ciues noſtri, cum exteris negotiantes, a publicanis vexentur, ſiue diripientibus naufragos, (quod ſe ſuosque a publicanis inſularum Cycladum paſſos eſſe, conqueritur Eudaemon Nicomedienſis apud VOLVSIVM MAECIANVM (n), ſiue vectigalia immodica ab illis exigentibus. *Quantae enim audaciae, quantae temeritatis ſint publicanorum factiones, nemo eſt*, ex VLPIANI (o) ſententia, *qui neſciat.* Fieri porro poteſt, vt leges reipublicae cuiusdam, quae alioquin commercandi libertatem ciuibus noſtris non negat, commerciorum libertati aduerſentur, veluti ſi cautum ſit, ne cui, niſi ritu ſuo, Deum apud ſe colere liceat, neue cadauera eorum, qui a religione ſua abhorrent, terrae mandentur: vt illas iam omittam leges, quae tantis ambagibus iudicandi ordinem inuoluunt, vt tolerabilius plerisque videatur, breuem deuorare iniuriam, quam ius longa ac ſumtuoſiſſima lite experiri. Hoc enim cum omnibus peregrinis, tum praecipue mercatoribus, ſub alio coelo, alioque veluti ſole commerciorum cauſſa peregrinantibus, moleſtiſſimum eſſe ſolet, quippe quibus non eſt tantum ocii, vt pro rerum venalium foro, fora litigioſa petere velint. Denique hanc commerciorum libertatem omnium maxime turbat inuidia gentium lucricupidarum, quales olim Phoenices, φιλοχρήματοί τε καὶ τρῶκται, *pecuniarum auidi, & voraces*, vti vocantur a PHILOSTRATO (p). Hae enim

(i) *Nepos vit. Themiſtocl. Cap. II.*
(k) Diod. Sic. *Lib. XVI.*
(l) Grot. *de verit. relig. Chriſt. Lib. II. p. 12. in not.*
(m) Flor. *Lib. III. Cap. VI.*
(n) *l. 9. D. ad Leg. Rhod. de iactu.*
(o) *l. 12. pr. D. de publican.*
(p) Philoſtrat. *Heroic. p. 660. edit. nou.*

Digitized by Google

enim non contentae lucro, quod ipſae faciunt, omnium ſe ducunt miſerrimas, ſi vllam aliam habeant huius fortunae ſociam, nihilque faciunt reliqui, vt aliarum quaeſtum vi ac dolo intercipiant. Quod denuo olim erat Syrophoenicum vitium, de quibus HIERONYMVS (q): *Vſque nunc*, inquit, *permanet in Syris negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate excurrunt, & tantam mercandi habent veſaniam, vt occupato nunc orbe Romano inter gladios & miſerorum neces quaerant diuitias, & paupertatem periculis fugiant.* Et fingamus, tantas non eſſe gentis cuiuſdam vires, vt aliorum negotiationes aperto Marte impedire poſſit: at non deerunt artes, aemulis apud gentes exteras conflandi inuidiam, lucrumque qualecumque intercipiendi. Hae vero artes numquam turpes videntur hominibus, ſolum lucrum anhelantibus, omnesque, quos quaeſtui ſuo obſtare exiſtimant, hoſtium loco habentibus. Hoſtibus vero quis nocere dubitat?

Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat? (r)

§. XXI.

Principis eſt, libertatem commerciorum tueri.

Atqui ea omnia, ſine quibus ciues ſalui eſſe, iuribusque ſuis frui non poſſunt, ad boni Principis officium pertinent: recteque obſeruauit AMMIANVS MARCELLINVS (s), *nihil aliud eſſe imperium, quam curam ſalutis alienae.* Si ergo populi ſalus bono principi ſuprema lex eſt: quid illum prius, quidque antiquius habere decet, quam ne ciues libertate commercandi, legibus pactiſque firmata, aut ipſo iure gentium conceſſa, ab vllo priuentur: Quamquam reipublicae rector, dum ciuium lucra ac commoda tuetur, ſuam quoque & reip. rem agere merito videtur, quum numquam ciuium ſalus ac felicitas a ſalute ac felicitate reipublicae ſeiuncta ſit, tantumque ſemper ipſi Principi, quantum ciuibus, decedat. Tolle commerciorum libertatem, & ſublatam ſimul eſſe animaduertes rerum neceſſariarum adfluentiam, ſublata vectigalia & portoria, ſublatum id omne, in quo neruum rerum gerendarum poſitum eſſe prudentes obſeruant. Quum Mithridates Ponticus omnes Romanos, per Aſiam negotiantes, & publicanos vltra centies & quinquagies mille vno die eodem edicto occidi iuſſiſſet, ac inaudita illa truculentia commercium omne turbaſſet (t): CICERO

(q) Hieronym. *ad Ezech. XXVI.*

(r) Virgil. *Aeneid. Lib. II. v. 390.*

(s) Amm. Marcell. *Lib. XXVIII. Cap. II.*

(t) Vellei. Paterc. *Hiſt. Lib. II. Cap. XVIII.* Plutarch. *in Sulla p. 467.* Appian. *de bello Mithridat. p. 206.* Valer. Max. *Lib. VIIII. Cap. II. exempl. extr. III.*

Digitized by Google

CERO, bellum aduerſus Mithridatem ſplendidiſſima oratione ſuadens (u), nullum argumentum habere ſibi videbatur potius, & in quo magis excurreret oratio, quam vt oſtenderet, quantam aerario eluuionem intulerit Mithridates, dum tot per Aſiam negotiatores & publicanos vita rebusque ſuis nefarie ſpoliarit. *Delenda vobis eſt*, inquit, *illa macula, Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta, quae penitus iam inſedit atque inueterauit in populi Romani nomine, quod is, qui vna die tota Aſia, tot in ciuitatibus, vno nuncio, atque vna litterarum ſignificatione, ciues Romanos necandos trucidandosque denotauit, non modo adhuc poenam nullam ſuo dignam ſcelere ſuſcepit, ſed ab illo tempore annum iam tertium & viceſimum regnat, & ita regnat, vt ſe non Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit, ſed emergere e patrio regno, atque in veſtris* VECTIGALIBVS, *hoc eſt, in Aſiae luce verſari.* Idem paullo poſt (x) multo vehementius vrget, defendendam eſſe imperii dignitatem, praeſertim quum de maximis populi Romani vectigalibus agatur. Ceterarum enim prouinciarum vectigalia eſſe tanta, vt eae ad ipſas tutandas prouincias vix ſufficiant: ſolam Aſiam tam opimam eſſe, ac fertilem, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quae expetantur, facile terris omnibus antecellat. Tum porro demonſtrat, eo tumultu factum eſſe, vt pecora relinquerentur, agricultura deſereretur, mercatorum nauigatio conquieſceret, atque ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura, vectigal conſeruaretur. Denique praeclare ſubiicit (y) memoria retinere debere Romanos, calamitate doctos, quum in Aſia res magnas permulti amiſiſſent, ſolutionem & fidem concidiſſe: *neque enim poſſe vna in ciuitate multos rem atque fortunas amittere, vt non plures in eamdem calamitatem trahant.* Quum ergo illa turbatio libertatis commercandi, ceu hactenus demonſtratum eſt, non modo cum ciuium iniuria ac pernicie, ſed & cum eluuione aerarii, & cum reipublicae, ipſiusque Principis incredibili detrimento coniuncta ſit: quis negauerit, quaeſo, non ſolum ius eſſe Principi, verum etiam ad eius officium pertinere, vt hanc negotiandi libertatem, quatenus neque legibus publicis, neque pactis reſtricta eſt, defendat, nihilque faciat reliqui, vt illa auctoritate ac prouidentia ſua in tuto collocetur? Fuit haec olim laus Themiſtoclis, qui maritimos praedones conſectando, mareque tutum reddendo, pa-

(u) Cicero *pro lege Manil.* Cap. III.
(x) Idem *ibid.* Cap. *VI.*
(y) Idem *ibid.* Cap. *VII.*

triam cum diuitiis ornauit, tum peritiſſimos belli naualis fecit (z). Non minorem ſuſcepta commerciorum defenſione gratiam a ciuibus ſuis inierunt Hippias Athenienſis (a), Pompeius Romanus, (b) quin & fulmen illud belli, Alexander Macedo (c), qui omnes, licet tot grauiſſimis diſtricti negotiis, inter arma de ſecuritate commerciorum cogitarunt, vt quidquid praedonum per maria vagabatur, inſtructiſſimis claſſibus opprimerent. Vt iam non enumerem exempla ſimilia, quae inſequentium temporum annales nobis ſufficiunt, quaeque ſatis oſtendunt, prudentiſſimos potentiſſimosque principes hanc curam ac ſollicitudinem non indignam habuiſſe magnitudine ſua, eaque re immortalem ſibi gloriam vel maxime peperiſſe.

§. XXII.

Quod fit legibus, At praecipua quaeſtio eſt, quibus potiſſimum modis tuenda ſit illa commerciorum libertas? Vbi facile vnuſquiſque animaduertet, aliis omnino mediis aduerſus ciues, aliis aduerſus exteros, quibus illae negotiationes noſtratium ſudes in oculis ſunt, vtendum eſſe. Ciuibus quum in obſequio gloria relicta ſit, ii non rectius ac facilius, quam LEGIBVS & POENIS, eo adiguntur, ne conciues in illa, a principe conceſſa libertate turbare audeant. Nec quidquam iuſtius eſt huiuſmodi legibus ac ſanctionibus, quia vti recte obſeruat PLATO (d), iuſtitiae fruendae cauſſa conſtituti ſunt Reges & principes, finiſque ciuitatum haud poſtremus eſt *μήτ' ἀδικεῖν, μήτ' ἀδικεῖσθαι, nec facere, nec pati iniuriam.* Eo pertinent leges omnes, quae de fide a mercatoribus religioſe ſeruanda, de re collybiſtica, de rebus nauticis, de bodmeria, adſecurationibus, hauariis, ſimilibuſque negotiis feruntur, quippe ad tuendam non modo libertatem, ſed & ſecuritatem, ac laetiora incrementa commerciorum prouehenda vnice comparatae. Hinc laudem ſibi incredibilem pepererunt Rhodii, populus nauticus, & aliquando *θαλασσοκρατῶν* (e), de quo STRABO (f): *Θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ εὐνομία τῆς Ῥόδου, καὶ ἡ ἐπιμέλεια πρός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ περὶ τὰ ναυτικά, ἀφ' ἧς ἐθαλασσοκράτησε πολὺν χρόνον. Admiranda eſt & legum Rhodi optimarum conſtitutio & induſtria, cum in aliis reipublicae partibus,*

(2) Corn. Nepos *Themiſtocl. Cap. II.*

(a) Polyaen. *Stratagemat. Lib. V. Cap.* XIIII. *p.* 492.

(b) Flor. *Lib. III. Cap. VI.* Plutarch. *in Pompeio p.* 630. *ſequ.* Dion. *Lib.* XXXVI. *p.* 9.

(c) Curt. *Lib. IIII. Cap. VIII.*

(d) Plato *de Republ. Lib. II.*

(e) Florus *rer. Rom. Lib. II. Cap. VII.* Euſeb. *Chron. n. MC.*

(f) Strabo *Geograph. Lib. XIIII. p.* 448.

tibus, tum circa rem nauticam, qua effectum, vt imperium maris diu teneret. Et neſcio ſane, an ullum praeſtantius exſtiturum eſſet ius nauticum, & an alio hodie vtendum exiſtimaturae ſint gentes Europaeae, quam quod ipſi Romani in fora ſua admittere non dubitauerant (g), ſi vti ad CICERONIS (h) memoriam diſciplina naualis & gloria Rhodiorum permanſerat: ita ipſa lex Rhodia integra ac genuina aetatem tuliſſet. Quae enim a SIM. SCHARDIO, (i) IOANNE LEVNCLAVIO (k) & IO. LAVRENTIO (l) edita eſt, tantum abeſt, vt miram illam Rhodiorum ſapientiam & in omni re nautica prudentiam redoleat, vt eam, tamquam foetum ſuppoſititium, editumque ab ocioſo aliquo Graeculo ingenii abortum, reiecerint viri, harum rerum intelligentiſſimi (m). At iacturam hanc paullo tolerabiliorem reddiderunt gentes partim ſeptentrionales, partim quae nauigationibus per ſeptentrionem aliaſque orbis partes opes famamque quaeſiuerunt, ciuitates Hanſeaticae. Quemadmodum enim ſaeculo XII. in lucem prodiit ius nauticum WISBYENSE, ceu docet eius a LEIBNITIO (n) e vetuſto codice ſeruata praefatio: ita haud paullo poſt circa annum MDXCI. ipſae quoque ciuitates Hanſeaticae ius ſuum maritimum, cuius non exigua paſſim eſt auctoritas, condiderunt (o). Et vt iam non dicam de tot legibus ſaluberrimis, quae a Regibus rebuſque publicis florentiſſimis de omni re maritima, de adſecurationibus cambiiſque perſcriptae ſunt, quarum magnam farraginem in *conſulatu maris* (p), nec non a IO. MARQVARDO collectam nouimus: vix eſſe arbitramur gentem, quae aequioribus ac prudentioribus legibus ea in re vtatur, quam eae, quae Danorum imperio reguntur, quippe in quorum corpore Legum, quod ſub inſcriptione *des Daeniſchen Loo-Buchs* celebratur, totus *Liber IIII.* de omni re ac diſciplina nautica ita agit, vt neſciamus, an quidquam de re, tam multis implicata ſubtilitatibus, aequius prudentiuſque conſtitui potuiſſet, & vere ſcripſiſſe videatur IO. IS. PONTANVS (q), nuſquam

P 2 in

(g) *l. 9. D. ad Leg. Rhod. de iactu.*

(h) Cicero *pro lege Manil. Cap. XVIII.*

(i) Schardii *leges Naut. georg. & militares. Baſil.* 1561. 8.

(k) Leunclau. *Iur. Graec. Rom. Tom. II. p.* 165.

(l) *Graec. & Lat. Lugd.* 1647. *& Amſt.* 1668.

(m) V. A. Corn. van Bynkersh. *ad d. l. 9. D. ad Leg. Rhod. Cap. V.*

(n) Leibnit. *Script. rer. Brunſuic. Tom. III. p.* 750.

(o) Io. Marquard. *de iure merc. Lib. III. Cap. V. §. XXXVI.*

(p) Poſt varias editiones Italice prodiit cum commentariis Caſaregii, *Florent.* 1718. ad fin. *diſcurſ. Legal. de commerciis.*

(q) Pontan. *Deſcript. Chorogr. Dan. p.* 773.

in Europa, modo officium iudex faciat, aut citius quemquam, aut minore cum impendio finem litis adſequuturum, quam in Dania, vbi tanto ſalubriores ſint leges patriae, quanto breuiores ſint, quantoque minus iuris peregrini laciniis deformentur, vt habeant omnino prouinciae, quae iure illo viuunt, cur ſibi hanc felicitatem veluti peculiarem gratulentur.

§. XXIII.

Itemque priuilegiis.

Quemadmodum vero leges & principum conſtitutiones vel ad omnes in vniuerſum ciues, vel ad certas tantum perſonas, pertinent, quae priuilegia (r), quaſi *priuae leges* (s) vocantur: ita & leges ad tuendam commerciorum libertatem comparatas, vel GENERALES, vel SPECIALES eſſe oportet. Fieri enim ſolet, vt princeps aliquando certis perſonis vel collegiis plus, quam reliquis ciuibus, indulgeat, quo plures impendiorum molem conſociatis viribus eo facilius ferant, ſocietatem aliquam eximiis quibusdam priuilegiis muniant, quae vocabulo iam vbique vſitato OCTROYEN ſolent adpellari, a voce ſiue Belgica, ſiue ex Gallica lingua petita, *octroye*, quam CORN. KILIANVS (t) inter vocabula peregrina interpretatur *beneficium*: quemadmodum *octroyen* vel *octroyeren* illi eſt *indulgere*, *adnuere*, *aliquid tribuere*. Quod vero id facere non liceat principi, nulla profecto idonea exiſtimandi ratio eſt. Quum enim id omne principi non modo liceat, ſed & ad ſummum iſtius officium pertinere videatur, quod in publicam vtilitatem vllo modo vergit: quid regno vel reip. vtilius eſſe poſſet, quam ſi commercia a pluribus iunctis viribus collataque pecunia inſtituantur, atque ita efficiatur, vt vtilitas ad omnes, periculum ad paucos perueniat, vt merces noſtrae hoc modo optimis conditionibus diſtrahantur apud exteros, & res exterae, quas immodico pretio adhuc ab aliis coemere coacti ſunt ciues, iam a ciuibus ipſis multo viliore pretio vendantur, vt denique ita rei nauticae ſtudium acuatur, vectigalia augeantur, ipſumque locupletetur aerarium? Quod quum vix aliter, quam inſtitutis maioribus ſocietatibus, priuilegiisque illis liberaliter conceſſis, poſſit obtineri: neminem profecto dubitaturum arbitramur, quin & iure ſuo vtatur, & de republica praeclare mereatur Princeps, qui huiusmodi ſocietates & inſtituit, & iisdem priuilegia, ſine quibus vel conſiſtere, vel florere non poſſent, concedit. Hinc iam olim

(r) §. 6. *Inſt. de iure nat. gent. & ciu.*
(s) Gell. *Noct. Attic. Lib. X. Cap. XX.*
(t) Kilian. *Dict. Teuton. Lat. Gall.* p. 689.

Digitized by

olim SOLON (u) ſodalibus ἐπὶ λείαν, ἢ εἰς ἐμπορίαν οἰχομένοις, *ad praedam vel mercaturae cauſſa exeuntibus*, quodcumque placeat, inter ſe conſtituere patiebatur, illudque ratum eſſe iubebat, dummodo non obſtarent decreta publica. Et quam feliciter, quantoque cum lucro ac compendio olim negotiatae ſint ciuitates Hanſeaticae, & hodie commercia inſtituant ſocietates maiores in Anglia, Gallia, & Belgio, nemo ignorat. Immo e ſocietate Belgarum Indica tantum vtilitatis in remp. redundabat, vt GROTIVS (x) adfirmare non dubitarit, *a ſaeculi XVII. initio ſocietatem illam magnam reip. partem haberi coepiſſe*, & Zeelandi, quae poſt futura eſſent, ceciniſſe videantur, vt vates, dum cuſi eo anno numi anteriore parte ſculpſerunt leonem Zeelandicum, e tribus fluminibus emergentem, cum lemmate: LVCTOR ET EMERGO. 1602. in poſtica nauem vela facientem cum perigraphe: IMPERATOR MARIS, TERRAE DOMINVS. Vere enim contigit, quod ſcripſit BIZOTVS: (y) *Ziet daar den Oorſpronk van die doorluchtige Maatſchappy, welke Koningkryken verovert, Koonigen cynsbaar gemaakt, en geſantſchappen aan de Keizers van China en Iapan geſtuurd heft.* Quumque nihil non his in rebus liceat Principi, ac reipublicae, ſi ſe iure ſuo, interpoſitis pactis & foederibus, numquam abdicarunt: quidni & alii poſſint, quod gentes illae potuerunt? & quis populos quosdam, immiſſa ſemel falce in meſſem tam vberem, ita veluti ſua feciſſe commercia dixerit, vt aliis ne ſpicilegium quidem relinquendum putent?

§. XXIIII.

Nec non iudiciis mercatoriis & nauticis.

Porro iam ſupra obſeruatum eſt, non ferre mercatorum rationes, vt diuturnis litibus vacare, & rabulis veluti deuorandos ſeſe dare aut velint aut poſſint. Quod eo magis de cauſſis nauticis repetendum, quum, vti iam a CAESARE obſeruatum eſt, *res maritimae celerem & inſtabilem motum habeant*, & hinc ipſi Romani (a) cauſſas de ſubmerſis nauibus & naufragiis leuato velo cognoſcendas eſſe, prudenter monuerint. Hinc plerique principes, quibus commerciorum libertas atque incrementa curae cordique ſunt, id agere ſolent, vt lites, quae de rebus ad mercaturam vel rem nauticam pertinentibus incidunt, leuato veluti velo & ſine ambagibus iudicentur. Inter maxima ſane reip. Athenienſis

 vitia

(u) *l. 4. D. de colleg. & corporib.*

(x) Grot. *Hiſt. Belg. Lib. X. ad ann.* MDCII.

(y) Bizot *Medaliſche Hiſtorie der Republyk van Holland p. 85. 86.*

(a) *l. 5. C. de naufrag.*

vitia fuit litium diuturnitas, quam licet in ſpeciem excuſet XENOPHON (b), commerciis tamen, quibus vnice ſtudebant, eam fuiſſe exitioſiſſimam, nemo non intelligit. Satis quidem non modo breue, ſed & praeceps erat iudicium, in quo quidam, ſimul ac adpellerent, cauſſam dicere cogebantur, quodque Phraeattaeum vocabant, de quo IVL. POLLVX (c): ἦν δὲ ἐν θαλάττῃ τὸ δικαστήριον· καὶ τὸν ἐν αἰτίᾳ προσπλεύσαντα, τῆς γῆς οὐ προσαπτόμενον, ἀπὸ τῆς νεὼς ἐχρῆν ἀπολογεῖσθαι, μήτε ἀπόβαθραν, μήτε ἄγκυραν εἰς τὴν γῆν βαλλόμενον. *Erat & in mari iudicium, & reum quidem adnauigantem, & non tangentem terram, a naue defenſionem ſui dicere oportebat, neque ſcalam, neque ancoram terrae iniicientem.* Cuius miri dicaſterii mentionem etiam faciunt DEMOSTHENES (d), ARISTOTELES, (e) SVIDAS (f) & alii. Sed hoc iudicium tantum ad crimina, non ad cauſſas maritimas, pertinuit. Eos enim, qui ſolum verterant ob caedem, non patiebantur cauſſam, niſi ex naue, dicere. At de criminibus eo breuiora erant iudicia Athenienſium, quo magis ibi plebs caedibus ac ſuppliciis delectabatur ac veluti oculos paſcebat. Quanto prudentius alibi res nauticae tractantur in collegiis archithalaſſicis, quae vocantur *Admiralitaeten*; cauſſae mercatorum in iudiciis mercatorum, *in Kauff-oder Handels-Gerichten?* Horum enim iudiciorum ea indoles eſt, vt & viris iuriſperitis adiunguntur homines rei naualis iuriſque omnis maritimi, & conſuetudinum nauticarum, & inter mercatores receptarum, periti, & iis praeſcribitur modus, cauſſas has breuiter, & ſine taedioſis ambagibus cognoſcendi, quem in cauſſis maritimis & ad mercaturam pertinentibus maxime neceſſarium eſſe, recte ſemper ſtatuerunt iuris interpretes (g). Qua in re denuo admiranda eſt Danorum iuriſprudentia, qui quamuis fora multiplicare noluerint, in cauſſis tamen nauticis celerrimam obſeruant iuris dicundi rationem, adeo vt eorum legibus ſapientiſſime cautum ſit (h), *vt omnes, quae ex re nauali ſuam ducunt originem, vel ex iure hoc maritimo pendent, cauſſae tum ciuium, tum exterorum ſtatim, ab ordinario cuiuſque loci iudice cognitae, tres intra ſoles ſecundum legitimam cauſſae dictionem ex praeſcripto iuris maritimi decidantur, & nautis;*

(b) Xenoph. *de rep. Athen.* Cap. III. *Tom. V. Op. p.* 119. *ſequ.*

(c) Iul. Pollux Onomaſt. *Lib.* VIII. *ſegm.* 120.

(d) Demoſth. *in Ariſtocrat. p.* 737.

(e) Ariſtot. *Politic. Lib.* IIII. *Cap.* XVI.

(f) Suid. *voce* ἐμφρεάτοι.

(g) Peck. & Vinn. *ad l.* 5. C. *de naufrag. p.* 402. Meu. *ad Iur. Lubec. Lib.* III. *tit.* VII. *art.* VII. *n.* 1. *ſequ.* Loccen. *de iure marit. Lib.* III. *Cap.* X. §. II.

(h) Ius Danic. *Lib.* IIII. *Cap.* VIII. *art.* I.

nautis, ſi non habeant, aduocatus detur. Quam curam mercaturae habuiſſe veteres, non animaduertimus, niſi huc referre velis iuriſdictionem Aedilium & agoronomorum, tum Romae, tum in municipiis, ad quam tamen non niſi forum rerum venalium, cum contractibus ibi initis, videtur pertinuiſſe (i).

§. XXV.

Foederibus. Enimuero hae libertatem commerciorum tuendi rationes *inter ciues* duntaxat locum habent. Quid enim facilius eſt, quam ciues, aliis iure ſuo vſuris iniuriam intentantes, legibus, poenis & iudiciis in ordinem cogere, fidem in contractibus legibus poenalibus ſancire, denique dare operam, ne quis de iuſtitia non adminiſtrata iure conqueratur? At non aeque facile exteris ciuium noſtrorum libertatem turbantibus fraena iniiciuntur. Quum enim inter gentes non ſit, qui iudex ſedeat, earumque controuerſias iure diſcernat: nihil ſupereſt, quam vt lis vel conſenſu vtriuſque gentis rectorum, vel vi & armis, finiatur. At ipſa recta ratio facile vnicuique perſuadebit, non eſſe prouolandum ad arma, quorum & vſus ſumtuoſiſſimus, & euentus maxime anceps eſſe ſolet, ſi ſine pulueris iactu lis componi, ſuper eaque tranſigi poſſit. Sapienter enim CICERO (k): *Quum*, inquit, *ſint duo genera decertandi, vnum per diſceptationem, alterum per vim, quumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum: fugiendum eſt ad poſterius, ſi vti non licet ſuperiore.* Hinc lucroſiſſima commercia foederibus vel inſtituta vel firmata eſſe, nouimus, iiſque ſibi ciuibuſque ſuis proſpexiſſe conſtat Salomonem, Hieramum (l), Ezechiam (m), immo & integras ciuitates, de quarum foederibus ipſi veteres numi clamant (n). Hinc conſultiſſimum ſemper viſum eſt, ictis foederibus, aequas commercandi conditiones ciuibus impetrare, ſiue ne negotiantes in prouinciis foederati principis ciues noſtri laedantur, ſiue ne tranſituri impediantur, portubuſque vel ipſo mari excludantur, ſiue vt periclitantibus ſubueniatur, ſiue vt vectigalia non maxima, ſed vel nulla, vel modica exigantur. Eo enim fere referri poſſe videntur, quae commerciorum cauſſa ineuntur foedera. Primum ius omnino eſt principi, foederibus obſtringere exteros, ne ciues ſuos, ad eos negotiandi cauſſa excurrentes laedant, veluti ne

(i) Euer. Otto *de Aedilib. municip. Cap. XIII. p. 466. ſequ.*

(k) Cic. *de Offic. Lib. I. Cap. XI.*

(l) *I. Reg. VIIII. 27. II. Paral.* VIII. 30.

(m) *II. Paral. XX. 35.*

(n) Ez. Spanh. *de vſu numiſm. Diſſ.* III. *p.* 343. *Tomo I. Orb. Rom. Cap.* IIII.

ne ob diuerſam religionis formulam vim patiantur, ne iis ibi mortuis honeſta ſepultura negetur, ne iniquis & longis angariis vexentur, ius iis denegetur, vel perperam reddatur. De his enim omnibus huiuſmodi foederibus caueri ſolere, exemplis luculentiſſimis demonſtravit laudatiſſimus MASCOVIVS (o). Quibus iam id addo, plerumque his foederibus id exprimi ſolere, vt negotiatoribus noſtris, in foederatorum ciuitatibus portubuſque commorantibus Conſules a nobis conſtituti ius dicant, ſimulque dent operam, vt omnes foederis leges religioſe obſeruentur. Vnde eleganter eos conſules dici ait MARQVARDVS (p), vt, conſulere ſe debere mercatoribus & mercaturae, ipſo nomine admoneantur: ceu & de coſſ. Romanis ſcripſerat FLORVS (q). Iam inde ab antiquiſſimis temporibus id factum eſſe, non alio luculentiore teſtimonio oſtendi poteſt, quam LEGIS WISIGOTHICAE (r), qua cautum eſt, vt *ſi tranſmarini negotiatores inter ſe cauſſam habuerint, nullus de ſedibus Wiſigothiae regum eos audire praeſumeret, niſi tantummodo ſuis legibus audirentur apud* TELONARIOS SVOS. *Telonarii* enim hic non alii ſunt, quam conſules, ſeu negotiatorum exterorum iudices, quippe qui, nondum recepto conſulum vocabulo, variis nominibus veniebant, dicti *baiuli*, *praepoſiti*, *ſeneſchalli*, *priores mercatorum*, *Court-Meiſtere* (s), & in emporiis ciuitatum Hanſeaticarum *ſeniores*, *Oldermannen* (t), apud Viſigothos *telonarii*. Sane & apud Francos *mercati Palatii tolonearium* fuiſſe inter dignitates palatinas, eumque non modo omnibus regni portitoribus praefuiſſe, ſed & ius dixiſſe de huiuſmodi cauſſis, ex HINCMARO (u) & ALCVINO (x) obſeruauit CAR. DV FRESNE (y). Quemadmodum vero alioquin omnis iuriſdictio in republica a ſummo illius imperante pendet; ita regulariter hos conſules conſtituunt principes territorii, ciuitatumque rectores, idque pluribus exemplis demonſtrauit MARQVARDVS. (z) Sed quum aliquando in peregrinorum aequitate integritateque non eamdem, ac in ciuium fide, fiduciam collocare poſſimus; ſaepe contingit, vt foederibus aliquid de conſulum conſtitutione caueatur. Sic apud LEIBNITIVM (a) exſtant tabulae foederis, anno

(o) Maſcou. *de foed. comm.* §. VI. VII. *ſequ.*

(p) Marqu. *de iure merc. Lib.* III. *Cap.* VI. §. XVIII.

(q) Flor. *rer. Rom. Lib.* I. *Cap.* VIIII.

(r) *Leg. Wiſig. Lib.* XI. *tit.* III. §. II.

(s) Marquard. *de iure mercat. Lib.* III. *Cap.* VI. *n.* XVIII.

(t) Idem *ibid. n.* XXXIII.

(u) Hincmar. *Opuſc.* XXXV.

(x) Alcuin. *Epiſt.* LXXIII.

(y) Car. du Freſne *Gloſſar. Lat. Tom.* III. *p.* 1081.

(z) Marqu. *ibid. n.* XIIII. *ſequ.*

(a) Leibnit. *Cod. dipl. iur. gent. Tom.* I. *n.* X. *p.* 53.

Digitized by Google

no ſaeculi XIII. trigeſimo inter Fridricum II. Imp. & Siciliae Regem, & Principem Afrorum icti, quo hic id ſibi ſtipulatur, *vt non habeant Chriſtiani in inſula Corſica iurisdictionem ſuper vllum Mahometanum, praeter Praefectum Mahometanum, miſſum a Rege Siciliae nomine ſuo, ad regendos tantummodo populos vnitatis, & ſit occupatus in negotiis populi vnitatis, quem Deus honorificet.* Itaque foedere illo placuit, primum, vt conſul ſingularis vel praefectus Mahumetanis, in Corſica inſula negotiantibus, ius diceret: deinde vt is ab ipſo Fridrico II. Imp. conſtitueretur, eiuſque nomine ius redderet: denique, vt non alii id officium demandaretur, ac Mahumetano, quippe cui ſoli nota perſpectaque eſſe poterat Mahumetanorum iurisprudentia. At poſtea eo deuentum eſt, vt ab ipſis principibus exteris mitterentur conſules, qui ciuibus ſuis, apud exteros negotiantibus, ius ſecundum leges patrias dicerent, idque illi ſibi foederum tabulis diſerte ſtipularentur, cuiusmodi conuentionum varia exempla attulit paullo ante laudatus MASCOVIVS (b). At tunc ſimul cauendum erit foederum legibus, vt conſules illi ſint immunes & ſacroſancti, quia alias & magiſtratibus eius ciuitatis, in qua degunt, ſubſunt, nec legatorum iuribus & priuilegiis fruuntur (c). Sic ſane anno MDCXII. inter Imperatorem Turcicum & Belgii foederati ordines conuenit, ne Conſules eorumue bona detinerentur, ſed tamen in ius vocari poſſent ad tribunal Turcicum (d). Idemque cautum eſt inter Ordines Belgii & Algerienſes (e). Saepe etiam hos conſules in vincula publica ductos legimus, veluti anno MDCXXXIIII. Venetum, qui Anconam miſſus fuerat, ab Vrbano Papa VIII. & Hollandum a Gubernatore Gaditano (f). Nec iis auxilio fuit vox, legatos eſſe iure gentium ſacroſanctos & inuiolabiles. Recte enim WICQVEFORTIVS, ſanctimoniae legatorum vindex alioquin acerrimus: (g) *Les conſuls ne ſont que des marchands, qui avec leur charge de juge des differends, qui peuvent naiſtre entre ceux de leur nation, ne laiſſent pas de faire leur trafic, & d'être ſujets à la juſtice du lieu de leur reſidence, tant pour le civil, que pour le criminel: ce qui eſt incompatible avec la qualité de Miniſtre public.*

(b) Maſcou. *Diſſ. de foeder. commerc.* §. XII.

(c) Wicquefort *de l' Ambaſſadeur Liv. I. ſect. V. p.* 92. Corn. van Bynkersh. *de foro legat. Cap. X. p.* 482. *Opuſc. min.*

(d) *Placat-Buch. T. III. Lib. I. tit.* XIII. *n.* 36.

(e) Aitzema *Lib. I. p.* 353.

(f) Wicquefort *de l'Ambaſſadeur ibid. p.* 92.

(g) Wicquef. *ibid.*

blic. Ex quibus conſequitur, vt niſi horum conſulum ſecuritati pactis & foederibus caueatur, nihil futurum ſit frequentius, quam vt adficiantur iniuriis, maxime ſi quando immineat bellum, aut ea onera de nouo exigantur a negotiatoribus, ad quae ſeſe minus putent eſſe obligatos. Nec deſunt exempla foederum, quibus gens a gente nautis ſuis in mari periclitantibus auxilia officiaque humanitatis ſtipulatur. Eſt enim ea quarumdam gentium indoles, vt naufragos in ſeruitutem redigant, bonisque & rebus omnibus ſpolient, ipſo mari ſaeuiores. Vixere ſane olim his moribus plures gentes, quas recenſuerunt IO. BODINVS (h), HVGO GROTIVS (i), & IO. SELDENVS (k), quarum cauſſa non confundenda cum conſuetudine bona naufragorum pro derelictis habita, & intra annum & diem non repetita a dominis, fiſco vindicandi, quale ius vbique fere olim viguiſſe in Germania (l), & etiamnum apud Danos (m), Suecos (n) & Noruagos (o) vigere, ſatis ſuperque conſtat. Quum ergo principis quam maxime interſit, ciues ſuos maris inclementia perditos, non bis perire, nec libertate rebusque ſpoliatos, in eam redigi conditionem, vt conquerendum ſit miſeris:

Heu! mare haud eſt mare, vos mare acerrimum.
Nam in mari repperi; hic elaui bonis (p).

non melior eſt id impediendi ratio, quam vt foederis tabulis obſtringantur exteri, ne naufragos laedant, neue eos in ſeruitutem detrudant, aut bonis ſpolient, ſed rebus neceſſariis liberaliter iuuent. Quale quid inter Waldemarum Daniae & Magnum Sueciae Reges anno Chriſtianae erae MCCCXXXXIII. (q) & inter Henricum VII. Angliae Regem & Philippum, Archiducem Auſtriae, anno MCCCCLXXXXV. (r) conueniſſe nouimus. Denique nihil frequentius contingere ſolet, quam vt vectigalium exactio

(h) Bodin. *de Rep. Lib. I. Cap. vlt.*
(i) Grot. *de iure belli & pac. Lib.* II. *Cap.* VII. §. I.
(k) Selden. *Mar. clauſ.* Lib. I. Cap. XXV.
(l) Schottel. *de ſing. Germ. iur.* Cap. *XX.* Hert. *de ſuper. territ.* §. LVI. Cel. Dn. Praeſes *Elem. iur. Germ. Lib. II.* §. *XXIII.*
(m) *Ius Dan. Lib.* IIII. *Cap.* IIII. *§.* IIII. *Iutic. Lib. III. Cap.* LXI. LXIII.
(n) *Leg. Prouinc. Cap.* XXXVI. *& Tit. de furt. Leg. Munic. Cap.* XIIII. *ibid.*
(o) *Iur. Norueg. Cap.* XXVI. *de iure mercandi.*
(p) Plaut. *Aſin. Act. I. ſcen. II. v.* 8.
(q) Du Mont *dans le Corps univerſ. diplom. Tom. I. Part. II. p.* 223. Loccen. *iur. marit. Lib. I. Cap.* VII. *§. X. p.* 73.
(r) Du Mont *dans le Corps univerſel Diplomatique Tom. III. Part. II. p.* 337.

Digitized by Goog

exactio paullo rigidior collidat gentes etiam amiciſſimas, & commercandi libertatem mirifice turbet, maxime quod illa plerumque cum accurata perueſtigatione nauium merciumque coniuncta, ac proinde nauigantibus moleſtiſſima eſſe ſoleat. Huic quoque malo non aliud remedium quam a foederibus. Quemadmodum ergo iam olim teſte POLYBIO (s) inter ſe pacti ſunt Romani & Carthaginienſes, *τοῖς κατ' ἐμπορίαν παραγινομένοις μηδὲν εἶναι τέλος, πλὴν ἐπὶ κήρυκι ἢ γραμματεῖ*, *vt, qui ad mercaturam venerint, ii vectigal nullum penderent, praeterquam ad praeconis vel ſcribae mercedem*: ita & poſtremis temporibus ſaepiſſime placuiſſe nouimus Principibus & rebuspublicis, vt vel nulla, vel modica vectigalia, veluti as vnus e centum, vel ſaltim non maior, quam a ciuibus, exigatur, neue naues viſitentur, ſed publicani, viſis litteris, quas vocant *certificats*, adquieſcant, qualium foederum exempla plura quum iam adduxerit celeberimus MASCOVIVS (t), huic rei immorari nolumus, demonſtraſſe contenti, nihil ad tuendam commerciorum libertatem efficacius, nihil vtilius eſſe, quam foedera, quippe quibus pleraque definienda ſunt, quae iure illo gentium vniuerſali veluti in medio relinquuntur.

§. XXVI.

Munimentis in ſolo extero exſtructis,

At nuſquam tuta fides. Si enim foederibus ac pactis ſua ſemper conſtaret religio: nec lites, nec bella inter mortales pullularent, ſed ſuum cuique, prout foederum & pactorum legibus cautum eſt, tribueretur. Enimuero quum ipſorum priuatorum, qui legibus, iudiciis, poenis, in ordinem cogi poſſunt, ea ſit indoles, vt pactis & contractibus ſtare nolint: quid dicamus de gentibus liberis, earumque rectoribus, quos nullum commune vinculum continet, qui ſaepe res omnes vtilitate potius, quam iure, metiuntur, quorum denique quibuſdam idem videtur, quod olim Lyſandro apud PLVTARCHVM (u): *τοὺς μὲν παῖδας ἀστραγάλοις δεῖν ἐξαπατᾷν, τοὺς δὲ ἄνδρας ὅρκοις*: *pueros taxillis, viros iureiurando decipere debere.* Non mirum itaque, principes rerumque publicarum rectores de aliis iiſque firmioribus praeſidiis ſibi circumponendis cogitare, quorum quidem nullum eſt, in quo plus fiduciae collocare liceat, quam munimenta, in exterorum ſolo exſtructa, praeſidiiſque firmiſſimis munita. Nam haec & perfugium tutiſſimum dant oppreſſis, & gentem quacum nobis negotiatio intercedit, in offi-

(s) Polyb. *Hiſt. Lib. III. Cap. XXII.*
(t) Maſcou. *Diſſ. de foeder. commerc.* §. XVIIII. XX. XXI.
(u) Plutarch. *Apophth. Lacon. p.* 229.

cio continent, & efficiunt, vt non precario, ſed perfecto & ſtabili iure, alicubi negotiemur. Iam antiquiſſimis temporibus hac arte vſi ſunt Phoenices, eorumque poſteri Carthaginienſes, qui vt commerciis per totum terrarum orbem tanto liberius tutiuſque vacare poſſent, omnem fere non modo Aſiae, & Africae, verum etiam Graeciae, Illyrici, Italiae, Siciliae, & Hiſpaniae oram maritimam coloniis, portubus, ciuitatibuſque munitiſſimis occuparunt, & ipſa Phoenicia tot vrbium nomina, quae erudite expoſuit BOCHARTVS, (x) huius originis monimenta, poſteris vbique terrarum reliquerunt. Quemadmodum ergo de iis LVCIANVS (y): ὅσον, inquit, ἐν τῷ πλῷ καὶ τῇ ἀποδημίᾳ πολλοὺς ἄν σοι θειοτέρους ἐκείνων ἀποδείξαιμι τοὺς ἐμπόρους, καὶ μάλιστα τοὺς Φοίνικας αὐτῶν, οὐκ ἐς τὸν Πόντον, οὐδὲ ἄχρι τῆς Μαιώτιδος, καὶ τοῦ Βοσπόρου μόνον ἐκπλέοντας, ἀλλὰ πανταχοῦ τῆς Ἑλληνικῆς καὶ βαρβαρικῆς θαλάττης ναυτιλλομένους. ἅπασαν γὰρ οὗτοι ἀκτὴν καὶ πάντα αἰγιαλὸν, ὡς εἰπεῖν διερευνησάμενοι καθ᾽ ἕκαστον ἔτος ὀψὲ τοῦ μετοπώρου εἰς τὴν αὐτῶν ἐπανίασιν. *Quantum ad nauigationem & peregrinationem attinet, multos iſtis diuiniores oſtendere negotiatores, atque inter hos potiſſimum Phoenices, qui non in Pontum, neque ad Maeotidem vſque, aut Boſphorum, tantum enauigant, verum quaqua verſus Graecum ac Barbarum mare permetiuntur. Hi ſiquidem omnem oram, & omne littus, vt ita dixerim, quotannis ſcrutati, extremo tandem auctumno in ſuam patriam reuertuntur*: ita diſtincte demonſtrauit BOCHARTVS, eos in Cypro (z), Aegypto (a), Cilicia (b), Piſidia (c), Caria & Rhodo (d), Samo (e), Chio, Lesbo, Tenedo (f), Bithynia & Paphlagonia (g), Thracia & Thaſo (h), Samothracia, Imbro, Lemno, & inſulis circa Magneſiam Macedoniae (i), Euboea (k), Cycladibus (l), Creta, (m) Boeotica (n), Attica (o), Laconia (p), Illyrico (q), Africa (r), Melita

(x) Bochart. *in Chanaane Lib. I. Cap. II.*
(y) Lucian. *in Toxari p.* 34. *Tomo II. Op.*
(z) Bochart. *Chanaan. Lib. I. Cap. III.*
(a) *Ibid. Cap. IIII.*
(b) *Ibid. Cap. V.*
(c) *Ibid. Cap.* VI.
(d) *Ibid. Cap.* VII.
(e) *Ibid. Cap.* VIII.
(f) *Ibid. Cap.* VIIII.
(g) *Ibid. Cap. X.*
(h) *Ibid. Cap. XI.*
(i) *Ibid. Cap. XII.*
(k) *Ibid. Cap. XIII.*
(l) *Ibid. Cap. XIIII.*
(m) *Ibid. Cap. XV.*
(n) *Ibid. Cap. XVI.*
(o) *Ibid. Cap. XXI.*
(p) *Ibid. Cap. XXII.*
(q) *Ibid. Cap. XXIII.*
(r) *Cap. XXIIII. & Cap.* XXXVII. *ſeqq.*

ta (s), Sicilia (t), Sardinia (u), Corſica (x), Italia (y), Hiſpania (z), Britannia, Hibernia & Caſſiteridibus inſulis (a), Thule, (b) Gallia (c), mari rubro (d), & inſula Ceylan (e) ciuitates quamplurimas condidiſſe. Horum veſtigiis poſtea Carthaginienſes & poſtremis ſaeculis Luſitani, Hiſpani, Angli, Galli, Dani, Fridericus Guil. Elector Brandeburgicus, Belgae, quin & Curlandi inſtiterunt, qui partim in America, partim in India Orientali, conditis quamplurimis caſtris & munimentis effecerunt, vt non modo tuta ſit negotiatio, ſed & ipſi earum prouinciarum Principes bene ſecum agi, putent, ſi ſub Europaeorum clientela precario imperent. Exiſtimare quis poſſet, in barbarico tantum hoc licere, & vi ac ferro magis obtineri, quam iure & foederibus. Sed quum nihil ſit rectae rationi magis conſentaneum, quam poſſe vnumquemque ſe iure ſuo abdicare: quidni & foederibus conuenire poſſet, vt genti exterae in ſolo alieno munimenta & caſtra condere liceat? Et ſane quod Europaei ſibi in America & India orientali, ictis foederibus, adquiſiuerunt, id & in Europa ſibi ab Hiſpanis ſtipulati ſunt Britanni, puta vt vrbem Calpen, nec non portum Magonis in Minorica inſula retinerent, negotiantibus in mari mediterraneo inſigni praeſidio futuras, quamuis, quam aegre id ferant Hiſpani, & quam ſaepe eas vrbes recuperare ſtuduerint, nemo ignoret.

§. XXVII.

Aliquando ipſa foedera tam dubiae ſunt interpretationis, vt, ſintne eorum leges ab alterutro violatae, nec ne, vix adpareat. His caſibus profecto durum eſſet, illico ad arma prouolare, & ſibi veluti manu ius dicere, quum mitiora ſuperſint remedia, ſapientesque prius omnia tentare oporteat, quam rem nondum ad liquidum perductam dubiae Martis aleae committant (f). Quum vero tria potiſſimum media impediendi bellum commendare ſoleant viri docti & prudentes (g), colloquia, ſeu diſceptationem amicam, *Legationibus*,

 micam,

(s) *Ibid. Cap. XXVI.*
(t) *Ibid. Cap. XXVII. ſequ.*
(u) *Ibid. Cap. XXXI.*
(x) *Ibid. Cap. XXXII.*
[y] *Ibid. Cap. XXXIII.*
[z] *Ibid. Cap. XXXIIII. ſequ.*
[a] *Ibid. Cap. XXXIIII.*
[b] *Ibid. Cap. XXXX.*
[c] *Ibid. Cap. XXXXI.*
[d] *Ibid. Cap. XXXXIIII.*
[e] *Ibid. Cap. XXXXVI.*
[f] Cel. Dn. Praeſ. *Elem. Iur. nat. & gent. Lib.* II. §. CC.
[g] Grot. *de iure belli & pac. Lib.* II. *Cap. XXIII.* §. VII. *ſequ.* Puſendorff. *de iure Nat. & gent. Lib. V. Cap. XIII.* §. *III.* & *Lib.* VIII. *Cap.* VI. §. *III.*

Digitized by Google

micam, prouocationem ad arbitros, & ſortem: facile eſt intellectu, raro ita comparatam eſſe de commerciis controuerſiam, vt Principes rerumque publicarum rectores eam fortunae arbitrio permittere velint, nec minus difficile eſſe, reperire arbitrum aequum, & qui nobis lucrum, quod ex commerciis ſperamus, non potius interuerſum, quam firmum ac ſtabile eſſe, cupiat, ac proinde non aliud ſupereſſe remedium, quam legationes, a quibus amice diſcernantur illae controuerſiae, & dubia foederum capita ad liquidum perducantur. Multum ſane momenti poſitum eſt in legati eloquentia, prudentiaque: ſaepe & dona, quae ferunt, placant animos, ſaepius eorum ſplendor oculos foederatorum percellit, vt potentiam exterae gentis reuereantur, & mitiora conſilia capiant. Hinc recte apud GROTIVM (h) LIBANIVS: Πρῶτον μὲν τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾶν ἀνθρωπινώτερον δήπουθεν. *Homini eſſe conuenientius, prius verborum experimentum facere, quam ſtatim ad arma proſilire.* Et ſane quam multa olim Romani & Graeci, noſtra vero patrumque memoria Angli & Belgae legationibus a gentibus non modo humanioribus, verum etiam barbaris, impetrarint, quae ipſis fortaſſe armis numquam impetraſſent, tam notum prouocatumque eſt, vt pluribus id teſtimoniis probare ſuperuacuum videatur. Exſtant ſane iuſta volumina, quibus illae legationes earumque euentus luculenter deſcribuntur, veluti AD. OLEARII (i), GARCIAE SYLVAE FIGVERAE (k), NIEVHOFFII (l), CHAVMONTII (m), & *collectoris legationum Societatis Indicae ad Iaponiae Imperatores* (n), quibus ſimilibuſque libris euolutis, non temere quidquam, quod ad probandam huiuſmodi legationum neceſſitatem vtilitatemque pertineat, poterit deſiderari. Multa, quae a priuatis parum dextre ac feliciter adminiſtrantur, procedunt felicius, ſi principis vel reipublicae auctoritas negotio veluti pondus ſuperaddit: nec vlla eſt tam difficilis controuerſia, quae non prudentis legati diligentia poſſit definiri, ſi hic occaſiones omnes callide ſpeculetur, iniectaque ſpe, metuue in tempore incuſſo, animos in partes ſuas pertra-

[h] Grot. *ibid.* §. VII. *n.* 1. *not.* 1.

[i] Ad. Olearii *Itiner. Moſcou. Perſ. Sleſu.* 1663. *fol.*

[k] *L'Ambaſſade de D. Garcias Sylua Figueroa en Perſe*, ex verſione Wicquefortii *Pariſ.* 1667. 4.

[l] Nieuhoff. *Legatio Societatis orient. Indiae in Belgio ad Imperatorem Chinenſem. Amſtelod.* 1666. *fol.*

[m] *Relation de l'Ambaſſade de Mr. de Chaumont à la Cour du Roi de Siam. Pariſ.* 1668. 12.

[n] *Ambaſſades mémorables de la Compagnie des Indes Orientales des Provinces unies vers les Empereurs du Iapon. Amſt.* 1680. *fol.*

pertrahere didicerit. Quam difficile fuerit foedus commerciorum inter Belgas & Anglos concinnare, ex BASNAGIO (o) oſtendit MASCOVIVS (p) : & tamen impedimenta omnia perrupit legatorum Belgicorum adſiduitas, prudentia, ac conſtantia, documentumque dedit poſteris, nullam eſſe his virtutibus viam inuiam, omniaque recte procedere, ſi dextre ac ſapienter gerantur.

§. XXVIII.

Praeterea ad tuendam commerciorum libertatem permultum faciunt claſſes, bene inſtructae, quippe quae nec impugnantur facile a gente inimica, & ei metum iniiciunt, vt aequas conditiones admittat. Hae vero vel a priuatis negotiatoribus priuatiſque ſumtibus, vel Principum rerumque publicarum auſpiciis ac impenſis mari immittuntur. Prius vbi fit, naues hae, in claſſis modum conſociatae, hodie vocantur *eine Admiralitaet*, ab Arabica voce *Emir* ſeu *amira*, quod dominum denotat vel praefectum (q): olim σύμπλοια vel ὁμόπλοια, quia plures naues armatae coeunt, & ſimul ductu vnius praefecti nauigant, ad vim piratarum hoſtiumque eo facilius profligandam. Et ſane vti neceſſitas per Orientem docuit mercatores, terra continenti negotiantes, vt conſociati in modum exercitus, quem vocant *carauanam*, ſub auſpiciis alicuius ducis iter per loca inhoſpita faciant : ita hac cautione multo magis opus eſt iis, qui per mare ad diſſitas gentes negotiandi cauſſa excurrunt, vbi *Claſſibus*,

Quid quiſque vitet, numquam homini ſatis
Cautum eſt in horas : & vbi nauita Boſphorum
Poenus perhorreſcit (r).

Sic ſane huiuſmodi ὁμόπλοια iam antiquiſſimis temporibus placuit Salomoni & Hieramo, Regibus, ad Ophirenſes vela facturis (s), eaque vtebantur & Graeci & Romani, quoties periculi quid imminere videbatur nauigantibus. Eam enim & aliis ſuadet CICERO, (t) & ſe ipſum eo praeſidio vti conſtituiſſe ſcribit (u) : vt iam non dicam de *archiguberno claſſis Britannicae*, Seio Saturnino, cuius in ipſo iure noſtro (x) mentionem fieri nouimus. Haec ſocietas,

[o] Baſnag. *Hiſt. Belg. Tom. I. p.* 51. & 493.

[p] Maſcou. *Diſſ. de foed. commerc.* §. VI.

[q] Voſſ. *de vitiis ſerm. Lib. II. Cap. II.* Car. du Freſne *Gloſſar. Lat. Tom. I. p.* 387. *ſequ. edit. nou.*

[r] Horat. *Carm. Lib. II. Od. XIII.*

[s] *I. Reg.* VIIII. 27. *II. Paralip.* VIII. 30.

[t] Cicero *Lib. XVI. Epiſt. ad Attic. I.*

[u] *Ibid. Epiſt. IIII.*

[x] *l.* 46. *D. ad SC. Trebellian.*

cietas, ſi conſentiente principe vel republica coaleſcit: ſi fidem patriae ſibique inuicem praeſtat, ſi ingruente aliquo caſu aut periculo quiſque communem ſecuritatem ſupremam ſibi legem dicit, nec ex ſocietate ante tempus diſcedit, ſi denique ſancte ſeruantur leges nauticae, quales Dani (y), Belgae (z) aliaeque gentes de ordine nauigandi, pugnaeque nauticae ratione tulerunt, dici non poteſt, quam ad quaeuis euitanda pericula ſit vtilis, quamque ſalutaris mercatoribus, qui maximam ſaepe fortunarum partem ventis ac fluctibus committere coguntur, duplici expoſiti periculo, ſi praeter breuia & ſyrtes hoſtium quoque ac piratarum vim & iniurias metuere cogantur. Sic priuati ſocietatem nauticam contrahere ſolent. Si vero tanta ſint gentis cuiuſdam in ciues noſtros odia, vt priuata illa praeſidia ſufficere non videantur: nihil ſupereſt, quam vt ipſi Principes & reſpublicae claſſibus mare tutum reddant, ſuiſque ſint praeſidio, quod ab Athenienſibus, Romanis, Hiſpanis, Luſitanis, Gallis, Anglis & Belgis tam feliciter ſaepe factum eſſe nouimus, vt lucroſa commercia ſua non modo ſalua praeſtiterint, ſed & ea ſubinde amplificarint.

§. XXVIIII.

Aliquando & repreſſaliis.

Euenit aliquando, vt gentes quaedam nullum aequitati locum concedere velint, ſed depraedationes terra marique faciant, & conquerentibus licet per legatos principibus vel ſatisfactionem praefracte negent, vel poſtulata vanis promiſſis eludant. Eo caſu moribus gentium permittitur ſpecies violentae exſequutionis, quam *ius repreſſaliarum* vocant iureconſulti recentiores, vt gentis tam iniuſtae naues merceſque, vbicumque repertae capi ac ſiſti, ex iiſque laeſis ſatisfieri poſſit (a). Quod quidem nihil, quod a iuſtitia alienum ſit, continere arbitramur. Quamuis enim ita fiat, vt & innocentibus, nullaque nobis iniuria compertis, damni quid inferatur: id tamen hi non magis deprecari poſſunt, quam cladem bellicam. Nam ciues vna cum Principe ſuo perſonam quamdam moralem conſtituunt, & hinc factum principis ciuium factum eſt, nihilque iniuriae fit ciui, qui ob reipublicae ſuae factum aliquid damni ſentit (b), quamuis ei recurſus aduerſus ciuitatem, eumue, per quem ſtetit, quo minus eo damno adficeretur, omnino

(y) *Leg. Dan. Lib. IIII. Cap.* VII.

(z) Placat-Buch. *Tom. I. p.* 323. 479. *ſequ.*

(a) *Grot. de iure belli & pac.* Lib. III. *Cap. II.* §. *IIII. & ſequ.*

(b) Pufend. *de iure* Nat. *& gent.* Lib. VIII. *Cap.* VI. §. *XIII.*

omnino patere debeat (c). Quamuis vero & nomen ſit recentius, & hanc pignorationem inter ciues eiusdem reip. prohibeant leges (d): tamen iam antiquiſſimis temporibus eam inter gentes liberas non extra vſum fuiſſe, luculentiſſimis exemplis oſtendit GROTIVS. Iam apud HOMERVM (e) Neſtorem, ob ereptos patri ſuo equos, Elidenſium pecora & armenta cepiſſe, legimus. Sed & Romanorum naues pro bonis Tarquiniorum, quorum hereditatem creuerat, Cumis retinuit Ariſtodemus (f). At poſtremis ſaeculis ob turbatam commerciorum libertatem eo remedio ſaepe vſae ſunt gentes liberae, quamuis aliquando iuſto plus ſibi indulſiſſe videantur. Primo enim ipſa ratio ſuadet, id ius quod belli veluti praeludium eſſe ſolet, priuatis ſine decreto ſummi imperantis, cui ius belli eſt, non eſſe concedendum: ac proinde in Gallia nemini illo vtendi ius eſt, quam qui a Rege impetrauit *litteras marcae*, quas vocant (g), & quidem ab ipſis curiis ſupremis confirmatas (h): & in Belgio foederato id occaſionem dedit litibus non mediocribus, quod Zeelandi pro cauſſa communi repreſſalias, inuitis ceteris foederatis, decernere vellent (i). Quare tanto minus toleranda eſt audacia priuatorum, hoc iure ſine principum vel reipublicae conſenſu auctoritateque vtentium. Quibus enim belli gerendi ius non eſt, iis nec repreſſalias decernere licet (k), quidquid hic obuertant IO. BODINVS (l) & ipſe GROTIVS (m), ἀνδροληψίαν ſeu ius pignorandi exteros, ipſis priuatis concedere non dubitantes. Deinde & id cauendum, ne quid in decernendis repreſſaliis contra pacta & foedera fiat. Quia enim in ſe admodum rigida eſt haec exſequendi ratio, multis foederum legibus eius vſus eſt reſtrictus, cautumque, veluti anno MDCLIIII. inter Anglos & Belgas, ne repreſſaliae concedantur, niſi princeps, cuius ciuis ſe laeſum exiſtimat, prius principem laedentis adierit, isque intra tres menſes laeſo ius non dixerit. Et anno MDCLXII. inter Galliae Regem & Belgii foederati ordines

[c] Grot. *de iure belli & pac. Lib. III. Cap. II.* §. VII. *n.* 4.

[d] *l. vn.* C. *vt null. ex vican. l.* 4. C. *de exſequutor. & exactorib. Nouell.* LII. & CLIII.

[e] Homer. *Iliad.* Λ. *v.* 669. *ſequ.*

[f] Liu. *Lib.* II. *Cap. XXXIIII.*

(g) Grot. *ibid. n.* 1.

(h) Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. iur. publ. Lib. I. Cap.* XXIIII. *p.* 175.

(i) Aitzema *Lib. XXIIII. p.* 717. *Lib. XXXXII. p.* 455. *Lib. XXXXV. p.* 1017.

(k) Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. iur. publ. Lib.* I. *Cap. XXIIII.* Ziegler. *ad Grot. Lib. I. Cap. XXXIIII.* §. 32.

(l) Io. Bodin. *Lib. I. de republ. Cap. X.*

(m) Grot. *ibid.* §. VII. *n.* 3.

nes conuenit, ne vllus eſſet repreſſaliarum vſus, niſi denegata iuſtitia, eaque denegata non cenſeatur, niſi libellus laeſi communicatus prius ſit cum legato eius principis, contra cuius ſubditos repreſſaliis vti conſtitutum ſit, & niſi intra quatuor menſes laeſo ius dictum ſit (n). Haec ergo accurate eſſe ſeruanda, nemo dubitauerit, niſi qui omnem fidem obligationemque inter gentes ſublatam cupiat. Enimuero caueri aliqua ſolent foederibus, quae vel nihili ſunt, vel exitum habere nequeunt. Cuius generis V. A. CORN. VAN BYNKERSHOEK merito eſſe dixit clauſulam anno MDCVIIII. induciarum (o); & poſtea pacis Monaſterienſis tabulis (p) inſertam, *ne repreſſaliae, niſi ſecundum legum Romanarum praeſcripta decernantur*, itemque, quod inter ſe anno MDCCX. pacti ſunt Imperator Maroccanus & Belgii Ordines, vt plane ceſſent repreſſaliae, ſed ſibi inuicem ius & iuſtitiam adminiſtrent. Quemadmodum enim ius Romanum repreſſalias ignorat, rem ipſam vero plane prohibet, adeoque ex eius praeſcripto illis vti nemo poteſt: ita poſterior conuentio plane eſt fruſtranea. Quid enim ſi iuſtitia non adminiſtretur? annon tunc nihilominus recurretur ad repreſſalias? Quare haec ſimiliaque pacta non obſtant, quo minus princeps laeſo ſubdito recepto hoc inter gentes remedio ſuccurrere, & honeſtam habere poſſit hanc libertatem commerciorum tuendi rationem.

§. XXX.

Ac denique bello. Sed vbi ea omnia expertus eſt Princeps, vt ſubditis ſua conſtet commercandi libertas, & tamen nihil aequi impetrauit: ibi nihil omnino ſupereſt, quam vt iuſta expediat arma, ſibique ius dicat manu, quod nulla alia ratione obtinere potuit. Quum enim iuſtificae hae ſint belli cauſſae, ſi quis ſummorum imperantium vel laedat alterum iniuria, vel ius illius interuertat, iniuria vero ciuibus vel ſubditis illata, in ipſum principem ac rempublicam redundet: quis negauerit ius eſſe ciuitatum rectoribus, vim vi repellere, vel iuſto bello cogere hoſtem ad abolendam iniuriam, & pacem aequis conditionibus faciendam? *Aequiſſima*, inquit SENECA, (q) *vox eſt, & ius gentium prae ſe ferens: redde quod debes.* Et quum ne a priuato quidem id exigatur, vt ſuo ſe iure priuari iniuria

(n) Bynkersh. *ibid.* p. 173. *ſequ.*

(o) *Pact. induciar. inter Albertum Archiduc. & Ordines Belg. foed.* §. *XI.*

(p) *Pax Monaſt. inter Hiſpan. & Belg.* §. *XXII.*

(q) Seneca *Epiſt.* LXXXXVI.

iniuria aequo animo patiatur : qua fronte id exigeretur a principe vel republica? Nec quisquam dixerit, ad principem non pertinere illatam ſubditis iniuriam, quum & ſupra iam demonſtratum ſit, cum commerciorum flore ipſam reipublicae ſalutem eſſe coniunctam, & ideo in ciuitatem coaluerint & aliorum imperia ſubierint liberi homines, vt iuribus ſuis ſine vlla iniuria fruerentur. Et ſane ſi recte Campani ineuitabilem neceſſitatem impoſitam credebant Romanis arma pro illis capeſſendi, quod ſe ſuaque omnia illis dedidiſſent (r) : quis neget, eamdem aliquando neceſſitatem incumbere aliis principibus rerumque publicarum rectoribus, quorum ciues iure ſuo vti vi ac dolo malo prohibentur? Et hinc iam ſupra attulimus exempla vetera aeque ac noua bellorum, ob turbatam commerciorum libertatem geſtorum, quae iniuſta nemo vmquam dixerit, niſi cui omne bellum iniuſtum videatur. Facile equidem largimur, boni principis eſſe, non ob quamlibet minimam cauſſam arma ſumere, ſed eum expenſurum prudenter, non modo an res alio leniore modo poſſit componi, ſed & an operae pretium ſit, ob leuem quamuis iniuriam confugere ad remedium, ipſo ſaepe morbo grauius futurum. Sed quemadmodum parum prudenter, nec tamen iniuſte agere dicimus hominem, qui, ne leue damnum concoquere videatur, ſumtuoſam litem inſtituit : ita non ideo dixeris iniuſte agere Principem, qui & leuem iniuriam, illatam ſubditis armis vindicat, maxime ſi talis ſit iniuria, ex qua hoſtilis alterius animus ſatis ſuperque elucet. Non enim conſiſtere ſolent talia exempla, vnde coeperunt, ſed latiſſimam ſibi plerumque euagandi faciunt viam, vt demum nihil ſuperfuturum ſit ei, qui ſibi minima quaeque extorqueri patitur. Veriſſimum tamen eſt, ſaepe prudentia ac conſiliis plus proficere bonos principes, quam bello & armis, nec vllam eſſe maiorem gloriam, quam ſi ita pacis artibus vtantur, vt nihil auctoritati ſuae, nihil reipublicae ſaluti, nihil denique ciuium iuribus atque opibus decedat, ipſeque potius ſeruaſſe rempublicam, quam aleae expoſuiſſe, videatur.

(r) Liu. *Lib.* VII. *Cap.* *XXXI.* Flor. *Lib.* *I.* *Rer.* *Rom.* *Cap.* *XVI.*

§. XXXI.

Vota pro potentiſſimo Daniae Rege, optimo Principe, & libertatis commerciorum vindice acerrimo concepta.

Et haec eſt illa immortalis gloria, qua fulget Rex meus multo clementiſſimus. Haec virtus inuſitata, quam in auguſto hoc principe cum omnes exteri, tum ciues maxime, qui ſub mitiſſimo eius imperio viuunt, venerantur. Nihil optimo Regi prius, nihil antiquius eſt, quam felicia praeſtare regna ac prouincias, religionem, pietatem, optimarum artium ſtudia, commerciaque in maius prouehere, ciues non modo legibus ſaluberrimis, ſed & incomparabili exemplo, meliores reddere: ita denique pacem colere, vt reipublicae non deſint claſſes, milites, commeatus, & reliqua tuendae pacis praeſidia. Quamobrem ſicuti ciuibus omnibus, ita & mihi, hoc officium imponit pietas, vt vota pro Rege optimo concipiam, Deumque precibus flagrantiſſimis rogem, vt ſaluum praeſtet patrem patriae, religionis ac ſtudiorum ſtatorem, iuſtitiae aſylum, libertatis commercandi vindicem, ſaluam incomparabilem Reginam, ſaluum heredem paternarum virtutum, iuuentutis principem, tantisque bonis, quibus ſub auſpicatiſſimo eius imperio tot regna & prouinciae fruuntur, addat perpetuitatem!

DE

Digitized by Google

DE IVRE PRINCIPIS CIRCA CIVIVM STVDIA.

EXERCITATIO XXXI.

§. I. *Cur Minerua in Imperatorum numis vocetur* COMES AVG. §. II. *Tranſitio ad inſtitutum diſſerendi de iure principis circa ciuium ſtudia.* §. III. *Qualia ſtudia hic intelligantur.* §. IIII. *Quid obiici poſſit huic iuri principis?* §. V. *Earum obiectionum ſolutio.* §. VI. *Ius hoc principis fluit ex natura & fine ſocietatis ciuilis.* §. VII. *Idem exigunt ſingularum rerumpublicarum formae.* §. VIII. *Nec non ipſa ſtudiorum ratio.* §. VIIII. *Exempla principum, hoc iure ſuo cum laude vtentium.* §. X. *Conſiſtit illud primo in ingeniorum delectu.* §. XI. *An princeps recte prohibeat, quo minus promiſcue omnes ad litterarum ſtudia animum adpellant?* §. XII. *Abuſus huius iuris.* §. XIII. *Per quos principem hunc delectum habere deceat?* §. XIIII. *Idem deinde ius principis ſeſe exſerit circa ſcholas & academias.* §. XV. *Vindiciae huius iuris aduerſus canoniſtas.* §. XVI. *Tertio & circa reliquas ſocietates literarias hoc ius verſatur.* §. XVII. *Itemque quarto circa itinera litteraria ciuium.* §. XVIII. *Nec non quinto circa ſtipendia litteraria & praemia diligentiae.* §. XVIIII. *Sexto circa explorandos ciuium profectus.* §. XX. *Septimo circa ſocietates, ad excolendas artes mechanicas pertinentes.* §. XXI. *Octauo circa docendi diſcendique rationem praeſcribendam.* §. XXII. *Nono circa impedimenta, quae artium incrementis obſtant, remouenda.* §. XXIII. *Felicitas reipublicae, in qua iure hoc ſuo rite vtitur princeps.* §. XXIIII. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Cur Minerua in numis Imp. vocetur COMES AVG.

PRaeclare MONETARVM nomen tuentur veteres Romanorum numi, quorum tot myriades, incredibili litterarum bono, tulerunt aetatem, maximaque cura, pro eo, ac decet, in fortunatiorum gazophylaciis adſeruantur. Quemadmodum enim *moneta*, recte hoc obſeruante ISIDORO (a), *a monendo* nomen accepit, ac proinde in gloſſa PHILOXENI vocatur *μνημοσύνη*. ita de tam multis iiſque praeſtantiſſimis rebus nos admonent vetera illa Romanorum numiſmata, vt quum EZECH. SPANHEMIVS *de eorum vſu ac praeſtantia* vaſtum elaboratiſſimumque opus adornarit, is tamen omnem eorum vtilitatem adeo non exhauſerit, vt poſt tantam meſſem aliis maximum ſpicilegium reliquiſſe videatur. Rem iam vnico, eoque perelegante exemplo illuſtrare iuuat, numis puta, qui exſtant, Tetrici (b), Probi (c), Diocletiani (d) & Maximini (e), Imperatorum, in quibus conſpicitur Minerua galeata, dextra praeferens oleae ramum, ſiniſtra clypeum, humi poſitum, inuerſamque haſtam, cum epigraphe: COMES AVG. His enim admoneri videmur, non poſſe principes rectoreſque rerum publicarum carere praeſidio ſapientiae, quam iam PLVTARCHVS (f) *ἄρχοντι πάρεδρον, καὶ φύλακα ἐγκατοικιδίαν*, *comitem principis, cuſtodem ac adſeſſorem indiuiduum eſſe* oportere, prudenter obſeruauit. Quamuis vero iis temporibus tantum non omnes, qui dignitate quadam palatina fungebantur, COMITES AVGG. (g) quidam etiam eorum ob interiorem admiſſionem AMICI ET COMITES AVGG. vocarentur (h): vix tamen Imperatores, dum Mineruae id cognomen tribuerunt, has dignitates in animo habuiſſe crediderim; nec probabile videtur, principes illos ſuperſtitioſiſſimos Deam tam magnam ſibique tam venerabilem adminiſtris ſuis aequiparare, &, uti tum loquebantur (i), *comitiuae honore ac cingulo donare*

(a) Iſidor. Hiſpal. *Origin. Lat. Lingu. Lib. XV. Cap. XV.*

(b) Anſelm. Banduri *Numiſm. Imp. Tomo I. p.* 408.

(c) Laur. Beger. *Theſaur. Brandeb. Tomo II. p.* 767. Car. Patin. *in Indice Numiſm. Imp. p.* 406. Banduri *ibid. p.* 447. 460. 489.

(d) Idem *ibid. p.* 26.

(e) Idem *ibid. p.* 68. 82.

(f) Plutarch. *ad principem ineruudit. p.* 779.

(g) Barn. Briſſon. *de verb. ſignif.* voce *Comes.*

(h) Gruter. *Inſcript. p.* MC. 5. *Tomo II.*

(i) Caſſiodor. *Variar. Lib. II. Cap. XVI. l.* 6. C. *de princip. agent. in reb.*

re voluiſſe. Quare potius cogitaſſe eos arbitror de Minerua, quae adſcita Mentoris forma comitem ſe fore Telemacho, ita promittit apud HOMERVM (k):

Τοῖος γάρ τοι ἑταῖρος ἐγὼ πατρώϊός εἰμι,
Ὅς τοι νῆα στελέω, καὶ ἅμ' ἕψομαι αὐτός.
En ſocium talem, veteremque parentis amicum;
Qui tibi do nauem, ſimul & COMITABOR euntem.

Talem ſibi nimirum Mineruae comitatum exoptarunt illi principes, qualem Telemacho contigiſſe fabulatur poëta, vt, quemadmodum hic, eius Deae ope ac conſilio, omnes hoſtium inſidias, omniaque pericula feliciter effugiſſe dicitur, ita ipſi maximis periculis, quibuſcum coniuncta eſſe ſolent magna imperia, duce ſapientia, feliciter defungantur. Alios equidem Imperatores in numis ſuis HERCVLEM COMITEM AVG. (l) SOLEM COMITEM AVG. (m) & VICTORIAM COMITEM AVG. (n) celebraſſe comperio, iiſque emblematibus oſtendere eos voluiſſe conſtat, ſibi inuicto robore, ſumma prouidentia, victoriis denique ac triumphis opus eſſe ad tuendam amplificandamque rempublicam: at noſtri principes, exemplo Agamemnonis, qui ſibi decem, non Achilli, aut Vlyſſi, ſed Neſtori, ſimiles exoptabat (o), comitem ſibi adiungere malunt Mineruam, non ignari, neque Herculeum robur, neque ſplendidiſſimos triumphos, niſi comes adſit ſapientia, ſeruare poſſe rempublicam, eam vero propemodum oppreſſam, ſaepenumero non modo ſeruaſſe, ſed & in integrum reſtituiſſe principum ſapientiam. Non enim haec inermis, ſuiſque deſtituta eſt praeſidiis, ſed, ſicuti in numis noſtris Minerua altera manu oleam, altera haſtam ac clypeum praefert, ita hoc ipſum ſchema docet, ſapientiam, omnibus pacis bellique artibus munitam, & vtroque reipublicae tempore COMITEM AVGVSTORVM principum eſſe fidiſſimam. Et haec quidem etiam Stoicorum fuit ſententia, dum ſolum ſapientem regem, ſolum magiſtratui gerendo idoneum, ſolum opulentum, ſublimem, fortem, eſſe, profeſſi ſunt (p): nec aliud voluit MENANDER (q), dum dixit:

Τῷ διαθέσθαι πράγματα
Ἕκαστός ἐστι καὶ λογίσασθαι κατὰ τρόπον,

Ἄρχων;

(k) Homer. *Odyſſ. B. v.* 286.
(l) Banduri *ibid. p.* 6. 149. 155. 297. 460.
(m) Idem *ibid. p.* 164. 174. 226. 248. 258. 269.
(n) Idem *ibid. p.* 118. 311. 318. 320. 400. 401. 402. 406. 408. & 411.
(o) Homer. *Iliad. B. v.* 371.
(p) Laert. *Lib.* VII. *ſegm.* 121.
(q) Io. Stobaeus *eclog. ethic. Cap.* IIII.

Digitized by Google

Ἀρχων, στρατηγὸς, ἡγεμὼν δήμου, πάλιν
Σύμβουλος. ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ᾽ ἔχει.

Aetate in hominum nil, pater, praeſtantius
Ratione conſilioque. Nam res qui ordinat,
Viaſque agendi recte diſponit ſibi,
Princeps, & imperator, conſiliarius,
Plebiſque dux eſt. Cuncta habet, cui mens adeſt.

Id ergo monere voluerunt veteres, dum COMITEM AVG. laudarunt Mineruam: recte profecto & ſapienter, ſi pro Minerua comitem ſibi ſumſiſſent veram illam ac diuinam ſapientiam, quam ita loquentem inducit Rex ſapientiſſimus (r): *Meum eſt conſilium & ratio. Ego prudentia ſum, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant & gubernatores iuſta ſciſcunt. Per me principes imperant, illuſtreſque ſunt omnes orbis praeſides.*

§. II.

Tranſitio ad inſtitutum diſſerendi de iure principis circa ſtudia ciuium.

Qui alterum, tamquam indiuiduum comitem in contubernium adſciſcit, is procul dubio & comitis ſui comes eſt. Adeo enim mutuum eſt hoc officium, vt alter alteri ſit praeſidio, alter alterius ope, conſilio, cuſtodia, fruatur, nec vmquam vnus ab alterius latere diſcedat, & vterque vere dicere poſſit, quod ait apud EVRIPIDEM (s) Antigone:

πόμπιμον
Ἔχεις ἐμ᾽, ὥστε ναυσίπομπον αὔραν.

Comitem
Me habes, vt ſecundum ventum comitantem naues.

Quemadmodum ergo Minerua, id eſt, ſapientia indiuidua COMES AVG. eſt: ita auguſti principes ſunt indiuidui Mineruae comites, dum honeſtarum artium ſapientiaeque ſtudia defendere, ornare, & ad ἀκμὴν magis magiſque indies prouehere, pulcrum ſibi atque honorificum eſſe, arbitrantur. Hinc quod olim ad Herculis ſui officium pertinere credebat fabuloſa antiquitas, puta, vt ſit ΜΟΥΣΑΓΗΤΗΣ, & quibuſuis optimarum artium ſtudiis praeſtet patrocinium: id ad bonum principem refert EVMENIVS (t), dum ſcribit: *Aedem Herculis Muſarum in circo Flaminio Fuluius ille Nobilior ex pecunia cenſoria fecit: non id modo ſequutus, quod ipſe litteris & ſummi poetae amicitia duceretur, ſed quod in Graecia, quum eſſet imperator, acceperat, Herculem* MVSAGETEN *eſſe, id eſt,* COMITEM

(r) *Prouerb. VIII. 14. ſequ.*
(s) Euripid. *Phoeniſſ. v. 1706.*
(t) Eumen. *panegyric. pro ſchol. inſtaur. Cap. VII.*

COMITEM DVCEMQVE MVSARVM. *idemque primus nouem ſigna ex Ambracienſi oppido translata, ſub tutela fortiſſimi numinis conſecrauit; vt res eſt, quia* MVTVIS OPIBVS & PRAEMIIS *iuuari ornarique deberent, Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum.* Reliqua non addo, id monuiſſe contentus, Herculem Muſageten illi, vt ex inſequentibus patet, eſſe quemuis bonum principem, comitem ac ducem Muſarum, ſtatoremque optimarum artium, cuius ad iura ac officium vel id maxime pertinet, vt quaeuis honeſtarum artium ſtudia ſub eius cura ac patrocinio floreant, ex iiſque reſpublica fructum capiat multo vberrimum. De quo quidem IVRE PRINCIPIS CIRCA CIVIVM STVDIA dum iam diſſerere animus eſt, Deum O. M. omnis verae ſapientiae auctorem, vt id bene vertat, pia mente precor.

§. III.

Qualia ſtudia hic intelligantur?

Quum ius illud ſublime principis, quod paullo accuratius iam explicare conſtituimus, circa ciuium STVDIA ſeſe exſerat: quibuſnam de ſtudiis hic acturi ſimus, in ipſo ſtatim limine videtur exponendum. Et quidem STVDIVM generatim eſt omnis animi corporiſque exercitatio, ad habitum, in certa arte certoue vitae genere adquirendum, ſuſcepta, vel vt CICERO (r) definit, *animi adſidua & vehemens ad aliquam rem adplicata occupatio.* Vtramque eodem redire definitionem, facile patet. Quamuis enim corpori nullas ea in re partes tribuere videatur CICERO: fieri tamen non poteſt, quin adſidua & vehemens animi contentio etiam in corpore agilitatem incredibilem, motuſque fini, quem ſibi quiſque propoſuit, accommodatos producat. Vnde ipſum *ſtudii* vocabulum Latini formarunt a Graeco σπουδῆ, Graeci vero σπουδὴν ἀπὸ τοῦ σπεύδειν, id eſt, *a feſtinando* vel *properando* (s), quia omne ſtudium & mentem, & corpus, incitat, ac veluti calcaria ſubdit, vt quod quiſque concupiſcit, id eo citius celeriuſque adſequi conetur. Prout vero minus magiſue late patet illa corporis animique exercitatio: ita & ipſum ſtudii vocabulum modo ſtrictius, modo latius, accipitur. Strictiſſime iureconſulti ciuilem illam, quam ipſi excolunt, ſapientiam STVDIVM (t); & ipſos iureconſultos, etiam veteranos, & qui iam regnum aliquod foren-

(r) Cicero *de inuentione Lib. I. Cap. XXV.*

(s) Ger. Ioann. Voſſ. *Etymolog. ſub voce Spica p. 562.*

(t) *l. 1. §. 2. D. de iuſt. & iure.* Marill. *Obſeru. Lib. I. Cap. XI.*

ſe tenebant, STVDIOSOS adpellabant (u). Aliquando eo nomine veniunt omnes artes, quibus ad humanitatem ac ſapientiam inſtituimur, quaſque veteres & *litterarum* (x), nec non *diſciplinarum ſtudia* (y) vocaſſe nouimus. Et eo ſenſu poeta Venuſinus (z):

Et STVDIIS *annos ſeptem dedit.*

Nec non VELLEIVS PATERCVLVS (a): *Pacatis bellis ciuilibus, ad erudiendam liberalibus diſciplinis ſingularis indolem iuuenis, Apolloniam eum in* STVDIA *miſit.* Vbi *ſtudia* cum reliquas artes liberales, tum philoſophiam maxime, ſuo ambitu complecti, res ipſa docet. Et ſunt ſane hae artes ſingulari quodam ac praecipuo ſtudio digniſſimae, quippe quae *adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis ſolatium ac perfugium praebent; quae delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur*; (b) quae denique ſemel deguſtatae adeo animum ſui dulcedine ſuauitateque permulcent, vt nulla in re difficilius, quam in earum ſtudio, modum teneamus. Quamobrem nec mirum eſt, eam liberalium artium ἐγκυκλοπαιδείας ob eximiam dignitatem STVDIORVM nomen κατ' ἐξοχὴν tuliſſe. At praeterea latiſſima eſt vocabuli notio, quando omnia vitae genera, ad quae quis animum adpellit, STVDII vel STVDIORVM nomine veniunt. Quo ſenſu ſenex ille TERENTIANVS (c):

Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,
Vt animum ad aliquod STVDIVM *adjungant, aut equos*
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philoſophos:
Horum ille nihil egregie praeter cetera
STVDEBAT: *& tamen omnia haec mediocriter.*

Nimirum veteres, ceu recte obſeruat VOSSIVS (d), quaſdam artium ac ſcientiarum veluti claſſes conſtituerant, aliasque dixerant φαύλας, ἀνελευθέρους, βαναύσους, ἀγοραίους, id eſt *viles, illiberales, ſordidas*, ac veluti *circumforaneas*, in quem cenſum omnes fabriles ac ſellularias, quas opificia adpellamus, referebant: alias *populares*,

(u) *l. 1. D. de offic. adſeſſ. l. 9. D. de poen. l. 4. D. de extraord. cognit.* Gell. *Noct. Attic. Lib. XII. Cap. XIII.*

(x) Cicero *de haruſp. reſponſ. Cap. VIIII.*

(y) Quinctilian. *Inſtit. Orat. Lib. I. Cap. X.*

(z) Horat. *Lib. II. Epiſt. II. v. 82.*

(a) Vellei. Patercul. *Lib. II. Cap.* LVIIII.

(b) Cicero *pro Archia Cap.* VII.

(c) Terent. *Andr. Act. I. ſcen. I. v. 28.*

(d) Voſſ. *de art. & ſcient. nat. & conſtit. Lib. I. Cap. I.*

pulares, in quibus apud Graecos omnes pueri, teſte ARISTOTELE (e) exercebantur, quales erant grammatiſtice, gymnaſtice, muſice & ars pingendi: alias ἐγκυκλίους vel ἐλευθερίους, id eſt, *orbem diſciplinarum*, vel *artes liberales*, puta arithmeticam, geometriam, muſicam, aſtronomiam, grammaticam, rhetoricam & dialecticam: alias denique *ſublimiores* & veluti *principes*, quarum in numerum diſciplinas philoſophicas referebant. Ex his artium ſcientiarumque claſſibus plerumque duas poſteriores duntaxat *ſtudiorum* nomine dignas iudicabant: de prioribus inualuerat opinio, artibus illis neſcio quid ſordium haerere, easque non modo indignas ingenuorum hominum ſtudio (f), ſed & ciuibus ingenuis reipublicae ex voto optimae plane eſſe adimendas (g). Qua quidem ſententia nihil poteſt fingi abſurdius. Quum enim ipſe ARISTOTELES, (h) eodem alioquin in luto haerens, πᾶσαν τέχνην ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι, *omnem artem boni aliquid adpetere*, fateatur: cur vllam earum, quae reipublicae vtilitatem adfert, ſordidam exiſtimemus? Ideone, quod in rebus ſordidis occupantur? Quaſi in re magis ſordida verſentur mercatores, fabri, piſtores, quin cerdones & fullones, quam poëtae, id ſaepe omni ſtudio agentes, vt omnes nequitias turpiſſimosque Veneris luſus inſidioſa oratione exornent. An, quia non tam ingenio, quam manu exercentur? Quaſi ſordidum ſit omne, quod manu paratur, & non potius veriſſimum ſit illud HESIODI (i):

Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος.
Otia ſunt probrum, ſunt nulla negotia probrum.

An denique quod indignae ſunt illae artes libero homine, vel earum ſtudium minorem, quam liberales, vtilitatem adferunt? Quaſi vero indignum quid perſona ſua faciant, qui ſtudio, cui par ingenium ab ipſo bonorum omnium auctore Deo acceperunt, animum adiungere, quam artes liberales ac ſublimiores, inuita Minerua, addiſcere malunt: & quaſi facilius ac minore cum incommodo opificibus careat reſpublica, quam rhetoribus, criticis ac poetis. Quare tantum abeſt, vt tam arctis limitibus circumſcribendam putemus ſtudiorum notionem, vt eius vocabuli ambitu omnes honeſtas artes complectamur, illoſque demum aequo Ioue

 iudicare

(e) Ariſtotel. *Polit. Lib.* VIII. *Cap. III.*

(f) Cicero *de Offic. Lib.* II. *Cap. XXXXII.*

(g) Ariſtotel. *Polit. Lib.* VII. *Cap.* VIIII. & X. Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib.* II. *p.* 98. Aelian. *Var. Hiſt. Lib.* VI. *Cap.* VI.

(h) Ariſtotel. *Ethic. ad Nicom. Lib.* I. *Cap.* I.

(i) Heſiod. ἔργ. καὶ ἡμέρ. v. 309.

iudicare exiſtimemus, qui & vtiliſſimas reipublicae eſſe has artes cenſent (k), & auctores ſunt bono principi, vt non modo ſapientiae ac litterarum, ſed & vulgarium quarumuis artium, ſtudia ad curam ſuam reuocet, nihilque faciat reliqui, vt haec aeque, ac illa, a ciuibus excolantur, & ad maiorem, ſi fieri poteſt, perfectionem prouehantur.

§. IIII.

Quid obiici poſſit huic iuri principis?

Quo latius vero ius hoc principis circa ciuium ſtudia patet: eo minus dubitandum eſt, quin illi iuſto plus tribuere velle quibuſdam videamur. Primo enim ciues non eo fine coaluiſſe dicent in rempublicam, vt ſe vni paucisue in ſeruitutem addicerent, ſed vt ſub imperantium tutela ac patrocinio vera libertate tanto ſecurius fruerentur. Inde enim eſſe, quod ſummus prudentiae ciuilis auctor, ARISTOTELES (l), ciuitatem *κοινωνίαν τῶν ἐλευθέρων*, *communionem liberorum hominum* adpellare non dubitarit. Atqui nihil eſſe ſtatui herili propius, quam imperium illud, quod ſibi princeps in ciuium ſtudia adroget. Quod in Priapi ſtatuam luſit poeta (m):

Non me Praxiteles Scopaſue fecit,
Nec ſum Phidiaca manu politus:
Sed lignum rude villicus dolauit,
Et dixit mihi: Tu Priapus eſto:

idem de ſeruis dici poterat, *de quibus domini curam eſſe*, ait COLVMELLA (n), *cui quemque officio praeponere conueniat, & qualibus operis deſtinare.* Hi nimirum, audita heri voce: Tu villicus, tu vero actor, tu bubulcus, tu agaſo eſto, in ſolo obſequio ſibi relictam eſſe gloriam experiuntur. Quid vero intereſt, inquient, inter viliſſimum quodque mancipium, & ciuem, cui non relinquitur naturalis illa facultas faciendi, quod velit, artemque honeſtam, qua ſibi ſuiſque victum amictumque quaerat, ſuo arbitrio eligendi? Deinde ipſius ingenii humani eam eſſe dicent naturam ac indolem, vt nullius inter mortales imperium admittat. Nullis enim legibus parere intellectum, nullam iſtum vim metuere, quin eum ſolum, libertate inexpugnabili fretum, Manliana etiam imperia impune adſpernari. Addent, ne ardorem quidem illum, naturalemque

(k) Hertius *Elem. Polit. Part. II. ſect. II. §. XXX.*

(l) Ariſtotel. *Polit. Lib. III. Cap. IIII.*

(m) *Luſus Priap. n.* 10.

(n) Columella *de re ruſt. Lib. I. Cap.* VIII.

lemque ad artem quamdam impetum, qui in quouis ſtudio, tanquam primum, ſecundum, vltimum eſt, ab alterius iuſſu ac voluntate, ſed a cuiuſque natura & indole pendere, & hinc prudenter monere ſapientes (o):

Tu nihil inuita dices facieſue Mineruа.

Quum ergo ipſa experientia doceat, quod pridem obſeruauit SENECA (p), *male reſpondere coacta ingenia:* ecquem dubitaturum, quin cuilibet permittendum ſit, vt naturam ſequutus ducem, ei ſtudio adiungat animum, ad quod ſe naturali quadam cupiditate ſentiat inflammari? Denique erunt fortaſſis, qui male ominentur ſtudiis artibuſque, tanta ſeruitute oppreſſis: Vti enim tum demum florere artes, & quaſi lacertos mouere conſtat, quando ſalua ciuibus eſt libertas, eas ſuo arbitrio excolendi: ita periculum eſſe clamabunt, ne ius illud, quod principi vindicamus, earum flori incrementiſque laetioribus officiat, omnemque bonam artem, quod de Domitiani temporibus conqueritur TACITVS (q), *in exſilium agat.* Quae quum ita ſint, ſatius quibuſdam videbitur, libera ab omni imperio eſſe ſtudia ciuium, quam eadem a ſummo eius arbitrio ac voluntate pendere.

§. V.

Enimuero haec omnia, ſi paullo accuratius, & adhibita in conſilium ratione, expendantur, ita comparata ſunt, vt ne ſpecioſa quidem, nedum ſolida, videantur. Quod enim ad primum illud argumentum attinet, male profecto colligeres, ciues, ſi principi circa eorum ſtudia ius aliquod concedatur, ſeruitutis periculum adituros, neque ſequitur, vt, quia domini ſeruorum ſtudia regunt, ideo & ciues, quorum ſtudia princeps ad reipublicae vtilitatem dirigit, pro ſeruis ſint habendi: niſi & liberos, quorum ſtudia parentes & paedagogi moderantur, triſtem ſeruire ſeruitutem fatearis. Permultum profecto intereſt, quo quidque animo, quoue conſilio fiat. Regunt ſeruorum ſtudia domini: verum non illorum, ſed ſui cauſſa, parendumque eſt ſeruis, modo domini imperent οὐ τὸ τύχης ἀλλὰ τὸ τῆς φύσεως ἐναρμόνιον, *non quod fortunae, ſed quod naturae congruit*, vti eleganter monet PHILO (r). Regunt liberorum ſtudia parentes, at non vt ſibi, ſed vt liberis, rei nondum intelligentibus, conſulant. *Quia enim vtile eſt iuuentuti regi,*

Earum obiectionum ſolutio.

(o) Horat. *de arte poet. v. 385.*
(p) Seneca *de tranquillit. animi Cap. VI.*
(q) Tacit. *vit. Agric. Cap. II.*
(r) Philo *Lib. II. de Legib. ſpeciali libro. p. 798.*

regi, inquit SENECA (s), *impoſuimus illi quaſi domeſticos magiſtratus.* Regunt denique ciuium ſtudia principes, at reipublicae cauſſa, cuius ratio non conſtat, niſi ſinguli ciues omnes ingenii vires eius ſaluti attemperent. Deinde facile quidem largimur, non poſſe cogi intellectum humanum, vt adprehendat, quod adprehendere non poteſt, vel, quod falſum eſſe perſpicue intelligit, pro vero; quod verum eſſe nouit, pro falſo habeat: ſed quis, quaeſo, niſi MACHIAVELLVS (t) vel HOBBESIVS (u) aliquis, tale ius, ſumma cum iniuria coniunctum, principi tribuat? Enimuero quemadmodum nullum principis imperium eſt in religionem, hominiſque conſcientiam (x), & illi tamen ius circa religionem vel ſacra denegari non poteſt: ita, quamuis in ipſas artes & ſcientias nihil iuris ſit principi, idque adeo verum ſit, vt facilius hominibus, quam vlli vocabulo, ius ciuitatis dare poſſit (y): ei tamen ius aliquod circa artes merito vindicamus, quod ad iuuandas potius ornandaſque illas, quam ad ciues obtorto collo atque inuita Minerua ad certa vitae genera pertrahendos, eſt comparatum. Denique poſtremum, quod attulimus, argumentum plane eſt ἀπροσδιόνυσον. Non enim a principe huiuſmodi periculum imminet artibus ac ſcientiis, ſed a tyranno. Ille enim *vtilitatem ciuium ſic tuetur, vt, quaecumque agit, ad eam referat, oblitus commodorum ſuorum* (z): hic nihil, quod ciuibus vtile eſt, ſibi ſalubre putat.

Non vulgi cura tyranno:
Dum ſua ſit modo tuta ſalus.

Suſpectum ei eſt, quidquid eminet, ac proinde idem omnium tyrannorum eſt conſilium, ac olim Tarquinii & Periandri, qui, quid fieri vellent, ſummis papauerum capitibus baculo decuſſis, per ambages oſtendebant (a). Hinc inter eorum artes eſt, teſte ARISTOTELE (b), *μήτε παιδείαν ἐᾶν, μήτε ἄλλο μηδὲν τοιῦτον, ἀλλὰ πάντα φυλάττειν, ὅθεν γίνεσθαι δύο, φρονήματά τε καὶ πίστις, καὶ μήτε σχολὰς, μήτε ἄλλους συλλόγους ἐπιτρέπειν γίνεσθαι σχολαστικὰς, nec diſciplinam*

(s) Seneca *de Beneſic. Lib. III. Cap. XI.*

(t) Conring. *praefat. ad Machiauelli principem p. 20. ſequ.*

(u) Hobbeſ. *Leuiathan Lib. II. Cap.* XVIII. *p.* 88. *ſequ.*

(x) Grot. *de iure belli & pacis Lib. II. Cap. XX.* §. XXXXVIII. *ſequ.*

(y) Sueton. *de illuſtr. grammat. Cap. XXII.*

(z) Cic. *de offic. Lib. I. Cap. XXV.*

(a) Liu. *Lib. I. Cap. LIII.* Flor. *Lib. I. Cap.* VII. Ariſtot. *Polit. Lib. III. Cap.* VIIII. *& Lib. V. Cap. X.*

(b) Ariſtot. *ibid. Lib. V. Cap. XI.*

Digitized by Google

nam permittere, nec aliud quidquam huiuſmodi: ſed omnia cauere, vnde ſolent oriri haec duo, ſpiritus magni & fides: ac proinde neque ludos litterarios ſinere coli, neque alios conuentus, in quibus honeſto ocio homines fruuntur. Hinc ſub Domitiano ſimilibuſque principibus Roma vidit expelli ſapientiae profeſſores (c), inertiam coli pro ſapientia (d), nec minus periculi ex magna, quam ex mala, fama eſſe (e). Quae omnia non eſt, quod a bono principe metuamus, qui ſatis intelligit, ſe tanto florentiorem habiturum rempublicam, quanto laetius in ea ſapientia, virtus, omneſque bonae artes efflorescant.

§. VI.

Ius hoc principis fluit ex natura & fine ſocietatis ciuilis.

Quum ergo tam leuicula ſint, quae huic principum iuri obuerti poſſe videntur: facile vnuſquiſque intelliget, fundamentis illud niti firmiſſimis, quorum praecipua tantum hic conſectari iuuabit. Primo itaque ciuitatem in ſocietate, ſocietatem in plurium hominum in eumdem finem, eademque media conſenſu conſiſtere, inter omnes conſtat (f): idque adeo extra omnem dubitationis aleam poſitum ſemper viſum eſt, vt ideo rempublicam *eadem velle, eademque nolle* dixerint (g), eamque tamquam vnam aliquam perſonam conceperint animo, quia *in quibus eadem ſtudia ſunt, eaedemque voluntates, in his fit, vt aeque quis altero delectetur, ac ſeipſo, efficiaturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, vt* VNVS *fiat* EX PLVRIBVS (h). Quum vero inter contraria hominum ſtudia ſperandum non ſit, vt tot myriades veluti per conſpirationem vnum idemque velint ac nolint: id vnum ſane relinquitur, vt ciues voluntates ſuas voluntati ſummi imperantis ſubmittant, in quo & officium bonorum ciuium poſitum eſſe, recte obſeruauit EPICTETVS (i). Quare princeps idem reipublicae praeſtat, quod mens corpori. Quemadmodum enim illa non modo totum corpus, ſed & omnia eius membra mouet ac regit, vt, quod toti vere proſit, peragant, nec ſaluum eſſet totum corpus, niſi membra ſingula mentis imperio parerent: ita principis eſt, ciues, tamquam

(c) Tacit. *Agric.* Cap. II. Gell. *Noct. Attic. Lib. V. Cap. XI.*

(d) Tacit. *Agric.* Cap. VI.

(e) Idem *Annal. Lib. III. Cap.* LV. & *Lib.* XVI. *Cap.* VII.

(f) Dn. Praeſ. *Elem. iur. nat. & gent. Lib. II.* §. *XIIII.*

(g) Apulei. *de habit. Doctr. Platon. Lib. II. p.* 25.

(h) Cic. *de offic. Lib. I. Cap.* XVII. & *Catilin. IIII. Cap.* VII.

(i) Arrian. *Diſſert. Epictet. Lib. I. Cap. XII.*

quam magni corporis membra ac artus, ita regere, vt quiſque eas partes reipublicae, quae eius ingenio viribuſque conueniunt, cum laude agat. Opus reipublicae eſt milite eiuſque ducibus, opus eſt viris rerum ciuilium gnaris, qui ſint in principis conſilio, opus iuris peritis, qui vice ſacra iudicent, viris prudentibus qui aerario ea, qua par eſt, integritate praeſint, qui ſanctiſſimo legatorum munere apud exteros fungantur, qui ſacra faciant, docendique munere fungantur. Nec minus reſpublica indiget mercatoribus, artificibus, opificibus, nautis, agricolis, qui diuerſiſſimorum ſtatuum homines tamquam totidem magni iſtius corporis membra conſiderandi ſunt. Quum ergo princeps vniuerſum corpus regat: ad eius quoque officium pertinebit, curare, vt ſingula membra ſuis officiis recte fungantur, adeoque operam dare, vt & ſtudia quarumlibet artium floreant in republica, & ciuium quiſque illud excolat vitae genus, in quo vere prodeſſe poſſit reipublicae. Quin tantum abeſt, vt hanc curam abiicere debeat bonus princeps, vt, niſi hic admodum ſit oculatus, facile ſummum periculum reipublicae immineat. Quum enim Athenas nauarchorum peſſumdederit imperitia (k), Romae inſcitia remeritaſque legatorum paene exitio fuerit (l), Hebraeorum denique rempublicam florentiſſimam euerterit conſiliariorum imperitia (m): quis neget, idem & hodie euenire poſſe, niſi princeps det operam vt & ciuium in omni ſtudiorum genere praeſtantiſſimorum ſit copia, & quisque iis reipublicae partibus, ad quas a natura factus ſummaque arte perpolitus eſt, fungatur?

§. VII.

Idem exigunt ſingularum rerumpublicarum formae.

Praeterea id ius, eamque curam reipublicae rectorum ipſas rerumpublicarum formas diuerſiſſimas exigere, iam pridem obſeruauit ſummus prudentiae ciuilis auctor, ARISTOTELES (o). Quum enim non vna eademque omnibus gentibus placeat imperii ratio, ſed aliae principatum, aliae optimatium imperium, aliae populare regimen reliquis rerumpublicarum formis anteferendum eſſe, cenſeant, plerisque genus reipublicae vel ex duabus, vel ex omnibus ciuitatum formis conflatum, quod veteres omnium optimum praeſtantiſſimumque habuerunt (p), adrideat: per multum ſane

(k) Xenoph. *Hiſtor. Graec. Lib. II. Cap. I.* §. XVI.

(l) Liu. *Lib. V. Cap.* XXXVI.

(m) 1. *Reg. XII.* 8. *ſequ.*

(o) Ariſtot. *Polit. Lib.* VIII. *Cap. I.*

(p) Polyb. *Hiſt. Lib. I. Cap. I. p.* 628. & *Cap.* VIII. *p.*638. Dionyſ. Halic. *Antiqu. Rom. Lib. II. p.* 82. Diog. Laert. *Lib.* VII. *ſegm.* 131.

ſane intereſt, cuinam ex his formis accommodatius videatur populi cuiusdam ingenium. Sunt ſane, qui ne regibus quidem, niſi ex libidine, parent (q): alios ad herum recipiendum natura factos, dixeris: alios ad regnum, alios ad optimatium imperium procliuiores, alios aequalitatis amantiſſimos eſſe, Graecorum barbarorumque exemplis oſtendit ARISTOTELES (r). Quaecumque vero reipublicae forma ſemel placuerit: nihil prius, nihilque antiquius habere debent ciuitatum rectores, quam vt ciues adſuefiant illi formae, atque ita inſtituantur, vt eam non modo aequo animo ferant, ſed & ament, ac non minus, quam ſeipſos, ſaluam eſſe cupiant. Δεῖ γὰρ, inquit philoſophus (s), πρὸς ἑκάστην πολιτεύεσθαι. Τὸ γὰρ ἦθος τῆς πολιτείας ἑκάστης τὸ οἰκεῖον, καὶ φυλάττειν εἴωθε τὴν πολιτείαν, καὶ καθίστησιν ἐξ ἀρχῆς. οἷον τὸ μὲν δημοκρατικὸν δημοκρατίαν, τὸ δὲ ὀλιγαρχικὸν ὀλιγαρχίαν. ἀεὶ δὲ τὸ βέλτιστον ἦθος βελτίονος αἴτιον πολιτείας. *Oportet enim apte ad ſingulos verſari in republica. Indoles namque cuiusque reipublicae ſua ac propria, & tueri ſingulas ſolet, & initio conſtituere, veluti popularis indoles popularem, oligarchica oligarchiam. Semper autem optima indoles & mos cauſſa eſt melioris reipublicae.* Hinc maxime porro intereſſe oſtendit legislatoris, vt curam adhibeat puerorum inſtitutioni, & diſciplinam publicam eamdem ac vniformem ciuibus omnibus praeſcribat: eoque nomine laudat Lacedaemonios καὶ πλείστην ποιοῦντας σπουδὴν περὶ τοὺς παῖδας, καὶ κοινῇ ταύτην, *plurimum ſtudii impendentes pueris, & id quidem publice*, qua in re & XENOPHONTEM (t), & PLVTARCHVM (u) habet conſentientes. Hactenus ARISTOTELES, cuius praeceptis nihil poteſt eſſe ſapientius, nihil ſalutarius. Niſi enim ita inſtituantur ciues, vt ament reipublicae ſuae ſtatum, ad eiusque conſeruationem felicitatemque omnia referant: alterutrum euenire neceſſe eſt, vt aut ciuitatem ſibi exoſam, ſi poſſint, deſerant, aut rebus nouis ſtudeant, omnemque praeſentem ſtatum euertendi occaſionem ſpeculentur. Obſeruauit ſane HERM. CONRINGIVS (x), patrum noſtrorum memoria Cretenſes, non ob aliam cauſſam, quam quod non adſueti eſſent regimini oligarchico, & iuuenum quorumdam patriciorum iniuriis laceſſerentur, clam ſollicitaſſe Turcarum auxilia, eaque induxiſſe in inſulam, easque fuiſſe primas veluti ſcintil-

(q) Tacit. *Annal. Lib. IIII. Cap. XXXXVI.*

(r) Ariſtot. *ib. Lib. III. Cap. XII.*

(s) *Id. ibid. Lib. VIII. Cap. I.*

(t) Xenophon *de republ. Lacedaem. Cap. I.*

(u) Plutarch. *in Lycurgo p. 50. ſequ.*

(x) Herm. Conring. *de morb. & mutat. oligarch.* §. *XX.*

ſcintillas ex quibus exarſerit ferale iſtud bellum Creticum, quod vnum maxime poſt hominum memoriam vires florentiſſimae Venetorum reipublicae attriuerit. Nec cuiquam ignotum eſt, quid Belgas, mitiſſimi ingenii homines, principumque ſuorum olim amantiſſimos, contra Hiſpanos armarit. Non prius enim in neruum rem erupiſſe nouimus, quam quum moderato adſueti imperio pro mancipiis tractari coepiſſent. Quod ſane ipſum Carolum V. Imp. ceciniſſe vt vatem, memoriae prodidit GROTIVS (y), *ſaepe quippe teſtatum, ſi Hiſpanorum ſuperbia cum Belgarum patientia committatur, ingens imminere periculum*: quin aliquando *inuectum eum in filium qui inter Hiſpanos nutrita indole, opportunitates earum regionum*, INGENIAQVE POPVLORVM *non perinde noſſet, aut etiam contemneret.* Vt paucis complectamur omnia, neque ſeruitutem, neque libertatem, neque laxum, neque adductius imperium aequo animo ferent ciues, niſi ab ipſis incunabulis iis doctrinis ac opinionibus imbuantur, quae cuiusuis reipublicae ſtatui conueniant, nec ſalua eſſe poteſt vlla ciuitas, niſi rem tanti momenti ad curam ſuam reuocent ii, quos reipublicae praeeſſe voluit diuini Numinis prouidentia.

§. VIII.

Nec non ipſa ſtudiorum ratio.

Accedit, quod ſine ea principis cura vix in vlla arte ac ſcientia operae pretium facturi eſſent ciues, quantumuis ingenioſiſſimi cupidiſſimique diſcendi. Pauciſſimi mortalium tam felice ac prope diuino ingenio praediti ſunt, vt viam, qua ad ſummum in aliqua arte faſtigium itur, ipſi inueniant: pauciſſimi, qui inuentam, nullo adhibito duce, conficere poſſint. Accedere oportet veluti polituram, a ſola inſtitutione dextra ac prudente expectandam. Hinc CICERO (z): *Ego*, inquit, *multos homines excellenti animo ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturae ipſius habitu prope diuino, per ſeipſos & moderatos & graues exſtitiſſe, fateor. Etiam illud adiungo, ſaepius ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam. Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam, atque illuſtrem acceſſerit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud neſcio quid praeclarum & ſingulare ſolere exiſtere.* Nimirum permulta requiruntur, vt quaeuis honeſta ſtudia in republica floreant, magiſtri artium omnis generis optimi, ſcholae bene ac prudenter conſtitutae, libri, bibliothecae, inſtrumentorum, aliarumque neceſſariarum rerum adparatus,

(y) Grot. *Annal. Belg. Lib. I, p.* 6. (z) Cicero *pro Archia Cap.* VII.

paratus, quin & occaſio, ea, quae quisque didicit, exercendi. Haec vero maximam partem ita comparata ſunt, vt iis adquirendis non ſufficiat priuatorum fortuna: quaedam ſine principis auctoritate non adeo magnam vtilitatem adlatura videntur reipublicae. Principis ergo eſt, praeſtantiſſimos omnium ſcientiarum doctores ac artifices inuitare, eosque ſtipendiis, praemiis, legibus inflammare ad diligentiam, ſcholas, gymnaſia, academias condere, easque legibus ac priuilegiis ornare, id enim ius principi, veluti praecipuum, vindicant iuris publici auctores illi quoque, qui magiſtratibus etiam inferioribus ſcholarum curam non adimunt: (a) bibliothecas, muſea, gazophylacia magnificis ſumtibus inſtituere, theatra anatomica, ſimilesque palaeſtras, tamquam campum ampliſſimum, in quo iuuenum induſtria excurrat, aperire, & quae ſunt huius generis alia. Fuit ſane haec praeclara illa via, quam ſimul litteris ad perfectionem, ſimul ſibi ipſis ad immortalem gloriam muniuerunt principes optimi, Alexander M. (b), Veſpaſianus (c), Antonini (d), Alexander Seuerus (e), Conſtantius Chlorus (f) qui adeo nullis pepercerunt ſumtibus, quibus ad prouehenda quaelibet honeſtarum artium ſtudia opus eſſe videbatur, vt paene profuſi magis, quam munifici, viſi ſint poſteris, eo nimirum ſaeculo natis, quo ſaepenumero plus impenſarum fit in equos canesque, quam in viros doctiſſimos alendos (g). Quo animo ſi & olim fuiſſent principes: actum procul dubio eſſet de litteris, praeclarisque artibus, omniaque iam pridem vna veluti ruina inuoluiſſet barbaries.

§. VIIII.

Exempla principum hoc iure ſuo cum laude vtentium.

Et eo quidem iure circa bonarum artium ſtudia iam pridem maximo reip. bono vſi ſunt principes, tum barbari, tum Graeci: & illi quidem tanto diligentius, quanto minus in eorum imperiis aliqua erat priuatim in artibus proficiendi occaſio. Fuit ſane hoc

 Regum

(a) Cothmann. *Reſp. acad. I. n.* 8. Limn. *Iur. publ. Lib.* VIII. *Cap. I. n.* XXXI. *ſequ.* XXXVI. Ziegler. *de iur. maieſt. Lib. I. Cap. XXIIII. §. IIII.* Matth. Steph. *Diſc. acad.* VIII. *n.* XV.

(b) Plin. *Hiſt. Nat. Lib.* VIII. *Cap.* XVI.

(c) Sueton. *Veſpaſ. Cap.* XVIII.

(d) Iul. Capitolin. *Vit. Antonini Pii Cap. XI.* Tatian. *orat. contra Graecos p.* 157. Philoſtr. *vit. Sophiſt. Lib. II. Cap. II. p.* 566.

(e) Lamprid. *Alex. Seu. Capite XXXXIIII.*

(f) Eumen. *Orat. pro Schol. inſtaur. Cap. XI.*

(g) Creſoll. *Theatr. rhetor. Lib.* IIII. *Cap.* III. Salmaſ. *ad Script. Hiſt. Auguſt. p.* 72.

Regum Babyloniae inſtitutum, in ipſis ſacris litteris deſcriptum, vt, habito ingeniorum formaeque externae delectu, adoleſcentes eximiae indolis in palatio ſuo omnibus artibus, quas illi praeſtantiſſimas iudicabant, imbuendos curarent, quod ſeminarium palatinum luculenter deſcribit DANIEL, propheta, ipſe in illo cum ſociis quibusdam ac contribulibus ſub Aſpenatis eunuchi diſciplina educatus (h). Eumdem morem poſtea imitati ſunt Perſae, apud quos, teſte XENOPHONTE (i), optimatium liberi non modo in vrbe regia, ſed ἐν ταῖς βασιλέως θύραις, *in ipſa porta regis*, (quo vocabulo olim Perſae aeque, ac hodie Turcae, palatium regium denotabant (k), immo & in prouinciis intra ſatraparum aulas (l) ad artes quasuis honeſtas inſtituebantur. Quem morem mirifice laudans XENOPHON (m): ἔνθα, inquit, πολλὴν μὲν σωφροσύνην καταμάθοι ἄν τις, αἰσχρὸν δ' οὐδὲν, οὔτε ἀκοῦσαι, οὔτ' ἰδεῖν ἐστί. Θεῶνται δ' οἱ παῖδες καὶ τοὺς τιμωμένους ὑπὸ βασιλέως, καὶ ἀκούουσι καὶ ἄλλους ἀτιμαζομένους ὡς εὐθὺς παῖδες ὄντες μανθάνουσιν ἄρχειν τε καὶ ἄρχεσθαι. *Hic magnam continentiam animaduertere licet, nec quidquam iſtic turpe vel audire, vel videre. Quin etiam ſpectant pueri cum eos, qui a Rege ornantur, tum alios, qui notantur ignominia, quo fit, vt mox a prima pueritia parendi imperandique leges addiſcant.* Quid? quod & hodie diligentiſſima eius moris maneat cuſtodia apud Turcas, apud quos vix vllum praeſtantius inſtitutum reperias, quam quod ex omnibus pueris, (quos quidem iniquiſſima lege parentibus decimarum nomine extorquent,) praeſtantiſſima quaeuis ingenia in ſeminario palatino alunt, bellique ac pacis artibus ita inſtituendos curant, vt in tanta gentis barbarie poſtea ſummis in republica muneribus cum laude eximia fungantur (n). Quam inhumanae gentis prudentiam adeo admiratur vir morum Turcicarum non minus, quam rerum ciuilium, peritiſſimus, AVGER. GISLEN. BVSBEQVIVS (o), vt ad tam accuratae diſciplinae exempla erubeſcendum eſſe Chriſtianis, exiſtimet. *Habent hoc omnino*, inquit, *Turcae*, *vt hominem nacti egregium, tamquam adepti rem pretioſam, vehementer gaudeant, neque in eo excolendo quidquam laboris aut ſtudii praetermittant, praeſertim*,

(h) *Daniel* I. 3.

(i) Xenoph. *Expedit. Cyri Lib. I.* Cap. VIIII. p. 61.

(k) Henr. Stephan. *ad Xenoph.* p. 13.

(l) Xenoph. *Cyropaed. Lib.* VIII. *Cap.* VI. §. V. p. 534. Barnab. Briſſon. *de regno Perſ. Lib.* II. §. CII.

(m) Xenoph. *de Expedit. Cyri Lib.* I. p. 61.

(n) Leunclau. *Pandect. Turcic. Cap.* CCXXVIII. p. 223. Ricaut *dans l'etat préſent de l'Empire Ottoman.*

(o) Busbequ. *Conſil. de re militari contra Turcas recte inſtituenda* p. 530.

ſertim, ſi ad rem militarem idoneum eſſe cognouerint. Noſtra longe diuerſa eſt ratio. Nam nos quidem, ſi bonum canem, accipitrem, aut equum ſumus nacti, valde laetamur, neque vlli rei parcimus, dum illum ad ſummam in ſuo genere perfectionem perducamus. In homine vero, ſi quem praeclara indole nanciſci contigerit, non perinde elaboramus, neque eius inſtitutionem ad nos magnopere pertinere, exiſtimamus: ac nos quidem ex equo, cane, atque accipitre, belle adſuefactis, varias oblectationes, multiplicemque vſum capimus. Sed Turcae ex homine, bonis moribus informato tanto maiorem, quanto reliquis animantibus natura hominis praeſtantior eſt atque excellentior. Ne vero ſolis barbaris curae fuiſſe exiſtimemus ciuium ſuorum ſtudia, idem inſtitutum & Macedones ab ipſa regni origine tenuerunt. Nam & horum Reges clariſſimorum Macedonum liberos recepiſſe in familiam legimus, ἔτι πῶ ἐνυβρίζοντες αὐτοῖς, οὐδὲ διαπτιλίζοντες, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐναντίων καρτερικοὺς αὐτοὺς ἐκποιοῦντες, καὶ ἑτοίμους πρὸς τὸ τὰ δέοντα πράττειν ἀποφαίνοντες. *non per iniuriam aut contemtum, ſed vt patientes eos laborum, & ad ea, quae fieri opus eſt, peragenda promtos ac paratos redderent*, vti loquitur AELIANVS (p), in eo tamen falſus, quod ſolius Philippi Regis hoc inſtitutum fuiſſe crediderit, quum id commune omnibus Macedonum regibus fuiſſe, obſeruarint ARRIANVS (q), VALERIVS MAXIMVS (r), & CVRTIVS (s), qui in ſcholae iſtius palatinae laudes excurrens: *Haec cohors*, inquit, *ſeminarium ducum praefectorumque apud Macedonas fuit. hinc habuere poſteri reges, quorum ſtirpi poſt multas aetates Romani opes ademerunt.* Addimus his veteres Francorum reges, qui & ipſi liberorum optimatium, rarae indolis, formaeque ac ingenii excellentioris, curam in palatio ſuo gerebant, eosque omnibus pacis bellique artibus probe exultos, muneribus ac dignitatibus, quibus pares ac idonei videbantur, admouebant. Horum iuuenum mentionem paſſim faciunt ſcriptores Francici, apud quos *aulicorum palatinorum*, *puerorum aulicorum* (t), itemque *ſcholaſticorum* (u) nomine veniunt, quales Patroclum Mumioni (x), Arnulfum (y) & Chrodogangum

 Meten-

(p) Aelian. *Var. Hiſtor. Lib.* XIIII. *Cap.* XXXXVIIII.

(q) Arrian. *Expedit. Alexandri M. Lib.* IIII. *Cap.* XIII. *p.* 169.

(r) Valer. Max. *Lib.* III. *Cap.* III.

(s) Curt. *Lib.* VIII. *Cap.* VI. *&* VIII.

(t) Hadr. Valeſ. *rer. Francic. Lib. XV. ad ann. DLXXXXI.*

(u) *Monach. S. Gallenſ. in vita Caroli M. Lib. I. Cap. XII.*

(x) Valeſ. *ibid. Lib.* VIIII. *ad ann. DLXV.*

(y) *Vita S. Arnulphi Metenſ. Epiſc. apud* Mabillon. *Act. Sanct. ord. Bened. Saec.* II. *p.* 150.

(z), Metenſium Epiſcopos, fuiſſe nouimus. De quo ſeminario Regum Francorum HADR. VALESIVS (a): *Itaque e palatio*, inquit, *tamquam e ludo, plurimi Abbates & Epiſcopi, ſanctitate vitae eminentes, comites ſtabuli, theſaurarii, referendarii, comites palatii, praepoſiti pocillatorum, conſiliarii, comites, duces, patriciique exierunt. Nec aliunde ferme, quam ex puerorum regia cohorte deligebantur, qui poſt data virtutis & fidei experimenta ad magna & honorata miniſteria ſublimesque dignitates proueherentur.* Et hae ſunt illae gentes, quae ſi a Romanis diſceſſeris maxima ſibi imperia armis quaeſiuerunt, easque his artibus diutiſſime rexerunt feliciter, vt mireris, in Germania & Francia vix aliud priſci iſtius moris exſtare veſtigium, quam contubernium illud puerorum nobilium, quos *pagen* vocant, quamuis hos vtplurimum ad aulicas potius vanitates, & equitandi, digladiandi, ſaltandi ſollertiam, quam ad pacis bellique artes inſtitui, animaduertamus.

§. X.

Conſiſtit hoc ius primum in ingeniorum delectu.

Sed vt iam ad ipſam rem accedamus paullo propius, merito quaeritur, quibusnam in rebus ius illud principum circa ciuium ſtudia poſitum eſſe exiſtimemus? Hic vero primum ponimus, iura principum, quae & *iura maieſtatis* vocantur, fine reipublicae eſſe metienda (b). Hic finis non alius eſt, quam interna externaque ſecuritas, in qua vtraque conſiſtit ſalus illa publica, quam *ſupremam* rectoribus rerumpublicarum *legem eſſe* oportere, ipſa recta ratio praecipit (c). Ex quo conſequitur, vt principi ea omnia liceant circa ciuium ſtudia, quae exigit ſalus publica, cuius illi cuſtodiam ciues in prima ciuitatis conſtitutione communi conſenſu ac ſuffragio detulerunt. Vnde recte AGAPETVS (d): ὥσπερ ὀφθαλμὸς ἐμπέφυκε σώματι, οὕτω βασιλεὺς τῷ κόσμῳ ἐνήρμοσται, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δεδομένος εἰς συνεργίαν τῶν συμφερόντων. Χρὴ οὖν αὐτὸν ὡς οἰκείων μελῶν, οὕτω πάντων ἀνθρώπων προνοεῖν, ἵνα προκόπτωσιν ἐν καλοῖς, καὶ μὴ προσκόπτωσιν ἐν κακοῖς. *Sicut oculus corpori inſitus eſt, ita rex adaptatus eſt orbi, a Deo nempe datus ad eorum, quae publice proſunt, adminiſtrationem. Oportet ergo eum omnibus hominibus, vt ſuis ipſius membris, proſpicere, vt in bonis proficiant, in mala autem non impingant.* Inde ergo primo omnium fluit IVS, DE-

LECTVM

(z) Paul. Langob. *geſt. Epiſc. Metenſ. apud* Calmet. *in Probat. Hiſt. excelſ. & ciuil. Lotharing. Tomo* I. *p.* 59.

(a) Hadr. Valeſ. *ad ann.* DLXXXXI.

(b) Dn. Praeſ. *Elem. iur. nat. & gent. Lib. II. §. CXXXV. ſequ.*

(c) Cicero *de Legib. Lib. II. Cap. III.*

(d) Agapet. *Diac. de officio Regis* §. *XXXXVI. p.* 37.

LECTVM INGENIORVM habendi, quod in eo conſiſtit, vt non patiatur promiſcue omnes, ad ſtudia quaeuis adpellere animum, ſed explorata cuiusuis indole, quibus artibus aptiſſimus quisque videtur, in eas illum totum incumbere iubeat. Experientia ſane docet, vix alia in re periculoſius peccare homines, quam in certo vitae genere ſibi deligendo, nec vllam deliberationem, quam ea de re ſuſcipi ſolere frigidius. Veteres quosdam, veluti Sophroniſcum, Socratis patrem (e), Ariſtotelem item (f) & Zenonem, (g) oraculum conſuluiſſe legimus, quodnam vitae inſtitutum vel filiis eligerent, vel ipſi ſequerentur. Nec ignotum eſt, quid de Hercule ex Prodico retulerit XENOPHON (h), eum quum primum pubeſceret, quod tempus a natura ad deligendum, quam quiſque viam viuendi ſit ingreſſurus, datum eſt, exiſſe in ſolitudinem, atque ibi ſedentem diu ſecum multumque dubitaſſe, quum duas cerneret vias, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi melius eſſet donec incredibili virtutis pulcritudine captus, viam, difficiliorem quidem ac ſalebroſam, at exitu laetiſſimam ingredi conſtituerit. Iam equidem vanam priorem iſtam conſultationem, poſteriorem fabuloſam fuiſſe, non nego. At recte tamen intellexiſſe videntur, qui id memoriae prodiderunt, nullam eſſe rem matura deliberatione digniorem, quam, quae de futuro totius vitae inſtituto ſuſcipitur, conſultatio. Hic potiſſimum Deum O. M. prudentiores amicos, ipſamque rectam rationem, adhibendos eſſe in conſilium: hic explorandas corporis animique vires: hic omnes *περιστάσεις* accuratiſſime expendendas, vt quis certo ſtatuere poſſit, ad quodnam vitae genus quam maxime futurus ſit idoneus: hic denique in memoriam reuocandum PERSII praeceptum (i):

Quem te Deus eſſe
Iuſſit, & humana qua parte locatus es in re,
Diſce.

Sed nulla in re negligentiores ac ſtolidiores ſunt homines, quam in re tanti momenti. Et liberis quidem quodammodo ignoſcendum videtur, qui *ineunte adoleſcentia, quum eſt maxima imbecillitas conſilii, dum id ſibi quiſque genus aetatis degendae conſtituit, quod maxime adamauit, ante implicantur aliquo certe genere curſuque viuendi quam potuerint, quod optimum eſſet, iudicare* (k). At quis ignoſcen-

(e) Plutarch. *de genio Socrat.* p. 588.
(f) Ammon. *in vita Ariſtot.* p. 4.
(g) Diogen. Laert. *Lib.* VII. *ſegm.* 2.
(h) Xenoph. *Memorab. Socrat.* Lib. *II. Cap. I. §. XXI. ſequ.* Cic. *de offic.* Lib. I. *Cap. XXXII.*
(i) Perſ. *Satyra III. v.* 71.
(k) Cicero *de offic.* Lib. I. *Cap. XXXII.*

ignoſcendum putet parentibus, qui tantam rem tam perfunctorie tractant? Hi filiorum vnum, ad ſtiuam natura factum, ſtudio theologiae; alium, cui vinum, quam oleum, conſumere pulcrius videtur, iurisprudentiae vel medicinae; alium, ad perpetranda quaeuis flagitia, quam ferendum hoſtium conſpectum, fortiorem militiae conſecrant, alium ad optimarum artium ſtudia maxime idoneum tabernae cuidam, vel arti ſellulariae, tamquam noxae dedunt. Atque ita fit, vt magna ſaepe ingenia latitent, & ſalſamentis vendundis vitam miſerrimam aegre tolerent ii, qui rempublicam, ſi litterarum ſtudiis operam dediſſent, cum laude capeſſere potuiſſent: alii obtentu ſtudiorum, quae tamen, vti canes ad Nilum, fugiendo pitiſſandoque tantum deguſtarunt, ſummis in republica muneribus, quibus plane ſunt impares, cum dedecore publico praeficiantur. Iam quis neget, id omne ad rempublicam pertinere? Conqueſtus olim eſt COLVMELLA, (l) Romanos ſua aetate rem *ruſticam peſſimo cuique ſeruorum, velut carnifici, noxae dediſſe, quam maiorum optimus quiſque tractaris*: atque inde eueniſſe ait, vt ſolum, quantumuis vbertate prioris aeui non defatigatum ac effoetum, priſtina tamen benignitate alimenta non praebeat mortalibus. Et ſane, ſi peſſime ſe habet res familiaris, quando pecoribus ſcriba vel anagnoſtes, agriculturae mediaſtinus, culinae bubulcus, theſauris ſeruulus trifurcifer, cellae vinariae anicula, iride bibacior, praeficitur: quanto magis periclitari dixeris rempublicam, quae ineptiſſimo cuique homini veluti noxae deditur? in qua imbelles ducunt exercitus, iurisprudentiae expertes de capite ac fortunis aliorum ius dicunt, & qui ſibi ſemitam non ſapiunt, aliis monſtrant viam? *Vnum hominem pluris plerumque, quam ciuitatem, eſſe*, Epaminondae exemplo demonſtrarunt CORNELIVS NEPOS (m) & POLYBIVS (n), quorum hic idem & de Athenienſibus obſeruat, tamdiu eos potentia & opibus eximie floruiſſe, quamdiu Themiſtoclis virtute ſuſtentati ſint, mox propter mores inſequentium ciuium diſſimiles contrariam fortunam expertos (o). Denique & de Romanis auctor eſt SALLVSTIVS, (p) *paucorum ciuium egregiam virtutem cuncta patrauiſſe, eoque factum eſſe, vt diuitias paupertas, multitudinem paucitas ſuperaret: ſed poſtquam luxu ac deſidia ciuitas corrupta ſit, rurſus rempublicam magnitu-*

(l) Columella *de re ruſtica Lib.* I. *praefat. comm.* 3.

(m) Cornel. Nepot. *Epaminond. Cap.* X.

(n) Polyb. *Lib.* VI. *Cap.* XXXXI.

(o) Idem *ibid. Cap.* XXXXII.

(p) Salluſt. *Catilin. Cap.* LIII.

magnitudine ſua imperatorum ac magiſtratuum vitia ſuſtentaſſe. Quum ergo & floreat respublica, & obſoleſcat, prout omnes eius partes viri vel ſapientes ac virtutibus ornati, vel imprudentes & vitiis omnibus obruti, ſuſcipiunt, immo ſaepe in vno eximiae virtutis ac ſapientiae viro vniuerſae reipublicae ſalus poſita ſit (q): quis quaeſo dubitet, quin ius ſit principi, ingenia praeſtantiora ſeligere, eaque ita perpolienda curare, vt aliquando reipublicae in partibus illis credendis vtilem ac fructuoſam operam nauare poſſint ?

§. XI.

An princeps prohibere poſſit, quo minus omnes promiſcue animum ad litterarum ſtudia adpellant?

At paullo immitius cum ciuibus agere videbitur princeps, qui hoc iure ſuo vtitur. Fieri enim non poteſt, quin quosdam, qui incredibili diſcendi cupiditate flagrant, a Muſarum ſacris, tamquam profanos, arceat, eosque ad vulgares artes, quaſi ad operas publicas, condemnet. Atqui hoc ignominioſum plerisque videbitur, notumque eſt, hanc contumeliam Cylonem Crotonienſem, repulſam a Pythagora paſſum, in tantam egiſſe rabiem, vt dolori ſuo Pythagora eiusque ſchola funditus deletis parentaret (r). Deinde ipſae artes elegantiores multis ideo liberalium nomine venire videntur, quod vnicuique ad eas liberum patere acceſſum oporteat. Quid ergo, ſi civibus libertas iſta adimitur ? Nonne idem continget quod de infauſtis Neronis temporibus conqueritur PLINIVS (s) : *Peſſum iere vitae pretia, omnesque a maximo bono liberales dictae artes in contrarium cecidere, ac ſeruitute ſola profici coeptum* ? Enimuero & his plus ſpeciei, quam ſoliditatis ineſt. Nemo enim, qui ſapit, auctor fuerit principi, vt quemquam cum ignominia a ſtudiorum cultura repellat, ſed vt, tamquam pater, iis quemque artibus, ad quas natus eſt, animum adiicere iubeat, quo ipſo non magis quemquam adficit iniuria, quam pater, qui filium obtuſioris ingenii a ſtudiis arcet. Si male res ceſſit Pythagorae, id non mirum eſt, primum quod hoc auſus eſt priuatus, deinde in aliena republica, tum porro aduerſus Cylonem, ἄνδρα γένει μὲν καὶ δόξῃ καὶ πλούτῳ πρωτεύοντα τῶν πολιτῶν, ἄλλως δὲ χαλεπὸν καὶ βίαιον, καὶ τυραννικὸν τὸ ἦθος, *genere, ſplendore, diuitiis Crotoniatarum facile principem, cetera hominem durum,*

(q) Seneca *de benef. Lib. V. Cap.* XVIII. *de conſtant. ſap. Cap. II.* Iuſtin. *Hiſt. Lib. V. Cap. IIII.* Liv. *Lib. II. Cap. X. Lib. XXIIII. Cap. XXXXIIII. Lib.* XXVIII. *Cap. XXXXIII.* Phaedr. *Lib.* IIII. *fab. XXXXIII.*

(r) Iamblich. *vit. Pythag. ſegm.* 248. Porphyr. *vit. Pyth. Cap.* LIIII. *p.* 49. *ſequ.*

(s) Plin. *Hiſt. Nat. Lib. XIIII.*

durum, violentum, ſeditioſum, tyrannicoque ingenio praeditum (t); immo Συβαριτῶν ἔξαρχον, *principem Sybaritarum* (u). Quae vero maior eſſe potuiſſet ludimagiſtri, peregre aduenientis, audacia, quam dum hominem ciuitatis ſuae principem, morum obtentu, veluti abſtentum reddere non dubitauit? Vt iam non dicam, odii iſtius quo Cylonem proſequutus eſt Pythagoras plane aliam fuiſſe cauſſam, adfectationem nimirum tyrannidis, quae quum in hoc non minor, quam in illo, eſſet, huic demum exitio fuit, teſtibus LAERTIO (x) & APOLLONIO (y). Itaque diuerſa plane eſt cauſſa principis & Pythagorae, iure imperantis, & adfectantis tyrannidem, ciuem officii ſui admonentis, & ſuperiorem cum ignominia repellentis: nec hoc exemplum quidquam ad rem facit. Deinde non metuendum eſt, vt liberalium nomen tueantur artes, ſi non cuiuis indigno in earum amplexus ruere liceat. Neque enim ob eam cauſſam liberales audiunt, quod cuiuis, tamquam ſcortilla, proſtitutae ſint, ſed quod *dignae ſint libero homine* (z), vel, vt TERENTIVS (a) rem eloquitur, quod *eas liberum hominem ſcire aequum eſt.* Non ergo haec omnia obſtant iuri principis, qui, ſi delectum militum habere, & nanos, mutilos, imbelles repellere iure poteſt, quidni eodem iure a ſtudiis arceat homines ineptos, nulloque ingenio praeditos? Quidni illi idem liceat, quod HOMERVS (b) in Vlyſſis virtutibus ponit, qui

> Ὃν δ' αὖ δήμου τ' ἄνδρα ἴδοι βοόωντά τ' ἐφεύροι,
> Τὸν σκήπτρῳ ἐλάσασκεν, ὁμοκλήσασκέ τε μύθῳ.
> Δαιμόνι' ἀτρέμας ἧσο, καὶ ἄλλων μῦθον ἄκουε,
> Οἳ σεο φέρτεροί εἰσι. σὺ δ' ἀπτόλεμος καὶ ἄναλκις
> Οὔτέ ποτ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.
>
> *Si quemquam e vulgo clamantem inuenerit vſquam;*
> *Hunc ſceptro ferit, & verbis non lenibus vrget:*
> *Tu vero taceas, & te melioribus aures*
> *Praebe, nec belli arte potes, nec robore praeſtas:*
> *Tu nec conſilio quidquam es, nec idoneus armis.*

Sane tanto magis id licere debet bono principi, quanto minus vulgo homines illud vitae genus, quod illorum ingenio conuenit, eligere ſolere, obſeruauimus.

§. XII.

(t) Iamblich. *vit. Pythag. ſegm.* 248. Porphyr. *ibid. Cap. LIIII.*
(u) Iamblich. *ibid. ſegm.* 74. *p.* 61.
(x) Diog. Laert. *Lib.* VIII. *ſegm.* 39.
(y) *Apud* Iamblich. *de vit. Pythag. ſegm.* 254. Olear. *ad Stanl. Hiſt. philoſ. Part.* VIII. *Cap.* XVIIII. *p.* 688.
[z] Seneca *Epiſt.* LXXXVIII.
(a) Terent. *Eunuch. Act. III. Scen. II.*
(b) Homer. *Iliad. B. v.* 198. *ſequ.*

§. XII.

Abuſus huius iuris.

Enimuero hic ſemper meminiſſe oportet, nos de bono principe, cui populi ſalus lex ſuprema eſt, loqui, adeoque illi fruſtra obuerti, id ius aliquando abiiſſe in ſummam iniuriam. Fatendum enim eſt, aliquando eo iure abuſos eſſe malos principes, idque vel in artem tyrannicam, vel in arcanum dominationis conuertiſſe, dum factionem, cui male cupiuerunt, prohibuere operam dare honeſtis artibus, vt eo orbati praeſidio, ab aduerſariis eo facilius opprimerentur. Ea ſane arte ad opprimendos Chriſtianos vſum eſſe Iulianum τὴν παρεμβολήν, memoriae prodiderunt GREGORIVS NAZIANZENVS (c), SOCRATES (d), SOZOMENVS (e), THEODORITVS (f), AVGVSTINVS (g), immo & alienus alioquin a Chriſtiana pietate AMMIANVS MARCELLINVS (h), qui, licet Iuliano deuotiſſimus, hoc tamen eius facinus miro candore reprehendit. Quum enim animaduertiſſet homo ſagaciſſimus, non deeſſe Chriſtianis eximia ingenia, qui paganae theologiae vanitatem maſcula eloquentia, miroque argumentorum pondere refellerent: nihil magis e re contribulium ſuorum eſſe exiſtimabat, quam ſi efficere poſſet, vt obmuteſceret illa Chriſtianorum facundia. Fieri autem non poſſe videbatur, quin illa mox obmuteſceret, ſi Chriſtianis litterarum cultu, tamquam aqua ac igne, interdiceret. Quo conſilio illum etiam celeberrimam iſtam conſtitutionem (i) de magiſtris artium ſine accurato curiarum examine non admittendis, promulgaſſe, ſuſpicantur BARONIVS (k), IAC. GOTHOFREDVS (l), & CASP. ZIEGLERVS (m). Qua in re quamuis Iulianum plane fugerit ratio, parum quippe memorem, Chriſti doctrinam *non in perſuaſoriis humanae ſapientiae verbis, ſed in demonſtratione ſpiritus & ſapientiae conſiſtere* (n): tamen & artem tyrannicam redolebat hoc eius conſilium, eiuſque animum trepidum & religioni ſuae metuentem denudabat, quippe cui male ominabatur, niſi

(c) Greg. *Nazianz. Orat. I. in Iulian.* p. 51.

(d) Socrat. *Hiſt. eccl. Lib. III. Cap. XII. & XVI.*

(e) Sozom. *Hiſt. eccl. Lib. VI. Cap. XXXVII.*

(f) Theodorit. *Hiſt. eccl. Lib. III. Cap. IIII.*

(g) Auguſtin. *de ciuit.* Dei *Lib.* XVIII. *Cap.* LII.

(h) Ammian. Marcellin. *Lib.* XXV. *Cap.* IIII.

(i) *l. 5. C. Theod. de medic. & profeſſorib.*

(k) Baron. *Annal. eccleſ. ad ann. CCCLXII. n.* 286.

(l) Iac. Gothofred. *Comment. ad Cod. Theod. Tom. V. p. 31. ſeqq.*

(m) Ziegler. *de iur. maieſt. Lib. I. Cap. XXIII.* §. *XI.*

(n) *I. Corinth. II. 4.*

niſi ei Chriſtianos inermes obiiceret. Id quoque hic non praetermittendum videtur, principes quoſdam hoc iure abuſos eſſe, ad gentes male perdomitas in officio continendas, quamuis non modo diuerſis, ſed & contrariis viis, ad metam contenderent. Alii enim id agebant, vt victis, paullatim obbruteſcentibus, eo facilius dominarentur: veluti Cyrus, qui Lydos Croeſi conſilio, citharam pulſare, pſallere, & cauponari, & ab omnibus pacis bellique artibus abſtinere iubebat, vt mox eos videret *γυναῖκας ἀντ᾽ ἀνδρῶν γεγονότας*, *ex viris mutatos in mulieres* (o). Alii rhetoricam aliaſque artes liberales in prouinciis magno ſtudio docendas curabant, vt iis deliniti ſtudiis ferociam paullatim exuerent prouinciales, & iugum tanto patientius ferrent. Eo ſane conſilio Agricola, teſte TACITO (p), *vt homines diſperſos ac rudes, eoque bello faciles, quieti & ocio per voluptates adſueſceret, hortatus eos eſt priuatim, adiuuit publice, vt templa, fora, domos exſtruerent, deinde principum filios liberalibus artibus emolliuit, & ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum antetulit, vt qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent.* Quibus ipſe ſubiicit TACITVS, *Id apud imperitos humanitas vocabatur, quum* PARS SERVITVTIS *eſſet.* Nimirum *mitiſſima haec ſunt tyrannidis arcana*, vti eleganter vocat FORSTNERVS (q), ſed tyrannidis tamen. Bonus enim princeps tantum abeſt, vt bonas artes agat in exſilium, vel iis ad emolliendos ciuium animos abutatur, vt nihil ipſi maiorem adferat voluptatem, quam ſi ciues omnibus belli paciſque artibus ad capeſſendam rempublicam magis magiſque in dies idoneos reddi animaduertit.

§. XIII.

Per quos principem hunc delectum habere deceat?

Quum vero tanta ſit occupationum, quibus princeps diſtringitur, moles, vt ipſe per ſe ciuium omnium ingenia explorare non poſſit: merito quaeritur, cuinam potiſſimum curam hanc delegari oporteat? Et hic quidem maxime idonei videri poſſent ſcholarum, tum triuialium, quas vocant, tum academiarum magiſtri. Illis enim tam arcta cum adoleſcentulis conſuetudo intercedit, vt non poſſent non, ſi vellent, eorum perſpicere ingenia, &, quales futuri ſint, ex ipſis primae aetatis rudimentis augurari. Et notum ſane eſt, quanta hac in re fuerit εὐστοχία Pythagorae (r), nemi-

(o) Herodot. *Lib.* I. *p.*40. *edit. Steph.*
(p) Tacit. *vit. Agricol. Cap.* XXI.
(q) Forſtner. *Diſcurſ. polit. ad Tacit. Annal. Lib. I. p.* 93. *Tom. I.*
(r) Iamblich. *vit. Pythag. ſegm.* 95. Porphyr. *vit. Pythag. Cap.*XIII. & LIIII. Gell. *Noct. Lib.* I. *Cap.* VIIII.

neminem recipientis in contubernium, niſi cuius ingenium prius accuratiſſime exploraſſet: quin & ſingulari cura diſpicientis, ſapientiaene ſtudiis, an alii honeſto vitae generi, quisque aptior videretur, quorum priores diſcipulos σεβαστικοὺς & μαθηματικοὺς, poſteriores πολιτικοὺς adpellabat (s). Quod vero potuit Pythagoras, quidni & alii praeſtarent magiſtri? & quibuſnam rectius princeps hoc det negotii, ſi id recte curatum velit? Sed vereor, ne his minime omnium haec cura recte demandetur. Praeterquam enim, quod intereſt docentium, ſcholas ſuas eſſe quam frequentiſſimas, adeoque, vt ſunt ingenia mortalium commodis ſuis intenta, vix ſperandum videatur, eos omnes huic officio incorrupta fide ſatisfacturos: verendum etiam eſt, vt plerique artem illam explorandi ingenia ſatis perſpectam habeant. Praeterea vix horum tanta eſt auctoritas, vt iuuenes, maxime fauſtis nutriti ſub penetralibus, eorum conſilia vel ſuae propenſioni, vel votis parentum quantumuis ſtolidis antelaturos, probabile ſit. Mandandum ergo erat hoc officium viris prudentibus, & in dignitate conſtitutis, quibus nec pulcherrima illa ingenia explorandi facultas, nec iuuenes eorumque parentes in viam reuocandi auctoritas deeſſet. Quod quum fere vbique negligatur: iuſta profecto eſt haec querela MORHOFII (t): *Magno hoc litteris totique reipublicae, damno eſt, nullam hic plane eſſe* MAGISTRATVS *curam, quum in eo reipublicae maxime felicitas ſit.* Lacedaemoniis tanti viſa eſt iuuenum inſtitutio, vt eam curam non magiſtris, multoque minus alicui ex ſeruulis, ſed vni ex eorum numero, qui ſummos in ciuitate magiſtratus obibant, quemque ipſi παιδονόμον vocabant, committerent, quo publica auctoritate totum iſtud negotium adminiſtraretur (u). Quid prohibet, quo minus & in noſtris ciuitatibus ea res viris honoratioribus ac prudentibus committatur? Mauritium ſane, Saxoniae Ducem, principem pietate & prudentia eximium, ei rei praefeciſſe comperio concionatorem aulae primarium. (x) Alii praeſidi ac conſiliariis id iniunxerunt, vt ingeniorum haberent delectum, nec quemquam paterentur ſtudia academica auſpicari, niſi teſtimonio ſuo ornatum. Pudendum quibuſdam videbitur hoc munus, ſed non niſi iis, quos ipſius virtutis pudet. Si

 enim

(s) Photius *Bibliothec. Cod.* CCLVIIII.

(t) Morhoff. *Polyhiſt. Lib. II. Cap. I. n. 3.*

(u) Xenoph. *de rep. Laced. Cap. II. §. II. p. 65.* Plutarch. *in Lycurgo p. 50.* Crag. *de republ. Laced. Lib. II. Cap. XII. p. 150.*

(x) Mulleri *Annal. Sax. ad ann. 1664. p. 458.*

enim equorum ſtabulique praefectura inter ſummas dignitates palatinas eſt : cur quemquam pudeat, praeeſſe ingeniis, & eorum ſtudia regendo de poſteris praeclare mereri? Epaminondam, ferunt (y), quum a ciuibus ſuis telearchus, id eſt, viocurus creatus eſſet, qui apud Thebanos non admodum honoratus magiſtratus erat, *ſe illum ita geſturum, dixiſſe, vt deinceps telearchia haberetur honoratior* : illumque hoc egregie praeſtitiſſe, ſiquidem tantum valuerit Epaminondae auctoritas, vt poſt eum telearchi perpetuo ex ipſis ciuitatis principibus ſint creati. Idem profecto in noſtris euenturum eſſet rebuspublicis, ſi vel vnus vir, genere atque auctoritate illuſtris, id munus eodem obiret animo, Spartamque, quam nactus fuerit, praeclare ornaret. At perinde eſt, quos princeps huic rei praeficiat, dum tanta eorum ſit prudentia atque auctoritas, vt munere illo dextre & cum magna reipublicae vtilitate fungi poſſint.

§. XIIII.

Idem ius principis ſeſe exſerit circa ſcholas & academias.

Ex eodem principio, quod principi ea omnia circa ciuium ſtudia liceant, quae ſalus publica exigit, (§. X.) porro conſequitur, vt eidem ius ſit, ſcholas & academias non modo inſtituendi, & ſalubribus legibus attemperandi reipublicae ſaluti, ſed & easdem, ſi quid vitii ceperint, emendandi. Sunt enim haec media, quibus opus eſt ad excolendas honeſtiores artes, nec quisquam, cui ſana mens eſt, inficiabitur, ei, a quo finis exigitur, media quoque in promtu eſſe debere, nec quidquam adeo principi illicitum eſſe poſſe, ſine quo finem adſequi nequeat. Iam quidem ea de re ab aliis, & maxime iureconſulto eximio, CASP. ZIEGLERO (z), actum eſt : nos tamen, ne plane ἀσύμβολοι hic diſcedamus, tria potiſſimum ad hoc ius principis pertinere, animaduertimus. Primum vt diſpiciat, quinam in ſcholis & academiis doceant : deinde, quid doceant; poſtremo, quomodo quiſque hoc docendi munere fungatur. Primum adeo neceſſarium eſt, vt inde omnis ſcholarum & academiarum non modo celebritas, ſed & vtilitas, pendeat. Quotuſquiſque enim impetrare a ſe poſſet, vt magnam cum iuuentae, tum patrimonii, partem conſumat, vbi indocti profitentur doctrinam, & tamquam in Hebraeorum ſynagogis non decem, ſed totidem *otioſi*, quot doctores, repe-

(y) Valer. Max. *Lib. III. Cap.* VII. *exempl. extr.* 5.

(z) Ziegl. *de iur. maieſt. Lib. I. Cap. XXIII.*

rẽperiuntur (a)? Qua in re grauiter peccarunt Athenienſes. Quamuis enim Athenae, tamquam omnis doctrinae ſapientiaeque domicilium, celebretur: nullam tamen ciuitatem iure illo, quod in ſtudiis ciuium regendis verſatur, minus prudenter vſam eſſe arbitramur, quam Athenienſem. Docebant ibi philoſophi, ſophiſtae, rhetores, non publica auctoritate conſtituti, ſed quibuſcumque aliqua erat ſtudiorum fiducia. Horum alius cum aliis ludens, edens, bibens, militans, philoſophabatur, vti Socrates (b), alius modo academiam, modo hortum Coloneum (c), alius Lyceum (d), alius Cynoſarges, gymnaſium (e), alius ſtoam, ſeu porticum variam (f), alius hortulum ſuum (g), pro auditorio habebat, ibique ſuo quiſque docebat periculo, nullo reipublicae iuſſu, nulla auctoritate publica. Deinde, quid magis cum reipublicae ſalute coniunctum eſt, quam ipſae, quae traduntur artes ac doctrinae? Sed has non magis curabant Athenienſes, parum ſolliciti, quid quiſque, aut quomodo doceret, eoque eueniebat, vt alii ob noxias ac peſtilentes doctrinas poenas darent, veluti Theodorus, atheus (h): alii accuſatorum oppreſſi calumniis, innoxii damnarentur, vti Anaxagoras (i) & Socrates (k). Quod ſane tam facile non eueniſſet, ſi non niſi exploratae doctrinae ac virtutis hominibus docendi munus publica auctoritate demandaſſent, vel in eorum doctrinas docendique rationem inquiſiuiſſent diligentius. Hinc recte CONRINGIVS (l): *Sed & notandum inprimis eſt, non vni alicui, vel duntaxat meliori philoſophorum ſectae, aut ei, quae conſentiret cum moribus aut inſtitutis reipublicae, conceſſam libere docendi illam facultatem fuiſſe, ſed ſine diſcrimine in eam libertatem admiſſas varias admodum, immo quaſdam & noxias philoſophorum haereſes, vti a ſeſe inuicem, ita etiam a religione recepta & legibus vrbanis quam longiſſime diſſidentes. Neque enim vlli ſectarum iſtarum cum inſtitutis ciuilibus tunc omni ex parte conueniebat,*

(a) *De decem ſynagogae Iudaicae otioſis quae diſputata ſint inter* Campeg. Vitringa & Iac. Rhenferdium, *ſatis notum eſt. Vid.* Fabric. *Bibliogr. antiquar. Cap. XXI.* §. I.

(b) Plutarch. *vtrum ſeni gerenda reſp.* p. 796.

(c) Laert. *Lib. III. ſegm.* 7.

(d) Laert. *Lib. V. Segm.* 10.

(e) Laert. *Lib. VI. ſegm.* 13. Suid. voce κυνοσάργες.

(f) Laert. *Lib.* VII. *ſegm.* 6.

(g) Laert. *Lib. X. ſegm.* 10. Plin. *Hiſt. nat. Lib.* XVIIII. *Cap. IIII.*

(h) Laert. *Lib. II. ſegm.* 101.

(i) Laert. *Lib. II. ſegm.* 14.

(k) Xenoph. *Apolog. Socrat. Cap. I.* Laert. *Lib. II. ſegm.* 40.

(l) Herm. Conring. *Antiqu. academ. Diſſ. I. p.* 10.

niebat, ſed ſingulae pro ſeſe iſthaec oppugnabant impune, immo non ſine tacito multorum adplauſu. Omnia ergo haec curae eſſe debent bono principi, ſi fructum ex ſcholis capere velit rempublicam. Plerique equidem, hanc curam ad academias potiſſimum pertinere, arbitrantur, quia haec praecipua ſint reipublicae ſeminaria, iisque recte conſtitutis, non poſſit deeſſe hominum quibusuis muneribus idoneorum copia. Ego vero, ſi quid video, ſcholarum inferiorum, ſi non magis, ſaltim aeque, habendam eſſe rationem cenſeo. Quem enim fructum ex academiis etiam florentiſſimis capiet respublica, ſi ex ſcholis triuialibus, tamquam ex equo Troiano, quotannis prodeat indoctorum ac petulantiſſimorum adoleſcentium turba, quae ad academias, non tamquam ad omnis doctrinae ſapientiaeque mercatum, ſed tamquam ad ludos Olympicos, confluit? Quid vero hi proficient in academiis? quem fructum ex acroaſibus etiam accuratiſſimis capient? Annon potius idem continget, quod de auditoribus rudibus atque indoctis dixiſſe ferunt Ariſtippum, vt, quemadmodum in theatris, ita & in acroateriis, lapides lapidibus, ligna lignis inſideant? (m) Vtrobique ergo danda eſt opera, vt non cuiuis promiſcue ad docendum pateat aditus, ſed ei rei praeficiantur viri ſolide docti, & iis, quae hanc perſonam deceant, virtutibus ornati; vt hi vtilia, & adoleſcentibus profutura, tradant, non quae non didiciſſe rectius erat: denique vt ita omnia inculcent auditoribus, ne vel ſtudiorum eos capiat taedium, vel ipſi, quid didicerint, neſciant, ſed vt hi omnia ſapientiae praecepta in vſu habeant. Haec enim niſi curentur, & niſi ſimul virtutis ac diſciplinae habeatur ratio: nihil aut parum vtilitatis ex ſcholis atque academiis ſperandum eſt, quia vel indocti inde domum reuertentur iuuenes, vel, ſi quid didicerint, eo turpiter abutentur in reipublicae perniciem, vel pſeudotheologi futuri, vel vultures togati, vel medici tam mali, vt promtius numerare liceat anni cuiusuis uberrimi fructus, quam

Quot Themiſon aegros auctumno occiderit vno (n).

Quem vero ſuffecturum credimus tot conficiendis monſtris, quae ſcholas & academias miſere deuaſtant, quam Herculem Muſageten, id eſt, principem? & quis neget, eum, ſi rem, quam ad totius generis humani ſalutem pertinere animaduertimus, ad curam ſuam reuocet, de vniuerſa poſteritate praeclare meriturum?

§. XV.

(m) Diog. Laert. *Lib. II. ſegm.* 72. (n) Iuuenal. *Sat. X. v.* 221.

§. XV.

Vindiciae huius iuris aduerſus canoniſtas.

Sed intercedunt hic canoniſtae, genus hominum parum aequum Principum iuribus, quod proinde eam curam ad Epiſcopos potius, illosque epiſcopos epiſcoporum, qui Romae dominantur, quam ad principes, pertinere contendit (n). Demonſtrare hoc, ſed ſuo more, voluerunt celeberrimus Panormitanorum abbas, NIC. DE TVDISCHIS (o), IO. BAPT. GALLVS (p), AD. CONTZENIVS (q) & VAL. ROTMARVS (r), quorum quae argumenta ſint, age paucis expendemus. Scholae, inquiunt, & academiae ſocietates eccleſiaſticae ſunt, vel partes ſaltim eccleſiaſticae communitatis: quumque eae viros habiles eccleſiae ſufficere debeant, huius vel maxime intereſt, eas bene eſſe inſtitutas. Hinc ipſum ius ciuile academiarum curam demandat epiſcopis (s), iique & cancellariorum dignitate plerumque fulgent: quin ipſi ſtudioſi, tamquam eccleſiae conſecrati, & hierarchiae ſubiecti, aliquando clericorum nomine veniunt (t). His armis hic pugnant canoniſtae. Et tamen iis exterriti quidam etiam noſtratium hoc ius principibus quidem proteſtantibus, ſed tamquam ſupremis prouinciarum ſuarum epiſcopis, competere exiſtimant (u). Enimuero nulla idonea ſubeſt ratio, cur ſcholas & academias, quales hodie florent, accenſere velis ſocietatibus eccleſiaſticis. Tulerint fortaſſis id nomen ſcholae, quae olim in eccleſiis cathedralibus & monaſteriis floruerunt, de quibus luculenter egerunt ZIEGLERVS (x), HOSPINIANVS (y), & HERM. CONRINGIVS (z). Saltim hodie vix eccleſiaſticae ſocietatis formam prae ſe ferunt ſcholae & academiae: &, ſi eam prae ſe ferrent, tamen, vti alia collegia, ipſaque eccleſia, non poſſent non ad principis curam pertinere. Deinde non eccleſiae tantum, ſed & reipublicae viros do-

(n) *Concil. Trident. ſeſſ. XXV. de reform. C. II.*

(o) Abbas *in cap. ex litteris X. de conſtit. Cap. ab eccleſiarum X. de offic. ord. & Cap. I. X. locat.*

(p) Io. Bapt. Gall. *Not. in Thuani Hiſt. Cap. XI. p. 69.*

(q) Contzen. *Polit. Lib. IIII. Cap. XIII. §. II. p. 218.*

(r) Rotmar. *Annal. acad. Ingolſtad. Part. I. p. 35.*

(s) *Auth. Habita C. ne fil. pro patre.*

(t) Ritterſh. *Expl. Nouell. Part. VIIII. Cap.* VIII. *n.* 8.

(u) Carpzou. *Iuriſpr. conſiſtor. Lib. I. tit. I. defin.* VIII. *n.* 5. Io. Gerhard. *loco de miniſterio eccleſ. Sect. V.* §. 109. Ziegler. *de iur. maieſt. Lib. I. Cap. XXIII.* §. I. Brunnem. *de iur. eccl. Lib. I. tit.* VI. §. 12.

(x) Ziegl. *de iure Epiſc. Lib.* III. *Cap.* XXIII. §. V.

(y) Hoſpinian. *de orig. monaſt. Lib.* IIII.

(z) Conring. *Antiqu. Academ. Diſſert.* III. *p. 61. ſeq.*

ctos ac habiles ſufficiunt ſcholae & academiae, adeoque reip. non minus, quam eccleſiae, intereſt, recte ſe habere haec ciuitatis ſeminaria, quin reipublicae tanto magis, quanto minus, eccleſiam eſſe in republica, negari poteſt. Mirum porro eſſet, ſi *authentica habita C. ne fil. pro patr.* ad euertenda principis iura abuti vellent epiſcopi, cui ipſi ius, ſi quod habent in academias, debent. Cancellarii dignitatem aeque laico, ac epiſcopo, recte committi poſſe, ſaeculun noſtrum experiundo didicit, idque tam profecto eſt perſpicax, vt nihil minus credat, quam ſtudioſos eſſe clericos. Sane ſi ex eo vocabulo, quod illis olim haeſiſſe volunt; colligi oporteret, eos cleri numerum augere : nihil prohiberet, quo minus omnes non modo publicos ſcribas, ſed & qui priuatim magiſtratibus a manu ſunt, eadem praerogatiua donaremus; quos in Britannia & Belgio *clericos*, (*clercs*) vocari, nemo ignorat. Tantum ergo abeſt, vt hoc ius epiſcopis tribuere cogantur proteſtantes, vt ipſa curia ſuprema Gallorum, quam Parliamentum vocant, Non. Sept. anni MDLXXIII. academiam Pariſienſem collegium ſaeculare, ac proinde regii beneficii ac patrocinii eſſe, cauſſa cognita, iudicarit (a).

§. XVI.

Tertio & circa reliquas ſocietates litterarias hoc ius verſatur.

Praeter ſcholas & academias permagnum momentum poſitum eſt in ſocietatibus, ſiue ad litterarum, ſiue ad aliarum artium; fines proferendos comparatis, quas ipſas quoque *academias* vocare ſolent. Quum enim oculos plus oculo videre, probabile ſit, pluraque praeclara ingenia, communicatis inuicem meditationibus, operiſque collatis, quid verum falſumque ſit, facilius, quam ſinguli, perſpiciant, & quaedam, adhuc tenebris obuoluta, in lucem felicius protrahant : vtiliſſimae reipublicae ſemper viſae ſunt huiuſmodi ſocietates, quas iam alii ex inſtituto commendarunt. (b) Sic iam ante Chriſtum natum, multoque poſt illa tempora celeberrimum fuit muſeum Alexandrinum (c), in quo, teſtibus STRABONE (d), ATHENAEO (e), PHILOSTRATO (f), inuſitata ac

(a) Choppin. *de Doman. Franc. tit.* XXVII. *n.* 12. Charond. *ad l.* 1. *Cod. Henriciani Lib. XI. tit. III.* Limn. *Iur. publ. Lib.* VIII. *Cap. I. n.* 47.

(b) Vockerodt *Exerc. Academ. I. de ſociet. litterar. Gothae* 1704.

(c) Ionſ. *de Script. Hiſt. philoſ. Lib. III. Cap. II.* Rechenberg. *Diſſ. de muſeo Alex. Lipſ.* 1698. Iac. Gronou. *Antiqu. Graec. Tomo* VIII.

(d) Strabo *Geogr. Lib.* XVII. *p.* 1143. *edit. nou.*

(e) Athenaeus *Deipnoſoph.* Lib. V. *Cap.* VIII.

(f) Philoſtr. *Vit. Sophiſt. Lib. I. Cap. XXII.* §. 3.

Digitized by Google

ac plane regia munificentia alebantur rhetores, poëtae, philoſophi, qui de rebus praeclaris quotidie inter ſe diſſerebant. Poſtea id exemplum, ſed priuatis plerumque auſpiciis, ſequuti ſunt Itali, Galli, Angli, Germani, immo nuper etiam Luſitani, & Ruſſi, quorum de ſocietatibus & collegiis egit MORHOFFIVS (g), quamuis non exiguo aliis relicto ſpicilegio. At experientia docuit, academias huius generis, publica auctoritate inſtitutas, magnam reipublicae litterariae vtilitatem, eas, quae priuatis auſpiciis coaluerunt, paene nullam attuliſſe. In his enim nullus fere ſociorum delectus eſt, nulla paene legum reuerentia, immo nec tantus plerumque adparatus, quo ad amplificandas ſcientias opus eſt. Quare vix eximii quidquam a tot ſaeculis peperiſſe animaduertimus humoriſtarum, lynceorum, ocioſorum, immobilium, Arcadum, (huiuſmodi enim cognominibus mirifice ſibi olim placuerunt,) ſemper parturientia ingenia, quum contra, quae ſocietates Francicae, Londinenſis, naturae curioſorum & Berolinenſis inuenerunt, praeclara ſint, poſterorumque memoria digniſſima. Quae quum ita ſint, quumque ipſa ciuilis prudentia ſuadeat, collegia in republica omnia a principe pendere, immo quum in conuenticula illicita degenerare poſſint haec collegia, veluti anno MDCVIIII. quando quidam Pariſiis *academiam ludorum aleae & chartarum*, inſequente anno ſeuero edicto ſupprimendam, inſtituere non dubitauerant (h): facile intelligitur, ad principis curam & haec collegia pertinere, eumque iure ſuo vti, ſi iis certas praeſcribat leges, ſi ſocios idoneos cooptari iubeat, ſi iiſdem praeſidem, illi muneri parem, praeficiat, omniaque ita dirigat, vt fructum inde reſpublica litteraria capiat vberrimum.

§. XVII.

Itemque quarto circa itinera litteraria ciuium.

Porro cum ad litteras, tum ad reliquas artes, prouehendas amplificandaſque plurimum faciunt itinera ciuium litteraria, dummodo a ſelectioribus ingeniis, eaque, qua par eſt, prudentia inſtituantur. Notum eſt, iam veteres philoſophos totum paene terrarum orbem peragraſſe, nec vlla terra marique pericula, nullas moleſtias reformidaſſe, vt, quidquid vbique praeclarum occurreret, memoratuque dignum, id in patriam referrent. Hoc conſilio Thales Mileſius in Cretam (i), Phoenіciam (k), Aegyptum; Pytha-

(g) Morhoff. *polyhiſt. Lib. I. Cap. XIIII. n.* 14. *Supplem. I. p.* 202.

(h) Herm. Conring. *Antiqu. Academ.*

(i) Diog. Laert. *Lib. I. Segm.* 43.

(k) Idem *ibid.*

(l) Pythagoras ad Phoenicios (m), Aegyptios (n), Chaldaeos, & Perſas (o), immo, ſi veteribus quibuſdam credimus, ad Iudaeos (p), Indos (q), Arabes (r), aliaſque gentes excurriſſe, idemque exemplum poſtea & Platonem (s) & magnum illum agyrtam, Apollonium Tyaneum (t) ſequutos eſſe, nouimus, quorum huic itinera iſta tam neceſſaria viſa ſunt iuueni, ad accuratiorem doctrinam adſpiranti, vt teſte PHILOSTRATO (u), dicere ſoleret: *προσήκειν νέῳ ἀνδρὶ ἀποδημεῖν τε καὶ ὑπερορίῳ ἄρεσθαι. Decere virum iuuenem ad exteros abire, & in terra peregrina inclareſcere.* Et ſane quid vtilius eſſe poſſet iuueni, litteris antea probe perpolito, quam adire extraneos, cum viris doctiſſimis contrahere neceſſitudinem, luſtrare bibliothecas celebriores, &, ſi quid ibi rarius praeſtantiuſque latitet, in vſus ſuos conuertere; denique gazophylacia non modo curioſo oculo luſtrare, ſed & omnia, quae ad hiſtoriam aliaſque ſcientias locupletandas pertinent, enotare diligenter, adeoque inſigni rerum praeſtantiſſimarum adparatu onuſtum domum redire? Et notum ſane eſt, quos ſibi theſauros hoc modo collegerint viri maximi, LIPSIVS, REINESIVS, GRONOVII, NIC. HEINSIVS, IS. VOSSIVS, MARQV. GVDIVS, GOTTFR. GVIL. LEIBNITIVS, IO. MABILLONIVS cum ſociis, BERN. MONTFAVCONIVS, CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIVS, & alii. Nec litterarum tantum ſtudioſis prodeſſe itinera prudenter ſuſcepta, ſed & artificibus, ipſiſque opificibus, nemo negauerit. Enimuero ſi dicamus, nulla paene re magis abuti ſolere iuuenes, nullaſque impenſas, quam quae in itinera profuſius fiunt, peius plerumque collocari: neminem, rerum paullo peritiorem, diſſentientem nos habituros, arbitramur. Primo enim vtplurimum ad extraneos mittuntur adoleſcentes nulla adhuc ſolidiore doctrina imbuti, qui, quo fine iter faciendum, quidque inueſtigandum apud exteros ſit, ſciunt cum ignariſſimis. Deinde ex eo conſequi neceſſe eſt, vt quidam in diuerſoriis latitent, & exterorum deliciis fruantur, alii contemplandis quidem palatiis, & operibus ſplendidioribus, immo & bibliothecis & muſeis, vel viris

doctis

(l) Plutarch. *de placit. philoſ.* *Lib. I. Cap. III. & Sympoſ. p.* 47.

(m) Iambl. *vit. Pyth. Cap. III. init.*

(n) Laert. *Lib.* VIII. *ſegm.* 3. Porphyr. *vit. Pyth. Cap. IIII.*

(o) Cic. *de Fin. bon. Lib. V. Cap.* XVIIII. Iambl. *&* Porphyr. *ibid.*

(p) Porphyr. *ibid. p.* 184.

(q) Clem. Alex. *Strom. Lib.* I. p. 304.

(r) Idem *ibid.*

(s) Porphyr. *p.* 185.

(t) Val. Max. *Lib.* VIII. *Cap.* VII. *extern.* 8. Philoſtr. *vit. Apollon. Tyan. Lib. I. Cap.* XVIIII. *ſeqq.*

(u) Idem *ibid. Cap.* XVIII.

doctis ſalutandis, totos dies conſumant, ſed in ſolo illo conſpectu adquieſcant, exactoque hoc modo itinere, & marſupio exhauſto, domum redeant indoctiores, pauperiores, immo & vanitatibus voluptatibuſque corruptiores, nihil omnino in patriam referentes, quam philothecium, multis ſententiolis & nominibus refertum, & narratiunculas de palatiis, fontibus, operibus ſplendidis, pompis publicis, ludis ſcenicis, immo & de prodigiis, quae ſeſe vidiſſe iactant, innumeris, quibus rerum ignaros deinde in quouis circulo oblectare ſolent. Idem multo magis arti cuidam aut opificio deditis accidit, qui vbi mendicando multa itinera miſeri confecerunt, & vrbis cuiuſque μνημόσυνα (*die Wahr-Zeichen* vocant,) infixerunt memoriae, Vlyſſe ſe putant ſapientiores,

ὃς μάλα πολλὰ
πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε,
πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

qui tempore multo,
Euerſis Troiae *ſacratis moenibus, errans;*
Multorum mores hominum peruidit, & vrbes (x).

Quis ergo vitio vertat bono principi, ſi & his peregrinationibus, per quas tantum pecuniae ad exteros nullo cum reipublicae noſtrae fructu migrat, modum praeſcribat? Lycurgum notum eſt ciues ſuos vagari prohibuiſſe (y): & inter PLATONIS (z) leges eſt, praeter quinquagenarios depontanos inter exteros nemo verſetur. Quanto magis principi fas eſt cauere legibus, ne non niſi ſelectioribus ingeniis facultas eſſet ad exteros excurrendi, ne cuilibet ex nido, velut implumi, intempeſtiue liceat euolare, vt a prudentioribus iis praeſcribatur regula, quam ob oculos habeant, vt non temere ſoli ad exteros excurrant iuuenes, ſed ſe adiungant prudentioribus, vt totius itineris perceptique inde fructus rationem reddant, & quae ſunt huius generis alia. Eſt ſane tum generatim peregrinandi, tum & in ſpecie iter litterarium inſtituendi quaedam prudentia, quarum illam HERM. CONRINGIVS (a), hanc GE. NIC. KRIEGK (b) eleganter expoſuerunt. Vtriuſque vero neglectum, non ſolum cum priuatarum familiarum pernicie, ſed & cum maximo rerumpublicarum detrimento coniunctam eſſe, ipſa ſatis docet experientia.

(x) Homer. *Odyſſ. A. v.* 1. *ſequ.*
(y) Crag. *de republ. Lacedaemon. Lib. III. Inſt. IIII. p.* 214.
(z) Plato *de Leg. Lib. III.*
(a) Herm. Conring. *de prud. peregrin. Helmſt.* MDCLXXVII.
(b) Ge. Nic. Kriegk *de peregrinat. Rom. academ. Ien.* 1704.

§. XVIII.

Nec non quinto circa ſtipendia litteraria & praemia diligentiae.

Inter artium litterarumque augmenta prouehendi media locum haud poſtremum tenent ſtipendia vel ſubſidia pecuniaria, quibus non modo iuuantur iuuenum erectioris indolis honeſti conatus, verum etiam calcaria veluti ſubiiciuntur currentibus, vt tanto alacrius ad maiora nitantur. Non ita naturâ comparatum eſt, vt ſemper par ſit fortuna indoli, & quos excellente ingenio inſtruxit ſummum Numen, iis & tantas conceſſerit facultates, vt ſine aliorum ope ac auxilio ſtudiis honeſtioribus vacare poſſint. Raro multis accidit, quod in ſumma felicitatis parte poſuit MENANDER (c), dum dixit: *μακάριος, ὅςις νοῦν καὶ νοῦν ἔχει.* *Cui mens opeſque ſunt ſimul, beatus eſt.* Nam opibus inſtructi raro ſunt eo ingenio, vt neruos animi intendere velint: & qui eo ingenio ſunt, plerumque conqueruntur, *ſe neſcire, quomodo bonae mentis ſoror ſit paupertas* (d), vel, vti APVLEIVS (e) vocat, *philoſophiae vernacula.* Hinc in omnibus rebuspublicis ingeniis praeſtantioribus, at paupertate preſſis, quaedam deſtinata ſunt ſtipendia litteraria, eaque vel publica auctoritate e fiſco ipſius principis, vel reipublicae aerario, vel ex priuatorum diſpoſitionibus ſupremiſque iudiciis eroganda: qualia legata permulta olim ab hominibus ſtudiorum amantibus academiae Platonicae relicta eſſe, auctor eſt DIOGENES LAERTIVS (f). Eo inſtituto nihil eſt laudabilius, nihil ad prouehenda optimarum artium ſtudia vtilius. Enimuero & de his ſtipendiis vetus omnino iuſtiſſimaque querela eſt, ea plerumque & male adminiſtrari, & diſpenſari imprudentiſſime. Quam multa enim inter adminiſtratores, tamquam inter praedones, ſtrangulantur? quam multa dantur vel opulentis, quibus adeo frons periit, vt hoc pauperculorum peculium graecando decoquendoque abſumere, quam ex ſua arca quidquam depromere malint, vel hominibus ſtupidiſſimis, qui id vnice agunt, vt, aliquot annis in academia quadam exactis, in litteratorum numero cenſeantur, vere *numerus, & fruges conſumere nati* (g). Quis vero medelam huic morbo adferat, praeter principem? Huius enim non modo eſt cura, vt congiaria ſua recte diuidantur, ſed & vt a priuatis eum in finem legata ita diſpenſentur, prout ea diſpenſari voluerunt teſtatores. Bene ergo conſulet reipublicae, ſi pri-

(c) Henr. Stephan. *Graec. Comic. ſententent.* p. 139.

(d) Petron. Arbit. *Satyric.* Cap. LXXXIIII.

(e) Apulei *Apolog.* p. 285.

(f) Diog. Laert. Lib. III. *ſegm.* 20.

(g) Horat. *Lib. I. Epiſt. II. v.* 27.

ſi primum dabit operam, vt recte adminiſtretur pecunia, ei rei deſtinata, & rationes adminiſtratorum accurate diſpungantur: deinde, ſi nemini conferri patietur ſtipendium, niſi cuius de paupertate, ingenio, diligentia ſatis conſtet, tum porro ſi in ſcholis & academiis viris quibuſdam prudentibus id det negotii, vt eorum inuigilent ſtudiis, & ſi quos libris potius, quam in libros incumbere, vel tempus nugis & luxu conſumere animaduertant, id ad ſe referant: denique ſi non patietur indignos eo beneficio frui, ſed iis veluti exauctoratis, &, ſi tantae ſint facultates, ad reſtituendam pecuniam adactis, alios diligentiores ſubſtituet. Qua de re quum plura monuerit academiae Francofurtanae inſigne nuper ornamentum, CHRIST. GODOFR. HOFFMANNVS (h), ad eum lectorem remittere, quam plura addere, malumus.

§. XVIIII.

Sexto circa explorandos ciuium profectus.

Ex eo vero porro conſequitur, vt ea omnia, quae adhuc commendauimus, media, quantumuis in ſe ſaluberrima, parum ſint profutura, niſi eorum, qui ſtudiis ſeſe operam dare profitentur, profectus ſubinde explorentur. Iam quidem huc pertinent examina in ſcholis triuialibus, nec non quibus in academiis in eorum, qui vel beneficiis fruuntur, vel ad honores academicos adſpirant, profectus ſtudiorumque rationem inquiritur: ſed vereor, vt neutra ad rei ſummam proficiant. Quemadmodum enim, imminentibus prioribus, non raro penſum aliquod ediſcendum repetendumque cuique praebent magiſtri, vt eo recitato, vel ſolutis quibuſdam quaeſtiunculis, fucum faciant ephoris: ita in poſterioribus paſſim omnia fiunt perfunctorie, vtroque vero caſu intereſt examinantium, diſſimulari potius iuuenum ignorantiam, quam palam fieri: priore, ne ipſorum praeceptorum ruditas aut negligentia in apricum proferatur, poſteriore, ne pauciores numero fiant candidati, vel ii in alias academias, vbi aequioribus conditionibus ſecum tranſigatur, proficiſcantur, ſi ad viuum omnia reſecare velint. Hinc vetus illa virorum doctiſſimorum querela, honorum gradus, quondam adeo ſancte habitos, & in eos tantum collatos, quos ardua ad aethera virtus evexiſſet, nunc quibusuis, qui vix prioribus labris doctrinam, quam profiteantur, deguſtarint, tamquam phaleras iniici (i). Quae tametſi in de-

decus

(h) Hoffm. *diſſert. de eo, quod circa ſtipendia, ſtudiorum cauſſa conſtituta, iuſtum eſt. Francof.* 1731.

(i) *Plures huius generis virorum doctorum querelas collegit* Io. Chriſt. Itterus *de grad. academ. Cap.* VII. §. XXVIIII. *ſequ. quibus adde* Menag. *praefat. ad Amoenit. iur. ciuilis.*

Digitized by Google

decus publicum vergant, efficiantque, vt, qui abundamus doctoribus, doctos vbique deſideremus, emendari tamen, multiplicato academiarum numero, vix poſſunt, niſi id agant principes; vt ſubditi non niſi in patria, vel certa aliqua academia, iſta honorum inſignia capiant. Quare ea demum examina ſunt vtiliſſima, quae decurſo demum ſtudiorum ſtadio a viris prudentibus iuſſu principis ſuſcipiuntur. Si enim nemini committatur munus eccleſiaſticum, niſi probe explorato: ſi nulli in forum pateat aditus, niſi qui & propoſitis ex vniuerſo iure quaeſtionibus ſatisfecerit, relationemque, quam vocant, pro ſtatu ita confecerit, vt iureconſultorum calculos ferat: ſi artem facere prohibeatur medicus, niſi publice in anatomia, chirurgia, chymia, aliisque medicinae partibus fecerit periculum, quod laudatiſſimum potentiſſimi Pruſſorum Regis inſtitutum eſt (k): mox ſane adparebit, quantum cuiusque valeant humeri, quid ferre recuſent, & ſitne candidatus ex eorum numero, qui ſeuera lege profecerunt, an ex illa hominum turba, de qua HORATIVS (l):

In cute curanda plus aequo operata iuuentus,
Cui pulcrum fuit, in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum cytharae ceſſantem ducere ſomnum.

Si quidquam, hoc certe dixeris neceſſarium, vt princeps hoc ad curam ſuam reuocet, eoque impediat, quo minus indocti & ignaui homines cathedras eccleſiaſticas & academicas occupent, pro iurisperitis in foro caninam facundiam exerceant *contortores legum, bonorumque extortores*, vti eos vocat TERENTIVS (m), denique aegroti caput & vitam credere cogantur iis, quibus nemo temere, ſi ſutrinam facerent, calceandos committeret pedes (n). Haec enim omnia pertinere ad ipſam rempublicam, nemo non intelligit, recteque iam olim ſcripſit IO. HENR. BOECLERVS (o): *Hiſtoria omnis aeui me docuit, eruditionis vitiatae genium corruptae reipublicae vel ſignum, vel cauſſam fuiſſe.*

§. XX.

Septimo circa ſocietates ad artes mechanicas pertinentes.

At quum non modo litteras, ſed & quasuis reliquas artes, florere in republica oporteat: earum quoque curam ſuſcipere debere principem, facile patet, idque tanto magis, quanto minus de iis perficiendis priuati cogitare vel volunt, vel ob rem domi anguſtam poſſunt. Nemo ignorat, quantum curae in Gallia ac Italia

(k) *Vid. Königl. Preuſſ. Medicinal-Ordnung.*

(l) Horat. *Lib. I. Epiſt. II. v.* 29.

(m) Terent. *Phorm. actu* II. *ſcen.* II.

(n) Phaedr. *Lib. I. fab. XIIII. v.*1.

(o) Boecler. *diſſ. de voto Imperat. p.*19.

Italia impendatur rei equeſtri, artique pictoriae & ſculptoriae ad ſummum perfectionis gradum prouehendae. At non minus reipublicae intereſt, perfici artem chirurgicam, pharmaceuticam, obſtetriciam, architecturam ciuilem, militarem, naualem, fuſoriam, pyrotechnicam, textoriam, fulloniam, figulinam, ſimilesque artes, immo & totam rem oeconomicam. Falluntur profecto, qui his omnibus nihil accedere poſſe exiſtimant. Accederet ſane permultum, ſi viri prudentes ad eas perficiendas adpellerent animum. *Sunt* enim *artes mechanicae omnes*, ceu recte vidit MORHOFFIVS (p), *quaſi quaedam naturalis ſcientiae & diſciplinarum mathematicarum propagines, quae ornari augerique eorum beneficio poſſunt, omneſque ab hominibus ſapientiſſimis inuentae.* Viderunt poſtrema haec ſaecula experimenta eius rei luculentiſſima, dum Principum quorumdam ſapientiſſimorum cura artes & opificia quaedam ad tantum perfectionis gradum perduci coeperunt, vt inde maximum lucrum ad totas prouincias redierit. Sic ſubditos ſuos magnopere locupletauit Henricus IIII. Rex Franciae (q), dum ciues legibus praemiisque excitauit ad moros plantandas, alendos bombyces, texturamque ſerici magis magisque perficiendam. Eo enim factum eſt, vt paullatim ipſos orientalium pannos ſericos Francici elegantia ſuperarent, atque inde incredibilis pecuniae vis in Galliam migraret. Nec minus lucri fecerunt Angli & Scoti, ex quo illos ad perficiendam texturam remque fulloniam Eliſabetha Regina; hos Iacobus I. euocatis in regnum Flandris, excitarunt (r). Quantum porro opum acceſſerit terris Pruſſicis, chirurgia, re textoria, vitriaria, fabricis armorum; quantum Saxonicis, arte figulina ad ſummum perfectionis gradum euectis, quantum inclutae Noribergae (s) & Auguſtae Vindelicorum, tot artificibus de perficiendis artibus inter ſe veluti certantibus, non crediderit fortaſſis, niſi qui rem ipſe oculis vſurpauit. Id vtinam vbique pari induſtria fieret! Nullus profecto eſt prouinciae cuiusdam tractus, vbi non lucri faciendi eſſet occaſio, ſi ciues patriae ſuae naturam ac dotes recte intelligerent. Sunt regiones aliae lino ſerendo texendoue, aliae lanificio, aliae ſalinis, aliae rei metallicae, aliae nauticae aptiores. Alibi terra materiam ſingula-

(p) Morhoff. *Polyhiſt. liter. Lib. I. Cap. I. n. 7.*

(q) Ziegler. *Schaupl. die* IIII. *Maii n. 2. p.* 506.

(r) Werlhoff. *de commerc. marit.* §. XCVIIII. Buchanan. *rer. Scotic. Lib. X. p.* 341.

(s) Io. Chriſt. Wagenſeil. *Comment. de Noriberga Cap. XXI. p.* 149. *ſequ.*

rem vaſis conficiendis idoneam, alibi ligna, alibi coria, alibi aliud profert, nec vſquam fere nouercam ſe praebet natura, vt recte cecinerit poëta Sulmonenſis (t).

Nec ſterilis locus vllus ita eſt, vt non ſit in illo
Miſta fere duris, vtilis herba, rubis.

Quae omnia ſi arte ac induſtria perficerentur a ciuibus, quantum quaeſo lucri inde eſſet ad eos rediturum? Quum vero ea plerumque opinione vulgus ducatur; nihil in his rebus eſſe nouandum, nec quemquam altius maioribus tollere, vel prae iis ſapere velle debere: certiſſimum profecto eſt, nihil ſperandum eſſe a ciuium induſtria, niſi ea a principe ad aliquid audendum legibus, praemiis, priuilegiiſque excitetur. Immo ipſum principem initio non decet parcere ſumtibus, vt experimenta, quae ad perficiendas artes pertinent, inſtituantur. Qua laudabili prodigalitate quantum vtilitatis vaſto imperio ſuo attulerit Petrus I. Ruſſiae Imperator, quotque artes, antea Ruſſis vix fama cognitas, ad maximam perfectionem prouexerit, non ſine admiratione quadam, quicumque ex illo imperio ad nos redeunt, referre ſolent.

§. XXI.

Octauo, circa docendi diſcendique rationem praeſcribendam.

Ut ad litteras arteſque liberales velut e diuerticulo redeamus: id quoque admodum neceſſarium eſſet, vt & docentibus certa docendi, & diſcentibus diſcendi ratio, quam ſequantur omnes, praeſcriberetur. Magnum aliquando ſtrepitum dant magiſtri, ſuaſque merces μετὰ πολλῆς φαντασίας exponunt, vt adoleſcentes, rerum ignaros, in caſſes ſuas incautos pertrahant. Vetus haec ars, de qua iam PETRONIVS (u): *Minimum*, inquit, *in his exercitationibus doctores peccant, qui neceſſe habent cum inſanientibus furere. Nam niſi dixerint, quae adoleſcentuli probent, vt ait Cicero, ſoli in ſcholis relinquentur, ſicut ficti adulatores, quum coenas diuitum captant, nihil prius meditantur, quam id, quod putant gratiſſimum auditoribus fore, (nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, niſi quaſdam inſidias auribus fecerint,) ſic magiſter, niſi tamquam piſcator, eam impoſuerit hamis eſcam, quam ſcierit adpetituros eſſe piſciculos, ſine ſpe praedae moratur in ſcopulo.* Et tamen dici non poteſt, quanto cum reipublicae detrimento coniuncta ſit illa nimia libertas docentium. Tunc enim fieri non poteſt;

(t) Ouid. *ex Ponto Lib.* III. *eleg.* IIII.
(u) Petron. *Satyr. Cap. III.*

teſt, quin dum magna maximo hiatu promittunt promiſſores magni, adoleſcentes hiantes aduolent, vt his myſteriis initientur, & interea negligant ea, quae maxime addidiciſſe oportebat. In primis periculoſiſſimum eſt, ſi inferiorum ſcholarum magiſtri magna minantur, & ſapientiam ſe pueris induere iactant adhuc naſcentibus, de ſtudiis propaedeuticis interim parum ſolliciti. Sane ex quo patrum memoria quidam ex ſcholis paene expellere coeperunt Latinarum Graecarumque litterarum ſtudia, & pro iis ſe Germanicam oratoriam, geographiam, genealogiam, hiſtoriam, immo, ſi Diis placet, politicam, & ius publicum pueris tradere iactarunt: actum paene eſt de litteris, non quod haec, ſi non omnia, ſaltim pleraque, in ſcholis fieri non poſſint, ſed quod, neglectis litteris propaedeuticis, tota illa noua docendi ratio in ſtrepitum inanem euaſit, perinde ac Athenis oſtentatio, ſophiſtarum (w) Gorgiae Leontini, Thraſymachi, Chalcedonii, Protagorae Abderitae, Prodici Cei, Hippiae Elei, qui omnes tempore Socratis, arrogantibus verbis, artem inſignem, quomodo reſpublica gerenda ſit, & quemadmodum cauſſa inferior dicendo ſuperior euadere poſſit, adoleſcentibus pollicebantur, eoſque deinde, aere emunctos, indoctiores, quam antea fuerant, domum dimittebant. Quotuſquiſque vero iam ex ſchola prodit, vel mediocrem tantum non dicam Graecae, ſed Latinae linguae facultatem adſequutus? quotuſquiſque aliquem artium liberalium, maxime philologiae & mathematicarum diſciplinarum guſtum in ſcholis capit? Omnia ſane haec impune negliguntur in ſcholis, non ſolum a docentibus, ſed & a diſcipulis, adeo vt meminerim, eos qui iuriſprudentiae vel arti medicae addiſcendae ſe conſecrauerant, per eas horas, quibus hae artes docerentur, ſcholis exiſſe impune, ne videlicet delicatae eorum aures Graeci alicuius vocabuli ſono polluerentur. Ad tantas ſordes prolapſum eſt ſaeculum noſtrum, vt parentes ipſi filios interea malint nugis bonas horas perdere, quam in ſtudiis propaedeuticis exercere ingenium. Haec fundi noſtri calamitas eſt: quam niſi auertant ipſi principes, actum profecto eſt de ſolidiore doctrina, quia ſine praeſidiis illis haec ſacra non conſtant. Leges auditoribus ſuis praeſcribebant Pythagoras (x), & Plato (y), & in his illam, vt nemo

(w) Cicero *in Bruto Cap.* VIII. *in Orat. Cap.* XII. Liban. *Apolog. Socr. p.* 641;
(x) Porphyr. *vit. Pythag. p.* 201. Iuſtin. Mart. *Dialog. cum Tryph. p.* 219.
(y) Laert. *Lib. III. ſegm.* 5.

mo expers geometriae ſcholas ſuas ingrederetur. Quidni & principibus idem liceat, quorum vel maxime intereſt ſtudia in ſcholis & academiis recte & ordine tractari? Et ſane ſi IVSTINIANO (z) noſtro licuit ordinem ac rationem iuriſprudentiam docendi diſcendique, non optimam quidem, at ordinem tamen, praeſcribere; quidni & aliis eiuſdem faſtigii liceret, adhibitis in conſilium viris doctis, cum doctoribus academicis, tum & ſcholaſticis, eorumque auditoribus eam praeſcribere methodum, qua obſeruata, hi ad veram ac ſolidam doctrinam perueniant? Debebat ſaltim haec ephororum cura eſſe, de quibus recte MORHOFFIVS (a): *Quemadmodum*, inquit, *vt reſpublicae perennes ſint, vel a prudente legiſlatore formari debent, vel ſalutaribus legibus conſeruari: ita in ſchola inſtituenda optimis peritiſſimiſque cenſoribus opus eſt. Non ſufficit idoneos admouere iuuentuti magiſtros, ſed conſtitui debent, qui totius rei ſcholaſticae curam habeant, idonei ephori, in quibus plerumque peccatur. Solet enim haec cura ſacri ordinis viris demandari, qui non omnes aeque iis ſunt doctrinis exculti, vt de re ſcholaſtica ſtatuere poſſint.* Loquitur autem vir doctiſſimus de curriculo ſcholaſtico, ſtudiiſque ibi rite & ordine tractandis, de quibus recte conſtituendis eo ſeueriore cura opus erat, quo veriora ſunt illa LVCRETII (b):

In fabrica ſi falſa eſt regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parte claudicat hilum:
Omnia mendoſe fieri atque obſtipa neceſſe eſt,
Praua, cubantia, prona, ſupina atque abſona tecta,
Iam ruere vt quaedam videantur velle, ruantque,
Prodita iudiciis fallacibus omnia primis.

Quae veriſſima eſſe, ipſa ſatis experientia docet. Et tamen nulla emendationis ſpes adfulget, niſi a ſummo imperante, cuius ſolius ei malo tollendo par eſt auctoritas.

§. XXII.

Nono, circa impedimenta, quae artium in-

Quum ergo ea omnia, quae ad ſcientiarum artiumque incrementa pertinent, Princeps ſuo quodam iure curet: facile profecto intelligitur, illum eodem iure curare poſſe, vt, quaecumque illi fini obiiciuntur, impedimenta quantocyus remoueantur. Talia

(z) §. 2. *Inſt. de iuſt. & iure. Conſt. omnem reip. ad Antecеſſ.*
(a) Morhoff. *Polyhiſt. litt. Lib. II. Cap. X. n. 7. ſequ.*
(b) Lucret. *de rer. nat. Lib. IIII. v. 516.*

Digitized by Google

lia quidem innumera ſunt: ſed nullum aliud peſtilentius inuidia, quae veram virtutem tamquam vmbra corpus comitatur. Hanc enim primum in aemulationem, deinde in lites, tum porro in putidiſſimas calumnias, denique, ſi qua fieri poteſt, in lanienam ac ſaeuitiam abit. Quoties ergo virum doctum ac ſapientem luminibus ſuis officere exiſtimant reliqui vmbratici doctores: primum omnia experiuntur, vt per emiſſarios illum ſuſpectum reddant, & auditores, propoſita ſpe beneficiorum, vel iniecto metu, ab eo abducant: deinde omnem occaſionem illi litem intentandi captant: hinc porro, ſi fieri poſſit, illi vel magiae (c), vel impietatis ſeu ἀθεότητος, vel turbatae quietis publicae, dicam ſcribunt, nec quidquam faciunt reliqui, vt, illo oppreſſo eiectoque in exſilium, quam primum illud IO. TRIVMPHE ingeminare poſſint. His artibus ſane olim peſſumdati Anaxagoras (d), Socrates (e), iiſdem, renatis litteris, euerſi Galilaeus Galilaeus (f), Petrus Ramus, (g) Iordanus Brunus (h), Thomas Campanella (i), aliique viri doctiſſimi, quorum ex inuentis ſcriptiſque fructum incomparabilem capere potuiſſet reſpublica, ſi quid temporis illis a libellis eriſticis litibuſque calumnioſiſſimis ſuperfuiſſet, vel ſi diutius eos hominibus intereſſe paſſa eſſet aduerſariorum crudelitas. Si vero haec praemia manent veram doctrinam ac ſapientiam: quis, quaeſo, non potius eiuraret litterarum ſtudium? quis non potius ſubinde repetat illud HORATII (k):

crementis obſtant, remouenda.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis!

Eſt ergo boni principis officium, tueri innocentes, iudiciumque de eorum doctrinis non aduerſariis, ſed viris prudentibus, qui amoris odiique cauſſas procul habeant, permittere, denique identidem cogitare, quum nec prophetis, nec apoſtolis, nec ipſi veritatis doctori, CHRISTO, pepercerit calumnia, ab ea multo minus immunes fore alios, quicumque vel veritatem ſectentur, vel

 acutius

(c) Vid. Gabr. Naudaei *Apologia pro viris doctis, magiae falſo accuſatis.*

(d) Laert. *Lib. II. ſegm.* 12. *ſequ.* Ioſeph. *contra Apion. Lib. II. p.* 1079.

(e) Liban. *Apol. Socr. p.* 642.

(f) Ian. Nic. Erythr. *Pinac. I. Cap. XIII.*

(g) Launoi. *de var. Ariſtot. fort. Cap. XIII.* Bayle *Diction. hiſtorique & critique p.* 2424.

(h) Bayle *Dictionar. Hiſt. & crit. voce Brunus.*

(i) Ern. Sal. Cyprian. *de philoſ. Thomae Campanellae.* Ian. Nic. Erythr. *Pinacoth. I. Cap. XXI.*

(k) Horat. *Epod. II. Cap. I.*

acutius aliis cernere videantur. Praeterea inter maxima ſcientiarum artiumque obſtacula ſunt publica munera complura, quibus docentes diſtrahuntur, magiſtrorum eorum maxime, qui in ſcholis inferioribus Siſyphi ſaxum voluunt, egeſtas & contemtus, diſciplina ſcholaſtica ſiue iuſto laxior, ſiue Orbiliana ſeuerior, & quae ſunt huius generis alia, quibus omnibus e medio remouendis ſi ſtudeat Princeps, & iure ſuo vtetur, & immortalem ſibi gloriam apud poſteros pariet. Sed his quidem, quod plures iam chartas, quam huic meditationi deſtinaram, inſumtas animaduerto, iam non immorabor.

§. XXIII.

Felicitas reipublicae, in qua hoc iure ſuo rite vtitur princeps.

Potius paucis adhuc demonſtrandum videtur, beatiſſimam fore rempublicam, in qua bonus Princeps hoc iure ſuo vſus litterarum artiumque curam in ſe ſuſcipit. Id vero probatu haud difficile eſt. Primo enim ſi recte ſe habet totum, cuius ſingulae partes ita, vt decet, comparatae ſunt: non poterit non recte ſe habere reſpublica, ſi ſingulas eius partes capeſſunt viri, iis artibus, quibus opus eſt, probe exculti. Id vero continget, ſi curet princeps ut omnes ſcientiae, atque artes in republica floreant, & magis magiſque indies perficiantur. Tunc ſane numquam deerunt viri ſapientiſſimi, qui, vel quid belli paciſque temporibus factu ſit opus, in medium conſulant, vel legatorum grauiſſimo munere apud exteros fungantur: non viri iuris periti aequitatiſque tenaciſſimi, qui vice ſacra iudicent: non rei oeconomicae periti, qui aerario publiciſque praeſint obuentionibus, deque illis ſine vllius iniuria prudenter amplificandis cogitent: non docti & pii, qui in eccleſia ac ſcholis cum fructu doceant: non circumſpecti, qui in municipiis & praefecturis ius dicant: non medici experti, qui aegrotis opem ferant. Siue porro in nautica, ſiue in terreſtri militia, opus ſit nauarchis, ducibus, rei tormentariae praefectis, architectis, iudicibus, medicis, chirurgis: numquam eorum erit inopia, omniaque, prout decet, adminiſtrabuntur. Deinde florentibus ſapientiae artiumque ſtudiis, ſinguli ciues, ex quibus conſtat reſpublica, erunt multo feliciores, quum nemini non pateat ad virtutem & ſapientiam via, nemini non in promptu ſit occaſio honeſto aliquo vitae genere ſe ſuamque familiam non modo alendi, ſed & locupletandi pro conditione ſua. Denique vbi ſcientiae & artes florent: fieri non poteſt, quin & commercia gliſcant, aerarium fiat locupletius, quin nouam veluti faciem res omnes publicae priuataeque induant,

adeoque

Digitized by Google

adeoque vere eueniat, quod olim gloriabatur Auguſtus (l), *marmoream ſe relinquere Romam, quam lateritiam reperiſſet.* Sunt hae litterae ac artes, quae Germanos ad eum elegantioris vitae cultum perduxerunt, vt ſi Tacitus rediret in vitam, Germaniam ſuam in ipſa Germania quaereret. Hae reliquas Europae partes, denſiſſima olim barbarie oppreſſas, ad eam, qua nunc gaudent, felicitatem euexerunt. Per has denique noſtra atate intra luſtra non adeo multa tanta rerum omnium conuerſio facta eſt in Ruſſorum imperio, quantam multis ſaeculis futuram, nemo vmquam praeſagiuiſſet. Ridiculae plerisque videntur fabulae de ſuauiſſimo illo concentu, quo belluas Orpheus, ipſa ſaxa Amphion mouiſſe fertur. Aſt ille quidem concentus nihil aliud eſt, quam ſcientiarum artiumque ſtudium, quo homines, belluis ferociores, ad ciuilis atque elegantioris vitae cultum, caedendos lapides, ligna edolanda, domos exſtruendas condendaſque vrbes traducti ſunt: in quem ſenſum recte HORATIVS (m):

Silueſtres homines ſacer interpreſque Deorum
Caedibus & victu foedo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidoſque leones.
Dictus & Amphion, Thebanae conditor arcis,
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit haec ſapientia quondam
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Vt paucis omnia complectar, ſi eas in annales, priſcorumque ſaeculorum memoriam reuoluas, res ipſa docebit, florentibus litteris artibuſque, floruiſſe reſpublicas, eaſdemque, exſtincto litterarum artiumque lumine, paullatim veluti conſenuiſſe: vt dubitari nequeat, quin magna publicae felicitatis pars a ſapientiae artiumque ſtudiis, & cura illa prouidentiaque Principis, qua illas prouehere ſtudet, pendeat, &, quo eſt cura illa intentior, eo certius ciues miraturi ſint FELICEM illam, quam tot Romanorum numi celebrant, TEMPORVM REPARATIONEM.

§. XXIIII.

Et haec eſt illa de IVRE PRINCIPIS CIRCA CIVIVM STVDIA meditatio, qua ego me eo tantum nomine magnopere delectari fateor, quod potentiſſimus patriae meae pater, CHRISTIANVS VI. Daniae *Concluſio diſſertationis.*

(l) Sueton. *Aug. Cap. XXVIII.* (m) Horat. *de arte poet. v. 391. ſeqq.*

Daniae Norwagiaeque Rex, dominus meus longe clementiſſimus mihi haec commentanti vbique verſari ob oculos viſus eſt. Virtus enim illa excellentiſſima, quam tota hac diſſertatione celebrauimus, in incomparabili hoc principe, tamquam in exterſiſſimo quodam ſpeculo relucet. Norunt omnes, qui mitiſſimo eius imperio reguntur, quanta cura litterarum omniumque ſcientiarum & artium ſtudia in regnis prouinciiſque ſuis prouehat, quam indefeſſo ſtudio id agat, vt ſcholae atque academiae emendentur, vt delectus habeatur ingeniorum, vt eorum, qui munera publica ambiunt, profectus accurate explorentur, nihilque, quod prudentia ſuadet, ſalusque populi exigit, praetermittatur. Quae vt mihi, tamquam ciui ſubiectiſſimo, miranda venerandaque ſunt: ita ipſa me vrget pietas, vt vota concipiam pro optimo REGE, ſereniſſimaque REGINA, & PRINCIPE IVVENTVTIS celſiſſimo, Deumque optimum maximum, vt ſeruet Regiam Domum, omniaque Optimi Principis conſilia regnis, eccleſiae, litteris, omnibusque honeſtis artibus, fauſta ac ſalutaria eſſe iubeat, indefeſſis precibus exorem.

DE

DE CAVSSA SERVITVTVM PERPETVA.

EXERCITATIO XXXII.

§. I. *Doctrinae de ſeruitutibus ſubtilitas.* §. II. *Eius ſubtilitatis cauſſa.* §. III. *Conceptus ſeruitutis ſecundum principia rectae rationis.* §. IIII. *Variae huius conceptus determinationes ex iure ciuili.* §. V. *Inſtituti ratio & partitio diſſertationis.* §. VI. *Locus primus de cauſſa ſeruitutum perpetua, l. 28. D. de ſeru. vrb. praed.* §. VII. *Breuis eius analyſis.* §. VIII. *Locus alter, l. 23. §. 1. D. de ſeruit. praed. ruſt. eiuſque explicatio.* §. VIIII. *Locus tertius l. 1. §. 4. D. de fonte.* §. X. *Locus quartus: l. 29. D. de ſeruit. vrb. praed.* §. XI. *Obſeruationes quaedam ex his iureconſultorum teſtimoniis.* §. XII. *De cauſſa ſeruitutum perpetua ſententia* IO. SVPERIORIS. §. XIII. *Eius examen.* §. XIIII. *Sententia* DVARENI, CVIACII *aliorumque excuſſa.* §. XV. *Nec non* DONELLI & NOODTII *interpretatio.* §. XVI. *Eius examen.* §. XVII. *Interpretatio* M. AVRELII GALVANI *expenſa.* §. XVIII. *Hypotheſis cel.* VLR. HVBERI. §. XVIIII. *Quaedam circa illam dubia.* §. XX. SCHILTERI *ſententia.* §. XXI. *Eiusdem examen.* §. XXII. *Iudicium cel.* THOMASII. §. XXIII. *Quaedam de illo monita.* §. XXIIII. *Perpetuitas cauſſae ſemper fuit inter adfectiones ſeruitutum praedialium.* §. XXV. *Eius principii ratio.* §. XXVI. *Quid ſit* CAVSSA PERPETVA? §. XXVII. *De quibusnam ſeruitutibus diſceptatum fuerit, an cauſſam perpetuam habeant?* §. XXVIII. *Regulae de cauſſa ſeruitutum perpetua.* §. XXVIIII. *Regularum iſtarum adplicatio ad l. 28. D. de ſeru. vrb. praed.* §. XXX. *Nec non ad ſeruitutem fumi immittendi, & aquae hauſtus e ciſterna.* §. XXXI. *Denique ad ſeruitutem*

aquae, rota e flumine tollendae, vel e caſtello ducendae. §. XXXII. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

Doctrinae de ſeruitutibus ſubtilitas.

QVum in vniuerſa Romanorum iuriſprudentia doctrinae permultae ſatis difficiles, & a communi hominum ſenſu remotae, paſſim occurrunt: tum illa omnium fere ſpinoſiſſima de SERVITVTIBVS, quae vel perſonis, vel praediis debentur, quippe ex IO. CORASII (a) ſententia, *a nemine omnium, qui adhuc eam ſunt interpretati, funditus eruta enucleataque.* Et ſane, quum iureconſultus in iure non minus interpretando, quam excogitandis calumniis, ingenioſiſſimus, BARTH. CAEPOLLA initio ſtatim libri de ſeruitutibus, nihil ſe vmquam, quod iam aliorum induſtriam occuparit, ſcribere voluiſſe profiteatur, ſtatim addit, hanc ipſam ſe ſibi materiam ideo potiſſimum ſepoſuiſſe, quippe & ſubtilem admodum, & a nemine ante ſe, quod meminerit, ſatis perpolitam. Qua in re quamuis forte & memoria, & collocata in ſtudiis ſuis fiducia hominem fefellerit: in eo tamen, quod hanc de ſeruitutibus doctrinam ſubtiliſſimam eſſe exiſtimauit, rem omnino acu tetigit, conſentienteſque ſibi habet viros doctos quam plurimos, e quorum numero GER. GOTTL. TITIVS (b), vir recti ac limati iudicii: *Vti, inquit, ſeruitutes, ex communibus vtilitatis humanae regulis oriundas, Romani in ſua quoque republica agnouerunt, earumque iura egregie in multis excoluerunt, vt grato animo illa agnoſcere par ſit: ita fatendum nihilominus eſt, quod ſubtilitatibus minime quidem neceſſariis, ſed a veritate & communi vſu plerumque abeuntibus, materiam hanc quandoque inuoluerint.* Enimuero, ſi recte ponas calculum, non tam veterum iuris auctorum hoc vitium eſt, quam interpretum, qui vere intelligendo fecerunt, vt intelligamus nihil, ſalebraſque & aſperitates, quae hic multae & magnae ſunt, verboſiſſimis commentariis ſuis, adeo non explanarunt, vt qui ad eos, tamquam in portum, confugiunt, pro Charybdi in Scyllam incidiſſe ſibi videantur, & quum antea eam doctrinam ſubtilem ac difficilem habuerint, conſultis his oraculis, multo ſe, quam dudum, fateantur eſſe incertiores.

§. II.

(a) Coraſ. *Epiſt. dedicat. ad Cardin. Othonem a Caſtillione* Comment. tit. D. *de ſeruit. praemiſſa* p. 4.

(b) Ger. Gottl. Titius *diſſert. de ſeruitute faciend.* §. VIIII.

§. II.

Eius ſubtilitatis cauſſa.

Cur vero materiae iuris, in foro frequentiſſimae, ac paene quotidianae, tam ſpiſſae tenebrae paullatim offuſae ſint, intellectu non admodum difficile videtur. Ita enim natura comparatum eſt, vt, quo ius ciuile ad naturalem aequitatem, & ius illud ſempiternum, quod ipſa recta ratio inter omnes homines conſtituit, accedit propius, eo illud ſit planius ac ſimplicius: tanto obſcurius autem ac ſubtilius, quanto magis a rectiſſimo illo tramite ſecedit, ac veluti in deuia deflectit. Sane quod de ipſa natura Thaletem Mileſium ſapienter dixiſſe refert PLVTARCHVS (c), *ῥᾷστον εἶναι τὸ κατὰ φύσιν*, *facillimum eſſe, quod ſit naturae conſentaneum*, quodque de eadem adfirmat SENECA (d), *nihil homini naturam, neceſſarium quod fecerit, feciſſe operoſum*: idem de iure illo naturali recte dici poſſe arbitramur, nullis quippe ſpinis obſito, nullis confragoſo ſubtilitatibus, ſed plano vbique, facillimo ac ſimpliciſſimo. Quemadmodum igitur, quo magis linea quaedam flexu ſuo a recta decurrit, eo magis illam curuam fieri oportet: ita fieri non poteſt, quin ius ciuile tanto ſit ſubtilius, quanto eſt a naturali iuris vniuerſalis rectitudine ac ſimplicitate remotius. *Illa* enim *aptitudo, quae a natura data vel inſtituta, creuit aut diſciplinis, aut contemplatione*, SVBTILITAS, *meo quidem iudicio, haberi debet*, inquit IVL. CAES. SCALIGER (e). Quum ergo & ius illud ſempiternum, a natura datum inſtitutumque, per diſciplinam & contemplationem iureconſultorum creuerit, & ipſe VLPIANVS (f) iam obſeruarit, *ius ciuile neque totum a naturali & gentium iure recedere, nec ei per omnia ſeruire, ſed, quum aliquid addatur vel detrahatur iuri communi, ius proprium vel ciuile effici*: adeo non mirum eſt, pleraſque iuris mere ciuilis doctrinas eſſe difficiles, aliaſque aliis ſubtiliores, vt, ſi aliter ſe res haberet, id profecto vel maxime mirandum eſſe videretur.

§. III.

Conceptus ſeruitutis ſecundum principia rectae rationis.

Iam, vt ad SERVITVTES redeamus, pleraque, quae de illis ius ciuile Romanum inculcat, a iuris naturalis ſimplicitate quam maxime recedere, nemo, qui ea iura inter ſe paullo accuratius contenderit, inficiabitur. Si rem ex rectae rationis principiis aeſtimes,

(c) Plutarch. *in ſept. ſapient. conuiu.* p. 153.
(d) Seneca *Conſolat. ad Heluiam Cap. XI.*
(e) Iul. Caeſ. Scaliger *de ſubtilitate Lib. I. Cap. I. p. 4.*
(f) *l. 6. pr. D. de iuſtit. & iure.*

ſtimes, ſeruitutes inter ea iura ſunt, *quae neceſſitatem conſtituiſſe*; ait MODESTINVS (g). Si enim naturae ſuae memores eſſent omnes homines, & incredibili virtutis pulcritudine peraeque caperentur: nulla omnino ſeruitute opus foret. Vti enim amicorum, ita omnium hominum, veram virtutem colentium, omnia communia futura, nec quiſquam alteri, quod ad eius vtilitatem commoditatemque pertinet, eſſet denegaturus. Quin eodem quiſque foret animo, quo fuit SENECA (h), dum ſcripſit: *Conſortium rerum omnium inter nos eſt: nec ſecundi quidquam ſingulis, nec aduerſi. In commune viuitur. Non poteſt quiſquam beate degere, qui ſe tantum intuetur, qui omnia ad vtilitates ſuas conuertit. Alteri viuas oportet, ſi vis tibi viuere. Haec ſocietas diligenter & ſancte obſeruanda eſt, quae nos omnes omnibus miſcet, & iudicat, aliquid eſſe commune generis humani.* Non ergo quiſquam fretus, iure dominii, quod in aliorum excluſione a rerum noſtrarum vſu conſiſtit, alteri vllum humanitatis officium, maxime quod ſine ſuo damno praeſtare poſſet, in ſuo denegaret, nec ideo ſtatim ſeruire fundum ſuum crederet, per quem vicinus ire, ambulare, vel in quo aquam haurire cupiat: immo potius haec & ſimilia vltro quiſque, nullaque neceſſitate adactus, libenter praeſtaret. Enimuero ex quo refrixit inter homines amor, quem homini erga hominem ipſa natura impreſſit, virtuſque laudari & algere coepit: non licuit profecto amplius homini in hominum humanitate collocare fiduciam, ac proinde, interuenientibus pactis, id ſibi ſtipulari coacti ſunt, quod ſibi ab aliis & in rebus alienis praeſtari vellent. Hinc & varia iura ſibi conſtituenda curarunt in fundis alienis, id eſt facultatem aliquid in iis agendi, vel quamdam ex iis vtilitatem capiendi, quam ſibi gratis & ſponte praeſtiturum eſſe vicinum, ſperare vix licebat. Haec vero iura SERVITVTES vocari coeperunt, per quas adeo nihil aliud intelligimus, quam *iura in fundo alieno conſtituta, ob quae dominus eius ad vtilitatem aliquam commoditatemue, in illo alteri concedendam, perfecte obligatur.* Quum vero ea vtilitas commoditasue vel certae tantum *perſonae*, vel ipſi *praedio*, omnibuſque eius poſſeſſoribus promiſſa ſit: priore caſu SERVITVS PERSONALIS; poſteriore REALIS naſcitur. Quamuis enim & poſteriore caſu, ceu recte iureconſulti noſtri viderunt (i), vtilitas non tam ad praedia, quam ad eorum poſſeſſores,

(g) *l.* 40. *D. de legib.*
(h) Seneca *epiſt.* XXXXVIII.

(i) *l.* 15. *D. de ſeruitut.* Guil. Maran. *paratitl. Digeſt. tit. de ſeruit. p.* 253.

ſores, ſeu homines, *quorum cauſſa omnia iura introducta ſunt* (k), redundet: ita tamen obtinuit, vt, quia haec iura ipſa praedia meliora reddunt, & commoda ex iis capienda ad omnes poſſeſſores tranſeunt, praedium praedio ſeruire, ipſaeque ſeruitutes huius generis REALES vel PRAEDIALES dicantur.

§. IIII.

Variae huius concepus determinationes ex iure ciuili.

Tam amplus, ſi a iure ciuili Romano diſceſſeris, SERVITVTVM conceptus eſt, nec vllas alias determinationes recta ratio agnoſcit. Sufficit in ſeruitutibus praedialibus, poſſeſſori praedii cuiusdam ius eſſe, vtilitatem commoditatemue qualemcumque ex vicino praedio capiendi. Qualem vero illam vtilitatem commoditatemue eſſe oporteat, & quomodo illa percipienda ſit, non magis definit recta ratio, quam quousque illa porrigi debeat. Omnia enim iſta ad paciſcentium arbitrium conuentionumque leges redire, facile vnusquisque intelligit. Aſt vide, quantum ab hac ſimplicitate iuris naturalis ius ciuile recedat, & quam multis, ſubtilibus admodum, parumque neceſſariis determinationibus illud conceptum hunc circumſcribat, ne omnis vtilitas, quae nobis e re aliena prouenit, ſeruitutis nomine veniat. Sic ſane quum vtilitas commoditasue illa ex vicini vel *facto* vel *non facto*, vel *patientia* denique, capi poſſit: iureconſulti ſeruitutem negant in faciendo conſiſtere poſſe (l). Qua ſemel admiſſa hypotheſi, non potuerunt non naſci quaeſtiones ſubtiliſſimae, an agi poſſit ad reficiendam foſſam, cuius non exſtet memoria? (m) an is cuius paries onus vicini ferre tenetur, ad reficiendum parietem obſtrictus ſit? immo an pactum huiusmodi, conſtitutioni ſeruitutis iſtius recte adiiciatur? (n) Cuiusmodi quaeſtiunculis facile carent Germani, quibus iam olim nihil obſtare viſum eſt, quo minus & faciendi ſeruitus conſtitueretur, vti ex inſtituto docuerunt GER. GOTTL. TITIVS (o), EPHR. GERHARDVS (p), & nuper illuſtris PRAESES, Vir de omni felicitate mea, ob maxima, quae in me contulit beneficia, immortaliter meritus, *in iuris Germanici elementis* (q). Eiusdem generis ſunt ſubtilitates, quae ex aliis eiusdem generis determinationibus oriuntur, quam plurimae. Vnde ad rauim vsque

(k) *l.* 2. *D. de ſtatu hom.*
(l) *l.* 15. §. 1. *D. de ſeruit.*
(m) *l.* 2. §. 7. *D. de aqu. & aqu. pluu. arc.*
(n) *l.* 33. *D. de ſeru. vrban. praed. l.* 6. §. 2. *D. ſi ſeru. vind.*
(o) *Diſſert. de ſeruit. faciendi, quae inter iunctim editas eſt num. XI.*
(p) *Diſſert. de ſeruit. in faciendo conſiſtens.* Ien. MDCCX.
(q) *Elem. iur. Germ. Lib. II.* §. CXXXI. *ſequ.*

que diſputari videas, an ſeruitus in diem, vel ex die, vel ſub conditione, vel ad certam conditionem poſſit conſtitui? (r) an proprietario, conſentiente vſufructuario, fundo ſeruitutem imponere liceat? (s) totumne fundum, an eius partem, adficiat ſeruitus? (t) an ſeruitute quis recte vtatur vltra neceſſitatem praedii ſui? (u) an fas ſit, ſolius voluptatis cauſſa ſeruitutem ſibi ſtipulari? (x) De quibus omnibus tanta ſunt ſententiarum diuortia, tantae doctiſſimorum virorum concertationes, (quas neſcio an operoſius quiſquam OSWALDO HILLIGERO (y) collegerit,) vt qui hic interpretes in concordiam reducere conetur, is eadem opera inter aquam & ignem pacem conciliet,

Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

§. V.

Inſtituti ratio, & partitio diſſertationis.

At mihi quidem iam non integrum eſt, tantos componere fluctus: neque tantum fortaſſis mihi ſupereſſet ingenii, vt per tot quaeſtionum ſyrtes, tanquam per medium profundum, ire audeam. At quia tamen, inter tot determinationes & reſtrictiones nulla eſt, ex mea quidem ſententia, ſubtilior, nulla quae plures difficultates pepererit, quam adfectio illa, ſeruitutibus tribui ſolita, puta, quod cauſſa earum debeat eſſe perpetua: facturum me exiſtimaui operae pretium, ſi de PERPETVA illa SERVITVTVM CAVSSA quaedam in chartam coniicerem, in eaque potiſſimum vexatiſſima quaeſtione, dum ſpecimen inaugurale more maiorum edendum eſt, ingenium induſtriamque exercerem. Quin id feci tanto libentius, quanto minus mihi vllus veterum recentiorumue adhuc innotuit, qui iſthoc thema ex inſtituto tractandi coeperit conſilium, multo minus qui illud ita enodarit ac perpoliuerit, vt ocium feciſſe aliis, nullumque poſt meſſem ſpicilegium reliquiſſe videatur. Vt vero diſſertationi ipſi ſuus conſtet ordo: commodiſſimum viſum eſt, eam ita partiri, vt, recenſitis, quae huc pertinent, veterum fragmentis, virorum doctorum interpretationes ac ſententias modeſte expendam, iiſque meam ſubiungam, eamque non ſolum ſolidis argumentis pro virili ſuffulciam, verum etiam ab obiectionibus, ſi quae illi obuerti poſſint, vindicare ſtudeam. Id quod vt bene vertat DEVS O. M. ex animo precor.

§. VI.

(r) *l. 4. pr. D. de ſeru.*
(s) *l. 15. §. 7. D. de vſufr.*
(t) *l. 9. D. de ſeruit. l. 13. §. 1. l. 23. §. 3. l. 26. D. de ſeru. ruſt. praed.*
(u) *l. 5. §. 1. D. de ſeru. ruſt. praed.*
(x) *l. 8. pr. D. de ſeruit.*
(y) Hillig. *Donell. lib. XI. & XII.*

§. VI.

Locus primus, de cauſſa ſeruitutum perpetua, l. 28. D. de S. V. P.

Vt ergo veterum iureconſultorum fragmenta, quae ad hoc ſeruitutum attributum pertinent, ordine recenſeamus: familiam merito hic ducit PAVLLVS, *vir prudentiſſimus* (z), &, iudice LAMPRIDIO (a) *iuriſperitiſſimus*, quin *legum prudentum coryphaeis* ab HERENNIO MODESTINO (b) adnumeratus, ſed idem, ſi alios audimus, ſaepe tam ſubtilis atque obſcurus, vt de eo ſcribere non dubitet IO. BERTRANDVS (c): *Eius vniuerſae leges ita obſcurae, ambiguae, verborumque tenebris involutae ſunt, vt id, quod de Chryſippo Cicero ſcripſit, de* PAVLLO *dicere veriſſime poſſimus, eum totum hoc volumen impleuiſſe oraculis flexiloquis & obſcuris, vt interpres egeat interprete, & ſors ipſa referenda ſit ad ſortes.* Quod iudicium ſicuti aliquando veriſſimum eſt, ita GVIL. GROTII (d), IO. DVARENI (e), aliorumque doctiſſimorum virorum, ſuffragia meruit. Scripſerat hic inter alia ad MASSVRII SABINI *ius ciuile* libros ſedecim, quorum penultimo illum interdicta, ad ſeruitutes pertinentia, illuſtraſſe, recte obſeruauit IAC. GOTHOFREDVS (f), idque ex ipſis ſedecim fragmentis, quae LABITTVS *ex libro illo ad Sabinum quinto decimo* enotauit, ſatis conſtat. Itaque & de ſeruitutibus ſtillicidii & fluminis eo loco egit (g), eaque occaſione haec iura praediorum quaſi poſſeſſione etiam adquiri poſſe docuit. Quum vero ferretur caſus, quod quidam foramen in imo pariete, proluendi pauimenti cauſſa, apertum habuiſſet, idque ius, tamquam ſeruitutem fluminis quaſi longi temporis poſſeſſione quaeſitum ſibi adſeruiſſet: diſquirit, an proluuies illa per foramen fluminis nomine venire poſſit? itemque an praedii dominantis poſſeſſor ius illud tempore ſibi adquiſiuiſſe videatur? Has ergo quaeſtiones ita breuiter ſoluit PAVLLVS (h): *Foramen in imo pariete conclauis vel triclinii, quod eſſet proluendi pauimenti cauſſa, id neque* FLVMEN *eſſe, neque* TEMPORE ADQVIRI *placuit. Hoc ita verum eſt, ſi in eum locum nihil ex caelo aquae veniat. Neque enim* PERPETVAM CAVSSAM *habet, quod manu fit: at, quod ex caelo cadit,*

(z) *l. 6. C. de nupt. l. 11. C. ad Leg. Corn. de falſ.*

(a) Lamprid. *vit. Alexandri Seu. Cap. XXXII.*

(b) *l. 13. §. 2. D. de excuſat.*

(c) Bertrand. *de iuriſperit. Lib. I. Cap. XXV.*

(d) Guil. Grot. *vit. iureconſult. Lib. II. Cap. X.*

(e) Duaren. *ad l. 132. D. de verb. ſignif. p. 783. Op.*

(f) Iac. Gothofred. *in ſerie librorum Sabinian.*

(g) *l. 20. D. de ſeruit. vrb. praed.*

(h) *l. 28. D. de ſeruit. vrb. praed.*

cadit, etſi non adſidue fit, ex NATVRALI *tamen cauſſa fit, & ideo* PERPETVO *fieri exiſtimatur. Omnes autem ſeruitutes praediorum* PERPETVAS CAVSSAS *habere debent: & ideo neque ex lacu, neque ex ſtagno, concedi aquaeductus poteſt. Stillicidii quoque immittendi naturalis &* PERPETVA CAVSSA *eſſe debet.* Eſt hic locus, qui huc pertinet, primus, ac veluti praecipuus, quin totius iſtius doctrinae de cauſſa ſeruitutum perpetua veluti fundus, ac proinde eum, breui inſtituta analyſi illuſtrare non ab re fuerit.

§. VII.

Breuis eius analyſis. Primum itaque PAVLLVS ſpeciem ponit, quod FORAMEN illud IN IMO PARIETE CONCLAVIS VEL TRICLINII PROLVENDI PAVIMENTI CAVSSA patuerit: ita enim recte legitur Florentiae, & nihili eſt, quod in quibuſdam codicibus eſſe notat IVL. PACIVS, *in vno pariete.* Hac quidem poſita ſpecie, reſpondet iureconſultus, NEQVE FLVMEN hoc ESSE, NEQVE id ius TEMPORE ADQVIRI, PLACVISSE. Non *flumen*, quia tametſi per id etiam aqua educi ſoleat, ac proinde proluuies illa, per foramen erumpens, hoc fluminis nomen non incommode ferre videatur, id tamen vocabulum ad aquam duntaxat pluuiam pertineat, ac proinde *caelum, quod ſupra id ſolum intercedit, liberum eſſe debeat* (i): conclauia autem & triclinia ita tecta ſint laquearibus, vt IN EVM LOCVM NIHIL EX CAELO AQVAE VENIAT. Nec *tempore* id ius *adquiri*; quia ſeruitutes quidem, quae continuam vel quaſi continuam cauſſam habeant, longi temporis praeſcriptione adquirantur (k), foraminis autem iſtius vſus ne nomen quidem ſeruitutis mereatur. OMNES enim SERVITVTES PRAEDIORVM CAVSSAM PERPETVAM HABERE DEBERE, nec ſine ea adfectione ſeruitutem intelligi. NON AVTEM PERPETVAM CAVSSAM HABERE, QVOD MANV FIAT: AT QVOD EX CAELO CADAT, ETSI NON ADSIDVE FIAT, EX NATVRALI TAMEN CAVSSA FIERI EXISTIMARI. Vbi ſimul definitiones cauſſae perpetuae, & non perpetuae occurrunt, eaeque ex media philoſophia vetere, ceu ex ARISTOTELE (l) & SENECA (m) patet, depromtae. Hinc porro colligit, IDEO NEQVE EX LACV, NEQVE EX STAGNO CONCEDI AQVAEDVCTVM POSSE. Nam LACVS, teſte VARRONE (n) eſt *lacuna magna, vbi aqua contineri poteſt*, eaque

(i) *l. 1. D. de ſeruit. vrb. praed.*

(k) Dionyſ. Gothofred. *ad l. 28. D. eod.*

(l) Ariſtotel. *analyt. poſter. Lib. I. Cap.* VII.

(m) Seneca *Conſolat. ad Marc. Cap.* VII. *ſequ.*

(n) Varro *de lingua Lat.* Lib. IIII. p. 12.

que plerumque manu excauatur, vt ibi aqua paluſtris & pluuia colligatur, contineaturque in vſum praedii, ac proinde, quum aquam perennem & perpetuam non habeat, creſcere interdum ac decreſcere, interdum plane exareſcere ſolet (o). Idque de STAGNO multo magis verum eſt, quod ita *exſiccari poteſt, vt fiat ager* (p). Vnde ad lacus, *qui perpetuam habent aquam* (q), quosque alibi PAVLLVS (r) *lacus perpetuos* vocat, haec obſeruatio non pertinet. Pergit PAVLLVS, nouoque rem exemplo illuſtrat; STILLICIDII QVOQVE IMMITTENDI, ſi illud ſeruitutis nomen ferat, NATVRALIS ET PERPETVA CAVSSA ESSE DEBET, quippe cuius ea eſt indoles, vt quis aquam pluuiam ex alterius tecto vel tabulato ſtillatim caſſitantem in aream ſuam vel recipere cogatur, vel eam auertere in vicini fundum poſſit. Sed quomodo, quaeſo, fingi poteſt ſtillicidium tale, quod ſine aqua pluuia, & de caelo cadente ſubſiſtat? Immo non modo fingi, ſed & oſtendi poteſt huiusmodi ſtillicidium, quippe quod apud Romanos frequentiſſimum fuiſſe, ſatis conſtat. Solebant illi in tectis aedium planis habere nemora & viridia, ceu iam obſeruauit EM. MERILLIVS (s), (ſed ex loco VITRVVII (t) male intellecto, vbi emendatiores editiones non *tectis* ſed *lectis* habent:) & multo ſolidioribus argumentis probarunt IO. MEVRSIVS & V. C. GER. NOODTIVS (u). Iam quum aqua fontana per aeſtatem ſicciorem rigandae eſſent illae plantae & arbores: contingere oportebat, vt aqua illa manuaria opera ingeſta, inde ſtillatim in vicini aream caſſitaret. Id vero PAVLLVS negat eſſe ſtillicidium, quia illius non ſit cauſſa naturalis & perpetua.

§. VIII.

Locus alter l. 23. §. 1. D. de ſeru. ruſt. praed. eiusque explicatio.

Iungimus huic loco alterum eiusdem PAVLLI (x), ex eodem *libro decimo quinto ad Sabinum* deſumtum, vbi iureconſultus plerisque ſua ipſe vineta caedere, ſibique parum conſtare videtur, dum ſcribit: *Si* LACVS PERPETVVS *in fundo tuo eſt, nauigandi quoque ſeruitus, vt perueniatur ad fundum vicinum, imponi poteſt.* En

vero,

(o) *l. 12. pr. D. de adquir. rer. dom. l. 24. §. vlt. D. de aqua & aqu. pluu. arc.*

(p) *l. 10. §. 3. D. quib. mod. vſusfr. vel vſ. amitt.*

(q) *l. vn. §. 3. D. vt in flum. publ. nauig. liceat.*

(r) *l. 23. §. 1. D. de ſeruit. ruſt. praed.*

(s) Em. Merill. *Obſeru. Lib. I. Cap. XXXIIII.*

(t) Vitruu. *Architect. Lib.* VI. *Cap.* VI.

(u) Io. Meurſ. *de luxu Rom. Cap.* XII. *p.* 32. Ger. Noodt *Comment. ad Pand. tit. p.* 211.

(x) *l. 23. §. 1. D. de ſeru. ruſt. praed.*

vero, aiunt, idem ille PAVLLVS, quem paullo ante aquaeductum ex vicini lacu concedere noluiſſe vidimus, iam ſeruitutem nauigandi in eo concedere non dubitat: & prius quidem, quia in lacu cauſſa aquaeductus non ſit perpetua; poſterius, quia lacus ſit perpetuus. Sudant hic ſuo more gloſſatores, vt, ſe arbitris, PAVLLVS ſecum redeat in gratiam, idque ea ratione quam commodiſſime fieri poſſe, exiſtimant, ſi vel ponant, nauigandi ſeruitutem non eſſe continuam, ac proinde aquam in lacu ſtagnantem huic ſeruituti facile ſuffecturam, aquæductum vero aquam lacui adſidue ſubducere, vt mox non amplius ſuffectura ſit aquaeductui: vel ſi nobis perſuadeant, in fauorem nauigationis aliquid indulſiſſe leges, quod in aquaeductu locum non habeat (y). Sed prior ratio, quam & HVGO DONELLVS (z), probat, admodum diluta eſt, quia ne aquaehauſtus quidem eſt ſeruitus continua, & eum tamen *in ciſterna*, LACV, *piſcina, puteo, ſi viuam aquam non habeant, conſtitui poſſe*, negat VLPIANVS (a). Poſterior plane abſona videtur, quoniam legislatores publicam quidem nauigationem, qua reipublicae annona, aliaque neceſſaria ſubuehuntur, variis priuilegiis dignam iudicarunt (b): ſiquidem, vti ait CALLISTRATVS (c), *remuneranda viſa ſunt pericula nauiculariorum, qui annonae vrbis ſeruiunt, quin & praemiis hortanda eſſe, quia non eſt abſurdum dicere, etiam hos reipublicae cauſſa, dum annonae vrbis ſeruiant, abeſſe*: nauigationis vero priuatae ex vno fundo in alterum tantus numquam fuit fauor, vt ideo a generali iuris ciuilis principio de perpetua ſeruitutis cauſſa recedendum videretur. Aliam deinde rationem commentus IO. GOEDDEVS (d) PAVLLVM quidem in *l.* 28. *D. de ſeru. vrb. praed.* mentionem facere ait *lacus*, ſed vere intelligere *ſtagnum*, quia poſſeſſores fundorum ſua ſaepe opinione ac ſententia quamlibet aquam collectitiam & ſtagnantem pro *lacu* habuerint, & ſic *ſtagno* id tribuerint vocabulum (e): lacum autem, proprie ſic dictum, perpetuam ac perennem aquam habere, & de eo intelligendum eſſe locum alterum *l.* 23. §. 1. *D. de ſeru. vrban. praed.* Sed non opus eſt his argutiis. *Lacus* & *ſtagnum* magnitudine differunt. *Lacuna magna*, teſte

(y) Caepolla *de ſeruitut.* Cap. XXVIIII. *num.* 3.

(z) Donell. *Commentar. iur. ciu.* Lib. *XI. Cap. III.*

(a) *l.* 1. §. 4. *D. de fonte.*

(b) Sueton. *Claud.* Cap. XVIII. & *tot. tit. C. de nauicular.*

(c) *l.* 5. §. 3. *D. de iure immunit.*

(d) Io. Goed. *Comment. ad l.* 112. *D. de verb. ſignif.* p. 823.

(e) argum. *l.* 2. *l.* 3. *l.* 7. *D. de ſupell. leg. l.* 14. §. 2. *D. de leg.* 1.

teſte VARRONE (f), *lacus* vocatur, parua *ſtagni* nomine venit. *Lacus* porro, ſeu lacunae magnae duorum ſunt generum, alii PERPETVI, quos vel ſcaturigo quaedam, vel amnis riuulusue, ingreditur, alio loco ex eo erupturus, quales ex maioribus ſunt *Larius*, *Seruinus*, *Fucinus*, *Lemanus*, *Acronius*, & alii: alii, qui & ſcaturigine & riuis carent, qualis *Traſimenus*. Illi perennem ac viuam continent aquam, & in talibus PAVLLVS nauigandi ſeruitutem recte concedit: hi aquam ſtagnantem, quae feruida aeſtate facile deficit, vnde MARTIALIS (g):

Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur,
Qui fluit, an PIGRO, *quae* STVPET, *vnda* LACV.

Et in his lacubus nec aquaeductum, nec vllam aliam ſeruitutem concedit PAVLLVS noſter: vt adeo nodum in ſcirpo quaerant, qui PAVLLVM ſecum ipſo committunt, eumque vno eodemque libro lacui cauſſam perpetuam modo tribuiſſe, modo negaſſe, contendunt, cum in loco, hactenus enodato, diſerte loquatur de *lacu perpetuo*.

§. VIIII.

Locus tertius l. 1. §. 4. D. de fonte.

Hactenus PAVLLVM de cauſſa ſeruitutum perpetua differentem audiuimus: iam ei merito iungimus VLPIANVM, quocum PAVLLO quidam perpetuas lites interceſſiſſe, eiuſque diſſidii ſemina per ius noſtrum paſſim ſparſa eſſe, fingunt (h). Vere, an falſo, alii viderint: ſaltim *talia non eſt, quod tam large nobis obtrudi patiamur*, ceu recte monet V. A. CORN. VAN BYNCKERSHOEK (i). Attamen a PAVLLO manifeſto aiunt diſſenſiſſe VLPIANVM, dum ſcripſerit (k): *Hoc interdictum de ciſterna non competit: nam ciſterna non habet* PERPETVAM CAVSSAM, *nec viuam aquam. Ex quo adparet, in his omnibus exigendum, vt viua aqua ſit. Ciſternae autem imbribus concipiuntur. Denique conſtat, interdictum ceſſare, ſi lacus, piſcina, puteus, viuam aquam non habeant.* Et de lacu quidem, piſcina & puteo non eſt, quod multum laboremus, quum eamdem illum ſeruaſſe *διαίρεσιν*, animaduertamus, ac PAVLLVM, & hinc de lacubus, piſcinis & puteis, *qui viuam aquam non habent*, diſerte loquatur VLPIANVS. At de ciſterna manifeſto illum aiunt a PAVLLO facere diuortium. Quum enim hic ſeruitutis foraminis cauſſam perpetuam agnoſceret, *ſi quid eo ex caelo aquae veni-*

 re

(f) Varro *ibid. p.* 12.
(g) Martial. *Lib.* VIIII. *Epigr. C.*
(h) Merill. *Obſeru. Lib. I. Cap. XXXIII.* Bertrand. *vit. iuriſperit. Lib. I. Cap. XXV.*
(i) Bynkersh. *libr. ſing. ad leg. lecta. Cap. XIII. p. 89. edit. nouiſſ.* Ant. Schulting. *iuriſpr. vet. anteinſt. p.* 558.
(k) *l. 1. §. 4. D. de fonte.*

re poſſet, ac proinde regulam poneret, *quod ex caelo venit, etſi non adſidue fiat, ex* NATVRALI *tamen cauſſa fieri*, *& ideo* PERPETVO *fieri exiſtimari*: ille ciſternam, in quam ſola aqua pluuia defluit, perpetuam cauſſam habere, negat. Et fateor ſane, pleroſque qui de conciliandis his iureconſultis laborarunt, parum extricaſſe. Nam alii non aquam hic ſeruire cenſent, ſed ciſternam, quae, vtpote manu facta, cauſſam non habeat perpetuam (l): alii vſum tantum aquae conſiderandum eſſe monent, amplius nihil, adeoque, vnde veniat aqua, parum in hac ſeruitute intereſſe exiſtimant. (m) Sed ſi ciſterna, quippe manu facta, ſeruire non poteſt, neque cauſſam habet perpetuam: qui fit, vt vicini tigna recte ſuſtineat praedii noſtri paries, quum tamen & ipſe manu fiat, nec magis, quam ciſterna, cauſſam perpetuam habere videatur? Et quis vſum aquae ab ipſa aqua diſcernat, quum ideo ille non ſit perpetuus, quia ipſa aqua non eſt perennis vel perpetua? Hinc videri poſſet VLPIANVS idem quidem cum PAVLLO inculcaſſe principium, puta quod *cauſſam ſeruitutum perpetuam eſſe oporteat*, at cauſſam perpetuam multo aliter, quam PAVLLVM, definiiſſe. Enimuero illi cum PAVLLO bene conueniſſe, aliunde ſatis conſtat, veluti dum vterque, aquam aliunde, quam ex capite, duci poſſe, negat (n): & diſſenſus hic adparens per ſe euaneſcet, ſimul ac, quid vterque per CAVSSAM PERPETVAM intellexerit, infra ſuo loco ad liquidum fuerit perductum.

§. X.

Locus quartus l. 29. D. de de ſeru. vrb. praed.

Praeter hos duos iureconſultos & tertio, illis haud paullo antiquiori, principium iſtud de perpetua ſeruitutum cauſſa placuiſſe, comperio. Nam & POMPONIVS *in libro XXXII. ad Quintum Mucium* ſeruitutem foraminis conſtitui poſſe negauit, dum ſcripſit (o): *Si quid igitur ex eo foramine, ex quo* SERVITVS NON CONSISTIT, *damnum vicinus ſenſiſſet: dicendum eſt, damni infecti ſtipulationem locum habere.* Negat ergo POMPONIVS, *ſeruitutem ex foramine conſiſtere*, ac proinde poſſeſſori, cui moleſtiam adfert illa proluuies, non indulget actionem *negatoriam*, quae alioquin occaſione ſeruitutum datur (p), ſed *damni infecti*, quae & alias, vbi

(l) Noodt *Comment. ad Pandect.* p. 222.

(m) Vlr. Huber. *Praelect. ad Pand.* *Lib.* VIII. *tit.* IIII. §. VII.

(n) *l.* 1. §. 7. *D. de aqu. quotid. & aeſtiu. l.* 9. *D. de ſeruit. vrb. praed.*

(o) *l.* 29. *D. de ſeru. vrb. praed.*

(p) *l.* 1. *pr. D. ſi ſeru. vindic.*

vbi locus non eſt negatoriae, ex POMPONII (q) ipſius ſententia, ſolet competere. Aſt quamuis in eo PAVLLO calculum adiiciat POMPONIVS, quod foraminis non conſiſtat ſeruitus: rationem tamen eamdem, puta, quod illud cauſſa perpetua careat, hic non adiici animaduertimus, adeoque exiſtimare quis poſſet, eum ex alia ac diuerſa ratione ius illud ſeruitutum numero eximere potuiſſe. Si enim foramen illud dominantis praedii poſſeſſor in ſuo pariete aperuit: id ſeruitutis rationem habere nullo modo potuit, quum cuique ex libertate naturali parietem ſuum perfringere, & feneſtras, quot lubitum eſt, nedum foramen, aperire liceat (r). Sin in pariete vicini, (quam ſpeciem hic format ACCVRSIVS (s): ſeruitus quidem haec fuit, ſi vicinus hanc proluuiem ſe excepturum in aream ſuam pollicitus eſt, at non foraminis, verum cloacae, quippe quae nihil aliud eſt, quam locus concauus, per quem colluuies defluit (t). At quamuis haec ſpecioſa ſint: aliunde tamen ſatis conſtat, eamdem fuiſſe philoſophiam POMPONII ac PAVLLI, eique & idem principium de cauſſa ſeruitutum perpetua, & easdem cauſſae perpetuae & non perpetuae definitiones placuiſſe. Nam in alio textu *ex libro XXXIII. ad Sabinum* depromto, ita ait POMPONIVS (u): *Seruitus* NATVRALITER, *non* MANVFACTO *laedere poteſt fundum ſeruientem: quemadmodum ſi imbri creſcat aqua in riuo, aut ex agris in eum confluat, aut aquae fons ſecundum riuum, vel in eo ipſo, inuentus poſtea fuerit.* Vbi quod contingit NATVRALITER, ei, quod MANVFACTO fundum ſeruientem laedit, manifeſto opponit, & illud quidem, non hoc, cauſſam perpetuam habere tradit, vt adeo de POMPONII & PAVLLI conſenſu non videatur dubitandum.

§. XI.

Obſeruationes quaedam ex his iureconſultorum teſtimoniis,

Et haec quidem ſunt loca illa veterum iureconſultorum, quae ad ſubtile iſtud principium de cauſſa ſeruitutum perpetua praecipue pertinent. Ex iis vero *primum* animaduertimus, principium hoc fuiſſe antiquiſſimum, & ipſis adhuc liberae reipublicae temporibus receptum. Nam PAVLLVS haec notauit ad MASSVRIVM SABINVM, qui proxime ab eo tempore abfuit (x); POMPONIVS ad Q. MVCIVM SCAEVOLAM, qui multo ante illam reipu-

 blicae

(q) *l. 18. D. de ſeru. vrban. praed.*
(r) argum. *l. 9. D. de ſeru. vrb. praed. l. 8. §. 5. D. ſi ſeru. vindic.* Wiſſenb. *ad tit. D. de ſeru. vrb. praed. n. 10.*
(s) Accurſ. *gloſſ. ad l. 28. D. eod.*
(t) *l. 1. D. de cloac.*
(u) *l. 20. §. 1. D. de ſeru. ruſt. praed.*
(x) *l. 2. §. 47. D. de orig. iur.*

blicae conuerſionem floruit, & in Mariano tumultu anno V. C. DCLXVI. periit, C. Fimbriae ſcelere nefarie interemtus (y). Iam notum eſt, veteres interpretes aut ipſas auctorum ſuorum doctrinas proponere ac illuſtrare, aut easdem refellere verbis diſertis. Quum ergo poſterius neuter faciat: recte DVARENVS (z) Paulli ſententiam ipſi Sabino tribuit, & nos adeo eodem iure illam POMPONII tribuere videmur Q. Mucio Scaeuolae. Praeterea haec regula non lege aliqua, aut SCto, aut Principis conſtitutione, introducta, ſed ex iure ciuili ſtrictius accepto depromta eſt. Quaecumque enim ad rerum ciuilium naturam, definitiones & formam, nec non ad formulas agendi, actuſque legitimos pertinent, ea non a recentioribus illis iureconſultis, quorum fragmenta in Pandectis ſuperſunt, ſed a vetuſtiſſimis, veluti SEX. AELIO CATO, cuius Tripertita *veluti incunabula iuris continebant*, nec non ex libris BRVTI, P. MVCII & MANILII, qui *fundaſſe ius ciuile dicuntur*, profecta ſunt (a). Hinc CICERO (b): *Fundus a patre relinqui poteſt: at vſucapio fundi, hoc eſt, finis ſollicitudinis & periculi litium, non a patre, ſed a legibus, relinquitur.* AQVAEDVCTVS, HAVSTVS, VIA, ITER, ACTVS *a patre; ſed rata auctoritas harum rerum a* IVRE CIVILI. Et alio loco (c): *De* IVRE *quidem* PRAEDIORVM *ſancitum apud nos eſt* IVRE CIVILI. Si ergo tota illa doctrina de ſeruitutibus, eiuſque principia, ex iure ciuili, cuius veteres illi iureconſulti, qui libera adhuc republica floruerunt, auctores ſunt, veluti e fonte promanarunt: etiam hoc principium, in quo omnes conſpirarunt, non poſſumus non pro antiquiſſimo habere. Diximus, quae altera noſtra obſeruatio eſt, in hoc principio omnes conſpiraſſe, quorum in pandectis fragmenta ſuperſunt. Neque enim inter tot interpretes, quorum ex ſcriptis TRIBONIANVS ſub titulis *libri VIII. Pandectarum* excerpta collegit, (collegit autem illa ex operibus LABEONIS (d), ALFENI (e) PROCVLI,

(y) Cicero *de oratore Lib. III. Cap. III. Excerpta Peireſc.* p. 410. Vellei. Patercul. *Lib. II.* Cap. XXVI. Appian. *de bello ciu. Lib. I. p.* 404. Lucan. *Pharſalic. Lib. II. v.* 126. *ſequ.*

(z) Duaren. *Comment. ad l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrb. p.* 195. *Oper.*

(a) *l.* 2. §. 5. 6. 38. 39. *D. de orig. iur.*

(b) Cicero *pro A. Caecinna* Cap. XXVI.

(c) Cicero *de offic. Lib.* III. Cap. XVI.

(d) *l.* 21. *D. ſi ſeru. vindic. l.* 19. *D. de ſeru.*

(e) *l.* 17. *D. ſi ſeru. vindic.*

Digitized by Google

PROCVLI (f), CELSI (g), NERATII (h), IAVOLENI (i), IVLIANI (k), AFRICANI (l), PAPIRII IVSTI (m), POMPONII, CAII, SCAEVOLAE, (n) MARCELLI (o), PAPINIANI (p), VLPIANI, PAVLLI, CALLISTRATI (q), MARCIANI (r), MODESTINI (s), vel vnus reperitur, qui principium illud de cauſſa ſeruitutum perpetua vel verbo perſtringat, aut diſerte illud, tamquam vanum aut futile, reiiciat. Immo quum alioquin ſaltim diuerſarum ſectarum iureconſulti diſſentire ſoleant, eiuſque diſſenſus veſtigia a TRIBONIANO non potuerint ita conturbari, vt non ea paſſim deprehenderint viri docti (t): hic nullus inter Proculeianos & Sabinianos diſſenſus obſeruatur. Immo quum PAVLLVM, POMPONIVM, VLPIANVM inter erciſcundos, quos vocant, iureconſultos referant, eoſdemque tamen in Sabinianorum partem procliuiores eſſe obſeruent (u): ab his ſententiam ſuam non diſiungit Proculeianorum acerrimus, NERATIVS (x), qui dum alicubi ſcribit: *ſi aquaeductus, vel hauſtus aquae* SVFFICIENS EST, *poteſt & pluribus per eumdem locum concedi, vt iiſdem diebus vel horis ducatur*, manifeſto exigit, vt cauſſa earum ſeruitutum ſit perpetua, ſiquidem alias fieri non poſſet, vt pluribus ſufficeret.

§. XII.

(f) *l. 16. D. quemadm. ſeru. amitt. l. 23. D. de ſe ru. praed. vrb. l. 13. D. ſi ſeru. vind.*

(g) *l. 9. D. de ſeruit. l. 6. D. quemadm. ſeruit. amitt.*

(h) *l. 18. D. eod. l. 2. D. de ſeru. praed. ruſt.*

(i) *l. 12. D. de ſeru. praed. vrb. l. 13. D. de ſeru. praed. ruſt. l. 4. & l. 5. D. commun. praed. l. 9. l. 14. & 15. D. quemadm. ſeru. amitt. l. 12. D. ſi ſeru. vind. l. 12. l. 16. l. 20. D. de ſeruit.*

(k) *l. 22. l. 32. l. 34. l. 37. D. de ſeru. praed. vrb. l. 27. l. 28. l. 31. D. de ſeru. praed. ruſt. l. 2. l. 16. l. 18. D. ſi ſeru. vind. l. 14. D. commun. praed.*

(l) *l. 32. D. de ſeru. praed. ruſt. l. 33. eod.*

(m) *l. 14. D. de ſeru. praed. vrb. l. 17. D. de ſeru. praed. ruſt.*

(n) *l. 20. D. ſi ſeru. vind. l. 41. D. de ſeru. praed. vrb. l. 20. l. 22. l. 24. D. quemadm. ſeru. amitt.*

(o) *l. 10. D. de ſeru. praed. vrb. l. 11. l. 13. D. quemadm. ſeru. amitt.*

(p) *l. 6. D. ſi ſeru. vindic. l. 4. l. 18. D. de ſeru. l. 36. D. de ſeru. praed. vrb. l. 4. l. 34. de ſeru. praed. ruſt. l. 17. D. commun. praed.*

(q) *l. 16. D. de ſeru. praed. ruſt.*

(r) *l. 1. D. de ſeru. l. 35. D. de ſeru. praed. ruſt. l. 19. D. ſi ſeru. vind.*

(s) *l. 11. D. de ſeru. l. 12. D. de ſeru. ruſt. praed.*

(t) Merill. *Lib. I. Obſeru. Cap. V. ſequ.* Maſcou. *de ſect. Sabinian. & Procul. Cap. vlt.*

(u) Eu. Otto *Papinian. Cap. XI. §. VI. p. 229.*

(x) *l. 2. §. vlt. D. de ſeru. praed. ruſt.*

§. XII.

De cauſſa ſeruitutum perpetua ſententia Ioannis Superioris.

Quum ergo haec de perpetua cauſſa ſeruitutum doctrina & antiqua omnino, & omnibus vtriusque ſectae iureconſultis communis fuerit, & in eius tamen adplicatione non vna difficultas emergat: noſtrum porro erit, diſpicere, quo pacto interpretes recentiores explicare illud principium, & nodos, quos hic & magnos, & plurimos deprehendimus, ſoluere ſoleant. Nec tamen hic immorabimur gloſſatorum, CAEPOLLAE, aliorumque eiusdem commatis ſcriptorum ſomniis, qui ſeruitutes continuas cum perpetua earumdem cauſſa turpiter confundentes, principium iſtud, quod omnium ſeruitutum cauſſa perpetua eſſe debeat, manifeſto deſerunt, nec facere poſſunt, quin diſcontinuarum, quas vocant, cauſſam perpetuam eſſe, negent. Saltim eam ſententiam & IO. LONGOVALLIVS (y), qui alias gloſſatorum errorem de harum ſeruitutum praeſcriptione erudite refellit, amplectitur, ipſe poſtea refutatus a IO. CORRASIO (z). Agmen ergo hic potius ducat non inelegantis ingenii iureconſultus, IOANNES SVPERIOR, (a) Aquitanus, qui quum obſeruaſſet, ipſam aliquando ſeruitutum conſtitutionem CAVSSAE nomine venire (b), non ſe perpetuam illam ſeruitutum cauſſam rectius credidit explicaturum, quam ſi perpetuitatem illam in ipſa ſeruitutum conſtitutione voluntateque conſtituentium quaereret, vt adeo cauſſam perpetuam habere videretur ſeruitus, quia ex die, vel ad diem, vel ſub conditione, vel ad certam conditionem conſtitui nequeat (c), & ita conſtituta non habeatur pro ſeruitute. Quia vero facile animaduertit, foraminis ius, & aquaehauſtum ex ciſterna, lacu, puteo, piſcina, non minus, quam flumen, aliaque praediorum iura, pure conſtitui poſſe, & tamen ſeruitutibus non adnumerari (d): adiecit, ſeruitutes & ratione vſus eſſe debere perpetuas, ita, vt & fundus, cui imponitur ſeruitus, eam numquam non poſſit praeſtare, aut pati, & alter, cui adquiritur, illa ex naturali vel perpetua cauſſa ſemper indigeat. Et ſic ſatis perſpicue explicari a ſe poſſe credidit, cur nec ex ciſterna, nec ex ſtagno, aqua collectitia duci, nec foramen, in imo pariete apertum, pro ſeruitute haberi poſſit, & cur neutrius ſeruitutis cauſſa perpetua viſa ſit veteribus.

§. XIII.

(y) Longouall. *in L. imperium 3. D. de iuriſd. Parte* IIII.

(z) Corraſ. *Comment. de ſeruit. p.* 261. *ſequ.*

(a) Io. Superior *Comment. de ſeruit. ad l.* 12. *pr. D. de ſeruit. n.* 4.

(b) *l.* 17. *pr. D. de aqu. & aqu. pluu.*

(c) *l.* 4. *pr. D. de ſeruit.*

(d) *l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrb. l.* 1. *§.* 4. *D. de fonte.*

Digitized by Google

§. XIII.

Sed haec viri docti ſententia ſpecioſa magis, quam ſolida, videtur. Nam quod ad rationem priorem attinet, nec ea aquae-hauſtui ex ciſterna, lacu, puteo, nec foramini in imo pariete aperto, obſtat, quia, vti iam monui, & haec iura pure conſtitui poſſunt. Praeterea non ideo pure conſtituendae ſunt ſeruitutes, quod cauſſa earum debeat eſſe perpetua: ſed alia plane eſt eius rei ratio, in quam iam alii cum cura inquiſiuerunt (e), quamuis vix quiſquam rem acu tetigiſſe videatur. Vera enim ratio non alia eſt, quam quod praediorum ruſticorum ſeruitutes, tamquam res mancipi, per *mancipationem*; praediorum vrbanorum iura per *in iure ceſſionem* adquirerentur (f), & hi adquirendi modi inter viuos ſoli eſſent legitimi. Atqui & *mancipatio*, & *in iure ceſſio* inter actus legitimos erant, qui nec diem, nec conditionem, admittebant (g). Nihil ergo haec faciunt ad cauſſam ſeruitutum perpetuam, quamuis in ſe omnino ſint veriſſima. Poſterior IO. SVPERIORIS ratio, ſi recte explicetur, non longe a veritate abeſt: at eo ſenſu, quo eam ipſe auctor propoſuit, dubiis haud leuibus vrgetur. Sane enim paſcua, quibus vicinus aliquando iure ſeruitutis fruitur, ſaepe non ita comparata ſunt, vt praeſtari poſſint, quia ſicciore aeſtate non minus, quam ciſternae & ſtagna, exareſcunt. Saepe, vti ait VIRGILIVS (h), *Eius examen.*

Steriles exuret Syrius agros,
Arebunt herbae, & victum ſeges aegra negabit.

Sed & ſaepe conſtituitur ſeruitus, quamuis quis ea non ſemper indigeat. *Ei fundo*, inquit LABEO (i), *quem quis vendat, ſeruitutem imponi, etſi* NON VTILIS *ſit, poſſe exiſtimo: veluti ſi aquam alicui ducere non expediret, nihilominus conſtitui ea ſeruitus poſſet: quaedam enim habere poſſumus, quamuis vtilia non ſint.* Si ſeruitus conſiſtit, etiam ex qua nulla ad nos redundat vtilitas: qui dici poteſt, ea ſemper indigere debere dominantis praedii poſſeſſorem? Sic ſane iure terram, rudus, ſaxa iaciendi, poſitaue habendi ac prouoluendi in alieno fundo non ſemper indiget praedium, & nihilominus hoc ius vicino recte cedi, obſeruat

(e) Guil. Maran. *Paratitl. p.* 259. Merill. *ad tit. de ſeruit. p.* 637. *Tom. III. Theſaur. iur.*

(f) Vlpian. *Fragm. tit.* XVIII. §. *I. III. & XI.*

(g) *l.* 77. D. *de regul. iur. & ibi* Iac. Gothofred.

(h) Virgil. *Aeneid. Lib. III. v.* 141. *ſequ.*

(i) *l.* 19. *D. de ſeruit.*

Digitized by Google

NERATIVS (k). Et quis denique neget, foramine illo, in imo pariete, ex naturali & perpetua cauſſa ſemper indigere cubiculum, quum ita natura comparatum ſit, vt pauimenta non poſſint non ſordes & ſitum contrahere, ac proinde ſemper proluenda ſint? Quiſue dubitet, quin fundus vicinus eam ſeruitutem ſemper, & multo quidem facilius, quam cloacam, flumen, ſtillicidium, praeſtare ac pati poſſit? Et tamen ſeruitutem huiuſmodi cauſſam perpetuam habere, negat PAVLLVS (l): idque argumento luculentiſſimo eſt, non peruidiſſe IO. SVPERIOREM veterum ſententiam, nec perſpicue ſatis, quid *cauſſae perpetuae* nomine illis venerit, explicaſſe.

§. XIIII.

Duareni, Cuiacii aliorumque excuſſa.

Proximi ſint FRANC. DVARENVS (m), IAC. CVIACIVS (n), GVIL. MARANVS (o), ANDR. FACHINEVS (p), & alii, quibus tunc demum perpetuam cauſſam habere videtur ſeruitus, ſi res ipſae, in quibus illa conſiſtit, ita ſint comparatae, vt, quoties collibitum eſt, iis vti liceat (q). Tales autem non alias eſſe aiunt quam naturales, non autem opera manuue hominis factas. Sed tametſi haec ipſis PAVLLI verbis ſatis congruant, nec in ſe admodum obſcura ac difficilia ſint: iiſdem tamen difficultatibus, quibus ipſa illa PAVLLI φιλοσοφήματα, laborant. Sane enim ſiue de praedio dominante, ſiue de ſeruiente, eas definitiones intelligas: plures dari poſſunt ſeruitutes, quae adficiunt res, hominum opera manuque factas, & quas tamen ordine illo mouere nemo umquam auſus eſt. In ſeruitute *oneris ferendi*, ex parte praedii dominantis occurrit ſuperior aedium contignatio, quae in alterius pariete vel columna requieſcit: ex parte ſeruientis ipſa columna vel paries, quo vicini onus ſuſtinetur. Neutra res a natura profecta; vtraque manu facta eſt, & tamen hanc ſeruitutem nemo umquam cauſſam perpetuam habere, negauit. Si quis nobis obuertat, cauſſam huius ſeruitutis ſaltim ex hypotheſi eſſe perpetuam, quia hic dominus praedii ſeruientis reficere parietem, atque ita efficere teneatur, vt PARIES ONERI FERVNDO, VTI NVNC EST, ITA SIT: reſpon-

(k) *l. 3. §. 2. D. de ſeru. praed. ruſt.*
(l) *d. l. 28. D. de ſeru. praed. vrban.*
(m) Duaren. *Comment. ad d. l. 28. p. 195. Op.*
(n) Cuiac. *Obſeru. Lib. XI. Cap. III.*
(o) Guil. Maran. *Paratitl. Dig. p. 259.*
(p) Andr. Fachin. *Controu. iur. Lib.* VIII. Cap. *XXII. p. 646.*
(q) *l. 1. §. 1. & 5. D. de aqua quotid. & aeſt. l. 2. §. 4. D. de fonte.*

(r) reſpondeo, primum nondum euictum eſſe, reficiendi obligationem ſeruientis praedii domino citra pactum incumbere (s): deinde, ſi vel maxime ea huius ſeruitutis indoles eſſet, eam tamen perpetuitatem parietis vel columnae non naturae, quod hi viri docti exigunt, ſed operae hominum manuariae deberi: denique cauſſam perpetuam aeque tribui ſeruituti *tigni immittendi*, in qua tamen ſeruientis praedii poſſeſſori hoc onus plane non incumbit. Ex quo ſane conſequitur, vt ne hi quidem viri doctiſſimi aliquid, quod ad vetus iſtud principium perſpicue explicandum pertineat, attulerint, ſed omnia aeque adhuc, ac antea, incerta ſint, multisque tricis inuoluta.

§. XV.

Nec non Donelli & Noodtii explicatio.

Progredimur ad HVGONEM DONELLVM (t), qui quum alias DVARENI ſui veſtigia paene vbique premat, hic tamen ab iis longius recedit, ὁμόψηφον in plerisque nactus virum eximium, GER. NOODTIVM (u). Nam hi ſeruitutes cauſſam perpetuam habere ſtatuunt, primum, ſi earum vſus ex naturali cauſſa ſit perpetuus: e. g. in aquaeductu ex aqua viua & perenni (x): deinde, ſi eius vſus non quidem continuus ac perpetuus, at res ipſa tamen a natura ſit, veluti in ſtillicidii & fluminis ſeruitute aqua pluuia, quae non cadat ſemper, attamen, quia a natura ſit, cadere ſaltim poſſit (y): denique, ſi quid manu quidem fiat, ſed praedium tamen eiusue pars rei habendae cauſſa comparatum ſit. Hinc *ius fumi immittendi* veram eſſe ſeruitutem, quia caminus vel fornax, quamuis manu exſtruantur, eo tamen conſilio habeantur, vt aut ignem perpetuum habeant, aut ad habendum illum ſemper parati ſint. (z) Sicubi vero nullum horum attributorum reperiatur: cauſſam non poſſe videri perpetuam, adeoque in *foramine parietis* non conſiſtere ſeruitutem, quia aqua manu ingeratur, nec magis eo nomine venire poſſe *aquaeductum ex ſtagno vel lacu*, viuam aquam non habente, ſed omnia haec iura, rite conſtituta, obligationis perſonalis naturam induere. Ex quibus principiis deinde DONELLVS veterem illam vexatamque quaeſtionem ſoluit, an *aquae ex caſtello ducendae, vel per rotam ex flumine tollendae, haurien-*

(r) *l.* 33. *D. de ſeruit. praed. vrban. l.* 6. §. 2. *D. ſi ſeru. vind.*

(s) Eu. Otto ad §. 1. *Inſt. de ſeru.* & illuſtris Praeſidis *Elem. iur. sec. ord. Pand. Part. II.* §. 142.*

(t) Donell. *Comment. iur. cit. Lib. XI. Cap. III.*

(u) Noodt *Comment. ad Pand. p.* 122.

(x) *l.* 1. §. 4. *D. de fonte.*

(y) *l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrban.*

(z) *l.* 8. §. 5. *D. ſi ſeru. vind.*

Digitized by Google

riendaeue ſeruitutes poſſent conſtitui ? Id enim poſt multas variationes ait obtinuiſſe (a), quia caſtellum vel machina illa hydraulica aquam non gignant, ſed eius tantum receptacula & cauſſae motrices ſint (b) : ipſa vero aqua ex caſtello educta, vel per rotam ſublata, tamquam perennis, cauſſam habeat perpetuam. Denique & *cloacae* cauſſam eſſe perpetuam, exiſtimat vir eximius; quia cloaca non ſit quoduis foramen, ad ſordes emittendas apertum, ſed locus cauus, aquam de caelo cadentem, ſordesque & colluuiem ſecum vna auferentem, recipiens (c). Neque enim fluere, ſed ſtagnare colluuiem, niſi ab aqua pluuia auferatur. Vnde *cloacam* dictam, quaſi *colluacam*, quae ſordes, aqua pluuia vel alia, perpetua decurrente, ſua ſponte colluat (d). Sic ergo DONELLVS, pulcre imitatus PAVLLI ratiocinationem, tunc demum cloacam cauſſam habere perpetuam, ſtatuit, ſi quid aquae caeleſtis eo venire poſſit (e).

§. XVI.

Eius examen.

Enimuero quod ad duas priores DONELLI definitiones attinet, illae mihi in easdem difficultates incidere videntur, quibus DVARENI & CVIACII ſententiam premi, paullo ante oſtendimus. Aliquot enim ſeruitutes vidimus, quae nec continuam, nec poſſibilem cauſſam a natura habent, & tamen cauſſa perpetua non carere dicuntur, veluti ſeruitutes *ferendi oneris, tignique immittendi.* Quod vero ad tertiam attinet, vir doctus PAVLLVM non explicat, ſed manifeſto deſerit. Quum enim hic diſerte id, quod manu fit, cauſſam perpetuam habere neget (f) : DONELLVS etiam huiuſmodi rebus manufactis tribuit cauſſam perpetuam, ſi eius rei gratia, cui ſeruiunt, habeantur, veluti camino, quem fumi cauſſa habeamus. Atqui ſic nulla idonea ſubeſt ratio, cur in *foramine* illo parietis conſiſtere non poſſit ſeruitus, quum & illud eum in finem a poſſeſſore praedii dominantis habeatur, vt aqua, proluto pauimento, inde vel recipiatur, vel emittatur. Si regerat aliquis, aquam tamen ipſam, quae per foramen iſtud effluat, non eſſe perennem, ſed manu in conclaue vel triclinium inferri: ei ego reponerem, ne fumum quidem, per caminum emittendum, eſſe perennem, eumque non minus, quam aquam illam, pauimento infuſam, manuaria hominum opera indigere. Fornax, qui ignem

(a) *l. 9. D. de ſeru. ruſt. praed. l. 2. D. comm. praed. vrban. & ruſtic.*
(b) *l. 1. §. 39. D. de aqu. quotid.*
(c) *l. 1. §. 4. D. de cloac.*
(d) Feſtus *voce cloaca.* Voſſ. *Etymolog. p. 166.*
(e) *l. 28. D. de ſeru. praed. vrban.*
(f) *d. l. 28. D. de ſeruit. praed. vrban.*

Digitized by Google

ignem perpetuum habeat, vix fingi poteſt, nec talem in ciuis Romani aedificio aliquo repertum crediderim, ſed in ſolo Veſtae templo, *in cuius foco ad ſimulacrum caeleſtium ſiderum cuſtos imperii flamma perpetuo vigilabat* (g). Si vero in ſeruitute fumi immittendi ſufficit, caminum ad ignem habendum ſemper eſſe paratum: quidni & altero illo caſu ſufficeret, foramen ſemper paratum eſſe, ad recipiendam emittendamue conclauis vel triclinii proluuiem? Deinde in ſeruitute *aquae, e caſtello ducendae, vel rota e flumine tollendae*, DONELLVS id ad cauſſam perpetuam ſufficere cenſet, quod aqua caſtello recepta, rotaue in ſublime euecta, in ſe perennis & viua ſit. Quid ergo ſi aqua perennis vel fontana manibus in pauimentum ingeratur? Scire profecto peruelim, cur aqua, per rotam in ſublime euecta, perennis maneat; manu extracta effuſaque in pauimentum non maneat? & cur infuſa amphoris perennis ſit, infuſa pauimento viua & perennis eſſe deſinat? Denique & quod de *cloaca* acute ſibi obſeruaſſe videtur DONELLVS, eam ſine aqua caeleſti, quae ſordes auferat, intelligi non poſſe, id in iure noſtro vix reperit praeſidium. Quum enim edixiſſet Praetor: QVO MINVS ILLI CLOACAM, QVAE EX AEDIBVS EIVS IN TVAS PERTINET, PVRGARE LICEAT, VIM FIERI VETO: ſtatim ſubiicit VLPIANVS (h): *Ait Praetor*: QVAE EX AEDIBVS EIVS IN TVAS PERTINET. *Aedes hic accipere debes pro omni aedificio, hoc eſt ex aedificio eius in tuum aedificium.* Et paucis interiectis (i): *Quod ait Praetor*, PERTINET, *hoc ſignificat, quod ex aedibus eius in tuas pertinet, hoc eſt, dirigitur, extenditur, peruenit.* Si ergo cloaca ex aedibus in aedes, vel ex aedificio in aedificium pertingit, per eamque locus cauus, ſubter terram depreſſus, & ſuperne tectus, vel concameratione clauſus, (quod ex *periculoſo ſerui in cloacas deſcenſu* (k) eruditi colligunt:) intelligitur: quomodo eo aliquid aquae pluuiae peruenire poterit? Philologia etiam DONELLI de voce *cloaca* parum ad rem facit. Poteſt enim ei a *colluendo* nomen eſſe, etiamſi ſordes ſtagnantes aqua manu ingeſta diluerentur: quum & ſpurcities omnes *ſentinarum colluuiones* vocentur ab ARNOBIO (l), aliiſque bonis auctoribus. Denique apud VLPIANVM (m) nuſquam exſtat illa cloacae definitio, quam ex eius verbis extundit DONELLVS: ſed cloaca ibi eſt *locus cauus, per quem colluuies quaedam fluat*: pluuiane ve-

(g) Flor. *rer. Romanor.* Lib. I. Cap. II.
(h) *l.* 1. §. 8. *D. de cloac.*
(i) *l.* 1. §. 10. *D. eod.*
(k) *l.* 54. *pr. D. de act. emt. vend.*
(l) Arnob. *adu. gentes Lib. V. p.* 151.
(m) *l.* 1. §. 4. *D. de cloac.*

ro, an alia aqua, diluendae ſint ſordes, non expreſſit iureconſultus, nec quidquam procul dubio intereſſe, ipſe exiſtimauit.

§. XVII.

Interpretatio M. Aur. Galuani expenſa.

Attigit hanc quaeſtionem etiam M. AVREL. GALVANVS (n), vir eruditiſſimus, &, quod caput rei eſt, interioris iurisprudentiae quidam veluti promus condus. Dum enim de vſucapione vſusfructus, reliquarumque ſeruitutum diſſerit, oſtenditque luculenter, ſeruitutes omnes longo tempore adquiri poſſe, & textum tamen PAVLLI, ſaepe laudatum (o), ſibi quodammodo obſtare animaduertit, hoc dubium ita ſoluit: *Sed optime reſponſum eſt, foramen non adquiri, non quod ſeruitutes tempore adquiri nequeant, ſed quia perpetuam cauſſam non habeat, qualem habere debent omnes ſeruitutes, vt ibidem exprimit* PAVLLVS, *& recte: nam ſeruitutes reales, ſicut adficiunt praedium, quod perpetuum eſt, ita ipſae cauſſam habere debent perpetuam, vt perpetuo illud adficere poſſint.* Et alio loco, vbi de oppignoratione ſeruitutum erudite diſputat: (p) *Seruitus*, inquit, *non niſi in perpetuum recte conſtituitur* (q): *ſiue, quia iungitur praedio, & fit quodammodo pars vel qualitas, adficiens ipſum praedium, quod naturaliter perpetuum eſt: ſiue quod conſtituitur ſeruitus ad perpetuam vtilitatem praedii dominantis, quod ſuapte natura non modo nunc, ſed etiam ſemper deſideraturum eſt, v. g. iter, actum, viam, aquaeductum. Quamobrem & cauſſam perpetuam debet habere* (r). Ergo cauſſam perpetuam GALVANO habere videntur iura, quae praedium perpetuo poſſunt adficere: quae vero non ſunt in ea cauſſa, ex eius ſententia carent cauſſa perpetua. At, quaenam iura praedia perpetuo adficere poſſunt, vel non poſſunt? Abrumpit hic vtrobique ſermonem GALVANVS, vbi minime oportebat. *Adficere* ſane praedia perpetuo videntur omnia iura, praediis ita impoſita, vt illis in omne tempus haereant, & tamquam onera realia ad omnes poſſeſſores tranſeant (s), nec quidquam videtur intereſſe, naturales habeant cauſſas, an legibus & conuentionibus debeant originem. Et ſic recte intelligere mihi videor, quid inter obligationes poſſeſſorum, & ſeruitutes, ipſis praediis impoſitas, interſit: at ex eo me nondum percipere fateor, quaenam ſit cauſſa ſeruitutis perpetua. Quid enim

(n) M. Aur. Galuan. *de vſufructu* Cap. *XII*, §. *V*. p. 119.

(o) *d. l. 28. D. de ſeru. praed. vrb.*

(p) Galuanus *ibid. Cap.* XXXVIIII. p. 598.

(q) *l. 4. D. de ſeruitut.*

(r) *d. l. 28. D. de ſeru. praed. vrban.*

(s) *l. penult. §. vlt. D. ſi ſeruit. vind.*

enim obſtat, quaeſo, quo minus & foramen in imo pariete apertum, ſi ius illud ibi habendi in perpetuum conceſſum ſit, praedium perpetuo adficere dicatur? Praeterea vir doctus & conſtitutionem ſeruitutum puram cum cauſſa earumdem perpetua confudiſſe, & illam quorumdam opinionem, quod ſeruitutes ſint qualitates a praedio inſeparabiles, adoptaſſe videtur, quam refellens GVIL. MARANVS (t): *Non eſt verum*, inquit, *ſeruitutum qualitates, ſemel impreſſas, non facile auelli, repugnat enim titulus: quemadmodum ſeruitutes amittantur.*

§. XVIII.

Eorum, qui nouiſſime ſubtilem iſtam iuris regulam explicare conati ſunt, haud poſtremus eſt vir celeberrimus, VLR. HVBERVS (u). Is vero primum veteribus merito placuiſſe ait, cauſſas ſeruitutum eſſe perpetuas. *Debere enim eas rebus inhaerentes, & inter quoſuis poſſeſſores valituras, praediorum naturae eſſe congruas, adeoque durare, quamdiu res & praedia durent.* Qua in re cum GALVANO omnia conueniunt viro eximio. Hinc, reiecta vulgari ſeruitutum continuarum & diſcontinuarum diſtinctione, non omnes quidem ſeruitutes continuum, aequabilem, & non interruptum vſum habere, fatetur, omnium tamen cauſſam perpetuam eſſe debere contendit. At difficile explicatu eſſe ait, cur foraminis perpetuam cauſſam eſſe negarit PAVLLVS, quum tamen ille perpetuitatis defectus in exercitio iuris, non in aptitudine, conſiſtere videatur. Quamobrem de ſpecie, quam iureconſultus ob oculos habuerit, ſollicitus, probare videtur ſententiam ACCVRSII, qui foramen illud in pariete praedii non dominantis, ſed ſeruientis, exſtitiſſe exiſtimat. Denique quum animaduerteret, ex PAVLLI ſententia non aliam cauſſam eſſe perpetuam, quam quae *a natura* ſit, & plures tamen ſeruitutes a poſſeſſore praedii dominantis non niſi manuum pedumque opera poſſe exerceri, e. g. iter, actum, viam, ceteras: expenſis omnibus, quae huc facere videbantur, ſubductiſque rationibus, hanc demum facit cogitationum ſuarum ſummam: *Seruitus omnis debet habere cauſſam perpetuam, hoc modo, vt loci ſeruientis conditio ſemper idonea ſit ad vſum ſeruitutis, nec ad illum procurandum manu ſit opus. Quo minus hi, quibus competit ſeruitus, manus pedeſue moueant, ad eam exercitandam, nihil vetat, & neceſſarium eſt.* Siue ergo dominans manu aliquid

Hypotheſis celeberrimi Vir. Huberi.

(t) Guil. Maran. *Paratitl. Digeſt.* p. 259.
(u) Huber. *Praelect. ad Dig. Lib.* VIII. *tit. IIII.* §. VI.

aliquid faciat, nec ne, perinde eſt, modo ex parte ſeruientis nihil manu fieri oporteat, ad vſum ſeruitutis alteri procurandum: id enim contra naturam ſeruitutum eſſet futurum, quae non patitur, vt poſſeſſor praedii ſeruientis aliquid faciat in alterius vtilitatem. Hoc poſito, omnes difficultates ſtatim euaneſcere, exiſtimat. Nam *iter*, *actum*, *viam*, non poſſe quidem, niſi pedum opera, exerceri: at loci tamen ſeruientis naturam ſemper eiuſmodi eſſe, vt ad recipiendum ſeruitutis vſum parata ſit. In *foramine* vero illo locum ſeruientem non eſſe aptum ad exercitium ſeruitutis, niſi aqua idemtidem in locum iſtum ingeratur. Porro ad *fumum immittendum* manu quidem dominantis, at nulla ſeruientis opera opus eſſe. Quod vero ad *ciſternam* attineat, in illam quidem aquam de caelo cadere, at cauſſam tamen aquae hauſtus ideo non eſſe perpetuam, quia ibi ſolus vſus aquae e ciſterna hauriendae conſideretur, amplius nihil: locum autem ſeruientem eſſe ciſternam, quae non ſemper idonea ſit ad aquam hauriendam. Si quis autem ius aquam deriuandi in ciſternam vel in foramen conſtituere velit, iam nihil obſtare, quod non ſemper aqua in eam cadat, quum potentia & aptitudo ſemper adſit aequabilis, idque ad perpetuitatem cauſſae ſufficiat.

§. XVIIII.

Quaedam circa illam dubia.

Sed quamuis haec ſatis plana viſa ſint viro doctiſſimo, & vere nemo illo a ſcopo propius abſit: vereor tamen, vt illa, niſi paullo aliter explicentur, tot nodis diſſoluendis ſufficiant. Primum equidem, quod attulit, ſeruitutem tamdiu durare debere, ac ipſa praedia, magis tamquam rationem, cur haec regula recepta ſit, quam tamquam definitionem cauſſae perpetuae, attuliſſe videtur: nec opus eſt vt hic repetamus ea, quae de M. AVRELII GALVANI idem fere tradentis, ſententia monuimus. Deinde, vt ad ipſam HVBERI regulam perueniamus, ea ſane non abſona, ſed analogiae iuris conuenientiſſima eſt, nec vlla vmquam dari potuiſſet planior, ſi tot exempla, quae in contrarium vulgo adferunt, commode inde poſſent explicari. At ea recepta, non minus, quam antea obſcura manet illa PAVLLI de foramine deciſio. Nam & in eo manuaria opera non ſeruientis, ſed dominantis, opus eſt, ſi, quod vulgo ſtatuunt, aquam, proluto pauimento per illud in vicini aream emiſſam eſſe, ponamus. Seruiens hic nihil facit, nec aquam ingerit pauimento, ſed eam tantum, effluentem e foramine, recipit in aream ſuam: nec quiſquam dubitabit, quin loci ſeruientis, puta areae, conditio ſemper ac naturaliter idonea ſit

Digitized by Google

ſit ad vſum huius ſeruitutis praeſtandum. Cur ergo in eo minus conſiſteret ſeruitus, quam in camino, per quem fumus emittitur? Ipſe ſane vir eximius, non aliter hunc nodum ſoluere potuit, quam noua plane ſpecie acute excogitata, in qua fingit, fontem aut flumen in aedibus vicini eſſe, ex quo liceat per foramen, in ipſius vicini pariete apertum, & tubos illi inſertos aquam pauimenti noſtri proluendi cauſſa educere. Sed talem ſpeciem vix vmquam occurrere crediderim. Praeterea in tubulos illos aqua aut dominantis, aut ſeruientis manu ingerenda eſſet. Si prius: ſeruitus erit ex principio celeberrimi HVBERI, quia nihil obſtat, quo minus manum pedemue moueat is, qui ſeruitutem exercet: ſin poſterius: non erit ſeruitus, non ideo tamen, quod cauſſam non habeat perpetuam, ſed quod ſeruitus in faciendo conſiſtere non poteſt. Ceterum neminem fatemur ipſam ſpeciem rectius peruidiſſe celeberrimo HVBERO, idque infra pluribus demonſtrabimus.

§. XX.

Schilteri ſententia.

Facere porro non poſſumus, quin & IO. SCHILTERI, tamquam primarii in iureconſultorum ordine ſenatoris, ſententiam audiamus. Is enim de hac quaeſtione ex inſtituto diſputans (x), primum praemittit, quando CAVSSA ſeruitutis PERPETVA requiratur, non intelligi *finalem*, quae & in foraminis iure ſit perpetua, puta, perpetua ſordium auerſio: neque *efficientem*, id eſt, perſonas ſeruitutem conſtituentes ac exercentes, mortales profecto, ac proinde non perpetuo inter homines futuros: neque *formalem*, quae in iure ac potentia morali conſiſtat: neque denique *materialem*, quatenus ea denotetur ſubiectum, cui inhaereat ſeruitus, puta praedium: ſed cauſſam *materialem, circa quam* recipiendam auertendamue ſeruitutis exercitium occupetur, veluti aquam, lumen, fumum. Ac proinde *ius* illud *foraminis* ex mente SCHILTERI primario verſatur circa ſordes pauimenti: ſecundario etiam circa aquam, qua ſordes abluantur: ac proinde aqua in proluendo pauimento & materiae, & cauſſae inſtrumentalis, rationem habet. Iam ergo ipſe format regulam: *Si quando ad comparandum obiectum ſeruitutis quoties ea vti volumus, manu operaque hominis opus eſt; cauſſa ſeruitutis non eſt perpetua: quoties* vero *illud ſeruitutis obiectum a natura eſt, toties ipſa ſeruitus cauſſam perpetuam habere intelligitur.* Hinc porro colligit vir doctiſ-

(x) Schilter. *exercit.* XVIII. *§. XIII. ſequ.*

ſimus, *foraminis* iſtius ius non habere cauſſam perpetuam, quia aqua hominis opera ingerenda ſit: nec aquae ex lacu vel ciſterna hauſtum, quia *lacus* idem ſit ac *ciſterna* (y) vel *foſſa*, quippe receptaculum aquae manu factum (z). Praeterea ex *caſtello* aquaeductum ſtricto iure non conſiſtere, nec ius *aquam per rotam e flumine tollendi* ſeruitutis nomen ſtricto iure mereri, quia & caſtellum, vel diuidiculum & conceptaculum (a), & machina iſta hydraulica, non niſi manu fieri poſſit. Denique & de ratione huius regulae ita philoſophatur vir eximius (b): *Ex tali igitur aqua non placuit iureconſultis, Romanis ſeruitutem aquaeductus conſtitui poſſe. Cuius rei ratio neque inepta eſt, neque nimium ſubtilis, ſed facilis cognitu & aperta. Quum enim contra libertatem Quiritium eſſet, & hinc contra naturam ſeruitutum, vt cogeretur vicinus aliquid facere in ſuo: hoc ipſum inconueniens ſequutum eſſet, ſi ſeruitus aquaeductus ex aqua ea conſtitueretur, quam vicinus opera ſua ſuisque ſumtibus colligere & conſeruare teneretur praedio dominanti. Quodſi vero aqua pluuia in pauimentum meum caſſitare poterit, illudque ita proluo, & porro per foramen in praedium vicini egero: tunc quia cauſſa eſt perpetua & naturalis, quotiescumque pluit, ſeſe exſerens, non demum ab hominis arbitrio atque opera immediate pendens, ideo ſeruitus conſtitui poteſt.* Haec SCHILTERVS, ſatis verboſe, &, vti ſolet, obſcuriuſcule: quae, qualia ſint, paucis expendere iuuabit.

§. XXI.

Eius examen. Hic primum animaduerto, ſi viro celeberrimo ea, quae de cauſſarum diſtinctione diſputauit, omnia largiamur: easdem tamen difficultates, quae reliquas hypotheſes premunt, nihilominus adhuc ſuperfuturas. Quod facile intelligetur, ſi quis *aquae hauſtum e ciſterna* SCHILTERI methodo expenderit paullo accuratius. Eius *cauſſa efficiens* ſic erunt perſonae hoc ius conſtituentes atque exercentes: *formalis* ipſum ius potentiaque moralis aquam hauriendi: *ſubiectiua* ciſterna, quam id ius adficit: *abiectiua* ſeu materia circa quam aqua pluuia, e ciſterna haurienda. Iam porro ad aquam illam comparandam, quae ſua ſponte in ciſternam defluit, non opus eſt manuaria hominis opera: immo potius illa de caelo, non adſidue quidem, at naturaliter tamen, cadit, vel, vti VLPIA-

(y) *l.* 21. §. 5. *D. de furt.* Cuiac. *Obſeru. lib. X. Cap.* VIIII.

(z) Alciat. *Comment. in l.* 112. *D. de verb. ſignif.*

(a) *l.* 2. *C. Theod. de aquaed. & ibi* Iac. Gothofred.

(b) Schilter. *Exerc.* XVIII. §. XIIII. p. 143.

Digitized by Google

VLPIANVS (c) loquitur, *imbribus concipitur.* Habebit ergo iſte aquaehauſtus cauſſam perpetuam, adeoque non magis ſeruitutum ordine erit mouendus, quam ius foramen in imo pariete habendi, *ſi quid eo aquae caeleſtis veniat* (d): & id tamen eſt, quod negare VLPIANVM vidimus. Deinde verum quidem eſt, ad proluendum pauimentum aqua opus eſſe, ab homine ingerenda: at itidem opera manuaria opus eſt ad exercendas ſeruitutes *tugurium in alieno poſitum habendi* (e), *terram, rudus, ſaxa iaciendi, poſita habendi, prouoluendi in alieno* (f), *ſterculinium ad vicini parietem habendi* (g), & pleraſque ſimiles: nec tamen quidquam impedit, quo minus haec iura ſeruitutum nomen ferant. Quod porro de *lacu* hic diſſerit SCHILTERVS, per illum intelligi *ciſternam* vel *foſſam*, vix eſt, vt admitti poſſit. Nam in textu, quem eam in rem adducit (h), mentio quidem fit *ciſternae vini*, & CVIACIVS (i) ibi erudite notat, *ciſternam vini* Graecis dictam eſſe λάκκον, quod & CLAVD. SALMASIVS (k) exemplis firmauit: immo addere poſſum, ipſos Latinos vaſa, in quae muſtum exſudant torcularia, *lacus* adpellaſſe, veluti COLVMELLAM (l) & OVIDIVM, (m) cuius notiſſima ſunt verba:

Qui petis auxilium, non grandia diuide mecum
Praemia, de LACVBVS *proxima muſta tuis.*

Sed inde non ſequitur, vt & in *l.* 28. *D. de ſeru. vrb. praed.* lacus ciſternam notet, niſi quis tantam in vllum hominem credat cadere inſaniam, vt aquaeductum ſibi ex ciſterna cedi velit, vel vt ſibi fingat ciſternam, quae aquam viuam habeat (n). *Lacum* porro eſſe foſſam, nuſquam dixit ALCIATVS, immo potius ille *lacum* a *foſſa* diſerte diſtinguit, & illum, a natura factum, aquae perennis; hanc manu excauatam, aquae collectitiae receptaculum eſſe ſcribit (o). Praeterea ſi *ius aquam rota e flumine tollendi*, & *aquaeductus e caſtello* ſeruitutes vocari nequeunt, quia machina illa hydraulica & caſtellum manu fiunt: qui fit, vt ſeruire poſſit paries, itidem manu factus? & quomodo credere poſſumus SCHILTERO, per cauſſam ſeruitutum perpetuam intelligi efficien-

 tem

(c) *l.* 1. §. 4. *D. de fonte.*
(d) *l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrb.*
(e) *l.* 6. §. 1. *D. de ſeru. praed. ruſt.*
(f) *l.* 3. §. 2. *D. eod.*
(g) *l.* 17. §. 2. *D. ſi ſeru. vind.*
(h) *l.* 21. §. 5. *D. de furt.*
(i) Cuiac. *Obſeru. Lib. X. Cap.* VIIII.
(k) Salmaſ. *Exercit. Plinian. Tomo I. p.* 320.
(l) Columell. *de re ruſt. Lib. XII. Cap.* XXVIIII.
(m) Ouid. *Lib. IIII. Faſt. v.* 888.
(n) *l.* 1. §. 4. *D. de fonte.*
(o) Alciat. *ad d. l.* 112. *D. de verb. ſign.*

tem neganti, quum machina illa, qua aqua euehitur, non ſit obiectum eius ſeruitutis, ſed cauſſa efficiens minus principalis, quam vocant philoſophi, vel inſtrumentalis, materia vero, ſeu obiectum ſit aqua fluuiatilis, quam cauſſam perpetuam habere, nemo temere negauerit. Denique ne ea quidem, quibus rationem huius regulae reddere voluit vir doctiſſimus, magis ſolida videntur. Fateor, naturae ſeruitutum id repugnare, ſi quis facere aliquid in ſuo cogatur: at idem hoc libertati iuris Quiritium repugnaſſe, nondum me intelligere fateor. Romani enim, ſalua illa libertate ſua, alteri quotidie promittebant, ſe non modo daturos, ſed & facturos aliquid in ſtipulatoris gratiam (p): quamuis eiuſmodi obligatio ad faciendum ſeruitutis nomine non veniret. Denique non adeo magni momenti eſt, quod ex aquaeductu e caſtello vel aquaehauſtu e ciſterna metuit vir doctiſſimus, incommodum, puta quod ita alius teneretur aquam opera ſua ſuiſque ſumtibus colligere. Nulli enim ſumtus a ſeruiente fiunt in aquam comparandam, quippe vltro e caelo cadentem, vel ex fonte vel flumine in caſtellum ſponte defluentem, ſed in ciſternam vel caſtellum, quae tamen pro obiecto horum iurium, ipſo fatente SCHILTERO, haberi non poſſunt: vt adeo hoc non magis ſeruitutum naturae repugnet, quam quod paries, cui tigna immittuntur, non niſi manu fieri poſſit.

§. XXII.

Iudicium celeberrimi Thomaſii.

Quae quum ita ſint, vix credo vllum iureconſultum magis ingenue ac libere dixiſſe ſententiam, viro celeberrimo, CHRISTIANO THOMASIO (q). Hic aliam plane ingreſſus viam, ſecauit nodum, quem ab aliis tam male ſolui, animaduertit. Quum enim, quo erat acumine, male cohaerere exiſtimaret non modo interpretum, ſed & ipſorum veterum iureconſultorum, doctrinas, nec cauſſam ſatis idoneam excogitare poſſet, cur aqua pluuia, e foramine imi parietis eiecta, cauſſam perpetuam habere, hauſta e ciſterna, eamdem non habere dicatur, & cur ibi aqua, manu pauimento ingeſta, non ſit obiectum ſeruitutis idoneum, fumus vero, hominis opera excitatus, pro tali omnino habeatur: hanc demum facit cogitationum ſuarum ſummam (r): *Igitur, vt dicam, quod ſentio:* DISSENSERVNT *antiqui iureconſulti inter ſe circa regulam, an ſeruitutes debeant habere perpetuam cauſſam? quibuſdam, qui nimiam*

(p) *l. 72. pr. l. 75. §. fin. l. 81. l. 112. §. 1. D. de verb. obligat.*

(q) Thomaſ. *Diſſ. Lipſ. XV. de ſeruitute ſtillicidii* §. XXVI. *ſequ.*

(r) *Ibid.* §. *XXXIIII.*

nimiam ac fere metaphyſicam ſubtilitatem ſectabantur, id adfirmantibus, aliis vero & pleriſque id negantibus. Hunc diſſenſum TRIBONIANVS *centonibus Pandectarum inſeruit, & ita crucem interpretibus fixit, quum tamen temporibus ipſorum iureconſultorum, qui iſtas ſubtilitates defendebant, adfirmantium ſententia fuerit exploſa.* Quum ergo ſemel, tamquam fixum ac firmum, poſuiſſet vir celeberrimus, quod tamen nullo idoneo argumento probauerat, quoſdam tantum ſubtilioris ingenii iureconſultos hanc regulam de cauſſa ſeruitutum perpetua eſſe amplexos, reliquos omnes eamdem, tamquam abſonam, exploſiſſe: licere ipſe ſibi credidit, poſteriori ſententiae adiicere calculum, &, quum ſuffeciſſet, ſi non omnes ſeruitutes cauſſam perpetuam habere, oſtendiſſet, defendere ſententiam auſus eſt plane contrariam: NVLLAM SERVITVTEM DEBERE HABERE CAVSSAM PERPETVAM *(s)*. Quod tamen δόγμα παράδοξον vir doctiſſimus non aliis argumentis probauit, quam quod & ANTONINVS Imp. (t) ſubtilem illam regulam reſcripto aboleuerit, & PAVLLVS (u) ipſe illam, ſaltim in ſeruitute aquaeductus, non amplius obſeruatam eſſe, fateatur, & hodie eius rationem non amplius haberi, obſeruarit SCHILTERVS (x), cui nos GROENEWEGIVM (y), CASP. MANZIVM (z), IO. BRVNNEMANNVM (a), GER. GOTTL. TITIVM (b), & SAM. STRYKIVM (c) addimus, qui poſtremus illum *in praxi rideri* ait, qui ius iſtud habendi foramen hodie pro ſeruitute non agnoſcat, ſi vel maxime nihil eo aquae pluuiae ex caelo veniat.

§. XXIII.

Quamuis vero haec erudita ſint, & veteres iureconſultos omnino in multis diſſenſiſſe, nemo temere negaturus videatur: tamen iam ab aliis obſeruatum eſt, non temere fingendum eſſe huiuſmodi diſſenſum, vbi eius non clara & expreſſiſſima exſtent veſtigia, nec tantum odium concipi debere aduerſus Tribonianum, vt eum vbique caecutiiſſe, ac vigilantem veluti dormitaſſe exiſtimemus. Eleganter, vti ſolet, vir ampliſſimus, CORN. VAN *Quaedam de illo monita.*

(s) Thomaſ. *ibid.* §. *XXXV.*
(t) *l. 2. D. comm. praed. vrb. & ruſt.*
(u) *l. 9. D. de ſeru. praed. ruſt.*
(x) Schilt. *Exerc.* XVIII. §. XVI.
(y) Groeneweg. *de legib. abrog. ad l. 28. D. de ſeru. praed. vrb.*
(z) Manz. *ad tit. D. de ſeru. praed. vrb. n.* 168.
(a) Io. Brunnem. *ad l.* 28. *D. eod. n.* 8.
(b) Tit. *Obſeruat. ad Lauterb.* CCXXXXIIII. *n.* 3.
(c) Stryk. *Vſ. mod. Dig. Lib.* VIIII. *tit.* II. §. XVIII.

Digitized by Google

BYNKERSHOECK (d): *Sed quid tandem*, inquit, *de emblematibus*, (adde & de aliis, qui TRIBONIANO exprobrantur, erroribus,) *dicemus? Vetus prouerbium eſt*, inquit VLPIANVS (e): οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, *neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus. Sic & nos de emblematibus. Omnia agnoſcere, ſtultiſſimum; paſſim, turpiſſimum; & ab omnibus impudentiſſimum. Quemadmodum vero, vt ſupra dicebam, ipſius iurisprudentiae intereſſet, nullum omnino dari emblema: ita & intereſſe, dari quam pauciſſima. Quapropter nos non oportet eſſe liberales in his vel temere iactandis, vel anxie inueſtigandis: quin nec ullum largiendum, ſi res aliter ſalua eſſe poſſit: &, an poſſit, tentanda prius omnia, omnis mouendus lapis. Sedulo inprimis cauendum, ne integros partus ſuppoſitos dicamus, vel eorum quoque emblematum, vltra quam neceſſe eſt, ſimus prodigi.* Quod graue, viroque prudente digniſſimum iudicium quum nemo hodie ſolide doctus non probet: merito ego vereor, vt hac in re THOMASIO celeberrimo adſentiri quisquam poſſit. Circa regulam hanc veteres fere omnes conſenſiſſe, iam ſupra vidimus. Agnouere eam non modo PAVLLVS, VLPIANVS, POMPONIVS, quos in SABINIANORVM partes fuiſſe proniores, cenſent, verum etiam ex PROCVLIANIS NERATIVS (f), nec vllus veterum poteſt laudari, qui vel verbo hoc principium reprehenderit, vel aliqua ſaltim deciſione contraria oſtenderit, ſibi id principium, ſubtile, abſonum, metaphyſicum, videri, quamquam, etiamſi concedendum eſſet, veteres in adplicatione huius regulae in diuerſa conceſſiſſe, (quod de VLPIANO & PAVLLO vulgo exiſtimant:) inde tamen minime colligendum eſſet, de ipſa regula, admittendane illa ſit, an explodenda, eos diſſenſiſſe. Quam ſaepe enim & hodie contingit, vt iureconſulti etiam doctiſſimi in adplicando iure diſcrepent ſententiis, quum tamen de ipſo iure eiusque genuino ſenſu amice conſentiant? Id vero & olim contingere potuiſſe, quis negauerit? Porro doctrina illa, *quod nulla ſeruitus cauſſam perpetuam requirat*, tametſi hodie vera fortaſſis eſſe poſſit, non tamen vel ex reſcripto ANTONINI (g), vel ex PAVLLI (h) teſtimonio, recte probatur. Quod enim ad prius attinet, primo ex textu non patet, hoc ius iureconſultum ideo ſeruitutibus iure validis adnumerare noluiſſe, quod cauſſam non haberet perpetuam. Deinde tantum abeſt, vt reſcripto illo tamquam

(d) Bynckersh. *praefat. nouiſſimis obſeru. iur. praemiſſa pag.* VIII.

(e) *l. 6. §. 1. D. de offic. Procoſ.*

(f) *l. 2. §. vlt. D. de ſeru. praed. ruſt.*

(g) *l. 2. D. comm. praed. vrb. & ruſt.*

(h) *l. 9. D. de ſeru. praed. ruſt.*

quam nugatoria explodatur haec regula, vt eam diſerte pro iuris principio agnoſcat Imperator, dum reſcribit : *Licet* SERVITVS (aquam rota e flumine tollendi) IVRE NON VALVERIT : *ſi tamen hac lege compararit, ſeu alio quocumque legitimo modo hoc ius adquiſiuerit*, TVENDVM *eſſe eum, qui hoc ius poſſedit.*. En vero, *ſeruitutem iure non valuiſſe*, fatetur Imperator : at *tuendum* tamen *eſſe eum*, qui huismodi ius legitimo modo adquiſitum quaſi poſſederit, monet. Nimirum iam ſupra obſeruauimus, ſeruitutes olim inter viuos vel *mancipatione*, vel *in iure ceſſione*, adeoque ſollemni ritu interueniente, fuiſſe adquiſitas. Quamuis vero & aliis modis adquiri poſſent, veluti *pactionibus*, cum ſubſequente quaſi traditione coniunctis (i), *praeſcriptione* (k) immo & *vltimis voluntatibus* (l), inter hos tamen adquirendi modos, recte id obſeruante GVIL. MARANO (m), magna differentia obſeruatur. Legitimis enim modis, & ſecundum regulas iuris adquiſita ſeruitus IPSO IVRE valebat, aliter adquiſita & conſtituta per TVITIONEM PRAETORIS ſuſtinebatur. Hinc VLPIANVS (n) : *Illud ſciendum, ſiue* IVRE IPSO *vſumfructum quis habeat, ſiue etiam* PER TVITIONEM PRAETORIS, *cogendum eſſe fructuarium cauere, aut actiones ſuſcipere.* Et alibi (o) : *Parui refert, vtrum* IVRE *ſit conſtitutus vſusfructus, an vero* TVITIONE PRAETORIS. Legitimi autem modi olim tres erant, MANCIPATIO, IN IVRE CESSIO, & LEGATVM VINDICATIONIS (p) : hodie vnus tantum, puta *legatum* : quo ſolo modo adquiſita ſeruitus ipſo iure valet. Et hinc alio loco *vſumfructum* IVRE LEGATI, *&* PER TRADITIONEM *vel* STIPVLATIONEM *vel alium quemcumque modum conſtitutum*, ſollicite ab VLPIANO (q) diſtingui, eumdemque alibi (r) diſerte notare animaduertimus, *traditionem & patientiam ſeruitutium inducere* OFFICIVM PRAETORIS, id eſt, hunc conſtituendi modum id efficere, vt Praetor eam ſeruitutem ſuſtineat, & quaſi poſſidentem tueatur. Sola ergo per *legatum* relicta ſeruitus *ipſo iure* valet : reliquis conſtituta modis *per tuitionem Praetoris* : idemque etiam obtinet, ſi quid in conſtituenda

(i) §. 4. *Inſt. de ſeruit.*

(k) *l. vlt. C. de praeſcr. long. temp.*

(l) *l. 16. D. comm. praed. vrb. & ruſt.*

(m) Guil. Maran. *Paratitl. Digeſt. p. 257. ſequ. Add.* Ger. Noodt *de vſufr. Lib. II. Cap. II. p. 450. Tom. I. Op.*

(n) *l. 9. §. 1. D. vſufr. quemadm. cau.*

(o) *l. 1. pr. D. quib. mod. vſusfr. amitt.*

(p) Paull. *recept. ſent. Lib. III. Tit.* VI. §. XVII.

(q) *l. 25. §. vlt. D. de vſufr.*

(r) *l. 1. §. 2. D. de ſeruit. praed. ruſtic.*

Digitized by Google

ſtituenda ſeruitute contra alias regulas iuris ciuilis fuerat admiſſum. Hinc PAPINIANVS (s): *Seruitutes* IPSO *quidem* IVRE *neque ex tempore, neque ad tempus, neque ſub conditione, neque ad certam conditionem, (verbi gratia, quamdiu volam,) conſtitui poſſunt: ſed tamen, ſi haec adiiciantur,* PACTI *vel per* DOLI EXCEPTIONEM *occurretur contra placita ſeruitutem vindicanti.* Tuetur enim aliquem Praetor, quum iure ciuili deficiente ipſe ex ſua iurisdictione actiones, exceptiones, cautiones, interdicta, prout res exigit, accommodat, vt actus aliquis ciuilis, iure ſtricto & rigido non valiturus, ſubſiſtat (t). Iam ergo facile intelligitur, quid ſibi velit ANTONINVS Caracalla, Imp. (u) De aqua per rotam tollenda ex flumine, vel haurienda, vel ſi quis ſeruitutem caſtello impoſuerat, quidam dubitabant, ne hae ſeruitutes non eſſent. Relata re ad principem, ſequutum eſt reſcriptum. Quale vero? an quod dubitationem illam, tamquam ridiculam, & paene metaphyſicam ſubtilitatem iureconſultorum, explodit, vel illam de cauſſae ſeruitutum perpetuitate regulam plane abrogat? Minime vero. Potius recte dubitatum ea de re eſſe fatetur Imperator. SERVITVTEM enim hanc ipſo IVRE NON VALERE: *ſi tamen hac lege compararit, aut alio quocunque legitimo modo ſibi hoc ius adquiſiuerit,* TVENDVM ESSE *eum, qui hoc ius poſſedit.* Et ita etiam alter textus PAVLLI (x) eſt intelligendus. *Seruitus aquae ducendae vel hauriendae, niſi ex capite vel fonte* CONSTITVI NON POTEST, (quia cauſſa non foret perpetua:) HODIE *tamen ex quocumque loco conſtitui ſolet*: non quod regula illa de cauſſa ſeruitutum perpetua exploſa ſit, ſed quod poſſeſſorem tueatur Praetor, qui toties ſuccurrit poſſeſſoribus, quoties contra rigidiores iuris ciuilis regulas aliquid factum eſſe dicitur. Quemadmodum ergo non ideo ſublatum dici poteſt ius ciuile, quod poſſeſſionem, vi, clam, vel precario adprehenſam, pro vitioſa habet, quia Praetor tuetur eum, qui cloacam, qua vi, clam vel precario ab altero vſus eſt, vult reficere (y): ita nec vetuſtiſſima illa regula ideo abolita dici poteſt, quod ſeruitutes quaedam, contra illam conſtitutae, TVITIONE PRAETORIS ſuſtinentur.

§. XXIIII.

(s) *l. 4. D. de ſeruit.*
(t) *l. 20. D. de ſeruit. l. 11. §. 1. D. de Publ. in rem act. l. 41. D. de adquir. rer. dom.*
(u) *l. 2. D. commun. praed. vrb. & ruſt.*
(x) *l. 9. D. de ſeru. vrban. praed.*
(y) *l. 1. §. 7. D. de cloac.*

Digitized by Google

§. XXIIII.

Perpetuitas cauſſae ſemper fuit inter adfectiones ſeruitutum praediorum.

Vt ergo demum, quid mihi, haec omnia diligentiſſime inter ſe comparanti, in mentem venerit, perſpicue exponam: primum repeto, quod ſupra me demonſtrare memini, eſſe hanc regulam non nouam, & vel a PAVLLO, vel ab vllo alio recentiore iureconſulto, excogitatam, ſed veterrimam: non vnius alicuius, vel auctoris, vel ſcholae, propriam, ſed omnibus communem; non denique oſtentandi ingenii cauſſa ab aliquo inuentam, ſed ex ipſa iuris ciuilis analogia ſua ſponte natam atque expreſſam. Quemadmodum iuris ciuilis, quod a prudentibus perpolitum nouimus, hoc erat praecipuum officium, vt negotiis ciuilibus certam formam circumdaret: ita eamdem operam ſeruitutibus nauaſſe iureconſultos, conſtat. Et haec eſt illa *ſeruitutum natura* (z), *certumque ſeruitutum genus* (a), cuius in legibus noſtris paſſim fit mentio. Nimirum ſeruitutes aut PERSONARVM ſunt; vt vſus & vſusfructus, aut RERVM, vti ſeruitutes ruſticorum praediorum & vrbanorum (b). Vtroque caſu res vel fundus SERVIRE (c), immo SERVVS eſſe, vel SERVIENS dicebatur, ac proinde *aedes* SERVAE & PRAEDIA SERVA cum apud CICERONEM (d), tum apud veteres iuris auctores (e), paſſim memorantur. Attamen inter vtriuſque generis ſeruitutes tantumdem paene intereſt, quantum inter ſtatuliberorum & ſeruorum reliquorum conditionem. Quemadmodum enim illi ſeruiebant quidem, at ſtatutam tamen in certum tempus vel conditionem libertatem habebant (f), hi vero ita dominis erant obnoxii, vt perpetuam ſeruitutem ſeruire cogerentur, niſi liberali ſeruiendi ratione libertatem vel manumiſſionem meruiſſent: ita praedia, quae ſeruitute quadam perſonali adficiebantur, ſeruiebant quidem, at ſpes erat, ea aliquando libera futura, quia vel ad certum tempus certamue conditionem (g), vel ad mortem tantum certae perſonae eiuſdemue capitis deminutionem (h) durabant hae ſeruitutes, &, quamuis ciuitati alii-

(z) *l.* 15. §. *vlt. D. de ſeru. l.* 32. *fin. D. de ſeru. praed. vrb.*

(a) *l.* 8. §. 1. *D. ſi ſeru. vind.*

(b) *l.* 1. *D. de ſeruit.*

(c) Cicero *de offic. Lib. III. Cap.* XVI. *l.* 3. §. 2. *D. de aqua quotid. l.* 57. *D. de vſufr. l.* 2. §. *vlt. D. de aqua & aqu. pluu.*

(d) Cic. *de lege agrar. Cap. II.*

(e) *l.* 6. §. 3. *D. comm. praed. vrb. & ruſt. l.* 8. *D. de act. emt. l.* 20. §. 1. *D. de adquir. rer. dom.*

(f) *l.* 1. *D. de ſtatu lib.*

(g) *l.* 15. *D. quemadm. ſeru. amitt. l.* 5. *C. de vſufr.*

(h) §. 3. *Inſt. de vſufr. l.* 1. *l.* 2. §. 1. *l.* 5. *D. quemadm. ſeru. amitt.*

ue vniuerſitati eſſent conſtitutae, tamen centum annorum ſpacio; (i) & perſonae heredibusque eius legatae, primorum heredum morte finiebantur (k): at ſeruitutes praediales ſemper erant perpetuae, & rem ſeu praedium ſequebantur (l), donec legitimo aliquo modo exſtinguerentur. Quamobrem, conſtituta ſemel huiusmodi ſeruitute id non modo in praediorum venditionibus exprimebant: QVIBVS EST SERVITVS, VTIQVE SIT, ITA SIT: ITINERA, ACTVS, QVIBVS SVNT, VTIQVE SVNT, ITA SINT: LVMINA, FLVMINA, STILLICIDIA, VTI NVNC SVNT, ITA SINT (m): verum etiam, ne haec pacta vlla vmquam oblitteraret obliuio, inſcriptionibus & marmoribus ibi poſitis indicabant, praedium aliquod alteri certam ſeruitutem debere. Tale enim eſt elogium illud apud GRVTERVM (n):

PER HANC
VIAM FVNDO
C. MARCI CL.
PHILERONIS
ITER ACTVS
DEBETVR.

Adeo ſua intereſſe exiſtimabant Romani, non modo perpetuas eſſe ſeruitutes praediales, verum etiam interpoſitarum ea de re ſtipulationum perpetuam ad poſteros exſtare memoriam. Quis vero negauerit, ſeruitutem, quae perpetua debebat eſſe, ac ne quidem in diem, vel ſub conditione, vel ad certam conditionem conſtituta, ipſo iure valebat (o), CAVSSAM etiam PERPETVAM habere debuiſſe, quum effectus ſine cauſſa non intelligatur, & talis effectus, qualis cauſſa, eſſe ſoleat?

§. XXV.

Eius principii ratio. Ex quo deinde facile intelligitur, praedialium tantum vel realium ſeruitutum hanc eſſe adfectionem, non perſonalium. Nam ipſe PAVLLVS (p) regulam iſtam his limitibus circumſcribit: *Omnes autem ſeruitutes* PRAEDIORVM *perpetuas cauſſas habere debent.* Exiſtimare equidem quis poſſet, eamdem & ſeruitutum perſonalium

(i) *l. 56. D. de vſufr. l. 8. D. de vſu & vſufr. leg.*

(k) *l. 5. pr. D. l. 14. C. quemadm. ſeru. amitt.*

(l) *l. 12. D. comm. praed. l. 20. §. 1. D. de adqu. rer. dom.*

(m) *l. 17. §. 3. D. de ſeruit. praed. vrb. l. 33. D. de contrah. emt.* Barn. Briſſon. *de formul. Lib.* VI. *p.* 554.

(n) Gruter. *inſcript. p.* CCI.

(o) *l. 4. D. de ſeruit.*

(p) *l. 28. D. de ſeru. praed. vrbani*

lium eſſe indolem; quia etiam vtendum, fruendum, habitandum ſit, ſalua rerum ſubſtantia. (q) Enimuero, vnusquisque animaduertit, eam ſubſtantiae perpetuitatem in ſeruitutibus perſonalibus non ſeruitutis, ſed proprietatis cauſſa, requiri. Quia enim non perpetua eſt ſeruitus perſonalis, ſed interiecto tempore exſpirat: intereſt profecto proprietarii, ſaluam ſibi eſſe rerum ſeruientium ſubſtantiam, eoque nomine ſibi ſatisdatum eſſe: ac proinde Senatus non dubitauit etiam rerum, quae vſu conſumuntur, quaſi vſumfructum permittere, quia, cautione quaſi vſufructuaria veluti in ſubſtantiae locum ſurrogata, ſatis proſpectum videretur proprietario. (r) At cauſſa perpetua in ſeruitutibus praedialibus, dominantis, non ſeruientis praedii cauſſa, exigitur, quia ipſas illas ſeruitutes perpetuas eſſe ac perpetuo deberi voluerunt, quippe ipſo iure non aliter inter viuos adquirendas, quam mancipatione & in iure ceſſione, quarum neutra diem vel conditionem, ceu iam ſupra monuimus, admittebat. Et haec eſt vera ac genuina regulae iſtius ratio, nec ſubtilis admodum, & iuris analogiae conuenientiſſima, quod ita oſtendimus: Non alii ſunt legitimi ſeruitutem praedialem inter viuos adquirendi modi, quam mancipatio ac in iure ceſſio: (§. XXIII.) vtraque vero haec eſt actio legis (s), quae nec diem, nec conditionem admittit, (t) adeoque ſeruitus his modis conſtituta eſt perpetua (u). Seruitus perpetua requirit etiam cauſſam perpetuam: (§. XXV.) ac proinde ſeruitus praedialis omnis requirit cauſſam perpetuam.

§. XXVI.

Quid ſit CAVSSA PERPETVA?

Proximum eſt, vt, quid demum iſtis CAVSSAE PERPETVAE vocibus ſignificetur, paullo accuratius diſquiramus. Et hic quidem primo omnium obſeruo, eam loquendi rationem alibi quoque in iure noſtro occurrere, veluti quando PAVLLVS (x) ait: *Dotis* CAVSSA PERPETVA *eſt, & cum voto eius, qui dat, ita contrahitur, vt* SEMPER *apud maritum ſit.* Itemque quando idem ſcribit iureconſultus (y): *Quod leges fieri prohibent, ſi* PERPETVAM CAVSSAM *ſeruaturum eſt, ceſſat obligatio, veluti ſi ſororem ſibi nupturam aliquis ſtipuletur. Quamquam etiamſi non ſit* CAVSSA PER-

(q) *l. 1. D. de vſufr. pr. Inſt. eod.*
(r) *l. 2. §. 1. D. de vſufr. ear. rer. quae vſu conſum.*
(s) Guil. Maran. de actib. legit. §. 230.
(t) *l. 77. D. de reg. iur.*
(u) *l. 4. D. de ſeruit.*
(x) *l. 1. D. de iure dot.*
(y) *l. 35. §. 1. D. de verb. oblig.*

PERPETVA, *vt accidit in ſorore adoptiua, idem dicendum ſit, quia ſtatim contra mores ſit.* Nimirum CAVSSA, quando perſonis rebusque in iure noſtro tribuitur, nihil fere aliud eſt, quam rerum illarum qualitas & conditio, ex qua vel commodum, vel incommodum aliquod, percipimus. Quod adeo verum eſt, vt ipſe ſcriptor ſacer, D. MATTHAEVS (z) eodem ſenſu *αἰτίαν τοῦ ἀνθρώπου, cauſſam hominis* pro eiuſdem conditione dixerit, ceu poſt IS. CASAVBONVM recte obſeruauit HVGO GROTIVS (a). Sic ergo hoc ſenſu dicuntur *res tranſire cum ſua* CAVSSA (b), *vindicari cum ſua* CAVSSA (c), *reſtitui non tantum corpora, ſed & rei* CAVSSA (d): quemadmodum & homines *re vti* ſolent *cum ſua* CAVSSA, *ſuiſque vitiis* (e). Nec alio ſenſu MARTIALIS (f):

Quid Nomentani CAVSSAM *mihi perdis* AGELLI,
Propter vicinum qui pretioſus erat?

Vbi *cauſſa* vtique nihil aliud eſt, quam rei qualitas & conditio, ex qua vel commodum vel incommodum aliquod ad poſſeſſorem redit. Ergo & CAVSSA SERVITVTIS idem eſt, ac eius qualitas & conditio, quae efficit, vt praedii dominantis poſſeſſor eam vtilitatem, cuius cauſſa conſtituta eſt, ex ea capiat. Quare tantum abeſt, vt regula de cauſſa ſeruitutum perpetua ad earum obiectum, ceu SCHILTERVS (g) voluit, vel ad cauſſam finalem, quod M. AVR. GALVANO (h) viſum eſt, referenda ſit, vt potius ipſam ſeruitutis qualitatem, vel conditionem, ex qua vtilitas aliqua ſeu commodum qualecumque ad praedii dominantis poſſeſſores redit, adeoque formam ſeruitutis, manifeſto denotet. Vnde & ipſae ſeruitutes a forma ſua ſaepenumero QVALITATES (i), CONDITIONES (k), nec non VTILITATES *praediorum* (l) ſolent adpellari. In eo enim forma & quaſi ſubſtantia conſiſtit omnis ſeruitutis praedialis, vt ea ſit praedii ſeruientis qualitas & conditio, quae commodum, ob quod conſtituta eſt, praedii dominantis poſſeſſoribus praeſtare poſſit. PERPETVVM porro iureconſultis

(z) *Matth.* XVIIII. 10.

(a) Hugo Grot. *Commentar. ad Matth. p. 326.*

(b) *l. 67. D. de contrah. emt. l. 12. C. de diſtract. pign. l. vn. C. rem alien. gerent.*

(c) *l. 17. §. 5. D. ad SC. Trebell.*

(d) *l. 20. pr. D. de rei vind. l. 31. pr. D. de reb. cred.*

(e) *l. 23. §. 1. D. de adqu. vel amitt. poſſeſſ.*

(f) Martial. *Lib.* VII. *Epigr. LXXXXII. v. 5.*

(g) Schilter. *Exerc.* XVIII. §. *XIII.*

(h) Galuan. *de vſufructu Cap.* XXXVIIII. *p.* 598.

(i) *l. 12. D. quemadm. ſeru. amitt.*

(k) *l. 23. §. 2. D. de ſeru. praed. ruſt.*

(l) *l. 1. §. vlt. D. ſi vſusfr. pet.*

tis non eſt idem ac *ſempiternum*, ſed diuturnum, ac tamdiu duraturum, quoad durent praedia. Sicuti enim aliquis dicitur IN PERPETVVM *relegatus* (m), id eſt, quoad viuit: IN PERPETVVM *procurator datus* (n), id eſt, quoad durat adminiſtratio: *morbo* PERPETVO *impeditus* (o), id eſt, diuturno, quamuis ſaltim morte finiatur, immo aliquando contingat, quod alicubi ait PLINIVS, (p) vt quis PERPETVAM *valetudinem feliciter euadat*: ita & perpetuam cauſſam habere dicitur ſeruitus, cuius ea eſt qualitas & conditio, vt praedii dominantis poſſeſſores, quoad durant praedia, & quoties collibitum eſt, ea vti, commodumque inde percipere poſſint. Et ita ſane perpetuitatem cauſſae ſeruitutis ipſe explicat PAVLLVS (q), dum ſcribit: *Quum in lege aedium ita ſcriptum eſſet: Paries oneri ferundo, vti nunc eſt ita ſit, ſatis aperte ſignificari*, IN PERPETVVM *parietem eſſe debere. Non enim hoc his verbis dici, vt in perpetuum idem paries* AETERNVS *eſſet*, (*quod ne fieri quidem poſſet*,) *ſed vti* EIVSDEM MODI (id eſt, eiuſdem conditionis) *paries in perpetuum eſſet*, *qui onus ſuſtineret.* Accedit, quod bina illa loca ſupra adducta, in quibus itidem fit mentio CAVSSAE PERPETVAE, non alium, quam hunc eumdem, ſenſum admittunt. In priore enim CAVSSA *dotis* dicitur PERPETVA (r), quia illius ea eſt conditio, vt conſtante matrimonio ſemper penes maritum ſit, & inde ille vtilitatem capiat ad ferenda matrimonii onera. In poſteriore (s) PERPETVAM CAVSSAM *prohibitionis* matrimonium cum ſorore ſeruare ait PAVLLVS, quia eius ea eſt conditio, vt ſemper prohibitio duret, contra, *non eſſe* PERPETVAM CAVSSAM *prohibitionis in ſorore adoptiua*, quia ea, durante tantum adoptione, obtinet, ea vero per emancipationem diſſoluta, vel ipſo filio emancipato, nuptiae inter eas perſonas non prohibentur (t). Atque hic eſt verus ac genuinus ſenſus regulae, quae cauſſam ſeruitutum perpetuam eſſe debere ſtatuit.

§. XXVII.

De quibusnam ſeruitutibus diſceptatum

Iam porro obſeruandum eſt, non omnes ſeruitutes eiusdem eſſe generis. Quaedam enim ita ſunt comparatae, vt *ſemper* ſint *praediales*, adeoque ne dubitari quidem poſſit, quin ſemper praediis debeantur, ac proinde cauſſam habeant perpetuam, quales

(m) *l. 3. C. qui pet. tut.*
(n) *l. 3. 4. D. de procur.*
(o) *l. 6. vlt. §. 1. D. de aedilit. Edicto.*
(p) Plin. *Lib. I. Epiſt. XII.*
(q) *l. 33. D. de ſeru. praed. vrban.*
(r) *l. 1. D. de iure dot.*
(s) *l. 35. §. 1. D. de verb. oblig.*
(t) *§. 2. Inſt. de nupt.*

fuerit, an cauſſam perpetuam habeant?

les ſunt vrbanae pleraeque, & e ruſticis *iter actus via.* Quare ad has ſeruitutes non pertinet illa veterum de cauſſa perpetua diſputatio. Alia praediorum iura naturae ſunt tam ancipitis atque ambiguae, vt dubitetur nonnumquam, perſonae conceſſae ſint, an vicino praedio. Vtrumque enim fieri poſſe, & vnam eamdemque ſeruitutem, perſonae, nulla habita praedii ratione, conceſſam, perſonalem; praedio conſtitutam realem eſſe, ipſa iura noſtra ſtatuunt (u). Sic *aquae vſus* inter reales ſeruitutes eſt, (x) & tamen perſonae conceſſus, perſonalis naturam induit (y). Et ius ſiluae caedendae, quod praedio conceſſum inter praediorum ſeruitutes foret, perſonalibus tamen ſeruitutibus adnumeratum aliquando videas (z). Sed & de pecoris paſcendi ſimilibusque ſeruitutibus diſerte ſcribit PAPINIANVS (a): *Pecoris paſcendi ſeruitus, item ad aquam adpellendi, ſi praedii fructus maxime in pecore conſiſtat,* PRAEDII *magis, quam* PERSONAE *videtur. Si tamen teſtator* PERSONAM *demonſtrauit, cui ſeruitutem praeſtari voluit, emtori vel heredi non eadem praeſtabitur ſeruitus.* Ex quo loco ſimul intelligimus, aliquando dubitandi rationes ſatis eſſe idoneas, praedione, an perſonae, conceſſa ſit huiusmodi ſeruitus. Si ergo olim ex teſtamento vel pactionis legibus conſtabat, praedione, an perſonae, ſeruitus quaedam deberetur: non quaerebatur, an cauſſa ſeruitutis illius eſſet perpetua, quia, tametſi talis cauſſa eſſe non videretur, nec adeo *ſtricto iure* conſiſteret ſeruitus, ea tamen *tuitione Praetoris* ſuſtinebatur. (b) (§. XXIII.) Sin vero quis poſſeſſione tantum ſibi huiusmodi ius, tamquam ſeruitutem praedialem, adquiſiuiſſe videbatur: tunc vero diſpiciendum erat, vtrum cauſſa huius iuris eſſet perpetua, nec ne? Priore enim caſu pro ſeruitute praediali; poſteriore pro perſonali habebatur. Atque inde patet, cur PAVLLVS (c) in vexatiſſima illa lege ſcripſerit: *Foramen in imo pariete conclauis vel triclinii* TEMPORE *non* ADQVIRI, *placuit. Neque enim* PERPETVAM CAVSSAM *habet.*

§. XXVIII.

(u) *l.* 14. §. *vlt. D. de alim. & cibar. legat.*

(x) *l.* 1. *D. de ſeru. praed. ruſtic.*

(y) *l.* 21. *D. de vſu & habitat.*

(z) *l.* 22. *pr. D. eod.*

(a) *l.* 4. *D. de ſeru. praed. ruſt.*

(b) *l.* 9. §. 1. *D. vſufr. quemadm. cau. l.* 1. *D. quib. mod. vſusfr. amitt. l.* 4. *D. de ſeruit. l.* 2. *D. comm. praed.*

(c) *l.* 28. *D. de ſeru. praed. vrban. l.* 20. §. 1. *D. de ſeru. praed. ruſt.*

Digitized by Google

§. XXVIII.

Quando porro quaerebatur, quaenam ſeruitutes cauſſam perpetuam habere viderentur, vel non viderentur? ex vetere philoſophia reſpondebant iureconſulti, ea, quae ab ipſa natura, & ſine manuaria opera, fiunt, ſiue adſidue, ſiue per interualla fiant, perpetuam cauſſam habere, non autem, quae manu fiant: manu, inquam, non poſſeſſoris praedii dominantis, (ſine qua pleraeque ſeruitutes exerceri plane non poſſent, veluti aquaehauſtus, ius ſiluae caedendae, pedamenta ſumendi, arenae fodiendae, ceterae:) ſed ſeruientis praedii poſſeſſoris. Nam praeterquam, quod hoc manu aliquid faciente in faciendo conſiſteret ſeruitus, quod per ius ciuile fieri non poteſt, non etiam ita cauſſa eſſet perpetua, quia, ſi quando illa ſeruitute vti quis vellet, ei res non foret in promtu, ſed prius exorandus eſſet vicinus, vt aliquid, quod ad iuris iſtius exercitium requiritur, faciat. Sic ergo non talis eſſet ſeruitutis conditio, vt a dominantis praedii poſſeſſore, quandocumque placet, exerceri poſſet. Hinc eleganter, & valde perſpicue rem explicat NERATIVS (d), dum *aquaeductum vel aquaehauſtum* SVFFICIENTEM *eſſe debere*, ait. *Sufficere* vero poteſt, quod a natura eſt, non quod manu hominis, toties, quoties illo opus eſt, perficitur. Quibus omnibus inter ſe comparatis, duae nobis naſcuntur regulae, quibus nihil videtur eſſe planius, nihil euidentius. Prior: *Quoties iuris, praedio cuidam inhaerentis, ea eſt conditio, vt ſolo* NATVRAE *beneficio & ſine manuaria vicini opera, dominantis praedii poſſeſſori* SVFFICIAT, *ita, vt ille hoc ius quandocumque collibuerit, exercere poſſit: toties cauſſa eius eſt perpetua, ac proinde ſeruitutis praedialis nomen ius iſtud recte tuetur.* Poſterior: *Quoties ea eſt iuris huiuſmodi conditio, vt vel* MANVARIA *poſſeſſoris praedii ſeruientis opera ad illud exercendum neceſſaria ſit, vel ſaltim dominantis praedii poſſeſſori ad vſum non* SVFFICIAT, *toties id ius cauſſa perpetua caret, neque adeo pro ſeruitute haberi poteſt.* Sic ergo perpetua eſt cauſſa *oneris ferendi, & tigni immittendi.* Quamuis enim manu fiat paries: non tamen manuaria vicini opus eſt opera ad ſeruitutes illas exercendas. Paries enim ipſa natura ſua ita comparatus eſt, vt oneri & tignis ferendis ſufficiat. Sic & *luminum* ſeruitus cauſſam habet perpetuam. Paries enim, ſemel pertuſus, natura ſua ſufficit, ad lumen in conclaue meum transmittendum, quotieſcumque eo opus eſt,

Regulae de cauſſa ſeruitutum perpetua.

(d) *l.* 2. §. *vlt. D. de ſeru. praed. ruſt.*

eſt, vt nulla vicini opus ſit opera manuaria. Et ita ſe res habet in reliquis ſeruitutibus realibus, quarum omnium ea eſt conditio, vt natura rerum ſeruientium vſibus vicini ſufficiat, nec earum exercitium ſemper de nouo requirat operam vicini manuariam. Contra *aquaeductus* ex lacu vel ſtagno, quod aqua viua & perenni deſtituitur, cauſſa non eſt perpetua, quia etſi manuaria ſeruientis praedii poſſeſſoris opera ad eius vſum non deſideretur, lacus tamen ille ſua natura non ſufficit, vt dominans eo iure quotieſcumque libet, vti poſſit, ſed aquam illi paullatim ſubduci neceſſe ſit, niſi eam de nouo ingerat ſeruiens.

§. XXVIIII.

Regularum iſtarum adplicatio ad l. 28. D. de ſeru. praed. vrb.

Quibus explicatis, nihil ſupereſt, quam vt regulas has textibus illis, qui crucem figunt interpretibus, pulcre quadrare, oſtendamus. Inter eos vexatiſſimum eſſe PAVLLI (e) locum, nemo ignorat. Is enim tam male adhuc a pleriſque intellectus eſt, vt non ſit mirum, eum pro depoſito a quibuſdam haberi. Sed res in vado erit, ſi ſpeciem recte formes. Iam ſupra obſeruauimus, non ibi quaeri de iure aliquo legitimis modis, vel ſaltim iuſto titulo, adquiſito, quippe quod tuitione Praetoris ſuſtineri potuiſſet: ſed de tali, quod *poſſeſſione* ſe adquiſiuiſſe exiſtimabat praedii dominus. FORAMEN quis adhuc habuerat in imo pariete, non vicini, quod in lege nuſquam exprimitur, ſed in ſuo procul dubio, vel, vti ipſe PAVLLVS ait, IN IMO PARIETE CONCLAVIS VEL TRICLINII, quem ex libertate naturali perfodere poterat. Sed cui, quaeſo, vſui deſtinatum fuerat illud foramen? Reſpondet iureconſultus: QVOD ESSET PROLVENDI PAVIMENTI CAVSSA. Id vulgo ita accipiunt, ac ſi per illud foramen dominus aquam proluto pauimento, emiſiſſet in vicini aream. Sed eum ſenſum verba PAVLLI vix admittunt. Dicendum enim fuiſſet: *Foramen, quod eſſet emittendae proluuiei cauſſa.* Vtebatur ergo triclinii dominus illo foramine non ad aquam per illud eiiciendam, ſed *ad proluendum pauimentum*, adeoque aquam ad eam rem neceſſariam per illud recipiendam. Quod aliter fieri non poterat, quam aqua vel a vicino ingeſta foramini, vel aperto epiſtomio ex ciſterna aliqua parieti proxima, alioue aquae collectitiae receptaculo ſua ſponte per illud influente. Quum ergo parietis dominus ſibi hoc ius poſſeſſione adquiſitum putaret, idque pro ſeruitute fluminis non auertendi, ſed recipiendi haberet: vtrumque negauit

(e) *l. 28. D. de ſeru. praed. vrban.*

Digitized by Google

negauit PAVLLVS: poſterius, quod IN EVM LOCVM NIHIL EX CAELO AQVAE VENIAT: prius, quod PERPETVAM CAVSSAM NON HABEAT, QVOD MANV FIAT. Vel enim manu vicini aquam foramini immittendam eſſe, quotieſcumque eo iure vti velit triclinii poſſeſſor, vel aquaeductus ex receptaculo aquae collectitiae non eſſe eam conditionem, vt aqua illa ſua natura ſufficiat ad iuris iſtius exercitium, ſed nouum ſubinde aquae ſupplementum ſeruientis manu fore ingerendum, ſi ſufficere debeat. Si quis vero per tempus lege definitum aquam e tecto vicini per fiſtulas, qualium ſaepe fit mentio in iure noſtro (f), in triclinium vel aream ſuam per iſtud foramen duxiſſet, fore hanc ſeruitutem fluminis, eamque cauſſa perpetua non cariturам: QVIA, QVOD EX CAELO CADIT, ETSI NON ADSIDVE FIT, EX NATVRALI TAMEN CAVSSA FIT, ET IDEO PERPETVO FIERI EXISTIMATVR. OMNES AVTEM SERVITVTES PRAEDIORVM PERPETVAS CAVSSAS HABERE DEBERE. Non vero rarum Romae fuit, aquam vndecumque per fiſtulas & tubulos in aedes, immo per ſingula earum conclauia & triclinia duci: ceu vel ex his PAPINII STATII (g) verſibus intelligitur:

An picturata lucentia marmora vena
Mirer, an EMISSAS *per cuncta cubilia* LYMPHAS?

quibuſcum coniungi merentur, quae illuſtrandis his adnotarunt IS. CASAVBONVS (h), IO. BRODAEVS (i) & IO. MEVRSIVS (k). Reliquam huius textus PAVLLINI partem de lacu, ſtagno, ſtillicidio, iam ſupra ita expoſuimus, vt hic plura addere nihil attineat. Sufficit iam, nos oſtendiſſe, hanc philoſophiam iureconſulti non eſſe iuſto ſubtiliorem, ſed regulis, paragrapho ſuperiore propoſitis, conuenientiſſimam, immo & planam & perſpicuam, niſi bono illi iureconſulto meram noctem offudiſſent interpretes.

§. XXX.

Nec plus difficultatis ineſt ſeruituti fumi immittendi, de cuius cauſſa perpetua dubitaſſe nonnullos animaduerto. Romani ſaepe diuiſis caenaculis ita habitabant, vt ſuperiora domus in alius dominio eſſent, ac inferiora (l). Vnde & ſaepe ex publi- *Nec non ad ſeruitutem fumi immittendi, &c.*

(f) *l. 18. l. 19. pr. D. de ſeru. praed. vrb. l. 47. D. de contrah. emt.*

(g) *Stat. Lib. I. ſilu. III. v. 36.*

(h) *Iſ. Caſaubon. ad Sueton. Aug. Cap. LXXXII.*

(i) Io. Brodaeus *Miſcell. Lib. V. Cap.* VI.

(k) *Meurſ. de luxu Rom. Cap. XII. p. 30.*

(l) *Exempla ſunt l. 3. §. 7. D. vti poſſidet. l. 7. D. de inſtr. & inſtrum. leg.*

aquae hauſtus e ciſterna.

eo in ſuperiores contignationes erat aditus, ne ſuperiorum contignationum domini per inferioris atrium ire commeare tenerentur (m). Habitator inferior tabernam caſeariam conduxerat a Minturnenſibus, in quam quum fumum immitteret conductor, (quia, vti ex PLINIO (n) & MARTIALE (o) oſtendit BRISSONIVS, (p) fumus ille caſeorum gratiam & ſaporem augere credebatur,) fumus iſte per caminum in ſuperiores aedium partes adſcendebat. Quaerebatur, an ius fuerit conductori fumum immittere in caenaculum ſuperius? Reſpondit T. ARISTO Cerellio Vitali (q), *non putare ſe, ex taberna caſearia fumum in ſuperiora aedificia iure immitti poſſe, niſi ei rei ſeruitutem talem admittat.* Vbi verba poſtrema vix ſenſum fundunt, niſi legeris: *etſi ea res ſeruitutem talem admittat.* Concedit enim ARISTO, huiusmodi ſeruitutem poſſe conſtitui, ac proinde poſſeſſori eo nomine indulget formulam actionis confeſſoriae: IVS ESSE, FVMVM IMMITTERE. At non conſtituta hac ſeruitute, ſuperioris aedificii inquilinum recte experiri poſſe negatoria: IVS EI NON ESSE FVMVM IMMITTERE, conductorem vero, ſi tunc vti non recte poſſit taberna caſearia, Minturnenſes actione conducti iure conuenire. Haec ARISTO. Iam obuertunt nobis, fumi cauſſam non eſſe perpetuam, quia manu ſit excitandus, & tamen fumi immittendi ſeruitutem conſiſtere. Immo reſpondemus, huius ſeruitutis eam eſſe conditionem ac indolem, vt caminus ſemel recte factus dominanti ſine vlla manuaria ſuperioris habitatoris opera ſufficiat, ad fumum ex taberna caſearia in ſuperius caenaculum emittendum: ac proinde eius cauſſam manifeſto eſſe perpetuam. Fumus manu excitatur, aſt non ſeruientis, ſed dominantis praedii poſſeſſoris. Id vero ſalua perpetua ſeruitutis cauſſa fieri poſſe, & in pleriſque ſeruitutibus fieri, iam ſupra vidimus. Sed alia eſt ratio ſeruitutis aquae hauſtus ex ciſterna, lacu, piſcina & puteo, aquam viuam non habentibus, quam iure conſiſtere poſſe negat VLPIANVS (r). Neque enim huius iuris ea eſt conditio, vt aqua illa natura ſufficiat vſibus vicini, ac non potius mox vacua futura ſint illa aquae collectitiae receptacula. Immo neceſſitas imponeretur ſeruientis praedii domino, aquam exhauſtam aliunde manu ingerendi, ſi ciſterna

(m) Liu. *Lib.* XXXVIIII. *Cap.* XIIII.

(n) Plin. *Hiſt. Nat. Lib. XI. Cap. XXXXII.*

(o) Martial. *Libr. XIII. Epigr. XXXII.*

(p) Briſſon. *Sel. antiqu. Libr. IIII. Cap. XV.*

(q) *l. 8. §. 5. D. ſi ſeruit. vindic.*

(r) *l. 1. §. 4. D. de fonte.*

Digitized by Google

na ſufficere deberet. Verum quidem eſt, aquam ipſam, quia e caelo cadit, cauſſam habere perpetuam. At iam ſupra monuimus, non hic obiecti rationem haberi, ſed formae ſeruitutis. Aquae cauſſa hic eſt perpetua, non autem formae aquae hauſtus ex ciſterna, lacu, piſcina, puteo, quia natura ſua hae res omnes non ita ſufficiunt alterius vſibus, vt aquam ſemper, & quoties id exigit praedii ſui neceſſitas, haurire poſſit. Ex quo ſimul animaduertimus cur & aquaeductus, & aquae hauſtus, immo & ius nauigandi recte conſtituatur in lacu perpetuo vel viuam aquam habente (s): quia tunc ea eſt ſeruitutum harum conditio, vt aqua illa exercendis iſtis iuribus ſemper ſufficiat, nec vlla ad id neceſſaria ſit manuaria vicini opera.

§. XXXI.

Denique ad ſeruitutem aquae rota e flumine tollendae, vel e caſtello ducendae.

Sed & ſeruitutes aquae rota e flumine tollendae, vel e caſtello ducendae, iure conſiſtere negat ANTONINVS CARACALLA, quem, dubitantibus ea de re iureconſultis, hunc in modum Tulliano reſcripſiſſe refert VLPIANVS (t): *Licet ſeruitus* IVRE NON VALVIT, *ſi tamen hac lege comparauit, ſeu alio quocumque legitimo modo ſibi hoc ius adquiſiuit, tuendum eſſe eum, qui hoc ius poſſedit.* Hic vero manifeſto nobis aquam haerere exiſtimabunt. Machina enim illa hydraulica, vel caſtello, ſemel rite confectis, (de quibus plura eaque ſelecta collegit CVIACIVS (u), eam huius ſeruitutis aiunt eſſe naturam, vt abunde ſufficiat dominantis vſibus, nec vlla deſideretur ſeruientis opera. Cauſſam ergo huius iuris eſſe perpetuam, & tamen ei locum inter ſeruitutes concedere noluiſſe veteres. Enimuero in tota illa lege ne veſtigium quidem occurrit cauſſae perpetuae: neque adeo ex ea probari poteſt, ideo hanc ſeruitutem iure non valuiſſe, quod cauſſa perpetua deſtitueretur. Quod & recte obſeruauit laudatus CVIACIVS (x), qui ideo aliam commentus eſt cauſſam, cur illud ius iure non valuerit, puta, quia vix ſit, vt praedia tanta aquae copia indigeant, vt adhiberi organa oporteat, non poſſint autem ipſo iure conſtitui ſeruitutes vltra, quam opus ſit ad praedia (y). Sed quis ignorat, ſaepe huiuſmodi machinas exigere praedium, immo & in Halae ſuburbio non deeſſe rotam, qua aqua ex Sala

 tollitur

(s) *l. 23. §. 1. D. de ſeru. ruſt. praed.*

(t) *l. 2. D. commun. ſeru. vrban. & ruſt.*

(u) Cuiac. *Obſeru. Lib. III. Cap.* XXVIII.

(x) Cuiac. *ibid.*

(y) *l. 5. fin. D. de ſeruit. praed. ruſt.*

tollitur in vſum praedii priuati, in quo certa cereuiſia coquitur? Itaque nodum vix ſoluit illa, quantumuis ingenioſa coniectura CVIACII. At res in vado eſt. Seruitutes illae iure non valuerunt, non quod cauſſam non haberent perpetuam: ſed quod in flumine, quippe publico, & caſtello nemini conſtitui poſſet ſeruitus. Hinc ipſe VLPIANVS (z): *Haec*, inquit, *de hauſtu ex fonte* PRIVATO. *Ad* FLVMEN *autem* PVBLICVM, *idem Neratius eodem libro ſcribit, iter debere cedi,* HAVSTVM *non oportere. Et ſi quis tantum hauſtum ceſſerit*, NIHIL *eum agere*. Sed non magis ex caſtello ab vllo conſtitui poterat ſeruitus aquaeductus. *Aquam enim inde ducere a principe conceditur, nec alii vlli competit ius aquae dandae*, inquit VLPIANVS (a). Recte ergo iure valere has ſeruitutes negauit ANTONINVS Imp. quia in flumine ſeruitus a priuato non magis conſtituitur, quam in mari. Enimuero quemadmodum is tuendus eſt a Praetore, qui ius aliquod in mari legitimis modis adquiſiuit, & hinc denuo ſcribit VLPIANVS (b): *Venditor fundi Geroniani fundo Botroiano, quem retinebat, legem dederat, ne contra eum piſcatio thynnaria exerceatur. Quamuis* MARI, *quod natura omnibus patet, ſeruitus imponi priuata lege non poteſt, quia tamen bona fides contractus legem ſeruari venditionis expoſcit: perſonae poſſidentium, aut in ius eorum ſuccedentium per ſtipulationis vel venditionis legem obligantur.* Ita & recte reſcribere Imperator potuit, tuendum eſſe poſſeſſorem huiuſmodi machinae iuxta flumen publicum vel aquaeductus ex caſtello, qui tale ius legitimo modo adquiſiuerit, quamuis ſtricto iure neutro caſu conſiſtat ſeruitus, non ob cauſſae perpetuae defectum, ſed quia nulli priuato ius ſit aquae hauſtum vel aquaeductum ex flumine publico, vel caſtello concedendi, iiſque ſeruitutem priuata auctoritate imponendi.

§. XXXII.

Concluſio diſſertationis.

Et hi quidem ſunt textus illi difficiliores, qui regulae noſtrae de cauſſa ſeruitutum perpetua obſtare viſi ſunt. Reliquis, quos ſupra aliorum ſententiis obuertimus, ſuis locis ipſi ſatisfecimus. Aetas noſtra in id tempus incidit, quo ne dupondii quidem Triboniano parcunt, & ſi quid occurrit, quod ipſi non intelligunt, (at quam multa talia occurrent?) ſtatim expediunt ferulas, & eum cerebrum in calcaneo habuiſſe, clamant. Immo, quod

(z) *l. 3. §. vlt. D. eod.*
(a) *l. 1. §. 42. D. de aqua quotid. & aeſtiua.*
(b) *l. 13. pr. D. commun. ſeru. vrban. & ruſtic.*

Digitized by Google

quod mireris, ne melioris quidem aeui iureconſultos, VLPIANVM, CAIVM, PAVLLVM, & ſimiles, ſine nota dimittunt, tanto ferociores plerumque, quanto minus in iure ciuili profecerunt. Hos vero cenſores apertos inimicos habere, admodum periculoſum eſt. Itaque dabo operam, vt eos mihi reddam amiciores, & in eorum gratiam adferam brocardicum, non vnum e multis, ſed inter multa vnicum, illud puta digniſſimum, quod atrio templi Delphici inſcribatur: CAVSSA ETIAM FATVA A DOLO EXCVSAT. Quid hoc ad Bacchum? Neſcio, niſi quod credam, eam incomparabilem regulam eatenus profuturam TRIBONIANO, ne eum pro fatuo habeant fatui, dum regulam illam, quod cauſſam ſeruitutis perpetuam eſſe oporteat, in Pandectis exſtare paſſus eſt. Si enim a dolo cauſſa etiam fatua excuſat: procul dubio a fatuitate hominem multo magis excuſabunt tot ſolidiſſima, quae attulimus, argumenta. Cum viris doctis rerumque harum intelligentibus facile tranſigam. Hi enim tam ſunt emunctae naris, vt, quid inter CAVSSAM SERVITVTVM PERPETVAM & fatuas illico Tribonianomaſtigum cauſſas interſit, facile ſubolfaciant.

DE LOCATIONE CONDVCTIONE IVRISDICTIONIS.

EXERCITATIO XXXIII.

CAP. I.

AN LOCATIO CONDVCTIO IVRISDICTIONIS EX PRINCIPIIS IVRIS ROM. SIT LICITA?

§. I. *Inſtituti ratio & partitio diſſertationis.* §. II. *Quid iuriſdictio ſecundum* DVARENVM *?* §. III. *Ea definitio expenſa.* §. IIII. *Aliarum definitionum examen.* §. V. CVIACIANA *iuriſdictionis definitio.* §. VI. *Ei quid a* GV. MARANO *obiiciatur ?* §. VII. *Vindiciae aduerſus Maranum datae.* §. VIII. *Alia aduerſus* CVIACII *definitionem dubia.* §. VIIII. *Iuriſdictio non minus, quam imperium, vel priuata, vel publica. Quid iuriſdictio & imperium* PRIVATVM *?* §. X. *Quid* PVBLICA *iuriſdictio ?* §. XI. *Probatur, definitionem noſtram eſſe adaequatam.* §. XII. *Imperium an idem, ac iuriſdictio ?* §. XIII. *Quid imperium ? & quid inter merum mixtumque interſit ?* §. XIIII. *An locari potuerit iuriſdictio & imperium domeſticum ?* §. XV. *Publicam iuriſdictionem ac imperium locari non potuiſſe, probatur ex ipſa eorum indole.* §. XVI. *Itemque ex natura dignitatum ac magiſtratuum.* §. XVII. *Cur mandari, nec locari tamen, potuerit iuriſdictio?*

Digitized by Google

§. I.

Inſtituti ratio & partitio diſſertationis.

DE LOCATIONE CONDVCTIONE IVRISDICTIONIS, quaedam, quae publicae diſceptationi more maiorum occaſionem praebeant, in chartam coniicere conſilium eſt. Quamuis enim in eadem iuris quaeſtione, iam alii exercuerint ingenium, quos mihi vel vllum ſpicilegium reliquiſſe, vix probabile eſt (a): tamen, quemadmodum veteri illi ac florentiori iuriſprudentiae non obfuit, tot eximiorum ingeniorum, eamdem saepe iuriſprudentiae partem ſcriptionibus ſuis illuſtrantium, induſtria (b), ita nec meam diſſertationem, qua res iam ab aliis occupata illuſtratur, oneri reipublicae litterariae futuram exiſtimo, neque vereor, ne quis, me aliorum luminibus hac ſuſcepta opera officere voluiſſe, ſuſpicetur. Diſcrepant non numquam eorum, qui eamdem materiam perpoliendam ſuſcipiunt, ſententiae. Aliquando eadem, ſed ex diuerſis veluti fontibus promanantia, ſcribimus. Eſt, vbi ipſa ſcribendi ratio rem abſtruſam quodammodo illuſtrat, magiſque reddit perſpicuam. Denique, vt LABEONIS (c) noſtri verbis vtar, *ſuum quiſque habet iudicium*, &, vti olim ſenatoribus de communi republica, ita hodie omnibus, quibus litterae curae ſunt, de re litteraria ſententiam dicere licere debet. Vt vero diſſertationi noſtrae ſuus conſtet ordo, quo, XENOPHONTE (d) iudice, nihil pulcrius, nihilque praeſtabilius eſt: doctrinam hanc ita tradamus, vt primum quid ex iuris ciuilis principiis ea de re dici poſſit, ac deinde, qua in re ab illis diſcrepent mores patrii, ex ipſis vtriuſque iuriſprudentiae fontibus oſtendamus. Faxit DEVS feliciter!

§. II.

(a) *Praeter eos enim, qui obiter hanc quaeſtionem in ſyſtematibus iuris attigerunt, ſingulares ea de re diſſertationes ediderunt* clar. D. Iac. Aug. Franckenſteinius *Lipſ.* MDCCXXVIII. & *praeſide* V. A. Reinh. Fridr. Sahme, Iac. Henr. Ohlius, *Regiom.* MDCCXXXVII.

(b) *Sic conſtat, de adulteriis ſcripſiſſe* Papinianum, Vlpianum, Paullum, *de fideicommiſſis* Pomponium, Caium, Maecianum, Valentem, Vlpianum & Paullum, *de appellationibus* Macrum, Marcianum, Vlpianum & Paullum, *ad Leges Iuliam & Papiam* Caium, Marcellum, Mauricianum, Terentium Clementem, Vlpianum & Paullum, *de aliis alios. Vid.* V. C. Abr. Wielingii *Iuriſprud. reſtitut. p. XLIII. ſequ.*

(c) Sueton. *Octau. Aug. Cap. LIIII.*

(d) Xenoph. *Oeconomic. Cap.* VIII. §. 3. p. 57.

§. II.

Quid iuriſdictio ſecundum Duarenum?

Et iuris quidem ciuilis, a Romanis reperti, ſcita non rectius, opinor, intelligemus, quam ſi ab ipſa iuriſdictionis definitione proficiſcatur oratio: maxime quum & huic iuris capiti tantam caliginem offuderint interpretes, vt iure meritoque conqueratur M. ANT. MVRETVS (e), eos, qui eius explicationem magno faſtu ac ſupercilio tradiderint, *pro iuriſdictione iuris ignorantiam, pro mero imperio meram ſtultitiam, pro mixto mixtam cum falſa opinione ſcientiae prodidiſſe.* Quin addit vir doctiſſimus, *vt traditum ſit, antiquis temporibus nobilem quemdam muſicum duplicem mercedem exigere ſolitum ab iis, qui ſe ipſi in diſciplinam darent, ſi prius aliis praeceptoribus vſi eſſent, quod ſibi duplicem laborem capiendum eſſe diceret, dedocendi vnum, & alterum docendi, ita, qui talibus deliramentis infatuati ſint, conducere, ſi fieri poſſet, aliquem debere, cuius ope ea, quae didicerint, dediſcerent.* Quum vero nulla iuris quaeſtio enodari poſſit de re, cuius notio accurata menti noſtrae non obuerſatur: nos praecipue dabimus operam, vt verum ac genuinum iuriſdictionis Romanae conceptum euoluamus, ac deinde ad propoſitam quaeſtionem tanto inſtructiores progrediamur. FRANC. DVARENVS, (f) doctiſſimus ſane, ſed ſui ſenſus homo, quem ipſe CVIACIVS, (g) quamuis omnibus ab eo vexatus contumeliis, *ſine exemplo maximum iuriſprudentiae ducem* vocat, nec non PAVLLVS MANVTIVS (h) iuriſdictionem nihil aliud eſſe contendunt, quam *iudicis dandi licentiam in priuatis & pecuniariis cauſſis*, eamque definitionem ex ipſis legibus noſtris luculenter probari poſſe exiſtimant. VLPIANVM (i) enim & DIOCLETIANVM AC MAXIMIANVM, Auguſtos (k), iuriſdictionem diſerte vocare *iudicis dandi licentiam*: IVLIANVM (l), Imperatorem, *iudices pedaneos dandi poteſtatem*: GORDIANVM (m) *dandi iudices inter priuatas perſonas facultatem*: denique IVLIVM PAVLLVM (n) *iudicis dandi ius*: ex eoque manifeſtum eſſe, iuriſdictionis vniuerſae naturam ac indolem in illa iudices dandi poteſtate conſtitiſſe.

§. III.

(e) Muret. *de iuriſdict. p. 107. Theſaur. Iur. Tom. IIII.*

(f) Fr. Duaren. *Comment. ad l. 7. D. de pact. Diſp. Anniuerſar. Lib. I. Cap. LIII. & Apolog. adu. Eguin. Baron. p. 1097. Operum.*

(g) Cuiac. *Tomo II. Op. p. 639.*

(h) Manut. *Comment. ad Ciceron. Lib. I. ad Q. fratrem Epiſt. II.*

(i) *l. 3. fin. D. de iuriſdict.*

(k) *l. 2. C. de pedan. iudic.*

(l) *l. vlt. C. eod.*

(m) *l. 1. C. eod.*

(n) *l. 12. D. de Offic. Procoſ.*

Digitized by Google

§. III.

Ea definitio expenſa.

Sed quantumuis auctori ſuo placuerit haec definitio, qui eam tamquam filiolam ſuam vnice exoſculatus eſt: vereor tamen, vt naturam iuriſdictionis Romanae vlla ex parte exhaurire videatur. Nolim quidem vti argumento GVIL. MARANI (o), qui, quum in arbitrio magiſtratuum poſitum fuiſſe, exiſtimet, ipſine iudicare, an iudicem dare mallent, iuriſdictionem abſciſſe iudicis dandi poteſtatem dici poſſe negat. Satis enim notum, & a V. C. GER. NOODTIO (p) pluribus demonſtratum eſt, eam optionem datam non fuiſſe magiſtratibus, ſed fuiſſe certas duntaxat extraordinariae cognitionis cauſſas, quas magiſtratus ipſi, nullo dato iudice, finiuerint: idque vel inde patet, quod CICERO (q) reprehendere non dubitat Quintum fratrem, qui ipſe cauſſam pecuniariam cognouerat: *Quid? Prætor ſolet* IVDICARE, *deberi?* At non deſunt alia, quae DVARENIANAM illam definitionem premunt, argumenta. Vt enim iam non dicam, eam non cadere in iuriſdictionem VOLVNTARIAM (r), eiuſque partem nobiliſſimam, legis actionem, quae tantum abeſt, vt deſideraret iudicem, vt *paſſim*, (s) id eſt extra tribunal, etiam in tranſitu, veluti quum Praetor vel Praeſes in balneum, vel in theatrum iret (t), recte explicaretur: iudicis etiam datione non opus erat, quoties, vt dixi, extraordinariae cognitionis cauſſa incideret, quippe quam ipſi magiſtratus decernendo finiebant (u). Quare quum omnes viri docti duas iurisdictionis partes eſſe fateantur, DECRETVM & IVDICIS DATIONEM (x): certiſſimum ſane eſt, definitionem DVARENI nec omni iurisdictioni competere, nec totam iurisdictionem, ſed eius tantum partem, & eam quidem non nobiliſſimam, deſcribere. Sunt & alia, quae huic definitioni obuertit GVIL. MARANVS (y), puta quod magiſtratus municipales iuris dicundi habuerint poteſtatem, nec tamen iudices dare potuerint. Enimuero & illa de magiſtratibus municipalibus obſeruatio, ſi dicendum, quod

(o) Guil. Maran. *Paratitl. p.* 3.

(p) Ger. Noodt *de iuriſdict. Lib. I. Cap.* VII. *p.* 100. *ſequ.*

[q] Cicero *Lib. I. ad Q. fratr. Epiſt. II.*

(r) *l.* 2. *princ. D. de offic. Procoſ.*

(s) *l.* 7. §. 1. *D. de ventre in poſſeſſ. mitt. l.* 5. §. 9. *D. de reb. cor. qui ſub tu.*

(t) §. 2. *Inſt. de libertin.*

(u) *l.* 1. §. 7. 14. *D. de extraord. cognit. l.* 8. *l.* 9. *D. de offic. Praeſid. l.* 1. *C. de pedan. iudic.*

(x) Carol. Sigon. *de iure ciu. Rom. Lib. I. Cap.* VII. Ger. Noodt *de iuriſdict. Lib. I. Cap.* VII.

(y) Maran. *de iuriſd. p.* 8. *ſequ. Tomo II.*

quod res eſt, parum ſolida videtur. Potuiſſe enim etiam illos iudices dare, vel ex legis Maniliae verbis diſcimus, quibus IVRISDICTIO, IVDICISQVE DATIO ET ADDICTIO conceditur iſtis magiſtratibus (z). Quamobrem ne eo quidem argumento vti velim aduerſus DVARENI definitionem, priore ratione noſtra iam ſatis, niſi me omnia fallunt, euerſam.

§. IIII.

Aliarum definitionum examen.

Eiusdem paene commatis eſſe videntur definitiones tantum non omnes, quas excogitarunt interpretes. Pleriſque, qui ante CVIACIVM iuri interpretando operam dederunt IVRISDICTIO eſt *poteſtas publica, cum neceſſitate iuris dicundi, aequitatisque ſtatuendae coniuncta* (a): EGVIN. BARONI (b) *publica iuris dicundi poteſtas*: LVD. CHARONDAE (c) *iuris dicundi licentia*: SCIPIONI GENTILI (d) *notio ciuilium ac criminalium cauſſarum cum ſtatuendi & exſequendi poteſtate*: M. ANT. MVRETO (e) *poteſtas iudicandi, iudicesue dandi de ciuilibus controuerſiis, & de delictis priuatis, omninoque de iis tantum, pro quibus non alia, quam pecuniaria poena, imponeretur.* Vt iam non dicam de ANT. GOVEANI (f), HVG. DONELLI (g), PAVRMEISTERI (h), OBRECHTI (i), & MATTH. STEPHANI (k) definitionibus, quae ab iis, quas hactenus recenſuimus, verbis duntaxat videntur diſcrepare, iisdemque adeo, quos in prioribus illis notabimus, defectibus laborant. Nimirum parum aut nihil dicere videntur, qui iurisdictionem poteſtatem vel licentiam iuris dicundi adpellitant. Nam, vti recte obſeruat ANT. GOVEANVS (l), quid ſit *iuris dicundi poteſtas*, aeque obſcurum eſt, quam, quid ſit *iurisdictio*. Nec magis perſpicuum videtur, quid ſit *aequitatem ſtatuere*, niſi forte facultatem illam ius ciuile edictis ſuis adiuuandi, ſupplendi, corrigendiue, quod VLPIANVS (m) Praetoribus tribuit, in animo habuerint iſtius definitionis auctores. Aſt municipales magiſtratus iuris-

(z) Guil. Goeſ. *Script. rei agrar. p.* 340.

(a) Vdalric. Zaſ. *Paratitl. tit. de iuriſd. n.* 1.

(b) Baro *var. Quaeſt. de iuriſd. p.* 18.

(c) Lud. Charond. *de iuriſd. n.* 5.

(d) Scip. Gentil. *de iuriſd. Lib. I. Cap. I.*

(e) Muret. *de iuriſd. p.* 209.

(f) Ant. Gouean. *de iuriſd. Lib.* II. *n.* 59.

(g) Hugo Donell. *Comment. iur. ciu.* *Lib.* XVII. *Cap.* VI.

(h) Paurmeiſt. *de iuriſd. Lib. I. Cap.* VII. *n.* 1.

(i) Obrecht. *de iuriſd. Cap. I. n.* 19.

(k) Matth. Steph. *de iuriſd. Lib. I. Cap. V. n.* 2.

(l) Ant. Gouean. *ibid. n.* 58.

(m) *l.* 7. §. 1. *D. de iuſt.* & *iure.*

Digitized by Google

riſdictionem procul dubio habebant (n), & hinc paſſim memorantur IIVIRI IVR. DIC. (o) IIII VIRI IVR. DIC. (p) AEDILES IVR. DIC. (q) nec tamen vlla gaudebant poteſtate edicta, quibus ius ciuile ad aequitatem inflecteretur, proponendi: immo potius ſecundum vrbanorum magiſtratuum edicta ius dicere cogebantur (r). Et quis, quaeſo, dixerit, Praetores & Praeſides ab Hadriani temporibus iuris dicundi poteſtatem amiſiſſe, quia illis non amplius integrum fuerit ius ciuile edictis ſuis, adiuuare, ſupplere, corrigere? Porro cognitio de criminibus perperam refertur ad iurisdictionem, quum praeclare docuerit MVRETVS (s), iurisdictionem vniuerſam fuiſſe penes Praetorem, & eum tamen ſolis controuerſiis ciuilibus diſceptandis diiudicandisque praefuiſſe, nec de vllo cognouiſſe crimine publico, niſi ei imperium illud ſpeciali lege fuiſſet a populo delatum. Sed & exſequendi facultas non magis, quam poteſtas animaduertendi in facinoroſos homines, ad iurisdictionem pertinet. Extremum enim in iurisdictione eſt ſententia (t), adeoque eius exſequutio non pars iurisdictionis, ſed imperii mixti, habetur (u). Immo ne MVRETI quidem definitio, quamuis reliquis paullo accuratior, ita comparata eſt, vt euerti non poſſit. Si enim disiunctim aut in iudicando, aut in iudice dando, poſita eſt iurisdictio: nihil profecto impedit, quo minus eam & iudici pedaneo, & arbitro, tribuamus, quippe, ſi non iudices dandi, at iudicandi ſaltim facultate inſtructis (x). Vnde miror, GVIL. MARANVM (y) virum doctiſſimum, & qui aliorum naeuos oculis paene lynceis deprehendere ſolet, nihil rectius impertiri potuiſſe, ſed iurisdictionem modo vocare *iudicandi, vel iudicem dandi licentiam*, modo *iuris cuique reddendi poteſtatem*: quum tamen prioris illius definitionis idem, quod illius MVRETI, vitium ſit, poſterior vero ipſo definito non multo clarior, immo illo haud paullo obſcurior videatur.

(n) *l. 29. D. ad municipal.*
(o) Gruter. *Inſcr. p.* CCCLXXXVIII. 1.
(p) Fabrett. *Cap.* VIIII. *n.* 132.
(q) Gruter. *Inſcr. p.* CCXIIII.
(r) *l. 32. D. de leg.* Theoph. *Paraphr.* §. 7. *Inſt. de iure nat. gent. & ciu.* Eu. Otto. *de Aedil. colon. & municip. Cap.* XIII. *p.* 451.
(s) Muret. *de iuriſdict. p.* 208.
(t) *l. vn. §. 1. D. ſi quis ius dicenti non obtemper.*
(u) *l. 2. D. de iuriſd. l. 5. §. 1. D. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.*
(x) *l. 80. D. de iudic. l. 1. D. de arbitr. l. 14. C. de iudic.*
(y) Maran. *de iuriſd. p.* 16. 17.

§ V.

Cuiaciana iuriſdictionis definitio.

Prudenter, vti ſolet, hoc animaduertit ὁ πάνυ CVIACIVS, qui ideo accuratiorem magiſque adaequatam iurisdictionis definitionem daturus, eam eſſe ait *notionem, iure magiſtratus competentem* (z); & ſane hac definitione ſua ſibi ipſe adeo placuit vir incomparabilis, vt ſe numquam in reperiunda definitione feliciorem fuiſſe, fateretur (a). Quo minus mirandum, eam multo magis placuiſſe viris doctis, veluti CAR. HANNIBALI FABROTTO (b), qui eam in additionibus ſuis mirifice probare videtur, & VLR. HVBERO (c), qui ideo CVIACIVM *ſummum definiendi artificem* vocare non dubitat. Et ſane, eſſe eam reliquis omnibus meliorem, facile largior, idque mouiſſe videtur Illuſtrem Praeſidem, Praeceptorem meum aetate venerandum (d), vt eam in elementis ſuis ceteris omnibus anteferendam putaret. Multa tamen ei opponit vir celeberrimus, GVIL. MARANVS (e), quae hic expendere eo magis operae fuerit pretium, quo luculentius tunc, quam firmo talo ſtet CVIACII definitio, adparebit.

§. VI.

Et quid a Guil. Marano obiiciatur?

Nimirum primo, ideo mancam eſſe CVIACII definitionem; contendit MARANVS, quod iurisdictionem mandatam, quippe iure magiſtratus nemini competentem, ambitu ſuo non complectatur. Licebat enim iurisdictionem non modo magiſtratibus, ſed & priuatis, mandare (f), quibus adeo nihil omnino iure magiſtratus competebat. Deinde obſeruat, & eos aliquando, qui non fuerint in magiſtratuum numero, ius extra ordinem dixiſſe, veluti praefectos annonae & vigilum (g), iis vero illam iurisdictionem nullo iure magiſtratus competere potuiſſe. Tum porro ipſum CVIACIVM (h) alicubi docuiſſe, monet, magiſtratus Romanos non adhibuiſſe ſuam notionem aut cognitionem, niſi extra ordinem, ſed iudices dediſſe vel arbitros, qui ex formula praeſcripta ferrent ſententiam. Definitionem ergo CVIACII non, quod

a ius

(z) Cuiac. *Paratitl. Digeſt. Lib. II. Tit. I. & Paratitl. Cod. Lib. III. Tit. XIII. p. 154. Tom. II. Op.*

(a) Hilliger *Donell. Enucl. Lib.* XVII. *Cap.* VII. *not. f.*

(b) Fabrott. *Enarrat. ad vtraque Paratitla ibid.*

(c) Huber. *Praelect. ad Pand. Lib. II. tit. I. §. II.*

(d) *Elem. iur. ciu. ſec. ord. Pand. Parte I.* §. CCXXXX.

(e) Maran. *de iuriſd. p. 12. ſequ.*

(f) *l. vlt. §. 1. D. de offic. eius, cui mand.*

(g) *l. 2. §. 33. D. de orig. iur.*

(h) Cuiac. *Obſeru. Lib.* VIIII. *Cap. XXIII.*

a ius dicentibus ordinarie, ſed quod certis duntaxat caſibus extra ordinem fieri conſueuerit, exprimere, adeoque & hanc ob cauſſam non ſatis plenam perfectamque eſſe. Praeterea illam non quadrare vel iurisdictioni defenſorum ciuitatum, qui non fuerint magiſtratus (i), nec iudicum pedaneorum, quos Conſtantinopoli IVSTINIANVS iuris dicundi cauſſa conſtituerit (k), quosque, vtut inter magiſtratus non fuerint, iurisdictionem tamen habuiſſe, ex IVLIANI Nouellis (l) colligit. Denique ne id quidem praetermittendum putauit, notionis vocabulum nec iudicis dationem complecti, nec tam magiſtratibus, quibus potius cognitio fuerit, quam iudicibus, potius pedaneis, tribui, adeoque notionem eamdem eſſe, ac παρασημείωσιν, ſeu *adnotationem*, id eſt cognitionem ſummariam, & non actis ſollemniter confectis, ſed rebus breuiter adnotatis, ſuſceptam. Quae planaria notio quomodo iurisdictionis naturam ac indolem abſoluere poſſit, vix ſe intelligere, ait MARANVS, maxime quum notio illa iudicis dationem numquam, ac ne iis quidem locis, in quibus iunguntur *cognitio* & *iurisdictio*, ſignificet.

§. VII.

Vindiciae aduerſus Maranum datae.

Et haec quidem ſunt, quibus MARANVS definitionem CVIACIANAM euertiſſe ſibi viſus eſt, argumenta, quae an admodum ſtringant, iam paucis erit diſpiciendum. Et primum quidem illud, quod mandatae iurisdictioni non quadret haec definitio, parum ferire videtur CVIACIVM. Omnino enim illa mandatario competit iure magiſtratus, non quidem ſui, ſed mandantis. Nam, *qui mandatam iurisdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet, ſed* EIVS, *qui mandauit*, IVRISDICTIONE *vtitur* (m): quin *etſi Praetor ſit is, qui alienam iurisdictionem exſequitur, non tamen pro ſuo imperio agit, ſed* PRO EO, *cuius mandatu ius dicit, quoties* PARTIBVS EIVS *fungitur* (n). Vt adeo nihil impediat, quo minus & mandatario iurisdictionem iure magiſtratus competere dicamus. Quod ad Praefectos annonae & vigilum attinet, eos quidem magiſtratus fuiſſe negat POMPONIVS: ſed nec iurisdictionem eosdem habuiſſe ait. Saltim Praefectum Vigilum ius dixiſſe, non conſtat, quamuis eum in facinoroſos quosdam, veluti incendiarios, fures

(i) *Nouell. XV. Cap. I.*
(k) *Nouell. LXXXII. Cap. I. ſequ.*
(l) Iuliani *Nouell. LXXXII. Cap. XII.*
(m) *l. 1. §. 1. D. de offic. eius, cui mand. eſt iurisd.*
(n) *l. 3. §. 1. D. eod.*

Digitized by Google

res nocturnos, effractores, raptores, capſarios, in ſeruandis lauantium veſtimentis negligentiores, inquilinos, ignem male cuſtodientes, animaduertere potuiſſe, non ignoremus, niſi qua perſona tam atrox, tamque famoſa eſſet, vt ad Praefectum vrbi remittenda videretur (o). Praefectum aerario iurisdictionem habuiſſe, aliunde quidem probari poteſt (p): aſt vel id ipſum argumento eſt, eum inter magiſtratus, non ordinarios quidem, ſed extraordinarios, fuiſſe. Hinc ipſe CVIACIVS (q): *Praefecti*, inquit, *annonae & vigilum non ſunt magiſtratus ſtati & legitimi, ſed extra ordinem moremque conſuetum, ad tempus, vtilitatis cauſſa conſtituti.* Et V. A. CORNELIVS VAN BYNCKERSHOECK (r): *Conſtat, Praefectos annonae & vigilum ideo magiſtratus non dici, quod ordinarii non fuerint, quae oppoſitio & alias occurrit, & a plerisque interpretibus hic notata eſt.* Denique & IO. GVILIELMVS (s), vt alios praetermittam, praefectos annonae *iis* accenſet *magiſtratibus, qui aut cito e republica ſublati fuere, quum annui eſſent, aut non, niſi re cogente, creari ſolerent*, id eſt, ceu ipſe vocat, EXTRAORDINARIIS. Si vero magiſtratus etiam extraordinarios veros eſſe magiſtratus nemo negat, & ipſis dictatoribus id vocabulum tribuit POMPONIVS (t): quid prohiberet, quaeſo, quo minus & praefectos iſtos iurisdictionem, ſi quam habuerint, iure magiſtratus explicaſſe dicamus? Tertio argumento MARANVS male cum ipſo CVIACIO committit CVIACIVM. Is enim nihil aliud dicit, quam quod ordinarie non ſoliti ſint magiſtratus ipſi de facto cognoſcere, ſed eam notionem plerumque delegarint iudicibus pedaneis. Aſt vel haec ipſa iudicum datio notionem requirebat, vt prius Praetor pro tribunali audiret iura partium, puta, quae actio inſtituatur, quae ei obuertatur exceptio, quid porro actor replicationis, quid reus duplicationis loco proferat, denique dandane ſit illa actio & exceptio, an deneganda, & qua denique formula circumſcribendum ſit iudicis officium, cauſſa cognita ſtatueret (u). Hinc tam frequentes formulae edictales: SI IVSTA CAVSSA VIDEBITVR, IVDICIVM DABO (x): CAVSSA COGNITA IVDICIVM

(o) *l.* 3. §. 1. 2. 5. *l.* 4. *D. de offic. Praef. vigil.*

(p) *l.* 1. §. 18. *D. de exercit. act. l. vlt. D. quod cum eo, qui in al. pot.*

(q) Cuiac. *Adnot. ad l.* 2. §. 33. *D. de orig. iur.*

(r) Bynckersh. *Praetermiſſ. ad d. l.* 2. §. 33. *eod.*

(s) Guilielm. *de Magiſtr. Rom. lit.* G. *p.* 1.

(t) *l.* 2. §. 18. *D. de orig. iur.*

(u) Car. Sigon. *de Iudic.* Lib. I. *Cap.* XVIIII. *ſequ.*

(x) *l.* 1. §. 1. *D. de dolo malo.*

Digitized by Google

CIVM DABO (y): CVIVS IVSTISSIMA CAVSSA ESSE VIDEBITVR, EI AGENDI POTESTATEM FACIAM (z), & ſimiles. Immo & exceptiones a Praetore poſtulari, nec aliter, quam cauſſa cognita, dari, formulaeque inſeri ſolebant. Hinc VLPIANVS (a): *Hoc tamen iure vtimur, vt Praetor* EX CAVSSA *aeſtimet*, *an* HANC EXCEPTIONEM DARE *debeat*: *plerumque enim vtilitas ſuadet*, EXCEPTIONEM *iſtam* DARI. Et CICERO (b): *Agit is, cui manus praeciſa eſt, iniuriarum*, POSTVLAT *is, quocum agitur a Praetore* EXCEPTIONEM. *Is, qui agit, iudicium purum poſtulat: ille quocum agitur;* EXCEPTIONEM *ait* ADDI OPORTERE. Et alibi (c): *Quare in iure plerumque verſantur, ibi enim &* EXCEPTIONES POSTVLANTVR, *&* AGENDI POTESTAS DATVR, *& omnis conceptio priuatorum iudiciorum conſtituitur.* Pertinent huc & alia veterum teſtimonia, (d) quae, promiſſae breuitatis memores, ſtudio hic praetermittimus. Quum ergo ne iudicis quidem datio ſine notione fieret: quis, quaeſo, iuriſdictionem omnem in notione iure magiſtratus competente poſitam fuiſſe negauerit? Quarto MARANI argumento paucis opinor ſatisfieri poſſe. Defenſores enim ciuitatum & iudices pedanei libera adhuc republica, & poſtea aliquamdiu, non fuere magiſtratus: at ſimul ac illis iuriſdictio quaedam ordinaria a principibus data eſt, in magiſtratuum numero procul dubio eſſe coeperunt, aeque ac ναυτοδίκαι, & *defenſores corporum*, ſingulis profeſſionibus praefecti (e), quorum iuriſdictionem ſanctione munit ANASTASIVS Imp. (f) Quamuis enim priuati eſſent (g), & ex ipſis negotiatoribus & corporatis eligerentur (h): iudices tamen vel magiſtratus eſſe coeperunt ſemel electi, adeoque illis iuriſdictio omnino iure magiſtratus, minimi quidem, at magiſtratus tamen, competiit. Florentiore adhuc republica, iuriſdictio & forum erat ſolius magiſtratus, iudicium etiam priuatorum, vti

(y) *l.* 17. §. 10. *D. de iniur. l.* 1. *pr. D. de ſuperf. l.* 2. *pr. D. quod cum eo qui in al. pot.*

(z) *l.* 3. *pr. D. de ſepulcr. viol.* Barn. Briſſon. *de Form. pop. Rom. Lib. II. p.* 280. *ſequ.*

(a) *l.* 1. §. 6. *fin. D. ne quid in flum. publ.*

(b) Cicero *de Inuent. Lib. I. Cap. XX.*

(c) Idem *ibid. Lib. II. Cap.* XVIIII.

(d) Cic. *de Oratore Lib. I. Cap.* XXXVII. *& Academ. Quaeſt. Lib. IIII. Cap. XXX.*

(e) *l.* 34. §. 1. *D. de iureiur.* Lamprid. *vit. Alexandri Cap. XXXIII.*

(f) *l. vlt. C. de iuriſd. omn. iud.*

(g) Maran. *de iuriſd. p.* 14. *Tom. II. Op.*

(h) Lamprid. *ibid.* Petit. *Commentar. ad Leg. Atticas. Lib. V. Tit. V. p.* 423. Reineſ. *Inſcript. claſſ. I. n.* 204.

vti recte notarunt CVIACIVS (i) & DVARENVS (k). Aſt haec omnia confudit noua iſta ac IVSTINIANEA iuriſprudentia, &, vti ex titulo Codicis *de iuriſdictione omnium iudicum* patet, inter magiſtratum & iudicem nihil omnino diſcriminis reliquit. Denique & poſtrema MARANI obſeruatio de differentia *cognitionis* & *notionis*, ſeu παρασημειώσεως, parum ſolida eſt, quum haec fere promiſcue vſurpentur. Sane vti notio tribuitur Praeſidibus (l), Praetoribus (m), praefectis vrbi (n), ipſique Principi (o): ita & iudicibus pedaneis modo *notio* (p), modo *cauſſae cognitio* (q), quam tamen MARANVS ſolis magiſtratibus vindicare voluit, fuiſſe dicitur. Nec magis verum eſt, *notionem* nihil aliud eſſe, quam παρασημείωσιν. Haec enim fuit cognitio, *ſummatim* facta, vti VLPIANVS (r) loquitur, in qua non plena acta conficiebantur, ſed res breuiter, ac veluti per indicem, ſolebat adnotari: Vnde παρασημειώσεων *excerpta* vertit HIERONYMVS. (s) At vero ſiue ſummatim & leuato veluti velo, ſiue plene & accuratius, cauſſa cognoſceretur: & *notio* haec erat & *cauſſae cognitio*: ceu vel inde patet, quod iudices modo *ſummatim cognoſcere* (t), modo rem accuratius aeſtimare dicuntur.

§. VIII.

Alia aduerſus Cuiacii definitionem dubia.

Hactenus ergo, quod ad MARANVM attinet, integra omnia habet CVIACIVS, neque ab illo quidquam adlatum eſt, quod huius definitionem non dicam euertat, ſed tantum concutiat. Immo potius illa, vti iam diximus, omnium, quae hactenus adlatae ſunt, optima eſt, naturamque ac indolem iuriſdictionis rectius, quam vlla alia, exprimit. In eo tamen deficere illam dixeris, quod nec EXTRAORDINARIAE, nec VOLVNTARIAE iuriſdictioni quadrare videatur. Non illi, quia non iure magiſtratus, ſed ſpeciali lege, SCo, vel conſtitutione principis, defertur, veluti tutoris

(i) Cuiac. *Paratitl. tit. C. de iuriſd. omn. iud.*

(k) Duaren. *Op. p.* 153.

(l) *l. 2. C. ſi adu. fiſc. l. 9. C. de rei vindic. l. 1. §. 12. D. ad SC. Turpill.*

(m) *l. 8. §. 1. D. de tranſact. l. 3. §. 3. D. de lib. exhib. l. 1. §. 14. D. de ſeparat.*

(n) *l. 1. §. 4. D. de offic. praef. vrb.*

(o) *l. 10. §. 1. D. de adpellat.*

(p) *l. 3. C. quando prou. non eſt nec. l. 9. C. quom. & quand. iud. ſent. prof. deb. l. vlt. §. vlt. D. quod met. cauſſ.*

(q) *l. 4. §. 1. D. de eo quod cert. loc. l. 35. D. de hered. inſt. l. 13. D. de ritu nupt.*

(r) *l. 5. §. 8. D. de agnoſ. vel alend. part.*

(s) Hieronym. *ad Ezechiel.* Cuiac. *ad Nouell. LXXXII.* Ant. Auguſtin. *Gloſſar. obſcur. verb. Iuliani voce paraſimioſis.*

(t) *d. l. 5. §. 8. D. de agnoſc. vel al. part.*

Digitized by Google

toris datio (u), & decretum ſuper tranſactione de alimentis (x): Neque huic, quoniam ea non conſiſtebat in notione, ſed ſine cauſſae cognitione, paſſim, & in tranſitu, veluti quando Praetor in balneum vel theatrum ibat, recte explicabatur (y), praeterquam ſi minor viginti annis manumittere vellet (z). Accedit, quod inter voluntariae iuriſdictionis actus etiam eſſent legis actiones, eaſque itidem non omnes promiſcue, & iure magiſtratus, haberent, ſed quidam tantum, *apud quos eſſe* dicebatur *legis actio*, id eſt, quibus ea iuriſdictio ſpeciali lege data fuerat, qui etiam ideo hanc iuriſdictionis ſuae partem aliis mandare non poterant. (a) Si ergo verum eſt, vti eſt veriſſimum, nec extraordinariam iuriſdictionem, nec voluntariam omnem, iure magiſtratus competere, & hanc praeterea pleriſque caſibus ſine notione vel cauſſae cognitione explicari: mancam ſane eſſe oportet definitionem, quae iuriſdictionem in notione, iure magiſtratus competente, conſiſtere, ponit. Haec ſane multo maiore cum ſpecie obuerti poterant CVIACIO, qui & ipſe haec tela praeuidebat, ac proinde ita reſpondebat aduerſariis (b): *Definitio eſt iurisdictionis ordinariae. Nam extraordinariam etiam ii, qui non ſunt magiſtratus, habent, veluti praefectus annonae, & praefectus vigilum. Vel, ſi vis omnem complecti, iurisdictio eſt notio, quae iure magiſtratus, vel ex mandato magiſtratus, vel extra ordinem competit.* Ita in gratiam aduerſariorum, quorum ſtricturas ſubuerebatur, definitionem ſuam & ad ordinariam iurisdictionem reſtrinxit, & laciniis quibusdam auxit CVIACIVS. Cuius tamen conſilii ſui quas ipſe rationes habuerit, vix me intelligere fateor. Rectius enim ex mea quidem ſententia, ſeſe expedire potuiſſet vir eruditiſſimus, ſi in memoriam reuocaſſet aduerſariis, iuriſdictionem extraordinariam proprie non eſſe iuriſdictionem, idque agnoſcere VLPIANVM (c), dum ſcribit: *Tutoris datio neque imperii eſt, neque* IVRISDICTIONIS. Nec magis id nomen mereri iuriſdictionem voluntariam, quippe quae & in cauſſis propriis (d), & extra tribunal (e), immo & extra territorium (f) poſſit exerceri, quum tamen alias nec ius ſibi ipſe quiſquam,

(u) *l. 6. §. 2. D. de tutel.*

(x) *l. 8. §. 17. 18. D. de tranſact.*

(y) *l. 2. Inſt. de libertin.* Ger. Noodt *de iuriſdict. Lib. I. Cap. X. p. 105.*

(z) *§. 4. & 5. Inſt. quib. ex cauſſ. manumitt. non licet.*

(a) *l. 2. §. vlt. l. 3. D. de offic. Procoſ.*

(b) Cuiac. *Paratitl. Cod. Lib. III. tit. XIII. p. 153. Tom. II. Op.*

(c) *l. 6. §. 2. D. de tutel.*

(d) *l. 2. D. de offic. Procoſ.*

(e) *§. 2. Inſt. de libertin.*

(f) *l. 36. D. de adopt.*

(g) nec aliis extra tribunal (h) recte reddat, & extra territorium ius dicenti impune non pareatur (i), vti pluribus demonſtrauit MARANVS (k). Eo ſane poſito, ſalua eſt CVIACII definitio, eaque nulla melior adhuc reperta eſt, ſi vel maxime ſpecies illas, quae propriae iuriſdictionis nomine non veniunt, non comprehendat.

§. VIIII.

Iuriſdictio non minus, quam imperium, vel priuata vel publica. Quid iuriſdictio imperiumque priuatum?

Quamuis vero ita defendi poſſit illa CVIACII definitio, immo, ita intellecta, reliquis omnibus merito anteferenda videatur: fatendum tamen eſt, eam antiquis Romanae iuriſprudentiae principiis non per omnia conuenire. Quod vt eo rectius intelligatur, rem paullo altius repetere iuuabit. Romanis olim reuera duplex erat IVRISDICTIO: vna PRIVATA vel DOMESTICA, altera PVBLICA. *Illa* patribus familias in vxores, liberos & ſeruos; *haec* magiſtratibus in ciues & peregrinos, qui erant intra territorium, competebat. Sed & duplex IMPERIVM recte ſtatuitur: PRIVATVM alterum, alterum PVBLICVM, quorum illud patribusfamilias lege generali, quae de patria poteſtate iam a Romulo lata (l), & poſtea duodecim tabulis a Decemuiris inſerta fuerat (m); hoc ſpeciali lege certis magiſtratibus deferebatur (n). Quod ad IVRISDICTIONEM DOMESTICAM attinet: tanta, tamque libera erat patrisfamilias iuris dicundi poteſtas, vt cauſſas vxoris, liberorum, ſeruorum ſuo arbitratu diiudicaret ac decideret, ac proinde a M. SENECA patre (o) *domeſticus magiſtratus*; a filio, L. SENECA (p), *iudex domeſticus* iure diceretur. Hinc quum Calae, matronae, lites quaedam cum filiis intercederent, VALERIANVS & GALLIENVS A. A. (q) reſcribunt, *congruentius videri*, INTRA DOMVM *inter eam & filios ſuos, ſi quae controuerſiae oriantur*, TERMINARI, iudice procul dubio patrefamilias, cauſſamque ſummarie cognoſcente. Sic & ſi quid ex negotiatione peculiari deberent filii ſeruiue familiares: non magiſtratus, ſed pater, veluti iudex domeſticus merces peculiares pro rata diſtribuebat creditori-

(g) *l. 10. D. de iuriſdict.*
(h) *l. 3. §. 8. D. de bon. poſſeſſ.*
(i) *l. vlt. D. de iuriſdict.*
(k) Maran. *Paratitl. p. 144.*
(l) Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. II. p. 97.*
(m) Dionyſ. Halicarn. *ibid. p. 98.*
(n) *l. 1. pr. D. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdict.*
(o) M. Seneca *Controu. Lib. II. Cap. III.*
(p) L. Seneca *de Benefic. Lib. III. Cap. XI.*
(q) *l. 4. C. de patr. pot.*

ditoribus (r), neque ea de re Praetorem adiri neceſſe erat, niſi pater vel dominus male tribuiſſet (s). Nec minus expreſſa paſſim exſtant imperii domeſtici veſtigia. Nam ipſas vxores, quae in manum conuenerant, maritorum iudicio permiſſas, & coram propinquis de capite famaque cauſſam dicere coactas (t), aliquando relegatas, aliquando capitis damnatas fuiſſe, legimus (u), eamque mariti poteſtatem CASSIODORVS (x) vocat DISTRICTIONEM *maritalem ac domeſticam*, quia medii aeui ſcriptoribus *diſtrictio* plerumque eſt iuriſdictio, vel poteſtas coercendi, quemadmodum ipſi ſubditi, qui alicuius iurisdictionem agnoſcere tenebantur, *diſtrictuales* vocatos eſſe in variis chartis apud CAR. DV FRESNE (y), animaduertimus. Ita & paternum imperium extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Solebant enim patres & cognoſcere de liberorum criminibus, & iis ſupplicium, quod meruiſſe videbantur, de propinquorum amicorumque ſententia irrogare (z). Caſſium ſane filium, extribunum plebis, *adhibito* PROPINQVORVM *&* AMICORVM CONSILIO, *adfectati regni crimine* DAMNASSE, *adfectumque verberibus* NECARI *iuſſiſſe, ac peculium eius Cereri conſecraſſe patrem*, a VALERIO MAXIMO (a) relatum legimus, quamuis rem alii aliter narrent. Sed & aliorum huiuſmodi exemplorum numerum haud poenitendum nobis non modo VALERIVS MAXIMVS eodem capite, ſed & alii probatiſſimi auctores ſufficiunt. Vt enim iam nihil dicam de Fabio Eburno, quem filium domi damnaſſe QVINCTILIANVS (b) memoriae prodidit, vel de A. Fuluio Senatore, qui filium prauo aequalium conſilio amicitiam Catilinae ſequutum, & in eius caſtra temerario impetu ruentem, medio abſtractum itinere necari iuſſit (c): notatu profecto digniſſimum eſt domeſticum T. Arrii iudicium, quod SENECAE (d)

 verbis

(r) *l. vlt. D. de tribut. act.*

(s) Cuiac. *Paratitl. Dig. eo tit.* Maran. *Paratitl. p.* 322.

(t) Tacit. *Annal. Lib. II. Cap. LXXXV. Lib. XIII. Cap. XII.* Sueton. *Tiber. Cap. XXXV.*

(u) Gell. *Noct. Attic. Lib. II. Cap. XXIII.* Plin. *Hiſt. Nat. Lib. XIIII. Cap. XIII.*

(x) Caſſiodor. *Var. Lib. V. Cap. XXXII.*

(y) Car. du Freſne *Gloſſ. med. & inf. Lat. p.* 1558. *&* 1561. *Tom. II. edit. nouiſſ.*

(z) Petr. Aerod. *Pandect. rer. iudic. Lib.* VI. *tit.* VII. *p.* 227. *ſequ.*

(a) Valer. Max. *Lib.* V. *Cap.* VIII. *exemplo* 2.

(b) Quinctilian. *Declam. III.*

(c) Salluſt. *Catilin. Cap.* XXXVIIII. Valer. Max. *Lib. V. Cap.* VIII. *exemplo* 5.

(d) Seneca *de Clement. Lib. I. Cap.* XV.

verbis deſcribere iuuabit. *T. Arrium*, inquit philoſophus, *qui filium, deprehenſum in parricidio, exſilio damnauit* CAVSSA COGNITA, *nemo non ſuſpexit, quod contentus exſilio, & exſilio delicato, Maſſiliae parricidam continuit.* Et paucis interiectis: *Cogniturus de filio T. Arrius, aduocauit in* CONSILIVM *Caeſarem Auguſtum, venit in priuatos parietes: adſedit: pars alieni* CONSILII *fuit. Non dixit: Immo in meam domum veniat. Quod ſi factum eſſet, Caeſaris futura erat* COGNITIO, *non patris,* AVDITA CAVSSA, *excuſſisque omnibus, & his, quae adoleſcens pro ſe dixerat, & his, quibus arguebatur, petit, vt* SENTENTIAM *ſuam quisque ſcriberet, ne ea omnium fieret, quae Caeſaris fuiſſet.* En patrem, domi ſuae damnantem filium parricidam, & quidem cauſſa cognita, omnibusque, quae in iudiciis capitalibus neceſſaria erant, religioſe obſeruatis. Nec aliam cauſſas ſeruorum cognoſcendi rationem fuiſſe puto, niſi quod hic heri non adeo multos adhibuiſſe in conſilium videntur. Saltim non ſine cauſſae cognitione damnatos eſſe ſeruos, vel ex verbis illis, quibus maritus apud IVVENALEM (e) vxoris truculentiam reprimere ſtudet, intelligitur:

Pone crucem ſeruo: meruit quo crimine ſeruus
Supplicium? quis teſtis adeſt? quis detulit? audi.
Nulla vmquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Sed de hac iuriſdictione imperioque domeſtico, plura hic addere nihil attinet: quamuis vtrumque recte definiri poſſe videatur *notio & poteſtas animaduertendi in cauſſis vxorum, liberorum, & ſeruorum, quae patriſamilias domi ex iure Quiritium competebat.*

§. X.

Quid publica iuriſdictio?

At multo ſublimior erat illa iuris dicundi poteſtas, quam PVBLICIS auſpiciis magiſtratus explicabant, & de cuius adeo definitione nos in primis hic ſollicitos eſſe decet. Hic ergo primum animaduertimus, Romanos hanc poteſtatem, quam Graeci *δικαιοδοσίαν*, quaſi *iuris dationem*, vocabant, non ſine cauſſa IVRISDICTIONEM dicere maluiſſe. Cuius rei rationem quum ignorarent gloſſatores, homines diligentes illi quidem atque ingenioſiſſimi, ſed ab omni elegantiore doctrina deſtituti, in vniuerſo iure noſtro pro *iurisdictione*, *iurisditionem* reſcribendam cenſebant (f), criſi profecto admodum ridicula, & cui, ceu EGVIN. BARO (g) recte

(e) Iuuenal. *Satyr.* VI. *v.* 219.
(f) Accurſ. *apud* Math. Steph. *de iuriſd. Lib. I. Cap. I. n.* 10.
(g) Egu. Baro *Var. Quaeſt. de iuriſdict. p.* 29.

recte monuit, omnium Latinorum vſus repugnat. Potuiſſent illi, ſi mens non laeua fuiſſet, animaduertere, hoc vocabulum eſſe ἐμφατικώτατον, & ipſam iurisdictionis naturam ac indolem accuratiſſime exprimere. Vere enim in DICENDO poſita erat vniuerſa iurisdictio, puta in verbis illis ſollemnibus: DO, DICO, ADDICO, pronunciandis. Obſeruarunt hoc omnes, quibus paullo perſpectior fuit Romanae iurisdictionis ratio. VARRO (h): *Dies faſti*, inquit, *per quos Praetoribus omnia* VERBA *ſine piaculo licet* FARI. *Contrarii horum vocantur nefaſti, per quos dies nefas*, FARI *praetorem:* DO, DICO, ADDICO. *Itaque non poteſt agi:* NECESSE *eſt, aliquo eorum vti* VERBO, *quum lege quid peragitur.* Et OVIDIVS (i):

Ne tamen ignores variorum iura dierum,
Non habet officii Lucifer omnis idem.
Ille nefaſtus erit, per quem TRIA VERBA *ſilentur:*
Faſtus erit, per quem LEGE *licebit* AGI.
Neu toto perſtare die ſua iura putaris.
Qui iam faſtus erit, mane nefaſtus erat.
Nam ſimul exta Deo data ſunt, licet OMNIA FARI,
VERBAQVE *honoratus* LIBERA *Praetor habet.*

Addo locum SVETONII, quem ex eius libro octauo Praetorum ſeruauit PRISCIANVS (k): *Faſti dies ſunt, in quibus* IVS FATVR, *id eſt, dicitur, vt nefaſti, in quibus* NON DICITVR. Similia fuerunt apud FESTVM (l): ſed partim corrupta hodie, partim mutila. Priorem tamen locum ita in adnotationibus reſtituit SCALIGER (m): *Faſtis diebus* IVS FARI *licebat, nefaſtis non* FARI *licebat.* Poſteriorem idem vir eruditiſſimus hunc in modum ſupplet: (n) *Nefaſti dies* N. *omni ex parte nefaſti ſunt, vt dies apud quem numquam licet* FARI: DO, DICO, ADDICO. N. E. P. *nefaſti parte priore ſunt, quibus poſtea & ſerui liberati ſunt ſaepe, & - - - unt, & in prouincias itum, & ſacra inſtituta ſunt, & aedes ſacrari, & vota ſolui poſſunt.* Denique & MACROBIVS (o) rem ita exprimit: *Faſti ſunt, quibus licet* FARI *Praetori* TRIA VERBA *ſollemnia* DO, DICO, ADDICO. Quinam vero dies faſti nefaſtiue eſſent, id eſt,

 quibus

(h) Varro *de lingu. Lat. Lib.V. pag.*54.
(i) Ouid. *Lib. I. Faſtor. v.*45. *ſequ.*
(k) Priſcian. *Lib.* VIII. *p.* 287. *edit. Baſ.* 1545.
(l) Feſt. *voce faſtis p.* LX. *& voce nefaſti p.* CXVIII.
(m) Scaliger. *Not. ad Feſt. p.* LVIII.
(n) Idem *ibid. p.* C.
(o) Macrob. *Saturnal. Lib. I. Cap.* XVIIII.

quibus ius dicere liceret, vel non liceret, olim ſoli Pontifices ſciebant, *a quibus etiam dies, tamquam a Chaldaeis*, teſte CICERONE (p), *petebantur*, quique nacti illam poteſtatem faſtos ordinandi intercalandique, *licenter gratificantes publicanorum vel* LITIGANTIVM *commodis, ad arbitrium ſuum ſubtrahebant tempora, vel augebant*, ſi fides eſt AMMIANO MARCELLINO (q). Iam ergo quum ex tot veterum teſtimoniis luculentiſſimis pateat, ius dicere idem fuiſſe veteribus ac *fari, ius fari, tria verba fari, verba illa libera habere, aliquo trium illorum verborum* DO, DICO, ADDICO *vti:* manifeſtum ſane eſt, IVRISDICTIONEM Romanis nihil aliud fuiſſe, quam *poteſtatem dandi, dicendi addicendiue id, quod ſecundum ius oportebat, ſiue iure proprio magiſtratus, ſiue ex illius mandatu, ſiue ex ſpeciali lege competentem.*

§. XI.

Probatur definitionem noſtram eſſe adaequatam.

Haec demum eſt vera ac genuina IVRISDICTIONIS definitio, quae non modo veteris iuriſprudentiae principiis, ſed & omnibus iuriſdictionis ſpeciebus, egregie quadrat. Sive enim VOLVNTARIAM, ſiue CONTENTIOSAM, conſideremus: vtramque in poteſtate DANDI, DICENDI, ADDICENDI poſitam eſſe animaduertimus. *Voluntariae* iuriſdictionis erant, e. g. manumiſſio & adoptio. In vtraque aliquid ADDICEBAT Praetor, & in illa quidem libertatem; in hac ipſum filium, ab adoptante emtum & vindicatum, a patre naturali vero non contrauindicatum, ſed in iure ceſſum. Hinc ad manumiſſionem per vindictam adludens CICERO (r): *Itaque*, inquit, *vſurpaui vetus illud Druſi, vt ferunt, Praetoris, in eo, qui eadem liber non iuraret, me iſtos* LIBEROS *non* ADDIXISSE. Et de adoptione diſerte refert CAIVS iureconſultus apud BOETHIVM (s) *in iure ceſſionem* adoptiui *hoc modo eſſe factam. Apud magiſtratum populi Romani, vel apud Praetorem, vel apud Praeſidem prouinciae, eum, cui in iure cederetur, rem tenentem ita vindicaſſe:* HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. *Deinde poſtquam hic vindicauerit, Praetorem interrogaſſe eum, qui cederet, an contrauindicaret? Quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicauerit, eam rem* ADDIXISSE. Addicebatur ergo adoptanti adoptiuus, & quidem formula, quam

(p) Cicero pro *Muraena Cap. XI.*

(q) Ammian. Marcellin. *Lib.* XXVI. *Cap. I.*

(r) Cicero *Lib.* VII. *ad Attic. Epiſt. II.*

(s) Boeth. *Commentar. ad Ciceron. Topic. ad Trebat. Lib. III.*

Digitized by Google

quam VALERIVS PROBVS (t) ſeruauit : Q. N. A. N. N. H. E. H. P. E. V. A. id eſt : *Quando neque ais, neque negas, hunc ego hominem praeſenti & vindicanti* ADDICO. Deinde & *contentioſa* iuriſdictio in DANDO, DICENDO, ADDICENDO conſiſtebat. DABAT enim Praetor vindicias (u) : DABAT petitori actionem (x), & quidem tam libere, vt vnus ſaepe Praetor daret actionem, quam alter negare eſſet ſolitus (y) : nec minus exceptionem DABAT ei, vnde petebatur (z) : DABAT denique iudicem, formulamque, qua eius poteſtas circumſcribebatur (a) : immo aduocatos quoque non habentibus DABAT (b). Saepe etiam DICENDO, ADDICENDOQVE iuriſdictionem ſuam explicabant magiſtratus Romani. DICEBANT enim viam petentibus vindicias, & e iure manum conſertum ituris (c) : DICEBANT, dum interdicebant : ADDICEBANT iudices arbitroſque, quos litigantes non recuſauerant (d) : ADDICEBANT dominium (e), pignora (f), bona libertatum ſeruandarum cauſſa (g), immo iure veteri ex legibus XII. Tabularum creditores obaeratos, qui ſolvendo non eſſent (h). Porro tum PROPRIA, tum MANDATA, tum PROROGATA, aut, vt PERIZONIVS (i) mauult, PROPAGATA, iuriſdictio hac definitione comprehenditur : Qui enim *propriam* & *prorogatam* iuriſdictionem exercent, iure magiſtratus ; qui *mandatam*, alterius magiſtratus mandatu *dant*, *dicunt*, *addicunt*. Denique non minus EXTRAORDINARIAE quam ORDINARIAE iuriſdictioni quadrat noſtra haec definitio. Nam & qui illam ex ſpeciali lege acceperant, tutores & curatores DABANT (k), ſuſpectis adminiſtratione interdicebant, adeoque DICEBANT (l) : nec vllus poteſt excogitari iuriſdictionis qualiſcumque actus, *in quo non*, vt VARRONEM dicentem audiuimus,

(t) Add. Barn. Briſſon. *de Form. Lib.* V. *p.* 375.

(u) Aſcon. Paedian. *in Cicer. Verrin. III.*

(x) Barnab. Briſſon. *de Formul. Lib. V. p.* 415.

(y) *l.* 1. §. 4. *l.* 7. §. *vlt. D. de dolo malo l.* 24. §. 2. *D. de iudic. l.* 102. §. 1. *D. de reg. iur.*

[z] Barn. Briſſon. *de formul. Lib. V.* p. 402.

[a] *l.* 3. *fin. D. de iuriſdict.*

[b] *l.* 1. §. 4. *D. de poſtulando.*

[c] Cicero *pro Muraena Cap. XI. ſequ.*

[d] *l.* 39. *l.* 46. *l.* 80. *D. de iudic. l.* 4. *fin. D. de eo quod cert. loc. l.* 30. *D. famil. erciſc.*

[e] *l. vlt. C. ſi in cauſſa iudic. pign. capt.*

[f] *l.* 15. §. 3. *&* §. 6. *D. de re iudic.*

[g] *l.* 2. *l.* 4. *D. de fideicomm. libert.*

[h] Quinctilian. *Inſt. Orat. Lib.* VII. *Cap. III. & Declamat.* CCCXI.

[i] Perizon. *Animadu. Hiſt. Cap.* VI. p. 229.

[k] *pr. Inſt. de Atilian. tut.*

[l] §. 1. *Inſt. l.* 5. §. 3. *D. de ſuſpect. tutor.*

diuimus, *neceſſe fuerit, aliquo eorum vti verbo*, id eſt, in quo non magiſtratus vel dederit, vel dixerit, addixeritue.

§. XII.

Imperium an idem ac iuriſdictio?

Ex iis vero, quae hactenus diximus, iam facile intelligimus, inter iuriſdictionem, quam modo definiuimus, & IMPERIVM permultum intereſſe. Quamuis enim ea, pro iiſdem habenda eſſe ſuſpicatus ſit vir doctiſſimus & inſigne ſaeculi ſui decus, ANT. GOVEANVS (m): ipſe tamen mox coniecturam ſuam damnauit, eamque minus eſſe ſolidam, ingenue, quo fuit candore, faſſus eſt. Idem vero poſtea multo maiore ſtudio egiſſe nouimus GER. NOODTIVM (n), ANT. SCHVLTINGIVM (o), NIC. HIER. GVNDLINGIVM (p) & GE. CHRIST. GEBAVERVM (q), qui omnes MERVM idem eſſe putant, ac acre & vehemens, MIXTVM idem, ac lene, mite, temperatum, ac proinde MERVM IMPERIVM pro iurisdictione acerbiore ac vehementi, MIXTVM pro leni, ac mitiore accipiunt. Cui ſententiae ſuae in eo quaerunt praeſidium, quod non ſolum exſtent veterum loca, in quibus manifeſto eo ſenſu accipiantur iſta vocabula: (r) verum etiam ſaepe veteres iureconſulti promiſcue vſi ſint, imperii & iurisdictionis vocibus (s), idque argumento ſit luculentiſſimo, imperium & iurisdictionem tantum ſono differre. Enimuero quantumuis haec ſpecioſa ſint: expenſis tamen omnibus, quae huc facere videbantur, numquam a me impetrare potui, vt viris illis doctiſſimis hac quidem in re adſentirer. Quamuis enim *mixtum*, deſumta a vino tranſlatione, aliquando pro leni & miti; *merum* pro vehementiore atque acerbiore a vetuſtis auctoribus vſurpetur: non tamen ſequitur, vt & iureconſulti rariore illa horum vocabulorum notione vſi ſint, quando IMPERIVM in *merum* & *mixtum* diuiſerunt. Immo potius, quo ſenſu mixtum aliquod vocent imperium, non aliunde rectius diſcimus, quam ex ipſis eorum fragmentis. PAVLLO

[m] Ant. Gouean. *de iuriſdict. Lib. II. p. 71.*

[n] Ger. Noodt *de iuriſd. lib.* I. *Cap. IIII.*

[o] Ant. Schulting. *ἀγὼν. Lib. II. Tit. I.* §. *I.*

[p] Gundling. *ἀγὼν. ibid.* §. *V.*

[q] Gebauer. *Comment. de iuriſdict. Cap. I.* §. IIII. *ſeqq.*

[r] *Sic* Noodtius *laudauit locum* Ciceronis *pro A. Caecina* Cap. *II.* Gebauerus *vero addidit teſtimonia* Plauti *Aulul. Act. II. ſcen. III. v. vlt.* Martialis. *Lib. II. Epigr.* LVII. Apuleii *Metamorph. Lib.* VII. *p.* 297. Auſon. *Epigr. in Meroen anum vinoſam.*

[s] Loca iſta collegerunt Noodtius *de iuriſdict. Lib. I. Cap. II. p.* 94. & Ant. Schulting. *ibid.*

LO (t) enim MIXTVM imperium eſt, *quod iurisdictioni* COHAERET: VLPIANO (u) contra, *cui* INEST *iurisdictio*. Eaque loca argumento ſunt, *mixtum* dici imperium, quod ita admixtum & ſuperadditum eſt iurisdictioni, & cui ipſa quoque iurisdictio ita admixta eſt, vt alterum alteri inſit regulariter, & inſeparabili nexu cohæreat. Vti enim iurisdictio ſine modica coercitione nulla eſt: (x) ita nec coercitioni illi modicae locus eſt ſine iurisdictione, id eſt, niſi Praetor prius dederit, dixerit, addixerit, quia ius noſtrum non patitur, vt magiſtratus ab exſequutione iudicia auſpicentur (y). Ergo, petita a contrario definitione, *merum* imperium erit, quod non cohaeret iurisdictioni, cuique non ineſt iurisdictio, ſed quod ipſum per ſe ſubſiſtit. Vnde prudenter ANT. GOVEANVS (z) quem tamen metaphoricam illam vocum ſignificationem primum obſeruaſſe, diximus, non auſus eſt coniectura ſua vti, ſed ſtatim addidit: *Verius tamen puto, ideo nomen* MERI IMPERII *adpellatum, quia iurisdictionem non comitetur, &, vt* PAVLLI *verbis vtar, iurisdictioni non cohaeret. Quod enim ſequitur mandatam iurisdictionem*, NON MERVM *dici videmus* l. vlt. §. vlt. D. de offic. eius cui mand. eſt iurisdictio. *Recte autem ex alterius contrarii definitione, alterius colligitur definitio, neque certius vllo modo colligi poteſt.* Miratur quidem celeberrimus GEBAVERVS (a), virum magnum ex his ſe non potuiſſe extricare, & tam bellae interpretationis gloriam noluiſſe habere ſolidam: aſt tantum abeſt, vt ego id mirer, vt, ſi ſolidam hanc gloriam exiſtimaſſet GOVEANVS, id magis mirandum arbitrarer. Vereor etiam, ne nimis argutum ſit, quod addit vir celeberrimus, quod ſi alterutri a mixtura nomen imponendum fuerit, non *mixtum imperium*, ſed *mixtam iurisdictionem* dicendam fuiſſe. Si enim miſceas vel confundas aquam & vinum: perinde erit, ſiue aquam vino, ſiue hoc illi miſceri, cohaerere, ineſſe dicas: adeoque & perinde erit, ſiue cum PAVLLO *imperium iurisdictioni cohaerere*, ſiue cum VLPIANO *iuriſdictionem imperio ineſſe*, dicamus. Nec rem conficere videtur, quod aliquando promiſcue accipi animaduertimus *iurisdictionem* ac *imperium*. Solebant enim veteres, teſte CAIO (b), *& in*

[t] *l. 1. §. vlt. D. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſdict.*

[u] *l. 3. D. de iuriſdict.*

[x] *l. vlt. §. 1. D. de offic. eius, cui mand.*

[y] *l. 1. C. de exſequ. rei iud. l. 9. §. 1. D. de offic. Procoſ.*

[z] Ant. Gouean. *ibid.*

[a] Gebauer. *Comment. de iuriſdict.* Cap. I. §. V. *p.* 16.

[b] *l. 10. D. act. emti.*

& in emtione venditione adpellationibus promiſcue vti, quum tamen inter emtorem & venditorem, emtionem ac venditionem, permagna ſit differentia. Permultum enim intereſt, propriene atque accurate, an paullo ſecurius, ac veluti negligentius loquantur iureconſulti. Quoties vero accurate ac δογματικῶς loquuntur, a *iurisdictione* diſtinguunt *imperium*, veluti quando aliquid *magis* IMPERII, *quam* IVRISDICTIONIS (c), vel *neque* IMPERII, *neque* IVRISDICTIONIS *eſſe* (d), vel *alterum alteri* INESSE (e), vel COHAERERE (f), vel *vnum magiſtratum altero maius* IMPERIVM *in eadem* IVRISDICTIONE *habere*, ſcribunt (g). Quae ſane vix idoneum ſenſum funderent, ſi iurisdictionem & imperium ſono tantum differre ſtatueremus. Accedit, quod ANTON. SCHVLTINGIVS (h), qui tamen alias NOODTIO ἐμόψηφος eſt, diſertis verbis fatetur, illam iurisdictionis & imperii confuſionem, occupata demum republica, ortam eſſe. *Quamuis*, inquit, *etiam antiquitus fuerit diſcrimen inter* IVRISDICTIONEM, *quae in ciuilibus cauſſis dicebatur tantum exerceri, &* QVAESTIONES, *quae de criminibus inſtituebantur, ac ex legibus publicorum iudiciorum veniebant, atque ex earum mente regebantur & adminiſtrabantur*, *teſte* CICERONE (i), *quam differentiam magnam fuiſſe, idem oſtendit* CICERO (k): *poſtquam tamen ſub Imperatoribus magiſtratus creati fuere etiam in vrbe, qui de quibuslibet criminibus cognoſcerent ac ſtatuerent, non ex certis legibus, ſed extra ordinem*, (*de quorum criminalium iudiciorum ordinariorum & extraordinariorum differentiis alibi diſputaui* (l), *ſenſim quoque idem verbum iurisdictionis pro poteſtate de criminibus quaerendi, illaque coercendi, quae in iure noſtro merum imperium, nec non ius gladii, vel alterius grauioris coercitionis, vocatur, vſurpatum eſt* (m). Quae ſi vera ſunt, vti ſunt omnino veriſſima: quis miretur, quaeſo, poſtremi aeui iureconſultos aliquando incommode & ſecurius eſſe loquutos, & iurisdictionis ac imperii vocabula ſaepiuſcule confudiſſe, quamuis inter illa ex melioris aeui

[c] *l. 4. D. de iuriſd. l. 26. pr. D. ad municipal.*

(d) *l. 6. §. 2. D. de tutel.*

(e) *l. 3. D. de iuriſd.*

(f) *l. vlt. §. vlt. D. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.*

(g) *l. 58. D. de iudic.*

(h) Schulting. Πρόν. *Lib. II. tit. I. p.* 162.

(i) Cicero *pro Cluent. Cap.* LIII.

(k) Cicero *in Verr.* I. *Cap.* XXXXVII. *vbi* Aſcon. Paedian. *& pro Muraena Cap. XX.*

(l) Schulting. *de recuſat. iud. Cap.* VII.

(m) *l. 7. §. vlt. D. de offic. Proconſ. l. 1. pr. D. de off. ei. cui mand. eſt iuriſd. l. 31. D. ad L. Cornel. de falſ.* Tertull. *ad Scapul. Cap. IIII.*

aeui principiis permagna fuerit differentia, illudque diſcrimen & poſtea ab iis, qui accuratius loquebantur, religioſe obſeruatum eſſe, animaduertamus?

§. XIII.

Quid imperium? & quid inter merum mixtumque interſit?

At quodnam illud diſcrimen? Rem paucis expediri poſſe exiſtimo. IVRISDICTIONEM in *dando*, *dicendo*, *addicendo* conſtitiſſe, vidimus, adeoque, qui iuri dicundo praeerat, verbis officii ſui partes explicabat, nec vllam vim ac coactionem adhibebat. Simul ac vero res ad vim & coactionem ſpectabat: ea non amplius intra *iurisdictionis* limites conſiſtebat, ſed ſtatim ſeſe exſerebat *imperium*. IMPERARE enim eſt cogere, immo plus, quam cogere, ceu vetus ſcholiaſtes obſeruat ad locum illum TERENTII (n): *Iubeo, cogo atque* IMPERO: & hinc patri & domino (o), omnibusque magiſtratibus maioribus, qui poſſunt coercere, & in carcerem duci iubere (p), tribuitur imperium. Quamobrem IMPERIVM nihil aliud eſt, quam *poteſtas cogendi, coercendique eos, qui ſua ſponte non faciunt officium.* Poteſtas autem illa dupliciter ſeſe exſerebat, vel coercendo immorigeros, vel animaduertendo in facinoroſos. Illa *modica* erat *coercitio*, vti vocat PAVLLVS (q), & ordinarie data erat omnibus, quibus erat iurisdictio, vt veluti pondus adderetur facultati illi dandi, dicendi, addicendique, in qua iuris dicundi poteſtatem conſtitiſſe, diximus. Haec poteſtas gladii, ſeu animaduertendi in facinoroſos, quae non competebat magiſtratibus omnibus, ſed, quia de capite ciuis Romani iniuſſu populi nemini quidquam ſtatuere licebat, (r), ab illis demum recte explicabatur, quibus illa ſpeciali lege vel SCo conceſſa fuerat. Hinc LIVIVS (s): *Senatusconſultum factum, vt de quaeſtione Poſtumianae caedis Tribuni plebis primo quoque tempore ad plebem ferrent, plebesque praeficeret quaeſtioni, quem vellet. A plebe, conſenſu populi, conſulibus negotium mandatur.* Et alio loco (t): *Ser. Sulpicio referente, quem ex rogatione Petilii quaerere vellent, Q. Terentium Culleonem patres iuſſerunt.* Hinc contingebat aliquando, vt & iis obuenirent quaeſtiones publicae, quibus nulla alioquin erat iurisdictio (u), quippe quae inter

(n) Donat. *ad Terent. Eunuch. Act. II. Scen. III. v. 97.*
(o) *l. 4. D. de reg. iur.*
(p) *l. 2. D. de in ius voc.*
(q) *l. vlt. §. vlt. D. de off. eius cui mand. eſt iuriſd.*
(r) *l. 2. §. 16. D. de orig. iur.*
(s) Liu. *Lib. IIII. Cap. LI.*
(t) Liu. *Lib.* XXXVIII. *Cap.* LIIII.
(u) *l. 2. §. 32. D. de orig. iur. & omn. magiſtr.*

ter praetores vrbano & peregrino κατ' ἐξοχὴν tribuebatur (x): quum contra mixtum vel non merum imperium per ſe non conſiſteret, iisque tantum, quibus iurisdictio erat, competeret. Vnde hoc MIXTVM, illud MERVM ſolebat adpellari. Ad MIXTVM referebatur, quidquid ad coercendos immorigeros pertinebat, veluti pignoris capio, retentio corporis, mulctae dictio (y), immo & iubere cauere praetoria ſtipulatione, & in poſſeſſionem mittere, imperii magis illius, quam iurisdictionis, eſſe videbatur (z). Ad hoc omnis animaduerſio ſiue gladio, ſiue aliis modis fieret, pertinebat, vt vere, merum ſibi imperium ademtum eſſe, faterentur Iudaei, dum Pilato regerebant: ὀυκ ἔξεςιν ἡμῖν ἀποκτεῖναι ὀυδένα; *Non licet nobis quemquam vltimo ſupplicio adficere* (a). Haec eſt illa vera ac genuina IMPERII, tum MERI, tum MIXTI, notio, quae quantum a iurisdictionis conceptu differat, nemo, niſi rerum omnium ignarus, non intelligit.

§. XIIII.

An locari potuerit iuriſdictio & imperium domeſticum?

Iactis his paullo ſolidioribus fundamentis, iam non admodum difficile videtur, diſquirere, an haec poteſtas, quae in iure dicundo ac imperio conſiſtit, aliis tradi, & pro certa mercede locari ex iuris Romani principiis potuerit? Vbi primo non dubitamus, quin hunc contractum admiſerit iurisdictio imperiumque domeſticum, quo quilibet paterfamilias in liberos ſeruosque, vti ſupra demonſtrauimus, vtebatur. De vxore enim ideo iuſta dubitandi cauſſa eſſe videtur, quod in lenocinium abitura eſſet huiusmodi locatio: quamuis ceſſionem vxorum, adeoque & poteſtatis maritalis, ſeu iurisdictionis & imperii domeſtici Romanis non inauditam fuiſſe, famoſiſſima exempla Tiberii Neronis, Liuiam, uxorem ſuam Auguſto adhuc grauidam deſpondentis (b), & Catonis Vticenſis, Marciam coniugem, deſpondente patre, cedentis Q. Hortenſio (c), luculenter probant. Liberos cum poteſtate aliis locari ſolitos, obſeruare me nondum memini, niſi quod filiae nuptui datæ maritis, COLLOCARI *in matrimonium*, (d) vel *in matrimonio* (e), COLLOCARI *nuptum vel nuptui* (f), item

(x) Tacit. *vit. Agric. Cap.* VI.
(y) *l.* 9. §. *vlt. D. ad leg. Iul. peculat.*
(z) *l.* 4. *D. de iuriſdict.*
(a) *Ioan.* XVIII. *v.* 31. Conf. Zach. Huberi *Diſſert. Lib. I. Diſſ. I. Cap.* III. *p.* 14. *ſequ.*
(b) Dio Caſſ. XXXXVIII. *p.* 383. Vellei. Paterc. *Lib. II. Cap.* LXXXXIIII.
(c) Plutarch. *in Cat. min. p.* 770.
(d) Cicero *de Diuinat. Lib.* I. *Cap.* XLVI. *l.* 19. *l.* 36. *l.* 67. *D. de ritu nupt. l.* 27. *D. depoſit.*
(e) *l.* 77. §. *vlt. D. ad SC. Trebell.*
(f) Caeſ. *de Bell. Gall. Lib. I. Cap.* XVIII. *l.* 1. *C. de interd. matrim. l.* 3. *C. de pact. conu. l.* 88. *D. de ſolution.*

itemque *nuptiis* (g), quin & abſolute COLLOCARI (h) dicerentur, verbis tamen illis *καταχρηστικῶς* & minus proprie, ex mea quidem ſententia, acceptis. Fateor ergo, nullum mihi exemplum ſuccurrere iurisdictionis domeſticae in liberos, vere ac proprie alii locatae. Attamen eum contractum naturae ac indoli patriae poteſtatis non repugnaſſe, arbitror. Si enim patri liberos iure antiquo venumdare (i), ſeruatoque venditionis imaginariae vel mancipationis ritu, tum in adoptionem dare (k), tum emancipare licuit (l): quid obſtitiſſet, quaeſo, quo minus & locationis iure poteſtatem in liberos alii concedere poſſet? Deinde quum a V. C. CORN. VAN BYNCKERSHOECK (m) acute obſeruatum ſit, patriam poteſtatem, adeoque & paternam illam iurisdictionem domeſticumque imperium, in dominio Quiritario in liberos conſtitiſſe, & iam olim vere ſcripſerit LACTANTIVS (n): *Dominum eumdem eſſe, qui ſit pater, etiam iuris ciuilis ratio demonſtrat*, dominus vero cui libera eſt rerum adminiſtratio, rem vnamquamque ſuam, quae eſt in commercio, alteri locare non prohibeatur (o): quis dubitet, quin & filium cum poteſtate illa alii recte locare potuerit? At paullo rariorem tamen, ſi non plane inſolitam, huiuſmodi locationem eſſe oportuit, quia conducere aliquid nemo ſolet, niſi vnde fructus vtilitatemque aliquam percipiat, ex poteſtate vero illa iuris dicundi imperioque domeſtico nihil vtilitatis ad conductorem redundare potuit. Vnde & rara forte fuerit locatio iuriſdictionis domeſticae in ſeruos, ex quorum potius operis, quam ex iuriſdictione illa vel imperio conductor fructum percepiſſet, niſi forte in vtilitatis parte poſuerit, quod ita ſeruum, detrectantem officium, eo liberius coercere, fraenaque mordentem metu caſtigationis & ſupplicii reprimere poſſet. Vt adeo, ſi vel maxime hic contractus naturae patrii imperii non repugnet, nulla tamen fere fuerit ratio, cur inire eum homines, ſolamque poteſtatem in liberos ſeruoſque alienos mercede conducere vellent.

 §. XV.

(g) *l. 11. D. de his qui not. infam.*

(h) Nepos *Ariſtid. Cap. vlt.* Sueton. *Caeſ. Cap. XXI. l. 57. D. de ritu nupt.*

(i) Dionyſ. Halicarn. *Lib. II. Antiqu. Rom. Cap.* XXVII. *ſequ.*

(k) Gell. *Noct. Attic. Lib. V. Cap.* XVIIII.

(l) Vlpian. *Fragm. tit. X. §. I. &* ibi Schulting. *l. 3. §. 1. D. de capit. minut.*

(m) Bynckersh. *de iure occidend. liber. Cap. I.*

(n) Lactant. *de vera ſap. Lib. IIII. Cap. III.*

(o) *arg. l. 34. §. 1. D. de contr. emt. iuncta l. 2. D. loc. cond.*

§. XV.

Publicam iuriſdictionem & imperium locari non potuiſſe, probatur ex ipſa earum indole.

Multo minus ergo publicum *imperium* publicaque *iuriſdictio* locari potuit, idque ob varias eaſque conſultiſſimas rationes. Primo enim quod ad IMPERIVM attinet, illud nemini competiiſſe diximus, quam cui illud ſpeciali lege, ſenatuſue conſulto fuerat conceſſum. Itaque non erat ita proprium magiſtratuum, vt de eo ſuo arbitrio diſponere poſſent. Quod adeo verum eſt, vt ne mandare quidem illud alteri liceret (p), nedum vt locare illud quiſquam pro certa mercede poſſet. Deinde IVRISDICTIO mandatum quidem admittit, quia fere iure magiſtratus competit, adeoque magiſtratui veluti propria eſt (q), ipſe quoque magiſtratus illam populi mandatu accepit, eodem iure, ac procurator a domino litis dominium accepiſſe dicitur. Huiuſmodi vero mandatarium ſemper alium pro lubitu ſubſtituere poſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt (r). At locari vel ideo non potuit, quod operae, quae ob dignitatem grauitatemque ſuam certam aeſtimationem admittere non videntur, inter eas, quae locari non ſolent, referuntur (s): adeoque ſi magiſtratus alterius operas ad ius dicundum conducere voluiſſet: illi obſtitiſſet iuris regula, quod huiuſmodi operae locari non ſoleant. Nec magis ipſe magiſtratus poteſtatem ſuam alteri locare poterat, quia eae tantum res, quae vſum praeſtare ſolent, locantur: iuris vero dicundi poteſtas in ſe vſum non praeſtabat. Nec enim poenae, vti hodie, cedebant magiſtratibus, ſed, ſi a pauciſſimis diſceſſeris, actori adplicabantur (t), & expenſarum litis non erat ea ratio, vt inde aliquid lucri caperent ii, qui iuri dicundo praeerant. Potius ſportulae debebantur tantum iudicibus pedaneis, adparitoribus, ſcribis, viatoribus, notariis, exceptoribus, aduocatis: non magiſtratibus, vti pluribus oſtenderunt CVIACIVS (u), &, qui FRANC. POLLETI forum Romanum perpoliuit, PHIL. BROIDAEVS (x). Immo tantum abeſt, vt hi quidquam pro iure dicundo capere potuerint, vt lege Iulia repetundarum tenerentur, ſi vel ipſi, vel eorum comites *pecuniam ob iudicandum, decernendumue, vel quo*

(p) *l. 1. pr. D. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdict.*

(q) *l. 5. D. de iuriſdict.*

(r) *l. 8. §. 3. D. mandati. l. 8. & l. 11. C. de procurat.*

(s) *l. 1. pr. D. ſi menſ. falſ. mod. dixerit.*

(t) Car. Sigon. *de iudic. Lib. I. Cap. XXI. p. 381.*

(u) Cuiac. *Paratitl. Cod. Lib. III. Tit. II. p. 145. Tomo II. Op.*

(x) Franc. Pollet. *For. Roman. Lib. V. Cap. XI. p. 495. ſequ.*

Digitized by Google

quo magis aut minus quid ex officio ſuo facerent, accepiſſent (y). Quod non modo de donis & muneribus, quibus iudicis religio expugnatur, vti intellexiſſe videtur IAN. LANGLAEVS (z), ſed de qualibet mercede, quam exigebant magiſtratus, intelligendum eſſe, vel inde patet, quod lex Iulia non ad equites, quibus pecuniam iudicandi cauſſa accipere licebat, ſed ad ſolos magiſtratus, *quos*, teſte CICERONE (a), *delectabant ampliſſimus gradus, ſella curulis, faſces, imperia, prouinciae, ſacerdotia, triumphi, denique imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita*, pertineret (b): quae ſane reſtrictio abſurda fuiſſet, ſi ſolam *iudicum* corruptionem forenſemque nundinationem prohibere voluiſſet lex Iulia. Quum ergo nihil iuſti lucri ex ſua iuriſdictione caperent magiſtratus, adeoque nec vtilitatem aliquam inde capere potuiſſet conductor: manifeſtum ſane eſt, locationi iuriſdictionis ex iuris Romani principiis locum eſſe haud potuiſſe. Locari enim tantum poterant fructus rerum ſiue corporalium, ſiue incorporalium, quae erant in commercio, ceu recte obſeruauit V. C. GERNOODTIVS (c), adeoque non niſi ea, quorum eſt vſus aliquis, hoc interueniente contractu alteri concedi poſſunt (d).

§. XVI.

Itemque ex natura dignitatum ac magiſtratuum.

Accedit & alia ratio, non minus perſpicua. Non erat in commercio dignitas, ita, vt vel emi, vel vendi, vel vllo alio contractu in alium transferri poſſet. Ipſi magiſtratus, qui pecunia profuſa poteſtatem dignitatemue ſibi adquiſiuerant, criminis ambitus erant rei, grauesque dabant poenas, quamdiu ſanctior manebat legum veteriſque diſciplinae cuſtodia (e). Scio equidem, quibusdam eam ſeueritatem ſaltim occupata republica, & ſub principum imperio, ceſſaſſe videri, quia & MODESTINVS (f) fateatur, legem Iuliam de ambitu, in vrbe ſua aetate ceſſaſſe: & in iure noſtro paſſim mentio fiat MILITIAE emtae, venditae, lega-

(y) *l. 3. l. 4. l. 5. D. de L. Iul. repetund.*

(z) Ian. Langl. *Semeſtr. Lib. VI. Cap. I.*

(a) Cicero *pro C. Rabir. Poſtum. Cap.* VII.

(b) Petr. Aerod. *Pandect. rer. iudic. Lib.* VIIII. *tit. III. Cap. XIII.*

(c) Ger. Noodt *Comment. ad Pand. Lib.* XVIIII. *Tit. II. p.* 421. *Tom. II. Op.*

(d) Cuiac. *Recit. ſoll. ad l. 1. D. de naut. foen. p.* 862.

(e) Car. Sigon. *de iudic. Lib.* II. *Cap.* XXVIIII.

(f) *l. 1. pr. D. de lege Iul. de amb.*

legatae (g): & PAPINIANVS (h) diſerte ſcripſerit, *id*, *quod* DIGNITATIS *nomine a patre datum ſit filio, conferre illum in commune non eſſe cogendum, quod hoc propter onera* DIGNITATIS *praecipuum haberi oporteat.* Sed MODESTINVS non ideo ceſſare ait legem Iuliam de ambitu, quod impune liceat dignitates & magiſtratus nundinari, ſed *quod ad curam Principis magiſtratuum creatio pertineat, non ad populi fauorem*, adeoque nec occaſio ſit magiſtratus ambientibus, ſuffragia populi data promiſſaue pecunia redimendi. A *militia* porro iſta *palatina*, quae erat in commercio, ad dignitates argumentum fruſtra ducitur, quippe quae res tam erant diuerſae, vt in iure diſcernantur ſaepenumero, quin ſibi inuicem opponantur (i). Hinc recte CVIACIVS (k): MILITIAE, inquit, *vendi poterant*, (DIGNITATES *vendi non poterant, id eſt, poteſtates iuris dicundi,*) *& pignori obligari, vt militia ſilentiariorum, qui excubias agunt in palatio principis, & militia adiutorum Quaeſtoris* (l). Et alibi (m): *Aliud*, inquit, *eſt militia, aliud dignitas. Dignitas non emitur, vt militia, non eſt armata, ſed ciuilis, adiutor Quaeſtoris* (le greffier du Chancelier,) *militia ſollertiarum, ſtratologia. Hae militiae ſunt in patrimonio noſtro, ſicut feuda, & emi poſſunt, & tranſeunt ad heredes, ſicut patrimonium noſtrum:* MILITIA *eſt in patrimonio noſtro, ergo conferenda:* DIGNITAS *non eſt in patrimonio.* Denique nec id, quod ex PAPINIANO attulit VLPIANVS, huc pertinet. Neque enim ex eo loco colligendum, patrem dignitatem filio pecunia emiſſe, (quod ſine ambitus crimine fieri non potuiſſet,) ſed eam pecuniam *dignitatis nomine & propter onera dignitatis* datam eſſe, legimus. Nam dignitates veluti Conſulatum, Aedilitatem, Decurionatum nemo adſequebatur ſine ſumtu. Dabantur honoraria decurionibus pro introitu, ſolebant edi munera propter honorem obtentum, ſolebat etiam aliquid dari ſuffragii nomine, vel ſolatii, conſuetudinis: non emebantur dignitates, ſed erogare aliquid neceſſe erat, vti denuo recte monet CVIACIVS (n). Si vero

(g) *l.* 102. §. *vlt.* D. *de legat.* 3. *l.* 52. §. 2. D. *de act. emt. vend.*

(h) *Apud* Vlpian. *l.* 1. §. 16. D. *de collat.*

(i) *l.* 13. C. *de offic. rector. prou. l.* 8. C. *de pagan. l. vlt.* C. *de iuriſdict. omn. iud.*

(k) Cuiac. *Recit. ad l.* 72. *de legat.* II. *Tom.* VII. *Op. p.* 1125.

(l) *l. vlt.* C. *de pignor. l.* 5. C. *qui milit. poſſ. l. vlt.* C. *de inoff. teſtam.*

(m) Cuiac. *Recit. ſollemn. ad d. l.* 1. D. *de collat. Tom. IIII. Op. p.* 362.

(n) Cuiac. *ibid. Tom. IIII. p.* 361. *ſequ.*

Digitized by Google

ro emi vendique non potuerunt dignitates coniunctaque cum illis officia : quis ea locari conducive potuiſſe credat ? Eſt enim locatio conductio proxima emtioni & venditioni, iiſdemque iuris regulis conſiſtit (o), vt adeo recte ab illa ducere videamur argumentum, quia inde, dignitates & magiſtratus non fuiſſe in commercio, liquido patet.

§. XVII.

Cur mandari, nec locari tamen potuerit iurisdictio?

Itaque ſatis probaſſe nobis videmur, nec iuriſdictionem, nec imperium locari conduci potuiſſe ex iuris Romani principiis. Neque huic propoſitioni noſtrae obuerti poteſt, iuriſdictionem ſaltim & imperium mixtum potuiſſe mandari (p), ac proinde nullam eſſe rationem, cur eadem locari non potuerint. Primo enim non omnia, quae mandari poſſunt, illico etiam locari conduci poterant: quia non omnia quae gratis honeſte ſuſcipiuntur, etiam data mercede ſine turpitudine praeſtantur. Honeſte ſane mandatum & dari aduocato & ab eo accipi poterat, vt cauſſae ſuſciperet patrocinium: & tamen ea opera locari conducique ſine turpitudine non poterat ex lege Cincia (q): ex eoque ſatis intelligitur, ab vno contractu ad alterum duci non poſſe argumentum. Deinde multa in his vſui ac conſuetudini dantur, quae vnum contractum in certa re permittere, alterum pro turpi vel illicito habere poteſt. Cuius rei inſigne exemplum in ipſa locatione conductione deprehendit V. C. GER. NOODTIVS (r). Quum enim iura noſtra operas profeſſorum, medicorum, menſorum, negent eſſe inter eas, quae locari ſoleant (s): eleganter ſubiicit vir celeberrimus: *Omnibus his habitus hic honor, (tantum valet* VSVS, *) vt eorum operae ad beneficia accedere crederentur, vsque adeo, vt quamuis vel ipſi aeque, atque opifices, artificesue alii, mercedem pro arte aut opera reuera & paciſcerentur, & acciperent, tamen non operam locare, neque mercedem pro opera aut arte, ſed honorarium vel ſalarium pro praeſtito beneficio accipere aut paciſci, dicerentur.* Quo poſito, facile patet, cur mandare, non item locare, licuerit iurisdictionem. Mos enim iam inde ab ip-

(o) *l. 2. pr. D. locati cond.*

(p) *l. 1. §. 1. D. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd. l. 5. §. 1. D. eod.*

(q) Brummer. *de lege Cinc. Cap. II. p. 17. ſequ. edit. Pariſ.* Tacit. *Lib. XIII. Annal. Cap. IIII.*

(r) Ger. Noodt *Comm. ad Pand. p. 423.*

(s) *l. 1. D. ſi menſ. falſ. mod. dix. l. 1. D. de extraord. cognit.*

ſa origine ciuitatis inualuerat, vt mandari poſſet iurisdictio (t), auctoresque ſunt LIVIVS (u) & TACITVS (x), iam reges ipſos, & in his Romulum, bellis aliisque negotiis auocatos, iuris dicundi ſubitisque medendi poteſtatem aliis mandaſſe, eorumque exemplum & conſules poſtea eſſe imitatos: vt adeo recte ſcripſerit IVLIANVS (y), MORE MAIORVM *ita comparatum eſſe, vt is iurisdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo iure, non alieno beneficio habeat.* At more maiorum ita non erat comparatum, vt locari conducique poſſet iurisdictio: immo id, vti paullo ante vidimus, ab ipſa iuris analogia abhorrebat. Ac proinde non mirum eſt, a mandato ad locationem non ſemper procedere argumentum.

CAP. II.

DE LOCATIONE IVRISDICTIONIS EX IVRIS GERM. PRINCIPIIS.

§. I. *Tranſitio ad Caput II.* §. II. *Iuriſdictio apud omnes gentes nonniſi regibus, ſummis magiſtratibus, ipſique populo competiit.* §. III. *Idque & apud veteres Germanos obtinuit.* §. IIII. *Cur mutatio paullatim facta ſit iuriſdictionis Germanicae?* §. V. *Hodie ergo illa locari poteſt.* §. VI. *Tum vna cum praedio, tum ſeorſum.* §. VII. *Itemque ſiue in longum, ſiue ad breue tempus. Quid ſit ad firmam dare?* §. VIII. *An etiam, quae non eſt fructuoſa?* §. VIIII. *An & criminalis, extraordinaria & voluntaria?* §. X. *Quis eam poſſit locare? & an conductor eam ſublocare poſſit?* §. XI. *Quis eam recte conducat.* §. XII. *Obligatio locatoris.* §. XIII. *Itemque conductoris.* §. XIIII. *Quos iuriſdictionis fructus percipiat conductor?* §. XV. *An regulis prudentiae ſatis conueniat haec locatio conductio.* §. XVI. *Concluſio diſſertationis.*

§. I.

(t) Ger. Noodt *de iuriſdict. Lib. II. Cap. I. p.* 118. *Tom. I. Op.*
(u) Liu. *Lib. I. Cap. XXXXI.*
(x) Tacit. *Annal. Lib.* VI. *Cap. XI.*
(y) *l.* 5. *D. de iuriſdict.*

Digitized by Google

§. I.

Tranſitio ad caput II.

SVperiore capite, qualis fuerit apud Romanos iuriſdictio; quomodo ab imperio diſcreparit, & an locari ex iuris Romani principiis potuerit, accuratius diſputauimus. Iam ergo veluti domum reuertimur, diſquiſituri, quid iure Germanico circa locationem iurisdictionis iuſtum ſit. Diuerſiſſimam enim a Romana eſſe iurisdictionem Germanicam, iam pridem obſeruarunt ii, qui de eius natura atque indole ex inſtituto ſcripſerunt, viri doctiſſimi, HERM. CONRINGIVS (z), CHR. THOMASIVS (a), NIC. HERTIVS (b), GE. CHRIST. GEBAVERVS (c), quibus merito iungimus illuſtrem, & de Germanorum non ſecus, ac Romanorum, iurisprudentia optime meritum Dominum Praeſidem, quem tum in ſingulari diſſertatione (d), tum in Elementis iuris Germanici (e), ea de re fuſius egiſſe, meminimus. Nos pro inſtituti ratione rem omnem paucis expediemus.

§. II.

Iurisdictio apud pleraſque gentes non niſi regibus, ſummis magiſtratibus, ipſique populo competiit.

Omnes gentes, quae, relicta illa vita ſegregi, paullatim in respublicas coaluerunt, illico obſeruarunt, fruſtra ſe ſibi aduerſus exterorum vim atque iniurias praeſidia circumpoſuiſſe, niſi ciues ipſi inter ſe tuti agerent, iuſtitiaque, in qua praecipue rerumpublicarum ſalus ac beatitudo poſita eſt, quiete fruerentur. Hinc ſancta gentibus omnibus fuit iurisdicundi animaduertendique in facinoroſos poteſtas, tamque venerabilis, vt eam nemini, niſi regibus, maximisque magiſtratibus, deferrent, immo plerumque partem eius nobiliorem cum iure extremae prouocationis ſibi ipſis reſeruarent. Quare quod generatim de antiquiſſimis mortalibus cecinit HESIODVS (f):

Τούνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
Βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι.
Hoc vno reges olim ſunt ſine creati,
Dicere ius populis, iniuſtaque tollere facta:

 id

(z) Herm. Conring. *Diſſ. de iudiciis reip. Germanicae.*

(a) Thomaſ. *Diſſ. de iuriſdict. & magiſtr. different. ſecundum mores Germ. Hal.* MDCCIII.

(b) Hert. *de conſultat. leg. & iudic. in ſpecial. imp. Rom. Germ. rebuspublicis Opuſc. Vol. I. Tom. II. p. 406.*

(c) Gebauer *Comment. de iuriſdict.*

(d) *Diſſ. de orig. & ind. iuriſd. patrim.*

(e) *Elem. iur. Germ. Lib. III.* §. I. *ſequ.*

(f) Heſiod. *Theogon. v.* 88.

id omnium paene gentium annalibus luculenter confirmatur. Apud Hebraeos a Moſis & Ioſuae exceſſu pari poteſtate ſequuti ſunt IVDICES, qui, quum ob eminens, quo gaudebant, imperium a IOSEPHO (g) μονάρχαι vocentur, & ab edicendi poteſtate, ex CVNAEI (h) ſententia, recte DICTATORES ſaltim dici potuiſſent, quin duplicem illam poteſtatem ducendi & iudicandi diuinitus eſſent conſequuti, tamen non a ducatu DVCES, ſed a iudicando, tanquam praecipua & potiore poteſtatis ſuae parte, IVDICES vocari maluerunt (i). Ex quo deinde, remoto hoſtili metu, corruptiſque per ſecundas res conſiliis, regium nomen deſiderare coepit populus: ipſi quoque Reges adeo non putarunt infra maieſtatem ſuam eſſe, ius dicere, cauſſaſque ciuium cognoſcere, vt potius inter praecipua eorum munera eſſet, domi iudicare, bellaque foris adminiſtrare, ceu pluribus demonſtrarunt CAR. SIGON. (k) & GVIL. SCHICKARDVS (l). Sic & apud Carthaginienſes magiſtratus, penes quos ſumma rerum erat, SVFFETES, voce Hebraea & Punica, quae *iudices* denotabat, dicebantur, eiuſque dignitatis vocabulum & aliis ciuitatibus Africanis erat familiare (m), quum tamen *Suffetes* iſti Carthaginienſium vere ſupremum in republica magiſtratum gererent (n), ac proinde a ſcriptoribus Romanis modo *Dictatores* (o), modo *Conſules* (p), modo *Reges* (q), adpellentur. Omitto reges Perſarum (r), Medorum (s), Macedonum (t), quos praeter reliqua munera regia etiam iuri dicundo vacaſſe, nauataque hac reipublicae opera, incredibilem ſibi laudem peperiſſe, notum peruulgatumque eſt. Nec aliter Romani, apud quos, teſte DIONYSIO HALICARNASSENSI

(g) Ioſeph. *Antiqu. Iud. Lib. XI. Cap. IIII.* §. VIII.

(h) Petr. Cun. *de republ. Hebr. Lib. I. Cap. XII.*

(i) Car. Sigon. *de republ. Hebr. Lib.* VII. *Cap. II. p.* 713.

(k) Sigon. *ibid. Cap. IIII. p.* 727.

(l) Schickard. *de iure regio Hebr. Cap. IIII. theor. XIIII. p.* 240. *ſequ.*

(m) Selden. *de Synedr. Hebr. Lib. I. Cap. XIIII.* p. 410. Reineſ. *Inſcript. Claſſ.* VII. *n.* 17. *p.* 477. Vaillant. *Numiſm. imp. aen. in colon. Lat. inr. p.* 72. & 130. *Tomo I.*

(n) Liu. *Lib.* XXVIII. *Cap. XXXVII.*

(o) Gell. *Noct. Attic. Lib. X. Cap. XXIIII.*

(p) Liu. *Lib. XXX. Cap.* VII.

(q) Ariſtot. *Polit. Lib. II. Cap.* VIIII. Polyb. *Hiſt. Lib.* VI. *Cap.* XXXXVIIII. Corn. Nep. *Hannib. Cap. IIII.*

(r) Ioſeph. *Antiqu. Iudaic. Lib. XI. Cap. III.* Briſſon. *de regno Perſ. Lib. I.* §. CXXVII. *p.* 181.

(s) Herodot. *Lib. I. p.* 26. *ſequ.*

(t) Liu *Lib. XXXI. Cap. XX.* Io. Andr. Schmied *de regno Maced. Part.* I. §. 20. *p.* 41.

SENSI (u), initio reges *τῶν ἀδικημάτων μέγιστα*, *grauiſſima delicta*, ipſi iudicare, leuiora ſenatoribus permittere ſolebant: poſtea vero conſules eadem iuris dicundi poteſtate vtebantur (x), donec, multiplicatis negotiis, plures crearentur magiſtratus, qui iuri dicundo in vrbe & prouinciis praeeſſent. At ne regibus quidem ſolis ius illud animaduertendi in facinoroſos homines relinquendum putabant Romani, ſed, quoties de capite ciuis Romani quaerebatur, prouocatio erat ad populum. Quod quum primus ſub Tullo Hoſtilio rege feciſſet Horatius, tum primum populum Romanum *τῆς θανατηφόρου κρίσεως κύριον*, *iudiciorum capitalium dominum* factum eſſe, obſeruat DIONYSIVS (y). Et hic mos ad poſteros manſit. Quamuis enim omnia iura inſigniaque regum tenerent conſules (z): non tamen iniuſſu populi iis in caput ciuis Romani licebat animaduertere (a), niſi ea poteſtas illis in re trepida daretur ſenatus conſulto illo celeberrimo (b): DARENT COSS. OPERAM, NE QVID RESP. DETRIMENTI CAPERET. Quin tantum abeſt, vt Romani vlli magiſtratui illud abſolutum merumque imperium conceſſerint, vt, quum initio Dictatores eam poteſtatem in maximis reipub. periculis conſequerentur (c), mox lege Valeria cautum ſit, ne vllus magiſtratus, ac ne Dictator quidem, ſine prouocatione, in vrbe eſſet (d).

§. III.

Nec in vetere Germania aliam iuriſdictionis faciem deprehendimus. Vbi enim populare erat imperium, quod pleriſque Germaniae gentibus placuiſſe nouimus: ibi in conciliis *eligebantur* PRINCIPES, *qui ius per pagos vicoſque redderent, iiſque certi ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas, aderant* (e). Quare eo tempore nulla alia erat iuriſdictio, quam quae principibus illis, quos CAESAR (f) *maiores natu*, DIO CASSIVS (g) *πρεσβυτέρους*, ſeniores, id eſt, canos, *grauen* vel *grafen* vocat, iure magiſtratus *Idque & apud veteres Germanos obtinuit.*

Ii 3 com-

(u) Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. II. p.* 87. *& Lib. X. p.* 627.

(x) Dionyſ. *ibid. p.* 627.

(y) Idem *Lib. III. p.* 159. Liu. *Lib.* I. *Cap.* XXVI.

(z) Liu. *Lib.* II. *Cap.* I. *& Lib.* IIII. *Cap.* III.

(a) *l.* 2. §. 16. *D. de orig. iur.*

(b) Cicero *Catilinar.* I. *Cap.* V. Salluſt. *Catilin. Cap.* XXVIIII.

(c) Liu. *Lib.* II. *Cap.* XVIII. *l.* 2. §. 18. *D. de orig. iur.*

(d) Plutarch. *Poplic. p.* 102. *ſequ.*

(e) Tacit. *de morib. Germ. Cap.* XII. Iul. Caeſ. *de bello Gall. Lib.* VI. *Cap.* XXIII.

(f) Caeſ. *de bello Gall. Lib.* IIII. *Cap.* XIII.

(g) Dio Caſſ. *Lib.* XXXVIIII. *p.* 113.

competebat, quamque cum ipſis eorum perſonis exſpiraſſe, vel ex eo patet, quod populi ſuffragiis electi dicantur. Attamen non omnem iuris dicundi poteſtatem in hos principes vel comites transtulerant Germani, ſed vniuerſo populo reſeruauerant iudicia publica maioris momenti. Et hinc, teſte TACITO (h), *licebat etiam apud* CONCILIVM, (id eſt, coram populo) *accuſare, & diſcrimen capitis intendere*: nec dubium eſt, quin ius prouocandi ad concilium fuerit illis, qui, ſe iniqua ſententia a principibus illis oppreſſos eſſe, conquererentur. Et haec iuriſdictionis Germanicae facies eadem manſit medio aeuo, cum apud gentes, quae in Romanorum prouinciis noua ſibi regna quaeſiuerant, tum in ipſa Germania. Apud Wiſigothos enim ius per pagos & vrbes dicebant *Comites* (i), &, qui iis ſuberant, *thiuphadi, defenſores, pacis adſertores*, *villici* & *ſaiones* (k): nec minus illa Comitum iuriſdictio apud Burgundiones (l), & Francos (m) obtinuit, quamuis apud hos in cauſſis quibuſdam miſſi dominici, (n) in aliis comites palatini (o), in aliis ipſi reges adpellarentur (p): quaedam maiores, & ad rempublicam pertinentes, in ipſis totius populi comitiis decidi ſolerent (q). Itaque iuriſdictio his quoque temporibus fere erat perſonalis, & a comitibus, vicecomitibus, aliiſque magiſtratibus, quos reges certis pagis, vrbibus & vicis praefecerant, iure magiſtratus adminiſtrabatur. Quod adeo verum eſt, vt ducatus & comitatus ad certum tempus datos (r), eoſdem male rem gerentibus pro lubitu ademtos (s), nec filiis eorum, ſi aliter viſum eſſet regibus, conceſſos eſſe, animaduertamus (t), idque luculenter demonſtrarit ANT. DADINVS ALTESERRA (u). Quae ſane omnia argumento ſunt, iuriſdictionem ſuam fiduciario tantum iure poſſediſſe comites, & hinc neminem horum illam iuris dicundi poteſtatem tamquam rem, quae in bonis eſſet, aliis vel vendere, vel locare potuiſſe. Saltim in anti-

(h) Tacit. *de morib. Germ. Cap. XII.*
(i) Lex Wiſigoth. *Lib.* II. *Tit.* I. §. 14.
(k) Lex Wiſig. *Lib.* VIIII. *Tit.* II. §. *I. tit.* I. §. 26. *Lib.* VI. *tit. I.* §. *I. Lib. II. tit. I.* §. 16. 17. & 25.
(l) Lex Burgund. *addit.* II. §. 10.
(m) ill. Praeſid. *Elem. iur. Germ. Lib. III.* §. XVIII. *ſequ.* p. 368. *Tomo* II.
(n) Idem *ibid.* §. XXVI. *ſequ.*
(o) Idem §. XVII.
(p) Idem §. *LXXXXIII.*
[q] Idem *ibid.* §. XVI.
(r) Greg. Turon. *Hiſt. Lib. V. Cap. XIIII.*
(s) Aimon. *Contin. Lib. V. Cap. III.*
(t) Idem *Lib. V. Cap.* XXVII. & *XXXVII.*
(u) Alteſerra *de Duc. & Comit. Aquitan. Lib. I. Cap. V. p.* 23. *ſequ.*

Digitized by Google

antiquioris aeui monumentis huiuſmodi contractus nec vola occurrit, nec veſtigium, & in praecepto Caroli M. Regis, anno DCCLXXXVIIII. pro Trutmanno, Comite, edito, quod poſt MEIBOMIVM (v) edidit STEPH. BALVZIVS (x), nihil permittitur Trutmanno, quam vt in parte Saxoniae Comes ſit, & *reſideat in curte ad campos, in mallo publico, ad vniuerſorum cauſſas audiendas, vel recta iudicia terminanda*, nec quidquam in eo praecepto occurrit, ex quo colligere liceat, ei iuriſdictionem veluti in patrimonium datam eſſe.

§. IIII.

Veriſſimum tamen videtur, quod iam ab HERTIO (y), & eruditiſſimo ALTESERRA (z) obſeruatum eſt, ſub ipſis Francorum regibus ſtirpis Merouingicae, tum ducatus quosdam, tum comitatus fieri coepiſſe hereditarios, eoque factum eſſe, vt hi iuris dicundi poteſtatem veluti in bonis habere, non eam regum nomine adminiſtrare, ſibi viderentur. Sane enim non ſolum principes & comites, ex eo tempore, ab ipſis imperatoribus & regibus totis prouinciis & terrarum tractibus, cum omni banno & iurisdictione, donatos eſſe, animaduertimus, verum etiam epiſcopos, praelatos, monaſteria, & ciuitates: adeo vt ſaepe diplomatibus exprimatur, donatariis *ius fore, in illis fundis* FREDA *exigendi*, MANSIONESQVE *faciendi* (a): *nullum iudicem publicum ibidem ad* CAVSSAS AVDIENDAS, *aut* FREDA *exactanda, vel* FIDEIVSSORES *tollendos, nec homines tam ingenuos, quam & ſeruientes, qui ſuper terras ſuas commanent*, DISTRINGENDOS, *nec vllas* REDHIBITIONES *requirendas vel exactandas, iudiciaria poteſtate ingredi praeſumarum* (b): praedia monaſterium poſſeſſurum, *cum waſtinis, moris, humido, ſicco*, ALTO, BASSO (c): cum BANNO & CIPPO (d): *nec ſe nec quemquam imperatorem, aut regem, aut comitem,* *aut*

Cur mutatio paullatim facta ſit iuriſdictionis Germanicae?

[v] Meibom. *Script. rer. Germ. Tom. I. p. 689.*

(x) Steph. Baluz. *Capitular. Tom. I.* p. 150.

(y) Hert. *de orig. & progr. ſpecial. Rom. Germ. Imp. rerump.* §. IIII.

(z) Alteſerra *de Duc. & Comit. Aquitan. ibid.*

(a) *Charta Childerici II. Reg. circa annum* DCLX. *apud* Miraeum *Diplom. Belg. Lib. I. Cap. III.*

(b) *Diploma Theoderici II. ann. DCCXXII. ibid. Cap.* VI. *Ludouici Pii anno DCCCXV. ibid. Cap. X. & de anno DCCCXXI. apud* Bruſch. *de Monaſter. pag. 66. Diplom. Caroli Craſſi ann. DCCCLXXXVII. apud* Schaten. *Annal. Paderb. Lib. III. p. 199.*

(c) *Diplom. Hildeſundis ann. DCCCCLXXXXII. apud* Mir. *ibid. Cap. XXIIII.*

(d) *Diplom. Lotharii Imp. ann. DCCCXXXXV. apud* Lunig. *Reichs-archiu. Part. II. Cap. IV. tit. Straßburg. p. 867. ſequ.*

aut regium exactorem, *ſiue ex imperiali*, *ſiue ex propria auctoritate quidquam ibi* ORDINANDI, *aut* EXIGENDI *habiturum poteſtatem* (e): *nullum iudicem publicum in eorum hominibus habiturum* DITIONEM (f): fundum donatario ceſſurum *cum omni integritate*, REGIMINE & BANNO (g): & quae ſunt huius generis formulae aliae. Has enim tantum ex primae & ſecundae ſtirpis regum Francorum variis chartis & diplomatibus excerpſimus, vt inde adpareat, quam mature in Germania viciniſque prouinciis, iurisdictio, antea tantum iure magiſtratus competens, in bonis & patrimonio ducum, comitum, epiſcoporum, monaſteriorum, ciuitatum eſſe coeperit. Poſtea huiusmodi donationum & conceſſionum numerum in immenſum auctum eſſe deprehendimus, ſub imperatoribus regibusque Saxonicis, Franconicis, Sueuis, qui ſaepiſſime praedia, maiorum exemplo, principibus & eccleſiis donant *cum omni* IVSTITIA *& cenſu* (h): *cum tali* DISTRICTIONE *& iure*, *ſicut hactenus ad imperialem pertinuit poteſtatem* (i): *omni* IVDICIARIA POTESTATE *remota* (k): *cum omni publicae rei* DISTRICTV (l): ita, *vt nemo ad* CAVSSAS AVDIENDAS, *vel* AD FREDA *aut* BANNA *exigenda*, *aut aliqua* DISTRICTIONIS *negotia ſuper homines tam ingenuos*, *quam ſeruos*, *in eis praediis manentes*, *exercenda futuris temporibus ingredi audeat*, *remota* TOTIVS IVDICIARIAE POTESTATIS *inquietudine* (m). Qua liberalitate factum eſt paullatim, vt omnes non modo principes ac comites, verum etiam epiſcopi, abbates, praepoſiti, , iuriſdictionem intra limites ſuos in patrimonio haberent. Ciuitates quoque & vrbes, quarum decuriones initio nulla iuris dicundi gaudebant poteſtate, ſed res duntaxat, ad decus & ſalutem ciuitatum ſuarum pertinentes, curabant, hanc quoque praerogatiuam modo Imperatorum, Principumque priuilegiis, modo aliis titulis, in primis emti venditi, ſubinde adquiſiuerunt, eaque re effectum eſt, vt ciuibus paſſim non amplius comites, aduocati,

(e) *Diploma Caroli Craſſi ann. DCCCLXXXVI. apud* Gewold. ad Hund. *Metrop. Salisb. Tom. III. p.* 1.

(f) *Diplom. Zwenteboldi Regis Lotharing. ann. DCCCLXXXXVIII. in Monim. Paderb. p.* 41.

(g) Lunig *Reichs-arch. Part.* III. *Cap.* VI. *tit.* V. *Emmeran. p.* 648. Gewold. ad Hund. *Metrop. Salisb. Tom. II. p.* 372.

(h) *Dipl. Ottonis M. an. DCCCCLVIIII. apud* Sagittar. *Antiqu. Magd.* §. LXVIIII. *p.* 36.

(i) Lunig. *Spicil. Eccleſ. Cap. IIII. tit. Chur. p.* 154.

(k) *Dipl. Ottonis III. apud* Lindenbr. *priuil. Hamb. eccleſ. n. XIII. p.* 133.

(l) *Diploma Ottonis III. anno DCCCCLXXXXVIIII. apud* Gewold. ad Hund. *Metrop. Salisb. p.* 142.

(m) *Dipl. Henrici II. apud* Lunig. *Part. II. Spicil. eccleſ. tit. Luttich. p.* 493.

ti, ſculteti & ſcabini, a Principe conſtituti, penes quos antea id ius fuerat, ſed ipſi decuriones, vel delegati ex iis iudices, ius dicerent (n). Denique quod ad praediorum poſſeſſores attinet, illis iam inde ab antiquiſſimis temporibus ex iuris Germanici principiis competebat poteſtas herilis in homines proprios (o), cum iure, eorum controuerſias definiendi, coercendique immorigeros & facinoroſos coniuncta (p). Quod quum poſſeſſores illi paullatim facerent cauſſa cognita, ne, quod olim de maioribus noſtris ſcripſerat TACITVS, *ira magis & impetu, quam diſciplina, occidere* viderentur: facile illa poteſtas iuriſdictionis cuiuſdam σχῆμα paullatim induit, quam deinde a feudorum dominis inueſtiturae litteris inſeri facile impetrarunt. Errare enim illos, qui ſoli inueſtiturae iuriſdictionem illam praedialem deberi exiſtimant, vel id argumento eſt, quod in allodialibus praediis non minus, quam in feudalibus, eam a dominis explicari animaduertamus, (q) idque non modo ex charta Ruperti Caeſaris apud SCHILTERVM (r) ſolide probauerit doctiſſimus FRANCKENSTEINIVS (s), ſed & ex multo antiquiore Hildeſundis Comitis Stryenſis diplomate, quippe anno DCCCCLXXXXII ſcripto, poſſit demonſtrari (t). Ibi enim matrona illa, pietatis in Deum ſtudioſiſſima, *amicos ſibi factura in mammona iniquitatis, ad eccleſiam* Thorenſem, a ſe conditam, *attuliſſe ſe*, ait, ALLODIVM *ſuum, quod in terra ſua de Stryen glorioſus Rex, Zuentiboldus olim perdonauerit, cum* ALTO *&* BASSO. En ergo iurisdictionem *altam* & *baſſam*, a femina, & quidem, non in feudo, ſed in allodio ſuo, monaſterio Thorenſi cum ipſis praediis ceſſam, quam ſane non iure fiduciario & clientelari, ſed tamquam propriam, exercuerat, nec ſine domini directi conſenſu alienare potuiſſet vna cum praediis, ſi eam iure feudi habuiſſet. Sed & in ducatu Bremenſi equeſtris nobilitatis viri iurisdictionem etiam criminalem in praediis ſuis allodialibus exercere, iam dudum obſeruauit IO. A RHODE, Archiepiſ. Bremenſis, apud LEIBNITIVM (u). Atque ita factum eſt, vt

(n) Ill. Praeſes *Elem. iur. Germ. Lib. I.* §. CIIII. CVIIII. *&* CXIII.

(o) Ill. Praeſes *Diſſert. de origine & indole iuriſdiction. patrim.*

(p) Tacit. *de Morib. Germ. Cap. XXV.* Herm. Adolph. Meinders *de iuriſd. colon. praediar. & inſer. p. 61. ſequ.*

(q) Gundl. *Πρόγρ. Digeſt. p. 149.*

(r) Schilter. *ad ius feud. Alamann. Cap. XXXXII. §. XXVIIII.*

(s) Franckenſtein *diſſ. de locat. iuriſd. Cap. I. §. V. p. 5.*

(t) Miraeus *Diplom. Belg. Lib. I. Cap. XXIIII. p. 146. edit. Fopp.*

(u) Leibnit. *Script. rer. Brunſuic. Tom. II. p. 272.*

omnis fere iurisdictio in Germania facta ſit patrimonialis, eamque hodie & principes comitesque, & praelati, & eccleſiae, & academiae & ciuitates, & equeſtris nobilitatis viri iure fere proprio explicent, aliisque explicandam cedant, tamquam rem, in bonis ſuis vel patrimonio conſtitutam. Quin ex quo ius circa ſacra ad principes ordinesque imperii proteſtantes poſtliminio veluti rediit: hi ipſam quoque iurisdictionem eccleſiaſticam, tamquam partem ſuperioritatis territorialis, in patrimonio habere, (v) eamque aliis, non obſtante iure canonico (w), eodem iure cedere poſſe videntur, idque exemplo iudiciorum eccleſiaſticorum inferiorum, ciuitatibus etiam quibuſdam municipalibus & vaſallis primi ordinis conceſſorum (x), non inſcite probat laudatiſſimus FRANCKENSTEINIVS *(y)*.

§. V.

Hodie ergo illa locari poteſt.

Quum ergo hodie iurisdictio tantum non omnis in patrimonio, ac proinde in commercio ſit: quis dubitet, quaeſo, quin eadem & locari conduci poſſit? Et quidem, quum iure Romano permultum inter iurisdictionem atque imperium intereſſet, tale vero diſcrimen ignorent Germani, quibus IVRISDICTIO eſt *omnis poteſtas cauſſas ſubditorum, tum ciuiles, tum criminales cognoſcendi, ſententiis finiendi, easque demum ſententias exſequutioni mandandi, quin & actus omnes, qui ſine iudicum auctoritate non conſiſtunt, confirmandi, ratosque habendi, iure dominii competens:* conſequens eſt, vt omnem hanc quam quis in patrimonio habet, iuriſdictionem, ſiue ciuilem, ſiue criminalem, ſiue ſaecularem, ſiue eccleſiaſticam, locare poſſit aliis. Quamuis enim non ſemper e republica ſit, huiuſmodi contractus iniri, & conductores huiuſmodi plerumque id agant tantum, vt ex iuriſdictione non modo penſionem corradant, ſed & lucrum quam vberrimum capiant, non vt ius ea, qua par erat, religione reddant (z): ipſa tamen haec locatio iuris Germanici principiis non refragatur, maxime quum apud nos domini iurisdictionis, non modo ſportulas, ſed & mulctarum partem, cenſumque iurisdictionis, tamquam iurisdictionis fructus capiant,

(v) Inſtrum. Pac. Oſnabr. *art. V.* §. 3. *&* *Art.* VIII. §. *I.*

(w) *Cap.* 1. *&* 2. *X. ne praelati vic. ſuas ſub ann. cenſ.*

(x) Dondorff. *de iuriſd. eccleſ. Cap. III.* §. *XI.* Seckend. *Fürſten-Staat. Part. II. Cap. XI.* §. III.

(y) Franckenſtein. *ibid.* §. VI. *p.* 7.

(z) Ian. Langl. *Otium Semeſtr. Lib.* VI. *Cap. I. p. m.* 254. Ill. Böhmer. *Ius Eccleſ. Proteſt. Lib.* V. *Tit.* IIII. §. *III.*

piant, adeoque cum vtilitate conductoris coniuncta eſſe poſſit eius conductio, & proinde nulla ſubſit ratio, cur ſubſiſtere non poſſit, aut naturae locationis conductionis refragari videatur hic contractus, ſiue ſeorſum, ſiue cum ipſo praedio locetur iuriſdictio.

§. VI.

Tum vna cum praedio, tum ſeorſum.

Obiici equidem poſſet, alias locari conduci non poſſe iura, certis rebus ac praediis inhaerentia, niſi vna cum ipſis rebus ac praediis. VLPIANVM (a) enim diſerte ſcribere: *Locare ſeruitutem nemo poteſt*, &, locato tamen praedio, conductorem etiam ſeruitute vti poſſe, indubii iuris eſſe (b). Deinde eodem fere modo ipſum ius pontificium ius patronatus ſeorſum vendi, locari, vel *ad firmam dari* non pati (c), nec tamen prohibere, quo minus, praedio vendito, vel locato, ab emtore vel conductore exerceatur (d). Et tamen de iurisdictione nullum dubium eſt, quin ea non modo cum praedio, cui inhaeret, verum etiam ſeorſum locari poſſit. Rationes enim illae, ob quas ſeruitutes praediales & ius patronatus locari nequeant, plane non quadrant iuriſdictionis patrimonialis, qualem adhuc in Germania vidimus, indoli. Seruitutes ideo ſeorſum locari non poſſunt, quod ita inhaerent praediis, vt ſine illis non intelligantur (e). At ſine praedio recte non modo intelligitur, ſed & explicatur iuriſdictio, vſumque praeſtat conductori, etiamſi is praedium non conduxerit. Deinde quod ad ius patronatus attinet, illius venditio vel locatio ſeparata ſimoniae crimen inuoluere videtur iuris canonici interpretibus (f), ac proinde ſollicite cauendum monent, ne in venditione vel locatione praedii, in aeſtimationem ſimul veniat ius illud patronatus (g), ipſamque non modo iuris adquiſiti iacturam minantur conductoribus, hoc modo contrahentibus (h), verum etiam excommunicationis & interdicti poenis ex CONCILII TRIDENTINI decretis (i) eum coercendum eſſe, edicunt. Enimuero ne id quidem fulmen pertimeſcendum eſt iis, qui iuriſdictionem locati titulo alteri ad tempus cedunt. Non enim rem

(a) *l. 44. D. locat. cond.*
(b) Brunnem. *ad d. l. 44. p. 621.*
(c) *Cap. 16. X. de iure patron.*
(d) *Cap. 13. X. de locat.*
(e) §. 3. *Inſt. de ſeru. ruſt. vel vrb. praed.*
(f) *Suarez. de Simonia Lib. IIII. Cap.* XXVIII.
(g) Zoeſ. *Comment. Decretal. Lib. III. tit.* XXXVIII. §. XX.
(h) *Cap. 6. X. de iure patron.*
(i) Concil. Trident. *Seſſ. XXV. Cap.* VIIII. *de reformat.*

ſacram vel eccleſiaſticam locant, ſed ſuam: nec alteri pro certa mercede concedunt poteſtatem Eccleſiae praeficiendi rectores & miniſtros, ſed ius dicendi ſubditis, quae poteſtas, quum per ſe ſit in commercio, & a conductore aeque prudenter ac religioſe, quam ab ipſo iuriſdictionis domino, explicari poſſit, immo potius ille aliquando ad eam rem magis, quam hic, idoneus videatur, nulla ratio eſt, cur haec eum contractum reſpuat, niſi ſimul locetur praedium.

§. VII.

Itemque ſiue in longum, ſiue ad breue tempus.

Et huiuſmodi ſane locationum, cum vrbibus, tum priuatis factarum, exempla exſtant quam plurima, quorum aliqua ex WECKIO (k), MVLLERO (l), KRESSIO (m) aliiſque attulit doctiſſimus FRANCKENSTEINIVS (n). Et notum eſt aliunde, vrbes municipales pleraſque iuriſdictionem, ſaltim ſuperiorem, titulo vel locationis, vel pignoris, vel emtionis exercere, quod & de Serueſta ſua ex ipſis monimentis authenticis obſeruauit IO. CHRIST. BECKMANNVS (o). In eo tamen aliqua differentia eſt, quod locatio iſta aliquando ad certum, aliquando in longum tempus, aliquando irreuocabiliter, aliquando, quoad placuerit, facta legitur. Vnde variae locationum ſpecies, *Zeit-Pacht*, *Erb-Pacht*, *willkührlicher Pacht*, *Beſtätung auf lange Zeit*, qualis vere etiam fuit *datio vel conceſſio ad firmam*, cuius mentio fit in iure canonico (p). Quamuis enim viri docti non ſine aliqua veriſimilitudinis ſpecie hoc vocabulum explicandum exiſtiment ex dialecto Anglo-Saxonica, illudque vel a vocabulo *feo*, quod idem ac merces (q), vel a *firma*, quod conuiuium ſignificet (r), vel, quod nuper IO. GE. ESTOR (s) ſuſpicatus eſt, a nomine *farm*, quod Anglo-Saxonibus *praedium* notat, deriuent: vereor tamen, vt iuſtas habeant eius peregrinae originis cauſſas. Quas enim vulgo adferunt, Anglicanos ſcriptores fere ſolos hac loquutione vti, capitaque iuris canonici, in quibus *firmae* fiat mentio, ex

Quid ſit ad firmam dare?

(k) Weck. *Dreſd. Part. I. tit. IIII.*

(l) Muller. *Annal. Sax.* p. 13. 23. 49.

(m) Kreſſ. *ad conſtit. crim. art. II.* §. *XV.*

(n) Franckenſtein *de locat. iuriſd. Cap.* I. §. *XII.*

(o) Beckm. *Hiſt. Anhalt. Part.* III. p. 273. *ſequ.*

(p) *Cap.* 2. *X. de locat. conduct. Cap.* 24. *X. de decim. Cap.* 7. *X. de iure patron. Cap.* 6. *X. ne cler. vel monachi. Clement. vn. de exceſſ. praelat.*

(q) Innoc. Ciron. *ad Cap.* 2. *X. de locat. conduct.*

(r) Car. du Freſne *Gloſſ. med. & inf. Latin. Tom.* II. *p.* 446.

(s) Eſtor *kleine ſchrifften Part.* I. *Opuſc.* IIII. *p.* 159.

ex epiſtolis ad epiſcopos & praelatos Anglicanos eſſe depromta, non admodum ſolidae videntur. Nam primo eodem ſenſu hanc loquutionem in variis ſcriptoribus Francicis occurrere, multis exemplis probarunt eruditiſſimi, qui nouam Gloſſarii Cangiani editionem curarunt, congregationis S. Mauri BENEDICTINI (t). Et exſtat praeterea diploma Belgicum apud MIRAEVM (u), in quo memoratur *firma ſiue canon annuatim ſoluendus.* Nec magis verum eſt, capitula illa ſeu epiſtolas Pontificis, in quibus mentio fit dationis ad firmam, tantum ad Epiſcopos vel praelatos Anglicanos pertinere. Nam *cap.* 24. *X. de decim.* INNOCENTIVS Papa III. reſcribit Piſtorienſi Epiſcopo, adeoque Italo. *Clementina* etiam *Frequens de exceſſ. praelat.* plane nihil commune habet cum rebus Anglicanis. Denique quamuis vulgatae editiones pleraeque inſcriptionem *cap.* 2. *X. de loc. & cond.* ita corruptam ſiſtant: *Innocentius III. abbati & conuentui S. Petri Praetel. London. dioeceſ.* in Collectione tamen Cironiana ſinceriore legitur: *Honorius III. abbati & conuentui S. Petri de Pratellis* (x), *Luxou. dioeceſis:* quod Monaſterium Gallicanum prolixe deſcribunt Fratres SAMMARTHANI (y). Quamobrem quum id vocabulum gentibus tantum non omnibus medio aeuo commune fuerit, nihilque adeo nos cogat eius origines ab Anglo-Saxonibus petere: quid obſtat, quaeſo, quo minus ſuffragemur CVIACIO (z), id vocabulum Latinum eſſe ſuſpicanti? Quod Germanis eſt *beſtâten*, id medio illo ac ſemibarbaro aeuo erat *firmare* (a), vel *ad firmam* ſcilicet penſionem, *dare*, id eſt ſub firma & fixa mercede vel vectigali locare. Vere ergo Latinum eſt vocabulum, quamuis more illius ſaeculi, aliam plane ac veteribus latinis inauditam notionem induerit. Et profecto, qui talia in cadentis Latinitatis ſcriptoribus nunquam animaduertit (b), eum ego plane hoſpitem in his ſcriptoribus dixerim.

(t) *Tom.* III. *p.* 512. *ſequ.*

(u) Miraeus *Dipl. Belg.* Tomo I. *p.* 480.

(x) Cuiac. *ad Cap.* 2. *X. de locat.* *Tom.* VI. *Op. p.* 1026. *ſequ.* Gonzal. Tellez *Not. in Decretal.* Tom. III. *Part. I.* *p.* 326.

(y) Sammarth. *Gall. Chriſtian.* Tom. IIII. *p.* 256.

(z) Cuiac. *ibid. p.* 1027.

(a) Martene *Anecdot.* Tom. IIII. *p.* 1124.

(b) Vid. Ger. Io. Voſſ. *de vit. & gloſſem. ſerm. toto Libro* VI.

§. VIII.

An etiam quae non eſt fructuoſa?

Locari ergo hodie poteſt omnis iuriſdictio; quae quodammodo fructuoſa eſt, & quidem etiam ſeorſum: ſi qua vero nihil vtilitatis adfert conductori, locari quidem poterit, at non niſi vna cum praedio, & tamquam eius acceſſorium. Neque enim, vti iam dixi, quiſquam mercede conducere volet aliquid, quod nullam ſibi adferat vtilitatem, & oneri magis, quam commodo, ſit futurum. Hinc in patria mea locatur iuriſdictio, praefecturis Regiis inhaerens, ſed una cum praefecturis, nec aliter facile conductorem inuentura, ex quo REX potentiſſimus, incomparabili exemplo, ſportulas vllas a ruſticis ſuis exigi, vel mulctas illis delinquentibus irrogari longe clementiſſime vetuit, eaque de re ita reſcripſit praefectis ſuis: *Wir haben allergnaedigſt reſoluiret, daſz unſere immediat bäuerliche unterthanen allhier im gantzen lande bey ihren proceſſen weiter keine ſportuln mehr entrichten, ſondern ſie dauon gantz frey ſeyn, und die iuſtitz ihnen ohne alle dauon entrichtende gebühren adminiſtriret werden ſolle. Wir haben auch gut gefunden, daſz ermeldte unſere bäurliche unterthanen, wann ſie etwas verbrechen, nicht mehr an gelde, ſondern lieber am leibe geſtraffet werden ſollen. Darnach ihr euch denn gebührend zu achten habt. Daran geſchiehet unſer gnädigſter Wille. Koenigsberg d.* 26. *Mart.* 1721. Ita vero locari poteſt apud nos iuriſdictio cum praefecturis, quum reliquorum prouentuum vbertas illius veluti ſterilitatem quodammodo penſet: at fieri non poteſt, vt in aeſtimationem, cuius alias modum fuſe ſatis tradidit GRASSIVS (c), veniat, multo minus, vt ſeorſum locetur. Contra vtrumque fieri poſſe, & fieri quotidie, quoties fructuoſa eſt iuriſdictio, nemo non intelligit. Quamobrem ea in re nec quidquam diſcriminis eſt inter *iuriſdictionem* & *imperium merum*, *ordinariam* & *extraordinariam*, *voluntariam* & *contentioſam*. Quum enim maiores noſtri numquam putarint, imperium merum, quod Rom. vocabant, iuriſdictionemque extraordinariam & voluntariam non eſſe poſſe in patrimonio, ſed haec omnia ſpeciali lege eſſe demandanda: numquam dubitatum eſt, ad conductorem iuriſdictionis tranſire etiam iura quaeſtiones habendi de facinoroſis hominibus, tutores dandi, decreta ſuper alienatione fundorum minoris interponendi, adoptiones confirmandi, & quae ſunt huius generis alia. Tantum enim abeſt, vt vel hos actus, vel ipſum imperium merum, a iuriſdictio-

(c) Graſſ. *de modo & iure taxandi iuriſdict. Part. I.* §. *VIIII.*

riſdictione ſeiunxerint Germani, vt iam pridem obſeruauerit celeberrimus THOMASIVS (d), iuriſdictionem apud eos primario conſtitiſſe in coercitione criminum, cauſſarumque ciuilium diiudicationem partem veluti acceſſoriam fuiſſe iuriſdictionis criminalis.

§. VIIII.

An & criminalis, extraordinaria & voluntaria?

Enimuero quum ſemper iurisdictionem ipſam in SVPERIOREM, ALTAM, CRIMINALEM, & INFERIOREM, BASSAM, CIVILEM, vel, vti Germani loquebantur in *Vngericht*, vnd *Gerichte* (e) diſtinxerint: & hinc paſſim in diplomatibus a iurisdictione ciuili diſcernatur *iuſtitia alta & maxima* (f), *altum iudicium* (g), *iudicium colli & manus* (h), *iudicium ſanguinis* (i), *pars iurisdictionis, quae pro capitali reatu & pro effuſione ſanguinis competit* (k): accidit paullatim, vt quidam vtramque iurisdictionis ſpeciem, alii alterutram tantum, adquirerent & in bonis haberent. Ac proinde & hodie permultum intereſt, ommimoda quis iurisdictione, an aliqua eius ſpecie, ſit praeditus, quod quomodo ex inueſtiturae litteris, vel ex verbis priuilegii colligendum ſit, iam alii oſtenderunt (l). Ex eo vero conſequitur, vt iurisdictionis dominus non modo vtramque ſimul, ſed & alterutram ſolam immo & vtramque duobus ſeorſum poſſit elocare, ita, vt vnus conductor cauſſas ſubditorum ciuiles & pecuniarias cognoſcat & diiudicet; alter de criminibus habeat quaeſtiones. Quin non deſunt exempla, quod ne haec quidem tota aliis locetur, ſed locator ſibi aliqua, quae eo pertinent, e. g. exſequutionem reſeruet. Id vero hic praecipue monendum, plerisque locis ad iurisdictionem ciuilem referri ſolere etiam coercitionem criminum leuiorum, veluti in Saxonia (m) *haarrauffen, ſchlaege die nicht toedtlich ſind, noch laemde bringen, daraus auch keine wunde wird, als braun vnd blau, naſen-bluthen, maulſchellen, zahnbluthen, ſo die nicht wackeln, auch andere bluthrunſten, mit naegeln gekratzt, oder ſonſten verletzt, da-*

raus

(d) Thomaſ. *de iuriſdict. & magiſtr. differ. ſecundum mor. Germ.* §. LII. *ſequ.*

(e) Kreſſ. *diſſ. de iuriſd. omnimoda. Helmſt. MDCC.*

(f) Miraeus *Dipl. Belg. Lib. II. Cap. LXXXXV. & Donat. Belg. Cap.* CVIII.

(g) Heda *de Epiſc. Vltraiect.* p. 324. Schaten *annal. Paderbor. Lib. XI. ad ann.* MCCLVI.

(h) Rango *Dipl. Pomer.* p. 179. Pertuch. *Chron. Port. Cap. III.* p. 131.

(i) Idem *Cap. II.* p. 65.

(k) *Diploma Dobrilug. apud perilluſtr.* de Ludewig. *Reliqu. MSC. Tom. I. pag.* 26. 29.

(l) Kreſſ. *Diſſ. de var. iuriſd. crim. in Germ. gener. Obſ. V.* §. VI.

(m) *Conſt. prou. ann.* MDLV. *tit. Was zu ober-nieder-oder erb-gerichs gehöret.*

raus keine wunde noch laehmde erfolget, ſchlechtes luegen-ſtraffen, ſchlechte worte, die auſſerhalb hohen vnd befreyeten perſonem vnd oertern geſchehen, vnzüchtig, muthwillig geſchrey, meſſerzüge, wenn niemand dadurch beſchaediget wird, meſſer vnd verbothene waffen tragen, verbothene waaren feil haben, verbothene ſpiel ſpielen, deuben, die vnter drey ſchillingen, das iſt, weniger dann 4. groſchen werth ſeyn etc. Quae etiam fere repetuntur in LEGIBVS PROV. MAGDEB. (n) niſi quod & furta minora pretio duorum imperialium, itemque damna, bonis illata, ad cognitionem iudicum inferiorum remittuntur. Alibi & alia delicta leuiora coercet iuriſdictionis ciuilis dominus (o), vt adeo ea in re maxime diſcrepent diuerſarum prouinciarum conſuetudines. Ex iis vero facile iam intelligitur, iuriſdictione locata iis locis, in quibus coercitio leuiorum criminum pars iuriſdictionis ciuilis eſt, eam etiam poteſtatem, niſi ſpeciatim excepta (p), ad conductorem merito deuolui.

§. X.

Quis eam poſſit locare? An & conductor eam alii ſublocare poſſit?

Quis iuriſdictionem LOCARE, quiſque eamdem conducere poſſit, ex iis, quae diximus, intellectu non difficile eſt. Locare eam poſſunt omnes, qui illam in bonis habent, ſiue principes, territoriorumque domini, ſiue dynaſtae & nobiles. Quin quum conductor ea, quae ipſe conduxit, alii ſublocare poſſit (q): non eſt dubium, quin, quod ad analogiam iuris attinet, ea non obſtet, quo minus ſublocari etiam poſſit iuriſdictio. Sic ſane ſaepe contingit, vt viro rerum oeconomicarum peritiſſimo, aſt tanto iuris imperitiori, praefectura quaedam vel praedium equeſtre vna cum iuriſdictione locetur. Hic, quum ipſe illam iuris dicundi poteſtatem explicare non poſſit, neceſſario tenetur alii iuriſperito, quem *iuſtitiarium* vocant, id negotii dare, vt iſto iudicandi munere fungatur. Quum vero mandare iuriſdictionem poſſit conductor: quidni & illam recte ſublocaret iuſtitiario? maxime quum ſubtile illud iureconſultorum Rom. diſcrimen inter res quae & mandari & locari, & quae mandari quidem, at locari non ſolent (r), Germani in iuriſprudentiam ſuam numquam admiſerint, ac

(n) Ord. polit. Magdeb. Cap. LVIII. §. *III.*

(o) Hahn *ad Weſenb. Paratitla Dig. Lib. II. tit. I. n.* VIII.

(p) *l. 39. D. de pactis. Conf.* Franckenſtein *Diſſert. de locat. iuriſd. Cap.* I. §. XV. *p.* 17. 18.

(q) *l. 24. §. 1. D. locat. conduct. l. 6. C. eod.*

(r) Vid. ſupra Cap. I. §. ult.

Digitized by Google

ac proinde res operaſque, locari apud Romanos non ſolitas, quotidie locare ſoleant, quin leges quaedam prouinciales (s) diſerte caueant, vt iuriſdictionis exercitium a dominis in alios penitus transferri poſſit. Enimuero quum prudenter moneat ALEXANDER Imp. (t) *neminem prohiberi rem, quam conduxerit, alii locare*, SI NON ALIVD CONVENERIT: ſublocationi iuriſdictionis non erit locus, ſi locator id fieri, in ipſo contractu prohibuerit. Vix autem prudentiae regulae permittunt, vt locator conductori poteſtatem ſublocandi faciat, quum vel ipſe perſonae induſtriam ac peritiam elegerit, vel iuris imperito iuriſdictionem ea lege locarit, vt eam per alium iuris peritiorem explicaret. Accedit, quod iuriſdictione alii homini imperito vel ſordido ſublocata, & hoc ſubconductore nundinationem inſtituente forenſem ſacroſanctumque iuris dicundi officium proſtituente, periculum non ſublocatoris, ſed domini ſit futurum, adeoque neminem tam ſtulte facturum credibile ſit, vt hanc ſublocationem permittat. Quamuis enim ſubconductor ſatis idoneam cautionem praeſtet: ea tamen non locatori, ſed conductori tantum, prodeſt, quia res poſterioris conductoris domino non obligantur (u). Et, ſi vel maxime ipſe conductor eo nomine ſatisdederit: ne ſic quidem ſatis proſpectum erit locatori, quia dominus, iuriſdictione ſua abuſus, eiuſdem priuatione puniri ſolet (v). Nec excuſabitur dominus, ſi culpam vel conductori, vel ſubconductori imputare velit, quia ipſe, tamquam dominus, peccaſſe cenſebitur, ſi iuriſdictionem vel meliori non locauerit, vel eamdem cuilibet promiſcue paſſus ſit ſublocari, eaque inaduertentia atque oſcitatione ſua effecerit, vt quilibet aere ſuo ſibi comparare poſſet facultatem in vitam, famam, fortunaſque ſubditorum ſuorum pro lubitu graſſandi.

§. XI.

Sed & conducere iuriſdictionem poteſt, cuicumque alias res conducere licet, niſi vel legibus quis prohibeatur, vel honeſti ac decori regulae aliquem ad huiuſmodi conductionem admitti diſſuadeant. Hinc quemadmodum leges noſtrae praedia ruſtica conducere vetant milites (x) & clericos (y): ita illis nec iuriſ- *Quis eam recte conducat?*

(s) *Deciſ. Elect. Saxon.* LXXIII.
(t) *l. 6. C. locat. cond.*
(u) *l. 24. §. 1. D. eod.*
(v) Gail. *Obſ. Lib. I. Cap.* XXVIII. n. I. Coler. *Proceſſ. exſequ. Part. I. Cap. II. n.* 181. Matth. Steph. *de iuriſd. Lib. I. Cap.* XXXVIIII. *n.* 6.
(x) *l. 31. C. locat. cond.*
(y) *Nou.* CXXIII. *Cap.* VI.

dictionem ſiue cum praediis, ſiue ſine iſtis, quiſquam recte locabit: quum eaedem cauſſae, quae praediorum conductioni obſtant, etiam iuriſdictionem illis locari diſſuadeant. Nec magis eum ferendum dixerim, qui iuriſdictionem locare non dubitet Iudaeo, quem inde quaeſtum ſordidiſſimum facturum, probabile eſt, maxime quum leges ipſae Iudaeis non modo ad honores ac dignitates (z), verum etiam ad poſtulandi iudicandiue (a) munus aditum plane praecludant, ne illis vlla praebeatur occaſio, Chriſtianos vllo damno adficiendi (b). Id vero aeque facile eueniret, ſi conducere illis liceret iuriſdictionem, ac ſi iuris dicundi muneri praeficerentur. Quod vero doctiſſimus FRANCKENSTEINIVS (c) adhuc arctioribus limitibus hanc conducendi libertatem circumſcribit, illamque iis tantum, *qui officiales eſſe poſſint*, concedendam eſſe exiſtimat: id vereor, vt experientia confirmetur. Quum enim iuriſdictionem etiam indocti, immo & feminae in bonis habere poſſint, & ſoleant (d): quidni eamdem ex conducto habere poſſent? Et ſi illae perſonae iuriſdictionem ſuam per alios peritiores recte adminiſtrant (e): quid prohiberet, quaeſo, quo minus & conductores eam exerceant per alios? Nec deſunt in patria mea exempla, de quibus auctor obſeruationis: *Ob Frauenzimmer das richterliche Amt führen könne?* in NOVELLIS PVBLICIS (f), quae Regiomonti ſingulis hebdomadibus prodeunt, ita loquitur: *Es kan denen adelichen Damen auf den Gütern, allwo ihnen die Iuriſdiction oder Gerichtbarkeit verſchrieben worden, das Richter-amt nicht diſputiret werden, wiewohl ſie ſolches in wichtigen Sachen durch ein delegirtes Gericht gemeiniglich zu exerciren pflegen. Ia wir haben Exempel, daſs bey denen General-verpachtungen derer Königlichen Domainen, da die Iuriſdiction mit verpachtet worden, die Frauen Amtmänninnen vnd General-pächterinnen, wenn ſie nach abſterben ihrer Männer den contract continuiret, die Iuriſdiction in ihrem Amt über alle Beſitzere der unadelichen Güter exerciret.* Talia exempla & alibi exſtant, quae hic multis verbis deſcribere nihil attinet. Quare recte dici poſſe videtur,

(z) *l. 19. pr. C. de Iud. & Caelicol. c. 16. & c. 69. X. de Iud.*

(a) *l. vlt. C. de poſtul. l. 15. C. de iud.*

(b) Hahn. *Διάπτυγμ. Iudaeor.* §. *XIIII.*

(c) Franckenſtein *de locat. iuriſd.* Cap. I. §. *XIII. p. 15. 16.*

(d) Beyer. *Delin. iur. Germ. Lib. I. Cap. IIII.* §. XVI.

(e) Barth. *de iuriſd. quam perſ. ill. per official. exercent.*

(f) *Preuſſ. Intelligentz. ann.* MDCCXXXVII. *n. XXI. d. 25. Maii.*

Digitized by Google

videtur, omnes conducere poſſe iuriſdictionem tamquam acceſſoriam, qui praedia, quibus id ius inhaeret, recte conducunt: ſeorſum neminem, niſi qui idoneus ſit iuri dicundo: niſi princeps conductori, vt alii id det negotium, diſerte permittat.

§. XII.

Ceterum ex ipſa locationis conductionis natura, ad quid obligatus ſit locator iuriſdictionis, facile intelligitur. *Obligatio locatoris.* Nimirum vti alii locatores obligati ſunt ad rei locatae vſum conductori praeſtandum (g), idque niſi fecerint, actione conducti recte conueniuntur (h): ita iuriſdictionis locator praeſtare tenetur iuriſdictionis exercitium, & non modo ipſe conductorem in eo non turbare, ſed & aduerſus alios illum impedientes defendere debet: eaque res eo minus dubii habere videtur, quo magis ex iure conſtat, etiam locatorem ad praeſtandum id, quod intereſt, eſſe obſtrictum, ſi res locata ab alio euincatur (i). Quemadmodum deinde conductori non ſolum rei vſus, verum etiam ea inſtrumenta, ſine quibus re conducta commode vti non poteſt, praeſtanda ſunt (k): ita conductor iuriſdictionis recte a locatore exigit locum iuri dicundo deſtinatum, (*die Gerichts-ſtube*,) libros & protocolla iudicialia, (*Gerichts-Vormundſchaffts-Handlungs-Grund-vnd Hypothequen-Bücher*) acta iudicialia, nec non ſi criminalis locata ſit iuriſdictio, carceres, catenas, compedes, cellas, in quibus dirae quaeſtiones habentur, quin & numellas, patibulum, & quaecumque explicandae illi iuriſdictioni ſunt neceſſaria. Quin niſi aliud placuerit contrahentibus, conductori merito operas praeſtant etiam ſcribae, exſequutores litium, lictores, aliique, qui ante locationem ius dicenti adparebant: maxime, ſi horum hominum non vbique ſit copia. Quamuis res ipſa doceat, his hominibus tunc etiam de ſalario proſpicere debere conductorem, niſi aliae ſint contractus leges, quibus ſtandum eſſe nemo negauerit (l). Praeterea quum ea ſit locationis natura ac indoles, vt locator conductorem ante tempus expellere nequeat, ſed vſum rei locatae & heredibus per tempus contractu definitum relinquere teneatur (m): nemo negauerit,

 idem

(g) §. *vlt. Inſt. de locat. cond.*
(h) *l.* 10. *C. eod.*
(i) *l.* 9. *pr. l.* 33. *D. loc. cond.* Nic. Burgund. *de culp. & pericul.* Cap. VIII. §. 4.
(k) *l.* 19. §. 2. *D. locat. cond.*
(l) *l.* 23. *D. de reg. iur.*
(m) *l.* 19. §. 8. *D. locat. cond. l.* 10. *C. eod.*

idem ius eſſe in locatione iurisdictionis, dummodo vel ipſorum heredum aliquis iuri dicundo ſit habilis, vel ei rei heredes hominem præficiant idoneum. Contra vti locatio ſucceſſorem ſingularem non obſtringit (n), ac proinde ſoluto iure dantis ius etiam accipientis ſolui recte dicitur (o): ita per ſe patet, ſi praelatus iurisdictionem praedio eccleſiaſtico, vel maritus praedio dotali inhaerentem, in ſexennium locauerit, & locator ante conſtitutum illud tempus diem obierit ſupremum, nec praelati ſucceſſorem, nec vxorem, ad quam fundus dotalis, ſoluto matrimonio, redit ſtare locationi teneri. Quod etiam eo caſu continget, ſi interea ipſum praedium vna cum iurisdictione a domino alienatum fuerit (p), ſiquidem & eo caſu obtinebit πολυθρύλητον iſtud: *Kauff gehet vor Miethe* (q): niſi forte iis locis quis conduxerit, vbi contraria iactatur paroemia: *Heuer gehet vor Kauff,* (r) vel ſibi hypotheca in praedio conſtituta conſuluerit. Attamen inter caſus, hactenus recenſitos, id intereſt, quod, ſi locatoris ius fuerit temporarium, conductor agere non poteſt ad id, quod intereſt, quum praeuidere potuerit, ius locatoris ante tempus conuentum exſpirare poſſe (s): ſin locator alienatione voluntaria effecerit, vt conductio ante tempus ſolueretur, is recte conueniatur ad id, quod intereſt, maxime quum a culpa non abſit haec alienatio, niſi ea lege alienauerit, vt conductio eadem maneret (t). Sed quaeritur, an & ad expenſas, occaſione iurisdictionis factas, conductori refundendas locator obſtrictus ſit? Quod negant, qui conductorem promiſcue ad omnia iurisdictionis onera ferenda obligatum eſſe, exiſtimant: quum eum, qui emolumenta omnia percipit, etiam onera ferre aequiſſimum videatur. (u) Ego vero permultum intereſſe arbitror inter impenſas, a conductore in exercitium iurisdictionis, & in rem, quae ad iurisdictionem pertinet, ita factas, vt finita etiam locatione conductione locatori vtilitatem praeſtare poſſit. Impenſas enim, quae in vtilitatem rei conductae perpetuam, & vltra conductionis tempus

(n) *l. 9. §. 1. D. eod.*

(o) *l. 31. D. de pignor. l. 4. §. 2. D. de addict. in diem.* Ant. Gomez *Var. reſol. Tom. II. Cap. III. nu.* 8. Cardin. Tuſch. *Tom.* VI. *lit.* R. *concluſ.* CCLXXII.

(p) *l. 25. §. 1. D. loc. cond. l. 9. C. eod.*

(q) Zaunſchliff, *Diſſ. ſing. ſubiuncta ſpecimini antinom. Meuianor.*

(r) Wiſſenb. *de Curat. bon. dando §. XIIII.* Gudelin. *Iur. nouiſſ. Lib. III. Cap.* VII.

(s) *l. 9. §. 1. D. locat. cond.*

(t) *d. l. 25. §. 1. D. & l. 9. C. eod.*

(u) *l. 10. D. de reg. iur.*

pus duraturam, vergunt, conductori a locatore rependendas eſſe, & leges noſtrae ſanciunt (x), & inter omnes iuris interpretes conſtat (y). Hinc quamuis recte obſeruet doctiſſimus FRANCKENSTEINIVS (z), conductorem iuriſdictionis obligatum eſſe, ad impenſas neceſſarias inquiſitionum erogandas: ad eos, qui iura pauperum impetrarint, ſubleuandos: ad ferendos ſumtus, in exſequutiones vel ſupplicia facinoroſorum factos, vulgo *das Hencker-Geld*, niſi ſicubi mos inualuerit, vt ſubditi id onus, corrogata pecunia, ferre teneantur: denique ad alimenta infantibus expoſititiis, furioſis, aliiſque perſonis miſeris, conſtituenda: neſcio tamen, an idem dicendum ſit de impenſis, in patibulum nouum exſtruendum, aliaque ſigna iuriſdictionis erigenda, factis, quas eodem refert laudatiſſimus FRANCKENSTEINIVS. Sunt enim hae impenſae ita comparatae, vt magis in duraturum praedii vſum, quam in iuriſdictionis exercitium, factae videantur. Denique quum fructus iuriſdictionis adeo incerti ſint, vt, qui eos conducit, ſpem fere conduxiſſe videatur: facile patet, non obligatum eſſe locatorem, ad partem mercedis remittendam, ſi forte tam pacifice viuant ſubditi, vt intra aliquot annos nulla lis inter eos oriatur, vel ſi accidat, vt diu ita deliquerit nemo, vt ab eo mulcta exigi poſſit. Eſt enim ea iuriſdictionis indoles, vt nonniſi per auerſionem poſſit locari: in huiuſmodi vero locatione fieri non poteſt, quin penes conductorem ſit periculum, (a) iſque adeo ferre teneatur damnum, ſi ſpei, quam in conductione conceperat, euentus haud reſpondeat. Alia tamen eſt ratio, ſi externae cauſſae exercitium iuriſdictionis impediant, veluti ſi inter arma ſileant leges (b), vel aliud incidat iuſtitium, ob quod conductor ex conducta iuriſdictione nullum fructum capere potuerit. Tunc enim ad partem mercedis pro ratione temporis remittendam obſtrictum eſſe locatorem, recte animaduertit laudatus FRANCKENSTEINIVS (c), quamuis, ſi breue illud iuſtitium tanto maiore inſequentis temporis ſportularum prouentu penſetur (d), vel omnes hos caſus conductor ultro ſuſceperit;

(x) *l. 55. §. 1. l. 66. D. loc. cond.*

(y) Garſ. *de expenſ. Cap. XIIII. n. X. ſequ.* Alu. Valaſc. *quaeſt. XXV. n. 32.* Menoch. *de arbitr. iud. quaeſt. Caſ. CCXV. n. 4.* Carpz. *Part. II. Conſt.* XXXVII. *def.* XXVI.

(z) Franckenſt. *Diſſ. de locat. iuriſd. Cap. II.* §. V.

(a) *l. 36. D. locat. cond.*

(b) *l. 33. D. eod.*

(c) Franckenſtein *ibid. Cap. III.* §. VI.

(d) *l. 15. §. 4. D. loc. cond.* Carpz. *Part. II. Conſt. XXIII. def. 2.*

perit (e), eum remiſſionem hanc fruſtra petiturum, facile vnuſquiſque intelligat.

§. XIII.

Itemque conductoris.

Sed & conductoris in quo conſiſtat obligatio, ex ipſa contractus natura ſatis manifeſtum eſt. Primo enim per ſe patet, eum penſionem ex compacto ſoluere debere tempore conſtituto, vel, ſi certum tempus in ſyngrapha vel contractu non expreſſum ſit, ſub finem ſingulorum annorum (f), vel ſi, in aliqua prouincia aliud non inualuerit, finita locatione (g). Deinde, vti penſione in ſingulos annos promiſſa, eaque per biennium non ſoluta, expelli conductorem iura permittunt (h): ita eodem iure vti poſſe locatorem iurisdictionis, nulla idonea dubitandi ratio eſt. Tum porro, ſicuti conductorem ad diligentiam & culpam leuem praeſtandam teneri (i); ſi vero re ſibi locata, ſiue phyſice, vti aiunt, ſiue moraliter, turpiter abutatur, iure ſuo priuari expellique poſſe, expediti iuris eſt (k): ita & iurisdictionis conductorem ipſa contractus indoles ad omnem diligentiam & ſanctitatem quae in iudicem bonum ac religioſum cadit, obſtringit. Ac proinde ſi negligentia culpaue ſua damnum dederit locatori, ad ſarciendum illud iure meritoque adigitur. Sin iurisdictione conducta ad opprimendos innocentes abutitur, turpiue ſententiarum nundinatione quaeſtum facere ſtudet, iuſtitiae adminiſtrationem ad ſe confugientibus praefracte denegat, in cauſſis cognoſcendis finiendiſque nullam legum & conſtitutionum, nullam ordinis, rationem habet: nulla ſane illi fiet iniuria, ſi ei ante finitum tempus iuriſdictionis adimatur exercitium, nec homini tam nefario diutius permittatur, in vitam, famam, bonaque ſubditorum ſuo arbitrio graſſari, & veluti impune in foro facere latrocinium. Quare & neceſſitas, ipſaeque prudentiae regulae, exigunt, vt conductor iuriſdictionis, ſi ipſe ius dicere velit, iureiurando ſeſe prius obſtringat ad iuſtitiam adminiſtrandam, leges ſeruandas, omnes ſordes religioſe fugiendas, vti tales iurisiurandi formulae in omnibus fere conſtitutionibus prouincialibus ius dicentibus praeſcribuntur. Quin conſultum fuerit,

(e) *l. 9. §. 2. D. eod.* Vinn. *Quaeſt. ſelect. Lib. II. Cap. I.*

(f) *arg. l. 29. D. de verb. obl.*

(g) Berger. *Oeconom. Iur. Lib. III. Tit.* V. §. 24. Franckenſt. *ibid. Cap. II. §. III.*

(h) *l. 54. §. 1. l. 56. D. locat. cond.*

(i) *l. 5. §. 2. D. Commod. l. 23. D. de reg. iur.*

(k) *l. 3. C. loc. cond.*

rit, eo nomine exigi idoneam cautionem, vt eo ſecurior ſit locator, ſi forte conductor male eo fungatur officio. Sed haec ſimiliaque, quum ad conſilia magis, quam ad ius, pertineant, hic merito praetermitto, maxime quum iam plures ſcribenti mihi paginas animaduertam procedere, quam diſſertationi deſtinaueram, adeoque vela demum contrahenda, portuſque reſpiciendus eſſe videatur.

§. XIIII.

Quos iuriſdictionis fructus percipiat conductor?

Quum vero eo fine quis conducere ſoleat iuriſdictionem, vt fructus & prouentus, inde ad locatorem redituros, percipiat: merito quaeritur, in quibuſnam emolumenta illa conſiſtant? Et hic otium nobis omnino fecit ſaepe laudatus FRANCKENSTEINIVS, (l) recte diſtinguens iuriſdictionem perſonalem & patrimonialem. Illa enim ſine reſeruatione conducta, conductori cedunt omnia, quae occaſione iuriſdictionis accepta, praefecti in rationes referre antea ſolebant, qualia in Saxonia ſunt *die commiſſion- vnd geleits-ſtraffen*, *Hülffs-und Abzugs-Gelder*, *Gerade vnd Heergewette*, *ſo dem Amte heimgefallen* (m). At tunc multo magis conductor capiet ſportulas, quantas iudicantibus concedunt leges publicae, immo & mulctarum partem, quae in pleriſque Germaniae prouinciis relinqui ſolet praefectis & iudicibus. Sin patrimonialem iuriſdictionem quis conduxit: eos fructus omnes ſibi iure vindicat conductor, qui antea domino iuriſdictionis cedebant, cuius iuribus etiam omnibus, quae in locatione non excepta ſunt, vtitur: vti pluribus exemplis, quae tamen maxime ad Saxoniam electoralem pertinent, rem omnem illuſtrauit laudatus FRANCKENSTEINIVS (n). Sic ſane vbi iuriſdictionis dominis cedunt bona vacantia, gabellae, cenſus detractionis, ſportulae, mulctae, pecunia pro reluitione rerum pignoratarum ſoluenda, (*pfand-gelder*) ibi eadem omnia etiam conductor iure capit, niſi quid ſpecialiter exceptum ſit. At, quae dominus non occaſione iuriſdictionis, ſed tamquam poſſeſſor praedii, percipit, veluti operas, cenſus, canones, laudemia, maritagia, mortuaria, iuriſdictione ſeorſum locata, ad conductorem non transferuntur. Sed haec ita comparata ſunt, vt ab vnoquoque facile intelligantur, quamuis ea omnia in diuerſis prouinciis diuerſimode

(l) Franckenſt. *de locat. iuriſd. Cap. III.* §. *II. ſequ.*

(m) Horn. *Conſultat. reſponſ. & ſent. p.* 721. Berger. *Oecon. Iur. p.* 683.

(n) Franckenſt. *ibid.* §. *III.*

Digitized by Google

ſimode ſe habere oporteat. Prout enim plus minuſue indulgetur ipſis iuriſdictionis dominis : ita & conductoribus plus minuſue fructuum ac emolumentorum cedere, neceſſe eſt. Quare id tantum addo, iis locis vbi non admodum fructuoſa eſt iuriſdictio, veluti vbi ius ſine ſportularum exactione dicendum eſt, ibi ei, qui iuriſdictionem vna cum praefectura vel praedio conduxit, promitti ſolere ſalarium annuum, quo caſu tamen conductorem praedii, non tam iuriſdictionem conduxiſſe, quam operas ſuas, quamuis alias locari non ſolitas, pro certa mercede locaſſe dixeris.

§. XV.

An regulis prudentiae ſatis conueniat haec locatio conductio?

Quantumuis vero iuri non refragetur, & hinc paene quotidiana ſit, haec iuriſdictionis locatio : tantum tamen abeſt, vt magnopere ſit laudanda, vt, niſi hic omnes prudentiae neruos intendant legiſlatores, ea facile cum ſumma iuſtitiae clade coniuncta eſſe poſſit. Ita ſane non ſeliguntur iudices, vti olim, quando iure canebat HORATIVS (o):

Siue iubebat;
Vt facerem quid : habes auctorem, quo facias hoc :
Vnum ex IVDICIBVS SELECTIS *obiiciebat.*

ſed ſumuntur : neque, qui altero melior, iuſtior, prudentior eſt, ſed qui plus licitatur, iuri dicundo, magno ſubditorum incommodo, praeficitur. Olim eodem teſte HORATIO (p), ex iudicandi munere, quo quis functus erat ſaepius, colligebant, non poſſe non illum virum bonum eſſe.

Vir bonus eſt quis ?
Qui conſulta patrum, qui leges iuraque ſeruat :
Quo multae magnaeque ſecantur IVDICE *cauſſae.*

Hodie ſtulte faciat, qui ex munere illo, quod ineptiſſimus quisque & ſordidiſſimus pecunia ſua conducit, de alicuius integritate & bonitate iudicium ferre velit. Accedit, quod ita plerumque contingat, vt venalis habeatur quaeſtuique turpiſſimo proſtituatur iuſtitia, res inter homines ſanctiſſima. Quemadmodum enim propolae & venalitiarii, quod ſolidum auro ſuo ſibi compararunt, id minutatim non exiguo lucro diuendunt : ita illi conductores iuriſdictionis, quando ex eo, quod conduxerunt, fructus

(o) Horat. *Lib. I. Serm. Satyr. IIII.* v. 123.
(p) Idem. *Lib. I. Epiſt.* XVI. v. 40.

ctus quam vberrimos capere ſtudent, non peccare, ſed officium ſuum facere ſibi videntur. Neque enim fieri poteſt, inquit IVSTINIANVS (q), vt qui aurum dat, quique eo pacto ſibi adminiſtrationem comparat, idque non de ſuo fortaſſis praebet, ſed mutuum ſumit, non ſecum ratiocinetur, conueniens eſſe tantum a litigatoribus recipere, quantum ad diſſoluendum aes alienum ſuum ſatis ſit. Vnuſquiſque ſane dat operam, vt lacunas rei familiaris expleat, & imminutos hac conductione numos quam primum redintegret. Denique, ſicuti iam pridem obſeruauit SENECA (r), *non mirum eſſe, prouincias ſpoliari, & numarium tribunal, audita vtrimque licitatione, alteri addici, quando, quae emeris, vendere gentium ius ſit*: ita experientia docet, ſuo ſibi iure vti videri conductores iuriſdictionis, ſi mercenariam habeant iuſtitiam, mercede conductam, operamque dent, vt ex iuris dicundi poteſtate, tamquam fundo ſuo, pecuniae, quantum poſſint, plurimum conficiant. Quod quanto cum reipublicae detrimento coniunctum ſit, cogitando quiſque facilius, quam dicendo, adſequetur.

§. XVI.

Sic demum finem facio diſſerendi: quumque in eo vniuerſae reipublicae beatitudo poſita ſit, ſub finem precor DEVM, iuſtitiae ſtatorem, omnibus principibus eam det mentem, vt & ipſi iuſtitiam colant, & non niſi iis deferant iuris dicundi poteſtatem, qui ſimiles ſint Lollio iſti, de quo HORATIVS (s): *Concluſio diſſertationis.*

Vindex auarae fraudis, & abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecuniae,
Conſulque non vnius anni,
Sed quoties bonus atque fidus
Iudex, honeſtum praetulit vtili, &
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, & per obſtantes cateruas
Explicuit ſua victor arma.

Vtinam vero ita Themis vere rediret e caelo; terraſque reuiſeret, eius abſentis deſiderium vix ferentes! Sic demum futurum eſſet;

(q) *Nouell.* VIII. *praef.* §. *I.*
(r) Seneca *de Benef. Lib.* I. *Cap.* VIIII.
(s) Horat. *Carm. Lib.* IIII. *Od.* VIIII. v. 37.

eſſet, vt obuiae ſibi inuicem fierent benignitas & fides, iuſtitiaque & pax ſe inuicem exoſcularentur! Sic demum contingeret, quod de Auguſti ſaeculo gloriatur HORATIVS (t):

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaque Fauſtitas:
Pacatum volitant per mare navitae:
Culpari metuit fides:
Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperae:
Culpam poena premit comes.

Faxit hoc, qui poteſt omnia, DEVS immortalis, cui ob ſtudia mea, adhuc clementia ſua mirifice ſubleuata, innumeraque, quae in me per omnem vitam contulit, beneficia, ſit laus, honor, gloria, in omnem aeternitatem.

(t) Idem *ibid. Od. V. v.* 17.

DE

DE VENDITIONE ILLICITA FRVCTVVM IN HERBIS.

EXERCITATIO XXXIIII.

§. I. *Dominii origo.* §. II. *Poſſunt eius effectus , & inprimis libera de rebus diſpoſitio lege reſtringi.* §. III. *Inuecto dominio opus fuit contractibus & praecipue emtione venditione.* §. IIII. *Quid emtio venditio? & cur contractus conſenſualis?* §. V. *Dubium, quod huic theſi obſtare videtur , remouetur.* §. VI. *Quid de venditione, ſuper qua contrahentes inſtrumentum fieri volunt?* §. VII. *cur periculum perfecta emtione pertineat ad emtorem?* §. VIII. *Traditio quomodo facta?* §. VIIII. *An hodie in immobilibus ſufficiat traditio ad transferendum dominium?* §. X. *An dominium demum per reſignationem iudicialem transferatur?* §. XI. *Quae res venire poſſint? An & non exſiſtentes?* §. XII. *Emtio ſpei & rei ſperatae.* §. XIII. *An fructuum futurorum licita ſit iure Romano venditio?* §. XIIII. *An iure Germanico vetere?* §. XV. *An iure Germanico nouo?* §. XVI. *Eius iuris declaratio per Receſſ. Imp. de anno* 1577. §. XVII. *Aliarum gentium leges ſimiles.* §. XVIII. *Conſtitutionum emtioni futurorum fructuum oppoſitarum ratio.* §. XVIIII. *Sanctio poenalis addita, & quando ei locus ſit?* §. XX. *An & ad alios caſus extendi poſſit haec prohibitio?*

Digitized by Google

§. I.

Dominii origo

OMnia, ſi primaeuum rerum ſtatum conſideres, relicta fuerunt in communione quadam negatiua, ita vt vere in nullius eſſent dominio, quamuis vſus pateret ſingulis. Hinc VIRGILIVS (a), laudans aureum illud ſaeculum, & id obſeruat, nihil tum in vllius dominio fuiſſe:

Nec ſignare quidem aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quaerebant.

Quae deinde repetit, & Saturni in Italia regno adplicat MACROBIVS (b). Aucto vero humano genere & in innumeras gentes diſtracto, nec omnibus ſufficiente vna prouincia, ſuas ſibi quaelibet gens ſedes quaeſiuit, occupataſque prouincias ita aliquamdiu communes habuit, vt nihil eſſet priuatum & neceſſaria tamen a ſingulis recte occuparentur. Nemo ergo tum aliquid ſibi eſſe proprium, dicere poterat, ſed vnum quaſi cunctis erat patrimonium (c). Quo autem homines ius ſuum in res creatas communes exercere, iiſque peculiariter vti poſſent, adprehenſione & occupatione opus erat. Haec deinde paullatim proprietatem huius rei occupatae tribuebat adprehendenti, ſi ea mente, vt ſibi haberet, illam occupaſſet. Atque inde factum, vt res antea communes tunc fierent propriae & priuatae, dum ad alios eodem modo non amplius pertinebant, quo nunc ſpectabant ad occupantem. Sic CICERO (d): *Sunt*, inquit, *priuata nulla natura, ſed aut veteri occupatione, vt qui quondam in vacua venerunt aut bello, aut lege, pactione, conditione, ſorte &c.*

§. II.

Poſſunt eius effectus, & inprimis libera de rebus diſpoſitio lege reſtringi.

Quamuis igitur proprietas eum in finem inuecta ſit, vt vnus vel quidam ſoli gaudeant facultate illis pro arbitrio vtendi in ſui commodum, (§. I.) & potiſſimus dominii effectus tam in vſu rerum, quam in libera de iis diſponendi facultate conſiſtat: haec tamen poteſtas non ſemper ab vtentis arbitrio ſolum dependet, vt ille ius habeat rei ſuae aut retinendae aut amittendae, ſed pro neceſſitate & vtilitate reipublicae ciuiumque ſalute variis pedetentim reſtricta ac determinata eſt modis. Quemadmodum enim bonorum

(a) Virgil. *Georg. Lib.* I. *verſ.* 126.
(b) Macrob. *Saturn. Lib. I. cap.* 8.
(c) Lud. Molina *de Iuſt. & Iure Tract. I. Diſp.* IV. *n.* 8.
(d) *Lib. I. de Officiis cap.* VII.

Digitized by Google

norum ciuium eſt, omnes vires ſuas vnice ad conſeruandam tuendamque rempublicam: ita & domini res omnes ita ſuas eſſe iudicare debent, ne illarum vſu omni excidat reſpublica. Hinc nemo vitio verterit Principi, ſi vſui rerum noſtrarum praeſcribat leges, quamuis hoc ipſo libertas diſponendi de rebus noſtris arctioribus limitibus ſimul circumſcribatur. Intereſt enim & *expedit reipublicae, ne quis re ſua male vtatur* (e): & vti vere ſcripſit SENECA (f): *Omnia regem imperio poſſidere, ſingulos dominio*: ita Idem recte ſtatuit: *Summam Maieſtatem, quae omnium ciuium bona imperio quaſi poſſidet hanc habere poteſtatem, id quod naturae lex domino permittit, vetandi & facultatem ei naturaliter competentem certis limitibus circumſcribendi.* Propterea vero ipſum dominium veris dominis neutiquam ſubtrahitur, quod ſcilicet illa poteſtas, quam dominium tribuit, quodammodo impeditur & reſtringitur. Ita enim impeditur tantum vſus aliquis & effectus dominii, vt, ſublato hoc impedimento, reſtituatur. Et haec eſt ratio, cur dominium definire ſoleant, quod ſit ius in re, ex quo facultas de ea diſponendi eamque vindicandi naſcitur, niſi vel *lex* vel conuentio vel teſtatoris voluntas obſiſtat. Vnde iam laudatus SENECA (g): *Non eſt*, inquit, *argumentum, ideo aliquid tuum non eſſe, quia vendere non potes, quia conſumere, quia mutare in deterius aut melius non potes. Tuum enim eſt etiam quod ſub certa lege tuum eſt.* Eatenus nempe quis moderator & arbiter eſt rerum ſuarum, quatenus iure non prohibetur (h).

§. III.

Inuecto dominio opus fuit contractibus, & praecipue emtione venditione.

Quibus autem ſolis competit facultas rebus quibuſdam pro arbitrio vtendi in ſui commodum, illi gaudent rerum earundem proprietate, (§. II.) eius vero haec eſt indoles, vt, quod cuique ex dominiorum diſtinctione peculiare factum eſt, id ſine cauſſa illi auferri non poſſit. Itaque introducto ſemel rerum dominio, neceſſario homines ea, quae ſibi deeſſe animaduertebant, aut ab aliena liberalitate exſpectare, aut intercedente contractu aliquo ſibi comparare cogebantur. In aliorum liberalitate parum plerumque praeſidii erat, ex quo refrigeſcente caritate & in peius lapſo humano genere,

(e) §. 2. *Inſt. de his, qui ſui vel alien. iur. ſunt.*

(f) Seneca de *Beneficiis Lib.* VII. *cap.* V.

(g) Seneca *de Benefic. cap.* XII.

(h) Hermann. Lathenus *de Cenſu Lib. I. cap. VIIII. n.* 46. & Cothmann. *Vol. III. Reſp. II. n.* 29. *ſeqq.*

Protinus irrupit venae peioris in aeuum
Omne nefas, fugere pudor, verumque fideſque,
In quorum ſubiere locum fraudeſque dolique,
Inſidiaeque & vis, & amor ſceleratus habendi (i).

Opus ergo erat contractibus, quibus ſibi quiſque id, quo indigebat, ab altero ſtipularetur. Quum enim ſaepius eueniret, vt, quod alteri deerat, alteri ſupereſſet, & quaelibet regio ſibi ipſi non ſufficeret, medio illo opus fuit, ne intercideret iſta, in qua viuebant, ciuilis ſocietas. Hinc varii naſcebantur contractus, quibus humanis neceſſitatibus ſuccurrebatur. Contractus enim ad commodam rerum & officiorum in ciuili ſocietate communicationem & neceſſarii & idonei videbantur, vt alter, quod ipſi deerat, ab altero volente acciperet. In his primum atque antiquiſſimum fuiſſe contractum permutationis inter omnes conſtat, cuius origo humanae debetur indigentiae, quippe quae homines primum coegit, quum pecuniae vſus non eſſet, vt ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum inutilia vtilibus permutarent. Hinc omnes gentes, antequam ad cultiorem vitam traductae pretium aliquod eminens, quod pecuniam vocamus, habere coepiſſent, vice rerum commercia exercebant, quipe quod de Germanis antiquiſſimis TACITVS (k), de Scythis IVSTINVS (l), de Hiſpanis STRABO (m), de ipſis Graecis HOMERVS (n), de Romanis PLINIVS (o), de aliis alii memoriae prodiderunt. Quin notum eſt, eo commercii genere & noſtris temporibus vti gentes quaſdam barbaras, quibus nullus auri argentiue ſignati vſus eſt. Quamuis vero exiſtimare quis poſſet, contentos eſſe potuiſſe mortales ſimpliciſſimo illo & naturae conuenientiſſimo commercii genere: res ipſa tamen mox docuit, illud ad rei ſummam non ſufficere. Quum enim fatente PAVLO (p) non ſemper nec facile concurreret, vt, quum alter haberet, quod alter deſideraret, hic inuicem haberet, quod ille accipere vellet, emtionem venditionem mox

(i) Ouidius *Metamorph. Lib. I. v.* 128. *ſequ.*

(k) Tacitus *de Mor. Germ. cap. V.*

(l) Iuſtinus *Hiſtor. Lib. II. Cap. II.*

(m) Strabo *Geogr. Lib. III.* p. 233.

(n) Homerus *Iliad. Lib.* VII. *v.* 482. Locum habes §. 2. *Inſt. de emt. vend. & l.* 1. §. 1. *D. de contr. emt.*

(o) Plinius *Hiſt. Nat. Lib.* XVIII. *Cap. III. & Lib. XXX. Cap. I.*

(p) *l.* 1. *pr. D. de contrah. emt.*

mox nummo per gradus (q) inuento, & poſtea reliqui contractus (r) in vſu eſſe coeperunt.

§. IIII.

Quid emtio venditio? & cur contractus conſenſualis?

In his autem perpoliendis contractibus admodum ſollicita fuit Iurisprudentia Romana, ab eiusque conditoribus in eo potiſſimum elaboratum, vt cuilibet contractui certam tribuerent formam certumque ordinem, ita quidem, vt, niſi quis iſtam ſecutus eſſet formam, nec validus eſſet contractus, nec valida inde naſci videretur obligatio. Hinc variae oriebantur ſpecies, quas recenſere meum non eſt, dum praeſentis inſtituti ratio hoc neque poſtulat, neque concedit. Quamobrem vt ad propoſitum meum eo propius accedam, omnibus aliis contractuum generibus poſthabitis, ad ſolam emtionem venditionem me conuertam, qui mihi viam muniet ad inſtitutum. Emtio venditio vero eſt contractus conſenſualis de re pro certo pretio alteri tradenda (s). *Conſenſualem* eſſe contractum dicebant Romani, quod ſolo conſenſu perficiatur, ſubſtantiamque capit emtio venditio (t); In omnibus enim, contractibus ſolum conſenſum ſufficere noluerunt, ſed praeter illum in aliis *rei traditionem*, in aliis *verborum conceptionem* & in aliis *literas* deſiderabant. Quum enim ſemel diſcrimen ſtatuiſſent inter pacta & contractus, fidemque, teſte GELLIO (u), *in negotiorum contractibus ſanxiſſent*, pactum vero, quatenus nudi placiti fine ſtat, obligationem ciuilem & actionem producere nollent (x), cuius rei rationes eleganter reddit EMVNDVS MERILLIVS (y): fieri ſane non potuit, vt omnia negotia, in quibus duorum pluriumue conſenſus intercederet, pro contractibus haberentur. Si enim fingas, vnum mutuam rogare pecuniam, alterum promittere, vel duos conſentire in depoſitum dandum & reci-

(q) Egregie id docet Salmaſius *de Vſuris cap.* XV. *Aes*, inquit, *erat rude, quod in permutationem ſaepius veniebat, aurum argentumque infectum. Nam ab his ad nummum tandem per gradus deſcenſum eſt. Poſt aes rude progreſſus eſt vſus ad certam aeris quantitatem, quae pondus ſuum nota ſua praeferebat. Sic ad nummum ventum eſt. Iſque tandem communi conſenſu receptus eſt & pro inſtrumento habitus expedito & facili ad explicandas omnes permutationes.*

(r) §. 2. *Inſt. de Iur. Nat. Gent. & Ciu.*

(s) *l.* 1. §. 2. *l.* 2. §. 1. *l.* 8. *pr. de contr. emt.*

(t) §. *vnic. Inſt. de obligat. quae ex conſenſu & pr. Inſt. de emt. vendit.*

(u) Gell. *Noct. Attic.* Lib. *XX.* Cap. *I.*

(x) *l.* 7. §. 5. D. de *Pact.*

(y) Merill. *Obſeruat.* Lib. VII. Cap. XXXVIIII.

recipiendum; in rem commodato dandam & accipiendam; denique in pignus tradendum accipiendumque: nihil aliud erat hic mutuus conſenſus, quam pactum de credendo, deponendo, commodando, pignore dando, non ipſum mutuum, depoſitum, commodatum & pignus. Sed & inter pactum de dando aliquo faciendoue & contractum nihil interfuiſſet, niſi diſcrimen feciſſet verborum ſollemnitas. Itaque in his omnibus contractibus praeter conſenſum vel rei traditionem, vel verba ſolemnia, vel literas requirebant. In paucis ſolum conſenſum ſufficere credebant. Illi vero contractus, qui ſolo peraguntur conſenſu per excellentiam *conſenſuales* dici coeperunt. Conſenſum quidem tam mutuum, quam perſpicuum, & liberum & non ſimulatum; immo etiam in eandem rem directum, neceſſarium & iuxta mentem Romanorum deſideratum fuiſſe ipſa res loquitur, quum alias partim imperfecta fuiſſet venditio (z), partim nuda & imaginaria, quippe quae, vti loquitur ICtus PAVLVS (a), pro non facta haberetur.

§. V.

Dubium quod huic theſi obſtare videtur, remouetur.

Dum vero dictum eſt, emtionem venditionem ſolo conſenſu perfici, (§. IIII.) huic enunciato, id repugnare videtur, quod antequam res ex emto petatur & actio emti competat, pretium dari, & antequam actioni venditi ſit locus, rem traditam eſſe oporteat. Ait enim VLPIANVS (b): *Offerri pretium ab emtore debet, quum ex emto agitur, & ideo etſi pretii partem offerat, nondum eſt ex emto actio*; & IVLIANVS (c): *Qui pendentem vindemiam emit, ſi vuam legere prohibeatur a venditore aduerſus eum petentem pretium exceptione vti poterit, ſi ea pecunia, de qua agitur, non pro ea re petitur, quae venit neque tradita eſt.* Ex his enim colligere quis poſſet, non *ſolo conſenſu* emtionem perfici, alioquin etiam, quam primum de pretio & re conuentum fuerit etiam antequam ſolutum pretium, resue emtori ſit tradita, actionem emti venditi eſſe naſcituram, quum perfecta cauſa perfectum ſoleat producere effectum. Enimuero *pretium offerri & res tradi debet*, non vt actio ex emto vendito naſcatur, ſed vt actio emti venditi ſit efficax, id eſt talis, quae nulla euerti queat exceptione. Paria enim eſſe videntur non habere actionem & actionem habere, quae eliditur exceptione, vel, vti PAVLVS rem

(z) *l. 9. D. de contrah. emt.*
(a) *l. 55. D. de contrah. emt.*
(b) *l. 13. §. 8. D. de action. emti.*
(c) *l. 25. D. eod.*

(d) rem eloquitur, *nihil intereſt, ipſo iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.* Emtio venditio quamprimum de conſenſu conſtat actionem producit, ſed neuter contrahentium cum effectu illam inſtituere poteſt, nec ex ſua parte eam fundatam habet ad conſequendum id, quod ſibi viciſſim debetur, niſi contractui faciat, quod ſatis eſt. Inique enim, rem ſibi venditam tradi, petere cenſetur emtor quum contractum non adimpleuerit, nec pretium venditori praeſtiterit; Nec minus iniquus eſt venditor, qui re non tradita pretium petit. *Quam ineptum*, inquit TERTVLLIANVS (e), *quam iniquum eſt, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere.* Quare ante implementum actionem intentans per exceptionem non adimpleti contractus iuſte repellitur (f). Nullum itaque eſt dubium, quin eo non obſtante perfecta ſit emtio, ſi partes de pretio & re inter ſe conuenerint (g); licet eo ipſo nondum conſummatum ſit negotium, quum ad illud, vt & pretium ſolutum, & res tradita ſit, requiratur (h).

§. VI.

Quae quum ita ſint non pretii numerationem, ſed conuentionem ſine ſcriptis perficere emtionem facile intelligitur, (§. V.) praeterquam ſi eam in ſcriptis fieri placuerit; tunc enim emtio non aliter perfecta erit, viresque habebit, niſi omnibus partibus abſoluta fuerit ſcriptura (i). Licet vero hoc caſu auctoritate iuris ciuilis contractus natura alterari videatur, vt, quod per ſe tale non erat, fiat eſſentiale (k): id tamen non impedit, quo minus contractus hic ſit conſenſualis. Ipſis enim contrahentibus conſenſum ſuum ſuſpendere placuit tantisper, dum ſcriptura perficeretur. Contractibus vero legem dare pacta & conditiones adiectas, expeditiſſimi iuris eſt. Quamobrem licet ſcriptura, tanquam conditio, in hoc negotio praeter contractus naturam interueniat: non tamen ipſe mutatur contractus in literarium, quem &

Quid de venditione, ſuper qua contrahentes inſtrumentum fieri volunt?

(d) *l.* 13. *l.* 112. *l.* 115. §. 1. *D. de diuerſ. reg. iur.*

(e) Tertullian. *de Poenitentia* Cap. VI.

(f) Brunnemann. *ad l.* 13. §. 8. *de action. emti.* Struu. *Ex. XXIII. th.* 113.

(g) *pr. Inſt. de emt. vendit. l.* 2. §. 1. *D. de contrah. emt. l.* 1. §. 2. *D. de rer. permut.* Vinnius *ad pr. Inſt. de emt. vendit.*

(h) *l.* 1. *C. Quando liceat ab emt. diſcedere. l.* 2. *ff. de reſcind. vendit.*

(i) *pr. Inſt. de emt. vendit. l.* 17. *C. de Fide Inſtrument.* Monoch. *Lib.* III. *Praeſumt.* 148. *n.* 1. Franzkius *ad Dig. Tit. de contrahend. emt. n.* 17.

(k) Bachouius *ad Treutl. Vol. I. Diſp.* 29. *th.* 9.

& chirographarium vocant, ſed manet conſenſualis. At conſenſus in eandem rem & idem pretium non prius intelligitur, quam inſtrumentum emtionis (*der kauff-Receſs*) fuerit ſubſcriptum omnibusque partibus abſolutum (l). Requiritur porro, vt iam, antequam inſtrumentum conficiatur, contrahentium voluntas liquido ſit declarata, quo adpareat, hoc inter ipſos contrahentes actum eſſe: nec prius contractum perfectum eſſe debere, facile patet, quam inſtrumentum plene ſit confectum (m): quum alioquin in dubio probationis cauſſa adhibita videatur ſcriptura (n). Iuris ergo analogiae conuenientius eſt ſtatuere, vt vt de ſcriptura conuenerint, hanc tamen conuentionem eos litteris inire noluiſſe; quum verba contrahentium in dubio ſecundum naturam contractus, quem ineunt, intelligi debeant (o). Natura vero contractus emtionis venditionis, vt per ſe ſpectata conſenſu perficiatur, ſed formam accipit ex voluntate & pactis contrahentium: vnde BACHOVIVS (p) dicit, emtionem venditionem habere naturam vel *eſſentialem & communem* ex iure Gentium, vt perficiatur nudo & ſimplici conſenſu, vel *aduentitiam & accidentalem* ex conuentione ſeu partium voluntate, vt ſcilicet perficiatur in ſcriptis. Attamen haec natura aduentitia & accidentalis, ſi eam cum BACHOVIO ita vocare fas eſt, Germanis olim non fuit accidentalis ſed eſſentialis, vt egregie obſeruauit ILLVSTR. DN. PRAESES ſtudiorum meorum PROMOTOR SVMMVS (q). Apud eos enim legibus moribuſque receptum fuerat, vt accederet vel literarum teſtimonium vel teſtium auctoritas, quoties res immobiles aliaeue alicuius momenti venirent (r), praeſertim ſi quis emeret ab

(l) B. Henr. Coccei *Diſſ. de Different. pact. & ſtipulat. Sect. I.* §. 4. *& de Iure Poenitendi Sect. II.* §. 3. Perill. L. B. de Coccei *in Iur. Controu. Lib.* XVIII. *Tit. I. Qu. I.*

(m) Mornac. *ad l.* 17. *C. de Fide Inſtr.* Lauterbach *ad Tit. Dig. de contr. emt.* §. 1. *n.* 2.

(n) *l.* 4. *D. de Pignor. l.* 5. *C. de tranſact.*

(o) B. Stryk. *Caut. Contr. Sect. II. Cap.* VIII. §. *I. & Vſ. Mod. de Contr. Emt.* §. 10.

(p) *ad pr. Inſt. de emt. vendit.*

(q) *in Element. Iur. Germ. Lib.* II. *Tit.* XIIII. §. 393.

(r) Hinc LEX WISIGOTH. *Lib.* V. *Tit.* IIII. §. 3. adfirmat: *Venditionem per ſcripturam factam plenam habere firmitatem. Caeterum ſi etiam ſcriptura facta non fuerit & datum pretium praeſentibus teſtibus comprobetur, plenum habeat emtio robur.* Cui quoque reſpondet LEX BAIVVAR. *Tit.* XV. *Cap. II.* §. *I. Si quis vendiderit poſſeſſionem ſuam alicui, terram cultam, non cultam, prata vel ſyluas poſt acceptum pretium, aut per chartam, aut per teſtes comprobetur firma emtio.*

ab eccleſia (s), quacum huiuſmodi contractum non ſine periculo aliquo celebrari, ſatis notum peruulgatumque eſt.

§. VII.

Cur periculum perfecta emtione pertineat ad emtorem?

Conſtat itaque ex his dictis, conſenſum in rem & pretium huius contractus eſſentiam abſoluere (t). Quod adeo verum eſt, vt periculum rei venditae ad emtorem pertineat, licet pretium nondum numeratum, nec ipſa res fuerit tradita (u). Nam pretii numeratio & rei traditio non tam ad eſſentiam quam ad implementum emtionis venditionis pertinent. Alia ſcilicet eſt emtionis perfectio, alia eiuſdem adimpletio ſeu conſummatio. (§. V.) Iure quidem naturali traditio ad dominii translationem non requirebatur, ſed ſolo conſenſu rerum dominia transferri poterant, dum ſola abdicatione, ore vel litteris facta, ius ab vno in alterum tranſiit (x). Quam ſimplicitatem iuris naturae & gentium ex ipſis ICtis Romanorum agnouiſſe videtur CAIVS (y), dum ſcribit: *nihil tam conueniens eſſe naturali aequitati, quam voluntatem domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam vaberi.* Si quis ergo olim rem alteri datam, translatumque dominium vellet, & alter in hac voluntate adquieſceret, dominium ipſi erat adquiſitum, & quae poſtea accedebat traditio aut adprehenſio, poſſeſſioni tantum adquirendae inſeruiebat, vti Vir Excellentiſſimus ICtus Celeberrimus I. G. WOLFIVS (z) belliſſime docet. Hinc nec opus eſt diſtinctione PVFFENDORFFII (a) inter dominium ſeparatim a poſſeſſione conſideratum, & cum eadem coniunctum. Neque enim opus eſt dominium cum poſſeſſione coniungere, quum alterum ſine altero commode ſubſiſtat. Poteſt enim dominus eſſe iure gentium, qui non poſſidet, & poſſidere qui non

(s) vt oſtendit LEX ALAMAN. *Tit.* XVIIII. *Res eccleſiae de laicis abſque charta nullus praeſumat poſſidere, & ſi chartam non oſtenderit, quod comparaſſet a Paſtore eccleſiae poſſeſſio ſemper ad eccleſiam pertinet.*

(t) *pr. Inſt. de emt. vendit. l. 8. pr. l. 72. D. de contrah. emt.*

(u) §. 3. *Inſt. de emt. vendit. l. 8. pr. D. de Peric. & commod. rei vend.*

(x) Grotius *de Iure B. & P. Lib.* II. *Cap.* VI. §. I. *n.* 1. & *Cap.* VIII. §. 25. *it. Cap. XII.* §. 15. Otto ad Puffendorff. *de Offic. Hom. & Ciu. Lib.* I. *Cap. XII.* §. 14. Puffendorff. *de Iure Nat. Lib. IIII.* Cap. VIIII. §. 7. Huber *Lib.* IIII. *Digreſſ. Cap.* VIII. §. 2.

(y) *l.* 9. §. 3. *D. de A. R. D. &* §. 40. *Inſt. de R. D.*

(z) *in Inſtitut. Iuriſprud. Natural. Part. II. Sect. I. Cap.* VIII. §. 17.

(a) *in Iure Nat. & Gent. Lib. IIII. Cap.* VIIII. §. 6.

eſt dominus (b). Sed hanc ſimplicem iuris naturalis viam non retinuerunt Romani, quippe qui pro rerum qualitate ad earum dominium adquirendum in aliis partim mancipationem, partim ceſſionem in iure, partim traditionem requirebant (c). Quod ſi itaque res emtori, licet emtione perfecta, nondum tradita ſit, venditor adhuc dominus eſt, quia huius rei dominium ſecundum eorum principia non nudis pactis ſed traditione in alterum tranſit; (d) & tamen nihiloſecius rei venditae periculum ad emptorem pertinere volunt. Eius rei, vt fit, alii alias adferunt rationes. Vir acutiſſimi ingenii rectique iudicii GER. GOTLL. TITIVS (e), Romanos ea in re iuris naturalis principium, ſecundum quod emtor & ante traditionem fiat dominus, ſequutos eſſe exiſtimat: Sed inuita, vt opinor, Themide. Quomodo enim, niſi ſui oblitos illos eſſe dicamus, ſequi potuerunt principium, quod ipſi vbique reiiciunt, negantes, ſola conuentione, & ſine traditione transferri rerum dominia (f)? Quis illos tam doctrinarum ſuarum immemores, tamque inſtabiles ipſoque trocho verſatiliores fuiſſe credat, vt principium aliquod modo deſtruerent, modo eidem tanti momenti concluſionem ſuperſtruere non dubitarent? Alias ergo, eaſque conſultiſſimas rationes habuerunt veteres, cur, nondum translato dominio, periculum tamen omne & commodum, perfecta emtione venditione, tranſire ad emtorem debere, cenſerent, quas veluti in nucleo exhibet eximius ICtus GER. NOODTIVS (g): *Emtor perfecta emtione, ſtatim eſt creditor rei venditae: venditor contra eſt debitor. Interitu autem naturali ſpeciei debitae liberatur ſpeciei debitor* (h). *Non minus vera eſt ſequens* IVSTINIANI *ratio* (i), *quod venditor ex natura contractus vtriuſque contrahentis vtilitati conſulentis, tantum de dolo & culpa lata & leui tenetur* (k), *& quidquid ſine his accidit, in eo ſecurus*

(b) Quod etiam adfirmatur *in l. 52. pr. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ. Proprietatem cum poſſeſſione miſceri non oportere. l. 12. §. 1. eod. l. 1. §. 2. D. vti poſſidet.*

(c) Vlpianus *in Fragment. Tit.* XVIIII. §. 2.

(d) §. 3. *Inſt. de emt. vendit. l.* 20. *C. de Pact. l.* 11. *D. de action. emti. l.* 6. *C. de hered. vel act. vendit.*

(e) Titius *Obſeruat. ad Puffend. de offic. hom. & ciu. Lib. I. Cap. XV.* §. 9. *obſ.* 372. & *ad Lauterbach. obſ.* 558.

(f) *l.* 20. *C. de Pact.*

(g) Ger. Noodt *Comment. ad Pand. p.* 412. *Tom. II. oper.*

(h) *l.* 23. *D. de verb. oblig.*

(i) §. 3. *Inſt. de emt. vendit.*

(k) *l.* 5. §. 2. *D. commod.*

curus eſt. Poſtremo ait VLPIANVS (l), *quod & alibi traditum* (m), *caſus fatales in nullo bonae fidei iudicio praeſtari.* Accedit, quod huiuſmodi iuris diſpoſitionem ipſa ciuilis prudentia ſuadere videretur. Intentio enim legislatorum fuit, vt conſuleretur venditori (n), eatenus vt de pretio eſſet tanto certior, nec emtor cunctaretur. Venditoris ſane hoc vnicum eſt votum, vt pretium accipiat, eique hac in re ſuccurrit legislator, emtorem per obligationem ad periculum etiam ante traditionem compellens ad pretium numerandum & rem accipiendam. Caeterum in hoc IVS etiam ALAMANNICVM conuenit cum Romano, quod, licet res vendita ſit in dominio venditoris, nihilominus periculum ſit emtoris, vti ſatis intelligimus ex IVRE SVEVICO (o). Neque tamen hoc vbique olim obſeruatum eſſe teſtatur THEOPHRASTVS (p). Plurimis enim legum conditoribus placuit, & hodie quibuſdam placet, vt ad traditionem vſque aut, vbi iudicialis requiritur reſignatio, ad hanc vſque res commodo & periculo ſit venditoris; (q) ſic facile adparet, qua ratione GROTIVS (r) hanc iuris doctrinam inter *iuris ciuilis commenta* referat.

§. VIII.

Verum enim vero quia non ſemper commode fieri poterat omnium rerum traditio, Romani etiam permiſerunt, vt interdum ſine traditione nuda domini voluntas ad rei translationem ſufficeret; quamquam deſiderabant, vt res eſſet talis, qualis nuda voluntate ſtatim transferri poterat, quaeque veram & naturalem rei ipſius traditionem non requirebat, quod euenire putabant, ſi quando dominus rem, antea ex cauſſa ad dominium transferendum minus habili alteri traditam, alio & fortiori inpoſterum titulo penes alterum eſſe vellet, ſcilicet ſi rem, quam ex locato, commodato vel precario antea poſſidebat, donatam alteri cuperet. Eo enim caſu ipſa declaratione facta, ex peculiari fingebant ratione, *Traditio quomodo facta?*

(l) *l. 23. D. de diuerſ. reg. iur.*

(m) *l. 6. C. de pignor. act.*

(n) *l. 17. D. de peric. & commod. rei vend.*

(o) iuxta Meichſnerum *fol. 53. Vnd gib ich einem Mann ein Gut zu kauff, vnd gibt er mir ſein Leykauff daran, vnd das Gut bleibt in meiner Gewalt, vnd vvird es mir geſtohlen, der Schad iſt ſein, vnd mein nicht, hab ich ſein gehütet, als ich von Recht ſollt.*

(p) apud Stobaeum *Serm.* CXLV. *de Legibus pag.* 458.

(q) *Ordinat. Polit. Magdeb. cap. XXII.* §. 2.

(r) Grotius *de Iure B. & P. Lib. II. cap. XII.* §. 15.

tione, quaſi res domino ſuo iam ſit reſtituta & poſtea iuſta ex cauſa in adprehendentem translata, quod ICti *breui manu traditum* vocant (s). Ab hac fictione iſte traditionis modus nominatus eſt fictus, vtpote quam fictionem neceſſario poſtulat legislatio Romana, dum iuxta illam traditio nihil efficiebat aliud, quam vt res ab acceptante naturaliter teneretur (t). Si vero iam hoc modo res apud alterum erat, ulteriori traditione, dummodo ſubeſſet titulus ad transferendum dominium habilis, non indigebat, quum hoc caſu fictio idem, quod veritas, efficeret & operaretur. (u) Alias quoque huius fictae traditionis ſpecies fuiſſe inter iuris peritos conſtat, veluti, ſi alter alteri poſſeſſionem concedit per rei demonſtrationem, quia tunc adprehenſio poſſeſſionis oculis & adfectu fieri ſolet (x). Id quod admodum conuenit iuriſprudentiae Romanae, quae in omni traditione deſiderat adprehenſionem cum animo ſibi habendi, quam adprehenſionem, quum in hac ficta traditione naturaliter fieri non poſſet, ſufficere voluerunt Romani, ſi *oculis & adfectu* fieret. Et haec fuit ratio diſpoſitionis: fictam traditionem fieri oportere in re praeſenti, vt rei traditae adprehenſio, ſi non corpore & actu, tamen oculis & adfectu fieri poſſet. Aliud hac in re placuit Germanis, quamquam apud illos ſollenniſſime expediebatur traditio, potiſſimum in rebus pretioſis: in ſymbolica tamen traditione rei praeſentia nunquam deſiderata eſt, ſed, vbicunque commodum eſſet, fieri potuit (y). Poſſemus hic

(s) *l. 3. §. penult. D. de donat. inter vir. & vxor. l. 43. D. de iure dot. l. 9. §. 3. D. de A. R. D. l. 21. pr. D. de adquir. vel amit. poſſeſſ. l. 18. D. de precar. l. 6. D. de donat. l. 62. D. pr. de euict. §. 43. Inſt. de R. D.*

(t) *l. 1. pr. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.*

(u) *l. 6. §. 2. D. de precar. l. vnic. C. de rei vxor. act.* Cochinam *Tom.* I. *Reſp. IIII. n. 54. Tom. II. Reſp. 59. n. 312.* Conſil. Marpurg. *Vol. II. Conſ. XIIII. q. 1.*

(x) Hanc poſſeſſionis adprehenſionem probat PAVLVS *in l. 1. §. 21. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* putans: *Non corpore & actu poſſeſſionem adprehendere neceſſe eſſe, ſed etiam oculis & adſectu. l. 18. §. 2. eod. l. 74. D. de contrah. emt.*

(y) Vt conſtat ex LEGE WISIGOTH. *Lib. V. Tit. II. §. 6. Res donata ſi in praeſenti traditae ſunt nullo modo repetantur a donatore. Quod ſi etiam prouenerit, vt, quod donatur, longe ſit poſitum, pro eo donatio euacuari non poterit, quia tunc videtur vera eſſe traditio, quando jam apud illum ſcriptura donationis habetur, in cuius nomine conſcripta eſſe dignoſcitur.* Cui merito iungimus LVDOVICI PII Imperatoris *Capitul.* VI. *ad* LEG. SALIC. *in Conuentu Aquiſgranenſi anno* MCCCXVIIII. *additum: Si quis res ſuas pro ſalute animae ſuae, vel ad aliquem venerabilem locum vel propin-*

hic plura addere de traditione ſymbolica, quae apud Romanos itidem in re praeſente fieri neceſſe erat, niſi omnia iam pridem in vulgus nota eſſent. Sic vina tradita videbantur, quum claues cellae vinariae (z): merces in horreo, ſimul ac claues horrei emtori traditae fuiſſent (a). Quare id tantum moneo, nullas fuiſſe gentes horum ſymbolorum magis curioſos Germanis & qui eiusdem cum Germanis originis erant. Modo enim loco agri tradebant caeſpitem cum ramuſculo (b), quae ipſa Danorum *ſcotatio* eſt (c), modo per effeſtucationem (d), vel *andelangum* (e), modo adhibitis pro arbitrio aliis quibuscunque rebus (f) rerum dominia in alios transferebant. Quid? quod apud Anglos ſola propinatione ipſis ſanctis res traditas eſſe reperiamus. Exſtat enim apud CAMBDENVM charta, ex qua patet, *Indilatum quemdam Eboracum diuertiſſe, & cornu, quo bibere conſueuerit, vino repleſſe & coram altari Deo & Beato Petro, Apoſtolorum principi, omnes terras & reditus, flexis genibus propinaſſe* (g). Tam amantes nimirum iurisprudentiae ſymbolicae fuerunt Germani, vt quum V. C. OTTO *de iurisprudentia Romanorum ſymbolica* exiguum at pereruditum libellum adornauerit (h), de iurisprudentia ſymbolica Germanorum, cuius Vir doctus IO. GVIL. HOFFMANNVS

propinquo ſuo, vel cuilibet alteri tradere voluerit & eo tempore intra ipſum comitatum fuerit, in quo res illae poſitae ſunt legitimam traditionem facere ſtudeat. Quod ſi eodem tempore, quo illas tradere vult extra eundem comitatum fuerit, id eſt, ſiue in exercitu, ſiue in palatio, ſiue in alio quolibet loco, adhibeat ſibi vel de ſuis pagenſibus vel de aliis, qui eadem lege viuant, qua ipſe viuit, teſtes idoneos; vel ſi illos habere non potuerit, tunc de aliis, quales ibi meliores inueniri poſſint, & coram eis rerum ſuarum traditionem faciat, & fideiuſſores veſtiturae donet ei, qui illam traditionem accipit, vt veſtituram faciat; Et poſtquam haec traditio ita facta fuerit, heres illius nullam de praedictis rebus valeat facere repetitionem. Idem eſt, quod Sigonius *Lib. III. de Regno Italiae ad annum* DCCLV. *refert: Fulradum Pipini Francorum Regis procuratorem claues vrbium Pontifici Romano donatarum Romae in templo Petri depoſuiſſe.* Quod non tantum inter veteres Germanos, ſed & inter alias gentes liberas, ſemper obſeruatum fuiſſe legimus relatum apud Leonem Oſtienſem *in Chronico Caſſinenſi Lib. II. cap.* 39.

(z) *l.* 1. §. *penult. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.*

(a) §. 45. *Inſt. de Rer. Diuiſ. l.* 74. *D. de contr. emt. l.* 9. §. 6. *D. de A.R.D.*

(b) Monach. Braueuillerenſ. *apud* Leibnit. *Scripſ. rer. Brunſu. Tom. I. pag.* 315.

(c) *c.* 2. *X. de conſuet.*

(d) Frid. Sande *de Effeſtucat.* Illuſtr. DN. PRAESES *Elem. iur. Germ. Lib. II. Tit. III.* §. 75.

[e] Ill. DN. PRAESES *ibid.* §. 76.

(f) Idem *c. l.* §. 77.

(g) Idem *c. l.* §. 78.

(h) *Vltrai.* 1730. 8o.

MANNVS ſpecimen aliquod publici iuris fecit (i), iuſtum facile volumem conſcribi ab earum rerum perito poſſet.

§. VIIII.

An hodie in immobilibus ſufficiat traditio ad transferendum dominium?

Simul ac ficta haec traditio facta fuiſſet, emtori ſtatim competebat, aut ſimul data intelligebatur facultas rem ita traditam propria auctoritate occupandi. Quum autem hoc modo inſignes abuſus non tantum metuerentur, ſed etiam re ipſa poſtea ſequerentur, puta vt alter alienam rem ſic ſibi traditam iniuſte inuaderet: in ſequentibus ſeculis apud Germanos mos inualuit, vt bonorum immobilium alienatio aliter rata non eſſet, nec licet traditione accedente, dominium transferretur, quam ſi in iudicio ſollemniter eſſet declarata (k). Iſta vero traditionis ſollemnitas conſiſtebat in eo, vt vel apud acta vel in praeſentia teſtium, quorum numerus pro qualitate rei tradendae praeſcriptus erat, fieret, ſiue res eſſet parua, ſiue magna (l). Ex quo adparet traditionem apud veteres Germanos ſollenniſſime ſemper factam, idque multis retro ſeculis iam obſeruatum fuiſſe, vt in iudicio ſollenniter fieret. Quamobrem eorum ſententiam non ſequor, qui iſtam declarationem in iudicio factam, quam vulgo reſignationem, iudicialem, *die gerichtliche Auflaſſung*, vocant, antiquo Quiri-

(i) *Francof. ad Viadr.* 1736. 4o.

(k) *Ius Weichbild. Art. XX. & Ius Prou. Sax. Lib. I. art.* 34. *& Lib. II. art.* 30.

(l) Quod perſpicue colligi poteſt tam ex LEGE WISIGOTH. *Lib. V. Tit.* IV. §. 3. quam ex LEGE BAIVVAR. *Tit.* XV. *cap. II. §. I. Si quis vendiderit poſſeſſionem ſuam alicui poſt acceptum pretium aut per chartam aut per teſtes comprobetur firma emtio --- duo vel tres vel amplius debent eſſe teſtes.* Nec non ex LEGE RIPVARIORVM *Tit.* LVIIII. §. 1. in verbis: *Si quis alteri aliquid vendiderit & emtor teſtamentum venditionis accipere voluerit in mallo hoc facere debet, & pretium in praeſente tradat & rem accipiat & teſtamentum publice conſcribatur. Quod ſi parua res fuerit, ſeptem teſtibus firmetur: ſi autem magna duodecim roboretur.* In adhibendis vero teſtibus non reſpiciebant veteres ad eorum aetatem, vtrum iuſtae ſint aetatis, an pueri, quia actus erat memoriae, quem eo melius infantes expedire poſſe putabant; praeſertim ſi ſigno quodam ad attentionem excitarentur, vt rei eo magis eſſent memores, quod oſtendit LEX RIPVAR. *Tit. LX. §. I. Si quis villam aut vineam vel quamlibet poſſeſſiunculam ab alio comparauerit & teſtamentum accipere non potuerit, ſi mediocris res eſt cum ſex teſtibus & ſi parua cum tribus, quod ſi magna cum duodecim ad locum traditionis cum totidem numero pueris accedat, & ſic eis praeſentibus pretium tradat & poſſeſſionem accipiat, & vnicuique de paruulis alapas donet & torqueat auriculas, vt ei poſtmodum teſtimonium praebeant.*

Quiritium iuri adſcribere intendunt (m). Huic quodammodo ſimilem eſſe dicere licet. Sicuti enim dominium Quiritarium eo iure non nuda traditione ſolum transferebatur, ſed praeter illam iam mancipationem, iam ceſſionem in iure, interdum etiam adiudicationem requirebat, & res ſub hac qualitate hactenus poſſeſſae non prius dicebantur vere alienatae, ſi non in poteſtatem & poſſeſſionem alterius regulariter per traditionem aptumque titulum ad transferendum dominium vna cum mancipatione & ceſſione in iure perueniſſent (n): ita iure Germanico alienatio bonorum immobilium ad effectum dominii transferendi praeter traditionem iudicialem deſiderat reſignationem. Sed ex hoc antiquo Quiritium iure non petenda eſt origo moris Germanici, quo vſi ſunt maiores noſtri ante, quam ius Romanum illis innotuit. Et ſane quamuis inter ſe commune quid habere videantur in iure ceſſio Romanorum & reſignatio illa Germanica: re ipſa tamen quam maxime differunt, vt non potuerit haec ex illa naſci, quippe plane diuerſo fundamento ſubnixa. Nimirum apud Romanos dominus rem in iure cedebat non magiſtratui, ſed ei, cui illam traditam vellet: & magiſtratus illam huic addicebat, non quod ſibi tradita eſſet, ſed quod cedens eam non contrauindicaret (o). Apud Germanos vero reſignatio non fit emtori, ſed iudici, isque deinde re illa immobili inueſtit emtorem. Vnde Germani dicunt, *der käuffer habe das haus in Lehn vnd Würden empfangen*, ceu recte obſeruauit Vir Doctiſſimus GEORGIVS BEYERVS (p), qui etiam paullo poſt recte obſeruat, veram hanc eſſe inueſtituram a magiſtratu, tamquam domino directo factam, quamuis res ipſa ſit allodialis. Quid vero ſimile haec inueſtitura habet cum addictione, quae ceſſionem in iure ſequebatur? *Sed ita*, eodem obſeruante BEYERO (q), *torqueri ſolent, qui defixis in ius Romanum ſolum oculis, vlterius circumſpicere non audent.*

(m) Coler. *Part.* I. *Deciſ.* XVI. *n.* 20. Andreas Meyer *de Inueſtitura Saxonica in rebus allodialibus immobilibus cap.* 2. *n.* 15.

(n) Vlpianus *in Fragm. Tit.* XVIIII. §. 2. *l.* 20. *C. de Pactis. l.* 50. *D. de rei vind. l.* 18. *D. de vi & vi armat. l.* 3. §. 1. *D. de act. emti. l.* 31. *D. de A. R. D.*

(o) Barn. Briſſon. *de form. pop. Rom. Lib. V. p.* 375.

(p) Georg. Beyer *Poſit. iur. Germ. Lib. I. Cap.* XVIIII. §. 10.

(q) Beyer *ibid.* §. VIII.

§. X.

An dominium demum per reſignationem iudicialem transferatur?

Et haec ſaluberrima ſanctio de reſignationis iudicialis neceſſitate eſt, quam in bonis immobilibus alienandis tam ob vtilitatem publicam, quam ſecuritatem emtorum retinuerunt non tantum Saxones, ſed & plerique Germani (r), adeo, vt illa nec hodie obſoleuerit, ſed pro locorum diuerſitate ad reſignationem iudicialem retinendam & ius ſcriptum & non ſcriptum concurrat (s), hoc effectu, vt, niſi illa accedat traditioni, ſola rerum immobilium traditio emtori facta non proſit ad adipiſcendum dominium, ſed hoc tamdiu maneat apud venditorem, donec illa ſit ſecuta. Ex quo adparet quid ſtatuendum ſit de controuerſia, quae inter CARPZOVIVM & FRANZKIVM agitata eſt, vtrum dominium demum per reſignationem & inueſtituram, an ſtatim per traditionem transeat ad emtorem? Quum enim CARPZOVIVS (t) cum RAVCHBARO, BERLICHIO aliisque Doctoribus Saxonicis reſignationi demum iudiciali hunc effectum tribuat: traditionem potius ad transferendum dominium ſufficere ſtatuit FRANZKIVS (u), quem fere ICti Ienenſes, veluti RICHTERVS (x) & STRVVIVS (y), ſunt ſequuti. Nos vero a nobis impetrare non poſſumus, vt FRANZKIO potius, quam CARPZOVIO ſuffragemur. Nam quum praecipuum, quod in reſignatione iudiciali fieri ſolet, ſit inueſtitura *die Reichung des Grundſtücks in Lehn und Würden*: in rebus vero per inueſtituram transferri ſolitis ius in re vna cum poſſeſſione per inueſtituram propriam demum transferatur, adeo vt inueſtitus eam a quouis poſſeſſore poſſit vindicare (z): quis neget, etiam in allodialibus inueſtituram illam ſolam tribuere verum ac plenum dominium? Quin ne SCHILTERVM (a) quidem rem acu tetigiſſe arbitror, dum traditionis iudicialis neceſſitatem iure Saxonico communi ad bona tantum cenſitica & emphyteutica reſtringi exiſtimat. Vix enim iura Saxonica, ſi vel maxime de illis ſolis loquatur, hoc largiuntur, dum in omni alienatione quorumcunque praediorum reſignationem iudicialem deſiderant,

(r) *Specul. Saxon. Lib. I. art.* 8. & 59. *Specul. Sueuic. art.* 308.

(s) Moller *ad Conſtit. Elector. XXIII. Part. I. n.* 16. *verſ. ex vſu enim communi patriae.* Zobel *in addition. ad art. VIIII. lit. a.*

(t) Carpz. *Lib. I. Reſp.* CII.

(u) Franzk. *variar. reſol. Lib. II. quaeſt.* 12.

(x) Richter *de Concurſu Credit. Cap. II. memb. XIX. n.* 17. *ſequ.*

(y) Struu. *exerc. XXIII.* §. 109.

(z) Ill. Henr. Cocceii *Hypomn. iuris feud. Tit.* VI. §. 8.

(a) *Exerc. XXX.* §. 123.

Digitized by

rant, quod ſatis verba generalia SPECVLI SAXONICI (b) & WEICHBILDI (c) oſtendunt, vtpote quae cum iure Sueuico (d) ac Lubecenſe (e), quorum conſtitutio etiam generalis eſt, optime conueniunt; ne dicam de generali ratione introductae reſignationis quae ad omnia bona omneſque alienationes pertinet, vt plenius euincit Celeberrimus ICtus Wittebergenſis LEYSERVS (f). Vt iam non dicam, Saxoniam Electoralem promulgata deciſione nouiſſima (g) agnoſcere vetus illud principium, vt non tantum ratione bonorum feudalium, emphyteuticorum ac cenſiticorum, ſed etiam rerum allodialium immobilium ad dominium transferendum iudicialis neceſſaria ſit reſignatio. Quamobrem ANDREAS MEYERVS (h) ad hanc deciſionem ſequentibus vtitur verbis veris magis quam latinis: *In Electoratu Saxoniae dominium plenum rerum allodialium immobilium praeceſſa cauſſa vel venditionis vel alius alienationis non transfertur, niſi & inſequatur ceſſio atque reſignatio iudicialis, & ſequatur inueſtitura.* Cui iuri etiam reſpondet Ordinatio Politica Magdeburgica (i) cum multis aliis (k).

§. XI.

Quae res venire poſſint? an & non exiſtentes?

Nunquam vero emtionis venditionis contractui accedere poteſt implementum, ſcilicet pretii numeratio reique traditio, niſi quoad eſſentialia plane ſit abſolutus. Conſenſum in rem & pretium huius eſſentiam abſoluere dixi, (§. VII.) inde nullus ſine re dici poteſt contractus emtionis venditionis; res autem, quae venditur, vt non ſolum ſit in commercio, ſed etiam vt exiſtat, deſideratur (l), quia alias nullus eſt contractus (m). Quod ſi maior rei pars exiſtit, valet quidem venditio, & emtor venditionem implere cogitur, pretio tamen ad aequitatem redacto, niſi ſciuerit venditor partem iam periiſſe; tunc enim quia dolus interuenit, vel nulla intuitu huius partis eſt emtio vel emtori, quod intereſt, reſtituere debet venditor (n). In eo enim actu, quippe qui eſt emtio venditio, in quo lex ex bono & aequo

 vult

(b) *Lib. I. art. 8. & 59.*
(c) *Art. XX.*
(d) *Art.* CCCVIII.
(e) *Lib.* III. *Tit.* VI. *art.* I.
(f) Leyſer *in Meditat. ad Dig. Specim.* CCCCXXXXVI. *medit. I.*
(g) *LXI.*
(h) *de inueſtitura Saxonica in rebus allodialibus immobilibus.*
(i) *cap. XXII. §. 2.*
(k) Sande *ad Conſuet. Feud. Geld. Tr. II. cap. I.* Vinnius *ad §. 41. I. de R. D. n. 4. & ad §. 3. de emt. vendit. n. 9.*
(l) *l. 15. 34. §. 1. de contr. emt.*
(m) *l. 69. de Verb. Obligat.*
(n) *l. 57. pr. & §. 1. D. de contrah. emt.*

vult eſſe agendum, ad alterius detrimentum fraus cum ſcientia concurrere non debet, ſed ſi vnus contrahentium vitium aliquod ſcit, alteri illud, vt detegat, neceſſe eſt. Omnium autem rerum, quas quis habere vel poſſidere vel perſequi poteſt, venditionem recte fieri ait PAVLVS (o), ita vt non tantum res corporales, ſed etiam res incorporales, immo etiam iura, eaque tam vniuerſalia, quam ſingularia, venire poſſint, & quodlibet ius agendi contineat emtio venditio. Interdum tamen ratione iurium vendendorum multum intererat, vtrum actu, an vero potentia exiſtant, dum iura vniuerſalia, *ſcilicet hereditas* in emtionem venditionem venire non poterant, niſi actu exiſterent, quod alias illa in rerum natura non eſſe reputabant Romani (p), quum e contrario iura ſingularia vendi omnino poſſint, licet tempore contractus res, quibus inhaerent, corporales nondum exſiſtant. Quam differentiam laudatus PAVLVS nobis ſuggerit, illamque & potiſſimum intuitu hereditatis ex proprio Quiritium iure, vt pluribus demonſtrauit SCHILTERVS (q). Nimirum emtio venditio iuris vniuerſalis ſeu hereditatis, incidebat in pactum ſucceſſorium diſpoſitiuum, quod de futura hereditate certae perſonae non valebat, niſi tertius ille conſentiret, in eaque voluntate ad extremum vſque halitum perſiſteret. Immo adeo ab huiusmodi pactis ſucceſſoriis abhorrebant Romani, vt *ea odioſa & plena triſtiſſimi ac periculoſi euentus*, immo *contra bonos mores inita* vocare non dubitet IVSTINIANVS (r). Id quod eo minus mirum videtur, quod idem & aliis gentibus cultioribus, maxime Hebraeis, placuiſſe video, quibus & olim male audiuit, & ideo etiamnum vapulat Eſauus, quod ius primogeniturae fratri pro pulte vendiderit (s). Immo ne Germanos quidem, pactorum ſucceſſoriorum alioquin amantiſſimos, diſpoſitiua illa promiſcue admiſiſſe, ex vetuſtiſſimis eorum legibus ſatis conſtat (t). Haec ergo vera fuit ratio, cur iurium vniuerſalium adhuc futurorum venditionem, non admitterent Romani, quum tamen nihil obſtaret, quo minus recte veniret iam delata hereditas. Ad alias res quod attinet, parum aut nihil intereſt, illae actu, an potentia exſiſtant. Omnes enim in com-

(o) *l.* 34. §. 1. *eod.*

(p) *l.* 1. 7. *D. de heredit. vel action. vend.*

(q) *Exerc. XXX.* §. 59.

(r) *l. vlt. C. de Pact.*

(s) *Geneſ. XXV.* 29. *ſequ. Hebr. XII.* 16. 17.

(t) Capitular. *Lib. VII.* §. 328. Ius Prou. Sax. *Lib. II. art.* 30. Ius Alam. *Cap.* 272.

commercio eſſe nouimus, modo poſteriori caſu res exſiſtere poſſit. Futura enim emi & vendi poſſe, iuris eſt indubitati, eatenus, vt fiat vel purus, vel conditionalis contractus. Si enim res, quae quidem exſiſtit, ſed cuius poſſeſſio tamen futura eſt, venditur, iſta venditio ſtatim facit obligationem puram, nec exſpectatur eius rei poſſeſſio, ita, vt emtio contrahatur ac pretium debeatur, etiamſi poſſeſſionem nondum adquiſiuerit emtor, quia emtio ſpei eſt (u). Sin res, quae non actu exſiſtit, extitura tamen eſt ſeu ſperatur, in contractum emtionis venditionis deducitur, illa emtio conditionalem parit obligationem, adeo, vt ſi res ſperata non producatur, nihil etiam ab emtore ſoluendum ſit, & contractus is deficiente ſubintellecta conditione reſcindatur (x). Et hoc eſt, quod Doctores alias nominare ſolent *emtionem ſpei & rei ſperatae*, quae emtionis genera eo accuratiorem merentur diſtinctionem, quo magis variat illarum adplicatio.

§. XII.

Emtio ſpei & rei ſperatae.

Et hanc differentiam inter emtionem *rei ſperatae* & *ſpei* fundamento ſatis ſolido niti docet ICtus POMPONIVS (y), qui emtionem ſpei fieri dicit: quando alea venit in emtionem. Quamquam autem idem adfert, emtionem contrahi ſine re, quando alea emitur; id tamen non ita intelligendum eſt, ac ſi emtio aleae ſit emtio non-entis; (qui enim aleam vult vendere, illam vt habeat neceſſe eſt, ſcilicet ius capiendi feras aut piſces, quod vel ipſe ſuo commodo aut periculo exercere, vel alteri ſpem pretio ementi ipſius periculo commodoue exercendum concedere poſſit,) ſed in emtione aleae tantum emolumentum illud, quod emtor ſpe votoque ſibi deſtinat, incertum, & quaſi in alea poſitum eſt, ipſum vero ius venandi, aucupii, piſcationis certum, vt euictum dedit PETRVS MVLLERVS (z), quocum omnino iungendi ſunt, qui totum illum textum POMPONII egregie, vti ſolent, illuſtrant, GER. NOODTIVS (a) & PETR. PANTOIA DE AYA-

(u) *l. 8. §. 1. D. de contr. emt.* Hilliger in Donell. *Lib. XIII. cap. I. lit.* G. Franzkius *ad Tit. Dig. de contr. emt. n.* 118.

(x) *l. 8. pr. D. de contr. emt.* Brunnemann. *ad dict. leg.* Carpzou. *P. II.* C. 37. *Def.* 25. Molina *de I. & I. Tr.* II. *Diſp.* 340. [illegible] 4. Tulden. *ad Tit. C. de emt. n.* 4.

(y) *cit. l.* 8. *de contrah. emt.*

(z) Petr. Müller *ad Struuium Ex. XXIII. th.* 26. *lit. e.*

(a) Noodt *Commentar. ad Pandect. Tom. II. Op. pag.* 393. *ſeq.*

LA (b), ICtus humaniſſimus, qui, quidquid ad aleam pertinet, tam praeclare expoſuit, vt aliis ne ſpicilegium quidem reliquiſſe videatur. Sicuti vero in aleae tanquam ſpei emtione deſideratur alea : ita quoque in emtione rei ſperatae requiruntur fructus futuri, atque hinc fructus in herbis in hunc cenſum non veniunt, quia res, quae venditur, tempore contractus non ſperatur, ſed iam adeſt, licet adhuc ſit imperfecta, & quoad quantitatem indefinita. Ex quo adparet, emtionem hanc eſſe puram, & in emtorem tranſire periculum, adeo, vt ſi caſu perierint fructus, hic omne pretium, niſi aliud actum ſit, ſoluere teneatur (c), nec ob ſterilitatem emtori fiat remiſſio pretii, quum hoc venditionis genus, vtpote quod directo ad fructus refertur & pertinet, emtorem inter ſpem & metum lucri damnique conſtituat, quo caſu propter incertum contractus euentum damnum contingens attendi non debet, maxime quod talis laeſio abſque dolo venditoris ex poſt facto accidat (d).

§. XIII.

An fructuum futurorum licita ſit iure Romano venditio?

Quum autem iura humana non omnibus in locis ſint eadem, ſed vtilitate & vſu communi ciuium ponderentur & conſtituantur: ſequitur, vt ad leges & mores cuiusuis ciuitatis in omnibus perficiendis negotiis praecipue ſit reſpiciendum. Et ſic quoque ratio eorum habenda eſt, ſi quaeritur, quae res in emtionem venditionem deduci poſſint, quaeque non poſſint ; quum illarum rerum, quas natura, vel gentium ius, vel mores ciuitatis commercio exemerunt, nulla ſit venditio (e). Iura quidem Romana varias nobis deſignarunt res, quarum emtionem venditionem prohibuerunt ; at illa tamen regulam non conſtituunt tam firmam ac ſtabilem, vt ab ea non poſſit recedi. Sane, vt rem illuſtremus exemplo, recte ac prudenter Romani vinum, oleum, & garum ſeu liquamen ad barbaros exportari prohibuerant (f), quia huiusmodi ſanctionem exigere videbatur reipublicae ſalus. Periculum enim erat, ne barbarae gentes his illectae deliciis in prouincias Romanas irrumperent, ibique quaererent ſedes, vbi fructuum tam egregiorum vberrimus eſſet prouentus. Iam pridem Romanos docuerat

(b) *Comment. in leg. fin.* C. *de aleat. Tom.* IV. *Theſauri iuris ciu. p.* 1055.

(c) *l.* 39. §. 1. *l.* 78. §. *fin. de contrah. emt. l.* 21. *pr. l.* 25 *de act. emti.* Perilluſtr. L. B. de COCCEII *Ius Controu. Tit. de contrah. emt. Quaeſt.* VI. *n.* 4.

(d) *l.* 11. C. *de tranſact.* Weidmann *de emtione ſpei th.* 19.

(e) *l.* 34. §. 1. D. *de contrah. emt.*

(f) *l.* 1. C. *quae res export. non deb.*

docuerat experientia Gallos Senones dulcedine frugum, maximeque vini noua tum voluptate captos, Alpes tranſiiſſe, agrosque ab Hetruſcis antea captos poſſidere coepiſſe (g). Idem iterum fieri poſſe, recte cenſebant principes, quin id, quod poſtea contigit, canebant vt vates. Nam & Longobardos ſubmiſſis pluribus fructuum vinorumque, quae Italia profert, generibus a Narſete eſſe ſollicitatos, vt Pannonia relicta in Italiam expeditionem ſuſciperent, fama eſt (h). At nihil horum eſt, quod hodie vereamur, partim quod non tam inſtabiles, vti olim ſunt gentium barbararum ſedes, vt eas facile inceſſat cupiditas nouas ſibi ſedes quaerendi, partim quod noua bella gerendi ratio hanc migrationem reddidit difficillimam. Hinc nulla eſt ratio, cur fructuum noſtrorum etiam ſuauiſſimorum commerciorum aliis gentibus inuidere velimus. Sic res & in reliquis ſe habet. Multa apud nos venire emique prohibentur, quae leges Romanae numquam prohibuerunt : multa apud nos ſunt in commercio, quae Romanis prohibere viſum eſt ; adeoque ius Romanum hic pro norma eſſe nequit. Quidquid enim de conſtitutione & prohibitione iuris Romani dicitur, omne illud accipiendum eſt, ſtatutis & conſuetudinibus quorumuis locorum ſaluis. Ius ſane Romanum ab vniuerſis gentibus in legem non eſſe cooptatum, recte obſeruat STEPHANVS (i) : *Leges*, inquit, *Iuſtiniani, quatenus a moribus noſtris non ſunt adprobatae, non magis nobis ius facere potuerunt, aut nos obligare, quam Leonis Philoſophi aliorumque imperatorum Graecorum Nouellae, quae receptae non ſunt. Vnde nemo non intelligit nos altero oculo in ius Iuſtiniani, altero autem in mores ſeculi intentos eſſe oportere.* Hinc facile reddere licebit rationem, cur tanta ſint iuriſprudentiae Romanae & Germanicae diuortia circa venditionem fructuum adhuc immaturorum. Latii enim legibus fructus futuros libere vendi potuiſſe refert & POMPONIVS (k) & LABEO (l), ſiquidem hoc contractus genus iuri ciuili non videtur aduerſum, & alias fructus futuri in commercio ſunt & in obligationem cadere ſolent (m) ; ſed an idem permiſſum ſit Germanorum aliarumque gentium inſtitutis, iam paulo accuratius diſquirere iuuabit.

§. XIV.

(g) Liuius *Lib. V. Cap.* XXXIII.

(h) Paull. Warnefrid. *de geſt. Longobard. Lib. II. cap. V.*

(i) *in Comment. in Noueli. n.* 52.

(k) *l. 8. pr. D. de contrah. emt.*

[l] *l. 78. §. 3. eod.*

[m] *l. 24. ff. de legat. 1. l. 73. ff. de V. O.* Crauetta *Conſ.* 145. *n.* 20.

§. XIV.

An iure Germanico veuere?

Inſignis apud omnes fere gentes fuit ruſticorum fauor, & quo maior agriculturae vtilitas deprehenſa eſt, eo largior priuilegiorum iis conceſſorum fuit meſſis. In his non poſtrema erant, quae ad agriculturam agricolarumque perſonas pertinebant. Quum enim plus operae agris colendis impendere ſoleant; digni etiam viſi ſunt legislatoribus iſtas varias moleſtias ruſticorum conſiderantibus indefeſſarumque operarum rationem habentibus, qui eo pluribus ornarentur privilegiis. Hinc etiam gentibus Germanicae originis, fauore agriculturae & pauperum ruſticorum, qui facile modico praeſenti alliciuntur ad vendendam ſpem futurae meſſis prohibere placuit venditionem fructuum in herbis: idque iam antiquitus iure Carolino ſtatutum fuiſſe legimus in LANGOBARDORVM LEGIBVS (n), quibus cautum: *vt nemo propter cupiditatem pecuniae aut auaritiam det pretium, vt futuram emtionem ſibi praeparet, vt duplum vel triplum recipiat: ſed tunc tantum, quando praeſentes ſunt fructus ſibi illos comparet.* Licet vero dictum ſit, (§. XII.) fructus in herbis vel viridi non ſperari, ſed praeſentes eſſe, conſequenter hic textus de prohibita venditione fructuum in herbis non intelligendus videri poſſit: attamen nemo non intelligit, Imperatorem in adducta lege fructus iam maturos vocare praeſentes. Quare recte eam legem capit interpres Legum Longobardicarum doctiſſimus ANDREAS DE BARVLO (o), dum eam cum iure Romano contendens ita ſcribit: *Differunt iura Romana & Longobardica, quia de iure Romano futuri fructus recte emuntur, de iure autem Longobardico expreſſe prohibita eſt emtio* FVTVRORVM FRVCTVVM. Et hoc aliquoties repetiiſſe Reges Francorum adparet ex CAPITVLARIBVS apud STEPHAN. BALVZIVM (p), vbi acriter inuehuntur in quoſdam *ſacerdotes impudentes, qui antequam meſſes maturae vel collectae eſſent, decimas ſuas vendere cauſſa ebrietatis tentauerint*, idque, ne impoſterum fieret, inhibent, *canonicam invectionem*, id eſt, cenſuram eccleſiaſticam, interminari iis, qui tam turpem contractum in poſterum eſſent innituri. Quae poſtea quidem ex vetere CONCILIO CARTHAGINENSI (q) decerpta, poſtea pro parte in ipſum ius canonicum retulit GRATIANVS (r). Immo eodem quodammodo referri

[n] *Lib. II. Tit.* 31.
[o] Andr. de Barulo *in Comment. in Leg. Longob. Tit.* VI. *p. m.* 350.
[p] Capitular. *Lib.* VII. §. 214. *Tom. I. pag.* 1070.
[q] *Concil. Carthag. Can.* XXXIII.
[r] *Can. placuit* 51. *Cauſſ. XII. qu.* 2.

Digitized by Google

referri poſſe videtur capitulare Niumagenſe anno MDCCVI confectum, quod praeter GOLDASTVM (s) edidit STEPH. BALVZIVS, (t) cuius haec verba ſunt : *Quicunque tempore meſſis vel tempore vindemiae non neceſſitate, ſed propter cupiditatem comparat annonam aut vinum verbi gratia de duobus denariis comparat modium vnum, & ſeruat vſque, dum iterum venundare poſſit contra denarios quatuor aut ſex ſeu & amplius, hoc turpe lucrum dicimus.* Quamuis enim hoc capitulare non loquatur de fructibus immaturis, ſed tempore meſſis vel vindemiae emtis: facile tamen eſt ad intelligendum, ſi ne tempore quidem meſſis vel vindemiae lucri immodici cauſſa comparare licuit fructus: multo minus permiſiſſe Francorum Reges, vt quis eos in herbis modico praeſente coemeret, eos deinde tanto maiore pretio venditurus.

§. XV.

His Legibus & moribus, ſemper vſi ſunt Germani, ne fraudibus diuitum aperiatur feneſtra, qui facilitate agricolarum pauperum abutuntur, & oblata pecunia modica iis praeripiunt laboris in colendis agris inſumti emolumenta; ex quibus ſe alere cenſusque dominis pendere tenentur. Quamquam alii hoc interdictum, ne ſcilicet valeat fructuum in herbis venditio, in fauorem ciuitatum tendere malunt, vtpote quae iure compellendi agricolas ad merces in fora ſua deuehendas gaudent (u) : attamen hanc rationem in conſtituendis his legibus ob oculos fuiſſe legislatoribus, vix veroſimile eſt, multoque aliam reddit Conſtitutio Imperii ſeu Receſſus Auguſtanus (x), in quo ſimilis facta eſt prohibitio, ſimulque cauſſae, quae legi publicae occaſionem dederunt, his verbis exponuntur : *Nachdem nicht ohne groſſe verderbliche Beſchwerden des armen gemeinen Volcks befunden, daſs demſelben durch etliche eigennützige, geitzige Leuthe im Schein der Kauffmannſchafft auf ihren Saamen, ſo noch auf dem Felde ſtehen, auch den Wein an den Stöcken und andere ihre Früchte, Arbeit und Vieh, Geld oder ein anders hinausgeliehen oder gegeben, dadurch dieſelben armen nothdürfftige Leuthe, was ſie gar h rtiglich erarbeiten näher, den ſich ſonſt nach gemeinen gewöhnlichen Kauff*

An iure Germanico nouo?

(s) Goldaſt. *Conſtit. Imp. Tom. III.* p. 151.

(t) Steph. Baluzius *Capitular. Tom. I. p.* 455.

(u) Huber. *ad Tit. Dig. de contrah. emt.* §. 10.

(x) *Anno* 1548. *promulgatus ſub Tit. XIX. Vom Verkauffung der Früchte im Felde.*

gebühret, zu geben verurſacht und gedrungen werden. Welches denn nicht allein denſelben armen Leuthen zu unwiederbringlichen Verderben, ſondern auch ihren Herſchafften, denen ſie fürter ihr Gebührniſs viel deſto weniger zu thun vermögen, zu groſſen Abbruch, Nachtheil und Schaden gereicht, neben dem, daſs ſolches wider alle Göttliche und menſchliche Satzungen die Liebe des Nächſten und gute Sitten iſt. Hierauf ſetzen und ordnen wir, daſs männiglich den armen Mann in der Noth und damit er ſeine Güther deſto ſtattlicher erbauen, auch ſonſten mit andrer Nothdurfft ſich erhalten möge, auf Wein-Früchte und anders umb den gemeinen Schlag, Werth und Kauff, wie die zur ſelben Zeit ſind, oder gemacht werden, fürzuſtrecken und zu leyhen unverbothen ſeyn. Wo aber anders, denn itzt obvermeldet, gehandelt und hierinnen einiger Vortheil, Argeliſt, Gefahr oder Betrug gebraucht, ſo wollen wir hiermit ernſtlich, daſs ſolcher Abkäuffer oder Ausleyher die Hauptſumma verlohren und dazu von der Obrigkeit nach Geſtalt und Gelegenheit der Sachen geſtrafft werden ſoll. Ex quibus verbis manifeſta adparet ratio, qua Germani ad prohibendam venditionem fructuum in herbis inducti ſint (y).

§. XVI.

Eius iuris declaratio per Receſſ. Imp. de anno 1577.

Haec porro conſtitutio nullam transgreſſionem, quocunque etiam fiebat praetextu, permittit, adeoque contra huius legis contemtores, nulla etiam inſtituta querela, iudices ex officio procedere procul dubio oportet. Enimuero quum in RECESSV iſto AVGVSTANO is, qui illum conceperat, vſus eſſet verbis: *Umb den gemeinen Schlag, Werth und Kauff, wie die zur ſelben Zeit ſind, oder gemacht werden*: & plures inde colligerent obſeruante SCHILTERO (z), licere cuiuis fructus futuros emere, dum emerentur eo tantum pretio, quo tunc venire ſoleant, quando contractus ineatur; paullo poſt anno MDLXXVII. in comitiis Francofurtanis (a) ita mentem ſuam expoſuerunt imperii ordines, ratam fore emtionem fructuum immaturorum eo conſtituto pretio quale illud tempore vel contractus, vel quatuordecim diebus poſt meſſem vel vindemiam eſſet futurum. Ita enim ſe habent verba Receſſus quae adiungere non praetermittemus: *Hierauf ſetzen und ordnen wir abermahls, daſs gleichwohl männiglich*

(y) Ziegler *de iuribus Maieſtatis Lib. I. cap. XXXXI.* §. *64. 65.*

(z) *Exerc. XXX.* §. 30.

(a) *Ord. Polit. de anno* MDLXXVII. *Tit. XIX.*

niglich dem armen Mann in der Noth, und damit er ſeine Güther deſto ſtattlicher erbauen, auch ſonſt mit andrer Nothdurfft ſich erhalten möge, auf Wein-Früchte und anderes fürzuleyhen oder zuvorausgeben anders und mehres nit, als auf dem Schlag und gemeinen Kauff, was nemlich der Wein oder Getreyd zu Zeit des Contracts oder aber 14 *Tage die nächſten nach dem Herbſt oder Erndten gelten wird, beſchehe. Woferne aber hinführo durch iemand anders, denn ietzt obermeldt gehandelt und hierin einiger Vortheil, Argeliſt, Gefahr oder Betrug gebrauchet würde; ſo wollen wir hiermit ernſtlich, daſs ſolcher Abkäuffer oder Ausleyher die Hauptſumma verlohren, und darzu von der Obrigkeit, ob auch gleich der arme Mann nit klaget ex officio nach Geſtalt und Gelegenheit der Sachen an Ehren und Gut geſtraffet werden ſoll.* Quam conſtitutionem ex cauſſa iuſta & reipublicae vtili latam ac proinde ſaluberrimam ita ſibi poſtea habuerunt commendatam principes & ſtatus imperii, vt illam ſuis legibus (b) paſſim confirmarint.

§. XVII.

Aliarum gentium leges ſimiles.

Quin tam aequa tamque reipublicae ſalutaris eſt haec ſanctio, vt non mirum videatur, etiam alias gentes, quibus ſalus populi ſuprema lex eſt, ſimilibus conſtitutionibus proſpicere voluiſſe miſeris agricolis, iiſque veluti praeſidium quoddam circumpoſuiſſe aduerſus eorum fraudes, qui alieno ſudore ac veluti ſanguine viuere ſuauiſſimum ducunt. Saltim in Gallia frumentorum immaturorum ſeu in viridi emtionem variis conſtitutionibus prohibitam eſſe animaduerto. Conſtitutione Regia LVDOVICI XI. hoc primo ſancitum (c), quam poſtea a FRANCISCO I. renouatam firmatamque eſſe (d) relatum legimus apud CHOPPINVM (e). Hanc

(b) Idem prohibitum in Ordinat. Polit. Iuliac. *Rubr. keine Früchte ſo auf dem Feldeſtehen &c.* vbi poena confiſcationis & mulctae in transgreſſores ſtatuta. Cui accedit Ordinat. Prouinc. Bauarica *Tit. XIII. Von Beſchlagung der Früchte auf den Halmen.* Magdeburgica *cap.* 50. Würtenbergica *Tit.* VI. & *Reſcriptum generale nouiſſ. de anno* 1692. *d.* 5. *Decembr.* Badenſis *Part.* V. *Tit.* III. & Ducatus Bremenſis *von wucherlichen Contracten.* Cellenſis *cap.* 4. vbi etiam latius explicatur, quid ſub voce frugum in ariſtis extantium intelligatur. vid. Kreſſ. *de Priuilegiis agriculturae apud Germanos Sect. II.* §. 17.

(c) *anno* 1481. *Menſe Iulii.*

(d) *per edictum de anno* 1544. *d.* 25. *Nouembr.*

(e) Choppin. *de Priuilegiis ruſticorum Lib.* II. *cap.* 5.

enim negotiationem reipublicae pernicioſam eſſe reputabant legiſlatores, dum alteruter, aut emtor, aut venditor periculum hoc modo incurrere poſſet, emtor ſcilicet, ſi non metat, ſed prius pereant fructus, quam metantur, aut longe minore pretio veneant poſt meſſem, quam quo in herbis ſunt aeſtimati; venditor contra, ſi modica pecunia fructus in herbis vendiderit emtori, quos poſt meſſem multo maiore pretio vendere potuiſſet. Emtoris quidem ad fauorem has conſtitutiones non pertinere, cenſet CAROLVS MOLINAEVS (f), rationem tantum haberi exiſtimans venditorum ruſticorum, qui facile alliciantur modica praeſenti pecunia oblata ad vendendam ſpem meſſis futurae, idque faciant tanto viliori pretio, quanto adhuc ſpes meſſis incertior pluribus quoque caſibus ſit obnoxia. Cui adſtipulatur THOLOSANVS (g): *Effecit*, inquiens, *nimia habendi cupiditas aliquorum, vt lex fieret ad intercipiendas fraudes negotiatorum, ne fructus in herba, antequam matureſcerent, emerentur, quae a Carolo Magno Tit. de prohibitione alienationis futurorum fructuum Lib. II. Legum Longobardorum primum lata; deinceps a Ludouico XI. & ſubinde a Franciſco I. huius nominis Rege repetita.* Et hanc quoque ſpeciem alienationis fructuum herbeſcentium Friſios inter ea, quae venire prohibentur, retuliſſe commemorat HVBERVS (h); dum apud illos edictum, in leges Friſicas relatum eſt (i), quod ita ſe habet: *Alle verkoopen ende Contracten van Granen by Laſten te leveren eer dieſelve ghezaeyt zün, ofte weſende noch in den Aren ende waſſende ſullen weſen null van onwaerden ende ghoaboleert* (k). Varia quidem olim in hanc rem ab Hollandiae Comitibus etiam promulgata fuerunt edicta, ſed illa vſu fuiſſe abolita, & ius Romanum tum in Hollandia tum Vltraiecti ſeruari docent GROENWEGEN (l) & PAVLVS VOETIVS (m).

§. XVIII.

(f) Carol. Molinaeus *in Tr. Commercior. & vſurar. n.* 470.

(g) Tholoſanus *Syntagm. iur. vniuerſ. Lib. XXV. cap.* 6.

(h) Huber. *Praelection. Iur. Ciu. Tit. de contrah. emt.* §. 10.

(i) *anno* 1531. *d.* 23. *Septembr.*

(k) Ioh. a Sande *Theatrum practicum Lib.* III. *Tit.* IIII. *Def.* 7.

(l) Groenweg. *ad l.* 78. §. *fin. de contrah. emt.*

(m) Paul. Voetius *ad pr. Inſt. de emt. vendit. n.* 7.

§. XVIII.

Conſtitutionum emtioni futurorum fructuum oppoſitarum ratio.

Et haec quidem prohibitio iuſtiſſimis omnino nititur rationibus. Nam primo pauperum facilitate abutebantur homines callidi & hinc cupidi, vt ex hoc negotio magnum, expilatis pauperibus ruſticis, facerent quaeſtum, & ex aliorum ſimplicitate fructum turpiſſimum caperent. Deinde iſta venditio inſignem conſtituit vſurariae prauitatis ſpeciem, quae omnino lege fuit coercenda, ne inpoſterum frumentum in herba a creditoribus, modicum pecuniae in illius ſpem credentibus interciperetur. Quod etiam cum aliis (n) obſeruat IOH. COPVS (o), qui huius interdicti triplicem reddit rationem. Primo, ne, ſi frumenta, quae in herbis ſunt, emere liceret, hac occaſione oneraretur annona, cariorque ab iis redderetur, qui frumenta ſic emta ſupprimerent & aequis pretiis vendere nollent. Deinde ne inopes agricolae contenti modico praeſenti ſpem laetiſſimarum ſegetum amitterent, & ad extremam inopiam redigerentur, quum frumentis in herba venditis nihil haberent, vnde ſe ipſos, vxorem, liberos & familiam alerent. Poſtremo vt foeneratorum calliditati obuiam iretur, qui modica pecunia data maximam frumenti quantitatem acciperent. Quamquam autem COPVS exiſtimat, hoc interdictum potiſſimum intelligendum eſſe de eo caſu, ſi certum ſit, maiorem eſſe frumenti naſcituri, quam pecuniae datae, aeſtimationem, non vero ſi incertum ſit, quanti meſſis tempore frumentum futurum ſit, vel ſi nulla coniectura colligi poſſit, fore, vt venditio haec in vſurariae prauitatis ſpeciem incideret: recte tamen obſeruauit ZIEGLERVS (p), nulla huiuſmodi concurrente ſuſpicione vſurariae prauitatis vim legis iſtius prohibitiuae non illico ceſſare, quippe quae eiuſmodi contractum non tantum propter foenus ſperatum aut exſpectatum infringit, ſed & potiſſimum propter periculum deceptionis, qua agricolae facile inducuntur, vt ſpem futurae meſſis tanto viliori vendant pretio, quanto incertior pluribuſque caſibus obnoxia eſt anni vbertas. Inde etiam leges Imperii non attendunt ad ſpem futurae meſſis incertam, pretiumque de praeſenti incertum, ſed ad frau-

(n) Boer. *Deciſ.* 296. *n.* 7. Rodericus *de annuis & menſtr. reditibus Lib. I. Quaeſt.* 12. *n.* 38.

(o) Ioh. Copus *de fructibus Lib. I. Tit. III. cap.* 5.

(p) Ziegler *de Iuribus Maieſtatis Lib. I. cap.* 41. *§.* 65.

fraudes & technas ementium; vt perſpicue oſtendunt verba : *Wo aber anders, denn izt obvermeldet, gehandelt, und hierinnen einiger Vortheil, Argeliſt, Gefahr oder Betrug gebraucht : ſo wollen wir hiermit ernſtlich, daſs ſolcher Abkäuffer oder Ausleyher die Hauptſumma verlohren, und dazu von der Obrigkeit, nach Geſtalt und Gelegenheit der Sachen geſtrafft werden ſoll.*]

§. XVIIII.

Sanctio poenalis addita, & quando ei locus ſit?

Grauiſſima quidem, ſed ſancta eſt poena in eos, qui hanc legem effugiunt. Ex quibus RECESSVS verbis ſimul diſcimus, quae poena immineat iis, quos ſaluberrima illa totius imperii ſanctio non abſterreat a negotiatione illa turpiſſima. Cautum enim animaduertimus, vt horum hominum malitia amiſſione dati pretii poenaque extraordinaria, iudicis officio etiam non implorato ſtatuenda coerceatur (q). Gliſcente nimirum malo non ſolum iuſta, ſed etiam neceſſaria fuit cauſſa hoc ſordidum negotium in vniuerſum poenali ſanctione prohibendi, dignaque res viſa eſt cura imperii, vt non tantum vſurariae prauitati, ſed & damnis ex huiuſmodi contractibus inconſultis miſerae agricolarum nationi imminentibus obex poneretur, & per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellerentur, & agricolis ſaluum eſſet lucrum diuina benedictione conceſſum. Attamen per has leges liberum cuique manet emere & vendere fructus immaturos, vel mutuo dare agricolae pecuniam, modo ſolutionis loco abſque omni fraude & dolo praeſtentur fructus tanto pretio, quanto tempore contractus vel poſt meſſem in foro venditur, non autem viliori. Quum enim hanc prohibitionem contra fraudes mercatorum inuentam eſſe adpareat, vnuſquiſque facile intelliget hanc venditionem, ſi iuſtum pretium ſtatuatur frumento herbeſcenti, non eſſe irritam; quod multo magis dicendum, ſi fiat ſub haſta, modo iuſta praecedat aeſtimatio. Vnde ſancitum deprehendimus in Ordinatione Concurſus Pruſſica (r) : *Im Fall bey einem zu taxirenden Gut auch die beſtelte Winter oder Sommer-Saat mit verkauffet vverden ſoll, vvird ſelbige beſonders taxiret;*

(q) Receſſ. Imperii *de anno* 1577. *Tit. XIX.* §. 3. Brunnemann. *ad l.* 8. *D. de contr. emt. n.* 3. Stryck. *Diſſ. de Dardanar. cap. II. n.* 21. *ſequ.*

(r) *Adpend. ad* §. 61. *lit. g.* §. 13. *pag.* 198.

ret, und das ausgeſäete Getreyde nach dem zur zeit der geſchehenen Ausſaat marckgängigen Preiſe angeſetzet, und für die Beſtellung, nachdem es zvvey oder dreyfährig beſtellet, die Fahre iedes Orts landüblich angeſchlagen. Ex quibus perſpicue liquet, tunc omnem abeſſe laeſionem, dum non tantum iuſtum frumenti pretium conſtituitur, ſed etiam curae & culturae ratio habetur, ne vel hac defraudentur agricolae.

§. XX.

An & ad alios caſus extendi poſſit haec prohibitio.

Sub finem quaeri poteſt, an praeter frumenta & vindemias ad alios etiam fructus proferri poſſit haec prohibitio? Idque ego quidem adfirmare non dubito. Quamuis enim hae imperii conſtitutiones iuri communi derogent (s), & huiusmodi iurium ea ſit natura ac indoles, vt ad caſus ſimiles non extendantur: immo potius, quum imperium ſolos hos fructus excipiat, haec exceptio regulam in caſibus minus exceptis firmare videatur, praeterea experientia doceat, fructus arborum etiam immaturos hodie impune vendi: ſunt tamen plures ac multo maioris ponderis rationes, quae legem hanc ex intentione legislatorum & ad alios fructus proferendam eſſe, ſuadent. Primo enim id patet ex verbis RECESSVS AVGVSTANI: *Auf ihren Saamen, ſo noch auf dem Felde ſtehet, auch den Wein an den Stöcken, und andere ihre Früchte, Arbeit und Viehe Geld, oder ein anders hinaus gelichen:* & paucis interiectis: *Auf Wein-Früchte und anderes.* Deinde ipſae illae rationes, ob quas venditio illa iure Germanico prohibita eſt, non minus aliis fructibus rebusque promercalibus, quibus venditis, qui ruri viuunt, pecuniam conficere ſolent, omnino quadrant: & certiſſimum ſane eſt, non minus ad incitas redactum iri ruſticos vitulos, agnos, hinnulos futuros, itemque lac, caſeum, butyrum ſimiliaque nondum confecta modico pretio vendentes, quam ſi fructus herbeſcentes in agris venales habeant. Neque obſtat, iuri communi derogare has conſtitutiones. Inde enim non ſequitur, vt proferri non poſſint ad caſus ſimiles, ipſa lege expreſſos, ſed vt ad alias diuerſas ſpecies non ſint exten-

(s) *l.* 25. *D. de action. emti.* Exemplum venditae vindemiae pendentis eſt apud Plin. *Hiſtor. Nat. Lib.* XIV. *Cap.* 4. quocum iungendus Plinius Iunior Lib. VIII. Epiſt. II. *Vendideram*, inquiens, *vindemias, certatim negotiatoribus ementibus.*

extendendae. Tunc enim vere dici poteſt, exceptionem firmare regulam in caſibus non exceptis. Denique mos quidem in hoc terrarum tractu inualuit, vt fructus arborum etiam immaturi veneant: ſed magis inter ciues ac municipes, quam inter ruſticos. Et ſi hi adhuc impune id fecerunt, non ideo legis publicae periit auctoritas, ſed vigor tantum magiſtratuum incuria, vti fieri ſolet, elanguit. Sed vt chartae temporisque rationem habeam, hic quidem diſſertationi finem impono, Deoque O. M. pro ſuffectis viribus ſtudiisque meis benedictione ſua clementiſſime ſubleuatis gratias immortales pia mente perſoluo.

Digitized by Google

DE DOMINIS, SVBDITOS SVOS IN IVDICIO SVO CONVENIENTIBVS.

EXERCITATIO XXXV.

§. I. *Inſtituti ratio, & partitio diſſertationis.* §. II. *Teſtimonia de conſuetudine ſubditos in iudicio ſuo conueniendi, in vniuerſa Germania recepta.* §. III. *In primis in Saxonia, Ducatu Magdeburgico & principatu Hennebergico.* §. IV. *Nec non in Marchia, terris Pomeranicis & Holſatia.* §. V. *In Weſtphalia, Alſatia & Germania ſuperiore.* §. VI. *Denique in Italia, Gallia & Lotharingia.* §. VII. *Conſuetudini huic obſtare videtur* 1. *recta ratio.* §. VIII. *Idemque* 2. *ius Romanum, quod voluntariae tantum iuriſdictionis actus in cauſſa propria explicari patitur.* §. IX. *Non autem contentioſam.* §. X. *Quam late apud Romanos patuerit haec prohibitio?* §. XI. *An quidam iuris Romani textus huic conſuetudini faueant?* §. XII. *An a principibus argumentum duci poſſit ad reliquos dominos,* §. XIII. *Probatur, hanc iurisdictionem nec iuri naturae repugnare,* §. XIV. *Nec iuri ciuili.* §. XV. *Eius origo a ſtatu ſubditorum ſeruili, & herili dominorum poteſtate repetenda eſt.* §. XVI. *Cur & ceſſante paſſim ſeruili ruſticorum conditione haec conſuetudo permanſerit?* §. XVII. *Quinam poſſint alios apud ſe ipſos conuenire?* §. XVIII. *An ipſe dominus cognoſcere & iudicare poſſit?* §. XVIIII. *De quibus cauſſis huiuſmodi iudicio locus ſit?* §. XX. *An cauſſa a ſuperiore iudice pro lubitu auocari poſſit?* §. XXI. *Id iure fit, ſi turbulenter & nulliter procedat iuſtitiarius.* §. XXII. *An ipſi iuſtitiario ſententiam ferre liceat?* §. XXIII. *A ſententia iuſtitiarii ſemper locus eſt adpellationi.* §. XXIIII. *Concluſio Diſſertationis.*

Digitized by Google

§. I.

Inſtituti ratio & partitio diſſertationis.

Diuerſam admodum eſſe Romanae ac Germanicae iuriſdictionis faciem, eoſque, qui hanc ex Romanorum legibus aeſtimandam cenſent, magnopere falli ac decipi, hodie inter omnes, rerum forenſium paullo peritiores, conſtare arbitramur. Siue enim perſonas, quibus apud nos iuris dicundi poteſtas eſt, ſiue ipſam litigandi iudicandique rationem atque ordinem, ſiue diuerſas, quas vocant, inſtantias paullo accuratius conſideremus: adeo nihil prope Romani moris in foris noſtris occurrit, vt viri doctiſſimi Germanos, recepta etiam iuriſprudentia Romana, litigandi ordinem non ex iure Iuſtinianeo, ſed partim ex iure canonico & eccleſiaſtico deſumſiſſe (a), partim ex priſcis moribus patriis retinuiſſe (b) fateantur. Prius iam a multis accurate ac ſolidiſſime demonſtratum eſſe, nouimus. Poſterius hac occaſione, qua quaedam meditationes, ſpeciminis inauguralis loco futurae, more maiorum edendae ſunt, illuſtri quodam ac luculento exemplo oſtendere conſtituimus. Quum enim in Germania paſſim in mores iuerit, vt DOMINI, qui iuriſdictione patrimoniali gaudent, SVBDITOS ſuos, fraena mordentes, penſioneſque & operas ſibi proterue denegantes, in IVDICIIS SVIS prius, quam res ad ſuperiores curias deuoluatur, CONVENIANT: videmur nobis facturi operae pretium, ſi de ea veterum Germanorum conſuetudine quaedam diſſeruerimus. Quod a nobis eo fiet ordine, vt *primum* non ignotam Germanis eſſe hanc iuris dicundi rationem, oſtendamus: *deinde* eam cum iuris tum naturalis, tum Romani principiis comparemus, &, an ſimile quid viderit orbis Romanus, diſpiciamus: *denique* inquiramus in eius origines, &, quid iuſtum ſit circa illam iuris in cauſſis propriis dicundi poteſtatem, breuiter & omnibus miſſis ambagibus, explicemus. Quod vt bene vertat Deus, ex animo precamur.

§. II.

Teſtimonia de conſuetudine ſubditos

De more illo dominorum ſubditos ſuos apud ſe ipſos in ius vocandi teſtantur viri doctiſſimi, & ita quidem, vt illum non in vna alteraue prouincia, ſed in vniuerſa Germania, perpetuo ac conſtante

(a) Rhetius *de auctoritate iuris can. inter Aug. Conf. conſort.* Linck. *ad Decretal. proleg.* p. 33. Ritterſhuſ. *different. iur. ciu. & can. proleg. extr.*

(b) Dn. Praeſ. *Element. iur. Germ. toto libro III.*

ſtante vſu receptum eſſe, adfirment. Sane CASP. ZIEGLERVS (c), *non ſolum Nobiles ſuos ruſticos & ſubditos coram propriis officialibus, praetoribus, ſcabinis, & praefectis, iudicio pulſare, & in* PROPRIO INTERESSE *ibi conuenire poſſe,* fatetur, ſed & ſtatim addit: *hanc generalem in Romano Imperio* CONSVETVDINEM *exſtare.* Idem repetit IO. SCHILTERVS (d), qui hanc nobilium iurisdictionem in cauſſis propriis ita deſcribit: *Altera praedictae regulae limitatio eſt, quod ad landſaſſios & omnes, qui habent iurisdictionem hereditariam, vt ita in propria cauſſa exercere poſſint iurisdictionem contra ſubditos ſuos, actoris partis agendo, ſi conueniunt reos coram officiali ſuo, praetore & ſcabinis, qui proceſſum dirigant, & actis ad collegium IC. transmiſſis ſententiam petant: quae* GENERALIS *eſt* GERMANIAE CONSVETVDO. Quae quidem & apud alios, vt fit, verbis paene totidem occurrunt, vt plura huiusmodi adferre teſtimonia vix neceſſarium videatur. *in iudicio ſuo conueniendi in vniuerſa Germania recepta.*

§. III.

Tametſi vero doctoribus de conſuetudine teſtantibus, fidem eſſe habendam vulgo cenſeant (e): neſcio tamen, annon ſibi nimium ſumant, qui de conſuetudine totius Germaniae teſtimonium perhibere audent, quum plerumque ex patriae ſuae moribus aeſtimare ſoleant alias prouincias, &, quod ciuibus ſuis placere animaduertunt, id nulli alii diſplicere poſſe, praecipiti iudicio exiſtiment. Quare operae pretium fuerit, illam Germaniae conſuetudinem paullo accuratius demonſtrare. Et primo quidem de SAXONIA electorali dubitare nos haud patiuntur non modo tot doctores Saxonum (f), verum etiam ipſae leges publicae, inter quas ORDIN. PROCESSVS (g) ita ſancit: *Ob wir auch wol geſchehen laſſen können, daſs dieienigen, ſo mit Gerichten von uns beliehen, wie bishero, alſo hinführo, ſich deren gebührlich brauchen, und vor denenſelben ihre Vnterthanen rechtlich belangen mögen: Dieweil aber in ſolchen Occaſionen* cetera. Cui legi in emendatiore proceſſus ordinatione nihil vel derogatum, vel ſurrogatum eſſe, obſeruamus. Similiter quae ea de re ſancit ORD. PROC. MAGDEBVRG. *In primis in Saxonia, Ducatu Magdeburgico & Principatu Hennebergico.*

(c) Ziegl. *commun. concluſ. ad aur. prax. Nic. Caluoli* §. *Nobilis n.* 17. *p.* 117.

(d) Schilt. *Exerc. VI.* §. 16.

(e) Ant. Coraſ. *comm. opin. I.* Socin. *conſil. CLXV. n.* 16. *Lib. II.* Weſenbec. *conſil. T. I. conſ.* 13. *n.* 98.

(f) Dan. Môller *ad Conſtit. elect. XXIII. P. II. n.* 15. Zanger *de Except. P. II. C. I. n.* 408. Carpz. *L. I. Reſp.* LXXXVII. *n.* 21. *ſequ. L. II. Reſp. XIIII. n.* 8. & *in proceſſ. Tit.* III. *art. IV. n.* 103. *ſequ.* Berger. *Oecon. Iur. Lib. III. tit. II. p.* 914.

(g) Proceſſ. Saxon. *tit. II.* §. 3.

BVRG. (h) In noua ac recognita ORDINATIONE mutata non eſſe, deprehendimus. Cautum vero eſt, *daſs denen von Adel und Räthen in Städten, ſo die Gerichte zu exerciren haben, vvenn der Gerichts-Vervvalter und Actuarius, oder Notarius in Beyſeyn der Bürger und Vnterthanen zu denen Gerichten öffentlich vereydet, vor denenſelben ihre eigene Sachen vvieder die Bürger und Vnterthanen zu klagen unbenommen bleibe.* Neque aliter ſeſe res habet in Franconia. Saltim de tractu Hennebergico mihi retulit PRAESES, ſibi oblata eſſe acta publica, ex quibus intellexerit, nobilem ibi aduerſus ſubditos quosdam, laudemium *(das Erb-Hand-Lohn)* ſibi denegantes, egiſſe in iudicio ſuo, (*vor der Adelichen Voigtey*) & obtinuiſſe ſententiam, poſtea a Dominis Lipſienſibus firmatam, qua in quaſi poſſeſſione iſtius iuris exigendi laudemium fuerit defenſus. Prouocantibus porro reis ad ſupremam curiam, (*an die Fürſtl. Regierung*) & iam in petitorio experientibus actione negatoria, & reliquis ſubditis, tamquam in communi cauſſa, interuenientibus, pronunciatum eſſe ab Erfurtenſibus Iurisconſultis: *daſs Beklagter vor der Fürſtl. Regierung ſich einzulaſſen nicht ſchuldig, ſondern die Sache an vorige Inſtantz zu verweiſen.* Et quamuis eam ſententiam poſtea, interpoſita leuteratione, reformarint Domini Ienenſes, procul dubio tamen Nobilem ſperare potuiſſe ſententiam reformatoriam, niſi, pertaeſus litium, remedio aliquo vti noluiſſet.

§. IIII.

Nec non in Marchia, terris Pomeranicis & Holſatia.

Ne vero quis in ſola Saxonia, viciniſque terrarum tractibus, huic conſuetudini locum eſſe exiſtimet: eamdem & in Marchia Brandenburgica iam olim inoleuiſſe, teſtis eſt IO. BRVNNEMANNVS (i), cuius hic ipſa verba adducere iuuat: *Nobiles etiam ſubditos ſuos coram officiali ſuo conuenire poſſe, praeiudiciis firmat* BERLICHIVS (k) *& auctores refert plures. Sic conſuetudo eſt in Marchia, vt domini ſubditos ſuos, ob non praeſtitas operas, & alia, caſtigare poſſint. Ita deciſum in Camera Brandeb. in cauſſa Ottonis Crabmann & Hans Röbeln, anno MDC mittewochen nach miſericordias Domini, his verbis: Wann der Krüger die Pächte zu rechter Zeit nicht abgiebet, mag ihm der von Röbel, wie desfals des Landes Gebrauch mitbringet, ſelbſt gebührlich verhelffen.* Sed & de terris Germanicis Suecico regno ceſſis, viciniſque prouinciis,

(h) Ord. Proceſſ. Magdeb. *cap. I. §. 7.*
(i) Brunnem. *ad l. 10. de iuriſd. n. 6.*
(k) Berlich. *Deciſ. VIIII. n. 9.*

ciis, idem adfirmat DAV. MEVIVS (l), ex quo ſimul patet, ſecundum eam conſuetudinem pronunciare non dubitaſſe ſupremum, quod Wismariae floret, Tribunal. Ait enim vir rerum forenſium peritiſſimus: *Ea conſuetudo inter nobiles obſeruatur, vt, quando cum ruſticis vel ſubditis ſuis res eſt, ad alium iudicem ire non cogantur, ſed ipſi ius dicant, ſi res notoria, vel leuis momenti vel praeiudicii ſit, per ſemet ipſos, aut ſi grauior cauſſa ſit, per conſtitutum iudicium, a quo ſuſpicio abſit.* Quibus verbis hanc adnotationem ſubiungit: *Eam obſeruantiam in vicinis terris per infinita exempla reperi, ſicut &, quum ſubditus a iudice domino cauſſam deriuare voluit, nullo alio, quam quod propria illius eſſet, adlegato, non auditum fuiſſe, niſi iniuſtitiam aliunde argueret.* Inter quas vicinas terras procul dubio etiam eſt Holſatia, de qua ORDINAT. PROVINC. Ducatuum Sleſuic. & Holſatici (m): *Hätte auch ein Amtmann wegen ſeines Herrn, ein Praelat, oder einer von Adel einen Ambts-Vnterthan, oder ſeiner eigenen Leute mit Rechte zu verſprechen, den ſoll er mit der That nicht beſchvveren, ſondern ihm* DING *und* RECHT LEGEN, *und ſoll ieder von beyden Theilen, der ſich der Urthel beſchvveren thut, von denſelbigen Ding, nach alter Gevvonheit, und vvie obberühret, ſich zu beruffen haben.* Vt adeo nullum ſit dubium, quin hoc ius a Saxonia ad mare Balthicum vſque vbique vigeat, neque domini in toto illo tractu colonos & ſubditos ſuos apud ſe conuenire prohibeantur.

§. V.

Eodem pertinere arbitramur iurisdictionem colonariam, quam paſſim in Weſtphalia ſupereſſe, docet HERM. ADOLPH. MEINDERS. (n) Eius enim participes olim vbique homines proprios ſine praeſcitu officialium, nec implorato iudicum officio, domi ſuae & apud ſe ipſos conuenire, & carcere, ſi officium non facerent, coercere potuiſſe, oſtendit. Quamuis vero ſub finem ſaeculi decimi ſexti, eam iurisdictionem, tamquam a iure communi exorbitantem, dominis in comitatu Rauensbergico adimendam cenſeret Dux Cliuiae: non tamen inter grauamina de hac priſtini iuris ſui iactura conqueri deſiit ordo equeſtris, donec illis anno MDCLIII eam iurisdictionem, ſed quodammodo reſtrictam, reſtituit

In Weſtphalia, Alſatia & Germania ſuperiore.

(l) Meuius *Part.* VIII. *Deciſ.* 198. *n.* 6.

(m) Reuidirte Landgerichts-Ordnung *Part. I. tit. III.* §. *II.*

(n) Meinders *de iuriſdict. colonar. Diſſ. I. p.* 84. *ſequ.*

tuit FRIDRICVS GVILLELMVS, Elector Brandeburgicus, addita comminatione: *Solten ſie aber dieſe gnädigſte Zulaſſung zur Vngebühr, und vviederrechtlich, oder auch in anderen ſtraffbaren Fällen, und delictis, ſiue maioribus, ſiue minoribus gebrauchen vvollen: vvürden ſeine Churfürſtl. Durchl. vvieder die Verbrechere, und die, ſo dieſe Churfürſtl. Gnade miſsbrauchen vvürden, mit Aufhebung derſelben verfahren laſſen* (o). Quum vero haec teſtimonia tantum ad inferiorem Germaniam pertineant: ex ſuperiore etiam exemplum adiicere iuuabit. Exſtat IO. SCHILTERI diſſertatio de curiis dominicalibus, quales non modo in Alſatia, verum etiam per Alamanniam, plures occurrunt. Earum ius in iuriſdictione conſiſtere, ait auctor doctiſſimus, & tali quidem, quae domino directo vna cum hubariis ſuis in cauſſis emphyteuticis praediorum, ad curiam emphyteuticariam ſeu dominicalem pertinentium, competat. (p) Obſeruat autem porro (q), in iudicio hoc non ſolum hubariis inter ſe de praedio emphyteuticario litigantibus, verum etiam ipſi domino, emphyteutas ſuos conuenienti, ius dici ſolere. Hinc vbi de obiecto huius iuriſdictionis differit, illud ita deſcribit (r): *Cauſſas, ad curias illas dominicales pertinentes melioris doctrinae gratia, duplices facimus, quaedam enim earum pertinent ad* IVS DOMINI, *quaedam vero ad ius hubariorum ſeu emphyteutarum, pro ratione ſcilicet vtilis ipſis competentis dominii. In primis itaque ad obiectum curiarum dominicalium ſeu iurisdictionis huius dominicalis vel emphyteuticae pertinent cauſſae, circa emphyteuſes, vel curias dominicales ortae, v. g. ſi ſubeſſe recuſant domo dominicali, ſi alienae ſe ſubiicere volunt iurisdictioni, itemque ſi hubarii inter ſe ratione hubarum quidquam habent diſſidii.* Vt adeo dubitare non liceat, quin & in ſuperiore Germania non ignota ſit illa dominorum in cauſſis propriis iuriſdictio.

§. VI.

Denique in Italia, Gallia & Lotharingia.

Sed haec quidem exemplorum loco adferre placuit, vt hanc iurisdictionem paſſim in Germania vigere, oſtenderemus. Omnium enim prouinciarum ſtatuta & leges, ipſarumque cauſſarum iudicatarum grandia volumina euoluere nec vacat, nec lubet. Id modo obſeruamus, de huius iurisdictionis, vere Germanicae, vſu

(o) *Ibidem p. 90. ſequ.*
(p) Schilter *de curiis dominical.* §. XI. *p.* 554.
(q) *Ibid.* §. XV. *p.* 556.
(r) *Ibid.* §. XXII. *p.* 565.

Digitized by

vſu adeo non eſſe dubitandum, vt & extra Germaniam, vbicunque nouas ſedes quaeſiuerunt, potentiſſimaque regna conſtituerunt gentes Germanicae, expreſſiſſima ſuperſunt huius conſuetudinis veſtigia. In Italia ſane eius iam ſaeculo XIIII. meminit OLDRADVS DE PONTE (s), & ſaeculo XV. ALEXAND. TARTAGNVS, (t) quorum ille hanc iurisdictionem ne probatione quidem indigere ſtatuit, quippe & ſatis in Italia notam, & ab omnibus Iurisconſultis agnitam atque adprobatam. Sed nuſquam terrarum ea conſuetudo frequentior, quam in Gallia, vbi notiſſima eſt iurisdictio *très-foncière, cenſuelle ou cenſière, juſtice domaniaire,* quam alii FONCERIAM, alii FVNDALEM, alii PRAEDIARIAM, alii SOLARIAM vocare ſolent (u). De ea nihil fere, quod ad rem faciat, habet incomparabile GLOSSARIVM CANGII (x), praeter haec pauciſſima: FONSSERIA IVSTITIA, Gall. *juſtice foncière, iurisdictio minor, inermis. Tabularium S. Cornelii Compendienſis: Ipſos religioſos ius habere percipiendi in dicta villa de Compendio in eorum terra & iuſtitia fonſſeria ius foragii.* Nos ex I. N. HONTHEMII ſingulari diſſertatione, ea de iurisdictione ſcripta (y), nec non LONGOVALLIO (z), IO. PAPONIO (a), CAR. MOLINAEO (b), & reliquis conſuetudinum Gallicarum (c) interpretibus, diſcimus, iurisdictionem fonceriam ſeu fundalem alibi reſtrictiorem eſſe, alibi latius patere, ac in Lotharingia inprimis, vti eleganter oſtendit laudatus HONTHEMIVS, ad omnes cauſas & actiones reales porrigi: at potiſſimum tamen ad id eſſe comparatam, vt domini cenſuales ſubditos ſuos adigere poſſint ad cenſus alioſque reditus ſibi ſine mora praeſtandos. Atque adeo dubitari non poteſt, quin & in Gallia, & in Lotharingia, & in ducatu Luxemburgico, & in ipſo archiepiſcopatu Treuirenſi, id fere quotidie contingat, vt domini ſubditos conueniant in iudiciis ſuis, ſi forte fraena mordere, vel domino iura ſua denegare in animum inducant.

§. VII.

(s) Oldrad. *Conſil. CCCII. n. 6. & 8.*

(t) Alexand. *Conſil.* XIIII. *n.* 10. *Vol.* VI.

(u) Dn. Praeſ. *Elem. iur. Germ. Lib.* III. §. *66. p. 419. ſequ.*

(x) Car. du Freſne *Gloſſar. med. & inf. Latinit. Tom. III. p. 556. edit. nou.*

(y) *Excerpta ex ea dedit* Illuſtr. Dn. Praeſ. *Elem. iur. Germ. d.* §. *66. in ſchol. p. 420. ſequ.*

(z) Io. Longouall. *de iuriſd. p. 3.*

(a) Io. Papon. *corp. iur. Franc. L.* VII. T. VII. §. 33. *p.* 242.

(b) Car. Molinaeus *Conſ. Pariſ. P. II. tit. II.* §. *73. p. 10. ſequ.*

(c) Io. Choppin. *conſuet. Andegau. L. I. C. I. p. 99. ſequ.*

§. VII.

Conſuetudini huic obſtare videtur 1. recta ratio.

Sic ſatis, opinor, demonſtratum eſt, eam conſuetudinem ſubditos in iudiciis ſuis conueniendi alibi quidem reſtrictiorem, alibi ſolutiorem eſſe, attamen tantum non ubique in Germania, immo & extra Germaniam paſſim, inoleuiſſe. Iam ſi eam cum iure illo, quod ipſa recta ratio inter omnes homines conſtituit, immo & cum Romano, quod ob aequitatem in Germania etiam recepimus, paullo accuratius contendamus: permulta profecto occurrent, quae huic iuriſdictioni dominorum in cauſſis propriis maxime obſtare videantur. Primo enim ex ipſo fine, ob quem iuris dicundi poteſtatem homines natura aequales admiſerunt, intelligitur, quod recte obſeruauit PHILO (d), eum, qui adſcenſurus ſit tribunal, praeditum eſſe oportere animo, *παντὸς ἀλόγου πάθους, καὶ πάσης κακίας ἀμετόχῳ, nullis perturbationibus, nullique malitiae obnoxio.* Niſi enim animo amoris, odii, irae, inuidiae, ſpei metuſque vacuo praemunitus iuris dicundi iudicandique partes quis ſuſcipiat: numquam vel cauſſam prudenter cognoſcet, vel ſuum cuique, pro eo ac decet, tribuet, nec ſatis conſtanti animo erit ad iudicata, nulla habita perſonarum ratione, exſequenda. Atqui pauciſſimi ita ſunt a natura formati, vt nec amore, nec odio, nec ſpe metuue, nec vlla animi perturbatione a regia iuſtitiae via ſe ſe abduci patiantur. Plerique mortales diro illi adfectuum imperio adeo ſubſunt per omnem vitam, vt facilius reperturus ſis ſexcentos iuris rerumque forenſium peritiſſimos, quam vnum

Iuſtum ac tenacem propoſiti virum;
Quem haud ciuium ardor, praua iubentium;
Nec vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida (e).

Quis ergo in tanta adfectuum intemperie ſperet, aliquem boni integrique iudicis officio rite functurum in cauſſis propriis, vel ad ſe ſaltim vllo modo pertinentibus? Quis non potius periculum eſſe intelligit, ne iudex leges tunc dormire, quam ex earum praeſcripto ſe ſuoſue damnare malit? Zaleuco, Locrenſium legiſlatori, nemo temere vel prudentiae, vel virtutis laudem, negauerit, quippe quem veteres inter *viros bonos ac honeſtos, quos Pythagorae diſciplina in Italia formarit*, referunt (f). Et tamen

(d) Philo *de iudice p. 718. oper.*
(e) Horat. *Lib. III. Carm. Ode 1. v. 1.*
(f) Diog. Laert. *Lib. VIII. Segm. 16.*

tamen quum tuliſſet legem de adulteris vtroque oculo priuandis, accuſato eius criminis filio, vnum oculum ſibi, alterum filio erui iuſſit, *ita debitum ſupplicii modum legi redditurus, vt ſe inter miſericordem patrem & iuſtum legislatorem partiretur* (g). Si ergo virum magnum & ſapientiae ſtudioſiſſimum, quem nullae fortaſſis tyrannorum minae peruertiſſent, ſolus amor, quo filium degenerem illum quidem, at filium tamen, complexus eſt, a conſtante illa ac perpetua ſuum cuique tribuendi voluntate dimouit: quis maiore religione ius dicturos eſſe credat dominos in cauſſis propriis, maxime quum eorum plurimi numquam fortaſſis de componendo emendandoque animo, adfectibuſque rationis imperio ſubiiciendis, ſerio cogitarint? an non potius in eos vel maxime cadere dixeris illud philoſophi (h): Σχεδὸν δὲ πλεῖστοι φαῦλοι κριταὶ περὶ τῶν οἰκείων. *Plerique fere mali ſunt iudices de rebus propriis.*

§. VIII.

2. Ius Rom. quod tantum voluntariae iuriſdictionis actus in cauſſa propria explicari patitur.

Deinde ſi ius Romanum conſulamus, eius conditores, homines profecto prudentiſſimos, & innatae illius omnibus mortalibus labis non ignaros, huic iuriſdictioni in cauſſis propriis non ſolum locum non conceſſiſſe in republica ſua, ſed & multas ſeueriſſimas ſanctiones ei oppoſuiſſe animaduertimus. Equidem, quum actuum voluntariorum ea ſit indoles, vt cum nullius hominis iniuria damnoue coniuncti eſſe poſſint, nulla etiam ratio ſubeſſe viſa eſt Romanis, cur eos a magiſtratibus in ſuis cauſſis explicari nollent. Hinc recte docet VLPIANVS (i), Praeſidem APVD SE & adoptare, & emancipare filium, & ſeruum manumittere poſſe. Recte etiam PAVLLVS (k) noſter monet, ſi conſul vel Praeſes filiusfamilias ſit, poſſe eum APVD SEMET IPSVM vel emancipari, vel in adoptionem dari. Addit MODESTINVS (l), fuiſſe hanc NERATII ſententiam: ſed tantum abeſt, vt hic iuriſconſultus ea in re ſententiam ſuam a reliquorum doctrina ſeiunxerit, vel ſcholae Proculianae κύριον δόγμα defenderit, vt potius VLPIANVS (m), qui in nullius verba magiſtri iurauerat, ac proinde inter erciſcundos, quos vocant, a pleriſque veluti ex

(g) Aelian. *Var. hiſt. lib.* XIII. *cap.* XXIII. Valer. Max. *Lib.* VI. *cap.* V. *exempl. ext.* 3.
(h) Ariſtot. *Polit. Lib.* III. *cap.* VI.
(i) *l.* 2. D. *de off. Praeſid.*
(k) *l.* 3. *D. de adopt. & emancip.*
(l) *l.* 4. *D. eod.*
(m) *l. vn.* §. 2. *D. de off. conſul.*

compacto refertur (n), *nullam ea de re dubitationem fuiſſe*, fatetur. Et ſane cum aliis iuriſconſultorum teſtimoniis (o), tum ipſius exemplo Auguſti Imp. id luculenter poteſt demonſtrari. Auctor enim eſt SVETONIVS (p), eum *Caium & Lucium adoptaſſe* DOMI *per aſſem & libram, emtos a patre.* Vir eximius, IS. CASAVBONVS (q), hunc locum, quod mireris, non intellexit, & hinc non parum ſe torſit, dum illud DOMI interpretari conatus eſt. *An* DOMI, inquit, *id eſt*, IN DOMVM *? ſicuti dici ſolet adoptare in domum & familiam ? vt* HVMI *ſaepe valet* IN HVMVM *? An potius haec vox a Tranquillo adiecta, vt id praeter conſuetudinem factum, indicaret ? Caius IC. titulo VI. Quae tamen mancipatio ſolebat ante praeſidem fieri, modo ante curiam facienda eſt.* Immo neutrum verum eſt. Domi enim ſuae adoptauit Auguſtus, id eſt, apud ſemet ipſum, ob proconſulare, quod ipſi ſeptennio ante, teſte DIONE CASSIO (r), in perpetuum a ſenatu tributum fuerat, imperium, probe gnarus, poſſe vnumquemque magiſtratum apud ſe ipſum adoptare. Tantum enim abeſt, vt hic quidquam praeter conſuetudinem facere voluerit, vt recte obſeruarit HENR. NORISIVS (s), eum, vt ciuilior, veterumque morum cuſtos videretur, in pueris illis adoptandis vetuſtum ritum per omnia retinuiſſe. Licebat ergo magiſtratibus tales actus apud ſe ipſos, & in propriis cauſſis explicare, quia nullius in praeiudicium vergebant. Simul ac vero cauſſae cognitione opus eſſe, exiſtimarent: tanta erat Romanorum religio, vt ne hos quidem actus in propria cauſſa explicare cuiquam permitterent. Hinc VLPIANVS (t) obſeruat, *ſi euenerit, vt minor viginti annis conſul ſit, eum apud ſe manumittere non poſſe, quum ipſe ſit, qui ex SC. conſilii cauſſam examinet: apud collegam autem, cauſſa probata, poſſe.* Quum enim lege Aelia Sentia, & condito ad hanc legem SCo, cautum eſſet, ne cui minori viginti annis aliter manumittere liceret, quam vindicta, apud conſilium, & cauſſa manumiſſionis probata (u): non videbatur ferendum, vt ipſe conſul viginti annis minor in re ſua cauſſam cognoſceret: quamuis, ex quo IVSTINIANVS

(n) Em. Merill. *Lib. I. obſ. cap.* VI. p. 12. Godofr. Maſcou. *de ſectis Sabinian. & Proculeian. cap.* VIII. §. 7. *n.* 2. *p.* 139.

(o) *l.* 1. *l.* 2. *D. de offic. praetor. l.* 1. *l.* 5. *l.* 18. §. 2. *D. de manumiſſ. vind.*

(p) Sueton. *Auguſt. cap.* LXIIII.

(q) Iſ. Caſaubon. *Not. ad Sueton. ibid.*

(r) Dio Caſſ. *Lib.* LIII. *p.* 518. *ſequ.*

(s) Noriſ. *Cenotaph. Piſan. diſſert.* II. *cap.* I. *p.* 84. *ſequ.*

(t) *l.* VII. §. 2. *D. de offic. conſ.*

(u) §. 4. *I. qui, & ex quibus cauſ. manum. l.* 4. §. *vlt. D. de manumiſſ. vind.*

NIANVS (x) illud legis Aeliae Sentiae caput ſuſtulit, conſulem, etiam viginti annis minorem, apud ſemetipſum manumittere potuiſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videatur.

§. VIIII.

Non autem iuriſdictionem contentioſam.

Aſt, quod ad contentioſam iuriſdictionem attinet, neminem patiebantur ſibi ſuiſue ius dicere veriti, ne ſui magis, quam legum, rationem habendam exiſtimaret. Hinc VLPIANVS (y): *Qui*, inquit, *iuriſdictioni praeeſt, neque ſibi ius dicere debet, neque vxori, vel liberis ſuis, neque libertis, vel ceteris, quos ſecum habet.* Adeo ergo a tali iuriſdictione abhorrebant Romani, vt prohibitionem non modo ad vxorem & liberos, verum etiam ad libertos, immo & ceteros, quos ſecum magiſtratus haberet, proferrent. At quinam illi? Vir eximius, GEORG. ADAM STRVVIVS (z), qui hanc legem ſingulari diſſertatione illuſtrauit, nos remittit ad fragmentum legis Corneliae de iniuriis (a), quo iudices ex ea lege eſſe prohibetur, *qui ei, qui agat, gener, ſocer, vitricus, priuignus, ſobrinusue ſint, propiusue eorum quemquam cognatione adfinitateue contingat, quiue eius parentisue cuius eorum patronus eſſet.* Sed praeterquam quod hic textus non ad magiſtratus, ius dicentes, ſed ad iudices pertinet: hanc interpretationem vix admittunt verba: *& ceteris, quos ſecum habet.* Potius ergo haec clauſula ad magiſtratuum, maxime prouincialium, familiam, id eſt, adſeſſores, cancellarios, domeſticos, de quibus ex inſtituto agunt SIGONIVS (b) & CVIACIVS (c), referenda eſt, quibus, tametſi nulla cognatione adfinitateue ſibi iunctis, ius dicere prohibebantur magiſtratus, quia eos non modo ab omnibus ſordibus, ſed & ab ipſa earum ſuſpicione abeſſe oportebat. Eadem ſeueritate quemquam in cauſſa ſua vel ius dicere, vel iudicare prohibet GRATIANVS Aug. (d) *generali lege decernens, neminem ſibi eſſe iudicem, vel ius ſibi dicere debere*, addita ratione, quae paullo plenior in CODICE THEODOSIANO (e), quam in IVSTINIANEO, legitur: *Quum enim omnibus in ſe propriam dicendi teſtimonii facultatem iura ſubmouerint: iniquum admodum eſt, licentiam tribuere ſenten-*

 tiae.

(x) §. *vlt. I. qui, & ex quib. cauſ. manum.* Nou. CXVIIII. *cap. II.*

(y) *l.* 10. D. *de iuriſdict.*

(z) Struu *diſſ. ad l.* 10. *D. de iuriſd. cap. III. p. 9.*

(a) *l. 5. pr. D. de iniur.*

(b) Car. Sigon. *de iure prouinc.* Lib. *II. cap. II.*

(c) Iac. Cuiac. *paratitl. Codic.* Lib. I. *tit.* LI. *p.* 86. *Tomo II. oper.*

(d) *l. vn. C. ne quis in ſua cauſ. iudicet.*

(e) *l. vn. C. Theod. eod.*

tiae. A teſtibus igitur ad iudices argumentum ducit Imperator; non tamquam a pari, vt dialectici loquuntur, ſed a maiori ad minus, quia, quum ne teſtis quidem aliquis admittendus ſit, in quem cadat amoris, vel odii ſuſpicio, multo minus admitti oporteat talem magiſtratum vel iudicem, maxime quum multo difficilius ſit alium teſtem, quam iudicem, reperire (f). Porro ex iuriſconſultorum veterum ſententia nihil intereſt, directe quis ſibi ſuiſue ius dicat vel iudicet, an indirecte & per conſequentiam, veluti ſi ex ſententia ſua vel compendii quid ſperet, vel metuat diſpendium. Hinc apud VLPIANVM (g) ait IVLIANVS: *Si alter ex litigatoribus iudicem ſolum heredem, vel ex parte, fecerit: alium iudicem neceſſario eſſe ſumendum: quia iniquum ſit, aliquem* SVAE REI *iudicem fieri.* SVAE REI, inquit, id eſt, *in rem ſuam.* Non magis enim aequum eſt, iudicare quemquam in rem ſuam, quam tutorem in rem ſuam patriſue auctorem fieri (h). Addimus poſtremo locum inſignem ZENONIS Imp. (i) Quamuis enim hic viros illuſtres, qui ſine adminiſtratione codicillis honorariis decorati eſſent, ea praerogatiua donaſſet, vt adſidere Conſtantinopoli poſſent in conſiſtorio principis: illico tamen addidit, *ſcire ipſos quoque debere, nec* DE SE, *nec* DE SVIS FACVLTATIBVS *iudicaturos aliquid, nec probatis criminibus, (niſi prius ad Imperatorem retulerint,) poſſe ſtatuere.* Sed nolumus plura accumulare teſtimonia, quum vel ex his paucis, quam iniqua ſemper Romanis illa in propriis cauſſis ius dicendi iudicandique facultas ſit viſa, ſatis ſuperque intelligamus.

§. X.

Quam late apud Romanos patuerit haec prohibitio?

Ceterum quum id principium, tamquam ex ipſa recta ratione depromtum, ſemel adſumſiſſent iuris auctores: non potuerunt non ex limpidiſſimo illo fonte plures concluſiones elegantiſſimas, ac veluti riuulos, deriuare. *Primo* enim quum eandem rationem eſſe animaduerterent arbitrorum & iudicum: recte inde collegerunt prudentes (k), ſi de re ſua quis factus ſit arbiter, eum ſententiam dicere non poſſe, vt ſe facere iubeat, aut

(f) Emeric. a Rosbach. *Proceſſ. tit. IIII. n. 61.* Caſp. Ziegl. *Dicaſtice concluſ.* XII. §. 4. *p.* 169.

[g] *l.* 17. *D. de iudic.*

(h) *l.* 1. *l.* 7. *pr.* §. 2. *D. de auct. tut.* & §. 3. *I. eod.*

(i) *l.* 3. §. 2. C. *vbi Senatores vel clariſſimi ciuiliter vel criminal. conueniantur.*

(k) *l.* 51. *D. de recept. arbitr.* Euerh. *Topic. leg. loco XXXX.* Caſp. Ziegler. *dicaſt. concl. XII.* §. 9. *p.* 172.

aut petere prohibeat: imperare enim ſibi, vel prohibere ſe ipſum, poſſe omnino neminem. *Deinde* CASP. ZIEGLERVS (l) contra FRANC. MILANENSEM, aliosque (m), recte defendit, regulam hanc locum habere, etiamſi morte ſoluta ſit adfinitas. Quamuis enim certum omnino ſit, eam apud Hebraeos, Graecos & Romanos fuiſſe indolem adfinitatis, vt ſoluto matrimonio exſpiraret (n), idque ex ipſis legibus noſtris ſatis eluceat (o): plerumque tamen, ſaltim ſi diuortium non interceſſerit, prior durat adfectio, immo & aliquando, ob liberos ex eo matrimonio ſuperſtites, intereſſe poteſt coniugis, cauſſa non cadere adfines, ſed victores foro excedere. *Praeterea* ob eamdem rationem a iure dicundo iudicandoque iure meritoque arcetur fideiuſſor, quamuis TIRAQVELLVS (p) & SIG. SCACCIA (q) eum admittere non dubitent. Quum enim idem tunc debeant reus & iudex, illoque ſuccumbente, ſi ſoluendo non ſit, ad hunc eatur: quis credat, damnatum iri reum a iudice, & non potius hunc operam daturum, vt tum ipſe, tum reus, communi periculo liberentur? Nec minus *porro* recte inde colligunt (r), a iure dicundo propriaeque cauſſae cognitione abſtinere debere magiſtratus, ſi vel maxime iudicum conſeſſus ſatis numeroſus ſit. Quamuis enim tunc ad plurium ſuffragia res redeat: acute tamen, vt ſolet, obſeruauit CELSVS, (s) *poſſe & vnius praeſentiam trahere ceteros ad ſuam ſententiam.* Ac proinde ſi vnius ex illo collegio cauſſa agitur, nihil aequius eſt, quam vt ille ſecedat tantiſper, dum eatur in ſuffragia, ne vel ipſa eius praeſentia ſententias dicendi libertati officiat. *Poſtremo*, quamuis in vita ciuili ſaepenumero contingat, vt vnus homo plures perſonas ſuſtineat (t): recte tamen obſeruauit ZIEGLERVS (u), diuerſum illum reſpectum nec mutare adfectionem, nec magis iudicem ſanctiorem reddere, quam ſi alia toga indutus ferret ſententiam. Hinc ſi fingamus, academiam aliquam a-

(l) *ibid.* §. 10. *p.* 173.

(m) Franc. Milan. *Lib.* 1. *Dec.* XV. *n.* 14. *ſequ.* Sebaſt. Medices *in libro: mors omnia ſoluit. Part. II. concluſ.* VI. *n.* 22.

(n) Vinn. *comm. ad* §. 6. *I. de nupt.* Henr. Bern. Reinold. *Variar. Cap. XXIV.* Illuſtr. Dn. Praeſ. *ad L. Iul. & Pap. Lib. II. Cap.* XVII. *p.* 311.

(o) §. 7. *I. de nupt. l.* 2. *C. Theod. de inceſt. nupt.*

(p) And. Tiraquell. *in tit. C. res inter alios act. n.* 8.

(q) Sigiſm. Scaccia *de ſent. & re iud. gloſſ. IV. qu.* 8. *n.* 2.

(r) Ziegl. *ibid.* §. XIII. *p.* 175.

(s) *l.* 17. §. *vlt. D. de recept. arbitr.*

(t) Hert. *Diſſ. ſing. de vno hom. plures perſonas ſuſtinente.*

(u) Ziegl. *dicaſtic.* §. XIII. *p.* 176. Meu. *Part.* 1. *Dec.* CIII.

gere aduerſus parochum in iudicio eccleſiaſtico, quod theologiae & iuris Profeſſores conſtituunt: ſane hi non minus, quam ſi in concilio academico res ageretur, in cauſſa propria ius dicere videbuntur, quia vna omnium iſtarum perſonarum moralium indoles, vna voluntas, iidem denique adfectus ſunt. Ceterum quum ex his omnibus pateat, reſcindendam eſſe ſententiam a tali iudice ſuſpecto non recuſato latam, ipſo vero iure nullam habendam, ſi ea a magiſtratu, quem quis iuſta exceptione repulit, & qui iudex eſſe per leges non potuit (x), proficiſcatur (y): conſequens profecto eſt, vt ex iuris Romani principiis, idem dicendum ſit de magiſtratu in ſua ſuorumue cauſſa ius dicente, adeoque ius ciuile minime omnium faueat iurisdictioni illi, qua domini iudicant in cauſſis ſubditorum, quos ipſi domi ſuae vel in iudicio proprio conueniunt.

§. XI.

An quidam textus iuris Romani huic conſuetudini faueant?

Sunt tamen, qui ſibi in ipſo iure Romano textus quosdam; quibus defendi poſſit haec dominorum iurisdictio, videntur reperiſſe. Sane enim quum *in priuatis negotiis patrem filium, vel filium patrem iudicem habere poſſe*, ſtatuat AFRICANVS (z): quumque MACER (a) proferat SC. ex quo praeſides etiam comitibus, *ſi quid iis inuitis accidat, veluti, ſi iniuriam aut furtum paſſi ſint*, ius dicere potuiſſe, intelligimus: quum denique magiſtratibus maioribus iuriſdictionem ſuam poenali iudicio defendere (b), & filio magiſtratum gerenti *patrem, cuius in poteſtate eſt, cogere liceat adire hereditatem & reſtituere* (c): quis miretur, Germanos etiam permiſiſſe dominis, vt ſibi ipſis ius dicere poſſent aduerſus ſubditos, fraena mordentes, operas, cenſum, laudemia denegantes, ingenioque tam ſeruili plerumque praeditos, vt nihil, ad quod obſtricti ſunt, niſi fuſtem tergo imminere videant, praeſtare ſoleant? Sed vereor, vt omnia haec veterum loca quidquam ad rem faciant. AFRICANI fragmentum ne acutiſſimus quidem eius interpres, CVIACIVS (d), ſatis videtur perſpexiſſe, partim

(x) *l. 1. §. vlt. D. ad SC. Tertull. l. 1. §. 2. D. quod quiſque iur. l. 2. §. vlt. D. de poen.*

(y) Blaſ. Altimar. *de nullit. ſentent. Part. I. rubr.* VIIII. *quaeſt. LXII. p.*439. *& qu.* CCV. *n. 9. 10.*

(z) *l. 77. D. de iudic.*

(a) *l. 16. D. de offic. Praeſ.*

(b) *l. 1. pr. D. ſi quis ius dic. non obtemp. l. 8. D. de adpellat.*

(c) *l. 13. §. vlt. D. ad SC. Trebell.*

(d) Iac. Cuiac. *Comment. ad African. tract.* III. *Tom.* I. *op. p.* 1278. *ſequ.*

tim quod illud de ipſo magiſtratu accipit, partim quod contra tot alia veterum iurisconſultorum teſtimonia, ipſamque iuris Rom. analogiam, patrem & filium ſibi inuicem ius dicere poſſe, ſtatuit, non alia fretus ratione, quam quia, quod ad ius publicum attinet, filius non ſequatur ius poteſtatis (e), ſed illud, cum filii poteſtate comparatum, interquieſcat paullulum & conniueat. (f) Attamen id ad priuatas tantum cauſſas pertinere, exiſtimat, non ad iudicia publica, in quibus permulta, quae ſemel decreta corrigi deinde nequeant, & a filio pati patrem indigniſſimum ſit, veluti carceres, catenae, verbera, tormenta incurrere ſoleant. (g) Quum vero, quo erat ingenii acumine, facile animaduerteret CVIACIVS, hanc interpretationem ſuam aperta veluti fronte incurrere in *l.* 10. *D. de iuriſdictione* : ſubtilem ſatis commentus eſt rationem, qua AFRICANVM cum VLPIANO in gratiam reduci poſſe exiſtimauit. *In hac lege*, inquit, AFRICANVS *dicit.* POTEST : *in illa* VLPIANVS : NON DEBET. *Haec vero non ſunt contraria.* POTEST, *ſed* NON DEBET : *rectius enim fecerit, ſi in re patris aut filii abſtinuerit munere iudicandi. Vno verbo ius, altero honeſtas ſignificatur.* Haec CVIACIVS, Graecos interpretes ſuo more ſequutus. Alibi tamen (h) ſua ipſe vineta cedit, dum illum AFRICANI textum non de magiſtratu, ſed de iudice pedaneo, intelligendum eſſe cenſet, notatus ideo ab EM. MERILLIO (i). Sed non opus eſt ambagibus. Ipſa enim AFRICANI verba ſatis oſtendunt, non de magiſtratibus, ſed de iudicibus pedaneis, ibi eſſe quaeſtionem : neque iis temporibus verba *ius dicere* & *iudicare* promiſcue accipere ſolebant iureconſulti, niſi ſi quando negligentius ſcriberent : quod in *libris Quaeſtionum*, accurate & ἀνεγαμματικῶς ſcriptis (k), feciſſe AFRICANVM, vix veroſimile eſt. Deinde nec magis ſolidum videtur commentum iſtud, quod magiſtratus poſſit quidem, at non debeat, in cauſſa patris vel filii ius dicere, quod non ineleganter ita profligat MERILLIVS (l): *Quod quidem ſubiicitur iudicis poteſtati, non ſubiicitur neceſſitati, vt facere debeat* (m) : *Sed quod ſubiicitur neceſſitati, vt facere non*

(e) *l.* 14. *pr.* D. *ad SC. Trebell. l.* 9. D. *de his, qui ſunt ſui vel al. iur.*

(f) Gellius *Noct. Attic.* Lib. *II. cap. II.*

(g) *l. vlt.* C. *de abolit.*

(h) Cuiac. *Not. ad l.* 77. D. *de iudic.* Tomo VII. op. p. 766.

(i) Merill. *Variant. Cuiac.* Lib. *I. cap. X. p.* 36.

(k) Eu. Otto *in Papiniano cap.* XII. *p.* 234. *ſequ.*

(l) Merill. *ibid. p.* 38.

(m) *l.* 40. *D. de iudic.*

non debeat ; id facere non poteſt. Quod iudex non debet facere, nec etiam facere poteſt : & quod non poteſt facere, nec etiam facere debet. Quare nihil ſupereſt, quam vt cum FRANC. DVARENO (n) & PETRO PERENNONIO (o) diſtinguamus inter magiſtratus & iudices, & illos quidem ius dicere in cauſſa patris vel filii potuiſſe, negemus, his autem iudicare in tali cauſſa, ſaltim ex plerorumque ſententia (p), licuiſſe dicamus. Permultum enim inter vtrosque intererat. Illi iurisdictionem in inuitos explicabant : hi nonniſi volentibus addicebantur. Licebat enim litigantibus, quibus Praetor iudices ſuſpectos addicere volebat, clamare : HVNC NOLO : HIC TIMIDVS EST, ET BONA SAECVLI PARVM INTELLIGIT : ILLVM VOLO, QVIA CAESAREM FORTITER AMAT. (q) Immo non aliter, quam ex conſenſu litigantium, & veluti ex compromiſſo eorum, dari addicique ſolebant iudices (r). Quamuis ergo iudices huiuſmodi iudicare non poſſent, recuſati a litigantibus, nec inuitis illis recte obtruderentur : iudicare tamen poterant etiam in cauſſa filii vel patris, ſi aduerſariis placerent, hique cauſſae bonitate freti ſpem ac fiduciam in iis collocaſſent, perinde ac de re patris arbitro eſſe licet filio, in quem vterque litigantium compromiſit (s). Reliquos textus minus difficultatis habere arbitramur. Senatusconſultum enim, cuius verba ſeruauit MACER (t), non abſciſſe permittit Praeſidibus, vt comitibus ius dicant, (quamuis & eo caſu vix eſſet, vt eos in propria cauſſa ius dicere exiſtimaremus,) ſed vt litem tantum conteſtari, rem redhiberi, & de iudicio ſiſti ſatisdari iubeant, ipſa cauſſae diſceptatione ſucceſſori reſeruata. Id vero ideo facile indulſit Senatus, quod non modo res moram non ferret, (quo caſu & alias quaedam extra ordinem indulgentur magiſtratibus) (u), verum etiam quod ex ſola litisconteſtatione, depoſitione rei & ſatisdatione nullum damnum immineret reo. Quare tantum abeſt, vt in illo MACRI textu iuris dictioni in cauſis propriis explicandae aliquid ſit praeſidii, vt potius inde recte ducere videamur argumentum, ſi praeſides ne comitibus quidem ſuis, id

(n) Duaren. *Diſput. anniuerſ. lib. I. cap.* LI.

(o) Perennon. *Animaduerſ. iur. ciu. lib. I. cap. XII. in theſauro iur. ciu.* Tom. I. p. 608.

(p) *l. 6. D. de recept. arbitr.*

[q] Plin. Maior. *hiſt. nat. lib. I. praef.* & Plin. Secund. *Panegyr. cap.* XXXVI.

(r) *l. 23. D. de adpell. l. 80. D. de iudic.*

(s) *l. 6. D. de recept. arbitr.*

(t) *l. 16. D. de offic. Praeſ.*

[u] *l. 1. D. de damn. inf. l. 4. §. 1. 3. 7. 8. D. eod.*

id eſt, extraneis, ius dicere potuerint, multo minus cuiquam ſibi ſuisue in cauſſis propriis ius dicere apud Romanos licuiſſe. Satis porro ſpecioſum eſt, quod ex VLPIANI loco (x) ducitur, argumentum, quippe qui manifeſto de magiſtratu loquitur. Sed ſane non ibi eſt quaeſtio, an pater ſe ſubiicere teneatur filio magiſtratui, ac non potius ipſe aeque ac fideicommiſſarius, eius iuriſdictioni ſeſe ſubducere potuerint? Quod fieri potuiſſe, ex alio VLPIANI textu (y), quem ſupra laudauimus, ſatis intelligimus. Quamuis enim recuſandi facultas, teſtibus DVARENO (z) & CVIACIO (a), non ad magiſtratus, ſed ad iudices, pertineret: verum tamen eſt, non defuiſſe ciuibus cum maiorum, tum parium magiſtratuum, nec non Tribunorum plebis auxilium ſi magiſtratum ſibi ius dicturum ſuſpectum haberent (b). Id vero quaerit VLPIANVS, ſi filiusfamilias magiſtratum gerat, nec a patre, nec a fideicommiſſario reiectus, patrem ſuum adire & reſtituere hereditatem coegerit, an coactio illa teneat? Negandum id ſane videbatur, primo, quod nemo iure cogere poſſit alterum, cui maius in ſeſe ſit imperium: deinde, quod, quum pater, & filius vnam perſonam conſtituant, abſurdum videatur, aliquem veluti a ſe ipſo cogi. Sed ad prius reſpondet VLPIANVS (c) conſulis quoque maius eſſe, quam Praetoris imperium, & ne Praetori quidem in Praetorem iuriſdictionem competere: & tamen, inquit, *ſi conſul vel Praetor* SE *iuriſdictioni* SVBIICIAT, *ſolet Praetor in eos ius dicere.* Alterum κατὰ θέσιν concedit, puta, neminem ſe ipſum cogere poſſe, ac proinde, *ſi ipſe Praetor heres inſtitutus ſuſpectam dicat hereditatem, ipſum ſe cogere poſſe, negat, quia triplici officio fungi non poſſit, & ſuſpectam dicentis, & coacti, & cogentis. Sed in his omnibus caſibus atque ſimilibus principale auxilium eſſe implorandum.* Enimuero καθ' ὑπόθεσιν negat, filiumfamilias magiſtratum vnam cum patre perſonam eſſe, quia in publicis negotiis non habeatur ratio patriae poteſtatis (d), vel, vti inſequente ſtatim lege ait HERMOGENIANVS (e), quia, *quod ad ius publicum attinet, filius non ſequitur ius poteſtatis.* Quibus poſitis, VLPIANVS hanc facit cogitationum ſuarum ſummam: *Si quis filiusfamilias ſit, & magi-*

(x) *l.* 13. §. *vlt. D. ad SC. Trebell.*

(y) *l.* 10. *D. de iuriſd.*

(z) Duaren. *comment. ad l.* 10. *D. de iuriſd. Tomo I. op. p.* 28.

(a) Cuiac. *ad l. vlt. C. de ſentent. & interloquut. Tomo* VIIII. *op. p.* 1070.

(b) Sigon. *de iudic. lib. I. cap.* VII. *p.* 363.

(c) *d. l.* 13. §. 4. *D. ad SC. Trebell.*

(d) *l.* 9. *D. de his qui ſunt ſui vel al. iur.*

(e) *l.* 14. *pr. D. ad SC. Trebell.*

ſtratum gerat : patrem ſuum in cuius eſt poteſtate cogere poterit, ſuſpectam dicentem hereditatem adire, & reſtituere, id eſt, valet coactio illa, tametſi a filio profecta, ſi vterque litigantium eius iuriſdictionem in illa cauſſa agnouerit. Denique quod ad iudicium poenale, quo magiſtratus Romani iuriſdictionem ſuam tueri poterant, attinet, id primum lex Ateria Tarpeia (f), ac poſtea Praetor (g) conceſſerat, quia non tam magiſtratuum, quam ipſius reipublicae, intererat, eorum dignitatem auctoritatemque ſaluam eſſe, adeoque, ſi quis eos parum reuerenter habuerat, non ſibi ius dicebant magiſtratus, ſed dignitatis ſuae ipſiuſque reipublicae iura tuebantur. Vnde idem hodie quoque fieri animaduertimus, obſeruatque CARPZOVIVS (h), magiſtratum delictum, ſe praeſente ac pro tribunali ſedente admiſſum, abſque omni cauſſae cognitione coercere, & iniuriam ſibi, tamquam iudici, in ipſo iudicio illatam illico vindicare poſſe, partim quod iure Germanico iudicibus & ſcabinis teſtificantibus ſuper his, quae coram illis geſta ſunt, plena fides habeatur (i), partim quod iudex vindicando talem iniuriam, non ſuam, ſed alienam cauſſam, cognoſcere dicatur (k). Id quod & auguſtum Camerae imperii iudicium in iudicando obſeruare, MYNSINGERVS (l) teſtatur.

§. XII.

An a Principe argumentum duci poſſit ad reliquos dominos?

Hactenus ergo nihil, quod huic dominorum iuriſdictioni in cauſſis propriis fauere, vel ei colorem ſaltim aliquem inducere videatur, in iure Romano reperimus. At ſunt tamen, qui illos Principis exemplo tuentur, quem in ſuis cauſſis ius dicere poſſe, non modo recta ratio, ſed & iura noſtra omnino concedunt. Saltim Imperatores in cauſſis ſuis, veluti Tiberium in cauſſa ſerui ſui, Parthenii (m), Antoninum de caducis ius dixiſſe (n), referunt POMPONIVS & MARCELLVS. Quod & ad imperii noſtri Principes iureconſulti proferunt (o). Si vero Principibus ſine ſuſpicione aliqua iniquitatis licet ſibi ius dicere : qui, quaeſo, id in perſona

(f) Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. X. antiqu. Rom. p.* 674.

(g) *l. 1. pr. D. ſi quis ius dic. non obtemp.*

(h) Carpzou. *Part. II. conſtit.* XVI. *defin.* 28. *n.* 1.

(i) Ius Prou. Sax. *Lib. III. art.* 88. Weichb. Sax. *art. XI.*

(k) *cap. 1. de poen. in 6.*

(l) Mynſinger. *cent.* VI. *obſeru. III.*

(m) *l. 41. D. de hered. inſtit.*

(n) *l. 3. D. de his, quae in teſtam. del.*

(o) Zaſ. *ad d. l. 10. D. de iuriſd.* Gail. *obſ. lib. I. cap. I. n.* 18. Schrader. *Vol. I. caſu II. n.* 18. *It. de feud. P. X. ſect. II. n.* 64.

perſona nobilium iniquum videatur ? Enimuero permultum inter haec intereſſe, nemo non, opinor, animaduertit. Primo enim ſuperiorem, qui in cauſſa ſua ius dicat, non habet Princeps, ac proinde, niſi eum impune ſpoliari poſſe a ſubditis, dixeris, ipſa eum iudicem conſtituit neceſſitas (p). At nobiles agnoſcunt forum ſuperius, in quo ſubditos, officii immemores, poſſint conuenire. Deinde tam verecundi ſunt boni Principes, vt raro ipſi ſibi ius dicant, ſed plerumque ſe vltro ſubmittant ſupremis curiis, ſuiſque conſiliariis in ea cauſſa iuriſiurandi, quo ſibi obſtricti ſint, gratiam faciant : quod nobiles vnquam facere ſolere, non meminimus. Denique tantum eſt, ad quod magnos principes vel naſcendi ſors, vel virtus, euexit, faſtigium, vt nulla in eos cadat ſordium ſuſpicio, multoque ſit probabilius, eos cauſſa cadere, quam cum vllius mortalium iniuria damnoue victoria potiri malle. Superſunt veteres Neruae Imperatoris numi, praeferentes epigraphen : FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA (q). Quum enim Fiſci procuratores gentem miſeram, & recentibus patriae reipublicae cladibus adhuc ſauciam, innumeris rapinis atque exactionibus quotidie vexarent : eam calumniam non modo repreſſit, ſed & penitus ſuſtulit laudatiſſimus princeps, eoque edito abſtinentiae exemplo ſibi magis placuit, quam innumeris, quae fiſcum locupletare potuiſſent, exſulum iſtorum ſpoliis. Simile animi magnitudinis monimentum auro argentoque celebrare nouimus Gallos, cuſo anno MDCLXXX. elegantiſſimo numo, cui circumſcriptum : FISCVS CAVSSA CADENS. De eo CLAVDIVS FRANC. MENESTRIER (r). *L'affaire des maiſons bâties ſur les anciens foſſés de la ville ayant été portée au Conſeil, les voix furent partagées. Et le Roy pouvant décider en ſa faveur, donna ſa voix en faveur des particuliers, &* PERDIT *ainſi* SA CAVSE *par ſon ſeul ſuffrage.* Tanta animi magnitudine eſſe ſolent boni Principes. At ea profecto non ſemper cadit in dominos reliquos, qui intra priuatorum ſortem plerumque ſubſidunt, neque ſemper ſibi religioni ducunt, lucrum aliquod cum ſubditorum ſuorum detrimento captare. Quamobrem inter Principum & priuatorum iuriſdictionem non minus diſcrimen eſt, quam inter ipſam vtrorumque fortunam, neque ab illis ad hos, quod ad hanc quaeſtionem attinet, duci poteſt argumentum.

§. XIII.

(p) Alexand. *conſil. CXXXV. fin. col. 2. verſu : pro hoc.*
(q) Ezech. Spanhem. *de vſu & praeſtant. numiſmat. diſſ. XIII. Tomo II. p. 571.*
(r) Meneltrier *dans l'hiſtoire du Roy Louis le Grand par les medailles p. 19. n. 6.*

§. XIII.

Probatur, hanc iuriſdictionem nec iuri naturae repugnare,

Enimuero habere nobis videmur rationes, cur illam dominorum iurisdictionem nec iuri illi, quod nobiscum natum eſt, ſempiterno, nec ipſi Romanorum iurisprudentiae aduerſari, exiſtimemus. Iuris dicundi enim poteſtas ex earum rerum numero eſt; quas neceſſitas inuexit, & quibus ſine incommodo carere potuiſſet humanum genus, ſi in primaeua illa integritate perſtitiſſet, talesque manſiſſent homines, quales aureo ſaeculo fuiſſe aiunt poëtae,

Qui vindice nullo
Sponte ſua, ſine lege, fidem rectumque colebant (s).

Talia vero iura non ita definit recta ratio, vt non liceat hominibus ea ſtatui ſuo ac neceſſitati attemperare. Nec tanta ſemper ſperari poteſt eorum entium moralium perfectio, quanta, ſepoſita hominum imperfectione, animo concipi poteſt. Iam ergo facile videt ratio, iudicem eſſe oportere virum bonum, ſanctum, integrum, cuius religionem nulla vmquam expugnet praua cupiditas, qui non modo adfectibus omnibus ſit ſuperior, ſed & adſcendens tribunal, ſemper ſibi in animum reuocat κρίνειν τε καὶ κρίνεσθαι, *iudicari ſe non minus, quam iudicare*, ceu idem, quem ſupra laudauimus, PHILO (t) praecipit. Sed vbinam terrarum talem inter mortales, accenſa etiam lucerna, reperiet Diogenes?

Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt,
Qui minimis vrgetur (u).

Reliquum ergo fuit, vt homines, contenti hominibus, quales producebat ſaeculum, optimos eligerent, eosque tamdiu haberent pro bonis, quamdiu nullius vitii nullarumque ſordium comperti eſſent. Si perfectos habere iudices voluiſſent homines: carendum plane fuiſſet iudicibus. Bene ergo ſecum agi credere debuerunt, dummodo non malos & improbos haberent. Deinde vltro largimur, non temere quemquam ſibi ius dicere oportere: at id vt obtineatur, denuo numquam fieri poteſt. Siue principis, ſiue optimatium, ſiue vniuerſi populi imperio ſeſe ſubiiciant homines: non poteſt non contingere, vt lites oriantur inter imperantes & ciues. Quis vero tunc iudicis partibus fungetur? Quis, niſi vel Princeps, vel optimatium concilium, vel populus? Neque tamen quiſquam id rectae rationi aduerſari exiſtimabit, quod euitare

(s) Ovidius *Metamorph.* Lib. I. v. 90.

(t) Philo *de iudice* p. 719. Op.

(u) Horat. *Serm. lib. I. ſat. III.* v. 68

euitare nequit humanum genus. Si ergo in ſe ratio non abhorret a iuriſdictione ſummorum imperantium in cauſſis propriis: quis rectae rationi in ſe aduerſari dixerit iuriſdictionem illam nobilium? maxime quum haec ob ius ſupremae adpellationis minus, ac illa, periculoſa ſit, nec deſint media, illam ita inter fines ſuos coercendi, vt non admodum formidoloſa ſit ſubditis, quibus, ſi iudex ille litem ſuam fecerit, ſemper ad Principem, tamquam ad ſacram anchoram, confugere integrum eſt.

§. XIIII.

Parum quoque refert, leges noſtras ciuiles huic Germanorum conſuetudini non fauere. Neque enim iurisdictio Germanica ex legibus Romanis, ſed ex iure ac moribus patriis, eſt aeſtimanda: (x) niſi credere velis, Germanos, recepto iure Romano, ipſam reipublicae formam mutare, omniaque ſusque deque vertere voluiſſe. Quin, ſi tanti res eſſet: facile demonſtraretur, ne Romanis quidem talem iurisdictionem plane ignotam fuiſſe. Notiſſimum enim eſt, patresfamilias olim cum inter liberos & ſeruos, tum ſibi contra vtrosque ius dixiſſe, vel, vti eleganter loquuntur DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS, Auguſti (y), *eos* DOMI *conueniſſe.* Hinc & offenſi a liberis patres domi ſuae iudices ſedebant, & veluti *domeſtici magiſtratus*, ceu a M. SENECA (z) vocantur, adhibitis in conſilium propinquis & amicis, ferebant ſententiam (a), & multo magis domini ſeruos apud ſe ipſos conueniebant, ſi quid contra officium feciſſent. De qua priuata ac domeſtica patrumfamilias iurisdictione nuper admodum tam accurate diſſerere memini Illuſtr. DN. PRAESIDEM (b), vt actum hic agere omnino nolim. Si vero Romanis ipſis, qui alioquin neminem in propria cauſſa iudicem eſſe patiebantur, non abſurdum viſum eſt, parentes & dominos liberis ſeruiſque ſuis domi ſuae diem dicere poſſe: quis, quaeſo, vitio verterit Germanis, quod dominis idem indulgere non dubitauerint? Non cadebat in bonum patrem ſuſpicio, eum hac poteſtate abuſurum, vel iniqua ſententia oppreſſurum ſanguinem ſuum, nec periculum erat, ne dominus ſer-

Nec iuri ciuili.

 uum,

(x) Stryk. *Vſ. mod. Dig. Lib. II. Tit. I. p.* 172. Carpz. *prax. crim. quaeſt.* CVIIII. *n. 6.* Schilt. *Exercit.* VI. *ad Pand.* §. *I.*

(y) *l. 6. C. an ſeru. pro ſuo facto poſt manum. ten.*

(z) M. Seneca *Lib. II. controu. cap. III.*

(a) Valer. Max. *lib.* V. *cap.* VIII. Seneca *de clement. lib.* I. *cap.* XV.

(b) Dn. Praeſid. *diſſ. de locat. conduct. iuriſdict. cap.* I. §. VIIII.

uum, meliorem patrimonii ſui partem ſine cauſſa ſontica perderet: & ſi forte alteruter litem ſuam male iudicando feciſſet, tertio laeſo in promtu erat magiſtratuum auxilium, cuius in actione tributoria exemplum luculentiſſimum exſtat (c). Si enim pater vel dominus, tamquam magiſtratus domeſticus, merces peculiares vel nollet inter creditores diſtribuere, vel easdem male tribuiſſe diceretur, ea actione experiebantur aduerſus patrem vel dominum, vt Praetor iniquam iſtam diſtributionem emendaret (d).

§. XV.

Eius origo a ſtatu ſubditorum ſeruili, & herili dominorum poteſtate repetenda.

Et haec quidem ratio Germanos etiam mouit, vt dominis hanc iuriſdictionem in cauſſis propriis concedendam exiſtimarent. Vere enim haec iuriſdictio non aliunde eſt repetenda, quam ex ſeruili ſubditorum conditione, poteſtateque herili dominorum. Ruſtici olim in Germania omnes erant ſeruilis conditionis. Et quamuis aliorum tolerabilior, aliorum paullo durior eſſet ſeruitus: in eo tamen nulla erat in eorum ſtatu differentia, quod glebae adſcripti, dominiſque ſuis obnoxii eſſent. Quis vero negauerit, fas eſſe dominis, mancipia ſua, fraena ſi mordere auſint, coercere, & ad praeſtandas operas, penſiones, canones, mulcta pignoriſque capione, quin & carcere & verberibus, adigere? Auctorem equidem habemus TACITVM (e), Germanos ea diſciplina domeſtica raro eſſe vſos. *Verberare*, inquit, *ſeruum & vinculis atque opere coercere rarum.* Enim vero ideo non negat ſcriptor accuratiſſimus, dominos Germanos ea poteſtate herili vſos eſſe, ſed illos tantum ea moderatione fuiſſe ait, vt illo iure ſuo rarius vterentur, comparati cum Romanis, apud quos, corruptis luxu opumque magnitudine moribus, quotidiana corporum ſeruilium carnificina ſpectabatur (f). Idem & poſtea obſeruatum eſſe, ex elegante diplomate HENRICI III. Imp. apud POTGIESERVM (g) patet, vbi, *ſi quis ex villanis vel manſionariis cenſum debitum neglexerit, & ſtatuto die vel tempore non dederit, facultas datur villico abbatis, ſtatim ſequente die vadimonium de domo ipſius*, SINE ADVOCATO, *tale accipiendi, cum quo illud, quod ipſe ad ſeruitium debuit fratrum, pleniſſime perſoluat.* Itaque haec pignoris capio fiebat ſine *aduocati* vel iudicis ordinarii praeſcitu ac conſenſu, perinde, ac poſtea IVRE

(c) *l. vlt. D. de tribut. act.*

(d) Cuiac. *Paratitl. D. de tribut. act.* Maranus *in Paratitl. D. ibid. p.* 322.

(e) Tacit. *de mor. Germ. cap. XXV.*

(f) Io. Meurſ. *Auctar. philolog. ad libell. de gloria cap.* XXII.

(g) Potgieſſ. *de ſtat. & cond. ſeru. lib. II. cap. I. §.* 23. *p.* 320. *edit. nouiſſ.*

IVRE SAXONICO, cuius haec verba euidentiſſima ſunt (h): *Der Herr mag wohl ſelbſt pfanden auf ſeinem Gut, umb ſein Zinſs und Geld, das man ihm davon gelobet hat, ohn des Richters urlaub.* Quae ſane argumento ſunt luculentiſſimo, dominis olim licuiſſe in ordinem cogere homines proprios, & aduerſus eos, fraena mordentes, iura ſua & pignorationibus & poenalibus iudiciis tueri, & hanc ipſam conſuetudinem originem dediſſe iudiciis, quae nobiles & domini etiam hodierno die ſolent in cauſſis propriis explicare.

§. XVI.

Cur & ceſſante paſſim ſeruili ruſticorum conditione, haec conſuetudo permanſerit?

Nec quiſquam, credo, mirabitur, eam iuriſdictionem & hodie ſaluam eſſe dominis, quum tamen paſſim ruſtici, exſoluti ſeruitutis vinculis, iampridem ad libertatem adſpirarint. Quiſquis enim meminerit eorum, quae TACITVS (i) de Germanorum libertis memoriae prodidit, *eos non multum ſupra ſeruos eſſe*, is facile animaduertet, manumiſſiones illas & redemtiones nihil fere mutationis circa illam dominorum iuriſdictionem adferre potuiſſe, ſi praedia retinerent homines proprii manumiſſi, nec in vrbes vel alio migrarent. Eſt enim iuriſdictio illa, in quam paullatim degenerauit herilis illa poteſtas, non perſonalis duntaxat, ſed per totum illum tractum, qui in domini iſtius patrimonio eſt, porrigitur, ac proinde, quicunque in illo tractu habitant, ſiue ſeruilis ſint conditionis, ſiue manumiſſi, nullius, quam domini, iuriſdictionem agnoſcere poſſunt, niſi exemtionem eiuſque iuſtam cauſſam, rite probare poſſint. Praeterea, quum poſt Francorum tempora rariſſime iuſtam ac plenam libertatem conſequerentur homines proprii: fieri non poterat, quin variae ac diuerſiſſimae eſſent, ad quas ruſtici tenebantur, praeſtationes. Hinc POTGIESERVS (k): *Germani ſanguinem libertinum faſtidiebant, ideoque liberti non multum ſupra ſeruos erant, & raro aliquod momentum in domo, nunquam in ciuitate. Sed & deinceps nullis fere aliis iuſta tribuebatur libertas, praeterquam illis, qui ad ſacros ordines ſuſcipiendos e manu dimittebantur: reliquorum libertati leges dicebantur ex voluntate dominorum. Vnde non niſi retento obſequio, annuo cenſu, operarum & mortuarii reſeruatione, conferebatur libertas, aliiſque conſtringebatur vinculis. Atque iſta manumiſſionum diuerſitas cum ingens*

(h) Ius prou. Sax. *lib. I. art. LIIII.*
(i) Tacit. *de mor. Germ. cap. XXV.*
(k) Potgieſſ. *de ſtat. & condit. ſeru. Lib. IIII. cap. I. §. IIII. p. 668. edit. nouiſſ.*

gens inter agreſtes diſcrimen, tum tantam praeſtationum varietatem dubio procul inuexit. Quae & alibi repetit, & depromtis E VADIANO & HERM. STAMMIO teſtimoniis firmat vir doctiſſimus (l). Quum ergo ita natura comparatum ſit, vt vel minimam nacti libertatis particulam, iuſtam & plenam adfectent: quid iuſtius erat, quam ea de re diſceptari in domini iudicio, vbi & acta manumiſſionis facilius reperiebantur, & nota erat ruſtici ad libertatem proclamantis, obſequiumque detrectantis, conditio? maxime, quum, ſi dominus litem ſuam faceret, via pateret ruſtico ad ſuperiora principum iudicia, ac proinde non eſſet periculum, ne miſer ſubditus iniuſta ac praecipiti ſententia opprimeretur. Atque ita mos qui hominum propriorum cauſſa inoleuerat, quique ex herili in eos poteſtate fuerat profectus, etiam poſtea manſit, quum plerique homines proprii paullatim manumitterentur.

§. XVII.

Quinam poſſint alios apud ſe ipſos conuenire?

Sed quamquam de ipſo iure dominorum ſubditos ſuos in iudicio ſuo conueniendi dubitari non poteſt: ipſae tamen prudentiae regulae omnino ſuadent, vt non omnia iis permittantur, ſed haec iurisdictio, quippe quodammodo exorbitans, ita temperetur, ne facile dominis feneſtra, ſubditis quidquid libeat, extorquendi aperiatur. Quamobrem ſupereſt vt poſtremo loco, quid iuſtum ſit, circa hanc iurisdictionem, diſquiramus. Primo omnium vero merito quaeritur, cuinam id ius ſubditos apud ſe conueniendi competat? In ORD. PROC. SAX. ELECT. (m) id indulgetur *denenienigen, ſo mit Gerichten belieben*, in ducatu Magdeburgico (n) *denen von Adel und Räthen in denen Städten, ſo die Gerichte zu exerciren haben.* Sed origo huius iurisdictionis, paullo ante a nobis deſcripta, ſatis oſtendit, id ius pertinere ad omnes, qui iurisdictionem patrimonialem ſiue feudi iure, ſiue quocunque alio iuſto titulo nacti ſunt, adeoque & ad Praelatos, immo & ad eccleſiae miniſtros, quibus certi coloni dotales cum praediis ſuis ita ſubſunt, vt ſimul in eos iurisdictionem inferiorem exerceant. Hi enim omnes ius dicunt ſubditis tamquam domini: adeoque & ratio, ob quam illud ius inuectum eſt, in eos omnino quadrat. Alia ergo omnia dicenda erunt, ſi qui tamquam officiales, quos vocant, iuri dicundo praeſunt, vel mandatam iurisdictionem exercent, tamquam Iuſtitiarii. *Gerichtshaltere*, qui quum domini non ſint,

(l) Ibid. *lib. IIII. cap. VIII.* §. *6.* p. *720. ſequ.*

(m) Ord. Proc. Sax. *tit. II.* §. 3.

(n) Ord. Proc. *Magd. cap. I.* §. 7.

Digitized by Google

ſint; non poſſunt quemquam apud ſe ipſos conuenire, ſed cauſſa merito a iudice ſuperiore cognoſcitur. Hinc ORD. PROC. MAGD. EMEND. (o) *Wann auch der Underrichter vor ſic und die Seinigen bey einer Sache intereſſirt wäre : ſoll ſolche zu unſerer Regierung gezogen werden.* Et noua lex, quae ſub titulo *allgemeine Iuſtitz-Ordn.* anno MDCCIII. prodiit (p); *Wann die Dienſte und andere Amts-praeſtationes geweigert werden, oder ein und anderer Amts-Unterthan von ſeinem Gute einige Dienſt-Freyheit praetendiret, ſolche gehöret einzig und allein zur cognition der Cammer.* Itaque ius hoc non aliis, quam dominis iuriſdictionis, quos vocant (*denen Gerichts-Herrn*) competit, neque illo vti poſſunt alii, qui iuriſdictionem non in patrimonio habent, ſed eam iuſſu Principis vel aliorum mandato exercent.

§. XVIII.

An ipſe dominus cognoſcere & iudicare poſſit?

Deinde ex his omnibus facile patet, poſſe quidem ſubditos a dominis in iudiciis ſuis conueniri, neque tamen his ipſis licere iudicum partibus fungi, ſed opus eſſe viro bono, cui mandata ſit iuriſdictio, vt non tam ipſe, quam alius, videatur cauſſam cognoſcere, & ferre ſententiam. Quamuis enim de Pomeraniae nobilibus obſeruet MEVIVS (q), eos per ſemet ipſos ius dicere ſubditis, ſi res notoria, vel leuis momenti vel praeiudicii ſit, & in cauſſis grauioribus duntaxat iudicium, a quo ſuſpicio abſit, conſtituere; alibi tamen non licet dominis per ſemet ipſos cognoſcere & iudicare, ſiue leuior ſit cauſſa, ſiue grauior, ſed, vti recte obſeruat BRVNNEMANNVS (r) *coram officiali ſuo.* Quamuis enim parum intereſſe videatur, per ſemet ipſum quis, an per alium iudicis partibus fungatur, quum quod quiſque per alium facit, id ipſe feciſſe videatur (s): hic tamen aliter videtur ſentiendum, quia nemini ius pro alio dicere, vel mandatam iuriſdictionem ſuſcipere licet, niſi iureiurando ad ius religioſe & ſine ſordibus dicendum praeſentibus ſubditis obſtricto. Id ſane diſerte exigit ORD. PROC. SAX. ELECT. (t) *Dieweil aber in ſolchen occaſionen der Partheyligkeit und anderer Unrichtigkeit halben, die bey Haltung derer Acten, und ſonſten mit unterlaufft, bey unſer Regierung allerhand Be-*

[o] Ord. proc. Magd. emend. *cap.* 8. §. 31.

[p] Allgem. Iuſt. Ord. §. IIII. *n.* 7.

[q] Meu. *Part.* VIII. *Dec.* 198.

[r] Brunn. *ad l.* 10. *D. de iuriſd. n.* 6.

[s] *l.* 1. §. 12. *D. de vi & vi arm. l.* 5. §. 3. *D. de adminiſtr. tut. cap.* 68. *&* 72. *de reg. iur. in* 6.

(t) Ord. Proc. Saxon. *Tit. II.* §. 3.

Beſchwerden einkommen : wollen wir , daſs zu Vorkommung derſelben , dieienigen , ſo ſich zu Gerichts-Vervvaltung gebrauchen laſſen , bey Antretung ihrer Beſtallungen , in Beyſeyn derer Unterthanen , wie auch die zu denen Proceſſen erforderten Notarii, gleich andern Actuariis , wann ſie nicht obgedachter maſſen ſemel pro ſemper , und in genere , zu denen Gerichten geſchworen , iedesmal vereidet , und wie , und wann ſolches geſchehen , bald anfangs derer Acten regiſtriret werden ſolle. Quibus in nouis additionibus & emendationibus id adſtruitur (u), *daſs es in Zukunfft ohn Unterſcheid auch bey denenienigen , ſo bereits in dergleichen Beſtallung ſtehen , alſo gehalten werden, und keiner vor der auf dieſe Maſſe beſchehenen Verpflichtung bey 5 Rthlr. Straffe etwas zu expediren ſich anmaſſen ſolle.* Quandoquidem tamen ſaepe contingit , vt ſubditi ad videndum iurari euocati non omnes adſint : ibidem additur , modo omnes rite vocati ſint, iusiurandum etiam coram paucis praeſtitum recte praeſtitum videri debere. Ita & ORD. PROC. MAGD. exigit (x), *daſs der Gerichts-Verwalter und Actuarius oder Notarius in Beyſeyn der Bürger und Unterthanen zu denen Gerichten öffentlich vereydet ſey.* Quod, vti aequitati conuenientiſſimum, ita merito ſtricte ſeruandum eſt, niſi quis occaſionem dare velit ſubditis prouocandi ad iudicium ſuperius, nulloſque dicendi actus, a iuſtitiario & notario minus rite conſtituto explicatos.

§. XVIIII.

De quibus cauſſis huiuſmodi iudiciis locus ſit?

His obſeruatis, nullum eſt dubium , quin dominus omnibus actionibus, realibus aeque , ac perſonalibus, ſubditos ſuos pulſare , multoque magis actus voluntariae iuriſdictionis , ad ſe ſuamue familiam pertinentes, recte explicare poſſit, modo is, cui mandata eſt juriſdictio , ad omnes actus generatim datus ſit, nec eorum vllum ſibi reſeruarit dominus, ſiquidem tunc ſine mandato ius diceret iuſticiarius , quum tamen alienis in rebus nemo quidquam contra domini voluntatem facere poſſit (y), & qui alienis negotiis ſeſe imprudenter ingerit, eo ipſo ſe ſuſpectum reddere cenſeatur (z). Quod ita prudenter exprimitur in additionibus & emendationibus ad PROCESS. SAXON. ELECTOR. (a) *Wann dieſes alſo erfolget , kan ein Gerichts-Verwalter alles dasienige , ſo der Gerichts-*

(u) *Erläut. und verbeſſert. der Churf. Sächſ. Proc. Ordn. Tit. II. §. 3.*
(x) Ord. Proceſſ. Magdeb. *cap.* I. §. 7.
(y) *l. vlt. C. de paſt.*
(z) *l. vlt. C. de adparit. procoſ. & leg. l. 25. D. de procur.*
(a) *Addit. & emend. proc. Saxon. tit. II. §. 3.*

Digitized by Google

richts-Herr nicht ausdrücklich reſeruiret, und denen Unterthanen zugleich bekannt gemacht, auch ohne denſelben verrichten, ſowohl der Gerichts-Herr ſelbſt vor ſolchen ſeinen Gerichten nicht allein ſeine eigene in ſeiner iuriſdiction gelegene Erbgüter verpfänden, und die Glaubiger darauf beſtändig verſichern, allerley Contracte errichten, Verzicht leiſten, ein Teſtament machen, auch hinterlegen, und dergleichen, ſondern auch vor ſelbigen ſeine Unterthanen in perſonalibus & realibus, auch feudalibus cauſſis, rechtlich belangen. At ſunt tamen quaedam cauſſae ita comparatae, vt ſtatim deuoluendae ſint ad ſuperius iudicium vel ad regimen, quales in hoc Ducatu ſunt, quae ad operas a ſubditis praeſtandas pertinent. Hinc ORD. PROC. MAGDEBVRG. (b) *Wo aber auch die Sachen ſelber der Beſchaffenheit ſeind, daſs ſie ſofort ohne Mittel zu der Magdeburgiſchen Regierung cognition gehören, als wann zwiſchen des Hertzogthums Magdeburg Vaſallen und dero Leuten, der Dienſte, Baufuhren, und anderer Praeſtationen halber Streit vorfällt, ſollen ſelbige ſofort bey der Cantzley an-und zu ſchleunigen Austrage gebracht werden.* Id quod & in emendata ORDIN. PROC. (c) totidem paene verbis repetitur. Nec dubitandum eſt, quin & alibi paſſim ea iuriſdictio legibus reſtringi, & hi aliique caſus eximi poſſint. Si tamen huiuſmodi exemtio doceri nequeat: dominus, ſubditos ſuos ad ſe in ius vocans, procul dubio fundatam habet intentionem, nec recuſare ſubditi poſſunt iudicium legibus moribuſque Germaniae vbique paene probatum.

§. XX.

Ex quo facile intelligitur, nec ſubditis, in domini iudicio nullo decreto grauatis, ad iudicium ſuperius prouocare, nec ſupremis curis cauſſas huiuſmodi ſuo lubitu auocare licere. Quamuis enim licitam eſſe cauſſarum auocationem a quocunque ſuperiore factam, vulgo ex loco IVLII PAVLLI (d) colligant Iuriſconſulti (e): ſatis magnum tamen atque euidens diſcrimen eſt inter iudices pedaneos, de quibus PAVLLVM loqui manifeſtum eſt, & eos, qui iuriſdictionem habent in patrimonio, quibuſque omne ius ſuum indirecte adimi poſſet, ſi iudici ſuperiori integrum eſſet cauſſas, quotieſcunque collibitum eſſet, euocandi. Non ergo promiſcue id indulgendum eſt ſupremis curiis, ſed ob iuſtas & ſonticas

An cauſſa a ſuperiore iudice pro lubitu auocari poſſit?

(b) Ord. Proc. Magd. *cap. I.* §. 12.

(c) Emend. Ord. Proc. Magd. *ibid.* §. 34.

(d) *l.* 58. *D. de iudic.*

(e) Matth. Berlich. *Deciſ.* CLVIII. *vol. I.*

ſonticas cauſſas, de quibus prolixius CASP. ALEXANDRI (f) diſſeruit, *ne detrimentum a maiore capiat minorum iuriſdictio, ſi nulla horum culpa nunc huc, nunc illuc rapiatur, nec iudices vmquam abſoluere poſſint coeptum ſuo iure iudicium* (g). Accedit, quod ex VALENTINIANI & collegarum ſententia (h) *ſacrilegii inſtar ſit, ſuper quibuſcumque adminiſtrationibus promulgandis diuinis obuiare beneficiis*, id eſt, adminiſtrationem, ſiue iuſtitiae, ſiue reipublicae, impetratis reſcriptis, auocationibus ſimilibuſque artibus turbare. Si vero nefas eſt, cauſſas ab inferioribus iudicibus ſine iuſta ac ſufficiente cauſſa auocare: nefas quoque erit, dominos in hac iuriſdictione ſua in cauſſis propriis, legibus moribuſque adprobata turbare, niſi iuſtiſſima cauſſa id ſuadeat. Hinc iam ſupra vidimus ſententiam, qua ruſticis, petitorium ad regimen trahentibus, pronunciatum eſt, *Daſs beklagter vor der Fürſtl. Regierung ſich einzulaſſen nicht ſchuldig, ſondern die Sache an die vorige Inſtantz zu verweiſen.* Solent quidem ſubditi plerumque conqueri de dominorum iniquitate, eoſque ex variis cauſſis ſuſpectos reddere: ſed tunc, praeuia relatione, quam ſupremae curiae iure exigunt, deprehenſa precum falſitate temeritateque ſubditorum, acta ad dominos remittenda, eorumque iuſtitiariis, quid eos agere, & quomodo procedere oporteat, praeſcribendum, ſubditis vero, ne dominis obſequium negent, ſeuere iniungendum eſt. Hinc quum vidua nobilis in Principatu Halberſtadienſi ſubditis aliquoties inhibuiſſet, quo minus ius paſcendi in loco quodam controuerſo exercerent, poenamque comminata eſſet quinquaginta imperialium, id mandatum proterue violantibus: conquerentibus ea de re ruſticis, expenſa relatione iuſtitiarii, cauſſaque plane cognita, ab illuſtri Regimine d. VII. Maii MDCCXXXIII. decretum eſt: *Communicetur & detur dem Iuſtitiario zu A. nebſt Remittirung der Acten, zur Reſolution, daſs da die dortige Gemeinde vor ſich anführet, daſs ſie in momentanea poſſeſſione, den ſo genannten Vorbuſch mit ihrem Vieh zu betreiben ſich befinde, ſolches auch gehörig zu beſcheinigen ſich offeriret; Iudicium deshalb beyde Theile mit ihrer Nothdurfft hinlänglich annoch zu hören, und vvann cauſſa gnugſam inſtruiret, ſodann, was rechtens, zu erkennen habe. - - - Die dictirte Straffe iſt zwar der Gemeinde vorkommenden Umſtänden nach zu*

(f) Caſp. Alexandri *de auocat. cauſſarum cap. IIII. apud* Fritſch. *Exercit. iur. publ. Tomo I. p. 724. ſequ.*

(g) Alexandri *ibidem* §. VII. *p.* 732.

(h) *l. 5. C. de diuerſ. reſcript. & pragm. ſanct.*

zu erlaſſen, derſelben aber pro futuro bey einer gemäſſigten Straffe zu unterſagen, ſich der K. Wieſe zu enthalten: wie dann dieſelbe ſowohl hierinnen, als auch ſonſten, ihrer Obrigkeit den ſchuldigen Gehorſam zu leiſten angewieſen vvird. Quod ſane decretum tam aequum ac moderatum eſt, vt illud merito tamquam exemplum ponendum ob oculos ſit iſtis, qui ruſticorum querelas, ſaepe maxime proteruas & temerarias, cum voluptate audiunt, eamque adripiunt occaſionem, cauſſas quaſcunque a iudiciis inferioribus ad ſe auocandi, atque ita turbandi iura nobilium.

§. XXI.

Id iure fit, ſi turbulenter & nulliter procedat iuſtitiarius.

Illud porro dubio caret, iuſtitiarios, apud quos ſubditos ſuos conueniunt domini, cauere debere, ne turbato ordine ac veluti tumultuarie procedant, vel iuſtitiam ſubditis plane denegent, ſed leges de ordine & modo litigandi latas accurate ſeruare debere. Quum enim, niſi id fiat, auocationi locus ſit: ſi vel maxime cauſſa ad dominum non pertineat (i): quanto minus patientur principes eorumque curiae tumultuarie procedere & quadrata rotundis, ſumma imis, miſcere in cauſſis dominorum, in quibus tanto religioſius verſari decet eos, quibus ab illis mandata eſt iurisdictio, quanto magis ipſum iudicium ſuſpectum eſt ſubditis? Hinc illuſtris HENR. A BERGER (k), in Saxonia hoc caſu & Scabinorum praeſentiam exigit, non ſolum ob verba ORD. PROC. SAX. ELECT. (l) *ſich der Gerichten gebührlich gebrauchen*, ſed &, quia §. LI. diſerte praecipiatur, vt nobiles iudici adiungant adſeſſores idoneos, *und daſs durch den Notarium iedesmahl in Beyſeyn derer Gerichts-Perſonen denen Acten und Gerichts-Büchern dasienige einverleibet, regiſtriret, und geſchrieben werde, was ſich nach Gelegenheit des Negotii und Proceſſus gebühret.* Vbi tamen addit BERGERVS, ſecundum fori vſum non eſſe neceſſarium, vt ſcabini ſua manu ſubſcribant, ſed ſufficere, de eorum praeſentia atteſtari actuarium. Si ergo in his quoque, quae tamen non adeo magni momenti eſſe dixeris, tam accurate obſeruandae ſunt leges proceſſus: quanto minus ferendus fuerit iuſtitiarius qui ſubditos non rite citatos trahat ad iudicium, qui eorum exceptiones nec audiat, nec eas referat in protocollum, qui ab exſequutione auſpicium capiat, mandatis poenalibus, mulctis, quin carcere & verberibus

(i) *l. 16. C. de iudic.* Petr. Rebuff. *de euocat. ad leg. Reg.* Alexandri *de auocat. cauſſar. cap. IIII.* §. *X. p. 734.*

(k) Berger. *Oecon. iur. Lib. III. tit. II. p. 914.*

(l) Ord. Proc. Sax. *tit. II* §. 3.

beribus in reos ſaeuiat, ſecundum dominum; nulla licet probatione vmquam defunctum, litem dare non dubitet? His vero hominibus quis dixerit fieri iniuriam, ſi illis in huiuſmodi cauſſis abrogetur dominica illa, qua tam turpiter abutuntur, iuriſdictio?

§. XXII.

An ipſi iuſtitiario ſententiam ferre liceat?

Illud porro quaeſitum memini, liceatne iuſtitiario in huiusmodi cauſſis ferre ſententiam, an vero acta ad dicaſteria vel collegia iuridica transmittere teneatur? Quamuis vero facile largiamur, non melius exiſtimationi ſuae conſulere poſſe iuſtitiarium, quam ſi a ferenda ſententia abſtineat, & eam a neutrarum partium iurisconſultis concipi patiatur (m), quin ſaepe id iniungi ſoleat nobilibus a ſupremis curiis: negauerim tamen, litem ſuam facere iuſtitiarios, qui ipſi pronunciarunt. Quum enim primo iis in huiusmodi cauſſis iudicandi poteſtas legibus publicis moribusque patriis data ſit: quis negauerit, iis & ſententiam, quae extremum eſt in iudiciis, ferre licere (n)? maxime quum in cauſſis ciuilibus non aeque neceſſaria ſit actorum transmiſſio, ac in criminalibus, in quibus hanc transmiſſionem ipſa lex imperii iniungit iudicibus (o). Deinde vix vllius legis memini, quae abſciſſe interdicat iuſtitiariis, quo minus ipſi ſententiam concipiant, quamuis omnes iisdem id conſilii dent, vt in grauioribus & arduis cauſſis acta ad dicaſteria & collegia iuridica transmittant. Hinc in ORD. PROC. MAGDEB. (p) legimus: *Doch ſoll denen Gerichts-Verwaltern und Actuariis obliegen, in wichtigen Dingen, allen Verdacht zu vermeiden die Acta nach rechtlicher Erkântniſs iedesmal zu verſchicken.* Non ergo ipſi ſententiam ferre abſciſſe prohibentur, ſed tantum in cauſſis grauioribus. Nec aliter FRIDERICVS AVGVSTVS Rex Poloniae in nouis emendationibus ordin. Proceſſ. Saxonici (q): *Iedoch daſs in dergleichen Fâllen die Gerichtshaltere, ſonderlich in vvichtigen und zvveiffelhaſſtigen Puncten, für ſich keine Beſcheide geben, ſondern die Acta zum Deciſo oder Verſpruch in ein Dicaſterium unſerer Lande verſenden, und die einkommenden Deciſa oder Urtheile nicht zurückhalten, ſondern ſchlechterdings auf Art*

(m) Berger *Supplem. Elect. Diſcept. forenſ. Parte II. p. 38. ſequ.* Philippi *ad proceſſ. Sax. tit. II. conſiderat.* 8.

(n) Berger. *Oecon. iur. Lib. III. tit. II. p. 915.*

(o) Conſt. crim. Caroli V. *art.* 160. 169. *vlt. & paſſim.* Schilter. *Exercit. II. §. 3. ſequ.*

(p) Ord. Proc. Magd. *tit. I. §. 7.*

(q) Nou. addit. Proc. Sax. *tit. II. §. 3. ſub fine.*

Art und Weiſe, wie unten ad tit. XXXIV. überhaupt verordnet, publiciren. Multo minus vero fas erit iuſtitiario, concipere ſententiam definitiuam, ſi vel vtraque pars, vel rei ſaltim acta ad dicaſterium aliquod transmitti petant, ſumtusque neceſſarios erogare parati ſint. Tunc enim ne in vulgaribus quidem cauſſis, in quibus in iudicem non cadit tanta ſuſpicio, partibus denegari poteſt hoc beneficium, niſi leges prouinciales obſtringant iudices, vt primam ipſi ſententiam ferant, quod in terris Pruſſicis ſingulari edicto (r) cautum eſſe, nemo ignorat.

§. XXIII.

A ſententia iuſtitiarii ſemper locus eſt adpellationi.

Ceterum cum actori, tum reo, ſi ſe ſententia illa grauatos exiſtiment, integrum eſſe, adpellare ſuperiorem iudicem, aliisque legitimis mediis vti, nemo negauerit. Quo caſu, & in cauſſis reliquis, quum non liceat iudici inferiori, adpellationem reiicere, ſed quaeſtionem illam, ſitne recipienda adpellatio, an reiicienda, ſuperioris iudicis cognitioni ac iurisdictioni reſeruare teneatur (s): multo minus ſuſpicione carebit poenamue effugiet iudex inferior qui in his litibus, quae domino cum ſubditis intercedunt, adpellationem impedire conatur. Ex quo porro colligimus, ne illum quidem iuſtitiarium carere ſuſpicione, qui, interpoſita apud ſe adpellatione, apoſtolos, quos refutatorios vocant, decernit. Quamuis enim ii nec legibus, nec moribus, aduerſentur: magis tamen exiſtimationi ſuae conſulet iuſtitiarius, ſi totam cauſſam integram ſeruet ſuperiori iudici, qui, ſi nullius momenti ſint grauamina, id per ſemet ipſum facile deprehendet, & adpellationem reiiciet, ſin digna vlteriore cognitione viſa fuerint, actori non denegabit facultatem grauaminibus iſtis exceptiones, quas voluerit, opponendi. Itaque hic vel maxime verum eſt, quod generatim ſcribit CASP. ZIEGLERVS (t): *Id vero excuſari nullo modo poteſt, quod iudices inferiores indignari & excandeſcere in adpellantem velint, ſi ille in ſententia a ſe pronunciata adquieſcere nolit. Cuiuslibet iniuriae genus & varias contumelias, tum & carceris cruciatum & tormenta in adpellantes olim exercita fuiſſe, diſcimus* ex *l. 2. l. 15. l. 22. C. Theod. de adpellat. immo & ex Capitular. Caroli Lib. VII. tit.* 128. *& ex edicto* Theodorici Regis *cap.*

(r) Edict. Regium d. XVII. *Febr.* MDCCXXIII. §. 1. 2.

(s) *l.* 21. C. *de adpellat. l.* 3. *l.* 19. *l.* 31. C. *eod. Nou. LXXXII. cap. XII.*

(t) Ziegler. *in Dicaſtice concluſ.* L. I. §. 9, p. 913.

cap. L. V. *quum tamen, vti dicitur in d. l.* 15. *non recte iudices iniuriam ſibi fieri exiſtiment, ſi litigator, cuius negotium ſententia vulneratum eſt, a principali cauſſa prouocauerit, quod idem dicitur in l.* 20. *C. Iuſtin. eod. Nec enim adpellatio ad contumeliam iudicis, ſed ad priuilegium iurgantis inuenta eſt l.* 11. *C. Theod. eod. Vtique ſibi gratulari potius deberet iudex primae inſtantiae, quod per adpellationem liberetur a periculo conuentionis, cui ſe per iniuſtam ſententiam, ſi talis inuenta fuerit, expoſuit* (u). Hactenus Zieglerus. Quibus addo, ſi vel maxime alias ab interloquutione nec non in poſſeſſorio ſummario adpellationes in quibusdam iudiciis non temere admittantur (x): facile tamen eas admiſſum iri in his cauſſis, in quibus & interloquutiones, & ſententiae, ſuper poſſeſſorio latae, cum intolerabili plerumque ſubditorum praeiudicio coniunctae eſſe ſolent.

§. XXIIII.

Concluſio diſſertationis. Sed haec quidem de ſingulari hac iurisdictionis Germaniae ſpecie dicta ſufficiant. Plura de illa moneri potuiſſe, fateor, niſi & temporis, & chartae habenda fuiſſet ratio. Mihi, eo librorum rerumque iudicatarum adparatu, quo talia ſcripturo opus eſt, nondum inſtructo, ſatis fuerit, & iuſtitiam huius iurisdictionis, & eiusdem originem, & quid circa illam iuſtum ſit, breuiter, & additis vbique teſtimoniis & exemplis, oſtendiſſe. Deo vero O. M. qui ſtudiis meis adhuc propitius adfuit, pro tot in me collatis beneficiis me totum iure meritoque deuoueo conſecroque.

(u) Chriſtoph. Beſold. *de adpellat. cap. I. n. 6.*

(x) Boehmer. *Iur. eccleſ. proteſt. lib.* II. *tit.* XXVIII. §. 8. *ſequ.*

INDEX

INDEX OPVSCVLORVM IN VTRAQVE SYLLOGE COMPREHENSORVM.

* * * * * * * *

SYLLOGE I.

EXERCIT. I. de habitu & inſignibus ſacerdotalibus apoſtolorum. *Pag.* 1

EXERCIT. II. de genuina natiuitatis Chriſti era ex nummis & inſcriptionibus antiquis illuſtrata. 77

EXERCIT. III. de verae falſaeque ſapientiae characteribus, *Programma inaug. publicatum XV. Kal. Octobr.* 1713. 108

EXERCIT. IIII. de inceſſu, animi indice, *Diſſertatio moralis, Halae* 1713. *reſpond. Io. Mich. Schumanno, Halenſi.* 130

EXERCIT. V. de philoſophis ſemichriſtianis, *Diſſert. hiſt. & philoſ. Halae* 1714. *reſpond. Chriſtiano Hechtio, Halenſi.* 177

EXERCIT. VI. de origine atque indole iuris dictionis patrimonialis, *Diſſert. auſpical. pro conſequendis ſupremis in vtroque iure honoribus habita Hal.* 1714. pag. 229

EXERCIT. VII. de leuis notae macula *ad l.* 27. *C. de inoff. teſtam. Diſſert. Hal. d.* 17. *Aug.* 1720. *reſpond. Chriſtophoro Gottlieb Stockmanno, Gerano-Variſco.* 256

EXERCIT. VIII. de nauibus ob vecturam vetitarum mercium commiſſis, *Diſſ. reſpond. Keſlero, Regiomontano Pruſſo.* 310

EXERCIT. VIIII. de collegiis & corporibus opificum, *Diſſ. Hal.* 1723. *reſpond. Schumanno.* 367

EXERCIT. X. de iuris prudentia veterum Romanorum formularia, ritibuſque, quibus negotia ciuilia explicabant, ſollemnibus, *Oratio auſpicalis Franequerae* 1724. 419

EXERCIT. XI. de vitiis negotiationis collybiſticae vel cambialis, *Diſſ. inaug. Franequer. defend. Lochauio, Hamburgenſi.* 441

EXERCIT. XII. de origine teſtamenti factionis, & ritu teſtandi antiquo, *ad l.* 120. *D. de verb. ſignif. Diſſ. Franequer. defend. Lindenquiſtio.* 484

EXERCIT. XIII. de P. Iuuentio Celſo, ICto eximio, ſuique ſaeculi ornamento, *Progr. inaug. Francof. ad Viadr. a. d.* 2. *Nou.* 1727. 518

EXERCIT. XIIII. de ICtis ſemidoctis, *Orat. inaug. Francof. ad Viadr. dicta a. d.* 4. *Nou.* 1727. 533

EXERCIT. XV. de mercatorum, qui foro ceſſerunt, rationibus & codicibus, *Diſſ. inaug. Francof. ad Viadr. reſpond. Schoepfero, Roſtochienſi.* 545

EXERCIT. XVI. de vſu fructu iuris Germanici, & maxime Hamburgenſis, *Diſſ. Francof. ad Viadr. reſp. Nicolao Rumpfio, Hamburgenſi.* 579

EXERCIT. XVII. de lubricitate iuris iurandi ſuppletorii, *Diſſ. Francofurti ad Viadr. menſ. Oct.* 1730. *reſpond. Io. Theod. Reinolde, Bremenſi.* 629

EXERCIT. XVIII. de religione iudicantium circa reorum confeſſiones, *Diſſ. inaug. Francof. ad Viadr. a. d.* 10. *Maii* 1730. *reſpond. Henrico Duſingio, Bremenſi.* 661

EXERCIT. XVIIII. de Vlpiani ICti Hebraiſmis, *Progr. inaug. Francof. ad Viadr. non. Maii* 1730. 707

EXERCIT.

Digitized by Goo

Exercit. XX. de ſuprema principum magiſtratuumque tutela, *Diſſ. inaug. Francoſ. ad Viadr. VIII. iduum Iunii.* 1730. *reſpond. Chriſtiano Eberhardo Ruſſel, Auricenſi.* pag. 713

Exercit. XXI. de ICtis, reformationi eccleſiae praeludentibus, *Progr. inaug. Francoſ. ad Viadr. non. Iun.* 1730. 747

Exercit. XXII. de eminentioribus ducatus & ducum Lotharingiae praerogatiuis, *Diſſ. Francoſ. ad Viadr. reſpond. Engelkenio, Roſtochienſi.* 754

Exercit. XXIII. de C. Aquillio Gallo, ICto celeberrimo, *Orat. Francoſ. ad Viadr. dicta XVII. Kal. Nouembr.* 1731. 777

Exercit. XXIIII. de Saluio Iuliano, ICtorum ſua aetate coryphaeo, *Progr. inaug. Halae idib. Iun.* 1733. 798

Exercit. XXV. de marito tutore & curatore vxoris legitimo, *Diſſ. inaug. Hal.* 1734. *reſpond. Martino Ottone, Quedlinburgenſi.* 819

Exercit. XXVI. de praeſcriptione annali iuris Lubecenſis a iure communi diuerſa, *Diſſ. inaug. Hal. a. d.* 12. *Octobr.* 1734. *reſpond. Petro Burgeſohn, Geualienſi Sueco.* 886

Exercit. XXVII. de teſtamenti factione iure Germanico arctiſſimis limitibus paſſim circumſcripta, *Diſſ. inaug. Hal.* 1734. *reſpond. Ioh. Henrico Gunthero, Zittauienſi.* 929

SYLLOGE II.

Exercit. XXVIII. de pecunia in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus, alioque remedio vtentibus, deponenda, *Diſſ. inaug. Hal. menſ. Oct.* 1736. *reſpond. Petro Chriſtophoro Lepſio, Marchico.* pag. 1

Exercit. XXVIIII. de reductione monetae ad iuſtum pretium, *ad l.* 1. *C. de vet. numiſmat. poteſt. Diſſ. Hal. a. d.* 4. *Maii* 1737. *reſpond. Io. Matthaeo Egelgraſero, Ratisponenſi.* 36

Exercit. XXX. de iure principis circa commerciorum libertatem tuendam, *Diſſ. Hal. menſ. Mart.* 1738. *reſpond. Magno Henningo Miles, Holſato.* 79

Exercit. XXXI. de iure principis circa ciuium ſtudia, *Diſſ. Hal. menſ. April.* 1738. *reſpond. Friderico Miles, Holſato.* pag. 133

Exercit. XXXII. de cauſſa ſeruitutum perpetua, *Diſſ. inaug. Hal. a. d.* 20. *Iun.* 1738, *reſpond. Iacobo Henrico Kutella, Neidenburgenſe Pruſſo.* 177

Exercit. XXXIII. de locatione conductione iuris dictionis, *Diſſ. inaug. Hal. a. d.* 1. *Iul.* 1738. *reſpond. Io. Hieron. Heilsbergero, Ragnitienſi Pruſſo.* 222

Exercit. XXXIIII. de venditione illicita fructuum in herbis, *Diſſ. inaug. Hal. a. d.* 5. *Sept.* 1738. *reſpond. Antonio Friderico Reimers, Halenſi.* 275

Exercit. XXXV. de dominis, ſubditos ſuos in iudicio ſuo conuenientibus, *Diſſ. inaug. Hal. menſ. Decembr.* 1738. *reſpond. Paſchen Coſſel, Sundenſi Pomerano.* 305

INDEX II.

INDEX LOCVPLETISSIMVS
RERVM ET VERBORVM
Quae
In utrâque OPVSCVLORVM Sylloge continentur.

Numerus I. Primam, II. ſecundam Syllogen deſignat.

A.

ABBADIE (Iacobi) *de notitia ſui ipſius libellus a vera ſapientia alieniſſimus.* I. Pag. 121
ABBO Floriacenſis: *eius de dalmatica ſententia.* I. 25
ABDIAS *Babylonicus: ſub hoc nomine latet auctor hiſtoriae Apoſtolicae.* I. 32
eius libri nugis pleni 74. ſq.
Vide Auctor.
ABVRNIVS (*Valens*) Iauoleni *diſcipulus.* I. 810
Academiae & *ſcholae; quodnam circa illas ſit Principis officium?* II. 158
Quid de illarum inſtitutione? 162
Academia *ludorum aleae & chartarum.* II. 163
Academica *iuriſdictio ad quamnam ſpeciem iuriſdictionis referenda?* I. pag. 233
Acceptans *quis audiat in cambio?* 446
Acceptatio *in confeſſionibus reorum hodie frequentiſſima ex iure Rom. antiquo deriuanda.* I. 681
Accidentalia *cambii, ſi falſum inuoluant, an contra actorem decernatur inquiſitio de falſo?* I. 465
ACCURSIVS *ridetur a* Cuiacio I. 639
Actien, *teſſerae chartaceae.* II. 92
Actio *hypothecaria quo caſu annali praeſcriptione excludatur ſecundum ius Lubec.?* I. 911
Actio *ad ſupplendam legitimam fratribus & ſororibus, perſona turpi inſtituta, vnde competere dicatur?* I. 297
Actio *iniuriarum Lubecae exſpirat intra*

tra tres dies. I. pag. 890
Actio *confeſſoria, vel ex confeſſo.* I. 674
Actione *in rem extincta, an ad aeſtimationem agere, analogiae iuris repugnet?* I. 904
Actiones *inter poenales & perſequutorias nihil differentiae ſtatuit ius Lubecenſ.* I. 891
Actiones *legis Pontifices olim, vel ICti componebant.* I. 504
Quaenam actiones aduerſus tutorem durante tutela inſtitui potuerint iure Rom.? 743
Actionum *legis inuentores qui?* I. 434
Actore *non probante reus abſoluendus: axioma hoc de quanam probatione intelligendum?* I. 643
Adamantes *inferri, venumque exponi vetant Imperator &* Rex *Gall.* I. 316
Adelheidis, *Ottonis M. vidua, vrbem feciſſe dicitur ſub libertate Romana.* I. 407
Adfectatio *ſe prodit* I. 140
ad eam detegendam regulae praeſcribi nequeunt. ibid.
Adfectus *quomodo differant a propenſionibus?* I. 142
Adminiſtratio *vicaria tutorum in Germ. legibus publ. fundata* I. 737
Adminiſtrationis *tutelae differentia ſecundum ius Rom. & Germ.* I. 741
Admiralitaeten, *collegia archithalaſſica.* II. 118
ſic vocantur naues, in claſſis modum conſociatae, 127
Admiralſchafften. *ita vocantur naues conſociatae.* I. 358
Adoptionem *hereditas nominis, pecuniae, ſacrorum, teſte Cic. ſequebantur* I. 496
Adpellatio *quid apud Romanos,* II. pag. 4
temere adpellandi pruritus coercebatur, praefinito adpellationibus certo tempore. 6
Adpellatione *non niſi bis conceſſa* 7
Ea quibuſdam caſibus plane prohibita, 9
Adpulſum *ad littora hoſtilia quibus legibus ſibi ſtipulati ſint Belgae ab Hiſpanis?* I. 353
Adſecurationis *diuiſio* I. 363
ea non ad praeteritum, ſed futurum periculum eſt extendenda ibid.
Adſecurato *quamdiu expectandum, antequam reſtitutionem exigat?* I. 365
Adſecuratores *an nauium pro commiſſo occupatarum pretium reſtituere teneantur?* I. 363. ſeq.
Adſidere *an inter ſacra permiſſum?* I. 45
Adſignatio *an indoſſari poſſit in cambio & inde actio inſtitui?* I. 473
Aduentitia *bona in quantum mater uſufructuaria in inuentario recenſere adſtringatur?* I. 620
Aduerſariis *mercatorum an aeque fides habenda ac codicibus eorum?* I. 562
Adulterium: *qui in eo deprehendebantur, ante ſententiam infames erant* I. 286
Aedilitas *proximus a quaeſtura locus* I. 793
Aedium *religio veterum vnde repetenda?* I. 340
Aegidivs, *Remenſis Epiſcopus, perduellionis accuſatus* I. 671
Aegyptii *erae martyrum inuentores* 82

Aelivs (Sex.) *formulas, quibus olim vtebantur Romani, publicauit* I. pag. 435
Aes *alienum an mater uſufructuaria ſoluere teneatur?* I. 623. ſeq.
Aeſtimatio: *an ad eam agi poſſit, actione in rem extincta?* I. 903
Africa *egregiorum ICtorum matér* 800
Africanvs (Sex.) *ICtus*, Salvii Iuliani *diſcipulus* I. 811
Ἅγια, quamnam templi partem notent? I. 63
Agio *Gall. vocabatur* Collybus *vel* Aſpratura. II. 44
Agnati *ipſo iure tutores mulierum erant iure Rom.* I. 835
Agnatis *& cognatis iure Germ. relinquenda eſt legitima* I. 971
Agnatorum *tutela legitima Graecis ſuſpecta videbatur* I. 717
Agraria *lex Hebraeorum: quinam de ea egerint?* I. 887
Agrestinvs, *Notarius Regis Galliae, controuerſiam mouet de tonſura* I. 36
Agrorum *Romanorum olim magna erat anguſtia* I. 369. ſq.
ἀκύλιον, ita legendum pro ἀτύλιον I. 782
ἀκριβῶς χριστιανίζειν qui videri volebant, pallium ſumebant I. 8
Alamannia *ſub Car. Craſſo regnum fit* I. 760
Alberici Rosciatis *de materia ſubſtitutionum ſententia* I. 978
Alchemiſtici *ſtudii vanitas* I. 128
Cornelii Agrippae de eo ſententia ibid.
Alcibiadis *iudicium de mutatione legum* I. 437
Alemanni: *apud eos tutela legitima non erat gratuita* I. pag. 853
Alemannia *a Francis in ſeruitutem redacta* I. 247
Alexandri Severi *inſtitutum circa religionem* I. 184
Alienatio *bonorum vxoris libera effectus tutelae maritalis olim in Germ.* I. 865
quae κατ' ἐξοχὴν ita dicta iure Rom.? 833
Alimenta *virum mater uſufructuaria tantum conſequatur, an plenos fructus?* I. 617
Alimenta *liberis a matre uſufructuaria praeſtanda quomodo comparata eſſe debeant?* I. 625
Alixivs & Salmasivs *quid de pallio Tertulliani demonſtrarint?* I. 7
Ἀλληγορικῶς omnia interpretabantur Platonici I. 182
Alphaeus *& Cleophas legi poteſt* I. 59
Altare *thymiantis: ad Sanctum, vbi hoc altare erat, non admittebantur Iſraelitae* I. 64
Alteserra (Ant. Dad.) *refutatus* I. 813
Ambitionis *diviſio in ſtultam, Thraſonicam & ſpecioſam* I. 160
haec denuo vel erudita, vel aulica, vel militaris, vel Phariſaica 162
Ambitio *ſtulta quonam inceſſu ſe prodat?* ibid.
Thraſonica? 164
Specioſa? 165
Phariſaica? 168
Ambitus *falſae ſapientiae character ſecundum Platonem* I. 115
Ambrosii *ſententia de ſecundis nuptiis*

ptiis I. pag. 590
AMBROSIUS, *Mediolanenſis Epiſcopus, quid ex inceſſu amici collegerit ?* I. 148
Amiras, *vel* Emirs *Saraceni principes ſuos vocabant* I. 358
AMMIANVS Marcellinus *quid ſcripſerit de* Damaſo ? I. 25
AMMONII Saccae *ſchola eiuſque celebritas* I. 195
de eius religione diſquiritur ib. ſq.
eius Chriſtianiſmus vnde probetur ? 192
Amond *quid ſignificet Germanis* I. 848
ἀμφιβολία *definitur a Diog. Laert.* I. 816
ANACLETVS: *quid epiſtola eius praecipiat ?* I. 21
an aliquid probet ratione habitus ſacerdotalis ? ibid.
Anconitani *quamnam poenam alienis inſignibus nauigantibus ſtatuerint ?* I. 355
ANCVS MARCIVS Tarquinium Priſcum *liberis ſuis teſtamento tutorem dedit* I. 598. 718
ANCYRANI *monimenti fragmentum exhibetur* I. 96
ἄνδρες χελιδόνες *celebrabant Graeci* I. 590
ANDRO (Sextilius) *an vxorem in tutela habuerit ?* I. 825
Angelorum & *Archangelorum an meminerit Orpheus ?* I. 189
Anglia: *quaſnam merces eâ exportare non liceat ?* I. 316
ibi nulla iuriſdictio eſt hereditaria 236. ſq.
Angli *cuiuſdam conſilium de euitanda morte corporis* I. pag. 128
Anglorum *cum Polonis & ciuitatibus Hanſeaticis de commercio lites* I. 318
Anima: *quid de ea ſenſerit* PORPHYRIVS ? I. 206. ſq.
variae de ea philoſophorum ideae, Platonicorum, Stoicorum, Iudaeorum 121
Annalis *praeſcriptio cur obtineat Lubecae ?* I. 890. 897
ſecundum ius Lubecenſe de forma aedificiorum 920. ſq.
an iſtum articulum recte interpretetur Meuius ? 921
quid hac in re interſit inter ius Lubecenſe & Rom. ? ibid.
ANNEIVS (M.) *a naturali patre teſtamento praeteritus* I. 502
Annona *Auguſta: eius curam habebant Principes Romani* I. 326
Annos *olim feminae non conſulum, ſed maritorum numero computabant* I. 425
Annus *emortualis Herodis M.* I. 91
de eo Ioſephi *teſtimonium cum Iudaeorum hypotheſi conſpirat* ibid.
Annus & *dies quid iure Lubec.* I. 890. 892
haec formula in variis diplomatibus occurrit 892
ANSELMVS *accurate ſibi oſtendiſſe videtur originem Dalmaticae* I. 25
Anteſtatus *in teſtamento per aes & libram adhibebatur* I. 505
eius officium ibid.
ANTIPHONTIS *ſophiſtae de Socrate ſententia* I. 114
quid ei reſponderit Socrates ? 115

Antiquas

Digitized by Google

Antiquas *res rimari debet verus ICtus* I. pag. 486
Antiquitatis *ſtudium commendat Iuſtinianus* I. 485
Antiſtites *Chriſtiani maximis perſequutionibus obnoxii erant.* I. 13
ANTONINI PII *Imp. iudicium de ſeruis, qui ad Statuam Principis confugerant* I. 903
Ἄωρος quae dicta veteribus? I. 816
Ἀπόρρητα ita a Graecis vocabantur merces, quarum vectura vetita erat I. 321
Apoſtoli *an gladio cincti iter fecerint?* I. 49
an tonſi fuerint? 26. ſq.
Pontificii id adfirmantes, quanam auctoritate nitantur? ibid.
an Sacerdotes proprie dicti? 68
Apoſtoli, *Ioannes & Philippus, an conſpiciantur in numo Theodoſii?* I. 71
Apoſtoli: *ab eorum temporibus habitus Clericalis deriuatur* I. 20
eos habitu hodierno induit Baronius ibid.
Apoſtoli *cur ſimplicioribus veſtibus vſi?* I. 16
plerique arte illiberali victum quaerebant 30
cur eos habitu communi vſos credendum? ibid.
eorum gladius 50
Grotii *locus de eo quomodo explicandus?* ibid.
eorum veſtes litteratae 76
eorum inſigne ſacerdotale gladius dicitur 50
Apoſtolicae *hiſtoriae auctor perſonatus ſub nomine* Abdiae I. 32
Appellatio. *Vid.* Adpellatio.
Apronianum *SC. quid indulſerit municipiis?* I. pag. 401
Ἀπελεύθεροι *iure Rom. erant ſerui & liberi* I. 584
APVLEIVS: *ex eius loco obſeruata ſignificatio verborum: inopia probationum* I. 648
Aquaeductus, & Aquaehauſtus *ſeruitutes.* II. 190. 191. 195. 198. 202. 203. 204. 208. 215. 216. 217. 218. 219
Aquila Aquisgrani *in palatio praefulgens mox huc, mox illuc verſa a victoribus* I. 763
Aquilliae *gentis fata* I. 782. ſq.
Aquisgranum *Regni Lotharingiae palatium* I. 762
in protectione Comitum Iuliaci, Cliuiae, Montium, fuit, I. 766
Arabes *quando ab adſcenſione Chriſti numerare inceperint?* I. 82
Archidux *Lotharingiae primus quis?* I. 769
Archiepiſcopalis *habitus reſtrictus Concilio Monſpelienſi:* I. 20
Archimareſchallus *Elector Saxoniae* I. 768
Archontes *quinam apud Athenienſes?* I. 717
illis curam pupillorum demandauerat Solon. ibid.
Arelatenſe *regnum* I. 756
Argentariorum *priuilegium ad numularios prolatum* I. 556
eorum in iure Rom. paſſim fit mentio 442
quodnam olim eorum officium? ib.
cur vocentur ἀργυροπρᾶται 443
Argentarii *Romani non ſimiles fuere hodiernis* I. 442. ſq.

Argentariorum *ſcriptura olim plenam fidem habebat* I. pag. 555.
Argyris *ethnica Rauennae religioſe culta* I. 81
Aristidis *priſtinus habitus quid?* I. 8
Ariſtocratia *Romae inſtituta, multae concertationes ortae inter Optimates & plebeios* I. 380
Aristoteles: *quid in eius philoſophia deſideretur?* I. 122
de eius dialectica, metaphyſica & phyſica iudicium ibid.
eius principium de cognoſcendis hominum propenſionibus admodum lubricum 134
Baconis de Verulamio de eo iudicium 1 35
laudat Lacedaemonios 717
quomodo leges in rep. diſtinguat? 836
quamnam rempubl. felicem praedicet? 715
Arma *quaenam priuatis geſtare permiſerit Iuſtinianus?* I. 326
Arma *priuatorum commercio & fabricationi exemta* ibid.
Arma *Saracenis vendere in expeditionibus ſacris vetitum* I. 327
Arma *Barbaris vendere cur prohibuerit Marcianus?* I. 324
Arnvlphvs Arnulphi *mali filius, primus comes palat. Bauariae* I. 760
Arnvlphvs *Imp. quo iure acceperit Lotharingiam a Carolo Craſſo?* I. 757
Aromata *fraudulenter corrupta inter merces vetitas referuntur iure Germ.* I. 332
Arrii *iudicium de filio in parricidio deprehenſo.* II. 236
Arrogandum *auctorem apud Romanos fieri oportebat* I. pag. 496
Artem *ludicram qui faciebant, pro infamibus habebantur* I. 287
illam facere quid? ibid.
an in eorum cenſum relati, qui priuatos ludos agebant? ib.
Aruales *fratres, an ad eorum collegium lex Decemuiralis ſpectarit?* I. 382
ἀσκήσεις primorum Chriſtianorum I. 8
Aſceticae *vitae amatores pallio philoſophorum induti* I. 17
Aſpratura *quid?* II. 44
Aſſyriorum *veſtimenta deſcribuntur* I. 31
Atellanarum *actores artem ludicram facere non dicebantur* I. 287
Athenienſes: *an apud eos axioma valuerit, quod confeſſus pro iudicato habendus?* I. 671
cui iniurato credendum putarint? 645
eorum iudicia publica qualia fuerint? 677
cur damnarint Timocratem? 670
eorum leges quinam auctores explicarint? 826. ſq.
Athenis *quando innotuerit teſtamentifactio?* I. 597
nefas habebatur, teſtamentis ſpem agnatorum interuertere 598
Solon quos caſus exceperit? ib.
A toga ad pallium: *vulgi dicterium* I. 6
Atrium *Iſraelitarum; eius limites nemini tranſire licebat* I. 64
Atticae *mulieres in legitima virorum ſuorum*

Digitized by Google

ſuorum tutela erant I. pag. 824
nihil, ſiue in iudicio ſiue extra illud valide agebant inconſulto Κυρίῳ 828
Auarorum *inceſſus* 171
Auctor *perſonatus hiſtoriae Apoſtolorum ſub nomine* Abdiae I. 32
quid de Ioanne Apoſtolo memoriae prodiderit? ib.
quid de Simone & Iuda? ib.
quid de S. Bartholomaeo? ib.
Auctores *antiqui: ex iis perpaucos ad nos perueniſſe putat* Harduinus I. 79
Non Audiri *quomodo iuridice accipiatur?* I. 640
Auditores *vocati contumeliae cauſſa ICtorum diſcipuli* I. 785
Aufgebrachte Schiffe *reclamiren quid?* I. 365
Auguſtae *Vindelicorum quando Senatus inſtitutus?* I. 408
AVGVSTI *cenſuum chronotaxis* I. 97
AVGVSTINI *locus de Ammonio* I. 199
eiuſdem locus de iureiurando commendatur 661
AVGVSTVS *fiſco vacantia bona adiudicabat* I. 915
is quadriennium praefiniuit, intra quod bona vacantia agnoſcenda ib.
a quonam tempore iſtud computandum fuerit? ib.
is de Tiberio ex inceſſu indicat 145
is monarchia Romae introducta, collegia opificum ſupprimit 389
Aurea Bulla *quid in auguratione Germaniae regum praecipiat?* I. 766
Aurea Bulla *Friderici II. edita a Dn. de Ludewig* I. pag. 896
Auri *argentique analogia quae fuerit apud Hebraeos & Graecos?* II. 69
quae apud Romanos? 70
quae apud Germanos veteres & recentiores? 72
Aurifices *quinam fuerint?* I. 372. ſq.
Aurum *offerendum erat Sophiſtis ab iis, qui eorum diſciplinae ſe credebant* I. 114
Authentica Omnes Peregrini, *quid ſea abolitum?* I. 960
Authenticae *Praeterea exiguus vſus in Germ.* I. 595
Ἀξίωσις *L. IX. ad L. Rhod. de iactu quid probet?* I. 311

B.

B. *& V. medio aeuo permutarunt librarii* I. p. 519
Baculus *Paſtoralis: eius origo fruſtra in Petro quaeritur* I. 40
Hiſtoricorum de eo teſtimonia ib.
Canoniſtarum de eo doctrina 41. ſq.
auctorum variae de hoc baculo ſententiae 42
quem in finem fuerit geſtatus? 44
deponendus erat, quum Euangelium legendum eſſet ib.
quomodo in ſymbolum Epiſcopatus commutatus fuerit? ib.
an vmquam a Ieſu fuerit geſtatus? ib.
Baculus Paſtoralis *Petri an Treuiris cuſtoditus fuerit?* I. 45
cur ab eo abſtinere dicantur Papae?

pae? I. pag. 45
BALBVS (L.) *Lucillius ICtus in reſpondendo paullo tardior* I. 786
BALDVINVS *refutatus* I. 599
Mucianam iuriſprudentiam adornans 487
BALDVS *quantum controuerſiis de ſubſtitutionibus ſe lucratum fateatur?* I. 978
Baptiſmus *in fluminibus celebratus* I. 16
Baptiſmi *die qui infantum loco ſponſionem fecerant, vocabantur* ἀναδεχόμενοι I. 109
Barbam *imitata antiquitas* I. 137
Barbaries *in hodierna iuriſprudentiam addiſcendi ratione* I. 542. ſq.
Barbarius Philippus *a domino vindicatur* I. 894
BARONIVS *a* Caſaubono *refutatus* I. 16
ei reſpondetur ad obiectionem ratione habitus Cypriani 26. 23. ſq.
eius ſententia mutata de libello Tertulliani de pallio 7
quid eum fefellerit in deriuandis mitris epiſcopalibus? 69
futili argumento vtitur ad probandam tonſuram Petri 37 ſq.
an recte interpretetur Hieronymi teſtimonium de Rom. proteruia? 5.
quid ex Tertulliani libello de pallio colligat? 6
Bartholomaei *indumenta a quibuſnam deſcribantur?* I. 74
Baſilicῶν *interpres* I. 637
Βασιλικῶν *Autores citati,* II. 42. 43
Bauariae *primus comes Palat.?* I. pag. 760
BEBENBERG (Lupoldus de) *iur. Rom. peritiſſimus & Ludouici Bauari defenſor contra Papam* I. 751
BEDAE & Germani *teſtimonia nullius momenti reſpectu tonſurae Apoſtolorum* I. 38
Belgae *quibus conditionibus adpulſum ad littora hoſtilia ſibi ſtipulati ſint ab Hiſpanis?* I. 353
Belgium: *quid ibi circa praeſcriptionem bon. vac. iuris?* I. 918. ſq.
ibi magna maritorum auctoritas circa bona vxorum I. 862. ſq.
ibi & teſtamentum ſine heredis inſtitutione valere poteſt I. 976
Bella *Romani non niſi auſpicato adminiſtrabant* I. 497
Bella *indicendi mos Romanorum* I. 423
Bellum, *a principibus aliquando adhibitum ad libertatem commerciorum tuendam.* II. 130
BELMONTIS Cagnoli *vita exemplum praebet ambitionis ſtultae* I. 160
BERNARDI, *Ducis Sax. numus* I. 85
quid in eo characteres Mſſ. ib.
Bernatenſibus *quodnam priuilegium conceſſerit Fridericus II. Imperator?* I. 408
BERKELII (Abrah.) *coniectura de Epaphrodito an locum habeat?* I. 201
Bianco: *vitioſum eſt indoſſamentum in* bianco I. 477
Bibliotheca Vſſeriana: *in ea reperta harmonia Euangelica* I. 98
Birrum *lacernum quid?* I. 26
Birrus *quid?* I. 23
Boeti *cur ex antiquiſſimorum opificiorum*

Digitized by Google

ciorum more Knechte *vocentur?* I. pag. 407
Boethii *locus an tutelam maritalem Romanorum confirmet?* I. 840
Boethivs (Seu.) *an ex eius libello de conſolatione ex Philoſophia concludendum, eum non fuiſſe Chriſtianum?* I. 221
Bombyces: *eorum alitio & progreſſus in Europa.* II. 169
Bona *paraphernalia: eorum adminiſtratio iure vet. non niſi ex pacto ad maritum pertinebat* I. 845
Bona *adquiſita & hereditaria* I. 964
diſtinctio inter ea frequentiſſima iure Germ. ib.
Bona *mobilia: de iis in quibuſdam Germ. prouinciis modo teſtari licet* I. 963
Bona *vacantia quae?* I. 914. 917
quomodo vocentur a Strabone? 914
quomodo iis praeſcribatur? ib.
Bona *aduentitia in quantum mater vſufructuaria in inuentario recenſere teneatur?* I. 620
Boni *viri olim adpellabantur iudices* I. 789
Bononia: *eo Germani iur. Rom. diſcendi cauſſa frequentes proficiſcebantur* I. 978
Bonorum *poſſeſſio dabatur ex teſtamento Praetorio* I. 506
Bonorum *diuiſio qua ratione ſuſcipiatur vſufr. materno finito?* I. 628
Boſphoro *cuſtodes impoſiti* I. 336
Brabantiae *Dux cur Lotharingiae nomen adfectarit?* I. 772
cur ius gladium praeferendi ſibi vindicauerit in coronatione Imp.? I. pag. 772
Brabantini *quid ſibi vindicarint?* I. 766
Breitenbachivs (Io.) *ICtus Lipſ. librum contra indulgentias ſcripſit* I. 752
Bremenſes *quando conſules habere coeperint?* I. 407
Bvdaevs (Guil.) *ICtus laudatur* I. 752
librum conſcripſit de Aſſe ib.
Burgundia *Regni Arelatenſis vocabulo diſtincta a Lotharingia* I. 756
Burgundionum *leges de vſufructu qua in re diſcreparint a Wiſigothorum* I. 597
Bvrnetii *quaeſtiones de rerum omnium origine veram ſapientiam non ſapiunt* I. 128
Bœſe *vel* Biſſoe *quid ſignificet?* I. 19
Bvsbeqvii *iudicium de monimento Ancyrano* I. 95
Byl-Brieff *quid?* I. 342
Bynkershoek (Cornel.) *laudatus* I. 500

C.

Cabbaliſtici *ſtudii vanitas* I. pag. 123
character falſae ſapientiae ib.
Caduca *omnia fiſco cedebant ex L. Iul. & Papia Caducaria* I. 915
pleraque ſuſtulit Iuſtinianus ex hac lege ibid.
Caducaria *Lex* I. 515
Caducorum *nomine olim veniebant legata* I. 914
Caecilii *de Societatibus Chriſtianorum locus* I. 4
Caedes *liberorum hominum olim in*

Germ. non erat capitalis I. pag. 245
Caelibes *teſtari prohibentur per ius Hageſtolziatus* I. 960
Caepollae *Tract. de ſeruitutibus: de illo iudicium* II. 178
Caeſaries *quid?* I. 28
Caesaris *de Neruiis & Sueuis locus, ex quo patet; ad has gentes mercatoribus nullum aditum fuiſſe* I. 315 ſq.
eius dictum de regnandi cupidine 634
ei vitio verſum, quod dalmaticatus in publicum prodiiſſet 24
opificum collegia tamquam odioſa ſupprimit 389
Cainvs, *in eius poſteris vera ſapientia defecit* I. 125
Caivs, *dum legem de opificibus ex Solonis lege translatam eſſe ait, quomodo intelligendus?* 381. ſq.
quando floruerit? 646
an ex eius fragmento probetur iurisiurandi ſuppletorii fundamentum? ibid.
quot ei genera iurisiurandi? 636
Calae *matronae lites cum filiis,* II. 234
Callimachi *de magno libro ſententia* I. 928
eiuſdem de vino ſententia 695
Cambia *propria quaenam?* I. 447
Cambia *propria praeſcriptione ſeptenni plane vitiantur* I. 457
a minoribus traſſata vel acceptata num vitioſa? 459
vel ipſo iure tolluntur, vel per modum exceptionis 458
Cambiales *formulae* I. 445
Cambiales *litteras qui accipit alio loco offerendas quomodo vocetur?* ib.
Cambiales *litteras ſe ſcripſiſſe negans an ad iuratam diffeſſionem ſit admittendus?* I. pag. 462
quae in iis omitti, vel non omitti poſſunt 454
an in iis neceſſario valutae facienda ſit mentio? 455
Cambiantes *qualem contractum ineant?* I. 451
Cambiare *&* cambium *quid?* I. 445
Cambii *definitio,* I. 455
Cambio *ſi praeter quatuor perſonas in eo neceſſarias, aliae ſubſcribant, fideiuſſiſſe cenſentur* I. 447
Cambium *ſi ſuppoſititium, ſubſcriptio autem recte ſe habeat, an reus ad iuratam diffeſſionem admittatur?* I. 462. ſq.
an, ſi quid in ſubſtantialibus mutatum? 464
Cambium, *teſſera amiſſa, quo caſu inutile fiat?* I. 474. ſq.
id vitiatur proteſtatione amiſſa 475
cur nec pactum nudum, nec legitimum dici poſſit? 449
cur non contractus innominatus? ibid.
Cambium *ſi falſi arguatur in die ſolutionis, quid iuris ſit?* I. 464
eius vitium 457
Cambium *ad iur. ciu. principia reduci nequit* I. 451
Cambium *proxime accedit ad contractum litteralem* ib.
eius vitia ob correalem obligationem 467
an in eo nec plures, nec pauciores, quam quatuor perſonae eſſe

eſſe poſſint? I. pag. 446
Cambium *ſcriptura contrahi negantes refelluntur* I. 452
eius vitia extrinſeca 464. ſq.
ex falſo quis damnum ferat 464. ſq.
Cambium *quando prorſus vitioſum?* 461. ſq.
an omne cambium indoſſari poſſit? 476
Cambium *ſi per multorum manus ambulet, giro vocatur* I. 447
inuentum Longobardicum 444
in quo cambii non ſit mentio vitioſum 473
an illud vitioſum in quo valutae non ſit mentio? ib.
Cambium *proprie inter duas perſonas vertitur, reliquae vi mandati accedunt* I. 454
Canones *ſpeciales* 1. *de inceſſu ſtolide ambitioſorum* I. 162
2. *Thraſonum* 164
3. *prudentiae & fortitudinis gloriam adfectantium* 165
4. *ambitione Phariſaica turgidorum* 168
5. *laſciuorum* 169
6. *voluptati amicae deditorum* 171
7. *auarorum* ib.
8. *vecordium hominum, ſimulatorum & crudelium, perfidorum & inquietorum* 173. ſq.
Canonibus *de inceſſu iungendae obſeruationes in vita communi obuiae* I. 159. ſq.
Canoniſtae & *Scholaſtici quid ſentiant de antiquo habitu ſacerdotali?* I. 11
eorum doctrina de baculo Petri 41
quaenam iura Clero vindicent ob gladium Petri? I. pag. 49
Capitis *accuſati voluntarium exilium eligere poterant iure vet.* I. 703
Capitis *deminutionem patiebatur mulier in poteſtatem mariti redacta* I. 825
Capitis *an damnari poſſint ſurdi & muti?* I. 701
Cappa *Hetruſco ſermoni originem debet* I. 14
Capulatores *qui?* I. 397
Caracalla *lacte Chriſtiano educatus* I. 191
eius reſcriptum de probationibus 641
quomodo id interpretati ſint Diocletianus & Maximianus? ib.
Caravana *quid?* II. 127
Car. M. *tabulae quibus Aquisgranum ſedem Regni Lotharingici declaraſſe fertur, νοθίυσεως poſtulantur a Criticis* I. 762
eius de dalmatica ſententia 25
is Germanis teſtamentifactionem ademiſſe fertur 943
Carnes *diſtrahendi modus edicto elegantiſſimo abolitus.* II. 97
Carnifices *an iure leuis notae macula laborare dicantur?* I. 295. 300
eorum officium apud Romanos 300
ſi heredes ſcripti, an frater teſtamentum euertere potuiſſet apud Rom.? ib.
cur ad eos redundarit macula quaedam? ib.
eorum conditio in Germania ib.
quales ſe gerere debeant in torquendo? 694
verbis durioribus non vti debent aduerſus reum ib.

Carpzovivs *contra* Schilterum *defenſus* I. pag. 727
eiuſdem & Richteri controuerſia de vſufr. mat. 603
vtriuſque argumenta 604
Cartesii *fictiones veram ſapientiam non redolent* I. 128
Carthaginienſes Tertullianum *rident ob pallium*, I. 6. ſq.
Caſati & *non* Caſati : *quando haec diſtinctio orta?* I. 247
Casavbono (Iſaaco) *quid reſpondeatur ad eius Criticam de monumento Ancyrano?* I. 95
Casleu, *menſis ad cuius diem VII. Iudaei Synagogae ſupplicationem indicebant, ob mortem Herodis* I. 91
Cassivs *damnat patrem*, II. 235
Caſula & Cappa *an voces latinae?* I. 14
Caſula *quid Pontificiis?* ib.
Cato *vxorem ſuam Q. Hortenſio cedebat* I. 503
eius locus an tutelam maritalem probet? 840
Cato Vticenſis *in iudicando religioſiſſimus* I. 668
ex eius oratione quid probetur? ibid.
Cave (Guil.) & Salmaſius *quando* Tertullianum *pallium ſumſiſſe ſtatuant?* I. 7
Cauſſa *falſa cur non vitiet legatum?* I. 512
Cauſſae *pecuniariae : in iis ferut contra dom. interrogandi* I. 648
quaenam iusiur. plane reſpuant? 658
Cauſſarum *Patroni : in eos magna crudelitate ſaeuiebant Germani* I. 230
Cauſſae *accurate cognoſcendae*; II. pag. 2
Cauſſa *perpetua ſeruitutum*, II. 177. ſqq.
de illa varii ICtorum loci, 183. 185. 187. 188
de illa Doctorum quorundam ſententiae excuſſa, explicatio, iudicium, &c. 192. 194. 195. 198. 199. 201. 204
Perpetuitas cauſſae ſemper fuit inter adfectiones ſeruitutum praedialium, 209
Cauſſa *perpetua quid ſit?* 211. ſq.
Regulae de cauſſa ſeruitutum perpetua, 215
Vide Seruitus.
Cautionis *Mucianae inuentor quis?* I. 487
eam commentario illuſtrauit Fr. Balduinus ib.
Cautionem *an praeſtet mater vſufructuaria?* I. 620
an poſſit alienare? ib.
Cebes Thebanus : *eius philoſophia* I. 108
eius tabula multa praeclara habet. ib.
Celsvs *quando vixerit?* I. 518
eius natales & ſtudia 521. ſq.
eius ſtemma exhibetur 520
in philoſophia Stoicus, in iurisprudentia Proculeianus 525
eius ſcripta 530. ſq.
quid in fragmento eius notatu dignum? 532
quando deceſſerit? 529
Celtarum *nomine qui olim populi venerint?* I. 849
haec gens ſibi vxores coemebat 850

Cenſuales *tabulae diu ſuperſtites* I. pag. 102
Cenſuum *Auguſti chronotaxis* I. 96
quiſnam ad Chriſti natales pertineat? 97
Cenſus *indicti ab Imperatoribus per aliquot annos protrahebantur.* ib.
eius rei exempla 98
non ab ordinariis Praeſidibus agebantur 101
Cenſus *vniuerſales Reges ſub Caeſaribus Rom. recuſare non poterant* I. 94
Cenſus *ſub Auguſto actos quid illuſtret?* ib.
de Cenſu *D. Lucae locus* I. 93
Centonarii *quodnam opificum genus?* I. 373
Centum *aureorum poena tenebantur curatores collegiorum, ſi quem inuito domino recepiſſent* I. 397
Centumuirale *iudicium querela inofficioſi vocabatur* I. 267
Certepartien *quid?* I. 346
Certificats *ſunt litterae, quas leges nauticae exigunt* I. 344. ſq.
earum formulae 345
Romanis non ignotae 346
earum utilitas, II. 123
Ceſſiones *inter Iudaeum & Chriſtianum in Germania prohibentur legibus publ.* I. 478
Ceſſitia *tutela quid?* I. 835
CHALCIDIVS: *eius commentarius in Platonis Timaeum* I. 211
quando floruerit, incertum ib.
an fuerit Chriſtianus? ib.
Characteres, *quorum meminit Tertullianus, quibusnam temporibus conueniant?* I. 7
Characteres *ab Euangeliſtis dati Chronologis obſeruandi in computanda era Chriſtiana* I. pag. 86
Characteres *propenſionum quomodo diuidantur?* I. 133
Characteres *verae falſaeque ſapientiae quis primus dederit?* I. 111
petendi ex definitione ſapientiae 120
CHIFFLETII (Io.) *de antiquo habitu ſacerdotali locus* I. 11
CHILDEBERTI *decretum in materia praeſcriptionis* I. 908
Chirographum *in iure* confeſſio *vocatur* I. 679
CHRISTI *natalis quantum temporis inter eam & Herodis M. exceſſum interceſſerit?* I. 92
eam eſſe VIII. Kalend. Ian. ſtatuit Eccleſia Occidentalis ib.
conſecratus ab Eccleſia Latina aemulatione gentilium ib.
Chriſtianae *Eccleſiae miſera conditio oſtenditur* I. 4
Chriſtiani *vbi* Iudaeorum *nomine veniant?* I. 201
eorum religio cum Iudaeorum religione quaedam communia habebat ib.
Chriſtiani *familiari conuitio* Galilaei *audiunt* ib.
ii mores publicos innoxios non abrogabant 2
ii ab Ethnicis arguuntur variorum criminum ib.
primi philoſophiae Ethnicae Studioſi 17
in primis Platonicae ib.
quinam ex illis pallio philoſophorum induti? ib.
Chriſtiani *priſci an Presbyteros ſuos ſingu-*

ſingulari habitu exornatos voluerint ? I. pag. 10
Romanenſium ea de re ſententia 11
Chriſtianorum antiſtites maximis perſequutionibus obnoxii I. 13. ſq.
eorum conſuetudo cum paganis philoſophis quid effecerit ? 192
eorum ſcholae frequentatae a paganis 194
eorum ſacerdotibus indumenta ſacra V. T. tribuuntur συνεκδοχικῶς 70
quid eis in contractibus cum Iudaeis obſeruandum ? 331
Chriſtiani cum Iudaeis ſaepe confuſi I. 393
eorum conuentus religionis cauſſa ἑταιρείαις accenſiti 393. ſq.
an togam cum ſuperſtitione Romana poſuerint ? 5. ſq.
Chriſtiani ludibrio erant Iudaeis & gentilibus ob tenuiorem fortunam I. 9
quid in veſtimentis immutarint ? 5
ii in habitu nihil adfectarunt ? 9
an nudis pedibus, vel ſoleis inambulauerint ? ib.
an veſtitus ratione ſe prodiderint ? 4
eorum ſocietates a gentilibus exprobratae ib.
eorum notae quaenam ? 4
Chriſtianorum primorum ἀσκήσεις I. 8
ii quonam veſtium genere vſi ? 2
Chriſtianae religionis perſequutiones quando ceſſauerint ? I. 17
CHRISTIANI VI. Daniae regis, laus, & autoris pro illo vota II. 132. 175. ſq.
CHRISTVS an in Euchariſtiae inſtitutione peculiarem habitum adhibuerit ? I. pag. 16. ſq.
an in communi vita ? ib.
CHRISTVS ſub Quinctilio Varo, Syriae Praeſide naſcitur I. 100
vnde id oſtendatur ? 101.
cur eius natiuitatis era hodienum tam obſcura ? 82
quonam veſtimentorum genere vſus ? 31
Chronologici quidam lapſus notantur I. 99
Chronotaxis imperii Archelai: ex ea demonſtratur, Herodem Antipam regnare coepiſſe anno Iul. XLIII. I. 90
CHRYSOSTOMI & Baronii ſententia de prouerbio ὁ γερικὸς ἐνθέτω I. 6
CICERO Caium Aquillium Gallum ſuum vocat I. 794
de ICtorum excellentiorum paucitate conqueritur 535
Cicero Caii Aquillii Galli collega in Praetura I. 793
eius locus de teſtamentis in procinctu factis explicatur 499
is collegiorum opera in ciuitatem ſe reuocatum fatetur 386
exprobrat M. Antonio, quod libertinam duxerit 282
eiusdem iudicium de formulis Romanorum 428
illud expenditur 436
eiusdem locus de C. Aquillio Gallo 790
an ille tamquam tutor cum Publicia in matrimonio vixerit ? 841
quomodo eleganter is definiat vſucapio-

capionem? I. pag. 885
eius locus de tormentis 692
Cidares *ſacerdotum, nec cum Pontificis Maximi, nec cum hodiernis Epiſcoporum mitris ſunt comparandae* I. 69
a gentilibus in Eccleſiam inuectae ib.
Cifrae *Arabicae Romanis intermixtae conſpiciuntur in numo Bernardi, Ducis Sax.* I. 85
Cinctus Gabinus *quid?* I. 498
quando eum ſumſerint Romani milites? 497
Cirri *quid?* I. 28
Cirri *Alexandrinorum puerorum cur detonſi a Diodoro?* I. 29
Ciſterna, *circa illam ſeruitutes,* II. 200. 202
Ciſterna *vini,* II. 293
Citatio *olim fiebat in diem decimum quartum* (über vierzehn nachte) I. 892
Ciuilia *verba quaenam?* I. 512
Ciuitates *quaedam municipales in Germania iure conſtituendi tutores gaudent* I. 732
Ciuitatum *Hanſeaticarum circa merces vetitas Statuta* I. 333
Ciuitates *integrae olim manumiſſae* I. 408
huius rei exemplum ib.
inde paroemia: Keine Henne flieget über die Mauer 409
an ſeruis fugitiuis tutum perfugium fuerint? 896
Civitatis *ius intra quodnam tempus recuperandum iure Lubecenſi?* I. 890
Ciuium *Rom. domi ſuae maieſtas oſtenditur* I. 494
Ciuium *ſtudia, ius Principis circa illa,* II. pag. 133. ſeqq. *Vide* Studia.
Claſſes *adhibent Principes ad libertatem commerciorum tuendam.* II. 127
Claſſici *teſtes quinam Romae dicti?* I. 950
CLAVDIVS *Liuiam ſuam praegnantem Auguſto cedebat* I. 503
CLAVERII (Iac.) *vita exemplum ſuppeditat ambitionis ſtultae* I. 161
Clauſula *teſtamento priori inſerta, qua ſe teſtator, illud mutandi facultate abdicauit, an valeat?* I. 501
CLEMENTIS *epiſtola allegata a Pontificiis nihil probat* I. 21
CLEMENTIS Alexandrini *libri* Stromatum *quid de Sophiſtis contineant?* I. 117
eius verba de Sophiſtis non recte interpretantur 118
quot characteres verae falſaeque ſapientiae tradat? ib.
quatuor eius characteribus de vera falſaque ſapientia tres noui adduntur a Buddeo 119
CLEMENS IV. Papa *decimas per vniuerſam Germaniam exigit* I. 750
Clerici *Occidentales Graecos in tondendis capillis imitabantur* I. 19
cur eis opus fuerit legibus veſtiariis? ibid.
eos peculiarem habitum in prima Eccleſia habuiſſe, oſtenditur 10
exempla Aegyptiorum, Graecorum & Rom. ib.
eorum veſtimenta a laicis non attingenda 12
Clerici, *quinam ſic vocati in Britannia & Belgio?* II. 162
Clerus *abhorret ab habitu philoſophico*

co I. pag. 18. ſeq.
Cloaca *quid?* II. 196. ſq.
Clodivs (P.) *abolita Romae collegia reſtituit, iiſque noua addidit* I. 387
quantum ipſi profuerit hoc conſilium? 388
Codex *Iudaei mercaturam exercentis an aequiparandus ſit codici decoctoris?* I. 576
Codices *decoctorum vbi edendi?* 570. ſq.
admittunt probationem contrarii, quamuis iis vel maxime ſuffragentur alia adminicula 574
Codicilli *quinam* Seelen-Geräthe *dicti?* I. 946
Coelestini P.P. *epiſtola ad Epiſcopos Narbonenſem & Viennenſem ſcripta quid contineat?* I. 14
quidque exinde colligendum? ib.
Coemtione *nuptiae olim fiebant* I. 433. ſq.
Coena *ſacra intra priuatos parietes celebrata* I. 16
Cognoſcementen *quid?* I. 347
Collegia *ſacrorum cauſſa coeuntia* συνάξεις *vocabantur* I. 389
ea Romae gaudebant iure ſuffragandi 386
quid ad ea tollenda mouerit Imperatores? ib.
ea omnia, praeter antiqua, SCto abolita 387
Collegia *abolita reſtituta, iiſque noua adiecta a Clodio* ib. ſq.
eorum quae a Numa inſtituta, conuentus & ſacra 375
eorumdem fata ſub Tullo Hoſtilio, Seruio Tullio & Tarquinio Superbo pag. 378. ſq.
cur vni tantum collegio accedere licuerit? 399
Collegia *noua inſtituta Principum indulgentiâ: quaenam illa ſint?* ib.
ea vel licita, vel illicita 396
illicitorum poena 397
in licita quinam recepti? ib.
eorum immunitates 402
harum cauſſae 403
priuilegia 400
Collegiis *licitis quinam excluſi?* I. 398
eorum, vt & opificum variae denominationes medio aeuo 408
Collegia *tenuiorum quae?* I. 398
Collegia *mercatorum Romae duo inſtituta* I. 384
horum vnum Mercuriale, alterum Capitolinum audiebat ib.
alia collegia recenſentur ib.
ea multarum turbarum in rep. cauſſa fuerunt 385
Collegii *Serapidis & Iſid. mentio fit in marmore* I. 390
Collegia *artificum quot inſtituerit Numa?* I. 372
cur ea iure antiquo heredes inſtitui non potuerint? 401
id mutauit Leo 402
Collegia *Iudaeorum numquam aliquid ex hereditate capere poſſunt* ib.
Collegiis *inimiciſſimi fuerunt Claudius & Traianus* I. 394
quibusnam coire licuerit? 395
Collegia *opificum in vſum reuocantur a Decemuiris* I. 381
Collocari *quid?* II. 244
Collybiſtarum *definitio,* II. 44
Collybiſticae *negotiationis origo incerta*

certa I. pag. 442
Collybus *quid?* II. 44.
Colobium *quando adſumpſerint Clerici?* I. 25.
Id quando commutarint cum dalmatica, ibid.
Colobium Bartholomaei I. 74
Comae: *ita vocabantur puerorum capilli, qui vſque ad annum ſeptimum non tondebantur* I. 28
Comes Avg. *Cur ita vocetur* Minerua *in Imperatorum Numis* II. 134
Comici *Graecos potius, quam Romanos perſtringebant* I. 286
Comites *Palatini qui, & in quibusnam Germ. prouinciis olim fuerint?* I. 759
Comites *Iuliaci in vrbem Aquisgranum protectionis iura exercuerunt* I. 766
Comites *tres fingunt Canoniſtae iurisiur.* I. 652
Comitia *calata: in eis & extraneos heredes inſtituere licebat* I. 264
ea quid fuerint? 496
cur in eis teſtamenta condita? ib.
Comitiorum *apud Rom. moleſtia* I. 422
quid in illis ſancte obſeruandum fuerit? ib.
Comitum *Palatinorum ad Rhenum ſedes* I. 764
Comitum *iurisdictio apud Wiſigothos, Burgundiones, Francos, &c.* II. 254
Commercia *nulla olim erant Germanis* I. 405
cur ea exteris cum ciuibus noſtris denegare, inhumanum ducant Grotius & Scaccia? 316
ea ſalua eſſe debent in ſtatu pacis ib.
an exterorum cum exteris hoſtibus probiberi poſſint? I. p. 317
an Grotius diſtinctionibus ſuis rem recte deciderit? 318
Commercium. *De iure Principis circa Commerciorum libertatem tuendam,* Exerc. XXX. per totam. II. 79. ſqq.
eius definitio: dicitur rerum operarumque cum aliis communicatio. 82
Commerciorum *neceſſitas inter ciues eiuſdem reipublicae.* II. 85
nec non inter gentes liberas, 86
An Commercia ſemper libera eſſe oporteat? 88
Libertas commercandi qualis eſſe debeat inter ciues eiuſdem reipublicae? 91
Hoc ius Princeps quibuſdam dare ac adimere poteſt, 92
idem definire poteſt quae res in commercio eſſe debeant, 94
nec non ipſis commerciis certum modum praeſcribere, 96
Ceſſat libertas commerciorum cum hoſtibus, 98
cum gentibus dubiae amicitiae ea admodum reſtricta eſſe ſolent, 100
cum gentibus amicis per foedera reſtringuntur, 102
An gens gentem commercio cum alia gente iure probibeat? 105
Quid commerciorum libertas a principe tuenda. 109
Quot modis illa turbari ſolet, 110
Principis eſt illam tueri. 112
Quibus modis hoc fiat? 114. 116. 117. 119. 123. 125. 127. 128. 130

Commiſſum *quid iure Rom. vocetur?* I. pag. 342
Communicatio *rerum operarumque cum aliis dicitur Commercium.* II. 82
cur eam ex obligatione perfecta oriri dicamus? 84
Communio *bon. an iure Germ. obſtet tutelae mariti?* I. 851
Comparationi *litterarum an locus ſit in cambio, reo fatente, litteras ſuis quidem eſſe ſimillimas, ſuas tamen eſſe negante?* I. 462
Concilium *Tridentinum quid diſponat de Presbyterorum habitu?* I. 11
Concilium *Laodicenum quando habitum?* I. 18
in eo exiſtimarunt, miniſtrum orarium ferre non oportere ibid.
Concilium *Carthaginienſe diſponit, vt Diaconus alba veſte vtatur* ib.
Concilium *Narbonenſe quando habitum, quidque in eo Clericis interdictum?* I. 20
Concilium *Monſpelienſe quid diſponat de habitu Epiſcopali?* ib.
illud veſtes Sacerdotales ab Apoſtolis deriuat 29
Concilium *Matiſconenſe Agreſtinum cenſura notat* I. 37
Condemnatoria *ſententia an in criminalibus ſemper opus?* I. 676
Condictione *ex mutuo conuenti, ſi poſt inducias* 30. *dierum creditoribus non ſatisfeciſſent, ipſis vincti tradebantur per leges XII. Tab.* I. 667
Conductio. *Vid.* Locatio.
Conductoris *iuriſdictionis obligatio, quos ille iuriſdictionis fructus percipiat,* II. 270 pag. 271
Vide Iuriſdictio, Locatio.
Confarreatio *ritus nuptias faciendi antiquus* I. 433
Confeſſi *an in criminalibus pro indicatis habendi?* I. 668
Confeſſio *an ex ſilentio colligi poſſit?* I. 704
eius in criminalibus requiſita 687. 691. ſeq.
Confeſſionis *extraiudicialis effectus* I. 687
Confeſſio *ebriorum & furioſorum, quid de ea ſentiendum?* I. 695
Confeſſio *duorum generum erat apud vet.* I. 673
Confeſſio chirographum *vocatur in iure* I. 679
Confeſſioni *tormentis extortae non temere credendum* I. 690. 692. ſq.
Confeſſio *reorum an valeat, ſi ex taedio vitae orta?* I. 688
ſigna eius in criminalibus non incerta eſſe debent 697
Confeſſio *mulierum non nocebat ſine curatoribus iure Germ. antiquo* I. 682
Confeſſio *reorum an valeat, ſi ſpe impunitatis facta?* I. 690
an, ſi ex metu tormentorum? ib.
Confeſſio *ſurdi & muti qualis* I. 697 ſq.
an efficax eſſe poſſit? 699. ſq.
Confeſſio *an ex factis colligi poſſit?* I. 701. ſq.
Confeſſioni *reorum multum tribuendum* I. 662
Confeſſionis *validae requiſita* I. 679. ſqq.

Digitized by Google

Confeſſio *conſcientiae vox dicitur a Seneca* I. pag. 672
Ambroſii de ea verba 673
an de ea ſemper verum, quod ſit vox conſcientiae? 677
Confeſſio *voluntaria ſuſpecta videtur Calpurnio Flacco* ib.
Confeſſioni *propriae reorum adplicandum axioma iuris:* volenti non fit iniuria I. 673. ſeq.
Confeſſiones *a procuratoribus factae quibus conditionibus reuocari poſſint?* I. 682
Confeſſoria *actio, vel ex confeſſo* I. 674
Confeſſos *condemnaſſe Germanos, patet ex paroem. vet.* I. 672
eos in cauſſis capitalibus pro iudicatis non fuiſſe habitos, oſtenditur 675
Confeſſus *iure Rom. pro iudicato eſt* I. 666. 674
origo huius axiomatis 667
is in iure tantum pro iudicato habendus ex Conſtit. Caracallae 680
caſus contrarii 681
Confirmare *tutores, quid ſit iure Rom. multi minus recte intelligunt* I. 734
Confirmatio *tutorum iure Rom. ad ſolos teſtamentarios pertinebat* I. 733
ea in omnibus tutoribus neceſſaria iure Germ. 732
ea non indigebant tutores rite dati iure Rom. ib.
eius effectus iure Germ. 736. ſq.
quid ſit iure Rom.? 734
Confiſcatio *mercium prohibitarum non iniuſta* I. 337
Confiteri *quid?* I. 678
Conflictus *probationum: in eo pronunciandum pro reo* I. pag. 650. ſq.
Coniugia *inter Patricios & plebem quando promiſcua eſſe coeperint?* I. 281
Connubii *ius patrum cum plebe Leges XII. Tab. non permittebant* I. 281
Conſacramentales *qui fuerint apud Francos?* I. 631
Conſanguineos *inter & vterinos quando differentia ſublata ſit a Graecis?* I. 260
Conſenſualis *contractus quid?* II. 279. ſqq.
Conſenſus *mariti curatoris quo caſu vxori non ſufficiat iure Sax.* I. 871
CONSTANTINI M. *numus ſuppoſititius* I. 84
CONSTANTINVS M. *pompae ſtudioſiſſimus* I. 17
is ſplendidum adparatum circa ſacra ordinat ib.
templa & baſilicae eius iuſſu extructae 17
is Macario, Epiſcopo Hieroſolymitano ſacram veſtam donat. ibid.
an noui quid innexerit circa querelam inofficioſi? 279
Wateri ſententia refellitur ib.
cur perſonas leuiter notatas fratribus anteferri noluerit? 281
eius conſtitutio euincit, ſemiplenam probationem ignorare ius Rom. 639
eius numos minus recte interpretatur Peireſcius 80
eius temporibus Chriſtiani melius ſe habere incipiunt 25

Conſtitutio *Seueri & Antonini quo caſu ſeruos contra dominos interrogari permittat?* I. 648
Conſtitutio *curatoris apud Rom. ignominioſa* I. 741
Conſuetudines *Syluaeducenſes* I. 866
Conſulatum *reſpuebat Caius Aquillius Gallus* I. 793
Conſules *in vrbe tutores ex inquiſitione conſtituebant iuſſu Claudii* I. 720
Conſules *& Senatores quando apud Romanos inſtituti?* I. 407
Contrabande Waahren *quaenam?* I. 321
quid hodie? 328
Contrabando *vnde deriuetur?* I. 321
Contractus *litteralis & cambii conuenientia monſtratur* I. 451
Contractus *multi ad conuentiones iur. ciu. referri nequeunt* ib.
Contractus *cambialis quomodo differat a reliquis?* I. 444
Contumaces *an vet. iure Germ. pro confeſſis habiti fuerint?* I. 705
Conuentio *in manum, eius effectus in vxoribus* I. 825. 834
Conuentionis *quodnam genus ſit cambium?* I. 448
Corocota *latro famoſus* I. 689
praemium eum exhibituro propoſitum, qua ratione ipſe abſtulerit? ib.
Corona *triplex imagini Petri adpicta* I. 33
Corona *tonſa Cleri quid dicatur?* I. 34
Corpus *delicti quid?* I. 706
Cothmannvs *refutatus a Meuio* I. 918
Cotta, *ratiocinandi facultate homines indigere poſſe, veſane putat* I. pag. 110
eius rationes refelluntur ib.
Crates *pecuniam in mare proiiciens quid dixerit?* I. 685
Credere & parum probare *ſibi inuicem opponuntur* I. 643
Creditores *an ex libris decoctorum probationem debiti aduerſus tertium petere poſſint?* I. 567
Halenſ. ICtorum ea de re reſponſum 569
an iidem admittendi ad cautionem iuratoriam? ib.
Creditores *cambiales in quam claſſem collocentur?* I. 481
ii praeferuntur in multis locis chirographariis ib.
Credulitas: *an de ea iurari poſſit?* I. 656
de ea iurans teſtis ſit in propria cauſſa 645
quo caſu heredes de ea iurare poſſint? ibid.
Crinis *puerilis alicui Deo olim ſacrari ſolebat* I. 29
Critica *ad veram ſapientiam non pertinet* I. 122
Criticae *nimis ſtudioſi ridentur a Richardo Simonio* I. 538
Cryptae: *Chriſtianorum in iis conuentus* I. 4
Cviacii *ſententia de inopia probationum* I. 648
eiuſdem ſententia de origine querelae inofficioſi 269
quando confeſſos pro iudicatis habeat? 674
Curatores *iure Rom. inuitis minoribus*

bus dari non poterant I. pag. 740
hodie conſtituuntur a magiſtratibus, quamuis repugnent minores ibid.
Curator *vxoris quomodo hodie fiat maritus in Saxonia?* I. 871
vtrum matri, bonis liberorum male vtenti fruenti conſtituendus, an familiae erciſcundae iudicium decernendum? 616. ſq.
eius conſtitutio Rom. ignominioſa videbatur 741
Curatores *an feminae habuerint apud Rom.?* I. 839
fragmenta ICtorum, in quibus eiuſmodi curatio occurrit, recenſentur 840
Curatorium *&* *tutorium quid iure Germ.?* I. 737
Curioſitas *nimia an ſapientem deceat?* I. 125. ſq.
CYLO *diſciplina Pythagorae excluſus quomodo hanc contumeliam vltus ſit?* I. 144
Cynici *decori negligentiſſimi* I. 126. ſq.
CYPRIANVS: *vita eius a quonam deſcripta?* I. 22
habitus eius, in quo ad ſupplicium ductus, deſcribitur, & an Clericalis fuerit? ib.
eius locus de veſtibus Chriſtianorum 3
inſidiae ei ſtructae a Decio 13
cur non credibile ſit, eum dalmaticam geſtaſſe? 24

D.

DAeniſch Loo-Buch, *quis?* II. p. 115
Dalmatica *vox recentior* I. pag. 24
quando inuenta? ib.
ita vocabatur tunica clauis purpureis inſignis ib.
veſtium hoc genus viris grauioribus ſordebat ib.
vera huius tunicae origo ib.
Caroli M. de ea ſententia 25
haec an veſtis ſacerdotalis ib.
ſub Syluestro Papa in Eccleſiam introductae ib.
Dalmaticae *litteratae* I. 76
DAMARETVS Corinthius: *quid de eo memoret Liuius?* I. 508
DAMASVS, *Papa, quamdiu Eccl. Rom. praefuerit?* I. 25
dalmaticae ſub eo in Eccleſ. introductae ib.
luxus eius ib.
is ditatur oblationibus matronarum ib.
cuinam comparetur ab Ammiano Marcellino? ib.
Damnum *ex falſo cambio quis ferat?* I. 496
Datiuos *tutores an iure Germ. non confirmandos eſſe, recte putat Strykius?* I. 735. ſeq.
Decemuiri *nouae teſtandi rationis ap. Rom. inuentores* I. 500
ii Leges XII. Tab. ad reip. Rom. ſtatum attemperant 827
quibusnam vocabulum patrisfamilias *applicuerint?* 501
ante eos & heredes extraneos inſtituere licebat 264
ii opificum collegia in vſum reuocant 381
Decennes *pueri quo caſu teſtati ſint ap.*

ap. Wiſigothos? I. pag. 956

Decidere *dicuntur qui cauſſam tranſigunt.* II. 34

Decimas *exigebat Clemens IV. per vniuerſam Germ. bello ſacro impendendas* I. 750

DECIVS *inſidias ſtruxit* Cypriano I. 13

DECIVS (Phil.) *Ital. ICtus celeberrimus* I. 752
eius libri prohibiti mutilatique ib.

Decoctoris *dolus malus an probari poſſit ex libro non rite, nec ex arte ſcripto?* I. 575
eius codex quo caſu probet? 567
eius indoſſamenta vitioſa habentur 479
is indignus habetur priuilegiis mercatorum 551
is ſi, vel ipſe, vel eius curator bonorum ex libris agat, an admittendi ſint ad cautionem iuratoriam? 560
eius codex vbi edendus? 570. ſq.

Decori *fundamenta* I. 126
id qui negligunt non veri ſapientes ib.
illud plane proſcribebant Cynici ibid.

Decretum *quid?* II. 20

Decretum *de re monetaria nuper a variis Germ. circulis editum laudatur.* II. 61. ſq.

Definitio *quid ICtis?* I. 488
quid regulariter definire? ib.

Definitio *verae ſapientiae* I. 119.120

Definitiones *nominales in arbitrio hominum poſitae* I. 120

Definitiones *iuris, idem quod regulae iuris* I. 488

Delatorem *qui corruperunt, confeſſis aequiparantur* I. pag. 702

Delicti *corpus quid?* I. 706

DEMETRIVS *hoſtibus frumentum transmittere parantem ſuſpendio punit* I. 336

Demonſtratio *falſa cur non perimat legatum?* I. 512

Dendrophori *quinam?* I. 373

Der letzte macht die Thüre zu: *qualis haec paroemia?* I. 594

Deteſtabilis & *inteſtabilis promiſcue ſumitur* I. 281

Deuotorum *vltimae voluntati refragari Rom. inauſpicatum viſum* I. 499

Diaconis *quando albis veſtibus vtendum fuerit?* I. 17

Dictatores *dici potuiſſent Hebraeorum iudices* II. 252
Romani iudices. ib.

Diem *vet. Germ. vocabant dilationem legitimam* I. 892

Differentiae *vſusfructus materni Germ. & Rom.* I. 595

Dignitates *vendi non poterant.* II 248. 249

DIOCLETIANI & Maximiani *reſcriptum: an in eo fundatum ſit ius iur. ſupplet.* I. 647. ſq.

DIODORVS *gentiles ob detonſos puerorum crines irritat* I. 29

DIONYSIVS Exiguus, *Abbas Rom. erae Chriſti inuentor* I. 83

Diploma Henrici V. *cur non genuinum videatur?* I. 407

Diplomata Ottonis I. & Henrici II. I. 250

Diplomatum *fidem quis impugnarit?* I. 79

Diſtrictio

Diſtrictio *maritalis ac domeſtica quid?* II. pag.235
Diui Fratres *quinam Imperatores audiant?* I. 804
Diuiſio *bonorum quomodo inſtituenda, vſufructu materno finito?* I. 628
Diuortiorum *olim Romae frequentia vnde demonſtretur?* I. 425
Do, dico, addico, *quid de his verbis?* II. 237. ſqq. 243
Dolabrarii *qui?* I. 373
Dominium *maris: variae de eo Doctorum ſententiae* I. 311 ſq.
vera ſententia 312
auctores qui de hac materia ſcripſerunt, recenſentur 311. ſq.
id ſemel quaeſitum animo retinetur 313
huius dominii effectus quales? ib. ſq.
Dominium *improprie vocat* vſumfructum *Veracius* I. 601
Dominium *rerum legatarum quando transeat ad legatarium?* I. 491
Dominii *origo.* II. 276
Poſſunt eius effectus, & inprimis libera de rebus diſpoſitio lege reſtringi ib.
illo inuecto opus fuit contractibus, & praecipue emtione venditione, 277
An hodie in immobilibus ſufficiat traditio ad transferendum dominium? 288
An dominium per reſignationem iudicialem transferatur? 290
Vide Fructus.
Dominus *rem ſuam alteri locare poteſt?* II. 245
De Dominis ſubditos ſuos in iudicio ſuo convenientibus, Exerc. XXXV. per totam. II. p. 305. ſq.
An a Principe ad Dominos hoc ius extendi poſſit? 322
Quinam poſſint alios apud ſe ipſos conuenire? 328
An ipſe Dominus cognoſcere & iudicare poſſit? 329
De quibus cauſſis huiuſmodi iudicio locus ſit? 330
Vide Subditus, Iudex, Iuſtitiarius.
Donationis *mortis cauſſâ natura* I. 878
Donelli *opinio de confeſſione reorum refutatur* I. 679
eius de iureiurando ſententia 635
Donellvs *an* Salu. Iulianum *Proculeianorum ſectæ recte accenſeat?* I. 811
Donelli *&* Noodtii *aliorumque ſententia de Cauſſa ſeruitutum* II. 195
Dos *promiſſa quanam actione peti poſſit iure Rom.?* I. 922
quid de eius praeſcriptione diſponat ius Rom. ib.
quid Lubecenſe? ib.
Dos *an debeatur a matre vſufructuaria filiae vitam monaſticam electurae* I. 626
eam apud Germanos maritus vxori offerebat 850
Dotes *mulieribus conſeruari, reip. intereſſe dicit Pomponius* I. 614
Dotis *fructus, an de iis diſponere poſſit maritus?* I. 491
eorum illationem an mulier iureiurando probare poſſit? 653
Drvsvs; *eius imperia aequo animo fere-*

ferebant Romani I. pag. 230
Ducatus *ex regnis nati variis gauiſi ſunt praerogatiuis* I. 759. ſq.
obſeruatio Speculatoris Sax. de comitibus Palat. in Ducatibus qui ex regnis nati ſunt 760
Dux *Iuliacenſis quo fundamento ſibi ius gladium praeferendi adſeruerit?* I. 772
Dux *Brabantiae cur Lotharingiae nomen adfectarit?* ib.

E.

ECcleſia *quaelibet olim veſtes ſacras pro lubitu confici curabat* I. p. 18
Orientalem inter & Occidentalem differentia ratione harum veſtium ib.
Eccleſia *Treuirenſis ius coronandi regem Germaniae ſibi vindicat* I. 42
Eccleſia *Occidentalis natalem Chriſti diem VIII. Kalend. Ianuarii eſſe credit* I. 92
ea in diebus feſtis conſtituendis ſaepe nullam temporis habebat rationem ib.
Eccleſiae Chriſtianae *miſera conditio deſcribitur* I. 4
Edictum *perpetuum quid?* I. 799
id quando compilarit Salu. Iul.? 804
Edictum *translatitium quid?* I. 506
Edictum *Regio-Pruſſ. quoſnam pro decoctoribus malitioſis habeat?* I. 575
ELAGABALVS *dalmaticatus* I. 24
Elegia, *locus, vbi Maternus in vitam reuocatus dicitur* I. pag. 44
an recte interpretetur de Ellouico prope Seleſtadium ib.
Ellychnia, *quibus in templo opus erat, ex quanam materia confecta?* I. 64
Emancipationis *Rom. ritus & formula* I. 423. ſq.
Emblemata *Triboniani: an inter ea referenda ICtorum Rom. Fragmenta, in quibus mentio fit de curatione maritorum in feminas?* I. 838
Emporia *quaedam recenſentur, quae ſub Francorum temporibus floruerunt* I. 406
in iis praeſcriptionis tempora contractiora eſſe oportet 889
Emtione *venditione opus fuit, invecto dominio,* II. 277
Quid emtio venditio, & cur contractus conſenſualis? 279
Dubium huic theſi obſtans remouetur, 280
Cur periculum perfecta emtione pertineat ad emtorem? 283
Emtio *ſpei & rei ſperatae,* II. 293
Vide Dominium, Fructus, Ius, Venditio.
Enthuſiaſtae; *quid de eis ſentiendum?* I. 126
Ephod *quid Italis?* I. 23
an idem quod linea? ib.
ἐπίκληρος, *quaenam mulier Graecis ita dicta?* I. 829
EPICTETVS *quis?* I. 200
eius laudes ibid.
an ab Epaphrodito Chriſtianae religionis principiis imbutus fuerit? 201
an mere Stoica docuerit, 202

EPICTETI *locus egregius de celebratione numinis* I. p. 202. ſq.
eius explicatio verborum Socratis 113
EPIPHANIVS *quid de habitu Iacobi memoret* I. 52. & 55
is explicatus a Gu. Caue 6
Epiſcopale *indumentum non in birro lacerno quaerendum* I. 26
Epiſcopalis *mitrae antiquitas vnde adferatur a Baronio?* I. 53. & 68
ea non ab Apoſtolis deriuanda? 68. ſq.
Epiſcopatus *dignitatem conſequebantur veteres philoſophi ethnici, qui Chriſto nomen dederant* I. 17
eius ſymbolum ratione factus baculus 45
Epiſcopi *Graecorum hodierni habitum monachalem retinent* I. 19
quomodo caedem ſeruorum vindicarint? 251
eorum habitus Saec. III. ib. ſq.
ἐπιστάτης *Graecis idem quod Praeſes* I. 101
ἐπιθέτης *an pallium notet?* I. 5
Era *Chriſti an in numis medii aeui occurrat?* I. 85
in ea computanda chronologi ad characteres ab Euangeliſtis datos attendere debent 86
ea cur tam obſcura? 82
eius inuentor 83
Erae *martyrum inuentores quinam?* I. 82
ERASMI *verba de ſcholaſticis.* I. 127
Erbloſe Güter *quae?* I. 917
interpretatio de bon. vac. ib. ſq.
Erfurtum *emporiis adnumeratur* I. 406
Erfurtum *quando Senatum habere coeperit?* I. pag. 408
Eris *Hiſpanorum, Romanorum & Syro-Graecorum vtebatur Eccleſia primitiua* I. 82
Eruditus *quis vocandus?* I. 120
Ἑταιρείαι *quid Graecis?* I. 394
cur eas Imperatores tam ſeuere prohibuerint? ib.
Ethnici *quid de Chriſtianis ſenſerint?* I. 2
Euchariſtia, *an in eius inſtitutione peculiaris habitus adhibitus fuerit?* I. 16
EVCHARIVS *an Treuiros miſſus a Petro?* I. 43
EVPHRATES, *philoſophus, quam philoſophiae partem pulcherrimam crediderit?* I. 538
EVRIPIDIS *locus de gente nautica* I. 360
EVSEBII *locus an Apoſtolorum tonſuram indicet?* I. 27
EVSTATHIVS *Epiſcopus Sebaſtenorum cur ſacerdotio priuatus?* I. 18
Euxinus. *Vide* Pontus.
Exagium *quid?* II. 98
Exceptioni *an locus ſit, litteris cambialibus agnitis?* I. 444
Exheredare *liberos an pater potuerit apud Rom.?* I. 495
Exheredatis *quis ante querelam inofficioſi ſuccurrerit?* I. 265
Exilium *voluntarium eligere poterant capitis accuſati iure vet.* I. 703
Expeditiones *ſacrae: in eis vetitum a Papis, ne quis Saracenis arma venderet* I. 327
Expeditoriae *res* (das Heer-Gewette) *an de iis diſponere liceat teſtan-*

teſtantibus? I. pag. 965
Expeditoriae *res cui cedant, deficientibus filiis, vel agnatis?* I. 966
Exportandae *quae merces ſint e regione, Principis eſt ſtatuere* I. 315
illuſtratur hoc exemplo Lycurgi ibid.
Extraiudicialis *confeſſionis effectus* I. 687
Extranei & extrarii *promiſcue ſumuntur* I. 278
EZECHIEL, *Propheta, dictum Domini ad eumdem male trahitur ad tonſuram Apoſtolorum* I. 38

F.

FABIVS Eburnus *filium damnat*, II. p. 235
Fabri *aerarii & tignarii qui?* I. 373
Faciei *hominis miranda ſtructura* I. 132
quae ea ſigna morum praebeat, oſtendit Thomaſius 159
Facta *in confeſſione reorum criminali ſignis accenſentur* I. 701. ſq.
Facultatis *Iuridicae Halenſ. reſponſum ad quaeſtionem leuis notae maculam concernentem* I. 305
FALCIDIA *lex, quid eâ cautum?* I. 515
Fame *necatus Pauſanias a Lacedaemoniis* I. 670
Familia *quotuplici ſenſu in iure ſumatur?* I. 502
Familiarum *Romanarum confuſio* I. 800
Fateri *a* Fari *deriuat Varro* I. 678
Feminae *an iure Rom. antiquo in ſcriptis teſtari prohibitae?* I. p. 954
eae in Germ. non indiſtincte teſtandi facultate gaudent 955
eae ibidem ſub tutela viuunt 729. 823.
earum iudicium lubricum 820. ſq.
dictum Ennii huc ſpectat 821
it. locus ex Euripide ib.
eas in perpetua tutela leges eſſe volunt 822
exempla Hebraeorum & Graecorum ibid.
Feminae *Graecae an in ius vocari potuerint ſine tutore?* I. 828
Feminae *negotiantes an ſine curatore obligentur in Saxonia?* I. 877
cur eas in tutela mariti noluerint Romani? 823
Gregorii Tholoſani & aliorum ea de re errores ib.
Feminae *an cambiare poſſint?* I. 460
an apud Rom. in maritorum curatione fuerint? 837
Feminae *illuſtres an curatorum conſenſu indigeant in contrahendo?* I. 874
Feminam *tutor in eius tutela conſtitutam ducere prohibetur iure Germ.* I. 844
id & productum ad caſum, ſi maritus vxoris ſuae curam poſt nuptias ſuſcipere vellet ib.
FERRARIENSIS (Io. Petrus) *ICtus celebris* I. 751
Feuda, *de iis regulariter diſponere per vltimam voluntatem non licet in Germania* I. 967
quibus caſibus id permiſſum? ib.
Feuda *hereditaria allodiis aequiparantur* ibid.

Digitized by Google

Fictiones *Carteſianae & Burnetianae de rerum omnium origine an veram ſapientiam indicent?* I. pag. 128
Fidicines *Tibicinum collegio acceſſerunt* I. 372
Filii *filiaeue fam. iure Rom. in tutela eſſe non poterant* I. 825
Filiis *quorumdam opificum cur nefas fuerit, opificia addiſcere?* I. 412
Filius *patri ex quo principio iur. Rom. non ſit teſtis idoneus?* I. 644
Filiusfam. *an cambiare poſſit?* I. 461
Firma *quid ſit, & ad Firmam dare?* II. 260
Quid ad Firmam dari non poteſt? 259
Fiſci *ſcriptura in quantum probet?* I. 553
Flavivs (Cnaeus) *formulas vet. Rom. publicat.* I. 435
Foedera, *libertatem commerciorum tuendi modus,* II. 119
Fonſeria *iuſtitia.* II. 311
Forma, *quid ratione eius homines prae brutis peculiare habeant?* I. 132
Formula *olim qui cadebat, cauſſa cecidiſſe videbatur* I. 426
Formulae *cambiorum quae in iis ſuperuacua?* I. 454
praecipuae, quibus vtebantur Romani, recenſentur 421. 422. 423. 424. 425. 434
a quibuſnam Imperatoribus abrogatae? 436
earum myſteria quis aperuerit? ibid.
Formularia *iuriſprudentia cur pleriſque hodie videatur ridicula?* I. 427
ad eam ridentium obiectiones reſpondetur 429. 430. 431. 432. 433. 434. ſeq.
Foro *qui ceſſerunt, an eorum libri probent?* I. 564
Fragmenta *XII. Tab. an ſeruarint?* I. 827
ICtorum Rom. in quibus curatio maritorum in feminas occurrit, an recte inter emblemata Triboniani referantur? 838
Franci *tutelam* Mundeburde *vocant* I. 723
Francigenum *Regem ſe vocat* Otto M. I. 758
Francorum *Reges de ſalute pupillorum ſolliciti* I. 722
eorum ſub imperio quaenam iuriſdictionis in Germ. facies I. 249
eorum temporibus ſerui vrbes habitabant I. 406
eorumdem miniſteriales varii generis recenſentur ibid.
Fratribus *quo caſu non debeatur legitima iure Rom.?* I. 970
Fratrum *arualium collegium: an ad illud decemuiralis lex pertineat?* I. 382
Fructus: *De illorum in herbis venditione illicita,* Exerc. XXXIIII. per totam, II. 275
Quae res venire poſſint? an & non exiſtentes? 291
An fructuum futurorum licita ſit iure Rom. venditio? 294
An iure Germ. vetere? 296
An nouo? 297
eius iuris declaratio per receſſ. Imp. a. 1577. 298
Aliarum gentium leges ſimiles 299
Conſtitutionum emtioni futurorum fructuum oppoſitarum ratio, 301

Sanctio poenalis addita, & quando ei locus ſit? II. pag. 302
An & ad alios caſus extendi poſſit haec prohibitio? 303
Vide Emtio, Venditio, Ius.
Fugiens *reus damnato aequiparatur iure Rom.* I. 703
an id etiamnum obtineat? ib.
Fugitiui *inter ſeruos relati ex L. Fuſia Can.* I. 894
FVLVIVS *filium necari iubet.* II. 235
Fumi *immittendi ſeruitus.* II. 217. ſq.
Fundum *vxorem in Saxonia ſine mariti conſenſu alienare poſſe, an recte exiſtimet Meuius?* I. 873
Fundus eſt in agro, qui Sabinus vocatur, eum &c. *formula Rom. petendi vindicias* I. 426
alterius ad eam reſponſio ib.
Furioſi *confeſſio: quid de ea ſentiendum?* I. 695

G.

GAbinus *cinctus quid?* I. p. 497. ſq.
Galilaea, *an ex eius obſeſſione recte colligatur, Apoſtolos gladiis vſus fuiſſe?* I. 50
Galilaei *: ita dicti Chriſtiani familiari conuitio* I. 202
GALLI *ſeceſſus in Caecinam, Hetruriae oppidum* I. 791
GALLI *cognomine ICti plures* I. 778
Gallia *: ibi teſtatura mulier auctoritate viri indiget* I. 879
ibi diſputatum de tonſura 36
quid ibi requiratur ad deferendum iusiurandum ſuppletorium? 652
Gallina *fumoſa* (Rauch-Huhn) *cur ſignum iurisdictionis patrimonialis?* I. pag. 252
Gallorum *cum Germ. communis origo* I. 849
eorum ineptiae in interpretandis numis antiquis 81
GALLVS (Aelius) *quando floruerit?* I. 778
ſcripſit librum de Verb. Sign. ib.
GALLVS (Iulius Aquilla) *non confundendus cum* Caio Aquillio ib.
GALLVS (Caius Aquillius) *ſtipulationis Aquillianae auctor* I. 779
is gente celebri natus ib.
eius res geſtae illuſtrantur monumento ex Gruteri inſcript. 780
ex eius familia multi Flori, Tuſci *vel* Corui *cognominati ſunt* 781
is maiores habuit tribunicios conſulares & praetorios 781 ſq.
horum vnus legem Aquilliam tulit ib.
pater eius quis fuerit? 782
ex eius ſcriptis in pandectis nihil ſupereſt 792
is iurisprudentiam heurematicam excoluit 787
is variorum iuris capitum auctor 788
eius iuſtitiae ſpecimina 789. ſq.
is in reſpondendo de iure maximam famam conſequutus 786
is de facto conſultus, quid reſponderit? ib.
eius ſtudia 782
eius praeceptor Q. Mucius Scaeuola Pontifex Max. 783
eius diſcipulus fuit Seru. Sulpicius 791

GALLVS (Cai. Aquill.) *quibus dignitatibus functus in rep. Rom.?* I. p. 793
is conſul fieri nolebat ib.
an cum filio eius gens Aquillia extincta? ib.
quando mortuus? ib.
GALLVS (M. Aquillius) *ob euulgatas ſortes occiſus a Tarquinio* I. 782
GALVANVS (M. Aurelius) *quo fundamento neget, patribus non licuiſſe liberos exheredare per XII. Tab.?* I. 264 ſq.
GANENTIVS *Weſt-Saxonum Rex* I 36
epiſtolae Aldhelmi ad eum ſcriptae fit mentio ib.
Garus *quid?* II. 100
Gaſindi (Geſinde) *quid iuris circa eos?* I. 242. 248.
GASTO Chamillar *Apoſtolos tonſos ait, & refutatur* I. 27
Geburths-Brieffe *cur a ciuibus nouis exegerint Germani?* I. 409
GELLIVS *Caii ϲύγχρον⊙* I. 649
ex eius noctibus Att. probatur, iusiurandum veterum praxi repugnare I. 649. ſq.
Gentes *integrae inter ſe vſae praeſcriptione* I. 883
id illuſtratur exemplo Hebraeorum ibid.
& Lacedaemoniorum ib.
Gentiles *cur philoſophiam ſuam doctrinis Chriſtianis exornauerint?* I. 181
ii Chriſtianis exprobrabant ſocietates 4
Gentiliſmi *partes duae* I. 185
Gentilium *Theologiae quot genera?* I. 182
Gentium *integrarum diuerſitas in greſſu* I. pag. 142
Gentium *arbitrium circa formam veſtium* I. 3
Gerada: *de ea diſponere prohibentur mulieres Saxon.* I. 878. 965
huius iur. antiquitas demonſtratur ex L. Angliorum & Werinorum ib.
Gerhabere: *ita in ſuperiore Germ. vocantur tutores* I. 859
Germani *pudicitiae laudem ſortiuntur a Tacito* I. 302
eorum mercatura I. 316
ii in conſtituendis collegiis imitati ſunt Romanos 404. 408
Germani *antiqui vrbibus & oppidis caruere* I. 404
eis nulla olim erant commercia 405
apud eos quatuor hominum ordines erant ib.
quando conſules & Senatores apud eos inſtituti? 407
qua ratione proſpexerint pupillis? 730
apud eos Principes ſuprema tutela gaudent 721. ſq.
quando teſtamenta condere coeperint? 945
eorum teſtamentifactionem memorant leges variae ib.
eis non minus competebat ius vitae & necis, quam Romanis 244. ſq.
ii morum ſuorum tenaciſſimi 852
ii cauſſarum Patronos male habebant 230
cur fundos non facile alienari paſſi ſint? 963
Germani *Gallorum imitatores in greſſu* I. 137

Digitized by Google

Germani *confeſſos an condemnarint?* I. pag. 671
cur in materia de teſtamentis peregrinos, quam maiorum mores ſequi maluerint? 977
ii iuris Rom. addiſcendi cauſſa frequentes Bononiam profecti 978
eorum poteſtas in ſeruos an fuerit iuriſdictio 249
quibuſnam abſolute denegarint teſtamentifactionem? 959
ii ſuprema iudicia vocant ihren letzten Willen 977
Germania : *ibi teſtamentifactionem paſſim impediunt heredes ab inteſtato* I. 957
an id iuri Rom. conſentaneum? 958
ibi in multis locis non de omnibus bonis teſtari licet 962
ibi & feminae adultiores tutelae ſubſunt 729
ibi heredis inſtitutio in teſtamento non abſolute neceſſaria 975
id probatur ex iure Hamburg. ib. ſq.
idemque in Belgio obtinet 976
ibi inter bona adquiſita & hereditaria paſſim diſtinguitur 964
ibi non omnibus promiſcue teſtari licet 948
Germaniae *Reges vbi inaugurandi per Aur. Bull.* I. 766
ei quando vnita Lotharingia? 757
Germaniae *veteris mores fere exoleuerunt* I. 232
Germanicas *leges qui ediderint?* I. 598
Germanici *iuris ſtudium commendatur* I. pag. 582
Germanvs : *de eius libro iudicium* I. 38
Germon (Bartholomaeus) *diplomatum fidem impugnat* I. 79
Gibeonitae *veſtium vetuſtate Ioſuae illudunt* I. 30
Giro *quid vocetur in negotio collybiſtico?* I. 447
Gladii *cuiuſdam inſcriptio ſuppoſititia* I. 83. 84
Gladium *praeferendi ius cur ſibi vindicarit Dux Brabantiae in coronatione Imperatoris?* I. 772. ſq.
item Dux Iuliacenſis? ib.
cur Pontificii eum adſcribant Petro & reliquis Apoſtolis? 49
quaenam inde iura Clero vindicent Canoniſtae? 50
eum inter inſignia Apoſtolorum referunt ibid.
eum praeferendi iure gaudet Elector Sax. 772
Gloſſatores *excogitarunt priuilegium, quod habent mercatorum libri* I. 553. 558. ſq.
Goeddaei (Io.) *de occaſione Legis CXX. D. de V. S. ſententia* I. 490
Gorgiae *Leontini faſtus* I. 114
Goslarienſes *leges municipales*, II. 17
eaedem citatae, 57
Gothofredi (Iac.) *verba de interpretatione iuridica* I. 492
Graeca *linguâ ſcriptum legatum cur non valuerit?* I. 512
Graecae *litterae olim cum latinis eiuſdem figurae* I. 87
Graecae *feminae an ſine tutore in ius vocari potuerint?* I. 828
quomodo citatae? ib.

Graeci

Digitized by Google

Graeci *quid vocent iuſiurandum voluntarium?* I. pag. 637
quid neceſſarium & iudiciale? ib.
quonam genere veſtium vſi? 3
ii celebrabant ἄνδρας κουριδίους 590
Graecorum *cura pro pupillis in conſtituendis tutoribus* I. 717
ipſis tutela legitima agnatorum ſuſpecta videbatur ib.
GREGORIVS M. *veſtitus ſacri leges vbique obſeruatas vult* I. 18
GREGORIVS Turonenſis & Iſidorus *nugarum amatores* I. 35
GROTII *locus de Apoſtolorum gladiis* I. 50
Guelphorum & Gibellinorum *factiones* I. 750
GVIDO PANCIROLVS *refutatur* I. 813

H.

HAbitus *Clericalis an prudentiae regulis & decoro aduerſetur?* I. pag. 10
Habitus *ſacri nouitatem agnoſcunt Pontificii cordatiores* I. 12
Habitus *philoſophicus non erat ſacerdotalis* I. 15
Habitus *Archiepiſcopalis & Epiſcopalis reſtringitur in Concilio Monſpelienſi* I. 20
Habitus *philoſophicus indecorus habetur a Clero* I. 19
Habitus *meretricius in quo conſtiterit?* I. 290
Habitus *Ariſtidis priſtinus quid?* I. 8
Habitus *ſacerdotalis vbi primum inualeſcere coeperit?* I. 14
is Pontificiis non indifferens 12
eiuſdem antiquitas 20
Habitus *a Pontificiis ab Apoſtolorum aeuo deriuatur* I. pag. 20
Habitus *ſacer Noui Teſtamenti* I. 22
Habitus *Cypriani, in quo ad ſupplicium ductus, deſcribitur* ibid.
Habitus *Sacerdotalis antiquus an in nummo Theodoſii quaerendus?* I. 71
Haec, vti in his ceris ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor &c. *formula teſtandi vet. Rom.* I. 424
Haereſes *vnde ortae?* I. 222
Halenſ. *ICtorum reſponſum in cauſſa mercatoris a mercatore bonis euerſo pecuniae ſummam ex litteris priuatis petentis* I. 565
Hamburgenſes *quid circa inſignia nauium ſtatuerint?* I. 355
Hamburgi *aeque breuis eſt immobilium praeſcriptio ac Lubecae* I. 910
ibi vir ad defendendam vxorem in iudicio inuitus obſtringitur 873
idem obtinet Lubecae ib.
an ibi ex praeſcripto iur. communis teſtari liceat? 969
ibi indoſſamentum inſcio debitore factum vitioſum eſt 480
Hand muſs Hand wahren: *paroemia in iure Lubec. recepta* I. 913
Handwercke: ehrliche und zünfftige., *Germanis ſynonyma* I. 413
HARDVINI (Io.) *de antiquis auctoribus ſententia* I. 79
eiuſdem ſententia de anno Herodis XLII. reiicitur 90
Harmonia *Euangeliorum vbi reperta?* I. 98
Haſtae *iudicium quid?* I. 273
Hebraei *terram maritimam non colebant* I. 538
an mercaturam exercuerint? ib. ſq.
quid ap. eos circa praeſcript. rer. mob.

mob. iuris fuerit, incertum I. pag. 887
Hebraei: *de eorum lege agraria quis egerit?* ibid.
an in cauſſis capitalibus confeſſum condemnarint? 669. 676
ii in nulla cauſſa teſtem ſingularem admittebant 669
Hebraei *cur viduas Deo curae eſſe putarint?* I. 822
an pupillis tutoribus proſpexerint? 716
quibus conditionibus eis permiſſa fuerit teſtamentifactio? 938
eorum teſtamentifactio an ex verbis Ieſaiae elici poſſit? ib.
Hebraeorum *iudices qua poteſtate functi, & quibus nominibus dici potuiſſent.* II. 252
Hebraismis *Vlpianum non vſum eſſe oſtenditur* I. 710. ſq.
in eius ſtilo multi notantur 708
HEGESIPPVS *de pallio Iacobi allegatus* I. 54
is multa commenta tradit ib. & 62
quid per lineam Iacobi *intelligat?* 64
HENRICI V. *diploma cur non genuinum videatur?* 407
HENRICI *Comitis Palatini Lotharingiae ſtemma genealogicum* I. 762
HENRICVS Auceps *vrbium per Saxoniam conditor* I. 406
ſub eo alia eſſe coepit oppidanorum conditio ib.
HENRICVS Furioſus *primarius Comes Lotharing. conſtitutus ab Henrico IV.* I. 762
HERACLAS *quando vixerit?* I. 15
exemplum eius oſtendit, Presbyteros nullo peculiari veſte a plebe diſcrepaſſe. I. pag. 15
Herbam *Nicotianam an hoſtibus ſubminiſtrare liceat?* I. 329
Herculeus *morbus comitiorum olim impedimentum* I. 422
Heredes *ſui quinam?* I. 265
Heredes *plures inſtituere licet iure Rom.* I. 976
in Germania paſſim ne vnus quidem inſtitui poteſt 976
huius rei exempla ib.
Heredes *cur iure antiquo non potuerint inſtitui collegia?* I. 401
Heredes *ab inteſtato extantes paſſim teſtamentifactionem impediunt in Germania* I. 957. ſq.
quo caſu eos de credulitate iurare poſſe putent Pragmatici? 645
Heredi *in iuſta ignorantia verſanti an detur reſtitutio in integrum aduerſus praeſcriptionem iur. Lubecenſ.?* I. 918
Heredis *inſtitutio in teſtamento abeſſe poteſt iure Germ.* I. 975
vnde id probetur? ib.
idem in Belgio obtinet 976
haec caput ac fundamentum teſtamenti iure Rom. 974
hac omiſſa an legata eo relicta ſubſiſtant? ib.
haec in diem iure Rom. fieri non poterat 511
Hereditaria *bona immobilia iure Lubecenſi heredibus ab inteſtato relinquenda ſunt* I. 963
quid de reliquis iſtud ius diſponat? ibid.
Hereditas *luctuoſa: ad eam vocatur mulier ingenua ex SC. Tertullia-*

Digitized by Google

no I. pag. 837
Heres *an praelegatum accipere poſſit?* I. 510
Heres *ex aſſe quis?* ib.
Herodes M. *quantum temporis inter eius obitum & imperium Antipae intercesſerit?* I. 91
annus eius emortualis ib.
quantum temporis effluxerit inter eius mortem & natalem Chriſti? 92
Herodis *Antipae numus deſcribitur & νοθείας abſoluitur* I. 87
quando is regnare coeperit? 88
portio eius ex teſtamento patris ib.
is priores patris tabulas poſterioribus praeferri vult ib.
Hetruria: *quando ibi teſtamenta innotuerint?* I. 508
Heurematica *iurisprudentia quid?* I. 787
Hiberni *baculum a Ieſu geſtatum falſo credunt, & ſancte cuſtodiunt.* I. 46
Hierocles *quis?* I. 207
ſcripſit commentarium in aurea Pythagorae carmina ib.
eius philoſophia ib. ſq.
Hieromartyres: *ab eorum imaginibus non concludendum ad veſtes Apoſtolorum* I. 16
Hieronymi *teſtimonium de Romanorum proteruia, & an recte explicetur a Baronio?* I. 5
Hippolytvs *pallio philoſophico indutus vbi conſpiciatur?* I. 17
cur hic habitus pro Clericali haberi non poſſit? ib.
Hispalae *Fecenniae tutoris optio data a Senatu* I. 833
Hiſpani *in explicandis numis prae reliquis ineptiunt, quod exemplo oſtenditur* I. pag. 80
Hiſpania *Sueuorum, Vandalorum, Viſigothorumque olim ſedes* I. 864
Hiſtrio *ne quis habitu ſacro vtatur, ſancit Iuſtinianus Imp.* I. 19
Homines *reſpectu morum ad quatuor claſſes referri poſſunt* I. 150
quid ratione Formae prae brutis habeant? 132
Homines *diuerſi iuris qui?* I. 279
Hominum *ordines quot apud veteres Germanos?* I. 405.
Homo *proprius. in eius vindicatione obtinet praeſcriptio annalis iure Lubecenſi* I. 893
Hoſtes *apud Romanos dicebantur peregrini* I. 888
aduerſus eos erat perpetua auctoritas ibid.
quid de commercio cum illis? II. 98
Hoſti *vtrum merces ſint deſtinatae, nec ne, vnde iudicetur?* I. 352
Hoſti *deditioni proximo neceſſaria ſufficientes quomodo puniantur?* I. 336
Hoſtilium *nauium ſigna quaenam?* I. 355
Hoſtium *proprias eſſe merces, vnde pateat?* I. 354
Hotomanvs (Franc.) *quid conqueratur de teſtamentifactione in Germania?* I. 947
Hunc ego hominem liberum eſſe volo: *Formula manumiſſ. vet. Rom.* I. 423. ſq.
Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio &c. *Formula in emancipationibus adhibita* I. 424

Hypothecaria *actio quo caſu annali praeſcriptione excludatur ſecundum ius Lubec.* I. 911

I.

IACOBI *tres an ſtatuendi?* I. p. 57
Patrum teſtimonia huc nihil faciunt 58
IACOBI *minoris, Hieroſolym. Eccleſ. Epiſcopi, indumenta ſacra* I. 51
ei lineam veſtem adſcribit Euſebius 52
auctorum teſtimonia de eius indumentis 53. ſq.
is cur ſacerdos eſſe non potuerit? 56. & 60
eius Familia 57. ſq.
IACOBVS *Frater Domini vtrum ab Alphaei filio diſtinguendus?* I. 59. ſq.
is Domini nec germanus, nec vterinus, nec conſanguineus dici poteſt, 58
dum ad πταλαιὰν ἱερωσύνην *adſpiraſſe dicitur, quomodo id intelligendum?* 61
is Sancta Sanctorum non ingreſſus I. 59. ſq.
an fuerit iuuenis relicta ſindone aufugiens? 62
is inſignem ſapientiae ſtultitiaeque characterem inculcat 124
IAMBLICHVS *an Platonicis philoſophis accenſendus?* I. 208
variorum de eo indicia ib. ſq.
ſtricturae Chriſtianiſmi in eius operibus obuiae quid? 209
IANVS A COSTA *putat confeſſionem reorum non niſi verbis & litteris fieri poſſe* I. 683
IAVOLENVS (Priſcus) *ICtus* I. p. 810
is iniuria dubiae ſanitatis homo *dicitur* ib.
eius Fragmenta in pandectis reperiuntur ib.
IESVS *an baculum vmquam geſtarit?* I. 44
I, lictor, colliga manus: *Formula haec explicatur* I. 431
Illationem *dotis an mulier iureiurando probare poſſit?* I. 653
Illegitimorum *in bonis an vſusfructus competat matri?* I. 587. ſq.
Illuſtris *femina an curatoris conſenſu in contrahendo indigeat?* I. 874
ἱμάλιον *quid?* I. 30. ſq.
Imitatio *ad eam valde procliues ſunt homines* I. 137
Immobilibus *aequiparantur reditus (Renten) iure Lubecenſi* I. 874
Immunitates *collegiorum* I. 402
earum cauſſae 403
Imperatores *collegiis in Germania inſtitutis maxime aduerſabantur* I. 409
id quod patet exemplo Friderici II. & aliis pluribus 378. 410
Imperatoribus *in inauguratione cura pupillorum commendata* I. 724
huius rei exempla ib.
Imperium *priuatum quid?* II. 234
publicum? 236
an ſit idem ac iuriſdictio? 240
Quid Imperium, & quid inter merum mixtumque interſit, 243. ſq.
Imperium *domeſticum an locari potuerit?* II. 244
Imperium *publicum locari non potuit.* II. 246

Implere

Implere *in iure ſaepe idem eſt ac probare* I. pag. 642
Impudentia: *de ea duo inter ſe certant apud Ariſtophanem* I. 687
Incedere *an purioris latinitatis vocabulum?* I. 136
Inceſſus: *ex eo diiudicare mores, omnium optime ſciebat Pythagoras* I. 143
itemque Auguſtus 144. ſq.
Gregorius Nazianzenus 145
nec non Ambroſius, Mediolanenſis Epiſcopus 147
Inceſſus, *animi index non poſtremus* I. 133
auctorum teſtimonia ib.
de eo paucis, nec cum cura actum 134
quid per eum intelligatur? 136
quaenam ex eo propenſionum ſigna petenda? 138
an ex eo certo, an probabiliter iudicandum ib.
eum ſignum morum eſſe, ex phyſicis demonſtrari poteſt, prout fecit Borellus 139
eius cauſſa ib.
eius varietas vnde? 140. ſq.
is affectibus potiſſimum mutatur 141
Sanguineorum, Melancholicorum, Cholericorum, Phlegmaticorum 157
virtute praeditorum 175
de eo regulae 157. ſq.
eius ſtatus ſingulos propriis vocabulis exprimunt Graeci 137
ex naturali tantum de hominum moribus iudicandum ib.
aliorum ſaepe mutatur ib.
Inceſſus *diuerſitas inter integras gentes* I. pag. 142
Hiſpanorum, ib.
Gallorum, Hungarorum, 143
de eo Phyſiognomonum regulae 157
Indiuidua *confeſſio: quid de ea ſentiendum?* I. 684
Indoſſamentum *vocatur ceſſio, vel mandatum in cambio* I. 446
an recte latine vertatur inductio? ib.
hoc inſcio debitore factum Hamburgi vitioſum 480
hoc an iudaeus Chriſtiano cedere poſſit? 477
hoc a decoctore factum vitioſum eſt 479
hoc vitioſum in bianco 476
Indoſſare *quoties liceat?* I. 479
Indoſſari *an omne cambium poſſit?* I. 476
Indoſſari *an adſignatio poſſit in cambio, & inde actio inſtitui?* I. 473
Indoſſatarius *quo caſu dominus fiat cambialis ſchedulae?* I. 446
Infallibilitatem *Papae in dubium vocauit Seneca, Praepoſitus Halberſtadienſ.* I. 750
Infamia *notantur a Praetore pacti ſuper delicto priuato* I. 702
Infamis *perſona: ea inſtituta herede fratres & ſorores legitimam petere poſſunt iure Germ.* I. 97
Infantia *maiores quo caſu infantibus comparentur?* I. 680
Inficiando *lis quibus cauſſis creſcat iure Rom.?* I. 686
Ingenua *ius trium liberorum habens ex SC. Tertulliano ad luctuoſam heredi-*

Digitized by Google

hereditatem vocatur I. pag. 836. ſq.
Ingenuis *quando licuerit libertinas ducere?* I. 283
an omnibus id ſuerit indultum? ib. ſq.
Iniurato *cuinam credendum putarint Athenienſes?* I. 645
Iniuria *Chriſtianae religioni illata a quibuſnam vindicetur?* I. 2
Iniuriarum *patientia commendatur a Seruatore?* I. 31
earum actio Lubecae intra tres dies exſpirat 890
INNOCENTII PP. III. Epiſtolae, *in quibus de baculo Petri loquitur* I. 41
Inofficioſi *querela: quo caſu ab hac ad illam de inofficioſa donatione & dote liceat argumentari?* I. 297
quibuſnam detur? 267
haec iudicium centumuirale vocabatur κατ' ἐξοχὴν ib.
cur eo colore inſtituenda, quaſi turbatae mentis fuiſſent parentes? 270
quando ea ad Fratres & alias perſonas fuerit porrecta? 272. ſq.
Inopia *probationum quando eſſe cenſeatur?* I. 648.
ſignificationem huius vocis quis obſeruarit? ib.
an idem ac probatio ſemiplena? ibid.
Inſcriptio *in gladio Conſtantini M. ſuppoſititia* I. 83. ſq.
Inſcriptio *Spoletana eiuſdem notae* I. 85
Inſcriptio *legis ab interprete numquam negligenda* I. 802
Inſidiae *Polycarpo & aliis ſtructae* I. 13
Inſtitutio *heredis in diem apud Romanos fieri non poterat* I. p. 611
Inſtrumentum *Meklenburgicum torturae genus* I. 691
Inſtrumentis, *ſi ſemiplene probatum; an iuriiurando ſuppletorio locus ſit?* I. 655. ſq.
Interceſſio, Intercedere, *quid apud Romanos?* II. 3
Interdicere: *an ex huius vocis vſu Hebraiſmus Vlpiani pateat?* I. 711
Interloquutio, *quid & quomodo Graecis?* II. 12
Interpretationis *iuridicae myſterium* I. 492
Iac. Gothofredi verba huc ſpectant ibid.
Intertiare *ſtilo vet. iuris Germ. idem ac* ſequeſtrare I. 908
Inteſtabilis & deteſtabilis: *vocabula haec promiſcue vſurpantur a veteribus* I. 281
Inuentarium *an mater vſufructuaria conficere teneatur?* I. 618
Inuocatio *nominis Diuini in cambiis ſuperuacua* I. 454
IOANNES Apoſtolus *tunicam ſuam Ariſtodemo dediſſe fertur* I. 32
an is bracteas in fronte geſtauerit? 65. ſq.
an epiſcopalem mitram geſtauerit? 68
IOANNES & Philippus *an conſpiciantur in Numo Theodoſii?* I. 73
IOSEPHI *teſtimonium de anno emortuali Herodis M. cum Iudaeorum hypotheſi conſpirat* I. 92
ISIDORI *locus an tutelam Romanorum confirmet?* I. 840
ISIDORVS *fidem non meretur in probatione ſua de tonſura Petri* I. 37. ſq.

Digitized by Google

Isidorvs Mercator : *ex eo variae epiſtolae decretales deſumtae* I. p. 21
Italiam (in) *pellecti Langobardi* I. 323
Italica *ſtatuta continent priuilegium codicum mercatorum* I. 558
Italorum *commercia longe lateque ſe extendebant medio aeuo* I. 560
ii priuilegium libris mercatorum tributum in Germaniam inferunt ibid.
Ite in ſuffragia *&c. Formula haec quando apud Romanos adhibita fuerit?* I. 422
Itinera *literaria ciuium*, II. 163. ſq.
Iudaei *in ſupremo Imperii dicaſterio admittuntur ad iuſiurandum ſupplet. aduerſus Chriſtianos* I. 657
eorum libri an comparandi libris decoctorum? 576
an eis contra Chriſtianos deferri poſſit iuſiurandum ſuppletorium? 657
eorum collegia heredes inſtitui nequeunt 402
Iudaei *an Chriſtianis cedere poſſint indoſſamentum?* I. 478
eorum auctoritas in tempore mortis Herodis M. deſignando valet 91
ii mancipia Chriſtiana comparare prohibentur 325
ii ad diem VII. menſis Caſleu Synagogae ſupplicationem indicunt 91
eorum collegiorum Fata 390
eorum contemtus ob ſingularem habitum 4
eorum veſtes ad religionem pertinebant 30
Iudaeorum *libertinorum vltra quatuor mille Romae habitaſſe, refert Tacitus* I. pag. 390
Iudaeorum *nomine veniunt Chriſtiani* I. 201
Iudex *quando iuſiurandum decernere poſſit?* I. 647
quando torturam? 692
Conſtitutio Carolina quid ea de re diſponat? 693
ad eius religionem pertinet ne perire quidem volentes innoxios damnare 677
eius periurium, quo rei confeſſionem, ſpe impunitatis falſo oſtenſa elicuit, an excuſandum? 690
Iudex : *An cauſſa a ſuperiore iudice pro lubitu auocari poſſit?* II. 331
Iudices *quales olim eſſe oportuerit?* I. 789
viri boni *adpellati* ibid.
Iudices *ſuccumbentiam, deficiente lege vel conſuetudine, exigere non poſſunt*, II. 19
niſi priuilegium impetrauerint, 20
Iudices *Hebraeorum, Carthaginen. & Rom. quomodo dicti?* II. 252
Iudices *hodie non ſeliguntur, ſed ſumuntur*, II. 272
Iudicia *publica Athenienſium* I. 677
Iudicia *mercatoria & nautica adhibent Principes ad libertatem commerciorum tuendam.* II. 117
Iudicium *lubricum Feminarum* I. 820. ſq.
Iudicium. *De Dominis ſubditos ſuos in iudicio ſuo conuenientibus*, II. 305. ſq.
Vide Dominus, Subditus, Iudex, Iuſtitiarius.

Iudicum *Romanorum religio laudatur a Tertulliano* I. pag. 694
Iuliacenſis Dux, *quo fundamento ſibi adſeruerit ius gladium praeferendi?* I. 772
IVLIANVS (Saluius) *vnde deriuandus?* I. 800
quando floruerit, edictumque perpetuum compilarit? 804
eius ſtemma genealogicum Reineſiano accuratius exhibetur 803
laudatur a Spartiano 801
eius patria 799
eius praeceptor, elogia & diſcipuli 810. 811
ex eius fragmentis patet, eum Stoicae philoſophiae fuiſſe addictum 807
eiuſdem deciſiones in iure Rom. obuiae 809
cenſor eius acerrimus Vlpius Marcellus ibid.
is amicus *vocatur a Marco & Lucio, Imperatoribus* 804. 812
is latinarum Graecarumque litterarum peritiſſimus 805
in Fragmentis eius multa antiquitatis veſtigia occurrunt 806
is Soriten accuratius definiuit ib.
Proculeianae Sectae perperam eum adſcribit Hugo Donellus 811
eius obſeruatio de quinque infantibus vno partu fuſis 807
eius mors, & vbi ſepultus? 814
Filius eiusdem nominis ib.
nepos eius cur a Commodo necatus? ibid.
eius opera 816. ſq.
Iuramentum *quae cauſſae reſpuant?* I. 658
eas oſtenderunt in primis Seraphinus a Seraphinis & Berlichius ibid.
Iurans *in ſupplementum teſtis ſit in propria cauſſa* I. pag. 644
Iurantem *qualem eſſe deceat?* I. [illegible]
Iurare *manu ſexta ſeptima quid?* I. 631
Iurare *an de credulitate poſſit?* I. 656
Iure *communi an in cauſſis criminalibus in contumaciam poena decernatur?* I. 705
Iure *Colonienſi quomodo teſtari oporteat?* 969
Iureconſulti *nomen maius, quam vulgo creditur eſſe, oſtenditur* I. 536
eius officium duabus partibus abſoluitur ib.
Iureconſulti *quinam laudentur a Cicerone?* I. 423
eorum doctrina Reformationi praeluſit 752
ICtorum *ſemidoctorum numerus cur hodie tam magnus?* I. 540
quanam re potiſſimum ſe prodant? 539
ICtos *veteres ſaepe in medium conſulere iubebant Principes* I. 812
illorum moderatio erga diſſentientes ib.
Iureiurando *an mulier illationem dotis probare poſſit?* I. 653
Iuri *Rom. nimium a multis ſtatuitur pretium* I. 539
Iuris *ignorantia quibus caſibus noceat?* I. 927
Iuris *Rom. & Lubecenſ. in praeſcript. bon. vac. differentiae* I. 915
Romani & Longobardici diſcrimen

Digitized by Google

men ratione tutelae maritalis I. pag. 854
Iuris *Sueuici & Saxonici ſimilitudo in eadem tutela* 859
Prouin. Saxon. locus inſignis de eadem materia 857
Iuris *diuerſi homines qui ?* I. 297
Iurisdictio *an fuerit Germanorum in ſeruos poteſtas ?* I. 249
quotuplex ib.
quibusnam demandata apud Germanos ? ib.
patrimonialis cur ita dicta ? 251
ea deſcribitur 235
circumſepta 253
germanicae a Rom. diſcrimen 232
academica ad quamnam ſpeciem iurisdictionis referenda ? 233
Statuum imperii perperam pro patrimoniali venditatur ib.
qualis conceſſa, ex formulis, litteris inueſtiturae inſertis, iudicandum 234
omnis apud Romanos erat perſonalis 235
in Anglia nulla eſt hereditaria 236 ſq.
baſſa quid ? 732
patrimonialis, iure Rom. incognita 235
quando in Germania innoteſcere coeperit ? 237
non ſolum ibi vſu recepta eſt 236 ſq.
Hertii & Conringii *argumenta de eius origine examinantur* 238 ſq.
Iurisdictionis *extraordinariae erat tutoris datio apud Rom.* I. 720
Iuriſdictio. *An locatio conductio iuriſdictionis ex principiis iuris Rom. ſit licita ?* II. pag. 222
Quid iuriſdictio ſecundum Duarenum ? 224. *& alios,* 226
Iuriſdictionis *definitio Cuiaciana,* II. 228
Obiectiones & vindiciae, ibid. 229. 232
Quid iuriſdictio priuata ? 234
quid publica ? 236
Imperium an idem ac iuriſdictio, 240
An locari potuerit iuriſdictio & imperium domeſticum ? 244
Publica iuriſdictio & imperium locari non potuerunt, quod probatur ex ipſa eorum indole, 246. *& ex natura dignitatum ac magiſtratuum,* 247
Iuriſdictio *non potuit mandari nec locari,* II. 249
Illa apud pleraſque gentes non niſi regibus, ſummis magiſtratibus, ipſique populo competiit, 251
Idque & apud veteres Germanos obtinuit, 253
Cur mutatio paullatim facta ſit iuriſdictionis Germanicae, 255
Hodie locari poteſt, 258. *tum una cum praedio, tum ſeorſum,* 259. *ſiue in longum, ſiue in breue tempus,* 260
an etiam quae non eſt fructuoſa ? 262
an & criminalis, extraordinaria & voluntaria, 263
Quis eam poſſit locare ? An & conductor eam alii ſublocare poſſit,

poſſit, II. pag. 264
Iuriſdictio: *Quis eam recte conducat?* II. 265
Obligatio locatoris, 267. *& conductoris*, 270
Vide Locatio.
Iuriſdictio *Fonceria*, *ſeu Fundalis*, *ſeu Praediaria*, *ſeu Solaria*, II. 311
Iuriſdictio *contentioſa*, II. 315
Iurisprudentia *Romanis olim propria* I. 780
Iurisprudentia *Formularia Romanorum a viris ſapientiſſimis inuenta* I. 420
cur ea plerisque hodie videatur ridicula? 427
ad eam ridentium obiectiones reſpondetur 429 ſqq.
Iuriſprudentia *heurematica quid?* I. 787
ei nauaturos operam quomodo praeparatos eſſe deceat? 541
ea quomodo differat a Politica? 749
Ius *adminiſtrandi tutelam quando incipiat?* I. 736
Ius *Albinagii quid?* I. 960
Ius *Canonicum quid circa merces vetitas ſtatuat* I. 327
Ius *Lubecenſe à ciuili in praeſcriptionis potiſſimum termino diſcrepat* I. 890
Ius *Ciuitatis intra quodnam tempus recuperandum iure Lubecenſi?* ib.
Ius *Gentium quomodo differat a ciu. in eadem materia?* I. 885
Ius *Germanicum non negligendum eſſe oſtenditur* I. 581
quasnam merces vetitis adnumeret? 330
Veteris eiusdem iuris effectus quidam tutelae maritalis ſuperſunt etiam iis locis, vbi ius Rom. introductum I. pag. 880
Ius *Geranii* (Das Krahnen-Recht) *quid?* I. 335
Ius Hageſtolziatus *quid?* 960
Ius *Hamburgenſe an diſtinguat inter bona mobilia & immobilia in materia teſtamentifactionis?* I. 963
quid Bremenſe, Dithmarſicum & Mindenſe in eodem iuris capite? 965
Ius *Lubecenſe res mobiles aeque ac immobiles anno praeſcribit* I. 905
in materia praeſcriptionis bon. vac. ſequitur principia iur. Germ. antiqui 916
id quod demonſtratur ex iure Longobardico & Alamannico ib.
quomodo differat a communi iure in praeſcriptione rerum mobilium & immobilium 904. 907. 908
deſumtum ex Suſatenſi iure 892
ex eo periocha interpretatur 900. ſq.
eiusdem aequitas 882
Ius *συμβουλίας tribus competebat in regno Lotharingiae* I. 767
Ius *Quiritium nauem fabricantibus conceſſum a Claudio* I. 340
Ius *Recadentiae* (Das Rückfalls-Recht) *quid? & vbi vigeat?* I. 959
id teſtamento peruerti non poteſt ib.
Ius *Romanum in Germania receptum, alibi tutelam maritalem excluſit*, 868. *alibi mutauit in curam* I. 870
id

Digitized by Google

id alibi mutauit in curam p.870
id priſcis olim Germanis inuiſum 230
id apud Germanos in ſubſidium modo receptum 231
an ignoret iuramentum de credulitate? 645
Ius *Saxonicum quid diſponat de praeſcriptione immobilium?* I. 909
quid Belgicum? ib.
Ius *Stapulae quid?* I. 334
Ius *Sueuicum quid praecipiat eis, qui teſtari volunt, & heredes ab inteſtato habent?* I. 958
an exinde colligendum, extantibus cognatis extraneos heredes inſtitui non poſſe? ib.
Ius *teſtandi ante Romam conditam in Italia viguit* I. 508
Ius *vitae & necis in ſeruos Germanis aeque competebat ac Romanis* I.245
quis illud dederit Romanis in liberos? 583
Ius regnandi gratia violare, *ait Caeſar.* I. 634
Ius *Principis circa Commerciorum libertatem tuendam*, Exerc. XXX. per totam. II. 79
Ius *Principis circa ciuium ſtudia*, Exerc. XXXI. per totam, II. 133
quod ius fluit ex natura & fine ſocietatis ciuilis, 143
Idem ius exigunt ſingularum rerumpublicarum formae, 144
nec non ipſa ſtudiorum ratio, 146
Hoc ius conſiſtit 1°. *in ingeniorum delectu*, 150
2°. *circa ſcholas & academias*, 158
3°. *circa reliquas ſocietates litterarias*, II. pag. 162
4°. *circa itineraria ciuium*, 163
5°. *circa ſtipendia literaria & praemia diligentiae*, 166
6°. *circa explorandos ciuium profectus*, 167
7°. *circa ſocietates ad artes mechanicas pertinentes*, 168
8°. *circa docendi diſcendique rationem praeſcribendam*, 170
9°. *circa impedimenta quae artium incrementis obſtant, remouenda*, 173
Ius *delectum ingeniorum habendi*, II. 150. ſq.
eius abuſus, 155
Vide Princeps, Studia ciuium.
Ius *Rom. Quid illud de venditione fructuum futurorum?* II. 294
quid ius Germ. vetus? 296
quid nouum? 297
eius iuris declaratio per Receſſ. Imp. de an. 1577. 298
Iusiurandum *omnibus gentibus vinculum adſtringendae fidei* I. 630
quomodo vocatum ab Aegyptiis? ibid.
quid Paullo Apoſtolo? 631
quid ICto eiusdem nominis? ib.
eius vſus oſtenditur ib.
id diuiditur in voluntarium, iudiciale & neceſſarium 635 ſq.
Species hae definiuntur, & earum denominationum redditur ratio 636
neceſſarium quomodo ſubdiuidatur a nonnullis? ib.
an tria genera ſint iurisiurandi? ib.
id a muliere in Saxonia ſine curatore

ratore praeſtitum an valeat? I. pag. 875
Iuſiurandum *quando a iudice decerni poſſit?* I. 647
eius frequentia perfidiae humanae indicium 632
elegans Senecae & Aeſchyli de eo iudicium ib.
Iuſiurandum *vniuerſitati delatum a quonam praeſtandum?* I. 657
id de credulitate non praeſidium reperit in iure Rom. 645
id delatum & intra 14 dies non praeſtitum pro deſerto habetur iure Lubecenſ. 890
Iuſiurandum *ſuppletorium an in iure Rom. praeſidium reperiat?* I. 637
eius fundamentum an recte probetur ex fragmento Caii? 646
illud ſex conditionibus deferri poſſe, ſtatuit Mynſingerus 653
ei an locus ſit, ſi per inſtrumentum ſemiplene probatum? 639. 655.
id veterum praxi repugnare, oſtenditur ex Gellio 648. ſq.
itemque ex loco Senecae 650
quid ſit? 637
controuerſia de eo inter Dd. 638
eius vſus in foro magnus 651
in Gallia ſpeciali Regis iuſſu deferendum 652
id an ſemper petendum? 660. ſq.
id caute deferendum 652
eiusdem tres comites fingunt Canoniſtae ib.
IVSTINIANVS *antiquitatis ſtudium commendat* I. 485
is laicis interdicit habitum ſacrum 19
IVSTINIANI *mutatio circa praeſcriptionis tempus* I. pag. 888
eius verba de teſtamentis 494
IVSTINVS Martyr: *locus eius de veſtibus Chriſtianorum* I. 3
Iuſtitiarius *quis?* II. 264
Quid ſi turbulenter & nulliter procedat? 333
An ipſi ſententiam ferre liceat? 334
Ab eius ſententia ſemper locus eſt adpellationi 335.
Vide Dominus, Subditus, Iudex.
Iuuenes *Romani quando ad honores promoti?* I. 792
IVVENTIVS CELSVS *quando vixerit?* I. 518
eius fata ib.
is perperam vocatur IVLIVS *&* IVBENTIVS 519
vnde nomen IVVENTII *tulerit?* ibid.
eius laudes ib. ſq.
in philoſophicis Stoicus, in iuridicis Proculeianus 525
eius calliditas in coniuratione aduerſus Domitianum 526
eiuſdem ad honores gradus ib.
is bis Conſul fuit 527
eius in Conſulatu collegae ib.
ſtemma eius exhibetur 520
patris eius merita in iurisprudentiam 521. 522. 523
eius natales & ſtudia 523. ſq.
eius Fragmenta laudantur ob puriorem latinitatem 524
eius philoſophia & profectus in iuriſprudentia 524. ſq.
is quid ſcripſerit? 530. ſq.

Digitized by Google

IVVENTII σύγχρονος *quis ?* I. pag. 530
quid notatu dignum in eius fragmentis ? 532

K.

KEine Henne fliegt über die Mauer : *paroemia haec vnde orta ?* I. pag. 409
Κύριοι *cur dicti tutores Graeci?* I. 829

L.

LABEO (Antiſtius) *laudatur* I. 542
quomodo ad iuriſpr. ſtudium ſe praepararit ? ib.
400 *volumina ſcripſiſſe fertur* 791
antiquitatum callentiſſimus habitus a Laelio Fel. 495
Lacedaemonii *ab Ariſtotele laudantur ob curam tenerae aetatis ciuium* I. 717
ii ad damnandum tardiſſimi erant 670
ii confeſſos vltro pro iudicatis habebant ibid.
id quod illuſtratur exemplo Pauſaniae ib.
eorum teſtamentifactio liberior, quam Athenienſium erat 941. ſq.
Lacernum *quid?* I. 26
Lacus, *quid de illis circa ſeruitutem?* II. 185
eorum diſcrimen a ſtagnis, 186
dicitur Lacuna magna, 187
eorum diſtinctio in duo genera, ibid.
Lacuum *variae definitiones,* II. p. 203
LAELIVS Felix *ad libros Mucii notauit* I. 489
Lamina *aurea male tributa Iacobo* I. 62
Land. *huius vocabuli varia notio* I. 912
Langobardi : *apud eos ſeruus fugitiuus praeſcriptionem* 30. *annorum domino opponere poterat* I. 895
ii in Italiam pellecti 323
Långſt Leib : långſt Gut : *quid ſibi velit haec paroemia ?* I. 602
Lapis *a monachis Romae inuentus ſuperſtitioſe adoratur* I. 80
Lares *permarini* I. 340
eis aedem vouit L. Aemilius ib.
Laſſi *quinam ?* I. 240
Latina *Eccleſia natalem Chriſti aemulatione gentilium conſecraſſe dicitur* I. 92
Laurentia *meretrix a Tertutio heres inſtituta* I. 508
Lectulo *adfixi vbi teſtari prohibeantur ?* I. 951
Legare *vocabulum legislatorium dicitur* I. 493
quid veteribus denotet ? ib.
Legare *olim dicebantur & ii, qui heredem inſtituebant* I. 490. 509. ſq.
Legari *per vindicationem quaenam olim potuerint ?* I. 491
Legari *an omnia poſſint, quae per filiumfamilias & per ſeruos adquirimus ?* ibid.
Legata *relinquendi poteſtas variis legibus circumſcripta* I. 515
Legata caduca *quid erant ?* I. 914
Legata *cur dari oportuerit* verbis ciuilibus *?* I. 512

Digitized by Google

Legatarius heres *in marmore apud Reineſium, quid ſit?* I. pag. 510
Legatarum *rerum dominium quando tranſeat ad legatarium?* I. 491
Legati *vnde nomen acceperint?* I. 493
ii nauibus iniuſte captis mittuntur eas repetituri I. 365
Legati *Procoſ. in prouinciis pupillis de tutoribus proſpiciebant* I. 720
Legationes *adhibent Principes ad libertatem Commerciorum tuendam,* II. 125
Legatum *vindicationis quid?* I. 511
quid damnationis? ib.
quid per praeceptionem? ib.
quid ſinendi modo? ib.
quid caducum? 919
Legatum *imperatiue erat relinquendum* I. 512
Legatum *cur nec falſa cauſſa, nec falſa demonſtratio peremerit?* ib.
id graeca lingua ſcriptum non valebat ib.
Legatum *conditionale filio relictum patri adquiri non poteſt die eius nondum cedente* I. 491
Lege *Decemuirali Pop. Rom. omnem facultatem ſuam νομοθετικὴν in quemlibet patremfamilias transſcripſit* I. 501
Lege *Aelia Sentia manumittendi modus terminatus ab Auguſto* I. 512
Lege *Iul. Pap. Popp. cautum ne quis ſponſam decenni minorem haberet* I. 843
quomodo haec diſpoſitio intelligenda? ib.
Lege *Regia quid populus in principem contulerit?* I. 500
Lege *Atilia quid cautum?* I. 719
Lege *Iulia & Titia quid cautum?* I. pag. 719
Lege *Papiria quid?* I. 500
Leges *XII. Tab. a Graecis petiere Romani* I. 264
ſecundum eas fratribus & ſororibus nihil debebatur ex hereditate, ne quidem liberis ib.
eae collegia opificum in vſum reuocant 381
an maximam partem ex iure Attico deſcriptae? 826. ſq.
earum fragmenta qui ſeruarint? 827
eae κατ᾽ ἐξοχὴν leges dictae 667
Leges *ciuiles cuiuſque reip. fini populique genio ſunt attemperandae* I. 548
Leges *Normannicae a quonam dictae?* I. 859
Leges *publicae a Chriſtianis ſeruabantur* I. 2
Leges *Athenienſium quinam auctores explicarint?* I. 827
Leges *Burgundica & Wiſigothica an prorſus ex iure ciu. petitae?* I. 852. ſq.
Leges *Germ. de Re Nummaria ſaluberrimae.* II. 53
Leges *variae de ſeruitutibus explicatae* II. 183. &c.
Leges, *libertatem commerciorum tuendi modus,* II. 114
Legi *Decemuirali de teſtamentifactione cur additum* SVAE REI? I. 503
de hoc Noodtii ſententia ib.
Legibus *decimariis ſublatis mariti vxoribus vſumfructum bonorum immobilium legare ſolebant* I. 592
Legibus *de ſucceſſione inteſtatorum non niſi noua lege poterat derogari* I. 500

Legibus

Legibus *veſtiariis cur opus fuerit Clericis Occidentalibus*, I. pag. 19
Legis *XII. Tab. de teſtamentifactione variae lectiones* I. 492. ſq.
ea quomodo ſcripta a Decemuiris? ib.
Legis *CXX. ff. de V. S. inſcriptio & variae lectiones*, I. 486
Legis *Burgundicae verba allegantur* I. 597
Legis *Iul. de Maieſt. quae poena?* I. 396
Legis *actionum inuentores quinam?* I. 434. 504
Legitima *: ad eam fratribus & ſororibus, perſona turpi inſtituta, adimplendam, noua actio inuenta* I. 297
quibus ea debeatur iure Rom.? 970
quibusnam iure Germ. ib.
Legitima *agnatorum tutela Graecis ſuſpecta* I. 717
Legitimi *tutores qui iure Rom.?* I. 733
Legum *Romanarum contemtus* I. 420
in eius cauſſas inquiritur ib.
Legum *Germanicarum editores* I. 598
Legum *multitudo, quid, obſeruante Platone, innuat?* I. 432
Leib an Leib, Gut an Gut: *qualis haec paroemia?* I. 593
Lenae *& lenones ex hereditate nihil capere poterant iure Rom.* I. 285
Leo *Imp. collegia heredes inſtitui poſſe, ſanxit* I. 402
Leuis *notae macula quomodo diſtinguatur a turpitudine?* I. 285
de ea doctrina vulgaris 294
Leuiter *notati quinam?* I. 288. 290
Leuterationes *&* oberleuterationes, II. 24. 29
Lex *Aelia Sentia* I. pag. 283
Lex *Agraria Hebraeorum quid diſpoſuerit?* I. 239
Lex *Arcadii & Honorii circa inſignia nauium* I. 356
Lex *Atilia quando lata?* I. 719
Ἀξίωσις IX. ff. ad L. Rhodiam de iactu, quid ex ea demonſtretur? 311
Lex *Baiuuariorum quando & a quo compilata?* I. 598
Lex *Falcidia: quid ea cautum?* I. 515
Lex *Iulia de viceſimis hereditatum quid diſponat?* ib.
Lex *Caducaria quid?* ib.
Lex *Langobardica: in ea expreſſiora tutelae maritalis veſtigia occurrunt* I. 854
Lex *Pap. Poppaea ad locupletandum aerarium comparata erat* I. 291
haec quomodo deſcribatur ab Horatio? 282
quando & a quonam lata? ib.
cur Iulia & Papia dicta? ib.
quid ea cautum? ib.
poena ex hac lege 284
Lex *Solonis de tutela nuptarum peruerſa a Sam. Petito* I. 829
Lex *Scribonia quid circa praeſcriptionem ſeruitutum mutarit?* I. 921
Lex *Vectibulici ad prouinciam porrecta* I. 528
Lex *Voconia feminas hereditate excludebat* I. 515
Lex *cum prologo abſurda videtur Senecae* I. 512
Lex 4. *C. de edendo ſemiplenae probationi aduerſatur* I. 643
Lex *vn. C. de Caduc. toll. a Iuſtiniano abolita* I. 515

Lex 27. *C. de inoff. teſt. a Triboniano interpolata* I. pag. 258
longa eidem lacinia adſuta ex L. 3. C. Theodoſ. de inoff. teſt. 259. ſq.
eius explicatio 262
an ea noui quid ſanxerit Conſtantinus M. 264
Lex *I. Cod. de Vet. Numiſm. poteſt. Eius explicatio. Vid.* Diſſert. XXIX. per totam. II. 36. &c.
Liber *magnus magnum malum videbatur* Callimacho I. 928
Liberi *a matre vſufructuaria alendi elocandique* I. 625
ii iure Rom. ratione patris erant res, ratione aliorum perſonae I. 503
ii ritu mancipationis a patre vendebantur ib.
ii poterant vindicari ex iure Quiritium ib.
Liberi *naturales, ſeu ſpurii Romae tribu non mouebantur* I. 299
Liberi *ex rapta procreati ad quem pertinuerint?* I. 853
Liberi *mortuo patre fiebant capita libera iure Rom.* I. 513
Liberi *praecoces an macula laborent?* I. 303
Liberi *Romae adductius regebantur, quam Athenis* I. 509
Liberis *non extantibus quid obtineant vxores ratione hereditatis iure Hamburg.?* I. 613
Libertas *non vna olim omnium* I. 290
Libertas *Commerciorum*, II. 110
Vide Commercium.
Libertates *dandi facultas quibuſnam legibus circumſcripta?* I. 515
haec in teſtamento ex XII. Tab. competebat 512
Libertatis *fauor apud omnes gentes maximus* I. 904
Liberti *apud Rom. alii ciues, alii Latini, alii deditiii* I. 242
Liberti *veterum Germanorum aequiparantur hodiernis ruſticis* I. 248
Libertinas *vxores ducere non licebat ante L. Pap. Popp.* I. 282
Libertini *in Germania quinam?* I. 301
iis quo ad ſucceſſionem aequiparantur peregrini a Friderico ib.
Libertorum *apud Germanos conditio* I. 242
Libri *opificum an aeque priuilegiati ac codices mercatorum?* I. 578
Libri *decoctorum quando probent?* I. 567
an creditores ex iis probationem debiti aduerſus tertium petere poſſint? ib.
Libri *publici in Germania ex parte cum tabulis cenſualibus Romanorum comparari poſſunt* I. 925
illorum praeſcriptio ſecundum ius Lubecenſe ib. ſq. *& Hamburgenſe* 926.
quando & quamdiu quae in hos libros relata ſunt, impugnari poſſint? ib. ſq.
Libripens *in teſtamentifactione per aes & libram requirebatur* I. 505
Librorum *mercatorum requiſita* I. 561
Licitis *collegiis qui accedere potuerint?* I. 397
Lictores *cur Romae leuiter notati viſi?* I. 301
Linea *feminalia lumbis adſtringebant* Orien-

Digitized by Google

Orientales I. pag. 30
quomodo vocentur ea Hebraeis & Graecis? ib.
Linea *an de hodierno* Ephod *recte explicetur?* I. 23
Liquamen *ſeu* Garus, *quid?* I. 323. II. 100
Lis *inficiando quibus in cauſſis creſcat iure Rom.?* I. 686
Lites *non oportet eſſe ſempiternas, at cauſſae tamen accuratae cognoſcendae:* II. 2
Litterae S. Viar. *ex iis nouum Sanctum exſculpunt Hiſpani* I. 80
Litterae *Graecae cum latinis olim eiusdem figurae* I. 87
Litterarum *natalitiarum origo* I. 412
Litterarum *Gothicarum origo* I. 84
Litteras *cambiales qui accepit alio loco offerendas quomodo vocetur?* I. 446
Litteratae *veſtes Apoſtolorum* I. 76. ſq.
quaenam litterae in iis conſpiciantur? ibid.
Litteris *cambialibus agnitis, an exceptioni locus?* I. 444
Livivs; *quid in eius ſtilo a nonnullis deſideretur?* I. 708
eius locus inſignis explicatur 498 ſq.
Locatio *Conductio Iuriſdictionis. Vid.* Diſſert. XXXIII. per tot. II. 222. &c.
An illa ex principiis iuris Rom. ſit licita? ib.
Locatio *iurisdictionis ex iuris Germ. principiis,* II. 250. ſeqq.
An regulis prudentiae ſatis conueniat haec locatio conductio? 272
Vide Iuriſdictio.
Locatoris *iuriſdictionis obligatio.* II. pag. 267
Vide Iuriſdictio.
Lombardi *& Coracini Iudaeis aequiparati* I. 561
Lombards Hauſſer *quid?* ib.
Longi *temporis praeſcriptio quando a Romanis inuenta?* I. 888
ad quas res ea pertinuerit? ib.
ea ignota iure Lubecenſi 890
Lotharii *I. ſtirpe extincta, Lotharingia inter Germanorum & Francorum Occidentalium conſilia fluctuabat* I. 759
Lotharingia *olim regnum* I. 757
Arnulfus quo iure id acceperit a Carolo Craſſo? ib.
archiducatus 769
Lotharingiae *Palatinatus cur ad ſuperiorem Rhenum migrarit?* I. 765
Lotharingiae *inferioris potentia* I. 771
ex ea nati Ducatus Limburgicus, & Brabantinus 772
eius Regum auctoritas in eligendo Rege Germanorum 766
Lotharingiae *ſuperioris praerogatiuae* I. 773
eius nexus cum Imperio ib.
eius amplitudo & opes 770
ex ea nati primo duo Ducatus ibid.
poſtea plures 770. ſq.
Lotharingiae *Duces cur Marchiſi dicti?* I. 774
eorum tituli & inſignia honoris ibid.
quali archiofficio in coronatione Ottonis I. functi ſint? 769
Lotharingiae *Regni Palatium quodnam?* I. 762

Lotharingiae *veteris magnitudo & nominis ratio* I. pag. 756
Lotharingiae *nomen cur adfectarit Dux Brabantiae?* I. 772
Lotharingiae *familiae ſplendor* I. 775
ea eiuſdem cum Habsburgica originis ib.
Lotharius *Imp. in fratrum regna imperium adfectauit* I. 758
Lubecae *cur annalis praeſcriptio obtineat?* I. 890
ibi quando exſpiret actio iniuriarum? ib.
ibi quo caſu rata ſint teſtamenta reciproca inter coniuges? 955
Lubecenſe *ius ex Suſatenſi deſumtum* I. 892
eius aequitas 882
Lubecenſes *inter & Danos de commercio lites* I. 317
Lubecenſium *ſtatutorum conditores an ius Rom. ante oculos habuerint?* I. 891
eorum priuilegia I. 899. ſq.
LVCAE, *Euangeliſtae, locus de cenſu* I. 93
an per eius verba: πᾶσαν τὴν οἰκουμένην: ſola Iudaea intelligatur? ib.
quemnam cenſum cum natalibus Chriſti coniungat? 97
eum conciliare ſtudet Baronius cum ſcriptoribus profanis in materia de natiuitate Chriſti 100
LVDOVICVS Pius *Germanis teſtamentifactionem a Car. M. ademtam reſtituiſſe fertur* I. 943
eius verba de tutoribus pupillis conſtituendis 723
LVDOVICVS XIV. *Rex Galliae foedus maritimum cum ciuitatibus Hanſeaticis iniit.* I. pag. 345
LVDOVICVS Germanicus *quaſnam prouincias vini cauſſa emerit?* I. 756
Luminum *ſeruitus*; II. 215
LVPI (Chriſtiani) *coniectura de palliis Epiſcopor. Orient. refutatur* 75. ſeq.
Luſatia *ſuperior: ibi maritus pro vxore poſtulaturus non indiget magiſtratus confirmatione* I. 872
LYCVRGVS *emtionem venditionem rerum fundi plane inhibuiſſe fertur* I. 887
quoſnam e rep. proſcripſerit? 539
eius leges circa peregrinationes ciuium & exterorum cum his negotia 317
LYDVS (Io.) *an philoſophus ſemichriſtianus?* I. 212
LYNKERVS *an matri vſumfructum in bonis illegitimorum recte adſcribat?* I. 588

M.

MACARIVS, *Epiſcopus Hieroſolymitanus, veſte ſacra donatus a Conſtantino M.* I. 17
MACRINVS *Imperator quid imitatus ſit in Marco?* I. 137
Macula *leuis notae: de ea doctrina vulgaris* I. 294
qui hodie ea laborare dicantur? 295
olim latius patebat; quam nunc 296

Maculae

Digitized by Google

Maculae *leuis notae effectus* I. p. 297
qui ea laborant ad quaſuis dignitates inhabiles cenſentur ib.
quinam ea notati apud Rom.? 298
ea ab infamia recte diſcernitur ib.
errores Doctorum circa naturam huius maculae ib. ſq.
eius definitio immutanda 300
ea haeret liberis praecocibus 303
quid de effectibus, quos Doctores ei tribuunt, ſentiendum? 304
reſponſum Facultatis Iuriſd. Halenſ. ad quaeſtionem hanc maculam concernentem 305
Maecianvs (Voluſius) *ICtus, Saluii Iul. diſcipulus* I. 811
Magiſtratus *in Germania etiam non rogati tutores conſtituunt* I. 739
eorum tutela ſuperior non ſemper a iuriſdictione promanat. 731
ea Romae ignota initio 718. 720
Magiſtratus *Carthagin. & Rom. quomodo vocabantur,* II. 252
Magiſtratus *domeſtici,* II. 325
Maiorennitas *in Germ. a curatela non ipſo iure liberat.* I. 742
Maioris (Io. Dan.) *de praeſtantia numorum iudicium* 78
Mancipia *Chriſtiana comparare cur Iudaei prohibeantur?* I. 325
Mandati *defectus an poſſit ſuppleri iureiurando?* I. 659
Manichaeorum *origo* I. 224
Manipulus *quid Latinis?* I. 14
quid Pontificiis? ib.
Mann-Recht *quid iure Germanico?* I. 897
Manu ſexta ſeptimaque iurare *quid?* I. 631
Manumiſſio: *ritus in ea obſeruandi* I. p. 423
formula: Hunc ego hominem liberum eſſe volo 424
Marcae *ſigna mercatorum* I. 355
Marchia *Brandenburgica: ibi non obtinet tutela maritalis* I. 868
quo caſu ibi feminae curator detur? 869
Marchiſi *cur dicti Lotharingiae Duces?* I. 774
Marci, *Euangeliſtae, indumenta* I. 75. ſq.
Marci Antonini *libri* εἰς ἑαυτόν I. 121
is an ſapiens praedicandus, ib.
Marcianvs, *cur & ſub quanam poena, Barbaris arma vendi noluerit?* I. 324
Mare, *de eius dominio variae lites* I. 311
auctores de hac materia recenſentur ib. ſeq.
eius dominii effectus 313. 315
Marianvs Scotvs *nihil memorat de reſuſcitatione* Materni I. 43
Maritalis *tutelae effectus in Germ.* I. 865
Mariti *poteſtas in vx. qualis in Saxonia?* I. 874
qualis alibi? 876
eo mortuo quis tutelam viduae conſequatur in Saxonia? I. 857
quomodo hodie vxoris curator fiat in Saxonia? 871
Maritus *an de fructibus dotis diſponere poſſit?* I. 491
ſi de reliquis rebus vxoris diſpoſuerit, & haec res ſuas eſſe contendat, cui incumbat probatio?

batio? I. pag. 491
Maritus *an non aliquando iure Rom. vxoris tutor, vel curator fuerit, quamuis non legitimus?* I. 841
vxoris nomine in Saxonia in iudicio ſine curatorio, vel cautione de rato non admittitur I. 870
Marsilivs Ficinus, *philoſophus ad paganiſmum procliuior* I. 223
eius doctrina de immortalitate animae & pactum cum Mich. Mercato ib.
Marsilivs de Menandrinis *Ludouici Bau. Imp. contra Papam defenſor* I. 750
eius ſtudia ib.
Martyrum *erae inuentores quinam?* I. 82
Masii *diſſertatio commendatur* I. 74
Mater *vſufructuaria liberos alere & elocare tenetur* I. 625
an iure Rom. poteſtate in liberos gaudeat? 587
an in ſpurios? 588
Mater *vſufructuaria ad inuentarium conficiendum tenetur* I. 618
quid in eo recenſendum? 620
Mater *an filiabus vitam monaſticam electuris dotem debeat?* I. 626
an aes alienum ſoluere teneatur? 623
an omnes fructus percipiat? 616. ſq.
diſpoſitio iur. Lubecenſ. ea de re inconcinna Statuto Hamburgenſi 617
an ea ad cautionem obligetur? 620. ſq.
ICti quinam id negauerint? 621
Mater *an poſſit alienare?* I. p. 621
an vſumfructum teſtamento relictum amittat ob ſecundas nupt.? 593
quo caſu non vtatur fruatur bonis liberorum? 615
quid ſi initio frugalis, ſucceſſu temporis bona abligurire inceperit? ib.
Mater *boni viri arbitratu non vtens fruens, an ſtatim vſufr. priuetur?* I. 597
Materna *poteſtas fundamentum vſusfructus, quo matres gaudent in Germ.* I. 609
Materni *reſuſcitatio inter fabulas referenda* I. 441
eius conditorium vbi oſtendatur? 49
is a Petro Treuirim miſſus 40
mortuus in itinere Petri virga paſtorali ſuſcitatus ib.
Matresfamilias *quaenam vxores dictae?* I. 834
Matri *vſufructuariae an rationes reddere incumbat?* I. 622. ſq.
quo caſu ei conſtituatur vſusfructus iure ciu.? 689. ſq.
Matronae, *oſculis & ſpe futuri matrimonii a iudice ad confeſſionem parricidii adactae exemplum* I. 689
Maximi Tyrii *& aliorum, qui phyſiognomiae nihil tribuunt, argumenta expenduntur* I. 148. ſeq.
Maximiliani I. *contentiones cum Ioanne, Danorum rege* I. 317
Mecklenburgicum *inſtrumentum torturae genus* I. 691
Medeae *querela, quod auri adulterini ſigna dentur, non hominum* I. 131

Menenivs

MENENIVS Agrippa *opifices inutiles cenſet reip. Rom.* I. pag. 380
Menſam *argentariam an ſeruus iure Iuſtinianeo exercere potuerit?* I. 555
Mentis *cum corpore arctiſſimum commercium demonſtratur* I. 149
Mercatores *honoribus adficiendos eſſe ſuadet* Xenophon I. 549
eorum aduerſariis an aeque fides habenda ac codicibus eorum? 562
an eorum libris, qui foro ceſſerunt? 564
eorum libros quales eſſe oporteat, ſi probare debeant? 561
eorum collegia duo inſtituta Romae 384
horum vnum Mercuriale, *alterum* Capitolinum *audiebat* ib.
eorum codicibus veterrimo iure credebatur, ſi libri creditorum cum libris debitorum conſpirarent in expenſilatione 554
id quod probatur variis teſtimoniis ib.
an eorum libri ſemiplene probarint, quorum negotiatio publicam cauſſam non habebat? 548
eorum priuilegiis indigni decoctores 550
Mercatura *pluribus gentibus ſuſpecta* I. 547
eam reip. prodeſſe, probatur, & ad obiectiones reſpondetur 548
cur ea priuilegiis opus habeat? 549
quinam de ea ſcripſerint? ib.
feminae eam exercentes, an obligentur ſine curatoris conſenſu in Saxon.? 875
eam multi e rebuſpublicis excluſerunt I. pag. 546
id illuſtratur exemplis Hebraeorum & aliarum gentium ib.
De Mercatura *ſcriptores,* II. 80. ſq.
Merces *vetitae iure Canonico* I. 327
quas ad hoſtes deferre, nefas habeatur, hodie variis conuentionibus explanatum 328
quarum negotiatio inter ipſos ciues Rom. prohibita? 324
quarumnam negotiatio vetita fuerit iure Rom. ratione exterorum? 322
Merces *illicitae, ſi non a domino ſed magiſtro nauis naui ſint impoſitae, quid iuris?* I. 344
Merces *licitae naui impoſitae an cum illicitis fiſco cedant?* I. 348
Merces *hoſti deſtinatas eſſe, vnde diiudicetur?* I. 352
eas hoſtium eſſe proprias vnde pateat? 354
earum ſi neglecta profeſſio, an ipſa nauis in commiſſum tollatur? 341
earum iure Germanico vetitarum catalogus 330
MERILLIVS (Em.) *an recte putet, feminas olim Romae non in ſcriptis teſtari potuiſſe?* I. 954
exempla in contrarium adferuntur ibid.
METHODII *reuelationes ſunt ſuppoſititiae* I. 22
METROCLIS *ſententia de ſolida eruditione comparanda* I. 541
MICHEAS (Propheta) *ab eo fit mentio veſtium Iudaeorum* I. 31

Digitized by Google

Milites *quinam in procinctu eſſe dicti?* I. pag. 496
cur eorum teſtamenta rata habuerit populus tacito ſuffragio? ib.
cur excluſi collegiis? 398
anne tenuioribus quidem accedere potuerint? ib.
eorum priuilegia circa teſtamenta 496
Militia; *in ea non locus erat opificibus, niſi in re trepida* I. 383
Militia *veterum Rom. ſelecta non erat mercenaria* I. 379
Militia *forenſis ad maiora nitentibus olim magno adiumento erat* I. 526
Militiae *emi & vendi poſſunt,* II. 248
MINERVA *cur in Imperatorum numis vocetur* COMES AVG. II. 134
MINICIORVM *ſtemma* I. 815. ſq.
Miniſteriales *Francorum varii generis recenſentur* I. 408
Minorennes *an poſſint cambiare?* I. 459. ſq.
Minoribus *inuitis curatores dari non poterant* I. 740
quomodo ad eos petendos adacti? ib.
Minorum *iure gauiſa collegia* I. 401
Miſſam *ſibi reperiiſſe viſus eſt Peireſcius in numis Conſtantini* M. I. 80
Mitrae *Epiſcopalis antiquitas unde adferatur a Baronio?* I. 53
ea non ab Apoſtolis deriuanda 69. ſq.
Mobilia *& immobilia ius Lubecenſe vno eodemque tempore praeſcribit* I. 905
MODESTINVS (Herennius) *quis fuit?* I. 709
eius libri ad Mucium 489
MOLINAEVS *refutatus a Deſiderio* Heraldo I. p. 235
Monachi *tonſura ſanctitatis famam ſibi conciliant* I. 19
ii pallium philoſophicum qua occaſione ſumſerint 6
Μονάρχαι *dicti ſunt à Ioſepho Hebraeorum iudices,* II. 252
Moneta: *De eius reductione ad iuſtum pretium,* Exerc. XXVIIII. per totam, II. 36. ſeqq.
De re monetaria decretum a variis circulis editum, 62
Muntz-Fuſs, *de hac norma, vide ſuo loco.*
Monetae *etymologia,* II. 134
Monetagium *quid in Normannia?* I. 860
Monetarii; II. 54. 56.
Monimenta *antiquiora era Chriſti ſignata ſuppoſititia ſunt* I. 83
Monimentum *Ancyranum cenſus illuſtrat.* I. 25
quid in eo reprehendat Caſaubonus? ibid.
confirmatur a Suetonio 26
Monopolium, *eius origo,* II. 93
Morbus *Herculeus comitia olim vitiabat* I. 422
Mores *veteres Germaniae ſenſim ſenſimque exoleuerunt* I. 232
Mors *corporis. de ea euitanda conſilium iniens Anglus quidam* I. 128
Mortis *cauſſa donatio inter pactum & vltimam voluntatem fluctuat.* I. 878
Motus *corporis a loco ad locum a mente determinatus quo ordine fiat?* I. 139. ſq.

Mucianae

Digitized by Google

Mucianae *cautionis inuentor quis?* L. pag. 487
MVCIVS (Q.) Scaeuola *non confundendus cum illo, cui* Auguris *nomen eſt* I. 486
eius honores ib.
occiſus a Damaſippo quodam 487
quomodo vocatus a Velleio Paterc. & Cic.? ib.
eius domus totius ciuitatis oraculum ib.
inter eius diſcipulos & Cicero erat ib.
is ſcripſit libros XVIII.iur. ciu. ib.
an ſint iidem cum libro ὅρων? 488
eius libros commentario illuſtrauerunt Ser. Sulpicius, Laelius Felix & Herennius Modeſtinus 489
is Caii Aquillii Galli praeceptor 783
is laudatur ob inſignem eruditionem 784
Muciorum *ſtemma genealogicum* ib.
Mulier *an iureiurando illationem dotis probare poſſit?* L. 653
Mulier *in Gallia teſtatura auctoritate mariti opus habet* I. 879
Mulier *in poteſtatem mariti redacta capite minuebatur* L. 825
Mulier *ſui iuris, quae non in manum conuenerat, in quorum tutela fuerit?* L. 835
quid ſi filiafamilias eſſet? 836
Mulier *in Saxonia fundum alienare nequit ob vſumfr. marito competentem* I. 874
ei condictionem indeb. concedunt Dd. ſi ſe inconſulto marito obligarit L. pag. 874
Mulieres *in iuſto connubio viuentes, vel in manum conuenerant, vel in matrimonium iure Rom.* L. 834
cur in teſtamentis teſtes eſſe nequeant? 507
Mulieres *Germanicae maritos ſuos, in bello conſtitutos, ſequebantur* L. 609
eae iure Germ. vet. confeſſione ſua ſibi haut nocebant 682
Mulieres *Chriſtianae ſapienter viuebant* L. 193
Mulieres *Atticae nihil, ſiue in iudicio, ſiue extra illud valide agebant, inconſulto tutore* L. 828
teſtimonia auctorum adferuntur ib.
eae legari poterant iure Attico 830
exemplum Demoſthenis vxorem ſuam Aphobo legantis ibid.
earum tutela quando ad Archontem redierit? 831
eae in legitima virorum ſuorum tutela erant 823
Mulierum *ſeruili amore bacchantium poena* L. 291
Mulieres *quae in manum non conuenerant, auctore tutore heredes ſcribere poterant* L. 502
Mulieres *in ſcenam prodeuntes infamia notabantur* L. 287
Mulieres *corpore quaeſtum facientes matronalem habitum deponere cogebantur* L. 289
Mundeburdi *qui apud Francos?* L. 723
Mundium *tutelam ſignificabat vet. Germ. Pop.* ib.
Municipales *quaedam ciuitates in Germania*

mania iure conſtituendi tutores gaudent I. pag. 731
vnde ipſis haec facultas competat? ibid.

Munimenta, *ad libertatem commerciorum vtilia*, II. 123

Muntz-Fuſs, *norma circa monetam*, II. 66
ea attemperanda auri argentique pretio. 68
Ob diuerſitatem pretii norma haec aliquoties mutata, 73
Qua rite conſtituta cogitandum eſt de ſurrogato, 77

Munz-valuation, II. 55
Landmunzen, Heckemunzen, 54. 61. 74. 77
Muntze brechen, 65

Muſagetes, *quid ſignificet & cuius cognomen fuit*, II. 136. 160

Mutuum: *formulae, quibus ex eo agentes vtebantur Romani* I. 434. ſq.
ex eo conuenti quo caſu creditoribus vincti traditi per leges XII. Tab. 668

MVNSINGERVS *quot conditiones deſideret ad delationem iurisiur. ſupplet.?* I. 653
quaſnam cauſſas id reſpuere doceat? 658. ſq.

Myſteria *Chriſtianorum ſacratiſſima* I. 193

Myſterium *an quaeſiuerint antiqui in veſtibus ſacris?* I. 18

N.

NAITONVS *Pictorum rex; epiſtolae a Ceolfrido, Abbate, ad eum ſcriptae ſit mentio* I. 36
is Clericos in coronam tondi iubet I. pag. 36

Naſiraeorum *mores circa tonſuram* I. 37. ſq.

Natalis CHRISTI: *quantum temporis inter eum & obitum Herodis M. intercesſerit?* I. 92
eum eſſe VIII. Kalend. Ianuarii, ſtatuit Eccleſia Occidentalis ib.
an ex hiſtoria cenſuum, Auguſti & Praeſidum Syriae poſſit illuſtrari? 93

Natiuitatis CHRISTI *era cur hodienum tam obſcura?* I. 82. ſq.

Naue *capta an merces licitae vna cum illicitis in commiſſum cadant?* I. 348
id quidam ex iure Rom. adfirmant ib.
a nauibus imperantium bellicis, cui praeda cedat? 356
publicata, an ſcapha eximatur? 343
fiſco addicta, ſub haſta omnia venduntur 362
quis hoc caſu protimiſeos iure gaudeat? 363

Nauem *communi nomine qui refecit, eam in ſolidum obtinet* I. 341
ad eam reficiendam qui credidit pecuniam, praelationis iure gaudet ib.

Naues *hoſtium, ſi merces amicorum contineant, quid iuris?* I. 349

Naues *amicorum, ſi hoſtium mercibus ſint onuſtae, quid tum?* ib.

Naues *hodie, quamuis magna earum priuilegia, ſaepe ob merces vetitas capiuntur, & pro commiſſo tenentur* I. 342

Naues

Digitized by Google

Naues *quae reuerentiae ſigna ſibi inuicem hodie exhibent, non ignorarunt Romani* pag. 334
Naues *a fiſco occupatae* Priſen *vocantur* I. 338
hinc loquendi mos: vor gute Priſen erklaren 339
Naues *captae an ſtatim in commiſſum cadant?* I. 360
Naui *impoſitas res hoſtium eſſe, vnde poſſit cognoſci?* I. 352
Nauibus *iniuſte captis, quomodo procedendum?* I. 365
Nauium & *nautarum permulta priuilegia in iure Rom.* I. 340
Nauium *pro commiſſo occupatarum pretium an ab adſecuratoribus reſtituendum?* I. 363
Nauium *hoſtilium ſignum* die Flagge I. 355
Nautica *gens* indomita *dicitur apud Euripid.* I. 360. ſq.
Nazaretha: *ibi non erant ſacerdotes* I. 60
Negotiandi *ius dare ac adimere quibuſdam Princeps poteſt,* II. 92
Negotiatio *qualium mercium iure Rom. vetita fuerit ratione exterorum?* I. 322
Negotiationis *collybiſticae hodiernae rigor.* I. 444
ea Romanis fuit ignota. ib.
NERATIVS Marcellus *quomodo* Celſi *collega dici poſſit?* I. 528
Neruii *mercatores ad ſe excurrere, cur non paſſi ſint?* I. 547. ſq.
populus cirbenanus 315
NICETA Paphlago: *ab eo excogitatum pallium Iacobi* I. 54
Nicotianam *herbam an hoſtibus subminiſtrare liceat?* I. pag. 329
Nimbus *capitibus Imperatorum adpictus* I. 71
Nobiles *Germ. pupillis in pagis ſuis tutores conſtituunt* I. 732
eorum iuriſdictio patrimonialis non a principibus in eos eſt translata 238
Nobilium *Romanorum ſtudia* I. 784. ſq.
Nomen *in delectibus militum ac cenſibus, boni ominis cauſſa primum eloquutum* I. 800
NOODT (Ger.) *laudatus* I. 503
NORISII (Henrici) *merita in ſtudium numiſmaticum* I. 82
Normanni *origine Germani* I. 723
Noui *operis nunciatio iactu lapilli peragebatur* I. 425
Nuditas *hominis velanda ob pudorem naturalem* I. 2
Nullitatis *querela,* II. 22
NVMA *regnum oblatum reſpuens, quomodo ad id ſuſpiciendum fuerit admonitus?* I. 377
is opificibus quaeſtum permiſit, eorumque collegia inſtituit 371
quot collegia inſtituerit? 372
quid eum mouerit ad eiuſmodi corpora ſtabilienda? 377
Numi *Regis* Agrippae *quam plurimi extant, quid in eis conſpiciatur?* I. 90
Numi *neceſſitas,* II. 37
De Numorum valore conſeruando 39
De Numis Principum non detrectandis, 42
Quinam dicantur diſtrahere Numos? 43
Poena eorum qui probum numum reiecerint,

Digitized by Google

reiecerint, II. pag. 47
Numi: *de improbis Numis reiiciendis,* 49
Rom. iudicium de Numorum bonitate, 51
In magnis Imperiis Principum a ſubditis non reiiciendi, 52
An idem in Germania ſeruetur?
Leges Germ. de re numaria, 53
Saepe Numi in Germania ad iuſtum pretium reducendi, 55
Numorum emendatio & reductio ad iuſtum pretium requirit morbi cognitionem, 64
Statuenda norma der Muntz-Fuſs *vocata,* 66. *Vide ſupra hanc vocem*
Cur Minerua in Numis Imp. vocetur Comes Aug. 134
De Numi inuentione egregius Salmaſii locus, 279
Vide Moneta.
Numinis *celebratio a ratione non abhorret* I. 202
Numiſmatum *medii aeui delineatores recenſentur* I. 85
Numorum *praeſtantia & auctoritas oſtenditur.* I. 78
eorum vſus in Hiſt. Eccleſ. 80
in eis explicandis ſaepe ineptiunt Pontificii ib. ſq.
in primis Hiſpani & Galli ib. ſq.
Numularii *argentariorum priuilegio gauiſi* I. 556
Numus *Bracteatus* Bernardi, *Ducis Saxoniae* I. 85
Numus *Herodis Antipae deſcribitur* I. 86
νοθείας abſoluitur 87
antiquitas eius patet ex littera L. *pro* Λ. *poſita* I. pag. 87
ex eo demonſtratur auſpicium regni Herodis 88
Numus *Theodoſii non habitum ſacerdotalem, ſed conſularem exhibet* I. 71. 80
Numus *quidam Conſtantini M. ſuppoſititius* I. 84
Nundinae *quibus exercere prohibitae ab Imperatoribus Honorio & Theodoſio?* I. 324
Nuptiae *an patriam poteſtatem finiuerint iure Rom.?* I. 836
de eis nihil cautum Legibus XII. Tab. 433
ritus antiqui, quibus contractae ibid.
Nuptiae *ſecundae Romanis odio dignae* I. 590
Nutus *an ſufficiat ad confeſſionem in criminalibus?* I. 695

O.

OBligatio *correalis qua ratione vitiet cambium?* I. p. 467
Obligatio *cambialis ſolis ex litteris naſcitur* I. 452
Obligationes *& actiones a Iudaeo aduerſus Chriſtianum emere prohibitum* I. 331
Octroyen *quid?* II. 116
Oculatum teſtem plus, quam decem auritos valere, *dicunt Pragmatici* I. 645
Ominis *mali obnunciatio teſtamenta olim irrita faciebat* I. 507
Omophorium *inter Iacobi indumenta a quibuſnam referatur?* I. 53
De Omophorio Nicetae Paphlagonis & Syncelli,

Digitized by Google

& Syncelli, fabulae I. pag. 65
Ὁμόπλοιαν *Graeci vocabant naues conſociatas* I. 358
Oneris *ferendi ſeruitus*, II. 194
Opifices: *an eorum codicibus priuilegium adplicandum, quod mercatorum libris tributum?* I. 578
ii Francorum temporibus non alii erant, quam ſerui 406
ii ignobiliores habiti apud Aegyptios & Lacedaemonios 369. ſq.
iis quaeſtum permiſit Numa 371
eorum conditio Romae ſemper parum honorifica fuit 383
quo caſu iis in militia locus? ib.
Opificia: *circa ea magna mutatio accidit Saec. XI.* I. 407
ea addiſcere cur quorumdam opificum filiis nefas fuerit? I. 412
Opificia *olim nulla erant Germanis* I. 405
ea cur olim non permiſſa? 368. 386
Opus *nouum nunciaturis quid factu opus fuerit?* I. 425
Orarium *vox recentior* I. 14
id ferre non oportere miniſtrum, ſtatuit Concil. Laodicenum 18
Ordinatione *politica de an.* 1675. *quid caueatur ratione tutelae?* I. 730
Ordines *ſacri a leuis notae macula laborantibus ſuſcipi nequeunt* I. 296. ſq.
Orientales *tria veſtimenta geſtabant* I. 30
veſtimenta haec recenſentur ib. ſq.
Origenes *in Chriſtianae religionis principiis inſtituit* Iuliam Mammaeam I. 194
Origenis *teſtimonium non pertinet ad habitum ſacrum noui teſtamenti* I. pag. 22
ὅρος *quid ICtis?* I. 488
ὡσεὶ: *particulam hanc cum latitudine ſumendam in interpretando Lucae textu, nonnulli putant* I. 103
Otto M. in *diplomatibus quibusdam ſe Regem Lotharienſium & Francigenum vocat* I. 757. ſq.
Ottonis *Bauari factum quid probet ratione iurisdictionis patrimonialis?* I. 238

P.

Pacii (Iul.) *lectio L. CXX. de Verb. ſign. omnium optima* I. p. 486
Pacta, *ne naues vna cum mercibus fiſco vindicentur* I. 347
qualia Hiſpanorum & Belgarum ib.
it. Gallorum & ciuitatum Hanſeaticarum ib.
Luſitanorum & Belgarum 348
Pacta *ſucceſſoria cur non permiſſa apud Rom.?* I. 500
Pacti *ſuper delicto priuato infamia notantur a Praetore* I. 702
Paedonomon *quem vocarint Spartiani?* I. 717
Paganae *ſuperſtitionis decrementum* I. 192
Pagani *philoſophi qua ratione ad veritatem Chriſtianam peruenerint?* I. 193
Paganos *ſacerdotes quis ad ſemichriſtianam philoſophandi methodum ſit coborta-*

cohortatus? I. pag. 192
PAGI (Ant.) *induſtria in ſtudio numiſmatico laudatur* I. 82
Palatia *plura olim erant in ſingulis regnis, quae recenſuit Mabillonius* I. 760
Palatinatus *Lotharingiae cur ad ſuperiorem Rhenum migrarit?* I. 765
Palatinorum *Comitum ad Rhenum ſedes* I. 764
Pallium *linteum* Iacobo *tribuitur ex cerebro* Hegeſippi I. 62
id ad ἀσκήσιν primorum Chriſtianorum pertinebat 8
Pallium *Tertulliani : an recte in eo quaerant Chriſtianorum habitum?* I. 6
id veſtis Graecorum 3
cur habitus ſacer *vocetur?* 8
Pallium *philoſophicum : priuatus ob id ſacerdotio Euſtathius Ep. Sebaſtenorum* I. 18
Pallor *non ſemper timiditatis ſignum* I. 138
Pannorum *genera quaenam prohibita iure Germ.?* I. 331
Papa *quibus artibus imperium in orbem Chriſtianum ſibi vindicauerit?* I. 748
eius infallibilitas in dubium vocata a Io. Semeca, Praepoſito Halberſtadienſi 750
cur is a baculo paſtorali abſtinere dicatur? 47
origo huius fabulae ib. ſq.
Broweri ea de re argumenta 48 ſeq.
Paraphernalium *bonorum adminiſtratio iure vet. non niſi ex pacto ad maritum pertinebat* I. 845
Paraphernalium *bonorum vſumfr. ignorant iura Rom.* I. pag. 866
Parentum *vitium in quantum liberos leui nota adſperſerit apud Rom.?* I. 299
Paroemia : Die Aemter und Zünffte müſſen ſo reine ſeyn, als wenn ſie eine Taube geleſen hätte, *vnde nata?* I. 412
Parthi *& alii populi perdomiti* I. 7
Partiarius legatarius *quis dicatur?* I. 510
Paſſeporti *oſtendendi magiſtris nauium* I. 345
formula eiuſmodi paſſeporti ib.
Patauinitas *ſtilo Liuii haerere dicitur* I. 708
Pater *an liberos exheredare, vel praeterire potuerit ap. Rom.?* I. 495
an ei legatum, filio ſub conditione, quum annorum 14 factus fuerit relictum, hocque intra pubertatem mortuo, adquiratur? 491
Paterfamilias *quiſque apud Romanos familiae ſuae iudex* I. 495
is vxori, quae in manum conuenerat, teſtamento tutorem recte conſtituebat 513
quis dicatur in iure Rom.? 501
Patria *poteſtas Rom. an reuiuiſcat iure poſtliminii?* I. 837
haec nuptiis non finiebatur 836
Patrimonialis *iuriſdictio fundo inhaerens ad quosuis ſucceſſores tranſit* I. 233
haec ad ſolos ruſticos pertinet ib.
PAVLVS *Apoſtolus quomodo tonſus fuerit?* I. 36
an ei pallium ſacerdotale recte tribuatur?

Digitized by Google

tribuatur? I. pag. 72
PAVLVS *Ap. quid de eius tonſura ſentiendum?* ib. ſq.
locus eius illuſtratur 513
PAVLVS, *ICtus: locus eius de ſilentio reorum quomodo explicandus?* I. 704
Paupertas *mentis ſoror*, II. 166
PAVSANIAS *ob conſilia de opprimenda patria condemnatus* I. 670
quodnam mortis genus ſubierit? ib.
is interrogatus, cur nefas exiſtimetur Lacedaemone, vllam priſcarum legem refigere, quid reſponderit? 537
Peculia, Caſtrenſe & quaſi Caſtrenſe *ſeparata habebant filiifamilias a rationibus paternis* I. 492
illius origo 585
eis inuentis adqueſtui patris per liberos derogatum ib.
Pecunia *quid in iure denotet?* I. 502
Pecuniam ſcribere & reſcribere, *quid ſit, explicatur* I. 555
Pecuniam *in mare proiiciebat Crates* I. 685
De Pecunia *in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus aliiſque, ſententias impugnantibus deponenda*, Exercit. XXVIII. per totam II. 10. ſeqq.
Conſilium agendi de pecunia ſuccumbentiae, 10
eius origo, ib. ſeqq.
eam, deficiente lege vel conſuetudine, exigere non poſſunt iudices, 19. *niſi impetrato priuilegio*, 20
Ea exigitur tum ab adpellantibus, tum ab alio remedio vtentibus, II. p. 21. ſq.
Pecunia *an a ſingulis deponenda, pluribus ſententiam impugnantibus?* II. 25
quanta deponenda? 29
Victor hanc repetit, 31. & *amittit victus*, 32
Cuinam cedat pecunia illa, ſi pro commiſſa habeatur, 34
Pecuniae *neceſſitas*, II. 37. & *requiſita*, 38
Pecuniariae *cauſſae: in iis ſerui contra dominum interrogari poſſunt per Conſt.* Seueri & Antonini I. 648
Pedibus *nudis, vel ſoleis an Chriſtiani inambularint?* I. 9
Pedorum *ſacerdotalium antiquitas* I. 45
PEIRESCIVS *caſtigatus a* Sponio I. 80
Perduellium *filii nihil ex hereditate capere poſſunt* I. 515
Peregrini *quoad ſucceſſionem aequiparantur libertinis a Friderico* I. 301
ii alicubi in Germ. teſtari prohibentur 960
ii hoſtes *vocantur in antiquitate* 322
Perfidorum & *inquietorum inceſſus* I. 174. ſq.
Peribolaeum *ſumentes condemnat canon, in Synodo Gangrenſi conditus* I. 19
Περιβόλαιον *vſus Chriſtianis diſſuadetur* I. 9
Περισκελὶς *quid Graecis?* I. 30
Periuria *cur tam frequentia?* I. 633
Periurium *iudicis, quo rei confeſſionem, ſpe impunitatis falſo oſtenſa, elicuit, an excuſandum?* I. 689
Permutatio *pecuniae localis an Romanis*

manis fuerit ignota? I. pag. 443
ea duplici modo fieri poteſt 445
Perſonas *turpes ex hereditate capere vetuit Lex Pap. Poppaea* I. 281
quales iſtae? 284
Πέταλον *an recte explicetur* bractea aurea? I. 66
Petere *tutores quid?* I. 739
cur ipſi pupilli hoc non potuerint? ib.
Petrvs, Apoſtolus, *quonam indumento inceſſerit?* I. 31
quomodo veſtitus fuerit ex mente Pontificiorum? 33
imagini eius corona triplex adpingitur a Io. Palatio ib.
eum tonſum ſiſtunt Pontificii ib.
qua ratione tonſus fuerit? 35
eius tonſura negatur ex duplici fundamento? 38. ſq.
tonſus dicitur in honorem Chriſti;
de eius tonſura auctores 39
ei fruſtra adſcribitur baculus paſtoralis 39. & 45
eum Romae fuiſſe, ex numo Neronis fingunt Pontificii 81
an gladio cinctus iter fecerit? 49
Pfal-oder Zaun Gerichte *oponitur* den Straſſen-Gerichten I. 253
vbi occurrat? ib.
an poſſeſſor huius iurisdictionis teneatur edere titulum? ib.
vtrum cumulatiue, an priuatiue data intelligatur? 254
Phaedrvs, *quid in eius ſtilo reprehendat* Scioppius? I. 708
Φελόνης *&* Φαιλόνιον *quid?* I. 72
Philippvs *Tetrarcha, ex eius imperii chronotaxi demonſtratur tempus, quo Herodes Antipas regnare coepit* I. 90
Philosophi *quidam Chriſtiani falſae ſapientiae characterem prae ſe ferunt* I. pag. 121
Philoſophi *veteres ethnici ad Chriſtianorum caſtra transgreſſi, ad ſacra munera euchebantur* I. 17
Philoſophi *ſemichriſtiani qui?* I. 181
in quot claſſes diuidantur? ib. & 200
Philoſophi *chriſtiani quidam ad paganiſmum procliuiores recenſentur* I. 223. ſq.
Philoſophia *viam munit ad religionem chriſtianam* I. 178
eius abuſus 180
Philoſophia *Ariſtotelica & Scholaſtica in permultis nihil facit ad ſapientiam* I. 122
quaenam eius pulcherrima pars ex mente Euphratis, philoſophi eximii 538
Philoſophia *Platonica praecipue a primis Chriſtianis exculta* I. 17
Philoſophicus *habitus non erat ſacerdotalis* I. 16
Phyſiognomia *an ars futilis & fundamento deſtituta?* I. 147. ſq.
Pici Mirandulae & aliorum ea de re opiniones expenduntur I. 148. ſq.
Piae cauſſae: *iis in quibusdam Germ. locis aliquid relinquendum ex teſtamento* I. 970
Picti *a finibus Romanae prouinciae excluduntur* I. 7
Pignus *quomodo conſtitutum ſollemniter?* I. 425
Pileati *ſi lecticam ſequerentur, Romani honori ducebant* I. 513
Plato, *eius humeros incuruos imitabantur* I. 137

PLATONIS *character falſae ſapientiae* I. pag. 115. ſq.
iocoſae eius ſophiſticae definitiones ib.
is ſanctiſſimum depoſitum *vocat pupillos* 716
quid de praeſcriptionis tempore praeceperit? 853
eius dialogus, quem Sophiſtam *inſcripſit* 115
eius κεντρια *explicauit* Themiſtius ib.
Platonicorum *idea de anima* I. 121
PLOTINI *ſtudiorum ratio* I. 203. ſq.
PLVTARCHI *obſeruatio de teſtamentis* I. 497
an is philoſophus ſemichriſtianus fuerit? 220. ſq.
Pœna *cum gente hoſtili negotiantium* I. 337
Poena *collegiorum illicitorum ex Lege Iul. de Maieſt.* I. 396
Poena *hoſti, deditioni proximo neceſſaria ſubminiſtrantium quae* I. 336
Poenam *nemini praecipitanter infligendam monet Seneca* I. 686
Poenitudo, *quid?* II. 33
Politices *ſtudium a* Clericis *ſummo odio proſequutum* I. 749
Pollizza *quid?* I. 364
Polonia: *ibi ſeruorum & libertorum fere eadem conditio, quae olim in Germania* I. 246. ſeq.
Πολυμαθείας *laus adfectatur a ſophiſtis* I. 117
eo pertinet locus Plauti ib.
POLYCRATIS *locus de bractea aurea explicatur* I. 67. ſeq.
Polypolium *unde?* II. 93
POMPONIVS (Sex.) *quando floruerit?* I. pag. 489
POMPONII *libri* XXXIX. *ad Mucium* ib.
quo ordine in iis explicarit materias iuris? ib.
Ponderatores, *ſeu* zygoſtatae, II. 52
Pondus, *quid?* II. 64
Pontifex *Romanus habitum ſacerdotalem reiicit* I. 14
Pontificii *Apoſtolis veſtes ſacerdotales tribuunt* I. 30
quinam agnoſcant nouitatem habitus ſacerdotalis? 12
eorum in numis explicandis ineptiae 80
eorum argumenta ratione originis habitus Clericalis 20. ſq.
Pontificum *Rom. teſtimonia an aliquid probent intuitu habitus ſacerdotalis?* I. 21
Pontus Euxinus, ἄξενος, *id eſt, inhoſpitalis, a veteribus dictus,* II. 87
Populus *Rom. quid Lege Regia in Principem contulerit?* I. 500
PORPHYRIVS *Chriſtianis parentibus natus ad paganam ſuperſtitionem tranſibat* I. 205
ſublimioris philoſophiae ſtudioſus ibid.
eius praeceptores recenſentur 206
eius doctrina de anima 207
PORTAE (Io. Baptiſt.) *vultuum hominum cum animantium lineamentis comparatio* I. 135
an ex ea aliquid certi colligi poſſit de moribus hominum? ib.
Poſſe *in iure ciu. ſaepe vſurpatur pro* oportere, debere, cogi. I. 845
Poſſeſſio *naturalis: ab ea omne dominium incipit* I. 313
Poſſeſſionem *bon. olim dabat ex teſtamento*

ſtamento Praetor I. pag. 506
Poteſtas *patria an nuptiis finita fuerit iure Rom.?* I. 836
Tholoſani ſententia refellitur ib.
Poteſtas *parentum in liberos Germanis quoque* tutela *dicta* I. 608
Poteſtas *mariti in vx. iure Germ. an diuerſa fuerit a tutela?* I. 850
Poteſtas *materna genuinum fundamentum vſusfructus materni in* Germ. *recepti* I. 608. ſq.
Poteſtas *mariti in vx. quanta in Saxonia?* I. 874
Poteſtas *iure Rom. matri in liberos non competit* I. 587
an in ſpurios? 588
Praecoces *liberi an macula laborent?* I. 296. 303
Praeda *cui cedat, ſi naues captae a nauibus imperantium bellicis?* I. 356
cui, ſi naues priuatae auctoritate publica naues ceperint? 357. ſq.
Praediales *ſeruitutes quomodo conſtitui poſſint inter viuos?* I. 491
Praediorum *ſeruitutes perpetuas cauſas habere debent,* II. 210
Praefectura *vrbana Praefecturae Praetorianae praeferebatur* I. 812
Praefectus *vrbi tutores conſtituebat ſecundum ſuam iuriſdictionem* I. 720
Praelegatum *an accipere poſſit heres?* I. 510
Praemia *diligentiae in literis,* II. 166
Vide Stipendia.
Praerogatiuae *Ducatuum, qui ex regnis nati ſunt* I. 759. ſq.
Praeſcriptio: *ea vſae integrae gentes* I. 883
id illuſtratur exemplo Hebraeorum & Lacedaemoniorum I. pag. 883
Praeſcriptio *iur. gentium explicata a Grotio & aliis* I. 884
quatenus ſit iur. ciu.? ib.
an iuri nat. & gent. contraria ſit? ib.
quomodo vitiet cambium? 482
Praeſcriptio *annalis cur Lubecae obtineat?* I. 890
Praeſcriptio *ſeptennis actionem perimit ex cambiis propriis* I. 457. ſq.
Praeſcriptio *annalis ſecundum ius Lubecenſe an iniqua?* I. 909
Praeſcriptio *annalis de forma aedificiorum* I. 920. ſq.
Praeſcriptio *annalis in dote ſecundum ius Lubecenſe* I. 922
comparatio huius iuris & Romani 923
Praeſcriptio *interrupta an cuiquam proſit?* I. 902
an vindicationi ſeruorum obſtet iure ciu.? 893
Praeſcriptio *longi temporis an proſit ſeruo, qui furtum ſui ipſius fecit?* I. 894
Praeſcriptio *qua ſe homines proprii in vrbibus tuentur, ex priuilegio eſt* I. 897
Praeſcriptio *longi temporis quando a Romanis inuenta?* I. 888
ea ignota iure Lubec. 890
Praeſcriptionis *aequitas* I. 885
eius tempus a quo momento currat iure Lubec.? 911
apud gentes non vnum idemque 887
eius fini cuiusque reip. adcommodandum 888

Prae-

Praeſcriptionis *tempus in emporiis breuius eſſe debet* I. pag. 889
Praeſentans *quis vocetur in cambio?* I. 446
Praeſidem *Graeci* ἐπιστάτην *vocabant* I. 101
Praeſides *Syriae tempore nati Chriſti exhibentur tabula chronologica* I. 99
Praeſtigiatoribus *ſimiles cenſentur ſophiſtae* I. 117
Praetextatus *Conſul miratus Damaſum quid dixerit?* I. 25
Praetores *ipſi non numquam Prouincialium tutelam ſuſcipiebant* I. 719
Praetores *tutelares tutores dabant ex conſtitutione D. Marci* I. 720
Praetorii *teſtamenti requiſita* I. 506
Praetoris *formula in petitione vindiciarum* I. 426
Praetoris *initio*, & II. 207. 208. 214
Presbyterorum *& Diaconorum habitus Saec. III.* I. 17
an pallium iis fuerit proprium? 7
Principes *ſuprema tutela gaudent. ap. Germ.* I. 720. ſq.
eorum cauſſae ad comitia referebantur 249
ICtos veteres ſaepe in medium conſulere iubebant 812
horum moderatio erga diſſentientes ib.
ii minoribus hodie curatores etiam inuitis conſtituunt 740
Principes *Germaniae ſuprema pupillorum tutela inueſtiti ab Imperatoribus* I. 724
Principis *ius circa exportandas merces e regione* I. 315
Principis *ius circa Commerciorum libertatem tuendam.* Vid. Diſſert. XXX. per totam II. p. 79. &c.
Princeps *negotiandi ius dare ac adimere poteſt*, 92. *definire quae res in commercio eſſe debeant*, 94. & *ipſis commerciis certum modum praeſcribere*, 96
Quid commerciorum libertas a Principe tuenda? 109
illius eſt eam tueri, 112
quibus modis hoc facere poſſit? 114. 116. 117. 119. 123. 125. 127. 128. 130
Principis *ius circa ciuium ſtudia*, Exerc. XXXI. per totam, II. 133. ſq.
Quid huic iuri obiici poſſit? 140
Hoc ius fluit ex natura & fine ſocietatis ciuilis, 143
Exempla Principum hoc iure ſuo cum laude vtentium, 147
An Princeps prohibere poſſit, quominus omnes promiſcue animum ad literarum ſtudia adpellant, 153
abuſus huius iuris. 155
Per quos Principem hunc delectum habere deceat? 156
Idem ius Principis ſeſe exſerit circa ſcholas & academias, 158
Vindiciae huius iuris aduerſus canoniſtas. 161
Felicitas reipublicae, in qua hoc iure ſuo rite vtitur princeps, 174
Vide Ius, *&* Studia ciuium.
Principum *ſupremae tutelae in Germ. effectus eſt vſusfr. in bonis vaſallorum* I. 744
huius tutelae indoles 727
Schilteri *error circa hanc materiam* ib.

Prin-

Principum *tutela iam temporibus Ludouici Pii nota fuit:* I. pag. 723
Priſe: Das Schiff iſt vor gute Priſe erklaret: *quaenam loquutio?* I. 338. ſq.
Priuilegia *mercatorum cur non ex iure communi deducenda?* I. 551. ſq.
Priuilegia *collegiorum* I. 399
illuſtrantur ex marmore vetuſto ibid.
cur ea mercaturae concedenda? 549
Priuilegia *multa nauibus & nautis conceſſa iure Rom.* I. 340
quibuſnam iure nouiſſimo fruantur? 341
Priuilegia, *quaſi* priuae leges *vocantur,* II. 116
haec ſunt libertatem commerciorum tuendi modus, ib.
Priuilegium *codicum mercatorum manauit in varia ſtatuta Ital.* I. 559
an iuri antiquo aduerſetur? 553
Probare parum, & nihil, *iuridice ſynonyma* I. 643
Probare & credere *ſibi inuicem opponuntur* I. ib.
Probaſſe *quomodo quis dicatur?* I. 641
Probatio *ſemiplena non debet eſſe eliſa, ſi iuriiurando locus eſſe debet* I. 660
Probatio *ex libris mercatorum quonam praeſcriptionis tempore elidatur per ſtatuta Veneta?* I. 559
Probationem *ſemiplenam ignorat ius Rom.* I. 639
ea petenda a teſte rei conſcio 656
Accurſii argumentum in contrarium ridetur a Cuiacio ib.
Probationum inopia *an idem ac probatio ſemiplena?* I. pag. 648
Probationum *in conflictu an pronunciandum ſit pro reo?* I. 650. ſq.
Procas *Albanorum rex,* I. 508
in Procinctu *facta teſtamenta cur Populus rata habuerit?* I. 498
Procopivs *an Chriſtianis potius, quam gentilibus adnumerandus?* I. 213. ſq.
Procurator *mandati defectus an iureiurando ſupplere poſſit?* I. 659
Procuratores *quod confeſſi, quibus conditionibus poſſit reuocari?* I. 682
Profectio *in nummo Septimii Seu. Imp.* Aug. Felix *vocatur* I. 755
Propenſiones *humanae, & earum ſigna varia* I. 131
Plutarchi locus huc ſpectans 132
earum characteres 133
Propolium, *eius noxietas,* II. 93
Proprius *homo: in eius vindicatione praeſcriptio annalis obtinet iure Lubec.* I. 893
Prosperis (M. Ant. de) *philoſophia minus ſobria* I. 223
cynica eius viuendi ratio a quo deſcribatur? ib.
Protagoras *ſophiſta famoſus* I. 13
Proteſtatione *omiſſa cambium vitiatur* I. 475
quid, ſi id culpa notarii mandatariiue factum? 476
Prouerbium: εἰ γεωργικὸς ἰδιώτης, *quid ſibi velit?* I. 6
Prouinciae *Germaniae, quae olim ſub Francis regnatae ſunt, reliquis dignitate praecelluerunt.* I. 759
Prouinciae *vini cauſſa emtae a Ludouico Germ.* I. 756
Prouincialis *habitus* I. 3
Prouincialium *inſcriptionibus quid indulgen-*

Digitized by Google

dulgendum? I. pag. 95
Pruſſiae *Regis conſtitutio noua tutelaris* I. 722
Prytanea *a* Sigonio *deſcripta*, II. 10
a Iul. Polluce *&* Suida. 11
Ψάλις, *forceps ad abradendum numi circulum*, II. 50
Pſeudo-Eruditi *ſecundum Cebetem exitio proximi* I. 109
Puberes *an vbique in Germania teſtari poſſint?* I. 957
Pubertate *cur tutela non ipſo iure finiatur apud Germ.?* I. 741
Publica *teſtamenta cur paſſim in Germania condere oporteat?* I. 968
Pvblicia : *an cum ea Cicero in matrimonio tamquam tutor vixerit?* I. 841
Pudicitiae *laudem ſortiuntur Germani a* Tacito I. 302
Pudor *naturalis nuditatem hominis tectam vult* I. 2. ſq.
Puellae *Romanae tenerae admodum aetatis deſpondebantur* I. 842
Pueri *olim vſque ad annum ſeptimum non tondebantur* I. 28
Puerorum *Alexandrinorum cirri cur detonſi a Diodoro?* I. 29
Pueros *decennes teſtari patiebantur Wiſigothi* I. 956
Pupillaris *ſubſtitutio aeque ac vulgaris ex XII. Tab. eſt.* I. 511
L. 1. *pr. ff. de vulg. & pup. ſubſtit. an obſtet?* ib.
Pupilli *quomodo vocentur a* Platone? I. 716
Schrifftſaeſſige *qui dicantur in Saxonia?* 731
Pupillis *in prouinciis, ſi eorum facultates non magnae, quis tutores conſtituerit?* I. pag. 720
eis omnes fere gentes tutoribus proſpexiſſe, oſtenditur 716
Pupillorum *cura Imperatoribus in inaugurationis ſacris commendata* I. 724
Pupillos *non deſtitui aliorum praeſidio, reip. intereſſe dicitur* I. 715
Seuero Imp. hoc curae cordique fuit ib.
Pupillus *tutores petere iure Rom. non poterat* I. 739
Pythagoras. *eius philoſophia laudatur* I. 143
quid fecerit, antequam aliquem in diſciplinam receperit? ib.
Aſtraeum quomodo explorauerit? 144
Cylonem Crotoniatam in diſciplinam ſuam recipere non vult ib.

Q.

Quadrangula *veſtis quid?* I. 30
Quaeſtum *corpore facere iis non permittebat* Tiberius, *quorum pater aut maritus Eques Rom. fuerat* I. 289
Querela *inofficioſi* I. 265
vbi inſtituenda? 266
quibusnam detur? 267
eius effectus ib.
quid circa eam mutatum a Iuſtiniano? ibid.
eius origo ib.
quando olim locum habuerit contra teſtamentum fraternum? I. 276
an Conſtantinus M. noui quid circa

circa eam inuexerit? I. p. 279
Querela *inofficioſae donationis, & dotis* I. 297
Querela *inofficioſi an hodie locum habeat, ſpuriis inſtitutis heredibus?* I. 303
Querela *Nullitatis, quid?* II. 22
Qui haec ſentitis, in hanc partem, qui alia omnia, in illam partem ite, qua ſentitis: *formulae huius explicatio.* I. 421. ſq.
QVINCTILIVS VARVS. *ſub eius imperio ius Rom. Germanis maxime inuiſum erat* I. 230
Quiritium *ius nauem fabricantibus conceſſum a Claudio* I. 340
Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatum ac ſalutare ſit: *quaenam haec formula?* I. 421

R.

RAbulae: *in eos inuehitur* I. pag. 540
Ratiocinandi *facultatem haut neceſſariam hominibus putat* Cotta I. 110
Rationes: *ad eas reddendas quando tutores coegerint iudices, Rom.?* I. 729
eae reddendae quotannis a tutoribus in Germania 741
& quomodo? 743
Rationes *defuncti: in bonis eius inuentae an probent debitam quantitatem?* I. 655
an eiusdem teſtamentum? ib.
ad eas reddendas an obſtricta ſit mater vſufructuaria? 622
eae a tutoribus Rom. durante tutela exigi non poterant 742
Rationis *abuſus hominibus noxius* I. pag. 110
Rauch-Huhn: *eius variae denominationes* I. 252
erat penſio annua ib.
Receſſu *Imp. de an. 1529. quid cautum ratione matris vſufructuariae?* I. 622
Reciproca *teſtamenta quo caſu Lubecae rata inter coniuges?* I. 955
Redite in viam: *quaenam formula?* I. 426
Reditus (Renten) *ſi irredimibiles, aequiparantur immobilibus iure Lubecenſi* I. 910
Den Referenten, *quid?* II. 35
Reformationi *ICtorum doctrina anſam dedit* I. 752
Reges *ſub clientela Caeſarum Rom. imperantes cenſum vniuerſalem recuſare non poterant* I. 94
Reges *Perſarum, Medorum, Macedonum, iuri dicundo etiam vacant,* II. 252
Regia *Lege populus Rom. omne ius in principem conferebat* I. 501
Regulae *iuris vbi dicantur vitiari?* I. 457
Regum *apud Germanos poteſtas in iudicando* I. 250
Relegati *qui dicti?* I. 494
Religio *Diuina habitu philoſophorum vindicari dicitur* I. 8
Religio *Chriſtiana: ad eam viam munit Philoſophia* I. 178
eius incrementa 179
quando perſequutiones eius ceſſauerint? 17
ea ſtatus ciuilis praeſidium 2
Religio *iudicis: ad eam quoque pertinet,*

Digitized by Google

tinet, ne perire quidem volentes innoxios damnare I. pag. 678
Religionem *iudicum Rom. laudat Tertullianus* I. 694
Religionis *iudicantium exemplum* I. 665. ſq.
quid ad eam pertineat? 666
Vlpiani locus egregius huc ſpectat ibid.
Religionis *Chriſtianae vindices qui?* I. 2
Remedia *ſemichriſtianiſmo philoſophico opponenda oſtenduntur* I. 227. ſq.
Remiſſa, *vel* Remeſſa, *quid in cambio?* I. 446
Reorum *confeſſioni multum tribuendum* I. 662
ea tamen ſaepe fallit 663
id quod illuſtratur exemplis 664. ſq.
an valeat, ſi ex taedio vitae orta? 688
an, ſi ſpe impunitatis? 689
an, ſi ex metu tormentorum? 690
Reparatio *Adpellationum, quid ſecundum veteres?* II. 7
Repetitio *promiſſi in cambiis propriis ſuperuacua* I. 454
Repreſſaliae *non numquam decernuntur, nauibus captis* I. 365
Repreſſaliae, *quando adhibeantur a Principibus?* II. 128. ſq.
Requiſita *confeſſionis validae* I. 679. ſqq.
Requiſita *vſusfructus materni* I. 612. ſq.
Requiſita *confeſſionis in criminalibus* I. 687. ſqq.
Res *mancipi mulieres auctoritate tutoris alienabant* I. pag. 833
Res tuas tibi habeto *: formula diuortii ap. Rom.* I. 424
Reſcriptum *Caracallae* de probationibus I. 641
Reſcriptum Diocletiani & Maximiani: *an ex eo probandum ſit iuriſiurandi ſuppletorii fundamentum?* I. 647. ſq.
Reſtitutio *in integrum apud Romanos,* II. 6
Reuerentiae *ſigna, quae naues hodie, ſibi obuiam factae, adhibent, an Romani ignorarint?* I. 334
Reum *in ſe falſo confeſſum, ſi adpareret, an nihilominus condemnarint veteres?* I. 669
Reus: *an pro eo pronunciandum ſit in conflictu probationum?* I. 650. ſq.
Rhetorum *ſcholae floruere Romae* I. 385
Rhodi *quae olim fuerit laus, refert* Strabo I. 882
Rhodiorum *cura pro pupillis laudatur* I. 718
Ritus *teſtandi per aes & libram a quo inuentus?* I. 505
la Robe de l'ennemi confiſque celle de l'ami *: paroemia haec vbi locum habere dicatur?* I. 348
in negatiuam verſa 349
ROBERTVS (Annaeus) *exemplum refert hominis ex confeſſione ſua ad mortem innocenter damnati* I. 664
Rochetto *quid Italis?* I. 23
Le Roi perd ſa cauſe par ſon ſeul ſuffrage. II. 323
Roma *patria maior* I. 508
Romae *quo tempore floruerint teſtamenta?* I. 507. ſq.

Romae *quaenam res venire non potuerint?* I. pag. 321
Romanae *Eccleſiae curiaeque naeui detecti a Guil.* Budaeo I. 752
Romanenſibus *quid iniungat habitum ſacerdotalem antiquiſſimum?* I. 11
Romani *cur tam breue praeſcriptionis tempus ſtatuerint?* I. 888
ii bella non niſi auſpicato adminiſtrabant 498
Romani *nobiliſſimi iurisprudentiam ciu. olim* in latenti retinere cogitabant, *vt ait* Pomponius 780
cur ii collegiorum numerum auxerint? 385
cur ii pacta ſucceſſoria non admiſerint? 500
ii Athenienſibus tutelam non debent 825
id probatur per omnes ſpecies tutelae ib. ſq.
cur ii noluerint vxores in maritorum tutela eſſe? 823
ii initio legum multitudinem abhorrebant 432
eis locale vel traiectitium cambium non ignotum 443
eorum iuuenes quando ad honores promoti? 792
ii tutelam initio magiſtratibus non demandabant 718
poſtea id factum in vrbe per L. Atiliam 719
deinde in prouinciis per L. Iuliam & Titiam ib.
Romani *rituum & formularum ſollemnium ſtudioſiſſimi* I. 421
ii quonam veſtium genere vſi? 2
eos leges de confeſſis ad criminalia, produxiſſe, conſtat ex ſententia M. Catonis Vticenſis I. pag. 668
Romanarum *familiarum confuſio* 800
Romanorum *militia ſelecta erat, non mercenaria* I. 379
eorum victoriae praeſcriptionis alioquin breue tempus in longius mutarunt 888
eorum ritus in indicendo bello 423
Romanorum *ciuium domi ſuae maieſtas oſtenditur* I. 494
eorum poteſtatem in ſeruos quis cohibuerit? 244
Romanorum *iudicum religio laudata a Tertulliano* I. 694
Romvlvs *patribus ius vitae & necis in liberos conceſſit* I. 583
is opificia olim non permiſit 368
& cur? 369. ſq.
quem finem habuerit in cuſtodienda rep. Rom.? ib.
Rvotgervs: *eius narrationi de baculo Petri plurima fides habenda* I. 46

S.

Sabini *a Romanis ad incitas redacti* I. 377
Sacerdotalem *habitum reiecit ipſe Pontifex* I. 14
Sacerdotes *an Apoſtoli proprie ſic dicti?* I. 68
Sacerdotes *trium priorum Saeculorum quomodo ſe diſtinxerint a laicis?* I. 12
Sacerdotibus λειτουργεῖν *aditus ad Sancta patuit* I. 63
Sacerdotibus *chriſtianis indumenta ſacra* V. T. *tribuuntur* συνεκδοχικῶς I. 69. 70

Sacra

Sacra *Romanorum priuata, ſi in alium transferenda, id Pontificum auctoritate fieri oportebat ante L. Papiriam* I. pag. 499. ſq.
in Sacris paternis eſſe, *quid?* I. 588
SALMASIVS & Alixius *quid demonſtrarint de pallio* Tertulliani? I. 7
SALMASIVS & Caue *quando* Tertullianum *pallium ſumſiſſe, ſtatuant?* ib.
SALVIA *gens Romae celeberrima; vnde orta* I. 800
eius nomen auſpicatum ib.
SALVIVS IVLIANVS *an ex* Saluia *gente deriuandus?* ib.
SALVII, *quos leges Romanae memorant, an agnati* Saluii Iuliani? ib.
SANCTORII, *Medici Patauini, experimentum curioſum* I. 149
Sanctum *Sanctorum cur non ingreſſus Iacobus?* I. 62
Sapiens *an dicendus, qui multa nouit?* I. 120
Sapientia *cum eruditione ſaepe confunditur* ib.
Sapientia *vera in doctrina chriſtiana docetur* ib.
Sapientiae *verae falſaeque characteres probe attendendi* I. 110
vtriuſque characteres praecipui 109-115
eius characteres qui dederunt, in plerisque parum accurati 119
Sapientiae *verae definitio* ib. ſq.
obiectum 122
Saxonia: *quid ibi poſſit vxor ſine curatore in rebus iudicialibus?* I. 877
extra Electoralem vſusfructus materni varia veſtigia deprehenduntur 608
ibi viri de rebus expeditoriis diſponere non poſſint I. p. 965. ſq.
Saxonia *ſub quonam regni formam induerit?* I. 760
quomodo ibi fiat maritus vxoris curator? 871
quomodo aliis locis? 872
in Electorali olim vſusfructus maternus erat receptus 604
Saxonicae *mulieres de* gerada, I. 965
Saxonici *Dd. negant, maritum vxoris nomine in iudicio eſſe admittendum, priuſquam produxerit curatorium, vel de rato cauerit* I. 870
Saxonicum *ius quid de praeſcriptione immobilium ſtatuat?* I. 909
quid Belgicum? ib.
Scalarii *qui?* I. 373
Scepticismus *ad quid perducat homines?* I. 126
Schatz der Welt, *libellus de Metallis,* II. 75
Schiffe: Die aufgebrachten reclamiren *quid?* I. 365
SCHILTERVS *tutelam mariti in vxorem iure Rom. obtinuiſſe, an recte probet ex loco* Ciceronis? I. 823. ſqq.
SCHNEIDEWINVS *ad iuſiurandum refert* ſuppletorium, purgatorium & in litem I. 636
Schola *Chriſtianorum Alexandrina* I. 194
ea Doctores quosnam habuerit? ib.
doctrinae in ea propoſitae ib.
Schola *Ammonii Saccae* I. 195
Scholae *Chriſtianorum frequentatae a paganis* I. 193
Scholae, *circa eas & Academias Principis officium,* II. 158
Scholaſtici *an veri ſapientes?* I. 127. ſq.

Scholaſticorum *quaeſtiones ridiculae* I. pag. 127. ſq.
eorum ſententia de antiquo habitu ſacerdotali 11
it. Canoniſtarum ib.
Scribere & reſcribere pecuniam *quid?* I. 555
Scriptura *argentarii iure Rom. plenam fidem habebat* ib.
cambium ea contrahi negantes refelluntur 452. ſq.
Scriptura *priuata qui probat, ſibi deberi, an ad iusiur. ſupplet. admittendus?* I. 655
Sectae *ſtudium quo abducat homines?* I. 226
Seelen-Geräthe: *quinam codicilli ita dicti, & quam neceſſariae fuerint eiusmodi donationes medio aeuo?* I. 946
Semeca (Io.) *praepoſitus Halberſtadienſis* I. 750
is ius Rom. ſub Azone didicerat ibid.
is Papae decimas exigenti reſtitit ibid.
Semichriſtiani *philoſophi qui?* I. 181
Semichriſtianiſmo *nihil perniciosius* I. 180
Semichriſtianiſmi *cauſſae* I. 224. ſqq.
Semichriſtianiſmo *philoſophico quaenam remedia opponenda?* I. 227. ſq.
Semiplena *probatio non debet eſſe eliſa, ſi ad iusiurandum ſuppletorium deueniendum* I. 660
ea a teſte rei conſcio petenda 656
an ex iure Rom.? 639
quid Accurſius ad hanc quaeſtionem? ib.
Senatusconſulto *collegia omnia, praeter antiqua fuerunt abolita* I. p. 387
Senatusconſultum *Apronianum quid indulſerit municipiis?* I. 401
illud deinceps extenſum ad collegia ibid.
SCtum *Tertullianum. ex eo vocatur mulier ingenua ad hereditatem luctuoſam* I. 837
SCtum *Venetum de cambiis* I. 444
SCtum *in re trepida factum quid contineat?* I. 430
Seneca: *quid ei vera ſapientia?* I. 124
eius diſtinctio vocabulorum officium, beneficium & miniſterium 266
locus eius egregius de actionibus humanis 129
eiusdem de diuerſitate formae hominis 132
quid ei abſurdum videatur in lege? 512
locus eius inſignis de poena non ſtatim exſequenda 686
Sententia *condemnatoria an ſemper opus ſit in criminalibus?* I. 676
Separatio *vim renunciationis habere dicitur iure Hamburgenſi* I. 614
Septimius Seu. *Imp. in eius numo profectio* Avg. Felix *vocatur* I. 755
Sericum *regno exportare vetat rex Galliae* I. 316
Serui *Romanis erant res mancipi* I. 512
an omnia per eos adquiſita legari poſſint? 491
an omnibus plane collegiis excluſi apud Rom.? 397
in Germania an olim duorum generum? 240. ſq.

Serui

Serui *apud vet. Germ. ſoli* [illegible] *rebus conficiendis* [illegible]
quando contra dominum interrogari poſſint iure Rom.? 6[illegible]8
Seruilis *conditionis quaenam poſt tempora Taciti in Germania facies?* I. 247
Seruitia *tota manumittebant Romani* I. 512
Seruitutes *praediales inter viuos per ſtipulationem conſtitui poſſunt* I. 491
Seruitutum *praeſcriptionis tempus quodnam, ſublata L. Scriboniana?* I. 921
De cauſſa ſeruitutum perpetua, Exerc. XXXII. per totam, II. 177. ſqq.
Doctrinae de ſeruitutibus ſubtilitas, 178
Conceptus ſeruitutis ſecundum principia rectae rationis, 179
Seruitus *perſonalis & realis,* II. 180
Seruitutum *conceptus,* II. 181
De cauſſa ſeruitutum perpetua locus I. Pavlli, 183. *locus alter, eiuſdem,* 185. *locus* 3. Vlpiani, 187. *locus* 4. Pomponii, 188
Obſeruationes ex his iureconſultorum teſtimoniis, 189
De cauſſa ſeruitutum perpetua ſententia Io. Superioris, 192
Duareni, Cuiacii *aliorumque excuſſa,* 194
Donelli & Noodtii *explicatio,* 195
Interpretatio M. Aur. Galuani *expenſa,* 198
Hypotheſis Hyberi, 199
Schulteri *ſententia,* 201
De Seruitutum *cauſſa perpetua Iudicium Thomaſii,* II. pag. 204
Perpetuitas cauſſae ſemper fuit inter adfectiones ſeruitutum praedialium, 209
De quibusnam ſeruitutibus disceptatum fuerit, an cauſſam perpetuam habeant? 214
Regulae de cauſſa ſeruitutum perpetua, 215
Regularum iſtarum adplicatio ad l. 28. *D. de ſeru. praed. vrb.* 216
nec non ad ſeruitutem fumi immittendi, & aquae hauſtus e ciſterna, 218. *& aquae rota e flumine tollendae, vel e caſtello ducendae,* 219
Seruitutem *locare nemo poteſt,* II. 259
Seruo *an menſam argentariam exercere licuerit iure Iuſtinianeo?* I. 555
Seruorum *vindicationi an iure ciu. obſtet praeſcriptio?* I. 893
Seruorum *Romanorum diuerſa officia* I. 241
Seruorum *Germanorum conditio* I. 242
eorum numerus quando creuerit? 242
Seruum *primitiuum ſe occidiſſe, metu ad dominum reuertendi, memorat Vlpianus* I. 688
Seruum *necare olim impune erat* I. 248
Seruus *qui praeſcriptione liber factus an a praeſtatione aeſtimationis liberetur per praeſcriptionem iur. Lubecenſ.* I. 903. ſq.
an ciuis Rom. factus, ſi nomen ſuum in tabulas cenſuales, iuſſu domini contuliſſet? 901
Seruus *fugitiuus apud Langobardos domino*

domino preſcriptionem. 30 annorum opponere poterat I. pag. 895
Seruus *fugitiuus an in ciuitatibus tutum perfugium habuerit?* 896
SEVERVS *perperam cognominatur* Salu. Iul. I. 801. ſq.
SEVERVS *Imperator: eius conſuetudo cum Chriſtiano quodam*, Proculus Torpacion *dicto* I. 194
eius verba de religione quomodo interpretetur Wiſſenbachius? 666
Sibyllinae *ſortes: ob eas euulgatas pereundum erat* M. Aquillio Gallo I. 782
Signa *humanarum propenſionum* I. 131
Signa *confeſſionis in criminalibus qualia eſſe debeant?* I. 697
an nutus ſufficiat? ib.
Signa *mercatorum* marcae *vocantur* I. 355
Silentium: *an ex eo colligi poſſit confeſſio?* I. 704
SIMPLICIVS *cur a* Bona *Cardinali in Chriſtianorum numerum referatur?* I. 209
Simulatorum *&* *crudelium inceſſus* I. 174. ſq.
Slaui *non tam gentis, quam ſeruitutis nomen* I. 247
Societas pares aut accipere, aut facere *dicitur* I. 851
Societates *Chriſtianorum exprobratae a gentilibus* I. 4
Socii *pro fratribus habentur* I. 851
SOCRATES *primus characteres verae falſaeque ſapientiae detexit* I. 111
rationes quae eum ad id mouerint? ib.
SOCRATES *nihil ſcripto conſignauit* I. pag. 112
quid de eius ſcriptis ſeruatum? ib.
is ſophiſtarum iactantiam inſectatus eſt 112
is quaeſtionibus eorum ignorantiam eliciebat ib.
is ab Apolline Delphico ſapientiſſimus iudicatus, quid reſponderit? ib.
iocus eius lepidus de ſophiſtis 113
eius diſſertationem recenſuit Xenophon. ib.
interrogatus, an ſapientes putaret eos, qui ſcirent, quid agere oporteat; his contraria facerent, quid reſponderit? ib.
an voluntatis emendationem ex emendatione intellectus recte deriuet? ib.
is a diſcipulis nullam mercedem accipiebat 114
eius gibbus imitatus 137
Soleae *Atticae Chriſtianis commendantur* I. 9
iis vtebantur prouinciales plerique in Oriente ib.
SOLON *curam pupillorum demandauerat Archontibus* I. 717
is teſtamentifactionem indulſit Athenienſibus 940
eius leges circa exportationem mercium 316
Sophiſtae: *quid factu opus fuerit eorum diſciplinae ſe tradituro?* I. 114
eorum ridicula diſtinctio inter finem externum & internum 118
Sorites: *eam accuratius definiuit* Salu. Iul. *ICtus* I. 806
SOTERIS *Papae leges de veſtimentis ſacris*

ſacris a monialibus non tangendis I. pag. 21
SPARTIANVS *laudat* Saluium Iulianum I. 801
Speculatoris Saxon. *obſeruatio de comitibus Palatinis in Ducatibus, qui ex regnis nati ſunt* I. 760
Spirae *quando floruerit collegium Senatorium?* I. 408
Spoletana *quaedam inſcriptio ſuppoſititia* I. 85
Sponſam *decenni minorem habere non licebat per L. Iul. & Pap.* I. 843
Spurii *in quibusdam Germ. locis prohibentur teſtari* I. 961
ii leuis notae macula laborant, 296
an ad iusiur. ſint admittendi? 658
an in poteſtate matris ſint? 589
ii cur non ad opificia admittantur? 412
eis inſtitutis an hodie querelae inofficioſi locus ſit? 303
Statua *Principis: pro ſeruis, qui ad eam confugerant, aeſtimatio erat praeſtanda ex decreto* Antonini Pii I. 903
Statua *aurea a Gorgia Leontino ex quaeſtu ſuo ſibi ipſi erecta* I. 114
Statuae mercuriales (Zoll-Stangen) I. 337
Status *ciuilis in religione Chriſtiana conditio* I. 2
Statuta *an valeant, quibus teſtandi facultate interdicitur ciuibus?* I. 947. ſq.
Statuti *Lubecenſis de vſucapione immobilium interpretatio* I. 910. ſq.
Statutorum *contortas interpretationes peperit regula*, ea ita eſſe interpretanda, vt a iure communi quam minime exorbitent I. pag. 958. ſq.
Stemma *genealogicum Henrici, Comitis Palat. Lotharing.* I. 762
Stemma *Salu. Iuliani, Reineſiano accuratius exhibetur* I. 803
STEPHANI *epiſtola de veſtimentis ſacris* I. 21
Stephanus *interpres Baſilicῶν* I. 637
Stipendia *litteraria*, II. 166
Vide Praemia.
Stipulatio: *per eam ſeruitutes praediales inter viuos conſtitui poſſunt* I. 491
STRABO *mentionem facit veſtium Aſſyriorum* I. 31
de laude Rhodi, 882
STRACCHA *mercatorum codicibus plus iuſto tribuit* I. 574
STRYKIVS *cauſſas, quae iusiurandum non admittunt in regulas redegit* I. 659
eius verba de teſtamentis 978
Studia ciuium: *De iure Principis circa illa*, Exerc. XXXI. per totam, II. 133. ſqq.
Qualia ſtudia hic intelligantur? 137
Huius vocis origo, ib.
Studiorum *rationem ius Principis exigit*, II. 146
Hoc ius conſiſtit primum in ingeniorum delectu, 150
An Princeps prohibere poſſit, quominus omnes promiſcue animum ad litterarum ſtudia adpellant, 153
Per quos Principem hunc delectum habere deceat, 156

Stultos *quos ſcriptura ſ. dicat?* I. 124
Subditus: *De Dominis ſubditos ſuos in iudicio ſuo conuenientibus*, II. 305. ſqq.
Teſtimonia de conſuetudine ſubditos in iudicio ſuo conueniendi in vniuerſa Germania recepta, 307. *in primis in Saxonia, Ducatu Magdeburgico & Principatu Hennebergico*, 307. *nec non in Marchia, terris Pomeranicis & Holſatia*, 308. *in Weſtphalia, Alſatia & Germania ſuperiore*, 309. *denique in Italia, Gallia & Lotharingia*, 310
Huic conſuetudini obſtare videtur 1. *recta ratio*, 312. 2. *ius Rom. quod tantum voluntariae iuriſdictionis actus in cauſſa propria explicari patitur.* 313
Non autem iuriſdictionem contentioſam. 315
Quam late apud Romanos patuerit haec prohibitio, 316
An quidam textus iuris Romani huic conſuetudini faueant? 318
An a Principe argumentum duci poſſit ad reliquos Dominos? 322
Quae iuriſdictio nec iuri naturae repugnat, 324. *nec iuri ciuili*, 325
Eius origo a ſtatu ſubditorum ſeruili, & herili dominorum poteſtate repetenda. 326
Cur & ceſſante paſſim ſeruili ruſticorum conditione, haec conſuetudo permanſerit? II. p. 327
Vide Dominus, Iudex, Iuſtitiarius.
Subſtitutionem *pupillarem viri docti negant ex XII. Tab. eſſe* I. 511
Subſtitutionem *controuerſiis quantum ſe lucratum eſſe glorietur* Baldus? I. 978
Alberici Roſciatis *ſententia de hoc iuris capite* ib.
Subtilitas *doctrinae de ſeruitutibus*, II. 178
eius cauſſa & definitio, 179
Subucula, *veſtium genus, quo lautiores vtebantur* I. 31
Succeſſoria *pacta cur non permiſſa fuerint ap. Rom.?* I. 500
Succumbentiae *pecunia, quid?* II. 10. ſqq.
Huius ſuccumbentiae vſus, natura & indoles, 18. ſq.
Vide Pecunia.
Succumbenz-Gelder, *depoſitio pecuniae*, II. 13
Suffetes *apud Carthaginienſes, qui?* II. 252
Suffragandi *iure Romae gaudebant collegia* I. 386
SVLPICIVS (Seruius) Caii Aquillii Galli *diſcipulus* I. 791
is inſtinctu Q. Mucii aetate prouectior ad iuris ſtudium ſe contulit ib.
is laudatur a Cicerone 792
is ſententias pleraſque ex Aquillii libris in ſuos tranſtulit ib.
is eloquentia magna erat ib.
is quomodo, memorante Cicerone, ſtudiorum ſuorum rationem inierit? 542

SVLPI-

Svlpicivs (Seru.) *Commentariis illuſtrauit Mucii Libros* I. pag. 489
Σύμπλοιαι Graeci vocabant naues conſociatas, I. 358
Suppletorium *iusiurandum an in iure ciu. praeſidium reperiat ?* I. 637
id qui adfirmarint, negarintue ? 638
Supplicatio *quid apud Romanos ?* II. 5
Supplicia *damnatorum in* 30. *dies differri iubet* Theodoſius I. 686
Supremae *tutelae definitio* I. 729
Surdi *& muti confeſſio qualis ?* I. 697. ſq.
an efficax eſſe poſſit ? 699
an hi rerum moralium intelligentiam ſibi adquirere poſſint ? 700
Surrogatum *quando locum habere debeat ?* II. 77
Sybaritae *gens olim voluptuoſiſſima & ſuperbiſſima* I. 142
de eorum faſtu adagium : Sybaritae per plateas ib.
Sycophantae *quem in finem conſtituti a Solone ?* I. 316
Syluaeducenſes *conſuetudines*, I. 866
Sylvester, *Papa, quamdiu Romanae Eccl. praefuerit ?* I. 25
Synesivs *Epiſcopus vrbis Ptolemaidis* I. 214
eius religio eclectica I. 215
ex hymnis eius quid colligendum? 216
Synodus *Gangrenſis condemnat peribolaeum ſumentes* I. 19
Syriae *Praeſides, qui tempore nati Chriſti fuerunt, exhibentur tabula chronologica* I. 99. ſeq.

T.

Tabernariorum concitator *L. Sergius vocatus a Cic.* I. p. 386
Tabulae XII. *an maximam partem ex iure Attico deſumtae ?* I. 826
in eas omnes mores patrios migraſſe ait Dionyſ. Halic. 511
Tabulae *Cenſuales diu ſuperſtites* 102
ſi ſeruus nomen in eas contuliſſet, iuſſu domini, liber fiebat 901
Tacens *in iudicio pro fatente habetur* I. 704
is neganti in iure aequiparatur 705
Tacitvs *teſtis eſt, ſeruos vet. Germ. conficiendis rebus neceſſariis vacaſſe* I. 405. ſq.
eius locus de teſtamentis Germanorum varie interpretatus 943
eius locus de Germ. vet. ſeruis explicatur I. 240. ſq.
eius locus de libertis apud Germ. 242
eius locus de Germ. poteſtate in ſeruos an recte explicetur ab Alexandro ab Alexandro ? 244
an poſt eius tempora ſeruilis conditio in Germ. imminuta fuerit ? 247
Talmudici *quibus vocabulis pallium & tunicam exprimant ?* I. 31
Tartvtivs *Laurentiam meretricem heredem inſtituit* I. 508
quomodo haec inſtitutio explicanda ? ibid.
Tassilo, *Boiorum dux maieſtatis reus condemnatur* I. 671

Telearchus *quis?* II. pag. 158
Telonarii *qui?* II. 120
Temperamenta *Sanguineum, Cholericum, Melancholicum & Phlegmaticum deſcribuntur* I. 152. ſqq.
eorum diuerſitas vnde? 152
eorum mixtura & propenſiones, 154
Templum *quodnam Iudaei, Chriſto reſpondentes intellexerint?* I. 93
Zorobabelis cur eos intellexiſſe non credibile ſit? ib.
Materni vbi eius veſtigia ſuperſint? 49
Tempus *genuinum de compilatione libelli* Tertulliani I. 7
Tenzelii *delineatio de monumento Hippolyti commendatur* I. 17
Θεοπνευσίαν *oraculorum quis impugnarit?* I. 193
Terentivs (Clemens) *ICtus* Saluii Iuliani *diſcipulus* I. 811
Tertvllianvs *iudicum Rom. religionem laudat* I. 694
eius commentarius de pallio *an primum operum ſuorum?* 6
eiuſdem locus de cenſu examinatur 102
is laudatur 667
an ſtatim pallium ſumſerit, ſimul ac Chriſtianus? 6
quando is Presbyter factus videatur? 8
eius locus de veſtibus Chriſtianorum 3
is ridetur a plebe Carthaginienſi ob pallium 6
Tertvllianvs (Q. Septimius Florens) *ICtus* I. 800
Teſſera *amiſſa quo caſu inutile fiat cambium?* I. pag. 474
Teſtamenta *per vet. iur. principia priuata auctoritate condi non poterant* I. 496
ea iuri, quod vel ſcriptum, vel non ſcriptum, comparantur 496
Teſtamenta *nuncupatiua quomodo Lubecae facere oporteat?* I. 968
Teſtamenta *publica cur in quibuſdam Germ. prouinciis fieri oporteat?* ib.
ea condendi modus apud Romanos 424. ſq.
quando ea in Germania condi coeperint? 917
Teſtamenta endo procinctu *facta qualia fuerint?* I. 497. ſq.
cur ita dicta, oſtendit Theophi*lus* ib.
Teſtamenta *alicubi non valent, niſi ad piam cauſſam, vel reip. aliquid relictum* I. 970
cur ea in comitiis calatis facta? 495
ea cauſſae litium eſſe dicuntur 978
Strykii *verba huc pertinent* ib.
Teſtamenta *reciproca inter coniuges quibus conditionibus Lubecae rata?* I. 955
an poſt adlatas XII. Tab. in comitiis calatis non amplius condita? 504 ſeq.
Teſtamenta *in procinctu facta cur populus rata habuerit?* I. 498
qualia in vſu fuerint tempore Vlpiani? 506
ea in procinctu fieri quando deſierint? 499
ea temporibus antiquiſſimis duorum generum erant 495

Digitized by Google

Teſtamenta *condere qui prohibeantur per legem decemuiralem ?* I. p. 501
ea cur apud Romanos per modum legis condita ? 978
proſcribenda ea eſſe e rep. non nulli cenſuerunt 938. 979.
an fuerint Abraami & Iacobi diſpoſitiones ? 938
Teſtamenti *Praetorii requiſita* I. 506
hodierni requiſita ib.
Teſtamentifactio *in ſolatium hominum inuenta eſſe dicitur* I. 930
teſtimonia Conſtantini M. *Imp. & Quinctiliani huc ſpectant* 931
cur eam indulſerint Romani ? 931. ſq.
ea comparatur legislationi 932
ea cur rectae rationi non conueniat ? 933
cur nec regulis prudentiae ? 935. ſq.
ea plerumque ex prauis adfectibus proficiſcitur 936. ſq.
a quibusdam gentibus ea maxime circumſcripta 938
ea quatuor potiſſimum modis in Germania reſtricta 947
ea poſt introductum ius Rom. in Germania innotuit 946
eius origo vnde repetenda ? 507
an ab Athenienſibus ad Romanos migrarit ? ib.
ea quomodo priuati arbitrii eſſe coeperit ? 501
eam in Germania paſſim impediunt heredes ab inteſtato 957. ſq.
eius in Germ. receptae effectus quinam ? 978
eius fata & mutationes inſpicere vtiliſſimum I. pag. 485
Teſtamento *quod relinquitur*, iure publico *legari dicit Papinianus* I. 950
Teſtamentorum *iura pleraque ex antiquis principiis fluunt* I. 506
Teſtamentum *eſt vocabulum iur. ciu.* I. 506.
Teſtamentum *per aes & libram, abolitis reliquis ſolum ad ius ciu. requirebatur* ib.
ex Praetorio non hereditas, ſed bon. poſſ. dabatur ib.
Teſtamentum *ſine heredis inſtitutione nullum iure Rom.* I. 973
Teſtamentum *ſi quis aliquo loco ſecundum iſtius leges condiderit, an & alibi ſubſiſtat ?* I. 972
Huberi & Strykii obſeruationes de hac quaeſtione ib.
Teſtamentum *eius, qui apud nos habilis cenſetur, an valeat de bonis alibi ſitis, vbi inhabilis cenſetur ?* I. 973
quando & a quibusnam ingratum coarguere licuerit ? 274
Teſtamentum inofficioſum, *cur ita dictum, in quo liberi iniuſte exheredati ?* I. 266
an vno verbo conſtare poſſit ? 973
id mutandi facultate an teſtator ſe abdicare poſſit ? 501
Teſtamentum *defuncti an probet ſibi debitam quantitatem ?* I. 655
Teſtamentum condere *quid* Io. Chryſoſtomo I. 494
Teſtandi *facultas liberrima ex XII. Tab.* 264
ea maxime coanguſtata ſub Auguſto

guſto I. pag. 514
Teſtandi *noua ratio per Decemuiros inuecta* I. 500
Teſtandi *quaenam ratio Romae fuerit ante XII. Tab.?* I. 949
quaenam poſt eaſdem? ib.
Teſtandi *libertas homini ex Iur. Nat. & Gent. deberi dicitur* I. 930
Teſtandi *ritus per aes & libram an ex XII. Tab.?* I. 505
Teſtandi *ius ante Romam conditam in Italia viguit* I. 508
Teſtari *in Germaniae quibuſdam locis non licet de bonis omnibus* I. 962
nec omnibus promiſcue in Germ. 948
comparatio huius iuris cum Romano 949
Teſtator *an de rebus vxori datis diſponere poſſit?* I. 491
Teſtaturi *iur. Lubecenſi proximis heredibus ad minimum* octo ſolidos & quatuor denarios *relinquere tenentur* I. 959
Teſtatus *pro parte & pro parte inteſtatus nemo decedere poteſt iure Rom.* I. 962
quo caſu contingere poſſit, vt quis pro patre teſtatus & pro parte inteſtatus decedat? ib.
an haec regula in Germ. vbique valeat? ibid.
Teſtem vnum oculatum plus, quam decem auritos valere, *dicunt Pragmatici* I. 645
Teſtem *depoſuiſſe oportet de ipſa re, ſi iusiurandum ſupplet. decernendum* I. 654
Teſtem vnum audire *quid Vinnio?* I. 640
Teſtes *in teſtamento adhibendos quomodo olim rogari oportuerit?* I. pag. 507
quinam olim in teſtamentis admiſſi? ib.
Teſtes Claſſici *quinam Romae dicti?* I. 950
Teſtimonia *Euſebii & Hegeſippi de veſtitu* Iacobi *ponderantur* I. 63
Teſtimonium *quomodo comparatum eſſe debeat, ſi iusiur. ſupplet. deferendum?* I. 654
Teſtis *vnus non audiendus iure Rom. per Conſtitutionem Conſtantini* I. 639
Teſtis *in propria cauſſa fit de credulitate iurans* I. 645
an filius patri ſit idoneus teſtis ſecundum ius Rom. an pater filio, an domeſtici patrifamilias? 644
Teſtis *in propria cauſſa nemo eſſe debet ſecundum ius Rom.* I. 643
id quod illuſtratur loco Ciceronis ibid.
Teſtis *fit in propria cauſſa in ſupplementum iurans* I. 644
THEODORVS, *monachus Graecus, Angliam petit* I. 36
is tantiſper Romae latet, dum in coronam tonſus ib.
is Archiepiſcopus Cantuarienſis ordinatus a Papa Britanniam remeat ib.
THEODOSIVS M. *quid ratione matris iterum nubentis ſanxerit?* I. 591
quid ex hac diſpoſitione ſucceſſiʒ temporis mutatum? 592
eius numus explicatur 70. ſq.
an ex eo habitus ſacerdotalis antiquus

Digitized by Google

tiquus recte dedicatur? I. p. 71
THEODOSIVS M. *in conſtitutione, de codicis ſui auctoritate edita, de paucitate verorum ICtorum conqueritur* I. 534
is laudatur, quod ſupplicia damnatorum in 30. dies differri iuſſerit 686
Theologiae *gentilium quot genera?* I. 182
THEOPHILVS *an recte putet, antiquitatum ignorantiam nullo cum periculo coniunctam eſſe?* I. 485
Theoriae *iuris neglectus* I. 539
THOLOSANI (Greg.) *error de tutela mulierum* I. 823
THOMAE Aquinatis *obſeruatio de baculo* Petri I. 42
THOMASII (Chriſtiani) *regula de ſignis morum ex facie humana petendis* I. 159
Thracismum *in Phaedri fabulis ſibi reperiſſe viſus eſt Scioppius* I. 708
Thymiamatis *Altare; ad id non admittebantur Iſraelitae* I. 63
TIBERIVS. *quando eum Auguſtus Imperii conſortem adſumſerit?* I. 104
eiusdem anni varie numerantur 105
eius era Proconſularis illuſtratur, & ad natiuitatem Chriſti adplicatur ib.
is SCo feminis quaeſtum corpore facere prohibet, quarum aut pater, aut maritus eques Romanus fuerat 288
eius chronotaxis 103
eiuſdem principatus duplex initium 104
Tibicinum *collegium primum erat eorum, quae Numa inſtituit* I. p. 372
TIMOCRATES *cur damnatus ab Athenienſibus?* I. 670
Tinctores *apud Romanos deſcribuntur* I. 374
Toga *Romanorum, genus veſtium* I. 3
Togam *an Chriſtiani cum ſuperſtitione Romana poſuerint?* I. 5. ſq.
Tonſura *olim inter adiaphora referebatur* 35
variae de ea opiniones I. 26. ſq.
ad eas reſpondetur 27. ſq.
an ex Euſebii *loco Apoſtolorum colligatur?* ib.
an ex Gregorii Nazianzeni? ib.
an ex Ammiani Marcellini? ib.
de ea diſputatum in Gallia 36
ad eam de Petro probandam Pontificii argumentis futilibus vtuntur 37. ſq.
Tonſura *Petri neganda ex duplici fundamento* I. 38. ſq.
Tonſura *Pauli cur non admittenda?* I. 74
Hiſtoria controuerſiae Anglicanae de tonſura Petri & Pauli I. 35. 36
Tonſura *triplex in Anglia ſtatuta* I. 36
ea in formam coronae facta quid ſignificet? 36
Tonſura *Clericorum vnde originem habeat?* I. 19
ea initio monachorum propria ib.
ea quando omnibus Clericis neceſſaria viſa? 20
eius ritum a quo deducant Romanenſes? 34
Tormenta *quando decernere poſſit iudex?* I. 692

Tormen-

Tormentis *extortae confeſſioni non temere credendum* I. pag. 690
Tormentorum *anceps effectus demonſtratur exemplo* I. 690. ſq.
Tortura, *an confeſſio extraiudicialis ad eam ſufficiat?* I. 687
Traditio *quid circa ſeruitutes?* II. 207
quid & quomodo fiat, quoad Dominos? 285
an illa hodie in immobilibus ſufficiat ad transferendum dominium? 288
Vide Emtio & Venditio.
Transactio *an de criminibus capitalibus licita?* I. 702
Translatitium *edictum quid?* I. 506
Trapezitarum *vbi fiat mentio in iure Rom.?* I. 442
Traſſa *vel* Tratta *quid in negotio collybiſtico?* I. 446
Traſſans *quis dicatur in cambio?* ib.
Tresuiri *a Romanis legum deſcribendarum gratia Graeciam miſſi*, I. 508
Treuirenſis *Eccleſia ob antiquitatem ſuam quid ſibi adſerat?* I. 42
Treuiros *an miſſus fuerit* Eucharius? I. 43
Triboniano *iniuria multi tribuunt errores* I. 538
Tribuni plebis *turbas exitant in rep. Rom.* I. 385
Tribuum *in Germ. inſtitutarum effectus fuere triſtiſſimi* I. 410. ſq.
Tvllvs Hostilivs Numae *inſtituta circa collegia opificum ſuſtulit* I. 378
is omnia ad virtutem bellicam retulit ibid.
Tunica *non numquam loco dalmaticae legitur* I. 26
Tunica *clauis purpureis inſignis quomodo vocata, & a quibus geſtata?* I. pag. 24
Tunicae *lineae quando induendae a Sacerdotibus?* I. 64
veſtium harum ſanctitas ib.
eae detritae quibuſnam vſibus deſtinatae? ibid.
Tunica *Chriſti inconſutilis, de illa* Nonnus. II. 96
Turpes *perſonae ex hereditate aliquid capere prohibentur per L. Pap. Popp.* I. 281
quaenam iſtae ſint? 284. ſqq.
quomodo vocentur ab Vlpiano? 285
Turpitudo & *leuis nota quomodo diſtinguantur?* ibid.
Tvscianvs, *ICtus, cum* Iuliano & Aburnio Valente Iauoleni *diſcipuli* I. 810
Tutela: *ita dicta a Germanis parentum poteſtas in liberos* I. 608
Tutela *maritalis hodienum non in vniuerſa Germ. obtinet* I. 867. ſq.
prouinciae, vbi ea exoleuit, recenſentur ib.
eius effectus in Germania 865
qui adhuc hodie ſuperſunt paſſim in Germania, etiam vbi ius Rom. receptum 880
Tutela *maritalis Romanorum in vxores a quibuſnam Imperatoribus abolita?* I. 842
an ei obſtet communio bonorum inter coniuges iure Germanico? I. 851
ea in legibus Germ. praeſidium reperit 852
id oſtenditur ex Lege Wiſigothica & Bur-

Digitized by Google

& Burgundica I. p. 852. ſq.
it. ex chartis & formulis 855
ea firmata iure Sax. Suecico. Normannico, variis Statutis Germ. Galliae, Belgii, Italiae, aliarumque orig. Germ. gentium 864
cur ei vxores credere noluerint legislatores? 824
Tutela *muliebris perpetua Rom. quando euanuerit?* I. 844
Tutela *mulierum Romanarum quotuplex?* I. 832
Tutela *mulierum Atticarum qualis fuerit ante nuptias?* I. 827
qualis tum nuptarum 829. *viduarum?* 830
Tutelae *mulierum Atticarum & Romanarum comparantur* I. 831. ſq.
ea quando ad Archontem redierit iure Attico? 831
Tutela *ſuprema gaudent Principes apud Germanos* I. 721. ſq.
eius indoles 727. *& fundamentum* 731
huius definitio 729
eius veſtigia occurrunt in antiquis Germ. legibus 722
ea inueſtiti Principes Germ. 724
eius effectus 732. 744
eiuſdem differentia quatenus vel Principi, vel magiſtratibus inferioribus competit 730. ſq.
Tutela *ſuprema magiſtratuum in Germ. non ſemper a iuriſdictione promanat* I. 731
Tutela *perpetua feminarum quomodo diuidatur?* I. 833
Tutela *teſtamentaria in XII. Tab. fundamentum reperit* I. 718
eius antiquitas ib.
Tutela *legitima apud Alemannos non erat gratuita* I. pag. 853
an nota fuerit ante XII. Tab.? 718
Tutela *agnatorum legitima Graecis ſuſpecta viſa?* I. 717
Tutela *ceſſitia quae ſit?* I. 833
ea apud Rom. gratuita erat 744
ea cur iure Germ. non ipſo iure finiatur? 741
ea apud Rom. hereditatis inſtar erat 733
Tutela *pupillorum Ducibus & Principibus in inaugurationibus commendata* I. 725
id quod patet exemplis Ducum Bauariae & Carinthiae 726
Tutela & poteſtas mariti in vxorem *apud Germanos vnum idemque* I. 849
Tutelae *cur facta mentio in lege Decemuirali* PATERFAM. *&c.* I. 502
Tutelae *in Germania & feminae adultiores ſubſunt* I. 729
Tutelae *genus mixtum perperam ſtatuunt* Vinnius & Huberus I. 735
ei ſubeſſe non poterant filiifamilias iure Rom. 825
Tutelam *fructuariam in Germ. non fuiſſe ignotam, oſtenditur* I. 745
eam adminiſtrandi ius quando incipiat? 736
eam initio Romani magiſtratibus non demandabant 718
eam non debent Athenienſibus 825
Tutelas *teſtamento conſtituendi facultas ex XII. Tab. eſt* I. 513
Tutor *quis eſſe poſſit iure Rom.* I. 841
is ex L. Iul. Pap. Popp. feminae

quo caſu conſtituendus ad dotem dandam, dicendam promittendamue I. pag. 835
Tutor; *cur is eiusue filius iure Rom. feminam ducere prohibeatur, quam tutela regit?* 842. ſq.
Tutor *acturus in iudicio quomodo ſe legitimare teneatur iure Germ.?* I. 738 ſq.
Tutor *non rei ſed perſonae datur* I. 503
inter eum & curatorem iure Germ. nihil differentiae 728
Tutores *pro pupillis petere quem oportuerit iure Rom.?* I. 739
ii iure Germ. omnes confirmandi 732. 735. 736
eos magiſtratus in Germania etiam non rogati conſtituunt 739
ita per Receſſus Imp. cautum ib.
Tutores *Datiuos iure Germ. non confirmandos putat* Strykius I. 735
an recte ſe habeat eius ſententia? 736
Tutores *furioſos & minores pater liberis conſtituere poterat ap. Rom.* I. 513
Tutores *legitimi qui in iure Rom.?* I. 733
ii quando ad rationes reddendas coegerint iudices Rom.? 729
Tutores *Graeci cur* κύριοι *dicti?* I. 829
Tutores petere *quid iure Rom.* I. 739
id pupillus non poterat ib.
Tutoris *confirmatio quidnam efficiat iure Germ.?* I. 736
quid ſit iure Rom.? 734
Tutoris *datio iure Rom. non erat ordinariae iuriſdictionis* I. 235. 720
ea neque imperii eſt, neque iuriſdictionis. II. pag. 223
Tutorium *vel curatorium quid iure Germ.?* I. 737. ſq.
Tutorum *adminiſtratio vicaria in Germania in legibus publ. fundata* I. 737
Tyrus *colonia iur. Ital.* αὐτόνομος I. 709

V.

VAcatio *a muneribus publicis nautarum priuilegium* I. 340
Vadia *quid?* II. 16
Vadimonium *promittentes manus tollebant* I. 425
Vaginae *an vna cum armis prohibitis cenſeantur prohibitae?* I. 328. ſq.
VALERIA *an in* Andronis Sextili, *mariti tutela fuerit?* I. 825
VALESII *ad* Euſebii *locum commentatio* I. 15
Valuta *quid in cambio?* I. 446
an eius facienda ſit mentio in litteris cambialibus? 455. 473. ſq.
VARRONIS *vetus dictum de philoſophis, hodiernis temporibus quoque adplicandum* I. 109
VARVS (Quinctil.) *Syriae Praeſes* I. 100
ſub eo Chriſtus natus 101
Tertulliani locus ea de re explicatur 102
Vaterloſe & Muterloſe Wayſen: *quid ex hac loquendi ratione demonſtretur?* I. 610
Vecordium *hominum inceſſus* I. 173. ſq.
Vectigalia *plurima apud Romanos* I. 335
ea an iure exigi queant? ib.

Vectiga-

Vectigalia *an in libero mari exigi queant?* I. pag. 335
Danorum & Suecorum ea de re contentiones ib. ſq.
an in fretis ſoluenda? ib.
ea defraudantium poena non eadem 336
de Vectigalibus *quid?* II. 113. 116 119. 123
Velitis iubeatis Quirites : *formulae huius explicatio* I. 422
Venditio *illicita fructuum in herbis?* II. 275. ſqq.
Quid de venditione, ſuper qua contrahentes inſtrumentum fieri volunt? 281
Quae res venire poſſint? 291
Vide Dominium, Emtio, Fructus, Ius.
De Venditore *quid in Edicto Turcii Aproniani?* II. 97
Venena *mala qui vendiderant, quomodo puniti?* I. 325
quanta circumſpectione ea hodie vendantur? 330
Verba *in ſe nec ad veritatum, nec ad bonorum claſſem pertinent* I. 122
Verba *ciuilia quaenam?* I. 512
Veſtali *ſacerdotio tutela mulierum perpetua finiebatur iure Rom.* I. 832
Veſtes *ſacrae a monialibus non tangendae* I. 21
Veſtes *Iudaicae ad Religionem pertinebant* I. 30
Veſtes *litteratae Apoſtolorum* I. 76. 77
Veſtes *antiquae ſacerdotales an hodiernis ſimiles fuerint?* 16
Veſtes *ſacrae, in Occidente multo tardius definitae quam in Oriente,* I. 18
Veſtimenta *Clericorum a laicis non attingenda* I. 12
Veſtimenta *inter gentilium & Chriſtianorum an diſcrimen ſit?* I. pag. 5
Veſtis *alba: quos ea vti oportuerit?* I. 17
Veſtis *Romanorum toga* I. 2
Veſtitus *ratione an Chriſtiani ſe prodiderint?* I. 4
Veſtium *ſacrarum mentio ſit a Patribus nonnullis* I. 17
myſterium in eis non quaeſiuerunt antiqui 18
eae non eiuſdem vbique formae ib.
quando vbique introductae? ib.
Veſtium *genus Chriſtianorum quodnam?* I. 2
earum forma pendet ab arbitrio gentium
Vicaria *tutorum adminiſtratio in Germ. legibus publ. fundata* I. 737
Vidua *quo iure fructus liberorum ſuorum percipiat iure Hamburgenſi?* I. 631
Viduae, *cur eas Hebraei Deo curae eſſe cenſuerint?* I. 822
earum tutela qualis fuerit iure Attico? 830
VIGL. ZVICHEM. *de teſtandi ritu ſententia.* I. 504
Vindicatio, *quae per eam legari olim potuerint iure Rom.* I. 491
Vindiciae *qua formula olim petitae?* I. 426
Vindicationi *ſeruorum an iure ciu. obſtet praeſcriptio?* I. 893. ſq.
Vini *adulteratores quomodo puniendi?* I. 333
eius effectus oſtenſus a Callimacho 695
Vini *cauſſa emtae quaenam prouinciae a Ludouico Germ.?* I. 756

VINNIVS *an recte ſtatuat mixtum tutelae genus?* I. pag. 735
Vinum *plurimis Germaniae gentibus olim ignotum* I. 316
Vir *an vxori mente captae curator dari poſſit ex diſpoſitione iur. Rom.?* I. 844
Virtute *praeditorum qualis inceſſus?* I. 175
Vitia *cambii ob correalem obligationem* I. 467
Vitia *cambiorum extrinſeca* I. 480. ſq.
Vitiorum *cambialium cauſſae triplices* I. 458
Vitiari *quando dicantur regulae iuris?* I. 457
Vitium *quomodo a morbo differat?* ib.
Vitium *cambii quid & quotuplex?* ib.
Vlmenſes *quando ſibi Conſules & Tribunos plebis conſtituere coeperint?* I. 408
VLPIANVS, *qui Athenaei ſympoſio interfuiſſe fingitur, cum ICto confunditur* I. 709
VLPIANVS *ex Domitia familia prodiit.* ib.
ei iniuria affinguntur Hebraiſmi ib. ſq.
eius laudes & natale ſolum 707
ſemi-iudaeus is vocatur ab Eu. Ottone 708
eius temporibus quaenam teſtamenta in vſu fuerint? 506
locus eius emendatus a Corn. van Bynkershoek 973
VLPIVS MARCELLVS *& aemulus* Salu. Iul. *acerrimus* I. 812
Vnitas *perſonae inter patrem & filium impediebat, quo minus iure Rom. patri in bonis liberorum vſusfructus eſſet* I. pag. 584
Vniuerſitati *delatum iusiurandum ab iſtius Senioribus praeſtari debet* I. 657
VOCONIA *lex feminas hereditate excluſit* I. 515
Volenti non fit iniuria. *id axioma adplicandum ad propriam reorum confeſſionem* I. 673
Voluntati *vltimae deuotorum refragari inauſpicatum videbatur Romanis* I. 498
Voluntatem *vltimam* νόμον *vocat Priſcus* I. 494
Voluntatis *emendatio an ex emendatione intellectus recte deriuetur a Socrate?* I. 113
Voluptatis *venereae, ſeu laſciuorum inceſſus* I. 169
Voluptatis *Bacchicae inceſſus* I. 171
Vota pro ſalute tua facimus: *formula Romanorum in precibus.* II. 9.
Vrbem Templum ſibi viſam eſſe, *profitentur* Pyrrhi *Epirotae caduceatores* I. 423
Vrbes *habitabant ſerui Francorum temporibus* I. 406
Vrbibus *& oppidis caruere Germani antiqui* I. 404
Vſucapio. *eius origo ex iure ciu.* I. 883
ea quomodo eleganter vocetur a Cicerone? 885
Vſucapione *annua vxor iure Rom. antiquo materfamilias fiebat* I. 433
Vſucapionis *interruptio qua ratione olim facta?* I. 425
Vſurae *damnantur a Pontifice* I. 447
Vſus *iuriſiurandi ſupplet. in foris Germ. oſtenditur* I. 651. ſq.
Vſusfructus *in poenam ſecundarum nuptiarum*

nuptiarum conſtitutus an in Germ. receptus? I. pag. 594
ICti qui id adfirment? ib.
Vſusfructus *maternus Iur. Germ. quomodo differat a Romano?* I. 595
is an extra Germaniam obtineat? 599
is finitur in Belgio confecto inuentario ib.
prouinciae in Germania recenſentur, in quibus viget 601
eius fundamentum quodnam? 609
deſcribitur verbis Statuti Hamburgenſ. 583
an ex Authentica Praeterea *adhuc in vſu ſit?* 593
eum origine Germanicum eſſe, demonſtratur ex L. Wiſigothica 596
is apud Burgundiones in vſu erat 597
quibus modis is finiatur? 626. ſq.
eo finito quomodo fiat bonorum diuiſio? 627. ſq.
Vſusfructus *paraphernalium iure Rom. ignotus* I. 866
is vnde ſit receptus moribus Ger.? ibid.
Vſusfructus *paternus an in bonis aduentitiis liberorum iure antiquo Rom. obtinuerit?* I. 583. ſq.
is quomodo inualuerit iure Rom. 585
Vſusfructus *legitimus an matri iure Rom. competat?* I. 587
eius fundamentum patria poteſtas ib.
Vſusfructus *bonorum liberorum an matri illa abligurienti adimatur?* I. 615
Vſusfructus *in bonis pupillorum vaſallorum eſt effectus ſupremae tutelae in Germ.* I. pag. 744. ſq.
is improprie dominium *adpellatur* 601
quid iure Rom.? 584
Vſusfructus *teſtamento relictus an adimatur matri ob ſecundas nuptias?* I. 592. ſq.
Vſusfructus *in bonis aduentitiis liberorum inuectus a* Conſtantino M. I. 585
Vſusfructus *in bonis emancipatorum pro parte dimidia a Iuſtiniano* I. 586
Vſusfructus *in bonis illegitimorum an competat matri?* I. 588
quid Lynkerus ad hanc quaeſtionem? ib.
is quo caſu matri iure ciu. conſtituatur? 589. ſq.
is iure Germ. antiquo multo pinguior quam Rom. 616
ille refertur ad ſpecies dominii vtilis a Thomaſio & Schiltero ib.
Vſusfructus *legati & legitimi differentia* I. 617
Vterini *quando inter hos & conſanguineos diferentia ſublata fuerit a Graecis?* I. 260
Vuae *ad vindemiam nondum maturae commercio exemtae ſunt per ordinationem Polit.* I. 332
Vultus *hominum non fruſtra diſtinxit Deus* I. 132
id quod demonſtratur teſtimoniis ſacris & profanis ib.
Vxor *quid ſine curatore poſſit in Saxonia?* I. 877
Vxorem *inuito patre ducentis poena*

iure Germ. I. pag. 853
Vxores *temporibus* Pomponii *rarius in manum conueniebant* I. 492
Vxores *plebeias, non libertinas ducere licebat ante L. Pap. Popp.* I. 281. ſq.
eae iure vetere Celtico in tutela vel poteſtate mariti erant. 849
Vxori, *quae in manum conuenerat paterfamilias teſtamento tutorem recte conſtituebat iure Rom.* I. 513. ſq.
exemplum Hiſpalae Fecenniae 514
an mente captae vir curator dari poſſit? 844
Vxoris *curator quomodo hodie fiat maritus in Saxonia?* I. 871
Vxorum *a maritis aliis ceſſarum exempla* I. 834. ſq. 503

W.

WALEFRIDI STRABONIS *& aliorum teſtimonia, quod Sacerdotes 3. priorum Sacc. non alio ſigno ſe diſtinxerint a laicis, quam morum probitate & ſanctitate* I. 12. ſq.
Waradeins *ſeu* Zygoſtatae, II. 54. 61
WATTERI (Io.) *ſententia de querela inofficioſi expenditur* I. 276
Wiſigothi *: apud eos liberi aeque in matris ac patris poteſtate erant* I. 596
ii pueros decennes teſtari patiebantur 956
WISSENBACHIVS *quomodo explicet verba* Seueti *Imp. de religione iudicantium?* I. 665
Wurtembergiae *Duces ſe* Obriſte Vormünder *in reſcriptis ſuis vocant* I. 721
ii leges tutelares a Venetis petierunt 722

X.

XENOPHON *Athenienſibus ſuadet, vt mercatores honore proſequantur* I. 549
XENOCRATI *iniurato credendum eſſe putabant Athenienſes* I. 644. ſq.
Xιτῶνα *quid Graecis?* I. 30

Z.

ZACHARIAS *ſacerdos neminem in Sanctuario comitem habebat* I. 64
ZALEVCVS *quibusnam legibus rempubl. inſtruxerit?* I. 547
ZENO *imitatus a* Salu. Iul. *ICto* I. 807
Zoll-Stangen (*Statuae mercuriales*) I. 337
ZOROASTRIS *oracula* I. 189
ZOROBABELIS *templum Iudaeos, Chriſto reſpondentes intellexiſſe, cur non credibile ſit?* I. 93
ZVENTEBOLDVS *Rex Lotharingiae non Dux.* I. 757
ZVICHEM. (Vigl.) *de teſtandi ritu ſententia,* I. 504
Zygoſtatae, *qui?* II. 52
ii & Monetarii, alias die Waradeins, 54. 61

Digitized by Google

ORDO EXERCITATIONVM

SYLLOGES II.

Exercit. XXVIII. De Pecunia, in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus, aliiſque, ſententias impugnantibus, deponenda. - - *pag.* 1
XXVIIII. De Monetae reductione ad iuſtum pretium. - - - - - - - 36
XXX. De Iure Principis circa Commerciorum libertatem tuendam - - - - 79
XXXI. De Iure Principis circa Ciuium ſtudia. 133
XXXII. De Cauſſa Seruitutum perpetua - 177
XXXIII. De Locatione Conductione Iuriſdictionis. - - - - - - - - 222
XXXIIII. De Venditione illicita fructuum in herbis. - - - - - - - 275
XXXV. De Dominis, Subditos ſuos in Iudicio ſuo conuenientibus. - - - - - 305

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google